[Biblioteca] [illegible] ...sitaria
S... A
K... 1
Tab...
Numero 86

N° 1
15-21

R. 1063

# ANNALES
## ECCLESIASTICI
AB ANNO MCXCVIII.
UBI DESINIT
## CARDINALIS BARONIUS,
AUCTORE
## ODORICO
# RAYNALDO
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.
Accedunt in hac Editione
## NOTÆ CHRONOLOGICÆ, CRITICÆ, HISTORICÆ,
QUIBUS RAYNALDI ANNALES ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR, EMENDANTUR,
AUCTORE
## JOANNE DOMINICO MANSI
LUCENSI
CONGREGATIONIS MATRIS DEI.
## Tomus Secundus.



LUCÆ

Typis Leonardi Venturini MDCCXLVII.
*De Superiorum Licentia.*

# ANNALES
## ECCLESIASTICI.

| JESU CHRISTI ANNUS | GREGORII IX. PAP. ANNUS | FRIDERICI II. IMP. 10. |
|---|---|---|
| 1229. | 3. | BALDUINI II. IMP. 1. |

I. Fridericus cum Sult. Babyl. exitiale fœdus coit.

PERCUSSIT cum ſultano Babyloniæ anno Salvatoris noſtri milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono indictione ſecunda Fridericus, obtrita præſtiti juramenti religione, indignam Chriſtianæque reipublicæ pernicioſiſſimam pacem, quæ cum fucata ac ſubornata potius, quam ad ſtabilitatem percuſſa ac firmata eſſet, brevi novos tumultus peperit, reſque Chriſtianas in ſummum diſcrimen conjecit. Cujus impii fœderis capita ad Gregorium Papam, a patriarcha Hieroſolymitano miſſa, infra ſuo loco adducentur; unde Romani Pontificis in Fridericum fidei veriſſimum proditorem anathema fulminantis æquitas illuſtrabitur. Is enim cum bello petere atque edomare Sarracenos, ac ſacramento ſolemni, dum dotale regnum acceperat, ſe crucem non cæterorum principum more, ſed Templariorum & Hoſpitalariorum ritu capeſſere ſpopondiſſet, ut dejecti animi erat & odia non in Sarracenos, quibus erat moribus ſimillimus ſed in Chriſti vicarium exercere cupiebat, magnis votis repetitis pluribus legationibus a barbaro pacem expetiit, cui ſua arma turpiſſime obtulit, ac nunquam ea in ipſum reſumpturum eſt pollicitus; quodque non minus a prudentia alienum fuit, accepta Hieroſolymorum parte, ac templo Domini aliiſque arcibus in Sarracenorum poteſtate relictis, id fœdus cum ſultano Damaſceno, cujus res agebatur, non firmavit.

Turpiter ab eo geſtæ res.

Tum ad cæteris Chriſtianis, ut Antiochenis ac Tripolitanis, qui hactenus ad repellendum communem hoſtem animis conjunctiſſimi fuerat, ſubmittenda nulla auxilia ſe devinxit, ac tanquam re præclare geſta ingenti pompa ſibi Hieroſolymis coronam impoſuit. Denique diſceſſurus, quaſi gereret in votis rem Chriſtianam perdere, bellicas machinas vel Sarracenis tranſmiſit, vel igne conſumpſit: ut poſtea Chriſtiani recrudeſcente ex illa fallaci pace difficili bello periculis expoſitos ac proditos ſe fuiſſe luxerint. Quamvis vero adeo turpiter deſerta Chriſtiani nominis cauſa fuerit a Friderico, non defuere tamen illius ſtudioſi, qui hoc facinus veluti æterna memoria celebrandum efferrent. Quo argumento Hermanni religioſorum equitum S. Mariæ Theutonicorum, pompaticæ ac Friderici ad Gregorium fucis plenæ literæ, ut ipſum circumvenirent, extant exaratæ. Sed fruſtra ſapienti Pontifici ſuas fraudes obtrudere ſunt conati, quas ille perſpicaci mentis acie penetravit, ac de iniqua pace hæc Mediolanenſi (a) archiepiſcopo, aliiſque ejus provinciæ epiſcopis ſcripſit.

Deplorat Greg. deſertam ab eo cauſam nominis Chriſtiani.

(a) Greg. l. 3. ep. 24.

*Archiep. Mediolanenſi & ſuffraganeis ejus.*

II. Ea de re ad Mediolan. arch. lit.

*Ea quæ Fridericus dictus Imperator egit in partibus tranſmarinis, ideo vobis hactenus intimare diſtulimus, quia ſperamus, quod venerabilis frater noſter patriarcha Apoſtolicæ ſedis legatus, & templi, & hoſpitalis magiſtri Hieroſolymitani & alii principes, & barones de partibus illis nobis illa plenius intimabunt, & tunc certius*

ea vobis poterimus declarare. Sed ne interim vobis ſuggeri valeant falſa pro veris, ea quæ dictus Fridericus, & H..... magiſter domus Theutonicorum nobis ſuis literis intimarunt, vobis duximus referenda. Idem enim Fridericus cum ſoldano Babyloniæ, qui Hieruſalem vel circumpoſitam regionem nec de facto, nec de jure tenebat, irrequiſito ſoldano Damaſci, qui terram detinebat eandem, talem iniit pactionem. Videlicet, ut templum Domini Chriſto dicatum cuſtodiant Sarraceni, & ſervent obſervantias ritus ſui, & ſic idem in Hieruſalem diruta fere penitus, & deſerta ſe ſolemniter, vel potius inaniter coronavit. Sed patriarcha, & magiſtri prædicti, nec non quamplures alii zelum Dei habentes, nullatenus conſenſerunt hujuſmodi pactioni, quin potius idem patriarcha civitatem Hieruſalem eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto; ita quod ibi nullum divinum officium celebretur. Quare patet expreſſe, quod idem Fridericus, quintum in eo eſt, confudit enormiter cauſam Chriſti & populi Chriſtiani, dum, quod horrendum eſt dictu & ſtupendum auditu, conventionem Chriſti ad Belial penitus impoſſibilem geſtiens concinnare ſanctum expoſuit prophanandum, ut in templo Domini celebretur memoria Machometti, & illius perditiſſimi lex deteſtabilis prædicetur, qui legem Chriſti, quantum in ipſo fuit, evacuavit in partibus orientis; ſicque inimicus crucis, hoſtis fidei, adverſarius caſtitatis, inferno damnatus, quaſi contradicto judicio videtur erigi adorandus in intolerabilem contumeliam Salvatoris, & in inextricabile opprobrium populi Chriſtiani & contemptum multorum Chriſti martyrum manifeſtum: qui ut terram Chriſti ſanguine conſecratam, a Sarracenorum mundarent ſpurcitiis, animas ſuas ſalubriter poſuerunt. Ne igitur ſubditi veſtri aliquo ſuper hic circumveniantur errore, univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus hæc ipſis fideliter exponatis; adiicientes quæ ſecundum Deum honori Eccleſiæ videritis expedire Nomina vero terrarum, quas memoratus Fridericus Sarracenis in pactione reliquit, vobis per alias literas providimus exprimenda. Dat. Peruſii id. jun. pontif. noſtri anno III.

Ut Hieroſolymas ab iis Sar. ad quos nullum jus ſpectabat, redemerit.

Templum domini Machometis cultu prophanandum reliquerit.

Quanta fuerit rei indignitas.

III. Non multo poſt Gregorius Geroldi patriarchæ Hieroſolymitani, legatique apoſtolici triſtes literas (*a*) accepit, quibus ille Friderici ignaviam & proditionem, ac rei Chriſtianæ luctuoſum ſtatum expoſuit. Quas ad delibandam ex iis hiſtoriæ veritatem ac Friderici ejuſque aſſentatorum impoſturas detegendas afferendas duxi.

(*a*) Extat, apud Gregor. l. 3. ep. 34. Geroldi Patr. de ſtatu Terr. S. ad Greg. lit.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri, & domino Gregorio divina providentia ſummo Pontifici. G... miſeratione divina patriarcha Hieroſolymitanus humilis, & indignus ſalutem cum ſumma reverentia, & devota pedum oſcula beatorum.*

Sciat ſanctitas veſtra, quod circa feſtum B Clementis Imperator Joppen profectus eſt de Accon, ipſumque ſecutus eſt exercitus Chriſtianus. Ipſo autem illuc perveniente, ac incipiente munire, peregrini ad circumadjacentia caſalia concurrerunt pro victualibus perquirendis; quod audiens ſoldanus, qui prope erat cum ſuo exercitu, male reſpondit nuntiis Imperatoris, qui jam de Accon iverant ad eundem, & dixit quod durante tractatu pacis, Joppen non debuiſſet cauſa munitionis faciendæ veniſſe, nec frangi ſua caſalia debuiſſe: propter quæ memoratos nuntios cum indignatione & confuſione remiſit. Ad hæc Imperator omnia, quæ peregrini ceperant a caſalibus antedictis, fecit reſtitui, & ipſa caſalia cum omnibus affidari, ſoldanum incipiens ſic placare. Eo tempore ei ſoldanus quædam inſtrumenta miſit vilia & deſpecta, quæ directe prætendebant effectum turcopuli, & tonſoris, mandans quod terra ſua talibus abundaret. Ad hæc Imperator remiſit ſuum notarium ad ſoldanum pro tractatu pacis iterum inchoando: qui male receptus a ſoldano ſtatim ab eo receſſit, fuitque in ſuo reditu a a Sarracenis tractatus turpiter, & bonis omnibus ſpoliatus.

Excurrunt in Sarrac. terras crucesignati.

Prædas barbaris jubet reſtitui Frid.

IV. Poſtmodum non ſine gravi ſcandalo peregrinorum, ac mira confuſione idem notarius eſt remiſſus, mittens ſoldano arma ſua propria, loricam ſcilicet, galeam, & gladium, atque mandans, ſicut fuit nobis pro certo relatum, quod faceret de ipſo Imperatore quidquid vellet, quia nunquam contra eum de cætero ſe armaret. Ad quod nihil reſpondit ſoldanus, vilipendens omnia, quæ fiebant. Inter hæc quidam de familiaribus ſoldani, qui Imperatorem diligere ſe fingebat, dixit notario, ſi eſſet de beneplacito ſoldani, quod comes Thomas reverteretur ad ipſum, ipſi duo de pace aliqua & concordia iterato tractarent. Super quo ſæpedictus notarius ſoldano cum magna inſtantia ſupplicavit, ut ſibi in hac parte ſuum præſtaret aſſenſum: qui tandem conceſſit ſupplicatam gratiam ſupplicanti. Sic igitur reverſo comite ad ſoldanum, per ipſum, & familiarem prædictum tractatus pacis, qui modo ſupradicto in confuſionem totius Chriſtianitatis fuerat diſſolutus, fuit confuſione duplici denuo inchoatus. Quo durante capiebantur noſtri miſeri peregrini, & interficiebantur indifferenter, & ſecundum quod intelleximus veraciter, ſic bene amiſimus pluſquam quingentos de noſtris, & ut verum fateamur, poſtquam Syriam Imperator intravit, a ſuis, vel ab illis de exercitu Chriſtiano capti vel interfecti Sarraceni numerum denarium non attingunt. Immo quidam in exercitu fuit captus, qui ſtatim liberatus, claris veſtibus indutus, & ſic honorifice eſt ſoldano remiſſus, ita quod illi, qui eum ex parte Imperatoris conducebant, fuerint a Sarracenis in via bonis omnibus ſpoliati, vixque mortem evadere potuerunt. Sic itaque qui ab inimicis fidei infeſtabantur, principis auxilium non habebant: ſi autem eos ex quacunque cauſa offenderet, puniebatur ab eo; unde foris gladius, & intus timor noſtris aſſidue imminebat.

Sua arma Soldano transmittit.

Pollicetur nunquam in eum reſumpturum.

Interpellat turpiter infideles de pace.

Diſſimulat Chriſtianorum cædes.

Sarracenis munificum, Chriſtianis iniquum ſe præbet.





V. Nec illud ſilendum eſt, quod ad majus dedecus Chriſtianitatis cedere viſum fuit. Imperator rogavit ſoldanum, ut per Sarracenos ſuos in ipſius Imperatoris expenſis Chriſtianum exercitum faceret cuſtodiri; quod cum ordinatum a ſoldano fuiſſet, quia de lupis erant paſtores effecti, multi de noſtris ſub illa confidentia ceciderunt, & quod cum maxima verecundia referimus & rubore, imperatori ſoldanus audiens quod ſecundum morem Sarracenicum ſe haberet, miſit cantatrices, quæ & ſaltatrices dicuntur, & joculatores, perſonas quidem non ſolum infames, verum etiam de quibus inter Chriſtianos haberi mentio non deberet. Cum quibus idem princeps hujus mundi vigiliis potationibus, & indumentis, & omni more ſarracenico ſe gerebat: etſi talia abhorruit exercitus Jeſu Chriſti, adhuc, dante Domino loco & tempore, ſanctitatis veſtræ auribus referent, qui propriis oculis hæc viderunt. Erga Sarracenos non ſolum largus extitit ſed effuſor, ac ſi emere vellet pacem, quam obtinere non poterat violentia, vel timore. (Fridericum Sarracenis addictiſſimum fuiſſe eorumque mores imbuiſſe, teſtes ſunt ejus ævi auctores, quod nos ſuo loco illuſtrabimus.)

Exercitum Chriſtianum infidelibus cuſtodiendum committit.

Quantum id noſtris exitiale fuerit.

Sarracenos mores & cultum induit.

VI. Sane longe ante nativitatem Domini præcepit biſcottum fieri, & galeas, & omnia vaſa ſua parari; quod audientes Sarraceni, licet eum antea non timerent, ipſum tamen amplius contempſerunt. Denique in dominica ſeptuageſimæ pacis volens publicare tractatum, qui uſque tunc admodum fuerat occultatus, vocavit ad ſe circiter quatuor de majoribus Syriæ, eiſque intimavit, quod adeo pauper erat, & quod ibi non poterat moram trahere longiorem, quia jam ſibi deficiebant expenſæ, ut conſilia eorum eo facilius ad ſuum propoſitum, ac deſiderium inclinaret. Cum autem de paupertate prologum perfeciſſet, aperuit eis, quod ſoldanus offerebat ei civitatem ſanctam, retento ſibi templo Domini, quod a Sarracenis cuſtodiri debebat, ut illud ſine tributo intrare poſſent libere Sarraceni, qui illuc vellent cauſa peregrinationis venire; & quod civitatem poterat firmare Bethleem, & duo minima caſalia, quæ ſunt inter Bethleem ſupra ſtratam, & Hieruſalem: caſalia quæ ſunt inter Hieruſalem recto itinere uſque Joppen, Nazareth, & duo caſalia modica, quæ ſunt inter Nazareth & Accon recto itinere Tyrum cum quibuſdam pertinentiis ſuis, quod non debebat firmari, Sydonem cum plano, & duo caſalia modica, quæ ſunt in plano. Et ſciendum quod patriarchæ extra civitatem non reſtituitur unus paſſus terræ, nec domui ſepulcri dominici, nec hoſpitali S. Joannis, nec de Latina, nec de Joſaphat, non de templo Domini, nec montis Oliveti, nec montis Sion abbatibus, ut brevius dicamus, nihil reſtituitur extra civitatem præter ea, quæ ſunt ſuperius nominata, quæ tamen non ſunt de caſalibus, quæ ad aliquem pertineant de corpore civitatis, niſi domui templi, ad quam aliqua pertinent ex eis, quæ ſunt inter Hieruſalem, & Joppen: caſalia vero, quæ reſtituta dicuntur, pauca ſunt numero, nec plurimum commendanda valore.

Tractatum pacis paucis proceribus aperit.

Hieroſolymas recipit & quibus legibus.



VII. Ad hæc ſupradicti nobiles reſponderunt, quod ex quo ita pauper erat, quod ulterius remanere non poſſet, ei factum illud diſconſulere non audebant, ita tamen ſi civitatem retinere poterat, & munire. Poſtmodum vocati fuerunt magiſtri domorum; & ſuper hoc requiſiti: qui una cum epiſcopis Angliæ reſponderunt, quod ſine noſtro conſilio nihil penitus reſponderent, dicentes quod noſtrum erat conſilium potiſſimum requirendum, tum propter dignitatem patriarchatus, tum quia in illis partibus, ac negotio præcipue Jeſu Chriſti legationis officio fungebamur. Ad hæc Imperator reſpondit, quod noſtrum ſuper hoc conſilium non requireret, nec haberet. Sic igitur Imperator clam nemine de terra præſente, præſentibus nuntiis ſoldani, juravit ſe ſervaturum, ea quæ continebantur in quadam charta clauſa, quæ nunquam coram aliquo peregrino, nec aliquo de terra lecta fuit, vel aperta, nec coram nuntiis ſoldani ab ipſo Imperatore, baronibus vel magiſtris recitata, nec ab ipſo manifeſtata ſoldano, & ſoldanus contentus fuit ſolo principis juramento, nec alterius fuit ſuper hoc ſecuritas requiſita, quia bene ſciebat Imperator, quod ſi contingeret ab alio hanc ſecuritatem requiri, ſicut fieri conſuevit, ille qui requireretur, vellet ſibi explanari ſingula capitula diligenter antea quam juraret: ſed Imperator cum male ageret, lucem rationis in omnibus declinabat.

Procerum conſilia reſpuit.

Fœderis leges occultas tenet.

Ad eas jurejurando ſe obligat.

VIII. Tandem vocatis Theutonicis ſuis, qui nihil aliud affectabant, niſi quod poſſent viſitare ſepulcrum, allegare cœpit Imperator, & magiſter Alemannorum poſt ipſum, quomodo per eos fuerat exaltatus, & quantum in negotio illo eum Dominus honorabat, non ſuis meritis, ſed orationibus eorumdem. Et ſi omnes alii id diſconſulerent, conſilio eorum ſe reputabat contentum, rogans eos, ut de honore ſuo gauderent, & cantum in ſignum exultationis & lætitiæ inchoarent,

Germanos fucata oratione circumvenit.

*quæ ſola natio cantum levavit, & luminare fecit, omnibus aliis ſtultitiam reputantibus, quod fiebat, cum multi ex iis fraudem jam cognoſcerent manifeſte. His peractis magiſter Alemannorum, comes Thomaſius, & dominus Sydonis iverunt ad ſoldanum Babyloniæ, ut ſuper conventionibus initis reciperent ſacramentum ab ipſo: quo recepto ivit dominus Sydonis ad ſoldanum Damaſci, ut ab eo ſimiliter reciperet ſacramentum. Sed idem ſoldanus jam præſenſerat, quod ſoldanus Babyloniæ, & Seraphius avunculi ejus eum exheredare penitus intendebant, & inter ſe dividere terram ſuam, propter quod ſe in Damaſcum recepit, & adunatis ſuis, eis viriliter * aſſiſtere conabatur. Qui treugam jurare noluit ullo modo, dicens quod ſoldanus Babyloniæ avunculus ſuus terram ipſius Chriſtianis ſine conſenſu ſuo reddere de jure non poterat, nec debebat.*

Sultanus Damaſc. negat iis pacis conditionibus ſtare.

* reſiſtere

Queritur ab avunculo injuſte ſua ditione exui.

IX. Hermannus magiſter Theut. equitum facti turpitudinem colorat.

*Inter hæc magiſter Alemannorum ad magnificandam vocem, immo ad palliandam principis falſitatem, malitiam, atque fraudem, mandavit nobis conſulens, atque rogans, ut ad exercitum perſonaliter veniremus cum peregrinis civitatem ſanctam ſolemniter intraturi, & quod deinceps ordinari deberent noſtro conſilio univerſa, noſtrumque adventum Imperator plurimum affectabat. Circa idem magiſter valde ſolicitus erga amicos, & familiares noſtros de exercitu, ut nos ad veniendum inducerent ſuis precibus cum affectu: quorum omnium receptis literis & perlectis, caute conſiderandum duximus, & notandum, quod Imperator ſuæ intendens dilatare fimbrias falſitatis, & attendens, quod treugæ, & conventiones, quas cum ſoldano inierat fraudulenter, & malitioſe, omni fundamento veritatis, & ſtabilitatis carerent, nec tam veſanum ſcelus poſſet diutius occultari; cum ipſe eſſet de terra receſſurus inſtanter, nec terra, quam ſe acquiſiſſe jactabat, poſſet retineri per ipſum, ſe exoneratum crederet, immo honoratum omnino, & nos poſt receſſum ſuum quacunque occaſione dimitteret, in acquiſitione, quam ſe feciſſe fingebat, vel operis continuatione Joppen, & ſi poſtmodum de Hieruſalem aliqua neceſſitate contingeret nos exire, vel opus relinquere imperfectum, diceret: Ego acquiſivi civitatem ſanctam, quam perdidit patriarcha, & Eccleſiæ Rom. legatus; incepi munire Joppen, & eſt perdita per eundem, & non ſolum nobis id, verum etiam Eccleſiæ imputaret.*

X. *Ad hæc pater ſancte, licet malitiam Imperatoris, ac fraudem, & circumventionem magiſtri in hac parte perpenderemus expreſſe, tamen ad intellecta tunc prætermiſimus ex induſtria reſpondere, reſcribentes magiſtro, ut tranſcriptum treugæ, & omnium conventionum nobis tranſmitteret de verbo ad verbum, ut habita deliberatione debita, quod mandabat, poſſemus confidentius, ac ſecurius adimplere; non enim tutum erat nobis, immo admodum indiſcretum, quod nos in manu committeremus ſoldani, de cujus nobis forma treugæ non conſtabat. Quo intellecto magiſter in continenti per fratrem Vv. de ordine Prædicatorum pœnitentiarium noſtrum nobis miſit ſupra dictum tranſcriptum; quo retento, ac diligenter notato vidimus in eo inter cætera quædam mirabilia contineri, quæ ſanctitati veſtræ de verbo ad verbum duximus tranſmittenda, beatæ circumſpectionis veſtræ relinquentes judicio principis hujus malitiam evidentem.*

XI. *Nos igitur ex formæ treugarum inſtrumentis, utpote qui nihil aliud quærebamus, ex tunc incepimus noſtrum conſilium ordinare qualiter in toto negotio procedere deberemus. Cum igitur in primis nobis conſtaret, quod ſoldanus civitatem ſanctam Imperatori, ac ſuis bajulis ad muniendam, & habendam dediſſet, nulla de Eccleſia, vel Chriſtianis habita mentione; non fuit noſtrum conſilium quod de munitione illa intromittere nos vellemus, quia poſt receſſum Imperatoris dicere poſſet ſoldanus: Exite, nullam habeo conventionem vobiſcum: & ſoldanus Damaſci, cum quo treugam non habemus, poſſet nos graviter infeſtare; & quia treugæ forma continebat expreſſe, quod Sarraceni in manu ſua templum Domini, ſicut antea, detinerent, & quod ibidem lex eorum deberet modo ſolito proclamari, cum civitas omnino cultui Chriſtiano reſtituta non eſſet: præcipue cum ſoldanus Damaſci, cui ſuper dicta reſtitutione inferebatur violentia, treugam non juraſſet, propter quod videbatur minime duratura; de conſilio peritorum inhibuimus reconciliari inibi loca ſacra, ac celebrari divina, quouſque ſuper hoc ſanctitatis veſtræ requireretur conſilium & aſſenſus. Cumque videremus, quod in omnibus his malitioſe, ac fraudulenter procederet Imperator, peregrinis indifferenter denegavimus licentiam intrandi Hieruſalem & viſitandi ſepulcrum, dicentes quod a ſanctitate veſtra, & a veſtris prædeceſſoribus fuerat ſuper hoc lata ſententia; & cum ex tali ingreſſu, & viſitatione jam dicta dammum ſequeretur non modicum, ac periculum perſonarum, non credebamus, quod a beatitudine veſtra factum illud acceptari deberet, nec memorata ſententia propter hoc revocari. Et cum ad nos illius ſententiæ abſolutio non ſpectaret, eis id denuntiari per prædicatores fecimus evidenter, quod a ſanctitate veſtra requiri ejuſdem abſolutionis beneficium oporteret.*

Nulla in tractatu de eccleſia aut Chriſtianis edita mentio.

Nullæ cum ſultano damaſc. firmatæ induciæ. Retentus Hieroſolymis Mahometis cultus.

Cur interdicto fuerit ſuppoſita Hieroſol. a patriarcha.

XII. Fuit hæc graviſſima Friderici imprudentia ac pervicacia, de qua in ſuis ad univerſos fideles literis plurimum queſtus eſt, Pontifex anathemate devinctum in Syriam acceſſiſſe: at Richardus (*a*) nimio in Fridericum amore ductus excuſationum colores principis ſui factis oblinit, ac Gregorium inique admodum in invidiam adducit, aitque Fridericum multas a Pontifice injurias in ea expeditione pertuliſſe, dum non modo Gregorium pro libidine ac impotentia animi ipſum anathemate defixiſſe affirmat, verum patriarchæ ac magiſtris domorum hoſpitalis ac templi, ut ab eo veluti ab homine e cœtu fidelium ſegregato declinarent, imperaſſe: atque adeo ob id in exercitu Chriſtiano non ſine graviori inuſta Friderici gloriæ macula, nec ſacra fierent, nec divinæ laudes, ut mos erat, perſonarent. Sed quam injuſte culpam auctor ab Imperatore ad Pontificem detorqueat, e dictis, dicendiſque conſpicuum eſt. Pergit patriarcha:

Confutatur Rich. Friderici ſtudioſus.



(*a*) *Rich. in chron. hoc ann.*

XIII. *Et ecce unanimiter ſabbato dominicæ, qua cantatur: Oculi mei; ſunt cum principe civitatem ingreſſi, qui ſummo mane ipſo die dominico ſepulcrum intravit; veſtibuſque indutus regalibus, capiti ſuo impoſuit diadema. Quo facto magiſter Alemannorum ſurrexit, & ſermonem longum, & prolixum primo in Theutonico, & poſtea in Gallico ad nobiles, & populum inchoavit, & ſicut nobis relatum fuit, exonerando, immo exaltando principem, & Eccleſiam, ſalva gratia ſua, multipliciter onerando. In fine ſermonis, nobiles pro munienda civitate ad ſubſidium operis invitavit. Imperator oblationes ſepulcri Dominici, & aliarum eccleſiarum invitis canonicis & expulſis, recipi faciebat per ſæculares milites operis occaſione prædicti. Poſt prandium civitatem exivit, ad ſe venire faciens venerabiles viros Vvintonien. & Exonienſem epiſcopos, & magiſtrum hoſpitalis S. Joannis, præceptorem domus militiæ templi, magiſtro templi abſente, habito cum magiſtro Alemannorum conſilio, per eundem magiſtrum primo ab eis pro facienda munitione adjutorium requiſivit. Qui reſponderunt, quod ſuper hoc habere ſpatium deliberandi volebant. Secundo habito conſilio cum magiſtro, quæſivit ab eis conſilium per eundem magiſtrum, utrum ſibi expediret facere munitionem prædictam, & quod ſuper hoc ei in craſtino illius dominicæ reſponderent.*

Ut Fridericus ſibi coronam Hieroſol. impoſuerit.

Deliberat de munienda Hieroſ.

XIV. *Adveniente autem craſtino ſummo diluculo civitatem exivit cum tota familia ſua, mirantibus omnibus, conſtitutus in itinere recedendi. Quod audientes illi, qui ſuper prædicto verbo ei die illa reſpondere debebant, feſtinanter acceſſerunt, ad ipſum unanimiter reſpondentes fratres templi, quod ſi vellet munire, ſicut promiſerat, civitatem, ipſi eum ad id faciendum taliter adjuvare curarent, quod domus templi apud Deum & homines redderetur ſuper hoc merito commendanda. Qui reſpondit quod volebat ſuper hoc habere tractatum alias pleniorem. Sicque recedens ab eis, in civitate nemine ſalutato, ipſo die verſus Joppen ita celeriter feſtinavit, quod vix, qui eum ſequi valeret, invenit.* Graviſſime de eodem intempeſtivo Friderici Hieroſolymas munire propugnaculis detrectantis receſſu queritur in aliis literis (*b*) patriarcha: fuerant enim, ut vidimus, a Coradino in Damiatæ obſeſſæ ultionem æquata ſolo Hieroſolymæ mœnia, ac ſi urbs firmiſſimis aggeribus muriſque cincta tum fuiſſet, cum ad urgendum opus ferverent Chriſtianorum animi, oblata poſtea occaſione Sarraceni facilius templo Domini deturbari potuiſſent; ſed altius hærebat principis animo Chriſti Vicarium, quam Mahometi cultores laceſſere atque ob id iter in occidentem præcipitabat. Pergunt Geroldi literæ: *Quod videntes peregrini, ſeſe cum ipſo pariter reputantes confuſos, audientes inter cætera proclamationem legis Mahometi alte & ſolemniter frequentari, fuerunt velut diploide duplici confuſione turbati, jamque ipſius malitiam cognoſcentes civitatem exibant omnes unanimiter, ipſumque ſequebantur ad portum ſua peregrinatione, ita quod non ſperabatur, quod ibi deberet Chriſtianus aliquis remanere. Imperator venit in Accon in media quadrageſima, feſtinans modis quibus poterat transfretare, milites Theutonicos ſecum trahere conabatur: ſed in hac parte proficere non poterat, prout vellet, cum timerent excommunicationis ſententiam, & de tempore magnam fiduciam non haberent. Jam aliqui peregrini interfecti fuerant adeuntes ſepulcrum; unde paulatim tranſeuntibus videbatur hujuſmodi malitiis ſecuritas interdici. Quæ poſtea evenient, curabimus fideliter, ac diligenter ſanctitati veſtræ quam cito poterimus intimare. Tranſmittenda duximus ſcripta eadem per diverſos nuntios, ut ſaltem unus bravium apprehendat. Datum Accon* VII. *kalendas martii.* [1]

Eludit promiſſa.

Non permittit firmari propugnaculis a Templariis.

(*b*) *Ext. apud Pariſ. hoc ann.*

Turpis illius e Syria receſſus.

XV. Ad majorem veritati, quam plures obſcurare niſi ſunt, affundendam lucem, im-

NOTÆ

[1] POſt illud dat. Accon. VII. Kal. martii; ſubiiciunt annales contracti: *Graviſſime de eodem intempeſtivo Friderici Jeroſolymas munire propugnaculis detrectantis receſſu expoſtulat in aliis literis* (a) *patriarcha. Fuerant enim, ut vidimus, a Coradino in Damiatæ obſeſſæ ultionem æquata ſolo Jeroſolymæ mœnia, ac ſi urbs firmiſſimis aggeribus muriſque cincta tum fuiſſet cum ad urgendum opus ferverent Chriſtianorum animi, oblata poſtea occaſione Saraceni facilius templo Domini deturbari potuiſſent.* MANSI

(a) Ext. apud Pariſ. hoc anno.

impii fœderis capita, quæ e Sarracena in vulgarem Gallicam linguam verſa patriarcha ad ſummum Pontificem miſit, (*a*) additis ad ſingula animadverſionibus Latinis, ad infamiam perniciemque illius magis oſtendendam, nos Latino ſermone adducenda cenſuimus. Extant in regeſto poſt eandem epiſtolam hujuſmodi titulo prænotata:

(*a*) *Ext. ib. poſt eand. ep.*

Capita pacis ab eo initæ.

*Tranſcriptum capitulorum treugæ ad dominum Papam directum.*

*Capitulum I. Sultanus Hieroſolymam Imperatori ejuſque præfectis tradit, ut de ea quocunque modo pro arbitrio diſponat communicetve.*

*§. Notandum quod Imperatori ſive baliliis ſuis ſit conceſſio, non facta de Eccleſia, vel Chriſtianitate, vel peregrinis aliqua mentione: & ita apparet quod ſecundum formam treguæ nullus poteſt eam munire, vel retinere niſi Imperator, vel balilii ſui. Item notandum, quod ſoldanus de jure non habuerit poteſtatem concedendi, cum ſuper hoc violentia inferatur ſoldano Damuſci, qui eam poſſidebat, nec treugam jurare voluit, nec ratam dictam conceſſionem habere.*

XVI. *Capitulum II. Imperator non occupabit attingetve Geemelata, quod Salamonis templum eſt nec templum Domini, vel quidquam eorum ambitu complexuque contentum; nec pati debet Francum ullum, cujuſcunque gentis fuerit, & invadere, ſed nullo prorſus immutato erunt in poteſtate ac manu Sarracenorum, qui ea ad orationes ſuas fundendas ſuamque legem proclamandam obtinebunt, nulla iis prohibitione, aut contradictione facta, claveſque portarum, quæ in ambitu locorum ſunt, apud eos, qui ad ea loca inſtruenda curandaque reſident, remanebunt, nec in poſterum ipſis eripientur.*

*§. Hæc eſt abuſio manifeſta, quæ expoſitione non indiget: hæc eſt conventio Chriſti ad belial. Per hoc apparet, ſi frequentatio pſalmi illius: Deus venerunt gentes, ceſſare debeat, cum adhuc templum ſanctum polluant infideles. Item notandum, quod cum in locis adjacentibus civitati nulla ſint caſalia reſtituta, & remaneant in manibus paganorum, & longe major erit multitudo Sarracenorum venientium cauſa orandi ad templum Domini, quam multitudo Chriſtianorum venientium ad ſepulcrum, quomodo poterunt habere dominium Chriſtiani uſque ad decem annos, ſine diſcordia, & periculo perſonarum, cum ſicut prædictum eſt, ſibi vires retineant Sarraceni?*

XVII. *Capitulum III. Nulli Sarraceno vetitum erit in Bethlehem libere peregrinationem obire.*

*Capitulum IV. Si quis Francus firmam fidem in majeſtatem dignitatemque templi Domini habuerit, eoque ad preces fundendas ingredi voluerit, id illi licebit: at ſi in ejus templi majeſtatem dignitatemque non credit, in toto loci ambitu conſiſtere permittendus non eſt.*

*§. Mirum eſt quod etiam clauſuram illam utriuſque templi nullus Chriſtianus ingredi permittetur, niſi credat, ſicut Sarraceni credunt. Item mirum eſt, quod ipſi poſſunt libere intrare Bethlehem, locum ſcilicet orationis noſtræ, in infidelitate ſua ſine omni examinatione, & nos templum Domini, immo nec clauſuram in fide & nomine Jeſu Chriſti non poterimus, nec permittemur intrare, niſi prius eis conſtet, quod de templo, quod ipſi credunt, credamus. Item notandum quod templum Domini fuit primo ſedes epiſcopalis, quæ nunc patriarchalis facta eſt, & ibi nunc ſedes eſt Mahometi.*

*Capitulum V. Si Hieroſolymis Sarracenus Sarraceno alteri damnum aliquod intulerit, apud Sarracenos in judicium vocabitur.* XVIII.

*§. Ecce quod in civitate juriſdictionem habent, ſicut Chriſtiani.*

*Capitulum VI. Imperator nulli Franco, quiſquis ille fuerit, quocunque modo operam præſtabit, nec Sarraceno ad confligendum, bellumque movendum contra Sarracenos, quicunque ii fuerint, per has inducias belloque moto, nec quemquam impellet, vel mittet, nec cuiquam eorum ſeſe conjunget, qui ad prælium ineundum fuerit progreſſus, iiſve nullo modo adhæreſcet, nec eos commeatu vel viris juvabit.* XIX.

*§. Iſtud ſacramentum, quod in hac parte fecit ſoldano, quomodo ſervari poterit cum eo, quod fecit Eccleſiæ de tenendis mille militibus per biennium, & de quinquaginta galeis, pro quibus excommunicatus eſt, quia adimplere eadem non curavit?*

*Capitulum VII. Imperator avocabit eos omnes, qui meditabuntur cladem aliquam inferre terris ſultani Melec Elkemer ac terris, idque ſuis, exercituique ac ſubditis vetabit pro quanta in eo erit poteſtate.* XX.

*§. Si bene notetur iſtud capitulum, etſi nunquam in aliis deliquiſſet, non ſolum Deus, contra quem ſe ſpecialiter obligavit, verum etiam totus mundus deberet inſurgere contra eum, quia in hoc contra univerſam Chriſtianitatem commiſit, in opprobrium, & contemptum excellentiæ imperialis, & totius Chriſtianitatis dedecus non modicum & manifeſtum gravamen.*

*Capitulum VIII. Pene idem, ſed magis expreſſum. Si qui Franci pactiones conventas, aut quarum mentio facta ſit, in his induciis transgredi cogitent, Imperator ſultanum defendere tenetur, ac ab ea mente ſuos, ſubditoſque, exercitumque ſuum revocare.* XXI.

*Capitulum IX. Tripolis ejuſque territorium, Crachum, Caſtelblancum, Tortoſa,*



*Margatum, & Antiochia & quidquid in iis reperitur, tam in bello quam in induciis, in ſuo ſtatu relinquatur, ac Imperator ſuis, exercituique ſuo, inque terris ſuis commorantibus, qui eo accedent ſive ii Franci fuerint indigenæ vel exteri, opem dominis dictorum locorum ferre prohibebit.*

*§. Hoc nunquam accidit, ſicut dicitur in terra, niſi modo, quia quando in regno Hieroſolymitano treuga habebatur, loca præcedentia milites regni & alii Chriſtiani indifferenter juvabant & ea modis, quibus poterant, defendebant.*

XXII. Inanis Friderici de turpi inito fœdere jactantia.

At Fridericus adeo male de Eccleſia meritus, quaſi celeberrimum triumphum de hoſte retuliſſet, laureatas triumphales literas Chriſtianis principibus ad colligendam inanem gloriolæ auram ſcripſit, quas Pariſius Henrico III. Anglorum Regi miſſas refert; (*a*) quæ ita conſignatæ ſunt: *Dat. apud civitatem ſanctam Jeruſalem die* 17. *menſis martii anno Domini MCCXXIX.* Die vero inſequenti ad Gregorium alias dedit, quibus multi mendaciis fucata veritate quaſi rei geſtæ gloriam nulla unquam deletura eſſet oblivio, ipſum ad occinendas Deo laudes, perfundendumque lætitia animum excitabat; atque hæc ampullata verba ad jactantiæ pompam ſimulata pietate effudit: *Lætentur in Domino & exultent omnes recti corde, quoniam beneplacitum eſt ei ſuper populo ſuo, ut exaltet manſuetos in ſalutem. Laudemus & nos ipſum, quem laudant angeli, quoniam ipſe eſt Dominus Deus noſter, qui facit mirabilia magna ſolus, quique antiquæ ſuæ miſericordiæ non oblitus, ea miracula noſtris temporibus innovavit, quæ feciſſe legitur a diebus antiquis. Quia cum ipſe, ut notam faciat potentiam ſuam, ſemper non in equis, aut curribus glorietur, nunc dedit ſibi gloriam in paucitate virorum, ut cognoſcant, & intelligant omnes gentes, quod ipſe ſit terribilis in magnificentia, glorioſus in majeſtate, & mirabilis in conſiliis ſuper filios hominum, cum in paucis diebus iſtis miraculoſe potius, quam virtuoſe negotium illud feliciter ſit peractum, quod a longis retroactis temporibus multi potentes & diverſi principes orbis nec in multitudine gentium, nec per metum aut quodlibet aliud facere potuerunt. O quam laudanda eſt clementia creatoris, & quam metuenda eſt ſemper potentia virtutis ipſius, quia cum in humilitate mentis, & devotione cordis ſemper proceſſerimus ad ſervitium ſanctum ejus; nobis ab ipſo principio conſilio, & auxilio ſuæ non defuit pietatis. O quam glorificanda eſt ineffabilis miſericordia Redemptoris, qui ſuper populum ſuum devotum peccatis noſtris facientibus, tandem derelictum, nunc ex alto reſpiciens, ipſum ſecundum miſerationum ſuarum multitudinem viſitavit. Ecce nunc quidem dies illa ſalutaris advenit, in qua veri Chriſticolæ ſalutare ſuum accipiant a Domino Deo ſuo, ut cognoſcat, & intelligat orbis terræ, quia ipſe eſt, & non alius, qui ſervorum ſuorum ſalutem, quando vult & quomodo vult, operatur, &c.*

(*a*) *Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Verum non ad inanem lætitiam iis fallacibus fucis Pontificem pellexit, ſed ad veros gemitus ob Chriſti cauſam fœdiſſime deſertam compulit, ut demonſtrant triſtes literæ ad ducem Auſtriæ ſcriptæ (*b*).

XXIII. Quæ in re geſta improbarit Greg. in lit. ad Auſtr. ducem.

*Nibili viro duci Auſtriæ.*

*Inter alia flagitia, quibus Fridericus dictus Imperator, fidem nominis Chriſtiani confudit & prodidit, quatuor præcipue notare debes, alphabeto quadruplici deploranda, quæ per literas venerabilis fratris noſtri patriarchæ Hieroſolymitani A. S. L. nobis ſunt fideliter intimata, & in forma treugæ initæ cum paganis perpenditur manifeſte. Primum quod arma Chriſtianæ militiæ gladii poteſtatem de altari B. Petri ſumpti ad vindictam malefactorum, laudemque bonorum, ſibi a Chriſto per ſuum vicarium aſſignati, quo pacem Chriſti, fidem Eccleſiæ defenderet, & muniret, ſoldano Babyloniæ, inimico fidei, adverſario Jeſu Chriſti, cultori perditi Mahometi, impudentiſſime reſignavit, denuntians ei, ut de ipſo faceret quidquid vellet, & affirmans ſe nolle arma de cætero aſſumere contra ipſum, quem ut impugnatorem fidei fideliter impugnaret, acceperat Imperialis culminis dignitatem. Per quod patenter arguitur, quod dignitati Imperii ejuſque ſpontaneus renuntiavit honori; cum executionem gladii contra hoſtes fidei pacto execrabili, & inaudita præſumptione remittens, poteſtatis, & dignitatis ſuæ ſe ſpoliavit officio, cauſa ſe privatum inſinuans, cujus effectu promiſit, & juravit ſe de cætero cariturum: privilegium enim meruit amittere dignitatis, qui conceſſa ſibi abuſus eſt poteſtate.*

(*b*) *Lib* 3. *ep.* 38. Gladium ex altari B. Petri ſumptum, traditum cultori Mahometi.

XXIV. Templum auguſtiſſimum ſuperſtitione Mahometana inquinari.

*Secundum magis execrabile, & inauditi admiratione ſtuporis horrendum, quod de templo Dei, in quo Chriſtus oblatus eſt, & ſedem ſibi primam cathedralem conſtituit, quando in medio doctorum ſedit, audiens & reſpondens, ipſum impudenter, & irreverenter ejecit, & in ſede ſua Mahometum perditum collocavit, cum doctrinam nefandam, & legem ipſius in templo Dei prædicari, & clamari concedens, ſilentium præconio evangelicæ veritatis impoſuit, ejuſdemque templi cuſtodiam & ſepti ejus claves Sarracenis committens, nullum intrare ſtatuit Chriſtianum, niſi de altitudine templi primo examinatus ſuam pagano credulitatem exponat. Per quod datur intelligi manifeſte, quod judicio Sarraceni relinquitur, utrum debeat Dei templum ingredi Chriſtianus.*

XXV. Orientalium Chriſtianorum fœderi abrenunciaſſe.

*Tertium eſt, quod Antiochiam, & Antiochenam provinciam, Tripolitanam etiam, cum adjacentibus ſuis caſtrum, quod dicitur Crach, caſtellum Album, & Margattum occupanda paganis expoſuit, quando ipſa a confœderatione treguarum excepit. Immo ſi ea invadi contingeret a paganis, non ſolum omne ſubſidium ſe denegaturum aſſenſit, ſed univerſos ferentes auxilium impedire, & cohibere nefandiſſimo juramenti vinculo ſe aſtrinxit, quaſi non ſufficiat inauditæ tyrannidi, & infidelitati damnatæ templum Dei hoſtium fidei ſubdere poteſtati, & prophanari immunditiis paganorum, ac Chriſtum de ſede ſua turpiter ejeciſſe, niſi etiam primam ſedem Apoſtolorum principis, ejus vicarii juramentum ei præſtitum male ſervans, expoſuerit inimicis fidei Chriſtianæ; manifeſte proteſtans, quod infidelis capiti, non ſolum uni membro, ſed toti corpori ſit infidus.*

XXVI. Certiſſimum ex eo rei Chriſtianæ exitium parari.

*Quarto autem, contra totum populum Chriſtianum apparet ipſius & paganorum confœderatio manifeſta, ubi ita ſe damnabiliter obligavit, quod ſi omnes prædicti inter ſe initis factionibus vellent quomodolibet obviare, juramento tenetur ſuis expenſis & exercitu ſuo pro ſuis viribus debellare. Ex quo conſtat, quod ſi Chriſtianus exercitus ulciſci ſui vellet injuriam Redemptoris, & a templo Dei & a Terra ſancta eliminare ſpurcitias paganorum, patenter tenetur ſe opponere Chriſtianis. Nunquid ſuper his non indignabitur zelus tuus, aut impune Chriſtus de regno ſuo, & ſede repellitur, & tranſactionem principis ſolo nomine Chriſtiani, qua templum Dei conceditur Mahometo, religio Chriſtiana conniventibus oculis approbavit?*

XXVII. Divinam majeſtatem lædi.

*Abſit ut illius qui læſæ majeſtatis reus eſt particeps vel conſors exiſtas. Si reus eſt criminis hujus, cujus ope vel dolo civitas hoſtibus, vel provincia traditur; quanto magis ejuſdem criminis reus eſt, qui cum inimicis fidei Chriſtianæ contra Regem cœli, & Imperatorem æternum, ut thronus ejus ad adverſarium transferatur, nefarias iniit factiones? Si ſecundum leges principum ſæcularium hoc piaculare flagitium tam dura, diraque pœna mulctatur, ut feratur ultio tam in actores ſceleris, quam in progeniem damnatorum; & ejuſdem criminis noxius non ſolum honore, ſed vita privetur, filioſque perpetua comitetur infamia, ut ad nullum honorem, nullaque prorſus perveniat ſacramenta, ut mors ſit eis ſolatium, & vita in ſupplicium convertatur; quanta qualive pœna eſt dignus, qui in tot, & tantis impie dominum Dei Filium Jeſum Chriſtum offendit, cum longe ſit gravius æternam, quam temporalem offendere majeſtatem? Quocirca nobilitatem tuam rogamus, & monemus in Domino per effuſionem Chriſti ſanguinis obſecrantes, quatenus ad vindicandam injuriam Salvatoris noſtri Dei taliter aſſurgas, ut cum a nobis fueris requiſitus, paratum te inveniat Eccleſia mater tua ad exprobrandum opprobrium inimicorum crucis Chriſti, & abolendam maculam tantæ infamiæ a gloria nominis Chriſtiani.*

Solicitat Albertum Greg. ut cum rogatus fuerit Eccleſiæ operam explicet.

XXVIII. Significat, ut Frid. Templarios Accone obſederit.

*Cum nuper die dominica poſt feſtum Apoſtolorum, ſuper præmiſſis recepiſſemus literas patriarchæ, ſequenti die ſabbati, alias ejuſdem accepimus literas, in quibus inter alia perſpeximus contineri, quod poſtquam reverſus eſt dictus Fredericus a civitate Hieruſalem, dictum patriarcham, & fratres militiæ templi obſidens in Accon quinque diebus cum iis, qui ſecum erant, graviter impugnavit, intendens domos eorum bonis omnibus ſpoliare: ſed cum Dominus conatum ſuæ nequitiæ repreſſiſſet, nec poſſet quod in animo gerebat, efficere, baliſtas, & cætera arma tam a chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanne illuſtri Rege Hieroſolymitano, quam ab aliis peregrinis pro defenſione Terræ ſanctæ ibi relicta, & longo tempore conſervata ad navim ſuam fecit clanculo aſportare: quorum partem ſecum deferens & reliquam ſoldano & fidei inimico tranſmittens, deſtructis galeis, quæ erant ad terræ cuſtodiam relinquendæ, in feſto Apoſtolorum Philippi & Jacobi clam fugit: & diluculo civitatem egreſſus, & ſic terram viris & viribus, armis & munimentis cæteris deſtitutam relinquens, expoſuit inimicis fidei occupandam. Datum Peruſii decimo quinto kalend. aug. pontificatus noſtri anno III.*

Tormenta bellica ſultano tranſmiſerit.

Triremes diſſolverit in receſſu.

XXIX. Continent eadem patriarchæ literæ (a) ad fideles tranſmiſſæ, quibus rei totius turpiter a Friderico geſtæ ſeriem exponit; atque eaſdem fuiſſe arbitramur, quarum meminit Pontifex. In iis vero nonnulla ſuperioribus digna memoria adiicit, Fridericum inſigni perfidia, cum in Cyprum appuliſſet, I... Ybellinum virum dignitate ſpectatiſſimum ac filios ad cœnam invitatos in vincula conjeciſſe, ipſumque Cypri Regem evocatum, pari ſcelere detinuiſſe ac per vim & artes regnum occupaſſe. Meminit ejuſdem perfidiæ in Cyprii regni moderatorem conflatæ a Friderico Jordanus his verbis: (b) *Dominum Baruth blande ad ſe vocat, nominans eum avunculum chariſſimum propter uxorem jam defunctam, quæ reliquerat Conradum. Ille vocatus contra conſilium ſibi datum poſt prandium productis armatis ab Imperatore primo requiſitus fuit, quod redderet Beritum, quod non rite tenebat; tum quod de omni percepto a tempore mortis Regis Hugonis (erat enim filii bajulus) uſque tunc annis decem perceperat, redderet rationem ſecundum conſuetudinem, Alemannorum ſcilicet baronum. Sed bonis viris mediantibus convenitur, ut de primo ſecundum conſuetudinem regni Hieruſalem; de ſecundo ſecundum conſuetudinem regni Cypri rationi parebit;* hæc Jordanus. Sed ad patriarchæ literas redeamus.

(a) *Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc anno.*

(b) *Ext. apud eund. Par.*

Inſignis Frid. in Ybellinum perfidia.



XXX. Ubi Geroldus poſt Ybellinum circumventum, adventum Friderici in Syriam, ſubdolam cum Babyloniis pacem initam, retentum a Sarracenis templum Domini, ac legem Mahometi in eo turpiſſime proclamari, Hieroſolymas nullis contra promiſſa munitas propugnaculis, nec firmari ab equitibus religioſis permiſſas, reditumque Ptolemaida expoſuit, de quibus antea dictum eſt, addit, cum Fridericus & una cum eo omnes crucesignati trajectionem inſtruerent, perpendentem ſe poſt eorum diſceſſum Terram ſanctam excurſionibus ac vaſtitati ſultani Damaſceni, cum quo nullæ induciæ pactæ eſſent, expoſitum iri, communicato conſilio aliquas copias ex eleemoſynis olim Regis Francorum ſuſtentandas retinuiſſe, quibus Imperatorem exaſperatum edixiſſe ingentibus intentatis pœnis, ne quis arma capeſceret, excubiiſque ante portas civitatis & in locis editioribus impoſitis, ipſi obſidione arctiori cincto graviora mala, quam ullo unquam Sarracenos inflixiſſe; quinetiam ad cumulum ſceleris, aliquos e Dominicana, Fanciſcanaque familiis, qui ad ſacra de Deo verba facienda in ramis palmarum, pro more in ſuggeſtus conſcenderant, deiici, rapi, in terram collidi, flagriſque per urbem ut latrones nefarios cædi juſſiſſe. Cumque ſcelerata conſilia in exitum perducere non poſſet, de pace interpellaſſe; denique recedentem, ut omittamus, quæ ſupra de tormentis bellicis ad ſultanum tranſmiſſis, diſſolutis triremibus, arcibus non munitis tetigimus, partem exercitus traduxiſſe in Cyprum atque ingentes pecunias ab incolis abraſiſſe, Terram vero ſanctam Sarracenorum furori expoſitam remanſiſſe.

Patriarcham & Templarios obſidet.

Viros religioſos crudeliter tractari jubet.

Cyprios ſpoliat.

XXXI. Ex iis atque aliis mendacii arguuntur literæ Friderici ad Pontificem datæ, quibus jactabat, firmandæ magnis operibus Hieroſolymæ operam dediſſe, atque omnia ita compoſuiſſe, ut etiam ipſo abſente validiſſimis aggeribus ac propugnaculis cingeretur. Cur vero adeo male ſe geſſerit, declarat inferius Jordanus, cujus hiſtorici totam hanc expeditionem exponentis verba afferimus: *Cum viginti galeis & militibus non amplius centum ire diſpoſuit. Papa illi mandat, ne tanquam cruceſignatus eat, donec ab excommunicatione, quam incurrerat, eſſet abſolutus, & de perjurio ſatisfeciſſet. Imperator prædictas pœnas parum attendens in Cyprum ivit.* Et infra: *Inde Ptolomaidam profectus ſoldano tranſmittit tanquam fratri munera, & quod non acquirendæ terræ cauſa venerat, ſed ſuorum locorum gratia, & quod filius ejus heres ſit regni Jeruſalem, & ſi hoc pacifice reddat, pacificus erit receſſus. Interim duo fratres Minores literas Papæ præſentant patriarchæ, ut eum excommunicatum denuntient. Et primo hoc Imperator receperat, quodque Eccleſia regnum Siciliæ occuparet. Ille autem ſoldano concordat, ut partem Jeruſalem accipiat, Bethleem & Nazareth, & caſalia intermedia in recta via, & terram Torom, & pertinentia ad Sydonem; & profectus Jeruſalem, abſque ulla benedictione, coronam poſuit ſuper altare, deinde ſuper caput ſuum, & Brunduſium rediit.* Ex dictis igitur patet Fridericum non divini amoris aut amplificandæ fidei, lucrandarumve indulgentiarum gratia, ut cæteri principes Chriſtiani conſueverant; ſed ad recuperanda ſua profectum atque ob Siculum bellum, percuſſo incondito ac turpi fœdere, reditum acceleraſſe, nec tamen ob id in Gregorium rei culpa derivari poteſt, cum, ut ſupra diximus, ad tuenda ſua divellendoſque ex pontificia ditione Friderici duces bellum in regnum Neap. transferre coactus eſſet; atque adeo in Fridericum ipſum, ut totius mali auctorem coniicienda eſt, qui temere bellum Pontifici intulerit: cum maxime ejus opera tum ad continendos in officio ipſius populos, tum ad ſubmittendas illi ex occidente auxiliares cruceſignatorum copias egeret, quibus fultus & regni Hieroſolymitani loca amiſſa recuperare, ac novas etiam barbarorum terras ſibi comparare potuiſſet.

Reditum præcipitat ob Siciliam a Pontifice invaſam.

Quam juſte in eam arma convertit Gregorius.

XXXII. Amiſerat vero occaſione illius diſcordiæ plura in Sicilia cis Pharum loca, quæ partim ob graviſſima, quibus opprimebantur, vectigalia in pontificias partes transfugerant, partim ad deditionem armorum terrore compulſa aut capta impetu fuerant. In quo bello (a) Joannes Rex Hieroſolymitanus ſtrenuam Eccleſiæ adverſus generum, a quo regno per ſummam injuriam dejectus fuerat, operam navavit. Atque inter cæteras urbes, Friderico in Apuliam regreſſo, Cajetam una cum Pelagio legato Albanenſi expugnarat. Ad cujus urbis cives, nec non Sueſſanos, ac Soranos extant Gregorii literæ, quibus ipſos prærogativis pluribus exornat, (b) ut imperii eccleſiaſtici ſuavitatem experirentur. Sed cum iis viribus Pontificii non pollerent, ut Friderico reſiſtere poſſent, brevi, quæ pepererant, amiſere, ſeque in Campaniam recipere ſunt coacti: Sueſſa ſponte deditionem fecit, ut Richardus ſcribit: Sora animis quam viribus fortior flammis deleta eſt, de cujus excidio Richardus Friderici ſtudioſus hoc elegans diſtichon affert:

Joannes Rex Hier. in eo bello ſuam Eccleſiæ operam commendat.

(a) *Rich. in chr.*

Cajetam una cum Pelagio expugnat.

(b) *Lib. 3. ep. 16. 26. 28. 29. 51.*

Reverſus Frid. plura amiſſa loca recuperat. Soram excindit.

*Vi caperis, vi capta ruis, merito peritura.*
*Sora ruis, tua damna luis, ſero reditura.*

Denique Pantra, Sernia, Aliſia, Caſſinum, Arpinum, Theanum, pluresque aliæ arces ſub Friderici jugo ſuccubuerunt. Quibus inflatus victoriis ad nova auxilia elicienda literas jactantia plenas Inſubribus ſcripſit, quas Richardus affert. Conſentiunt alii auctores, ut Conradus abbas Urſperg. (*a*) Matthæus Pariſius, (*b*) Godefridus (*c*) aliique, Fridericum caſtra a Pontificis ducibus capta ſenſim in ſuam poteſtatem redigere cœpiſſe, præterea conſilia nefaria contra Pontificem conflare, aſperiuſque Eccleſiam perſequi. Quare Gregorius, ut fluctuantem Petri naviculam variiſque intumeſcentibus procellis concuſſam, ab imminenti periculo liberaret, ſcriptis ad plures diligentiſſime literis, mixtis precibus imperiis, ad ferendam opem communeque diſcutiendum diſcrimen eſt adhortatus (*d*) in primis fœderatas Longobardiæ urbes, quas Fridericus a Pontificis ſtudio divellere atque in ſuas partes trahere conabatur, ut milites omnibus rebus inſtructos ad ſe tranſmitterent, quo Friderici conatus poſſet infringere, ne obtrita Eccleſiæ majeſtate, periculum in eos redundaret.

(*a*) *Urſperg. in chr.*
(*b*) *Par. hiſt. Angl.*
(*c*) *Godef. in annal.*
In Greg. atrociter inſurgit.
(*d*) *Lib. 3. ep. 31. 36.*

XXXIII. Languebant in ſubmittendis auxiliis Longobardi; quare repetitis Gregorius ad archiepiſcopum Mediolanenſem & Gualonem (*e*) familiarem ſuum literis graviſſime queſtus eſt (*f*) Mediolanenſes adeo ſuppetias afferre diſtuliſſe, ut interea Fridericus, auctis viribus contra Eccleſiam inſolentius graſſatus eſſet; monuitque ni quamprimum idonea ſubſidia inſtruxerint, illum poſtea in ipſorum perniciem, quam a capitibus ſuis facile jam lata ope Eccleſiæ propulſare poſſent, impetum facturum, vel ſe aliter deſertis deſertoribus Eccleſiæ, rebus ſuis conſulturum: *Utinam nunquam Lombardi ſe noſtris obſequiis obtuliſſent, utinam nunquam ab ipſis aliquod auxilium ſperaſſemus, quoniam ſatis alias honori Eccleſiæ conſulere poteramus, niſi quia nolentes eis ſubtrahere dexteram adjutricem, ſupplicationibus, & promiſſionibus acquieſcimus eorumdem. Sed dum cauſam eorum in alienis finibus utiliter ageremus, dum refrænaremus impetum inimici aſpirantis ad ipſorum exterminium inhianter, ecce Lombardi promiſſum auxilium adeo diſtulerunt, ut taceamus qualiter ſervierint illi, quos in Eccleſiæ ſervitium deſtinarant, quod inimicus collectis viribus invaleſcit, niſi in manu valida & potenti ejus conatibus celeriter obvietur, quia ignis, cui non obſiſtitur, facile in incendium inextinguibile dilatatur. Ne igitur dicti Lombardi manus ſuas, quas debuerant ad fortia mittere, videantur ponere ſub aſcellas in ſuæ confuſionis opprobrium ſempiternum, nec eas explicare valeant, cum voluerint, ſi nunc cum valent, velle deſierint.* Et infra: *ſecure illis proteſtare poteſtis, quod ſibi, non nobis poterunt imputare, ſi deſertis deſertoribus honori Eccleſiæ aliter auxiliante Domino curaverimus providere. Dat. Peruſii* VII. *id. octobr. pontificatus noſtri anno* III.

(*e*) *De eo Sigen. l. 17.*
(*f*) *Ib. ep. 66.*
Longobardos in ſuum auxilium evocat increpatque illorum ſegnitiem Greg.

XXXIV. Ut Longobardos in ferenda ope Eccleſiæ ſegniores increpuit, ita Petrum Infantem Portugalliæ generoſo ardore ſuccenſum & ſacro deſiderio æſtuantem contra hoſtes Eccleſiæ pro ea defendenda tuendaque proſilire, laudibus ornavit, incitavitque, ut quamprimum fortiſſimo ſuorum ſuccinctus equitatu impigre ſe in Italiam conferret: *Quod inſpirante ſpiritu ſalutis concepto cogitaſti ad fortia mittere manum tuam, & militare in obſequium ſponſæ Chriſti, ac vota tibi ejus, præeunte gratia inſpirata, te proſecuturum gratuito, ipſo adjuvante, obtuliſti devotus; tu quoque debes ſpirituali exultatione gaudere & bonorum omnium largitori ſacrificium laudis offerre, quod te inter tot Reges, & principes, ac magnates Eccleſiæ fideles, & filios elegiſſe videtur, ut Deboram ſedentem ſub palma, immo in palmam potius aſcendentem, contra Siſaram ſequaris ad prælium, qui excluſit gaudium a ſe verum, utinam non inferni doloribus mancipatus: ſic enim jam factus eſt ſtupidus, quod ictus gladii ſpiritualis acerbitatem non ſentit; nec etiam erubeſcit, ut ſalubri confuſione confuſus ad percutientem ſe redeat, & ſanetur: ſed in malitia indurata mente perdurat, Dei miſerationem oblitus, ſine quo fit inglorius, immo nihil. Interni etiam, & æterni gaudii hoc devotioni tuæ lætitiam ingerit, quod lævam temporalis ſubſtantiæ divini muneris largitate præventus, illam in Eccleſiæ ſubſidium offerendo, in dexteram convertiſti, ad eruendum populum Dei de jugo, quo inique premitur, ſervitutis.* Et infra: *Tam tibi, quam iis, qui venturi ſunt tecum, in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus, juxta quod liberaliter obtuliſti, cum equitum multitudine ad ſponſæ Chriſti ſubſidium quantocyus properes, militaturus Domino ſub beato Petro exercitus ejus duce. Dat. Peruſii* II. *non. jun. pont. noſt. an* III.

Petrus Luſitanæ aulæ princeps ſuam Gregorio operam offert.
Actæ illi gratiæ ob exhibitum ſtudium.
Propoſita venienti indulgentiarum præmia.

XXXV. Præterea ad retundendum imminentem hoſtem non ex Italia atque Hiſpania modo, verum ex Germania, Galliis, Anglia, aliiſque provinciis auxilia excivit. Namque in Germania Albertum ducem Auſtriæ adverſus Fridericum ſolicitavit: (*g*) coegit (*h*) in Anglia, Hibernia & Wallia ad ſuſtinendos belli ſumptus pecuniarum ſubſidia Stephanus Ap. ſedis nuntius: dimiſſi in varias provincias ad flagitandam opem legati apoſtolici, inter quos Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, in Germaniam & Daniam magna cum auctoritate miſſum, in Fridericum commoviſſe populos Godefridus (*a*) refert: tum evocati e Galliis plures antiſtites, juſſique copias auxiliares adducere. Cum enim epiſcoporum magis intereſſet, ut ipſi Eccleſiæ libertatem gloriamque tuerentur, illis objecta præſtiti juramenti religione imperavit, uti conflatis copiis ad defendendam Eccleſiam properarent. [1] Quo argumento hæc ad Lugdunenſem archiepiſcopum ſcripſit (*d*).

Quaſita e pluribus regnis ſubſidia.
(*g*) *Lib. 3. ep. 38.*
(*h*) *Par. hiſt. Ang.*
(*a*) *Godef. in annal.*
(*b*) *ep. 64.*

*Gregorius &c.*

*Cum Fredericus dictus Imperator confuſo negotio Terræ ſanctæ cum Sarracenis & aliis infidelibus, ad conculcandam Romanam Eccleſiam, & ſubvertendam eccleſiaſticam libertatem totis anhelet affectibus, totiſque viribus annitatur; te in ſuccurſum Eccleſiæ advocavimus confidenter, utpote qui præſtito juramento ad defendendum Papatum, & regalia B. Petri eſſe teneris adjutor: ſed qui virtutis amore zelo eccleſiaſticæ libertatis ſpiritum fortitudinis debueras aſſumpſiſſe, ut nihil te a matris tuæ poſſet ſubducere charitate, ſibi hactenus ſuccurrere non curaſti; non attendens, quam facile ſit tibi exinde ingratitudinis vitium, famæ diſpendium, & manifeſtæ tranſgreſſionis notam probabiliter exprobrari. Ut igitur tantam offenſam emendatione celeri excuſationem reddere videaris, fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur, ſicut iterum, ſic attentius per apoſtolica tibi ſcripta in virtute obedientiæ, ſub debito juramenti, diſtricte præcipiendo mandantes, ac in remiſſionem peccaminum, tam tuorum, quam eorum, qui tecum in obſequium Eccleſiæ venerint, injungentes, quatenus ſine moræ diſpendio cum congruo exfortio bellatorum ad nos perſonaliter venire feſtines Eccleſiæ Rom. ita ex animo ſerviturus, quod ex debito meritum tibi compares, & nos devotionem tuam dignis debeamus proſequi retributionibus gratiarum. Altoquin noveris nos dilectis filiis abbati S. Victoris, decano, & magiſtro Joanni archidiacono Pariſienſi per noſtras literas injunxiſſe, ut te ad id per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellant. Dat. Peruſii* IV. *kal. octob. pont. noſtri anno* III.

Lugdunenſis archiep. ad defendendam Eccleſiam provolare juſſus.

XXXVI. Nec diſſimilia epiſcopo Pariſienſi mandavit inſinuavitque, niſi Friderici potentia frangeretur, illum ad evertendam rem Chriſtianam cum Sarracenis conjuraſſe: *Cum charitas non quærens quæ ſua ſunt, nihil humanum a ſe reputet alienum, quiſque charitatis amator merito poteſt proprium extimare quidquid imminet Eccleſiæ generali, nec debet proprio parcere, ubi periculo poteſt obviare communi, ne univerſali utilitati videantur præferre privatam. Sane Romana Eccleſia in tali nunc eſt articulo conſtituta, quod ad duorum alterum videtur adducta, videlicet aut ſe, & univerſalem Eccleſiam fidelium fulta ſubſidio, auxiliante Domino, tueatur, aut ſe cum omnibus membris ſuis, quod abſit, conculcari permittat, & patiatur ſævæ ſubiici ſervituti; Friderico dicto Imp. contra Deum, & Eccleſiam fraudes, negotio miſerabiliter Terræ ſanctæ confuſo, & vires cum Sarracenis & aliis infidelibus impie moliente. Quare videntes, & dolentes, quod ipſius Friderici iniqua ſuperbia, & ſuperba iniquitas ſemper aſcendit, niſi obice juſtitiæ reprimatur, ipſius conatibus dignum duximus obviare, ne qui in iram provocat, exaltetur, &c. Dat. Peruſii 2. kal. octob. pont. noſtri anno* III. Addit demum imperia preceſque, ut ad propulſandam impii principis tyrannidem, qui fœdus cum infidelibus in rei Chriſtianæ exitium percuſſit generoſe ſe accingat alioſque excitet.

Excitatus etiam ep. Pariſien. ad ſumenda arma.



NOTÆ [1] OThonis diaconi cardinalis in carcere Tulliano legatio præcedenti anno cœpit, teſte Godefrido. Ex authore vero hiſtoriæ monaſterii S. Laurentii Leodicenſis vulgatæ in collectione Monumentor. Martenii tom. IV. col. 1068 diſcimus veniſſe illum Leodium, unde ſeditione in eum coorta, eo quod *patrimonium crucifixi*, ideſt eccleſiæ proventus *æqualiter* inter clericos *dividere* niteretur, feſtinus egredi coactus fuit, totamque demum urbem ſubjecit interdicto, quod tamen per duos abbates Ciſtercienſes ad hoc miſſos a legato dein ſublatum. Revocationem illam legato injunxerat pontifex, a quo Fridericus pacem conciliaturus id impetraverat. Sed interdicti hujus ſententiam non anno 1228. at anno 1230. poſt reditum Othonis e Dania latam fuiſſe deduco ex Godefrido, qui hæc omnia anno 1230. narrat. Albericus quidem in chronico anathema in Leodienſes dictum aſſerit anno 1231. ſed cum ibi quædam recenſeat, quæ anno præcedenti contigerunt, ut obitum archiepiſcopi Moguntini, de quo nos in nota ad annum 1230. 27. & cum reconciliatio Leodienſium cum pace imperatoris, & pontificis, quæ coaluit anno 1230. conjuncta fuerit; ideo Godefridum Alberico præferendum in diſcuſſione hac chronologica cenſeo. Tunc pariter ea contigiſſe credo quæ Henricus rex in ſua apologia ad epiſcopum Hildeshcimenſem ſcripta, vulgata in vindemiis Schannat to. I. pag. 198. narrat: *Reverſi de Bavaria cum triumpho, alium collegimus exercitum ad obſidendum apud Argentinam prædictum cardinalem,* (Othonem) *qui, ut dictum eſt, Alemanniam intraverat ad impedimentum & humiliationem imperatoris majeſtatis; veruntamen ad inſtantiam & conſilium multorum principum, videlicet archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & etiam magnatuum imperii ſolvimus exercitum noſtrum.* MANSI

XXXVII

Ad reprimendam denique Friderici tyrannidem, omnes ipſius ſubditos præſtiti illi ſacramenti religione abſolvit, eamque facti rationem adjecit, neminem ad ſervandam aperto Dei, & Eccleſiæ hoſti fidem aſtringi: ut in vibrati hoc anno adverſus ipſum alioſque Eccleſiæ hoſtes anathematis forma videre eſt, quam integram, cum plura alia digna memoria contineat, adducendam cenſui. [1]

(a) Lib. 3. ep. 46.

Forma latæ in Eccleſiæ hoſtes ſententiæ.

In hæreticos.

In Fridericum.

*Excommunicamus (a), & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra omnes hæreticos Cathiros, Paterinos, pauperes de Lugduno, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & Paſſaginos, & omnes alios, quocunque nomine cenſeantur, & omnes fautores, receptatores, & defenſores eorum. Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra Fridericum dictum Imperatorem pro eo quod contra ſententiam excommunicationis a venerabili fratre Albanen. epiſcopo, & Guil. bonæ memoriæ quondam tituli S. Marci presbytero Card. de voluntate, & aſſenſu ſuo auctoritate Apoſtolicæ ſedis latam, ad terminum, quem ſibi præfixit, non transfretavit, ſicut promiſit, nec promiſſum numerum militum ſuis expenſis pro ſubſidio Terræ ſanctæ miſit, vel tenuit; nec in Terram ſanctam promiſſam pecuniam ſtatutis ab ipſo terminis deſtinavit.*

Ob violatum jusjurandum ſolemne.

Ejectum ſua ſede arch. Tar.

Fractam proceribus datam fidem.

*Item pro eo quod archiepiſcopum Tarentinum ad ſedem propriam, & populum ſuum accedere non permittit; & quod Templarios & Hoſpitalarios bonis mobilibus & immobilibus, quæ habebant in regno, ſpoliavit: & quia compoſitionem factam inter ipſum, & comitem Celanenſem, & Raynaldum de Averſa, pro cujus obſervatione Eccleſia Rom. ad ejus inſtantiam fidejuſſit ſervare contempſit, & quod comitem Rogerium cruceſignatum, ſub protectione Apoſtolicæ ſedis receptum, comitatu & terris ſuis penitus ſpoliavit, ac ejus filium in captivitate detentum ad mandatum apoſtolicum ſæpius iteratum reſtituere non curavit.*

Spoliatos eccleſiaſticos.

Oppreſſos inſontes.

*Item excommunicamus eum & anathematizamus pro eo quod ab oppreſſionibus, & ſpoliationibus eccleſiarum, & perſonarum eccleſiaſticarum & conculcatione eccleſiaſticæ libertatis monitus non deſtitit.*

*Item excommunicamus eum & anathematizamus, pro eo quod ab oppreſſione pupillorum, orphanorum, & viduarum, ſeu nobilium, & aliorum hominum regni, vel deſtructione ejuſdem, quod ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter noſcitur pertinere; pro quo Eccleſiæ Rom. juramentum fidelitatis exhibuit, & homagium præſtitit, monitus non ceſſavit.*

XXXVIII. Ipſi ſubditi ſacramenti præſtiti religione liberantur.

*Item quia contempta excommunicatione, ad mandatum apoſtolicum non rediit, omnes qui ſunt ei juramento fidelitatis aſtricti & ſpecialiter homines regni, a juramento, quo ſibi tenentur, denuntiavimus, & denuntiamus abſolutos, quia Deo & ſanctis ejus adverſinti, atque ejus præcepta calcanti, nulli fidelitatem ſervare tenentur. Præterea civitates, caſtra & omnia loca, ad quæ ipſe pervenerit, eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, ut quamdiu præſens fuerit, ibidem nulla divina officia celebrentur, officio beneficioque privantes omnes cujuſcunque profeſſionis, vel ordinis, qui ei, poſtquam denuntiatus fuit excommunicatus a nobis, divina auſu temerario celebrarunt; vel antequam ad mandatum Eccleſiæ redeat, de cætero celebrabunt.*

XXXIX. Anathema in Raynaldum jactum.

*Item excommunicamus & anathematizamus Raynaldum filium quondam Conradi ducis Spoleti, pro eo quod occupavit, & occupat patrimonium Eccleſiæ in Marchia, & alibi, & omnes, & ſingulos, cujus vel quorum auctoritate, auxilio, conſilio, vel favore talia fecit, vel facit, vel faciet in futurum.*

*Item civitates, caſtra & alia loca omnia, ad quæ idem Raynaldus pervenerit, quamdiu ipſe ibidem præſens fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.*

In Bertoldum & alios.

*Item excommunicamus, & anathematizamus Bertoldum filium quondam Conradi ducis*

NOTÆ [1] HÆretici illi, quos anathemate Gregorius hic percellit, noti ſunt omnes, exceptis *Speroniſtis & Paſſaginis*. Ac de Speroniſtis quidem nullibi me legiſſe ſuccurrit. Paſſagini vero ex Bonacurſo Mediolanenſi, qui de hæreſi Catarorum labente hoc ſæculo ſcribebat, innoteſcunt. Scriptum iſtud Bonacurſi vulgavit P. Dacherius Spicileg. Tom. I. nov. edit. Hæc vero ille ſcribit de Paſſaginis, quos Paſſagios vocat: *Dicunt in primis quod moſayca lex ad literam ſit obſervanda, & ſabbatum, & circumciſio, & aliæ legales obſervantiæ adhuc ſtatum habere debeant. Dicunt etiam quod altiſſimi Dei filius non ſit Deus æqualis patri, & quod pater & filius & Spiritus Sanctus, iſtæ tres perſonæ non ſint unus Deus, & una ſubſtantia. Præterea omnes eccleſiæ doctores, & univerſaliter totam eccleſiam Romanam judicant & condemnant.*

Inter eos quibus anathema hic dicitur ſuum tenet locum comes Fuxenſis, qui tamen eodem fere tempore, ſeu forte ante aliquot dies, quam pontifex cenſuras haſce ferret, ad gremium eccleſiæ redierat, a Petro de Collemedio apoſtolicæ ſedis legato reconciliatus. Extant ea de re literæ S. Ludovici regis datæ Meloduni anno 1229. menſe ſeptembri vulgatæ in collectione Martenii t. I. col. 1232. Hunc Fuxenſis comitis regreſſum ad eccleſiam ignorabat adhuc pontifex dum comitem illum inter perduelles eccleſiæ recenſet. MANSI



*cis Spoleti, pro eo quod caſtra S. Quirici occupavit, & detinet occupata, & terram Eccleſiæ Rom. invadit hoſtiliter, & moleſtat; & omnes, qui in hoc ei præſtant auxilium vel favorem.*

*Item excommunicamus Ægidium de Palumbaria, & Nicolaum de Arcione, ac Petrum Gregorii Paguræ cives Romanos, pro eo quod Friderico dicto Imperatori, ac Raynaldo & Bertoldo filiis ducis Conradi contra Rom. Eccleſiam præſtiterunt, & præſtant conſilium, auxilium, & favorem.*

XL. In Fuxenſem com. & vicecom. Biterr.

*Item excommunicamus & anathematizamus comitem Fuxen. & vicecomitem Biterrenſem, & alios, qui eis præſtant auxilium, conſilium, & favorem.*

*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios bullæ noſtræ.*

In vectigalia nova imponentes.

*Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui in terris ſuis nova pedagia imponunt.*

In ſpoliatores venientium ad ſedem Ap.

*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Apoſtolicam ſedem euntes, vel redeuntes capiunt, ſpoliant, vel detinere præſumunt, nominatim Caſtellanum de S. Miniato, quia multos venientes ad ſedem Apoſtolicam ſpoliavit.*

In deferentes arma Sarracenis.

*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, vel lignamina deferunt Sarracenis, quibus Chriſtianos impugnant.*

XLI. In Theodorum Comnenum.

*Item excommunicamus & anathematizamus Theodorum dictum Cominiano, & omnes qui præſtant auxilium, conſilium, vel favorem; & qui ei equos, arma, ferrum, vel lignamina portant, quibus impugnat Latinos.*

In Gaufridum e Luſiniaco.

*Item excommunicamus, & anathematizamus nobilem virum Gaufridum de Luziniaco vicecomitem caſtri Sirandi Pictavienſis diœceſis propter damna gravia & injurias, quas ... abbati & conventui Malliacenſi & monaſterio eorumdem enormiter irrogavit, & adhuc irrogare non ceſſat.*

*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui abbatem & canonicos S. Quirici de ipſa eccleſia expulerunt, & qui caſtra ipſius eccleſiæ occuparunt, & detinent occupata, & faciunt detineri.*

In Ubaldum Sardiniæ invaſorem.

*Item excommunicamus, & anathematizamus Ubaldum civem Piſanum, pro eo quod contra juramentum præſtitum Eccleſiæ Rom. hoſtiliter intravit Sardiniam ad Rom. Eccleſiam pertinentem, & partem ipſius terræ violenter detinet occupatam: qui etiam ad mandatum dilecti filii G... tituli S. Marci presbyteri Cardinalis A. S. L. pignora pro ſatisfactione non præſtitit, nec in aliquo ſatisfecit,*

*Item excommunicamus omnes illos, qui eidem in occupanda vel detinenda terra prædicta conſilium, auxilium præſtiterint vel favorem.* Præmiſſa porro eſt hæc anathematis forma 47. epiſtolæ ad Lucanum epiſcopum datæ, quæ XIII. kalend. ſeptembr. conſignata eſt.

XLII. Frid. pacem a Gregorio flagitat.

Inceſſit Fridericum metus, ne calamitas quam in Othone viderat, ſi diutius in pertinacia obfirmatus perſtaret, ipſum exciperet, ac ſubditi excuſſo ſervitutis jugo alium principem ſalutarent, & Chriſtiani Reges ad Eccleſiæ cauſam propugnandam conſurgerent, adeptiſque regnis exuerent. Quare ſubmittere ſe Pontificis imperiis atque in ejus gratiam & amicitiam redire in votis habere literis ſignificavit: quas Gregorius ad Inſubres tranſmiſit examinandas, ut quid illis in re graviſſimi momenti agendum videretur, conſulerent. Declarat ea in pontificio regeſto inſerta ad eoſdem Inſubres epiſtola (a). Nec literas modo, ſed & oratores quoque ſuos ad Pontificem pacem poſtulatum ire juſſit, de quibus geſtorum Gregorii anonymus ſcriptor: *Anno vero ejuſdem tertio dictus Imperator de partibus tranſmarinis regreſſus, per venerabilem Meſſanenſem archiepiſcopum, & magiſtrum Theutonicorum veniam poſtulat, promittit emendam, pro ſervandæ fidei cautione offert civitates & caſtra: quod tandem ſummus Pontifex multorum inſtantia devictus aſſumit, &c.*

Pontifex Longobardos fœderatos conſulit.

(a) Ib. ep. 75.

XLIII. Qui miſſi ad Greg. oratores.

(b) Rich. in chron. hoc ann.

Meminit etiam Richardus (b) oratores ab Imperatore ad petendam pacem miſſos, dum in Apulia ad contrahendum exercitum, ut regno hoſtes depelleret, verſaretur, eoſque Rheginum, & Barenſem archiepiſcopos ac magiſtrum domus Theutonicorum extitiſſe, cumque Cajetam, quæ a Pontificio exercitu tenebatur, perveniſſent, acceptis ab Albanenſi epiſcopo, & Cardinale S. Praxedis literis Romam ſe contuliſſe, reque infecta rediiſſe. Dum vero Barenſis ac Rhegini archiepiſcoporum mentionem edit, dicendum vel legationem illam ab ea, quam vitæ Gregorii auctor narrat, alteram fuiſſe, vel ab ipſo ſilentio eos antiſtites prætermiſſos; verum de pace inter Romanam Eccleſiam, & Fridericum conciliata proximo anno dicendum erit. His adiicienda videntur, quæ ejuſmodi de rebus Conradus Urſpergenſis hiſtoriæ conſignavit (c): *Nihilominus quoque omni tempore, quandiu denuntiabat eum*, nempe Fridericum, *Papa excommunicatum, beneficium abſolutionis humiliter cum omni obedientia, & devotione & juſtitiæ exhibitione poſtulavit*; ita loquitur auctor Friderici partibus implicitus, ſubmiſſumque erga Pontificem animum geſſiſſe jactat: *Super cauſis vero, quæ inter ipſum & Papam vertebantur, diffiniendis, advocavit principes Alemanniæ, qui venerunt in Italiam, videlicet patriarcha Aquilejenſis, archiepiſcopus Salzburgenſis, epiſcopus Ratiſponenſis, Luipoldus dux Au-*

(c) Urſperg. in fin. chr.

*Auſtriæ, & dux Dalmatiæ, & Hiſtriæ: quibus advenientibus, Imperatore manente apud Capuam, tractatum eſt de pace, & concordia inter Imperium & Sacerdotium, & regnum Siciliæ, & abſolutione Imperatoris. Multis aliis quoque mediantibus tam de curia Romana, quam etiam Italia, & Alemannia, ſane hæc compoſitio cum non poſſet perfici eo anno, dilata eſt uſque in annum ſequentem.* Hiſque verbis Urſpergenſis hiſtoriam abſolvit. Extant porro in apoſtolico regeſto ad patriarcham Aquilejenſem XII. kal. julii datæ Gregorii literæ, (*a*) quibus graviter eum accuſat, ſenſiſſe cum Eccleſiæ hoſtibus, atque etiam ad ſubornandos alios applicuiſſe ſtudia, eamque ob cauſam Pannoniæ Regem adiiſſe.

*(a) Reg. l. 3. ep. 27.*

XLIV. Inclinat ad pacem Gregorius.

Flagitante igitur pacem Friderico, atque ad eam Gregorio inclinante, ut qui ob pontificiam clementiam fundi humanum ſanguinem perhorreſceret, nec niſi invitus arma tractaret, facile pax deinde conciliata eſt; qua enim manſuetudine præditus eſſet, ſatis oſtendit cum aliquibus hoſtibus Eccleſiæ captis a ſuis, qui nimia crudelitate efferati ipſos mutilarant, Gregorius iis acceptis, pietatis doloriſque ſenſu commotus, monuit graviſſime Albanenſem epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum, ne ita ſanguinem humanum fundi pateretur, (*b*) miſericordiamque inſitam & innatam Eccleſiæ ſervare juſſit; & quæ impie, & crudeliter patrata erant, ita deflevit:

*(b) Ib. ep. 14.*

*Albanenſi epiſcopo A. S. L.*

A cedibus abhorret.

*Magnus Dominus, & laudabilis nimis, Eccleſiam ſuam in filii ſui humilitate lactatam, & demum inconcuſſis radicibus in ejus pretioſiſſimi ſanguinis aſperſione mirabiliter ſtabilitam, adeo meræ libertatis titulo glorioſo dotavit, ut profuſis palmitibus, nec humilitas defenſione libertatis excludat nec libertatis defenſio gradus humilitatis excedat; ſic unum altero recompenſans, quod nec eſſe debet libertas rigida, nec humilitas diſſoluta. Ex quo ſatis decenter innuitur, quod etſi defenſor eccleſiaſticæ libertatis aliquando, licet raro, contra tyrannos & perſecutores Eccleſiæ, quamvis invitus auxilio gladii materialis utatur, conſuetæ humilitatis non immemor, non eo ſic utitur, ut ſanguinem ſitiat, vel deſideret cum aliena jactura ditari, ſed potius ut errantes ad viam veritatis revocet, & revocatos cum omni manſuetudine in ſua libertate conſervet. Verum cum libertatis defenſio ab illo dependeat, qui in paucis & in multis ineffabili providentia, & incomprehenſibili diſpoſitione triumphat; dicens inter alia: Non occides; quis viribus confiſus humanis propriæ ſalutis oblitus in exercitu Jeſu Chriſti, lupo crudelior ovem errantem, quam, ut unum ovile, & unus paſtor fieret, reducere debuerat ad ovile, occidere, detruncare, vel creatori derogans creaturæ ipſius imaginem deturpare præſumit, quos vivos ſuæ poteſt ſubiicere ditioni, prout his diebus non ſine cordis amaritudine didicimus accidiſſe?*

XLV. Commendat graviter legato clementiam.

*Eja frater, eja, non expedit, ut qui fideles, & filios ad ubera matris Eccleſiæ advocamus, in ſanguinis effuſione gaudentes injuriis provocemus; cum nullum ſibi locum libertas laudabilis vendicaret, ſi ſanguinolenta ſervitus ſic ſerviret. Cum enim reos ſanguinis defendat Eccleſia, quæ debet eſſe liberans, non flagellans juxta Salomonis eloquium ſic dicentis: Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſes; & ſi dixeris, vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit, & homini juxta opera ſua reddet. Abſit, ut filios, quos ſub alis protectionis ſuæ fovere tenetur Rom. Eccleſia, quæ diſponente Domino mater eſt omnium & magiſtra, occidi vel etiam mutilari permittat: ſic enim & libertas ſervituti cederet, & libertatis propoſitum in revocandis errantibus ſervitus abdicaret. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & hortandam, per apoſtolica tibi ſcripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus illos, quos in manus exercitus Jeſu Chriſti de cætero dextera exaltantis concluſerit, ſine omni occiſione, detruncatione, vel mutilatione membrorum, quæ penitus abhorremus, ſic caute facias cuſtodiri, ut plus libertatis habere ſe gaudeant ſic captivi, quam ſub Ægyptiaca ſervitute, in ſervilis libertatis titulo more ſolito ſervire ulterius Pharaoni, miniſtris & aliis, qui præſunt in exercitu; ſub obtentu gratiæ noſtræ, nec non & pœna pecuniaria, quam videris expedire, diſtrictius inhibendo, ne ſimilia deinceps in ipſo exercitu aliquis attentare præſumat. Sic enim ab oblocutionibus detractorum famam Eccleſiæ, ac noſtram intendimus ſuper hujuſmodi conſervare illæſam, quod nec conſcientia famam negligat, nec infamia odorem vitæ ac ſuavitatem abſorbens titulum conſcientiæ ſub falſæ opinionis rubigine captioſa denigret. Datum Peruſii XIV. kalend. jun. pontif. noſtri anno III. Hactenus ad Pelagium Gregorius.*

XLVI. Joannes Rex Hier. ad Imp. orient. evocatur.

Cum Pelagio epiſc Albanenſi A. S. L. in illa Siciliæ citerioris expeditione adjunctum fuiſſe Joannem Regem Hieroſolymitanum ac plura egregia facinora explicuiſſe ex Richardo antea inſinuaverimus, addendum videtur, ut ampliſſimum hoc anno navatæ Eccleſiæ operæ virtutiſque bellicæ præmium reportarit. Delatum illi nimirum eſt Conſtantinopolitanum Imperium, cum Balduinus II. a Roberto ſceptri heres relictus illi ſuſtentando prudentia atque ætate impar eſſet, ea tamen lege, ut filiam Balduino thoro jungeret,



ac diadema e vivis exceſſurus generos transfunderet. Ita qui Imperatoris generi perfidia regno exutus fuerat, alterius generi Imperatoris beneficio Imperium orientale eſt conſecutus; qua de re Georgius (*a*) Logotheta [1] hæc tradit: *Conſtantinopolitani, cum Robertus, quem veluti Imperatorem venerabantur Euripum profectus expiraſſet & frater ejus Balduinus puer adhuc ac impuber remanſiſſet, ad Joannem Hieroſolymorum Regem militari prudentia, ut tunc fama ferebat, ſingularem, manu validum, multumque inter ſuos ſpecie corporis eminentem legatos deſtinant, ut ad illos concederet, & Conſtantinopolis Imperator acclamaretur, res in ea uti Imperator obtineret, nec non filiam, quam ipſe ſuſceperat, Balduino, ſicuti ipſi exiſtimabant, Imperii heredi, qui tamen poſt eum ætate jam matura ac integra imperaret: cum Rex, cujus jam ætas nimium proceſſerat, circa annos octoginta vel ultra natus eſſet, quemadmodum & ipſe eum vidi & admiratus ſum viri undequaque exactum magnitudinem: humanæ enim magnitudinis modum longitudine ac latitudine plus nimio exceſſerat. Rex legatis animum advertit, & iter per mare ingreſſus Conſtantinopolim occupat, neque enim multitudo, quæ ſibi tutum iter terreſtre pararet, ſuppetebat.* Hæc auctor: nec alias ſuſcepti Imperii initique fœderis leges affert, quas nos ex pontificio diplomate (*b*) decerpemus, quo illas Gregorius apoſtolica auctoritate munivit.

*(a) Georg. Logoth. hiſt. interprete Leone Allatio.*

Filiam Balduino II. puero uxorem pollicetur.

*(b) Greg. l. 3. ep. 51.*

XLVII. *In nomine Domini amen. In primis fiet contractus matrimonialis de Balduino cum filia Regis Joannis, & conſummabitur matrimonium, cum venerint ad ætatem. Et quia idem Balduinus minoris ætatis eſt, propter debilem ſtatum Imperii, dominus Rex Joannes habebit Imperium, & coronabitur in Imperatorem, & erit Imperator ad totam vitam ſuam, & plenariam habebit poteſtatem, & plenarium dominium tanquam Imperator ad totam vitam ſuam, & quidquid faciet tam in acquiſitis, quam in acquirendis, firmum & ſtabile in perpetuum permanebit, ſalvis juſtis teneutis, quas moderni Latini, vel ſucceſſores ſui tenuerunt a tempore Latinorum: & poſt deceſſum Regis, Balduinus vel juſti heredes ſui habebunt vel detinebunt dominium Imperii plene & integre ſalvis donationibus, quas Rex fecerit, tam in fodris, quam in aliis videlicet in acquiſitis & acquirendis, ſalva hereditate aſſignata, vel aſſignanda heredibus Regis. Sane dominus Rex tenebit Balduinum & providebit ei honorifice ad honorem ſuum, & ad honorem Balduini, donec Balduinus ad ætatem viginti annorum pervenerit; & cum Balduinus venerit ad ætatem viginti annorum, Balduinus inveſtietur de regno Nicæno cum omnibus pertinentiis ſuis, & de omni terra, quam ultra brachium tenuerant unquam Latini, adjuncto adhuc ducatu Novi caſtri; ſalva teneuta hominum Latinorum, quam habuerunt de jure a tempore Imperatoris Henrici, & ejus heredibus uſque ad amiſſionem terræ, excepto ducatu Nicomedienſi, qui remanebit in manu Imperatoris.*

Quæ leges Joannem inter & Conſtantinopolitanos proceres initæ fuerint.

XLVIII. *Et ſciendum eſt quod in voluntate Regis erit capere quod maluerit pro heredibus ſuis, vel totam terram, quæ eſt ultra brachium, ſicut tenent, vel unquam tenuerunt eam Græci, & Latini; vel totam terram, quam tenet Cominiano uſque ad pertinentias de Dimos, & de Andrinoble, & totum ducatum de Sinepople, quiſquis eum tenet: & totam terram de Eſclaves, & illam quæ fuit de Straces, excepto illo, quod * Aſſantis inde tenet; & excepto regno Theſſalonicenſis, tali modo quod*

* *Aſanet*

NOTÆ

[1] POſt illud *Georgius Logotheta* ſequitur in Annalibus contractis: *Extantque ea de re publica tabula confecta, quæ apoſtolica authoritate confirmata ſunt & Joannis regis literis promulgata. Joannem porro Cæſaris nomine contentum, ab imperatorio titulo magna cum modeſtia laude abſtinuiſſe tradunt plerique ſcriptores. Verum alii hiſtorici Conſtantinopolitanarum rerum peritiores Joannem imperatorem creatum conſentiunt, inter quos Gualterus archiepiſcopus Senonenſis (a) Balduini familiari conſuetudine uſus Joannem ſolemni ritu imperatorio diademate, redimitum teſtatur:* Videntes, *inquit*, Latini proceres Græciæ miſerabile diſcrimen, quod a ſchiſmatica Græcorum gente multis in locis invaſum pro majori parte fuerat, violenter occupatum, multa deliberant vigilantia, quod eis poſt Deum implorandum ſit auxilium, vel unde ſperare valeant anguſtiis ſuis ſolatium exhibendum. Tandem communi conſilio tam nobilium quam minorum per authoritatem ſanctæ memoriæ Gregorii papæ IX. Joannes de Brenna vir approbatæ virtutis, qui propter egregiæ probitatis induſtriam, nec non & devotæ chriſtianitatis merita prius regnum Jeroſolymitanum adeptus fuerat, ad impertiendum huic tanti doloris plagæ remedium electus eſt, concorditer advocatus; deſponſata enim Maria prædicti Joannis filia eidem heredi imperii Balduino, ipſe Joannes imperii Conſtantinopolitani, nec non ipſius heredis adminiſtrationem ſuſcepit & curam: non ſolum autem adminiſtrator generalis Romaniæ factus eſt, ſed coronatus ſolemniter, & ad vitam ſuam imperator vocatus, ſervata eidem Balduino genero ſuo, cum ad ætatem veniret legitimam imperii dignitate. *Ex deſcriptis nimirum legibus Peruſii, pontificia authoritate confirmatis Balduinus annos imperii nonniſi ab obitu Joannis numeravit: immo diſerte Gregorius IX. Joannem in literis imperatorem appellare conſuevit; cum Balduinum non imperatorem, ſed nobilem virum heredem imperii vocaret; atque adeo re in accuratius examen adducta Joannis Brennenſis imperii anni conſignandi viſi ſunt.* MANSI

(a) Gualt. archiep. Senon. apud Franc. Ducheſne to. 5.

*quod heres Regis faciet homagium ligium Balduino, vel ejus heredi, quando veniet ad Imperium poſt deceſſum Regis; & faciet ſervitium debitum pro terra ſua ſine periculo terræ ſuæ, hoc excepto, quod non tenebitur ire in exercitum, in quo perſona Imperatoris non erit* (his adiicit pontificiam auctoritatem Gregorius.) *Datum Peruſii* v. *idus april. pontif. noſtri anno* III. Joannem porro Cæſaris nomine contentum, ab Imperiali titulo magna cum modeſtiæ laude abſtinuiſſe tradunt plerique ſcriptores.

Confirmatur a Gregorio.

XLIX. Cur Joannem Conſtantinopolitani excivérint.

Coegerat ſane temporum neceſſitas Conſtantinopolitanos ad fulciendum labans Imperium, propulſandoſque hoſtes pertinaciſſimos Joannem ſibi præficere, cum hinc Joannes Ducas, dictus Vatacius, ipſos urgeret, illinc Theodorus Comnenus atrociſſime infeſtaret; quare Gregorium anathemate hoc ipſo anno Theodorum omneſque ipſius partibus implicitos, quique arma auxiliave ſubmitterent, defixiſſe vidimus; illum vero ſpretis cenſuris pontificiis Friderici amicitiam magnis muneribus eblanditum refert Richardus: *Quidam*, inquit, *comes Majo de Romania cum nonnullis Græcis militibus de Romania ex parte Cominiani ad Imperatorem cum magnis muneribus nuncius venit;* & inferius aliam Græcorum ad ipſum legationem exponit his verbis: *De Romania quidem Græci cum dextrariis in ſellis & frænis aureis & cum pannis ſericis auro textis & cum innumeris aureis nummis, quæ ipſi Imperatori repræſentant pridie menſis novembris ad Imperatorem venerunt.* E quibus videtur Græcos Joannis Regis fortitudinem veritos, fœdus cum Friderico, quem ſocero infenſiſſimum noverant, coiiſſe.

Theodorus Comnenus Fridericum ſibi conciliat.

L. In Aſanem contra datam fidem bellum movet.

Prætermittendum vero non eſt quod Georgius Logotheta de Theodoro Comneno ſcribit, illum utpote inconſtantis ac lubricæ fidei principem, qui ſæpe jusjurandum negligeret violaretque ad aucupandas ſuas utilitates, demum a Joanne Aſane Bulgarorum Rege, quem injuſte laceſſiverat, victum captumque non ſine numinis vindicta fuiſſe; quam hiſtoriam ita Georgius deſcribit: (a) *Videbatur ſibi* (de Theodoro loquitur) *Bulgaros timore percitos nequaquam vel ſolum ſui exercitus impetum ſuſtinere poſſe; at non ſic Bulgari, ſed Aſanus Joannes perfidia ac fœdere ab Angelo Theodoro fracto potius quam propriis viribus fretus parva ſibi auxiliari manu e Scythis conducta nec numero quidem millenis confidentius in conflictum agebatur ſigno etiam militari, ut a nonnullis memoriæ proditum eſt, jurejurando Theodori ſcripto appenſo & forte circa locum Hebro proximum, quem Cloconnitzam appellant, milites adverſis ſignis irruunt & ut verbo ſingula exprimam, debellatur a Bulgaris & Scythis Theodorus; & ab hoſtibus una cum eo non pauci illius affines & dignitate conſpicui & illuſtres viri, eorum omnibus deprædatis, capiuntur.*

(a) Georg. ubi ſup. interp. D. Leone Allatio.

LI. Theodori ſacramentum exercitui præfert Aſanes.

Addit auctor victorem clementia uſum iræ cædique temperaſſe. Edoctum forte parentis ſui Calojoannis, de quo plura nos ſuis locis diximus, calamitatis exemplo, qui cum ferinam in Græcos barbariem exercuiſſet, & ſe Romæ octonum nuncuparet, ut olim Baſilius Imp. ob maximas Bulgarorum ſtrages editas Bulgaroctoni cognomen ſibi pepererat, triſti poſtea morte a numine affectum tulit fama: objecto nimirum in ſomniis armato homine, qui haſta latus ejus confodit, laterali morbo periiſſe, ut Georgius Logotheta (b) enarrat; qui addit Theodorum perhumaniter a Joanne tractatum, cum novas res in carcere moliretur, a victore oculis orbatum eſſe; quod etiam Nicephorus (c) Gregoras tradit; rem vero geſtam ſequenti anno aprili menſe conſignat Richardus (d) his verbis: *Eodem menſe aprili in Græcorum Imperio factum eſt prælium inter Græcos, in quo Comniano captus eſt & utroque lumine orbatus;* hæc de Græcorum rebus ſuffecerint; ad Latinos redeamus.

(b) Georg. Logoth. donat. Latin. a Leone Allatio.
Vincit ac ſe clementer gerit.
Parenti in victoria diſſimilis.
Theodorum nova molientem obcœcat.
(c) Niceph. Greg. l. 2.
(d) Rich. e S. Germ. in chron.

LII. Tumultus Pariſiis exorti.

Exorta Pariſiis graviſſima inter eos, qui literis operam dabant, ac regios adminiſtros diſcordia, non ſine magno rei literariæ diſcrimine nobiliſſimam illam academiam diſſolutam fuiſſe ſcribit Bernardus (e): *Anno* (inquit) *Domini prætaxato MCCXXIX. facta fuit Pariſius inter ſcholares diſſenſio, quam mox ſecuta eſt ad tempus multifaria diſperſio, alii quidem Rhemis, alii Andegavis, alii Aurelianis, alii in Angliam, alii in Italiam, vel in Hiſpaniam, ſive in alias mundi provincias cauſa ſtudii ſunt profecti, multi quoque magiſtri & ſcholares Toloſam venerunt & rexerunt ibidem.* Cum hujus diſcordiæ rumor emanaſſet ad Apoſtolicam ſedem, mox Gregorius ad redintegrandam celeberrimam academiam, auctoritatem ſuam interponere, dare operam, ut diſcordia omnis e medio tolleretur, nihilque officii prætermittere, quo læſis fieret ſatis, florentiſſimaque Pariſiorum gymnaſia in priſtinum decus ſplendoremque vindicarentur; hanc ſententiam complectuntur literæ ad Ludovicum adoleſcentem Francorum Regem, ejuſque matrem Blancam, quarum exemplum infra ſcriptum eſt (f).

(e) Bern. in chron.
Academia diſſolvitur.
Pontifex ſedare diſcordiam nititur.
(f) Lib. 3. ep 95.
Ea de re elegantes literæ ad Regem ſcriptæ.

*Regi Francorum, & Blanchæ matri ejus Reginæ, illuſtribus*

LIII. Eximia regni Francorum commendatio.

*In tribus, quæ appropriatione nominis tribus in S. Trinitate perſonis attributa noſcuntur, potentia, ſapientia & benignitate videlicet, regnum Francorum, ejuſdem S. Trinitatis imitanda veſtigium,*

pa-



*patet præ regnis aliis a longis retro temporibus floruiſſe: in ſtrenuitate militum potens, in clero literarum ſcientia prædito ſapiens, & in clementi principum bonitate benignum; quorum medio ſi duo deſtituantur extrema, in vitia convertentur: quoniam potentia niſi fuerit ſapientia temperata in præſumptionem luxuriat, ſe in arrogantiam extollendo: benignitas vero, ſi eadem ſuffulta non fuerit, in diſſolutionem degenerat, & efficitur fatuitati cognata. Igitur ſapientia neceſſaria eſt utrique, ſine qua neutra illarum nomen virtutis obtinet, vel effectum: ſapientia vero nutritur ſtudio literarum, quo quaſi fluvio de loco delitiarum egreſſo, non ſolum regnum prædictum irrigatur & fœcundatur poſt Spiritus ſancti gratiam, verum etiam paradiſus Eccleſiæ generalis, cujus alveus Pariſienſis civitas, ex eo quod idem ſtudium Pariſius viguit, hactenus noſcitur extitiſſe; unde veſtra credimus intereſſe ſolicita diligentia, & ſolicitudine ſatagere diligenti, ut ſtudium diebus veſtris tranſlatum alibi a Pariſiis, illuc quaſi flumen ad alveum revocetur, ne forſan ex tranſlatione hujuſmodi ad nihilum redigatur, per plura loca diviſum, velut fluvius diſtortus ab alveo, & in rivos diviſus areſcit, & per hoc cœlum claudi ſcripturæ ac imbrem ſuum nubes continere contingat, & incomplutam terram univerſalis Eccleſiæ remanere, nec non in tenebras ſolem & lunam converti, ſtellas involvi caligine hujuſmodi tenebrarum, ac ſic de prædicto regno deleri Trinitatis veſtigium prælibatum, quoniam in veſtram ignominiam redundaret, ſi diebus veſtris idem regnum hujuſmodi privatum gloria redderetur; nec expediret quod in ipſo regnantibus tanti honoris aſcriberetur amiſſio, quam ſuis ſervare temporibus Reges inclyti ex innata ſibi clementia propenſius ſtuduerunt ex diverſis mundi nationibus in ſupradicta civitate collectam multitudinem, ad aquas ſapientiæ hauriendas benignius confoventes, ac provide ſupportantes, ſi quando excedebat.*

LIV. *Sane ad noſtram noveritis audientiam perveniſſe, quod inter vos ex parte una, & dilectos filios magiſtros, & ſcholares Pariſienſes ex altera diſſenſione ſuborta, iidem magiſtri cum ſcholaribus damnis, & injuriis laceſſiti a Pariſiis diſceſſerunt, ſtudium alibi transferendo. Nos ergo utilitatibus proventuris ex prædicti fluminis ad alveum reditu aſpirantes, & volentes incommoditatibus, quæ poſſunt ex diſceſſu emergere, obviare, venerabilibus fratribus noſtris Cenomannenſi, & Silvanectenſi epiſcopis, & magiſtro Joanni archidiacono Catalaunenſi noſtris damus literis in mandatis, at ipſi vice noſtra inter vos, ac magiſtros & ſcholares præfatos interponant ſolicite partes ſuas ac impendant ſolicitudinem diligentem, & operam efficacem, ut magiſtris, & ſcholaribus antedictis de datis damnis & irrogatis injuriis congrue ſatisfiat, reſtituta ipſis ſolita libertate, ac claræ memoriæ Philippo Rege Francorum conceſſa, ſtudium Pariſius revocetur. Quocirca excellentiam veſtram rogamus attentius, & monemus, ac exhortamur in domino, quatenus benignitatis prædeceſſorum veſtrorum inhærentes veſtigiis, ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis, & noſtram ipſos plenius admittatis in gratiam regiam, & favorem, acquieſcendo monitis, & exhortationibus prædictorum ea executione celeri, ſicut decet, clementia ſolita exequentes; ne ſi ſecus egeritis, quod non credimus, ſapientiam, & benignitatem, ſine quibus vix potentiæ unitas poteſt perſiſtere, videamini abjeciſſe, ac nos, qui regnum ipſum hactenus cœlitus benedictum, ut dedecoretur a decore hujuſmodi non poſſumus æquanimiter tolerare, ſuper hoc providere aliter compellamur. Dat. Peruſii* VI. *kal. decembr. pontif. noſtri anno* III.

LV. Scriptæ eodem argumento literæ tum epiſcopo Pariſienſi, (a) quem etiam durioribus verbis increpuit, diſcordias alere, occaſionemque alio transferendæ academiæ injeciſſe; tum epiſcopo Cenomanenſi, (b) aliiſque miſſæ; ipſos enim diſcordes animos conciliare, & ad academiam Pariſios revocandam operam navare juſſit. At Pontificem ipſum monentem epiſcopos Cenomanenſem ac Silvanectenſem, & archidiaconum Catalaunenſem audire præſtat: *Diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inter Regem & Reginam, ac magiſtros & ſcholares præfatos interponentes ſolicite partes veſtras impendatis ſolicitudinem diligentem, & operam efficacem, ut magiſtris, & ſcholaribus antedictis, de datis damnis, & irrogatis injuriis congrue ſatisfiat, reſtituta ipſis ſolita libertate ac a claræ memoriæ Philippo Rege Francorum conceſſa, ſtudium Pariſius revocetur, non obſtante alicujus vinculo juramenti, cujus ex tribus comitibus, quos debet habere, duo videntur deeſſe, juſtitia videlicet, & judicium e quibus videtur minime proceſſiſſe præſtare hujuſmodi juramentum. Dat. Peruſii* VIII. *kal. decembr. pontif. noſtri anno* III. Cumque adhibita illa (c) a ſummo pontifice diligentia diſcordes animi nondum coire potuiſſent, ſequenti anno majorem operam navavit ne celebri academia diutius Lutetia orbaretur, ac doctores academicos ad ea diſſidia facilius concilianda, ex ſuis aliquos Romam mittere juſſit, quo in priſtinum ſtatum reſtitui omnia ac vindicari poſſent. Denique ut eam diſcordiam extinxerit, academiamque Pariſiis reſtitutam amplioribus privilegiis decoraverit, anno hujus ſæ-

(a) Ib. ep. 88.
(b) Ib. ep. 89.
Reſtitui vetera privilegia academiæ jubet Pontifex.
(c) Greg. l. 4. ep. 19.

ſæculi trigeſimo primo dicetur. Nunc quæ ad ſopiendum recrudeſcens inteſtinum in Galliis bellum præſtiterit, proſequamur.

LVI. Laborat inteſtino bello Gallia.

Cum varios tumultus conflarent in Galliis principes viri, atque ad amplificandam auctoritatem ſuam nova adverſus Ludovicum Regem annis minorem Reginamque conſilia inirent, Gregorius ut ad eas ſeditiones compeſcendas incumberent, epiſcopis Silvanectenſi, Aurelianenſi, & Meldenſi apoſtolico pro imperio mandavit (a). Quibus etiam literis ſe Regem & Reginam in clientelam ſuam admiſiſſe profitetur, ac de his iſta quoque ad archiep. Lugdunenſem ſcripſit (b): *Gravi ſumus dolore turbati, & horrore perculſi, quod ſicut audivimus, quamplures magnates, & alii de regno Franciæ diabolo inſtigante ſeducti, ſeſe inexorabili odio invicem perſequentes, auctoritatis regiæ prohibitione contempta, regnum Franciæ, regnum benedictionis & gratiæ variis lacerare diſſidiis, & bellicis geſtiunt impulſibus conquaſſare, non attendendo rerum diſpendia, diſcrimina corporum, animarum pericula, & impedimenta negotii Terræ ſanctæ, quæ inde noſcuntur inevitabiliter imminere.* His congruunt, quæ ſcribit Nangius, intuliſſe anno ſuperiore atrox bellum Marchiæ & Britanniæ comites Campaniæ comiti ob detectis ab ipſo, quas conflarant Regi inſidias ſecutaſque illius partes; ſed regia virtute propulſatos. [1] Subdit Pont. *Quia vero prædictum Regem ſpeciali prærogativa dilectionis, & gratiæ complectentes regni ſtatum intimo zelamur affectu, nec ejus moleſtiam ferre poſſumus non moleſte; dilectum filium nobilem virum ducem Burgundiæ rogamus, monemus, & hortamur in Domino, noſtris ſibi dantes literis in mandatis, ac in remiſſionem ſibi peccaminum injungentes, ut ſaluti ſuæ conſulens, & honori, nullis ſe ſuggeſtionibus ſeduci permittat, nullis fallaciis circumſcribi, quo minus in fide, ac devotione regia inflexibiliter perſeverans, non ſolum ſeipſum guerris non implicet, ſed eas modis quibus poteſt ſedare ſtudeat inceſſanter, ut pacem concilians, mereatur inter pacificos numerari, qui ſecundum evangelicam veritatem, quæ nec fallit, nec fallitur, ſunt beati quoniam Dei filii vocabuntur; & apud homines etiam ſibi comparet nomen bonum; ac nos, qui dicti Regis cauſam propriam reputamus, exinde ſibi conſtituat merito debitores. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dictum ducem, ad hoc diligenter moneas & inducas. Dat. Peruſii* III. *kal. decemb. pontif. noſtri an.* III. Qua etiam die epiſcopo Pariſienſi aliiſque præcepit, (c) anathemate percellerent, qui archiepiſcopum Lugdunenſem ceperant per ſummum ſcelus, omnibuſque bonis exuerant ac ſpoliarant.

(a) Greg. l.3. ep. 90. 91.
(b) Ib. ep. 92.
Illi extinguendo incumbit Pontifex.
Ducem Burgund. ne eo ſe implicet avertere nititur.
(c) Ib. ep. 99.

Quod ad Regem attinet; ait Guillelmus Nangius, (d) illum comparato, inſtructoque ingenti exercitu adverſus Petrum Armoricum comitem moviſſe, qui intolerabili ſuperbia elatus, adverſus Regem iterum conſurrexerat, ejuſque terras hoſtiliter variis excurſionibus invaſerat; tandemque ab Rege repreſſum ac perdomitum, ſicque fractos alios pariter viros nobiles ad officium revocatos, [2] ac pace altiſſima annis quatuor, & amplius regnum illud floruiſſe.

(d) Nangius de geſt. Lud. Franc. Reg. hoc anno.
Petrus Britonum comes debellatur a D. Lud.

eam

NOTÆ [1] QUanquam repreſſum hoc anno a S. Ludovico Britanniæ comitem Annaliſta refert; bellum tamen illud junio ſequentis anni adhuc perſeveraſſe certum eſt, cum in collectione Martenii tom. I. col. 1239. extent literæ archiepiſcoporum & principum Galliæ, quibus declarant ſe publico judicio damnaſſe comitem Britanniæ, eundemque principatu ſuo exuiſſe & quo adſtringebantur, ſubſiditorum juramentum relaxaſſe. Datæ ſunt illæ ex caſtris juxta Anceniſum *anno MCCXXX. menſe junio*. Statimque in eadem collectione ſubduntur literæ Andreæ domini Vitrejo; quibus S. Ludovico regi ſe ſubmittit, quem ſibi ſpopondiſſe teſtatur nunquam Gallos cum Britanniæ comite, vel etiam cum rege Angliæ fœdus compoſituros ſe inſcio. Literæ iſtæ in iiſdem caſtris eodem menſe ſignantur. Ex his autem intelligimus comitem Britanniæ jam tunc cum Angliæ rege contra Gallos conſpiraſſe. Cum vero ſententia de qua ſuperius in Britannum a comitibus Flandriæ & Campaniæ una cum epiſcopo Senonenſi aliiſque pronunciata fuerit eodem menſe junio, hinc diſcimus erraſſe Bernardum Guidonis in chronico, qui ad annum 1230. ſcribit comitem Campaniæ, cum Britanniæ comite, & rege Angliæ adverſus Gallos coiviſſe. Verba ejus ſcriptoris legas in annalibus ad annum 1230. 30. Idem etiam Bernardus comitem Marchiæ in eam conſpirationem veniſſe falſo, ut arbitror, accuſat. Nam apud Martenium ibid. col. 1238. extat charta ejuſdem comitis ſignata apud Ilichionem anno Domini MCCXXX. menſe majo, qua declarat conventum fuiſſe inter partes de connubio ineundo ab Hugone filio ſuo primogenito cum *Eliſabeth regis Ludovici ſorore*, impetrata prius ab eccleſia Romana diſpenſatione. Quin & chartæ huic in eadem collectione præmittitur alia eodem anno, menſe & loco data de conventione quadam inter eumdem comitem, & Ludovicum inita, ac inter cæteras conditiones hæc legitur: *Ipſe rex nec pacem nec treguam faciet cum rege Angliæ ſine aſſenſu noſtro.* Quis ergo credat comitem Marchiæ regi Angliæ hoc anno ſe conjunxiſſe? MANSI

[2] POſt illud: *Ad officium revocatos*, addunt annales contracti: *adductus eſt etiam ad officium, & obſequium eccleſiæ a ſancto rege Rogerius Fuxi comes, ac præcipuas arces pro fide oppignerandas poteſtati (a) Romani S. Angeli diaconi cardinalis permiſit.* MANSI

(a) Greg. l.2. ep. 91.



LVII. Regis Arag. matrimonium diſſolvitur.

Hoc anno Pontifex Joanni epiſcopo Sabinenſi A. S. L. gratulatorias literas VIII. id. febr. dedit, (a) legatione pro dignitate geſta, nominis ſui ac virtutis famam late circumtuliſſe: eumque ad cœpta feliciter proſequenda incendit. Cui etiam eam provinciam commiſit, (b) uti matrimonium contra Eccleſiæ canones Aragoniæ Regem inter ac Reginam initum diſſolveret, & ſi in iis regionibus contra Mauros exercitum cogi (c) contingeret, indulgentiarum beneficium ſacræ militiæ nomen adſcribentibus liberaliter effunderet. Porro de epiſcopi Sabinenſis legatione hæc Lucas Tudenſis (d): *Poſt hæc reverendiſſimus pater Joannes Sabinenſis epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus miſſus eſt in Hiſpaniam a glorioſiſſimo * Patre Gregorio; hic inter cætera, quæ iſte geſſit, Reges Hiſpanos contra Sarracenos ſtuduit incitare.* De rebus vero tum ab Alphonſo Rege Legionenſi, tum a Fernando ejus filio Caſtellæ Rege hoc anno geſtis ſubdit: *Rex Legionenſis Adelphonſus cum exercitu ſuo, & parte exercitus filii ſui Regis Fernandi, obſedit Caceres oppidum fortiſſimum barbarorum, & cepit ipſum, fecit etiam largiſſimus Rex quiddam memoria dignum præ Regibus, qui fuerant ante ipſum, nam adjuravit omnes judices regni ſui, ut non acciperent ab aliquo parvum vel magnum donum: ipſe quidem eis de ſuo ærario omnes abundantes faciebat expenſas, ne judices populi dona perverterent, judicium & juſtitia haberetur. Nobilis filius autem ejus Rex Caſtellæ Fernandus ingreſſus eſt terram Maurorum cum exercitu magno, & multas ſtrages faciens, arbores, vineas, ſegetes & cuncta, quæ erant in circuitu, ferro & flamma vaſtavit.* Ut vero Chriſtiani nominis hoſtes nefandiſſimi profligati fuerint, anno inſequenti ex eodem auctore, atque ex pontificiis epiſtolis erit exponendum.

(a) Greg. l.2. ep. 82.
(b) Ib. ep. 83.
(c) Ib. ep. 84.
Strenue munus legati obit in Hiſpan. ep. Sabin.
(d) Tud. hiſt. Hiſp.
* Papa
Alphonſ. Rex Legion. cum filio Fernando in Sarrac. ſigna attollit.

LVIII. Rex Aragon. flagitat regio diademate pontificiis manibus redimiri.

Inter hæc ſcriptis ad Aragoniæ Regem literis (e) humanitatis & officii plenis commendat, ſingulari honore, ac benevolentia tum Eccleſiam, tum eccleſiaſticos viros complecti. Cumque Jacobus Rex legati ſui opera expetiiſſet, uti pontificiis manibus diademate cingeretur, ſeſe Gregorius excuſat ob temporum iniquitatem, pollicitus id lubentiſſime præſtiturum, cum occaſio permitteret.

(e) Greg. l. 3. ep. 9.

*Illuſtri Regi Aragonum.*

Collaudat illius conſilium Greg.

*Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod, ſicut accepimus & utique acceptamus, ipſo menti tuæ timorem ſui nominis & amorem miſericorditer inſpirante, ab eo qui ſolus habet in regno hominum poteſtatem, dignitatis regiæ gloriam recognoſcens, ſponſam ejus Eccleſiam, & perſonas eccleſiaſticas honorificentia debita veneraris, & Apoſtolicæ ſedis, & noſtris beneplacitis prompta fide, pronaque devotione te offerens, & exponens voluntate nobis, & actione deſideras complacere. Quare nos in tuæ manſuetudinis gloria delectati perſonam tuam prærogativa dilectionis, & gratiæ complectentes, ad profectus tuos ſecundum utrumque hominem aſpiramus. Cæterum ſupplicationes placidas, & honeſtas, quas ſuper ſuſcipiendo de manibus noſtris regio diademate per dilectum filium Joannem Buchados nuntium tuum, virum utique fidelem, morigeratum & providum, tua nobis ſublimitas deſtinavit, benigne recepimus, & gratanter, eos jam ad exauditionis gratiam hilariter admittentes, & magnificentiam tuam dignis ex hoc in Domino laudibus commendantes.*

LIX.

*Verum quia omnia bona in tempore ſuo, & ut fiant petita munera gratiora, differuntur interdum, ut opportunius conferantur, nos varios turbines nunc inſtantes, ſicut convenit, attendentes, ex quibus tanto negotio multa incommoda poſſent evenire, commodius tempus providimus expectandum, quo res auctore Domino ſine obice proſpere dirigatur, & omnibus in bonum cooperantibus, optatum ſortiatur effectum. Quocirca ſerenitatem regiam rogamus in Domino, & monemus, quatenus pro tali dilatione minime movearis, cum præſto ſimus ad gratiam tibi tam in hoc, quam in aliis exhibendam. Sed brevi, ut confidimus, tempore ſecurus expectans, cum expedire videris, fiducialiter nos requiras: cum & nos interim quæ opportuna ſunt, ſolicite diſponamus. Stude igitur fili benedictionis, & gratiæ opera tua juxta ſapientis conſilium in manſuetudine facere, ut ſuper hominum gloriam dirigaris, & ut dies ſuper dies Regis adiiciat Dominus, in mandatis ejus ſatagas exerceri; quia cum placuerint Domino viæ hominum, etiam inimicos ejus convertet ad pacem, fietque ut te rectore, te duce populus ſuus ſedebit in pulchritudine pacis, & requie opulenta, & tandem regnum tranſitorium commutabis feliciter in æternum. Dat. Peruſii* V. *kalen. maii pontificatus noſtri anno* III.

Rem differt in tempus commodius.

LX. Veneratio S. Franciſci a Greg. commendata.

Agens de iis quæ Gregorius Peruſii geſſit hæc Richardus: *Menſe junio Gregorius Papa prædictus fratrem Franciſcum innocentis vitæ virum, qui inſtitutor ordinis fuit fratrum Minorum, apud Peruſium de fratrum ſuorum conſilio duxit ſanctorum catalogo adſcribendum, mandans ubique terrarum diem, quo ſolo carnem & cœlo ſpiritum reddidit, quarto ſcilicet nonas octobris annis ſingulis ſolemniter excolendum;* ita Richardus. Verum cum anno ſuperiori ſolemni pompa ſanctorum numero appoſitum viderimus, quo etiam auctor ſolemnem illam cœlitum catalogo adjectionem collocavit, ſequitur au-



cto-

ctorem de literis pontificiis locutum, quibus ipſius venerationem Chriſtiano orbi commendavit.

Judæorum filii converſo altero parente ab eo educandi.

Conſultus ab Argentinenſi epiſcopo Pontifex, num puer quadriennis in patris jam Chriſtianis ſacris imbuti domo, an apud matrem in Judaiſmo perſtanrem educari deberet, reſpondit (*a*) in favorem fidei, ut apud patrem Chriſtiana religione inſtituendus aleretur. Eodem etiam religionis defendendæ ſtudio Palentinum epiſcopum Judæorum adverſus Chriſtianos inſolentiam refrænare juſſit (*b*). Præterea, cum archiepiſcopus Colocenſis ſummis precibus ab Apoſtolica ſede petiiſſet, ut in monaſterio Cuhetenſi diœceſis ſuæ epiſcopalem ſedem ſibi inſtituere liceret, Gregorius voti compotem fecit (*c*). Cumque Cumani una cum ſuo duce Strigonienſis archiepiſcopi opera Chriſtianam nuper religionem amplexi eſſent, Pontifex ingenti perfuſus gaudio ea de re exaratis ad eos literis, (*d*) ipſos in fidem ac patrocinium ſedis Apoſtolicæ recepit, ejuſque gentis epiſcopum ſoli Romano Pontifici obnoxium eſſe juſſit (*e*).

Chnetenſis epiſcopatus inſtitutus.

Cumani recens converſi in clientelam apoſt. adſciti.

Vir religioſus in alteram fluminis ripam delatus divinitus ut ſacram concionem habere poſſet.

Quantum porro numini acceptum ſit divinum verbum ab evangelicis præconibus diſſeminari inſtruique populos, inſigni miraculo per hæc tempora demonſtratum eſt, quod narrat Cantipratenſis; (*f*) anno nimirum circiter 1229. virum e Dominicana familia pietate conſpicuum, cum in B. Virginis aſſumptæ feſto die ſe ad quendam locum in Germania concionis habendæ ad populum gratia conferret, fluviuſque iter abſcinderet, quem nec traiicere poſſet, cum deeſſet ſcapha; nec pontem adire, quod amnis turgidus atque extra ripas effuſus ad illum ingreſſum præcluſiſſet, atque interea cura promulgandi verbi divini, imminente jam hora illum ureret; ſeſe ad preces contuliſſe, conſilioque ex Deo capto, veſtem, quam cappam vocant, aquis injeciſſe, editoque crucis ſigno ad alteram ripam veſtibus ne quidem tantillum madefactis appliciuiſſe, ingenti ſtupore defixo ejus ſocio, qui periculo committere ſe non auſus, ad trajectum cymbam expectavit.

LXI. Sacramentales vini ſpecies in veri ſanguinis formam divinitus verſæ.

Nec minus conſpicuum aliud miraculum Deus Florentiæ, ad corporis Domini in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento illuſtrandam veritatem edidit. Cum enim hujus anni 1229. trigeſimo die decembris, ſacerdos eccleſiæ S. Ambroſii, nomine Uguccionius, peracto incruento miſſæ ſacrificio calicem non bene deterſiſſet, ſive ætatis ingraveſcentis debilitate, ſive incuria, dieque inſequenti calicem cum manu cepiſſet, in illo ſplendidum ac purpureum cruorem inſpexit, eumque omnes monaſterii illius virgines Deo dicatæ, quique interfuere, tum epiſcopus omniſque clerus ingenti admiratione pietateque perfuſis animis ſunt contemplati: dein Florentinis, qui certatim confluxere, videndus propoſitus eſt. E calice poſtmodum is ſanguis in cryſtallinam ampullam transfuſus, etiam hodie cum ingenti pietatis ſenſu, ad ſpectandum proponitur. Hæc Ricordanus Maleſpina vulgari ſermone Italico, quæ Joannes Villanus (*g*) iiſdem pene redditis verbis, hiſtoriæ ad annum inſequentem commendavit: ſed facile conciliatur, cum ille annum a nativitate Domini potuerit auſpicari, atque hoc miraculum poſt natale Domini claruerit.

(*a*) *Ib. ep.* 13.

(*b*) *Lib.* 3. *ep.* 70.

(*c*) *Greg. l.* 2. *ep.* 77.

(*d*) *Ib. ep.* 58.

(*e*) *Ib. ep.* 59.

(*f*) *Canti. l.* 2. *c.* 29. *§.* 20.

(*g*) *Chr. l.* 6. *c.* 8.

Anno



I. Pontifex a Romanis in Urbem evocatur.

ANno a partu Virginis trigeſimo ſupra milleſimum ducenteſimum indictione tertia, accenſum a Friderici ducibus annis ſuperioribus atrox bellum, pacem exorante Imperatore, ingenti omnium gaudio ſopitum eſt; Romanique divinæ vindictæ terrore perfuſi Gregorium in Urbem Peruſio excitum magna honoris pompa ad placandas cœleſtes iras ſuſceperunt. Defenſurus enim vicarii ſui injurias Deus, quem illi Eccleſiæ libertate violata, eccleſiaſticis viris graviter oppreſſis, aliiſque patrimonii S. Petri obnoxiis variis malis atque oneribus attritis, ſummis injuriis affecerant, ac duorum ferme annorum ſpatio Peruſii quaſi in exilio verſari compulerant; juſtiſſimæ ultionis iras in eos exerere cœperat, ac tanquam altero diluvio ipſos obruere velle videretur, tantam imbrium copiam effuderat, ut iis inflatus Tyberis extra ripas ſeſe eiiceret, influeret in domos urbis, immo ad ipſa tecta excreſceret, hominesque & jumenta raperet, commeatus corrumperet: quin etiam ad malorum cumulum ingentem fluvius immanium ſerpentium vim intra urbem evomuit, quæ computreſcens infecto aere funeſtam luem intulit. Quibus prodigiis perterriti Romani, ad Pontificis pedes confugere, utque in urbem rediret, ſupplicibus precibus contenderunt. Narrat ea hiſce verbis Gregorii geſtorum ſcriptor.

Divina ultio ipſos ad officium compellit.

II. Horrenda Tyberis eluvio.

*Premebat interim*, videlicet dum Pontifex Peruſii ageret, *Romanorum rabies recidivo furore ſedis Apoſtolicæ libertatem, eccleſias urbis angariis, vaſſallos patrimonii variis oneribus impetentes, ex quibus ne ſponſa Chriſti remaneret inulta quaſi libellum repudii ſuſceptura, videns Dominus ipſorum cunctas cogitationes intentas eſſe ad malum, cœli cataractas aperuit, & ſecuta Tyberis tumentis influxio in domibus urbis, uſque ad tecta * ſuccurrens, homines non paucos & jumenta delevit, frumento multo & vino deperditis, lectis & innumerabili vaſorum grandium multitudine devexis in mare, illamque ſerpentium magnarum congeriem intra urbis mœnia inundatio diminuta reliquit, ut eorum putredine moleſta lues, & in jumenta & homines deſæviens, magna ipſorum cum morte tum infirmitate damna inferret. Qui divinæ ultionis judicium de offenſa venire matris Eccleſiæ cognoſcentes, cancellarium & Pandulphum de Suburra tanquam proconſules & legatos apud Peruſium ad pedes ſummi Pontificis pro impetranda venia, & eodem ad urbem reducendo Pontifice cum honorificentia debita, deſtinarunt. Qui benignus pater & dominus non elatus, ſed potius humiliatus ex vindicta triſtes filiorum eventus & ſupplicantium legatorum ſuſpiria compaſſione paterna ſuſcipiens, circa ſui * quarti anni exitum menſe februarii hebdomada majoris quadrageſimæ prima, in urbem cum gloria & inexiſtimanda lætitia populi exultantis intravit. Quibus exhauſtis & famis attritis inedia, frumenta de vicinis partibus eo mandante collecta pia liberalitate donavit, alias etiam de ubertate matris Eccleſiæ, quæ ſuper afflictis pia geſtare viſcera conſuevit, eorum mœrori compaſſus, manus munificæ ſubventionis extendit.* Illam Tyberis ingentem eluvionem notavit etiam Henricus Stero, (*a*) Richarduſque cum ait Tyberim adeo late extra ripas effuſum, ut gradus etiam baſilicæ Principis Apoſtolorum prolueret: *Primo*, inquit, *die februarii Romæ Tyberis fluvius per abluvionem uſque adeo inundavit, quod occupavit de domibus urbis uſque ad S. Petrum & uſque ad S. Paulum. Quod tanti cauſa timoris Romanis omnibus extitit, ut mox de communi conſilio metu mortis dominum Papam ad Urbem de Peruſio revocarent; qui rediens a ſenatu populoque Romano ingenti cum gaudio eſt receptus.*

* excurrens

* tertii

Atrox lues urbem depaſcitur.

III. Tractatus pacis Gregorium inter & Fridericum agitatur.

Subdit auctor Rheginum archiepiſcopum & magiſtrum religioſi Theutonicorum equitum ordinis Roma, quo ad tractandam pacem ſe contulerant, digreſſos Fridericum apud Precicanam conveniſſe, ac paulo poſt in urbem reverſos, quo Auſtriæ, Charinthiæ, & Moraviæ duces ac patriarcham Aquilegienſem ac Salisburgenſem archiepiſcopum ad conciliandam Gregorium inter & Fridericum concordiam confluxiſſe ait. Cujus etiam initi fœderis hiſtoriam memoratus pontificiorum geſtorum auctor paucis verbis complectitur; ubi enim Fridericum ex oriente rediiſſe, ac legatos Gregorio Papæ archiepiſcopum Meſſanenſem & Hermannum magiſtrum Theutonicorum ad exorandam pacem miſiſſe, nonnullaque oppida ad fidem ſuam cautionis vice obligandam obtuliſſe narravit, adiicit: *Quod tandem ſummus Pontifex multorum inſtantia devictus aſſumit per venerabilium patrum Cardinalium obſequium ſtudioſum compoſitione firmata, & ſigillo imperialis teſtimonii communita, terram demum tot acquiſitam laboribus eidem quaſi nova infeudatione concedit, in ſignum dominii quibuſdam ſibi munitionibus reſervatis, quas eidem poſtmodum adjectis conditionibus commendavit nec ipſius vulnere ſolidato rancoris.* Verum quæ auctor anonymus brevi oratione libavit, ex regeſto pontificio, (*b*) in quo tractatæ initæque pacis, atque abſolutionis Friderico impertitæ publica ſcri-

(*a*) *Apud Caniſ. ant. lect. to.* 1. *p.* 1261.

(*b*) *Lib.* 3. *pag.* 161. *&c.*

ſcripta continentur, petenda ſunt.

IV. Frid. ſacramento pollicetur imperiis Ap. pariturum.

Miſſi igitur ab Rom. Pontifice legati Joannes epiſcopus Sabinenſis nuper ex Hiſpania regreſſus & Thomas tit. S. Sabinæ presbyter Card. ut ineundæ paci viam munirent; quorum juſſu Fridericus jurejurando ſolemni ſeſe obſtrinxit, in iis omnibus pariturum Eccleſiæ, ob quæ cœtu fidelium ejectus eſſet: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem, & Siciliæ Rex. Notum facimus univerſis, quod nos pro omnibus, pro quibus excommunicati ſumus, tactis ſacroſanctis evangeliis juramus coram vobis dominis Joanne venerabili epiſcopo Sabinenſi, & Thoma tituli S. Sabinæ venerabili presbytero Card. Apoſtolicæ ſedis legatis vice reverendiſſimi patris domini Gregorii Dei gratia ſummi Pontificis recipientibus, ſtare præciſe mandatis Eccleſiæ & ſine aliqua conditione ſecundum formam Eccleſiæ, &c. Dat. apud S. Germanum an. Dominicæ incarnat. MCCXXX. die 11. menſis julii tertiæ indictionis.* Dein legati Imperatorem ſacramento adegere, ut eorum omnium injurias voluntaria oblivione contereret, qui bello inter ipſum Eccleſiamque exardeſcente, Eccleſiæ adhæſiſſent, nec unquam aliquam ab iis ultionem expetiturum, ſeque omnes antea ob id latas ſententias revocaturum, neque Eccleſiæ ditionem invaſurum, publico decreto ſanciret, cujus ſacramenti forma ſuis concepta verbis in regeſto extat (*a*).

Acceptas injurias omnibus remiſſurum.

(*a*) *Ibid.*

V. De reſtituendis Friderico partis bello urbibus tractatur.

Tractatum præterea eſt de ineunda ratione, qua urbes, quæ deſerto Friderico partes Eccleſiæ fuerant amplexæ, in Imperatoris poteſtatem redirent, ad quæ in opus perducenda annus eſt definitus, quod tempus etiam de utriuſque partis conſenſu produci poſſet, atque ex parte Imperatoris, & Eccleſiæ, provincia duobus imponeretur, qui ſi animis diſſentirent, quintum illi eligerent, e cujus ſententia res ea penderet, quæ omnia Fridericus huic publicæ declarationi inſeruit: *Fridericus &c. Per præſens ſcriptum notum fieri volumus univerſis, quod inter ſacroſanctam Romanam Eccleſiam matrem noſtram, & nos convenit, quod de communi voluntate tractabitur de via invenienda, qualiter ad nos cum honore ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ revertantur Cajetana, & ſanctæ Agathæ civitates, & omnes cum bonis ſuis de regno noſtro Siciliæ, quos Eccleſia in ſua fide recepit, & in Eccleſiæ devotione perdurant.* Refert chronicon S. Germani (*b*) Cajetanos qui ad Pontificem ab Imperatore in eo bello tranſfugerant, nullo modo Cardinali conſentire voluiſſe, ut illorum urbs Friderico reſtitueretur, ſive metuerent ne Fridericus poſtea in eos iras ſuas effunderet, ſive jugum pontificium ſuavius experirentur, ſed ne id pacem ſcinderet conficiendæ rei tempus prorogatum: *Ad quem tractatum datus eſt annus, niſi ante via valeat inveniri. Ad quam inveniendam dicta mater Eccleſia curam & ſolicitudinem adhibere promiſit, nec terminus, niſi de conſenſu partium ulterius prorogabitur, ſed ſi, quod abſit, infra dictum terminum via inventa non fuerit, ex tunc per arbitros interim eligendos procedetur in via, ut dictum eſt, invenienda. Quorum duo ſint ex parte Eccleſiæ, & duo ex parte noſtra, qui ſi concordare non potuerunt, quintum eligant, & dicto majoris partis ſtabitur, &c. Dat. ut ſupr.* Quæ vero Fridericus literis ſuis profeſſus eſt publicis etiam tabulis conſignarunt Imperii principes, qui pro pace concilianda ex parte Imperatoris intercedebant; eaſdemque publicas literas hiſtoriæ ſuæ inſeruit Richardus e S. Germano, (*c*) qui hæc de pace Fridericum inter, & Eccleſiam breviter enarrat.

(*b*) *Rich. in chron. hoc anno.*

Recuſant Cajetani ad illius imperium redire.

Qui modi concordiæ quæſiti.

(*c*) *Rich. in chron. an. 1230.*

VI. Expetitæ a Friderico nonnullæ arces ad vinciendam illius fidem.

Poſtulatum a legatis fuerat, ut Fridericus, ne cœptum pacis tractatum temere infringeret, oppida quædam magiſtro domus S Mariæ Theutonicorum traderet, quæ ille Rom. Eccleſiæ nomine obtineret: ac poſt quam bona fide, evolvente ſe octo menſium intervallo, fidejuſſoriam cautionem ſub contenta in pactionibus forma dediſſet, eidem Imperatori reſtitueret, quæ Fridericus executus, publicæ declarationi mandavit (*d*): *Fridericus Dei gratia, &c.* ut ſupra. *Per præſens ſcriptum notum fieri volumus univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod nos fecimus aſſignari in manibus fratris Hermanni venerabilis magiſtri domus ſanctæ Mariæ Theutonicorum in Hieruſalem fidelis noſtri caſtra ſubſcripta videlicet Caſtrum cœli, roccam Guillelmi, roccam de Bantra, roccam Præſentianam, roccam S. Angeli de rupe Canina, roccam Montis Dragon, caſtrum Atini, & Petram de Tocco. Quæ omnia dictus magiſter tenebit nomine Eccleſiæ Romanæ in expenſis noſtris, in cautionem ſcilicet, & ſecuritatem, quod nos dabimus fidejuſſoriam cautionem bona fide infra terminum octo menſium ſub illa forma, quæ in tractatu pacis continetur. Qua fidejuſſoria cautione præſtita idem magiſter reſignabit nobis eadem caſtra, vel cui nos præcipiemus. Datum in caſtris prope Ceperanum anno dominicæ incarnationis MCCXXX. menſis aug. III. indictionis.*

(*d*) *Apud Greg. l.3. pag. 161.*

VII. Card. legati exponunt Friderico cauſas ob quas anathemate defixus fuerat.

Miſſi poſtea a Gregorio Joannes Sabinenſis epiſcopus, ac Thomas S. Sabinæ presbyter Card. legati Apoſtolici, ut Imperatoris jusjurandum ſtandi omnibus Pontificis imperiis, quo ille ſe publice erat devincturus, apud S. Germanum exciperent; innumera præſulum, principumque multitudine circumfuſi Imperatori e ſcri-

pto



pto cauſas expoſuere, ob quas fidelium conſortio amotus eſſet, quæ a Bertoldo patriarcha Aquilejenſi, Eberhardo archiep. Salisburgenſi, Siffrido epiſcopo Ratiſponenſi in illa ſua abſoluti Imperatoris publica declaratione memoriæ commendarunt. Quibus expoſitis Imperator ſacramento ſeſe publico devinxit ea forma, quæ in ejus literis aurea bulla munitis, atque in præſentium corona perlectis jacent; eoque jurejurando admiſſo legati Imperatori præcepere, ut ſub ſacramenti præſtiti religione ea omnia, quæ in ditione eccleſiaſtica fuerant ab ipſo vel ſuis occupata, reſtitueret; tum oppida bonaque monaſteriis, eccleſiis, Templariis, Hoſpitalariis, nobilibus viris, aliiſque qui Eccleſiæ partibus adhæſiſſent, erepta redderet, ac pulſos, & emotos ob id ſuis ſedibus epiſcopos, alioſque præſules ad priſtinas dignitates revocaret. Tum demum legati adjecere, ſe in præſentiarum hæc jubere, alia ſuo tempore mandaturos, quæ omnia iidem, qui ſupra epiſcopi, in illis ſuis literis publicis rei geſtæ declaratoriis deſcripſerunt. Cum ergo uti conſtitutum fuerat, dictas arces ab Imperatore Hermanni equitum S. Mariæ Theutonicorum magiſtri cuſtodiæ demandarentur, Fridericus ea primum Rheginenſi archiepiſcopo tradi juſſit, quod publicis ſcriptis declaravit. Quæ cum ii poſtea Hermanno commiſiſſent, ille publicum ſcriptum edidit, quo de receptis locis omnes faceret certiores. Tum inſtitere legati, ut nonnulli Imperii Romani principes, nimirum Bertoldus Aquilejenſis patriarcha, Eberhardus Salisburgenſis archiepiſcopus, Siffridus Ratiſponenſis epiſcopus, Bernardus dux Carinthiæ, atque Otho Moraviæ dux pollicerentur, ſe bona fide operam collocaturos, ut Imperator, quæ in Marchia & ducatu Spoletano invaſiſſet, redderet. Ad quæ perficienda ſeſe fidejuſſorio nomine obſtrinxere, remque publicis tabulis commendarunt. Menſe poſtea elapſo, quo promiſſa firmiori vinculo aſtringerentur, in publica ſcripta retulere Salisburgenſis archiepiſcopus, Ratiſponenſis epiſcopus, & Charinthiæ dux, ſacramento ſeſe devoviſſe, fidejuſſionem religioſe ſervaturos, ut in Aquilejenſis patriarchæ literis continetur.

Frid. ſacramento pollicetur omnia quæ Eccleſiæ eripuiſſet reſtituturum.

VIII. Recipitur in gratiam Eccleſiæ Frid.

Recepto itaque a legatis jurejurando Friderici, gerendi morem Eccleſiæ, imperataque eorum, quæ invaſerat reſtitutione, atque ab ipſo certis arcibus, uti convenerat, magiſtro Theutonicorum equitum traditis; tum præſulibus pluribus ducibuſque ſpectatiſſimis in fidejuſſores acceptis, aliiſque mandatis pontificiis allatis, atque ab Imperatore admiſſis, Cardinales legati ad abrumpendos tot excommunicationum nexus, quibus Fridericus juſtiſſime erat irretitus, ſeſe XXVIII. menſis auguſti die S. Auguſtino ſacra, ut ipſe Fridericus in gratulatoriis poſt abſolutionem literis teſtatur, compararunt; rem geſtam deſcribit Richardus (*a*) his verbis: *Quædam arces regni traditæ ſunt ſervandæ magiſtro domus Theutonicorum uſque ad certum tempus pro majori Eccleſiæ firmitate; & tunc Imperator ipſe in caſtris ante Ceperanum in capella S. Juſtæ die mercurii in feſto B. Auguſtini per Sabinenſem eſt epiſcopum ab excommunicationis vinculo abſolutus, ſimiliter & omnes ſui.* Reſtituto igitur ſacris Friderico, mox rogati ſunt a legatis præſules aliqui Galli, & Angli, qui abſolutioni latæ interfuere, illius impertitæ rationem ac proceſſum, & impoſita ab ipſis Friderico Pontificis nomine mandata, aliaſque leges & conditiones adhibitas, literis publicis evulgare, quæ illi lubentiſſime ſequenti forma præſtiterunt (*b*): *Nos Dei gratia... Arelatenſis archiepiſcopus... Vvintonienſis, & Belvacenſis epiſcopi requiſiti a venerabilibus patribus I... Dei gratia epiſcopo Sabinenſi, & Thoma tit. S. Sabinæ presbytero Card. Apoſtolicæ ſedis legatis ut ſuper iis quæ de proceſſu ipſorum in negotio abſolutionis domini Imperatoris audivimus, & vidimus, teſtimoniales literas ſcriberemus, ad communem deducimus notitiam, quod prædicti domini legati domino Imperatori fecerunt mandata ſubſcripta in hunc modum: Nos I... Dei gratia Sabinenſis epiſcopus, & Thomas tit. S. Sabinæ presbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legati, auctoritate domini Papæ mandamus domino Imperatori, quod non impediat per ſe, vel per alium, quin electiones, poſtulationes, & confirmationes eccleſiarum, monaſteriorum in regno libere fiant de cætero ſecundum ſtatuta concilii generalis. Item ut comitibus Cælanenſi & filiis quondam Raynaldi de Averſa ſatisfaciat ſecundum formam compoſitionis in iis, pro quibus Eccleſia fidejuſſit. Item ut ſatisfaciat de mobilibus, injuriis, damnis illatis Templariis, Hoſpitalariis & aliis perſonis eccleſiaſticis terminis competentibus ab Eccleſia aſſignandis. Item quod a die abſolutionis, uſque ad octo menſis caveat Eccleſiæ bona fide per fidejuſſores idoneos, & juratos principes, comites, & barones Theutoniæ, & communia civitatum Lombardiæ, Tuſciæ, & Marchiæ, Romaniolæ; & earundem provinciarum marchiones, comites, & barones, quos Eccleſia nominabit. Qui ad requiſitionem Eccleſiæ teneantur aſſiſtere Eccleſiæ contra illum, donec ſatisfaciat, ſi mandata Eccleſiæ non ſervaverit, vel pacem fregerit, ſeu terram Eccleſiæ, vel eorum terras, quas Eccleſia tenet ad manus ſuas vel perſonas eorum ceperit, occuparit, ſeu devaſtarit, & in-*

(*a*) *Rich. in chr. hoc ann.*

Quæ forma in diſſolvendo anathemate ſervata.

(*b*) *Apud Greg. l.3. pag. 163.*

Imperia apoſtolica Friderico facta.

De permittenda in celebrandis electionibus libertate.

Reſarciendis inflictis damnis.

*fra*

*ſra tres menſes, ſi fuerit, in regno; ſi in Italia, infra quatuor; ſi autem extra Italiam, infra quinque ea non duxerit emendanda: & ſuper hoc dabunt Eccleſiæ chartas ſuas ſuo ſigillo munitas.*

IX. De offerendis fidejuſſoribus.

*Injungimus quoque ei, quod infra quindecim dies certum nuntium mittat ad curiam, qui recipiat nomina illorum, quorum fidejuſſionem requiret Eccleſia. Hæc autem omnia ſupradicta mandamus ei omnibus cautionibus in ſua integritate manentibus olim præſtitis pro negotio Terræ ſanctæ, ut pro illo ſatisfaciat ſecundum quod Eccleſia ordinabit: ſi quid autem a nobis per occupationem, vel incuriam eſt omiſſum de iis, quæ mandare debuimus, domino Papæ reſervetur. Ad hæc proteſtationem quandam fecerunt in hunc modum: Proteſtamur, quod dominus Papa vult ſibi reſtitui expenſas, quas extra regnum coacta eſt Eccleſia facere pro Eccleſiaſtica libertate, ac B. Petri patrimonio conſervandis. Excommunicationis quoque ſententiam pronunciaverunt ſub hac forma: Si dominus Imperator, prout injunctum eſt ei per fidejuſſores, non curaverit bona fide; ſi viam pacis quæ invenietur per communem contractum, vel per arbitrium, prout in forma compoſitionis continetur, non obſervaverit; ſi terram Eccleſiæ vel terras eorum, quas Eccleſia tenet ad manus ſuas, vel perſonas eorum, ceperit, occuparit, ſeu devaſtarit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, quam ex nunc in ipſum ferimus auctoritate domini Papæ. Acta ſunt hæc apud ſanctam Juſtam juxta Ceperanum anno Domini MCCXXX. in feſto S. Auguſtini.* Ut vero ea melius univerſo orbi pateſierent, iidem legati alios præſules Germanos Italoſque magna auctoritate, atque exiſtimatione conſpicuos rogarunt, ut illa publicis ſcriptis committerent, quæ pontificio regeſto inſerta ſunt (*a*).

De refundendis belli ſumptibus.

(*a*) Ib. p. 164.

X. Libertas eccleſiaſtica clero Siculo reſtituta.

Inter cæteras etiam injurias a Friderico eccleſiaſticis illatas, ingentes ab eccleſiis, monaſteriis, clericiſque pecunias abraſerat, atque eccleſiaſtici ad ſæcularia tribunalia rapiebantur; quæ ne in poſterum in regno fierent, per legatos Pontifex vetuit. Cujus rei teſtimonialia ſcripta in publicum edi a Salisburgenſi archiep. & epiſc. Ratiſpon. poſtularunt, quæ illi conſueta forma confirmavere. Cumque illi apoſtolico mandato Fridericus morem geſſiſſet, publicoque edicto vectigalia aliaque onera in regno eccleſiis infligi, vel ad judices ſæculares eccleſiaſticos trahi ſequenti edicto vetuiſſet, iidem Eberhardus ac Siffridus inſertam literis ſuis publicis Imperatoriam ſanctionem divulgarunt (*b*): *Nos Eberhardus Dei gratia Salzeburgenſis archiepiſcopus, & Siffridus Ratiſponenſis epiſcopus ad communem notitiam omnium deducimus, quod dominus Imperator ſuper articulo de collectis & talliis literas in forma ſubſcripta confecit per omnes partes regni Siciliæ deſtinandas.*

(*b*) Ib. p. 163.

*Frederici edictum.*

Clerici ad ſæcularia tribunalia non trahendi.

*Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex juſtitiariis, comitibus, baronibus, militibus, camerariis, bajulis & univerſis officialibus per totum juſtitiariatum Bar. & Baſilicatæ conſtitutis fidelibus ſuis gratiam, & ſuam bonam voluntatem. Mandamus, & præcipimus, quatenus nullus de cætero clericus ſeu perſona eccleſiaſtica conveniatur civiliter, ſeu criminaliter coram judice ſæculari, niſi civiliter ſuper fodris. Datum in caſtris prope Ceperanum vigeſimo octavo auguſti tertiæ indict.*

XI. Pontificiæ lit. ad Frid. gratulatoriæ de comparata eccleſiæ gratia. (c Greg. l. 3. p. 65.

Cum hæc ad ſummum Pontificem uti geſta, perlata eſſent, ingenti gaudio delibutus inſtar evangelici patris in venientis prodigi amplexus proſilientis, perceptæ lætitiæ indices literas, ac pietatis charitatiſque paternæ eximiis notis aſperſas ad Fridericum dedit (*c*):

*Friderico Imp.*

*Si Anna diſceſſum Tobiæ filii ſui non ſuſtinens patienter, mox lacrymis effluebat; ſi moræ impatiens exiliens quotidie circuibat vias omnes, per quas reditum anxie * præſtolando, & tandem in ſupercilio montis ſedens, viſo de longinquo filio redeunte, inexplicabili gaudio exultavit: quanto nunc tripudio hilareſcat mater Eccleſia, quæ filium excelſum præ Regibus terræ, de regione diſſimilitudinis ad ſe recipit redeuntem, quis valeat verbis, vel literis explicare, cum non ſit hominis etiam affectus proprios perfecte poſſe depromere per affatus? Magnificat quidem anima noſtra Dominum, & exultat ſpiritus noſter in Deo ſalutari, qui deprecationes noſtras, & miſericordias ſuas a nobis non amovens, cordi tuo miſericorditer inſpiravit, ut animæ tuæ ſaluti, dignitatis honori, & multorum quieti provide conſulens, ad piæ matris gremium devote redires, quæ in expectatione tui maternis affectibus cruciatibus cruciata ſæpe pro tua converſione thus orationis Domino ſuppliciter adolevit, & immolavit lacrymabiliter vitulos labiorum, multorum filiorum periculum perhorreſcens. Nunc autem, quia majus gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſupra nonaginta novem juſtos, qui ſe autumant pœnitentia non egere, jubilat Eccleſia generalis, eo quod tenebroſus turbo, qui pene involverat omnem terram, luci cedit optatæ, fragorque horridæ tempeſtatis, quæ multis excidium minabatur, arridente ſerenitatis gratia ſubſileſcit.*

* præſtolabatur

XII.

*Nos etiam ſalutis & honoris tui profectum ſinceris affectibus cupientes, Altiſſimi miſericordiam humiliter imploramus, ut qui te revocavit ad vitam, det virtutis conſtantiam revocato, quatenus ubi abundavit dilectio, abundet & gratia, & præcedens lapſus te reddat in omnibus cautiorem, quia proculdubio non eſt amor, qui poſſit æquari materno, nec ullius efficacior erga te, quam Eccleſiæ affectus gratiæ valeat inveniri. Ipſe quoque, fili chariſſime, parti tuæ adeſto ſolicitus, ne de cætero patiaris te abduci, vel ſeduci pravis conſiliis perverſorum, qui non quæ tua, ſed quæ ſua ſunt, inique quærentes, faſcinare te geſtiunt, ut exaſperes matrem tuam. Cæterum cum in ſolemnitate tam celebri, tam ſolemni, quando te quaſi in novum hominem reformato gloriatur cœleſtis curia, & ſæculum jucundatur, magnificentiam tuam munificis deceat affluere beneficiis pietatis, eo quod non ſolum Chriſtiani principes, ſed etiam pagani, qui veram Dei notitiam non habebant, in ſuis ſolemnitatibus tenebantur liberare captivos; nos qui pro captivis, & afflictis orare tenemur, precum noſtrarum primitias affectione pleniſſimas imperiali manſuetudini duximus deſtinandas; pro ſpeciali munere poſtulantes, & adjurantes per illum Angelum, quem Dominus ad animæ ac corporis tui cuſtodiam deputavit, ne, quod abſit, contriſtes eundem, qui præcipue de tua converſione lætatur, quatenus in hac ſolemnitate, quæ ſpecialis eſt feſtivitas Angelorum, comitis Thomæ, & quondam Raynaldi de Averſa filios nobis liberaliter largiaris, eos ad noſtram præſentiam remittendo: quia licet ſecundum formam pacis a principibus acceptatam de ipſorum liberatione non fuerit dubitatum; ſi nunquam tamen tractatum fuiſſet, nequaquam eos Eccleſiæ negare te decet, quæ tibi poteſt in longe majoribus reſpondere. Ut quid enim illi affligantur ulterius, cum te jam non oporteat in aliquo dubitare; qui habens manum Eccleſiæ adjutricem ubique ac undique ſecura potes gaudere quiete? Nobis ſiquidem principaliter atrocem irrogari reputaremus injuriam, ſi contra te, quod abſit, contingeret aliquid attentari. Dat. Anagniæ v. kal. ſept. pont. noſtri anno IV.*

XIII. Aliæ ad Franc. Regem de Frid. fidelium cœtui aggregato.

(*a*) Lib. 3. p. 166.

Cum vero Galli pontificias in illo bello partes contra Fridericum foviſſent, ut ex literis veniam, ac præteritarum injuriarum oblivionem promulgantibus patet, Pontifex iis tumultibus compoſitis, rei geſtæ, tandemque optatæ pacis contractæ, S. Ludovicum Francorum Regem feſtis literis fecit certiorem, (*a*) ut in illum pariter gaudii communis partem derivaret: quibus etiam notat ſapientiſſime, tunc Deum arctioribus ſponſam Eccleſiam amplexibus ſibi aſtringere, cum adverſis rerum eventibus illam appeti patitur: hortaturque, ut meritas Deo gratias ſolvat, & ad initam pacem conſervandam operam ſuam induſtriamque defigat.





*Gregorius &c.*

*Tandem magnificans Dominus facere nobiſcum, magnificans Dominus facere cum illis, quare facti ſumus lætantes, multorum, ut confidimus, orationibus inclinatus humiliavit cor principis, & ad matris gremium revocavit, dum mediantibus principibus Alemanniæ tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus, tractatu pacis præhabito, & ab utraque parte communiter acceptato, idem ad mandatum Eccleſiæ rediens humiliter & devote, abſolutionis beneficium meruit obtinere; alias Dei & Eccleſiæ beneplacitis hilariter ſe offerendo. Unde cum poſt nubilum gratius ſit ſerenum, & gaudium acceptius poſt dolorem, mater Eccleſia in tanti receptione filii merito jucundata, gratias agit ei, qui non in turbine, nec in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis apparere dignatus, pacem hominibus bonæ voluntatis reddidit ſalutarem. Verum quia commune pacis bonum gaudium debet eſſe commune, quod cunctorum deſideriis fuerat expetendum, celſitudinem regiam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus magnificans Dominum ex corde nobiſcum, ſuppliciter poſtules ab eodem, ut pacem continuet, & confirmet, aliaque conſervationi pacis cooperari modis, quibus poteris non deſiſtas, ita quod propitiationem divinam ex hoc uberius merearis, & nos ſinceritatem tuam poſſimus merito commendare.*

XIV. (*b*) Lib. 3. p. 167. Certiores facit Longobardos Greg. remiſſas illis omnes injurias a Frid.

Eodem argumento præfectis fœderatarum urbium Inſubriæ ſcripſit, (*b*) ipſoſque hortatus eſt in fide Rom. Eccleſiæ perſtarent, certi quam illi gratiam explicuiſſent, ab ea ſibi relatum ac cumulatum iri. Ac ne illis ſuſpicio aliqua oboriretur, ne Fridericus in ipſos inſurgeret, quod cum Rom. Pontifice adverſus ipſum coiiſſent, captataque occaſione bello ipſos opprimeret vel appeteret, cautionis ab ipſo elicitæ tenorem ac juriſjurandi formam apoſtolico diplomate inſeruit tranſmiſitque, qua forma, ut ſuperius narratum eſt, Imperator ſe devinxerat, altiſſima oblivione omnium injurias obruturum, nec ultionem aliquam ab iis repetiturum: *Magnifica veſtræ devotionis obſequia, quæ in perſonis, & rebus Eccleſiæ Romanæ impendiſtis tempore opportuno, jugiter præ oculis mentis habentes, eorum non poſſumus oblivisci, ſed de retributione condigna & ſuperabundanti non deſinimus cogitare, debitores nos merito reputantes ad omnia, quæ vobis procurare poſſumus profutura. Abſit enim, ut Eccleſia Romana ingratitudinis arguatur, quæ ſemper affluens gratia gratioſis merita ſupplicum conſuevit præmiis largioribus ſuperare.* Et infra: *Ecce ad ma-*

*jorem cautelam tenore literarum continentium cautionem vobis ſub bulla noſtra duximus deſtinandos, qui ſunt tales: Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Per præſens ſcriptum notum facimus univerſis, quod nos remittimus omnem offenſam, & pœnam Theutonicis, Lombardis, Tuſcis, & hominibus regni generaliter & Gallicis, & omnibus aliis, qui Eccleſiæ contra nos adhæſerunt & per Thomaſium comitem Aterrarum dilectum fidelem noſtrum fecimus in anima noſtra jurari, quod prædictos nullo tempore offendemus, vel faciemus offendi pro eo quod Rom. Eccleſiæ contra nos orta diſcordia aſtiterunt, & quod pacem Eccleſiæ, & eis obſervabimus. Remittimus etiam ſententias, conſtitutiones, & banna, ſi qua per nos, vel per alios lata, vel edita ſunt occaſione hujuſmodi contra eos. Promittimus etiam quod terras Eccleſiæ in ducatu, vel marchia, ſeu alio patrimonio Eccleſiæ non invademus nec devaſtabimus per nos vel per alios, &c.*

XV. Fridericus Pontificem Anagniæ inviſit.

At Fridericus quo accepti beneficii memorem ac gratum animum erga Pontificem explicaret, Anagniæ ad ſalubriores purioreſque auras colligendas commorantem, pulcherrimo comitatu ſtipatus inviſit; quæ vitæ Gregorii auctor hiſtoriæ retulit: *Inter autumni primordia, præfatus Imperator ex inſperato pervenit circa ſalam ſalientis aquæ fontem irriguum caſtrametatus magnifice, cum honorabili comitiva. In craſtino autem aſcendens Anagniam ad pedes venerandi Pontificis, rejecto pallio, veneranter acceſſit & oſculo dato, aliquandiu moratus ibidem, in palatio majoris eccleſiæ noctis ſpatium pertranſivit. Sequenti vero die in ejuſdem patris paterno palatio ſimul uterque princeps in una menſa diſcubuit, principum & magnatum ibidem militia magnifice convescente, quo die per longos tractatus & publicos, per ſecreta familiaritatis alloquia votive decurſo, Cæſar ad tentoria rediens properavit in regnum.* Hæc vitæ ſcriptor: quibus ſimilia Richardus (*a*) ac more ſuo tempus rei geſtæ conſignat his verbis: *Prima die ſeptembris Cæſar invitatus a Papa cum eſſet in caſtris in pede Anagniæ magnifice comitatus a Cardinalibus & nobilioribus civitatis intravit Anagniam, & eo die cum Papa ſedit in menſa, & ſolus cum ſolo, magiſtro tamen Theutonicorum præſente, in papali camera conſilio longo ſe tenuere diu: ac die lunæ ſequenti cum gratia Papæ & Cardinalium in caſtra reverſus eſt.* Ipſe etiam Fridericus magnifice exceptum ſe animos arctiſſimo amoris vinculo in illo congreſſu conjunxiſſe, omneſque ſuſpiciones depuliſſe gloriatur in his literis, quas ad præpotentem Regem, cujus nomen non exprimit, ſcripſit, (*b*) ut obtentæ abſolutionis fœderiſque initi lætitiam cum illo communicaret.

(*a*) Rich. de S. German. in chron. hoc ann.

Peramanter & honorifice excipitur.

(*b*) Extat apud Greg. l. 3. p. 166.

*Fridericus Dei gratia Romanorum Imp. ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex.... illuſtri Regi chariſſimo amico ſuo ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.*

XVI. Lit. Frid. de inita cum Gregorio concordia.

*Noveritis quod per illius gratiam, qui procellam convertit in auram, & diſſidentium mentes in unam conciliat voluntatem, facto publice, ac ſolemniter, ſicut a catholico principe fieri debuit, quod forma Eccleſiæ requirebat, vigeſimo octavo præteriti menſis auguſti per venerabiles viros Apoſtolicæ ſedis legatos I.... Sabinenſem epiſcopum, & Thomam tit. S. Sabinæ presbyterum Card. præſentibus principibus & diverſarum gentium multitudine infinita, cum generali totius Chriſtianitatis tripudio fuimus abſoluti. Deinde, ut poſt abſolutionem ex omni præſentia corporum, mentium ſerenitas gratius ſequeretur; primo ſeptembris Apoſtolicam ſedem adivimus & ſanctiſſimum patrem dominum Gregorium Dei gratia ſummum Pontificem vidimus reverenter. Qui affectione paterna nos recipiens, & pace cordium ſacris oſculis fœderata, tam benevole, tam benigne propoſitum nobis ſuæ intentionis aperuit de ipſis, quæ præceſſerant, nil omittens, & ſingula proſequens evidentis judicio rationis, quod etſi nos præcedens cauſa commoverit, vel rancorem potuerit aliquem attuliſſe, ſic benevolentia, quam perſenſimus in eodem, omnem motum lenivit animi, & noſtram amoto rancore ſerenavit adeo voluntatem, ut non velimus ulterius præterita memorari, quæ neceſſitas intulit, ut virtus ex neceſſitate prodiens operaretur gratiam ampliorem. Remiſimus autem ſpecialiter ſingulis, & generaliter univerſis, qui contra nos olim ſummo Pontifici adhæſerunt, & in iis & aliis, quæ ſibi grata fuerunt, apoſtolicæ condeſcendimus voluntati; habentes eum in omni reverentia, qua ſibi tanquam unico, & univerſali patri tenemur, & nos ei pro devoto Eccleſiæ filio exhibentes in eo vinculo charitatis, quo Sacerdotium, & Imperium ad invicem ſunt conjuncta. Super quibus, omnibus, quia vos cupimus noſtrorum eſſe participem gaudiorum, dilectionem veſtram plene certam fieri volumus & jucundam.*

XVII.

Agunt de eadem confecta pace veteres ſcriptores, Albertus Stadenſis, (*c*) Matthæus Pariſius, (*d*) Henricus Stero, (*e*) Godefridus, (*f*) aliique (*g*). Verum infixa Friderici animo odia brevi recruduere: improborum enim hominum conſiliis ſubornatus, in nonnullos imperio ſuo ſubditos, qui Pontificis partibus ſtuduerant, violato ſacramento, evulſurum ſe e memoria omnem vindictæ cupiditatem, iras exercere cœpit. Quibus acceptis Pontifex, paterne ipſum admonuit

(*c*) Stad. in chron. (*d*) Par. hiſt. Angl. (*e*) Stero in ann. apud Caniſ. ant. lect. to. 1. p. 260. (*f*) Godef. in annal. (*g*) Chron. Saliſ. apud Can. to. 6. ann. 1261. chron. Auſtrale & Aug. & alii.



(*a*) Greg. l. 4. ep. 71.

nuit (*a*) ne ita clementiæ laudem labefactaret, animoſque aſperaret.

*Gregorius, &c.*

*Mon dubitamus quin aliqui corde perverſi, ab incentore malorum omnium nequiter inſtigati, manſuetudinem tuam frequenter attentent, ſuggerendo procaciter, ut injuriam propriam immiſericorditer proſequens, homines tuos de Fogia civitate, Caſalinovo, S. Severino, & alios quoſdam de Capitaneatu minus humane pertractes. Sicque ſaluti, & famæ tuæ, quarum ſe ſimulant dilectores inſidias pervicaciter machinentur, ut clementiam vertens, quod abſit, in iram miſericordem exaſperes Redemptorem, qui miſericordibus miſericordiam impartitur, & contra te hominum ora laxentur murmurantium, & clamantium, quod tam celebre feſtum pacis, tot votis hominum expetitum, tam cito in luctum vertitur, & lamentum multis tumultuantibus, & dicentibus: Hæccine duo magna luminaria convenerunt, ut multos tenebris doloris involverent & horroris, & qui hominibus præſunt, ut proſint, in tribulatione conſentiunt ſubditorum. Quare dolore confodimur in occulto, & rubore confundimur in aperto, niſi decidant a cogitationibus ſuis conſiliorum ſalubrium perverſores, te illos ſecundum impietatum ipſorum multitudinem expellente.* Et infra: *Imperialem celſitudinem rogamus, monemus, & hortamur in domino, adjurantes per dominum Jeſum Chriſtum, qui præfert miſericordiam holocauſtis quatenus prudenter attendens, quod melior eſt patiens viro forti, & per patientiam viri doctrina cognoſcitur, miſericordia, cui cæteræ virtutes humiliter obſequuntur, te permittas ſalubriter ſuperari, cum nunquam alias felicius valeas triumphare; dimittenſque debitoribus tuis ex corde, illum, cui omnia debes, tibi conſtituas merito debitorem; & tam noſtro, quam tuo pudori provide conſulens, nos tibi reddas ex hoc ſpecialiter obligatos: qui ſi ſecus, quod dominus avertat, ageres, non poſſemus nos non reputare confuſos, quia non deeſſent, qui nobis fiduciam, quam de te concepimus, mordaciter exprobrarent. Dat. Anagniæ idus octob. pont. noſtri anno* IV.

Placare illis Frideric. nititur Greg.

XVIII. Redit in urbem Pontifex.

His Anagniæ peractis Gregorius Romam remigravit, ingentique Romani populi lætitia exceptus eſt, qua de re ejus geſtorum ſcriptor: *Summus autem Pontifex propinqua jam hyeme ad urbem rediit, a Romano populo congaudente ſuſceptus.* Conſentit Richardus, qui menſe novembri a ſenatore revocatum ait; additque vitæ auctor: *Tunc in Lateranenſi palatio domos conſtruxit altiſſimas, & palatium nobile pauperum uſibus deputatum: Romanis beneficia grandia elargitur.* Ad id quoque tempus pertinere videntur, quæ idem auctor hiſce verbis tradit: *Tunc in baſilica duodecim Apoſtolorum Principis in majoris * parte veſtibuli parietem altitudine prægrandi erectum veſtivit lapide deaurato nobilium imaginum decore diſtinctum, campanam miræ magnitudinis conceſſit eidem, quæ cæteras urbis & vaſtitate corporis, & boatu ſonoritatis excedit, &c.* In Urbe igitur cum ageret Gregorius, ad eum Fridericus per nuntium literas de fidejuſſuris Imperii principibus ſupra commemoratis dedit; at cum nonnulla in iis deſiderarentur, Pontifex promulgandas non duxit, ipſumque apoſtolicis literis docuit (*b*) quæ expungenda, quæve addenda forent.

Amplificat Later. palatium.

* portæ veſtibulo S. Petri baſilicam ornat.

(*b*) Lib. 4. ep. 76.

XIX.

Parem conſtantiam Gregorius in defendendis Eccleſiæ juribus æque adverſum cæteros, ac Fridericum explicuit. Lucanos enim, qui Carfagnanam pontificiæ ditionis invaſerant, ac plura admiſerant ſcelera, coercere ſtuduit, datiſque eo argumento ad Piſanum archiepiſcopum graviſſimis literis (*c*) epiſcopalem iis ſedem adaempturum eſt comminatus; quam pœnam ſequenti anno inflixit (*d*) Urbevetanis vallis lacus dominium Eccleſiæ reſtituere imperavit (*e*): Florentinos etiam ad ſe quatuor oratores mittere juſſit, (*f*), cum quibus de redintegranda pace ageret, tum epiſcopum Belvacenſem ſedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimum, Piceno & Peruſino ducatui adminiſtrando præfecit (*g*). Cui inſuper atque epiſcopo Tudertino (*h*) imperavit, in clericorum vitia animadverterent, ac præſertim impuros, & ſolutiores eorum mores comprimerent: quibus conſentanea patriarchæ Gradenſi, ejuſque ſuffraganeis impoſuit (*i*).

(*c*) Ib. ep. 50. (*d*) Lib. 5. ep. 4. (*e*) Lib. 4. ep. 83. (*f*) Ib. ep. 75.

Urbevetani vallis lacus dominium reſtituere juſſi.

(*g*) Greg. l. 4. ep. 64. (*h*) Ib. ep. 89 90.

Emendati cleri ſolutiores mores.

Excreverant quoque, ut refert Richardus, in Neapolitani regni clero denſiſſimi vitiorum vepres, ad quos evellendos opera pontificia converſa encyclicas ad præſules literas (*k*) dedit, quibus eos in emendandis ſacerdotum moribus incumbere, ne prava eorum exempla in populos emanarent, atque in libidinum cœno jacere, vel in domibus mulieres ſervare, e quarum contubernio pudicitiæ periculum crearetur, permitterent juſſit; ſeque in illos, qui intra tres menſes ea vitia non evulſiſſent, juſtæ ſeveritatis aculeos exerturum eſt comminatus.

(*i*) Ib. ep. 65. (*k*) Ext. apud Rich. in chr. hoc ann.

*Venerabilibus in Chriſto fratribus archiepiſcopis, & epiſcopis, per regnum Siciliæ conſtitutis &c.*

*Si cavendum eſt vobis, ne ſanguis ſubditorum de veſtris manibus requiratur, clericorum culpas, quæ periculoſæ ſunt propter officii dignitatem, non debetis relinquere incorrectas, horum enim quanto eſt gradus altior, tanto gravior caſus exiſtit, & exceſſus ipſorum vehementer in exemplum extenditur, dum in excuſationem illorum dicitur: Sufficit diſcipulo, ſi*

Præſules cæteris exemplo prælucere debent.

*ſit ſicut magiſter ejus ; ſicque per eos facientes delinquere populum, nomen Domini blaſphematur, cum non ſoleant facere, qui ſequuntur, niſi quod eos, qui præcedunt, viderint facientes.*

XX. Frænanda maxime in clericis incontinentia.

*Licet autem corrigendi ſint omnes clericorum exceſſus, & mores eorum & actus in melius reformandi, ſpecialius eſt tamen in eis incontinentiæ vitium exprobrandum, cum non deceat per immundos ſancta tractari, & fœdatos libidine menſæ Domini miniſtrare ; unde Abimelech ſacerdos David legitur reſpondiſſe, ſe ad manus panes laicos non habere, ſed ſolummodo panem ſanctum, quem mundis pueris maxime a malieribus obtulit manducandum. Ut igitur judicium de domo Domini prodeat, præſentium vobis auctoritate mandamus, & in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, quatenus uſque ad tres menſes clericorum veſtrorum tam incontinentiæ vitium, quam exceſſus alios corrigentes, præſertim ſuper cohabitatione mulierum, eos diligenter, & ſolicite corrigere ſtudeatis, taliter circa vos ipſos invigilare cupientes, quod commendatione magis, quam correctione dignum in vobis valeat inveniri. Alioquin ſi qui veſtrum, quod non credimus, præcepti noſtri fuerint contemptores, ex tunc infra menſem reſponſuri nobis de contemptu perſonaliter ad ſedem Apoſtolicam accedere non poſtponant, attentius præcaventes, nec in commiſſo vobis negotio, quæ ſunt veſtra, ſed quæ Jeſu Chriſti procuretis, ſi proprium vultis periculum evitare. Cæterum vos archiepiſcopi contra prælatos veſtræ provinciæ, & alios qui ſunt infecti vitio ſimoniæ, cum tales Dominus facto flagello de reſticulis de templo ejeciſſe legatur, ac eos, qui ultramontanos ſine commendatitiis literis epiſcoporum ſuorum auſi ſunt ad ordines promovere, ac eos, qui dicuntur incontinentiæ vitio laborare, inquiratis ſolicite veritatem, & quod inveneritis, nobis infra prædictum tempus reſcribere procuretis, ut per veſtram relationem inſtructi procedamus, prout viderimus expedire. Dat. Anagniæ* v. *kal. novemb. pontific. noſtri anno* IV. Scribit etiam Richardus, lapſis poſt duobus annis, Gregorium ſtudia ſua iterum ad cleri emendandos mores impuritate inquinatos convertiſſe, & inquiri ab archiepiſcopis in epiſcopos, atque ab his in ſacerdotes juſſiſſe, ſi caſte viverent, & a ſe mulierum conſortia removiſſent.

XXI. Minoritas ad virtutes ſectandas excitat.

Ut in vitiorum fæce a clero expurganda incubuit Gregorius, ita religioſos viros ad altiorem ſanctitatis apicem evehere ac perpolire virtutibus ſtuduit ; quo argumento Minoritis, qui ordinis comitia habebant Aſſiſii, datæ literæ, (*a*) in quibus illud digniſſimum memoria, nimirum certiorem ſe factum de mortuo in Germania a D. Franciſco ad vitam nuper revocato ait: tum ad ejus ſectanda veſtigia hortatur, indulgentiarumque præmia iis proponit, qui celebrandæ D. Franciſci reliquiarum tranſlationi interfuiſſent: *Grates, & laudes, quas poſſumus, referimus Redemptori, qui B. Franciſcum patrem noſtrum, & veſtrum, forte antea noſtrum, quam omnium veſtrum, adhuc in carne viventem, inſignibus præveniens muneribus gratiarum tanta nunc eum cum ipſo regnantem clarificat gloria quod præter alias virtutes magnificas, nuper Theutonia, ipſius ſancti celebri nomine invocato, mortuum mirifice ſuſcitavit, ſicut nobis eſt ſolemniter intimatum. Unde nos in ejuſdem ſancti magis, ac magis pio amore ſuccenſi, totis affectibus in ipſius laudibus delectamur, ſperantes ut quos in ſæculo extra ſæculum vivens tota mente dilexit, eo nos nunc charius amplexatus, quo illum, qui eſt vera charitas vicinius intuetur, pro nobis intercedere non deſiſtat, & vos, quos idem in Chriſto regenerans in abundantia divitiarum altiſſimæ paupertatis reliquit heredes, gerentes in intimis viſceribus charitatis ad profectum ordinis veſtri aſpiramus ardenter, propoſita nobis ſpe, quod veſtrarum orationum ſuffragiis noſtrarum tolerantia paſſionum proveniet nobis in ſalutem. Verum ut patrem laudabiliter imitantes pervenire mereamini, quo pervenit, &c.* Graviſſimis monitis ipſos urget, ut ſe virtutum omnium genere excolant, ut vita Chriſti in ipſis coruſcet, atque effloreſcat.

(*a*) *Ib. ep.* 18. *Aſſertur etiam a Vvading. in annal. Mino.*

XXII. Reliquiarum D. Franc. tranſlatio.

Ad augendum D. Franciſci cultum Gregorius ſupremo Minoritarum miniſtro, aliiſque ejus familiæ religioſis viris transferendi auguſtiore apparatu ſacri pignoris provinciam demandarat ; ſed Aſſiſinatium prætor aliique magiſtratus præpoſtera pietate abrepti eo prorupere audaciæ, ut geſtandi ſacri corporis debitum ſacerdotibus munus invaderent. Quod factum Pontifex damnavit admodum, ac Peruſino & Spoletano epiſcopis imperavit, (*b*) ut Aſſiſinates cenſuris ferirent, ni errati veniam ſupplices flagitarent: *Ipſi*, Aſſiſinates nimirum, *non attendentes innumera bona, quæ civitati eorum, quin etiam univerſis & ſingulis exinde poterant provenire, omnia perturbarunt, omnia confuderunt in animarum ſuarum periculum, famæ diſpendium, & jacturam etiam temporalem. Sciunt ſiquidem quod nos ſanctiſſimum corpus confeſſoris prædicti pio amore venerabiliter amplexantes, tranſlationem ejus dilectis filiis generali miniſtro, & quibuſdam aliis fratribus ordinis Minorum viris religioſis & timoratis tanquam vicariis noſtris commiſimus confidenter, cum nonniſi auctoritate Apoſtolicæ ſedis eſſet tranſlatio facienda, ibique illam conceſſimus indulgentiam, quæ concedi limina beatorum Petri & Pauli viſitantibus conſuevit. Sed ipſi veſano ſpiritu concitati, non attendentes quod ſacra myſteria non niſi a ſacris ſunt tractanda miniſtris, prædictum corpus auſu ſacrilego rapientes in ſuperbia & tumultu tranſlationis myſterium damnabiliter prophanarunt, non paſſi a fratribus prædicto ſancto venerationem debitam exhiberi. O quæ inſania ipſos taliter faſcinavit, ut ſacerdotale ſibi officium uſurpantes, rem divinam Deo contrectarent invito! Nonne ſciunt, quod Oza inclinatæ arcæ Domini manum apponens a Domino percuſſus interiit, qui videbatur utcumque veriſimiliter excuſandus, quia ne arca caderet inclinata manum appoſuit adjutricem? Non ne audierunt, quod Ozias ingreſſus templum Domini, quia ſuper altare thymiamatis incenſum voluit adolere, percuſſus eſt lepra, ut perfecte detur intelligi, quod contrectatio divinorum eſt laicis penitus interdicta? Nonne poſſunt ex ſimili culpa pœnas ſimiles formidare, &c.* Subiicit eam eccleſiam, in quam ſacræ reliquiæ tranſlatæ fuerant, eccleſiaſtico interdicto, ac locum a Minoritis deſeri jubet, donec temerarium facinus ab Aſſiſinatibus expiatum ſit: at ſi in pervicacia perſtiterint, magiſtratus anathemate ditionemque circumjectam interdicto percelli ab epiſcopis imperat. *Dat. Later.* XVI. *kalen. julii pont. noſtr. anno* IV. Poſt hæc ſummus Pontifex a Minoritis de nonnullis circa regulam exortis dubiis conſultus, illa prolixiori epiſtola (*a*) declaravit. [1]

(*b*) *Greg. l.* 4. *ep.* 39.

Aſſiſinates magiſtratus ſacro oneri ſuccollant. Arguuntur a Gregorio in eo ſacerdotum muneri ſe ingeſſiſſe.

Defigi cenſuris jubet donec facinus expiarint.

(*a*) *Ib. ep.* 73.

XXIII. Excitat Dominicanos ad inferendum ſeptentrion. infidelibus evangelium.

Ut vero in Italia Pontificem ad ſtabiliendam Minorum regularem diſciplinam ſtudium operamque defixiſſe vidimus, non minorem in Germania ad Dominicanorum inflammandum zelum diligentiam attulit, ut Chriſtianam religionem circumferrent, ſubmotaſque illas ad ſeptentrionem Prutenorum nationes, dæmonum cultu irretitas in Dei filiorum libertatem aſſererent. Ea vero gens adeo impiæ ſuperſtitioni mancipata erat, ut Chriſtianis ſæviſſimas clades, atque injurias imprimerent; utque negotium tanti ponderis ac dignitatis urgeret, literas tum memoratis Dominicanis (*b*) ad incendendam illorum pietatem, tum finitimis illi genti populis miſit, (*c*) quo opem ſuam ad id perficiendum adhiberent:

(*b*) *Greg. l.* 4. *ep.* 62.
(*c*) *Ib. ep.* 61.

*Univerſis Chriſti fidelibus per Magdeburgenſem, & Bremenſem provincias, Poloniam, Pomeraniam, Moraviam, Suraniam, Holiſantiam, & Gothlandiam conſtitutis.*

*Ex literis dilecti filii nobilis viri ducis Mazoviæ intelleximus, quod pagani Pruteni nomen Chriſti, quem ignorant, ad cujus cognitionem venire non volunt, exterminare tanquam prophanum de ſuis finibus per exterminium Chriſtianorum ibidem exiſtentium intendentes, ipſos vehementer impugnant deſtruentes terram eorum, qui reſiſtere præ paucitate non poſſunt, & perſonas etiam miſerabiliter trucidantes. Et licet idem dux ordinem fratrum hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum in terram ſuam ad Chriſtianorum auxilium introduxerit, & cum ipſius ordinis fratribus ibi exiſtentibus Deus miſericorditer operetur, conterendo per eos mirabiliter ſui nominis inimicos; quia tamen ad tam arduum negotium ſufficere per ſe nequeunt, & egent fidelium ſubſidiis adjuvari, univerſitatem veſtram monemus & hortamur, & per omnipotentem Deum obſecramus in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad nimiam charitatem, qua Chriſtus vos dilexit, & diligit, reſpectum habentes, & ei retribuentes aliquid pro omnibus, quæ retribuit ipſe vobis, in quos tanquam viros Chriſtianos & catholicos cadere opprobria exprobrantium ſibi debent, potenter & viriliter accingamini, tanquam zelum Dei habentes ad vindicandam injuriam ſui nominis, & ad liberandum proximum de manibus paganorum, profecturi, & acturi ſecundum fratrum conſilia prædictorum, ita quod & vobis præmium debeatur æternum, & infideles non poſſint, quod impune Chriſti nomen impugnaverint, gloriari. Dat. Anagniæ id. ſept. pont. noſt. an.* IV.

Pruteni gentiles in Chriſtianos graſſantur.

Ad frenandam eorum barbariem fideles ſolicitati.

XXIV. Hortatus (*d*) etiam eſt fratres domus S. Mariæ Theutonicorum, ut vires ſuas, indu- (*d*) *Lib.* 3. *ep.* 111.

NOTÆ [1] PAragrapho huic iſta adiice ex Annalibus contractis: *Hoc anno VIII. Kal. junii ſolemni ritu tranſlatum eſt Aſſiſii S. Franciſci corpus, ac plures virtutes cœleſtes divinitus editæ fuerunt, ut narrat S. Bonaventura qui hæc ſubdit:* (*a*) Sicut vir iſte beatus mirandis virtutibus & ſignis in vita claruerat, ſic a die tranſitus ſui uſque in præſens, per diverſas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, divina ſe potentia glorificante, coruſcat; nam cæcis & ſurdis, mutis & claudis, hydropicis & paralyticis dæmoniacis & leproſis, naufragis & captivis iſtius meritis remedia conferuntur, omnibuſque morbis, neceſſitatibus, & periculis ſubvenitur, ſed & multis mortuis mirifice ſuſcitatis innoteſcit fidelibus, mirificans ſanctum ſuum magnificentia virtutis altiſſimi. *Cum autem inter ſodales Franciſcanæ familiæ plures controverſiæ obortæ eſſent, eas Gregorius IX. diremit* (*b*) *& in primis de mandato in vitæ mortiſque confinio ſodalibus dato, pronuntiavit, ad illud ſodales ſine eorum conſenſu obſtringi non potuiſſe, ac de conſiliis evangelicis reſpondit ipſos ad ea tantum lege teneri, quæ in religioſæ vitæ formulâ ipſis tradita continerentur; quod vero ad proprietatem prohibitam ſpectaret, declaravit ſuppellectilis domeſticæ vel librorum uſu ea non prohiberi.* MANSI

(*a*) S. Bonav. in vit. S. Franc. c. 15.

(*b*) Greg. l.9.ep.73.

induſtriamque conferrent ad Prutenorum tyrannidem compeſcendam, qui fideles gravioribus malis opprimerent; denique aliis literis ad ipſos datis, (*a*) Mazoviæ ducem laudibus extulit, Prædicatorum familiæ alumnos in ditionem ſuam excivisse, quo graſſantes Prutenos coercerent. Conradum ducem Mazoviæ, cujus ditio Prutenis adjacebat, maximis damnis a barbaris illis affectum, auxilio ſeptem fratres cruciferos Theutonicæ domus ordinis S. Sepulcri Hieroſolymitani adſciviſſe, quorum Hermannus Balchæ de Saleza primicerius & magiſter erat, docet Dlugoſchus (*b*); in caſtro Dobrzin, unde ducto nomine fratres Dobrzinenſes appellati, ipſos primum collocaſſe; poſtea vero Nieſchon oppidum cum nonnullis locis iiſdem elargitum: cumque illis opem ferentibus, ingentem Prutenorum cædem in acie ediditſet, terras Chelmenſem, & Lubaniæ de epiſcoporum principumque conſilio iiſdem equitibus attribuiſſe. Hæc dum pluribus enarrat auctor, ejuſmodi donationem, utpote Polonæ rei magnum detrimentum afferentem deplorat, dictos crucigeros occupandis poſtea aliis Poloniæ locis ſemper inhiaſſe. Inſertum eſt ducale diploma literis Gregorii IX. Romani Pontificis, (*c*) cujus exemplum adducendum ex parte putavi.

(*a*) *Lib.* 4. *ep* 63.

Cruciferi equites a Mazoviæ duce in auxilium exciti.

(*b*) *Dlugoſcb hiſt. Pol. ann.* 1230.

Ob præclara facinora edita bonis ampliſſimis aucti.

(*c*) *Greg. IX. l.* 8. *ep* 289.

XXV. Conradi ea de re diploma.

*Ego Conradus divina miſeratione dux Mazoviæ & Cujaviæ cunctis præſentibus & futuris præſens ſcriptum inſpecturis notum eſſe volo, quod cum Pruteni, & alii Chriſtiani nominis inimici magnam partem terrarum mearum ipſis adjacentium, deprædationibus, incendiis tam eccleſiarum quam aliorum locorum, interfectionibus, & captivationibus virorum mulierum, & parvulorum, peccatis hominum, qui altiſſimum in vanitatibus ſuis irritaverunt, exigentibus, miſerabiliter divina permiſſione vaſtaverint, eorumque, qui Chriſtum oderunt ſemper aſcendens ſuperbia invaluerit adeo, ut nec adhuc ipſum in membris ejus perſequi ceſſent aut deſiſtant; non ſolum res, immo magis ipſum ſanguinem fidelium, inter infinitas, & horrendas auditu & dictu abuſiones, quas in contumeliam exercent creatoris ſitientes; ſperans per viros religioſos manum Domini, quæ nos tetigit, & flagellum ſuæ indignationis placari, ejuſque favente gratia, qui ſuis adeſſe conſuevit, per Chriſti milites, quorum ſpes virtus, & gloria Deus eſt, brachium fortitudinis Sarracenorum conterendum, ſalutis animæ meæ, ac meorum æternæque retributionis intuitu, ac ob defenſionem fidelium in Polonia, uxore mea Agafra, filiiſque meis Bolezlavo, Kazimiro, Semovito expreſſe de bona & ſpontanea voluntate conſentientibus, accedente quoque conſilio, & conſenſu epiſcoporum, magnatum, ac majorum terræ meæ; dedi & contuli hoſpitali S. Mariæ domus Theutonicorum, & fratribus ejuſdem domus totum, & ex integro Chelmenſe territorium cum omnibus ſuis attinentiis ab eo loco, ubi Drauvanza egreditur terminos Pruſſiæ & per deſcenſum ejuſdem fluminis uſque in Vvizlam, & in deſcenſu Vvizlæ uſque ad Oſam, & per aſcenſum Oſæ uſque ad terminos Pruſſiæ in veram & perpetuam proprietatem poſſidendum pleno jure cum omni libertate, fructu, & utilitate, &c.* Extat etiam apoſtolicum diploma (*d*) ad religioſum equeſtrem Theutonicorum ordinem exaratum, quo hujuſmodi donationi auctoritatem ſuam adjecit, ac dictorum locorum patrocinium arripuit: inſuperque ſcriptis ad Conradum ducem literis liberalem illius largitionem plurimum commendavit (*e*).

(*d*) *Ib. ep.* 290.

(*e*) *Ibid. ep.* 229.

XXVI. Rogatus præterea Pontifex, ut beatum Virgilium epiſcopum olim Salisburgenſem miraculis clarum ſanctorum catalogo adſcriberet, epiſcopo Brixianenſi ac nonnullis Ciſtercienſis familiæ abbatibus Pataviensis diœceſis veritatis admirabilium rerum divinitus illius beneficio editarum, inquirendæ munus impoſuit, (*f*) eaque diligenter diſcuſſa literis ſuis facerent certiorem. *Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod ſicut venerabilis frater noſter Salzeburgenſis archiepiſcopus expoſuit coram nobis, tanta Dominus ſanctæ memoriæ Virgilium Salzeburgenſem archiepiſcopum prævenit, & proſecutus eſt gratia, quod cum jam a ſeptingentis annis obierit, nunc diebus his ad dandam ſcientiam primæ ſtolæ immortalitatis ipſius ſepulcrum ejus tot & tantis det coruſcare miraculis, quod ejus inter alios ſanctos non invocari ſuffragia ſit indignum.* Et infra: *Diſcretionem veſtram, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, rogamus, & monemus attente per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus de miraculis ſancti prædicti pleniſſime inquirentes, reſcribatis nobis ſuper iis fideliter, veritateque cognita procedemus, &c. Dat. Anagniæ* III. *id ſeptemb. pont. noſtri anno* IV.

(*f*) *Greg. l.*4. *ep.*58.

De B. Virgilii ep. Saliſb. mirac. inſtituta quæſtio.

XXVII. Eodem anno Liupuldus Auſtriæ dux initæ ab Friderico cum Eccleſia pacis & concordiæ interpres, uti ex ſupra recitatis monumentis vidimus, teſtanturque veteres ſcriptores, (*g*) exceſſit e vita, de quo hæc Richardus inter alios (*h*): *Liupuldus dux Auſtriæ & Stiriæ die dominico in feſto ſanctorum Nazarii & Celſi apud S. Germanum naturali morte defecit, cujus oſſa delata ſunt more Theutonico in Theutoniam & caro apud Caſſinum cum honorificentia tumulata.* Hæc auctor, cui Godefridus (*i*) aliique conſentiunt. Tunc etiam extremum tradunt (*k*) obiiſſe diem Siffridum archiepiſcopum Maguntinum, (*l*) in ejuſque locum ſubrogatum alterum Siffridum ex fratre nepotem: præterea Hermannum (*a*) dominum de Lippia archiep. Bremenſis fratrem, dum Stedingorum inſolentiam manu reprimere nititur, ſolum in primo congreſſu cæſum, moxque fidelium exercitum diſſolutum; de Stedingorum impietate atque inſania agetur poſtea cum Alberto Stadenſi (*b*). [1]

Liupoldi ducis Auſtriæ mors.

(*g*) *Stero apud Caniſ. antiq. lect. to* 1. *pag.* 260. *&c.*

(*h*) *Rich. de S. Ger. in chron.*

(*i*) *Godef. in annal. hoc anno chron. Auſtr. hoc ann.*

(*k*) *De ea conſuet. vid. extrav. com. l.* 3. *tit.* 6. *c.* 1.

(*l*) *Stero ubi ſupr. Chron. Auſtr. Conrad. ep. in chr. Siffrid. l.* 2.



(*a*) *Stad. in chr. hoc ann.*

Stedingor. hæreſis emergit.

(*b*) *Stad. in chron. hoc anno* 1234.

XXVIII. Hoc interim ſpatio ea admiranda contigere, quæ de Bertholdo ad feliciorem vitæ normam ab S. Eliſabeth Regina Ungarorum perducto in monumenta contulit Theodoricus Thuringius (*c*): *Venit ad eam aliquando matrona nobilis Gertrudis de Leindbach viſitandi gratia, & cum ea adoleſcens, quidam Bertholdus nomine ſæculariter indutus, quem ſæculi contemptrix Eliſabeth ad ſe vocans, dixit illi: Videris nimis indiſcrete te habere: & quare non ſervis creatori tuo? Reſpondit juvenis: O domina mea, ſupplico vobis, ut oretis pro me, ut Dominus det mihi gratiam ſuam ſerviendi ei; at illa: Velleſne, ait, quod ego orarem pro te? Et ille: Vellem utique. Et ipſa inquit: Oportet, ut te ad gratiam Dei habilites, ſimiliter orando; & ego pro te libenter orabo. Moxque provolutis genibus in loco competenti monaſterii in Vverde, ubi tunc erat, cœpit orare pro juvene; ipſeque juvenis alta voce clamare dicens: O domina ceſſate ab oratione; at illa inſtabat ferventius. Poſtmodum juvenis altius vociferari cœpit dicens: O domina ceſſate ab oratione, quia jam deficio. Nimio namque calore accenſus juvenis ſudabat & fumabat, & brachia totumque corpus huc & illuc tanquam demens jactabat. Tunc dominæ ipſius ſervientes, & duæ beatæ Elizabeth ancillæ accurrentes tenuerunt eum, & invenerunt eum totum incaluiſſe veſteſque nimio ſudore madidas, ſæpius autem iterans clamorem, tandem dixit: In nomine Domini oro, ut ceſſetis ab oratione, quia jam igne conſumor; & quæ tenebant eum, vix calorem manibus poterant tolerare: mox autem, ut ceſſavit oratio, refrigeratus eſt. Accidit itaque hoc mirum anno ante mortem Dei famulæ, & juvenis ad ordinem fratrum Minorum ſe tranſtulit ſic attractus. Contigit hoc frequentius & aliis, pro quibus ipſa Dominum exorabat. Diſcite quo charitatis ardore fervebat, quæ calore ſuo fluxum ſæcularis concupiſcentiæ ſiccat, & ad amorem æternitatis inflammat.*

Bertoldus a B. Elizabetha ad vitam ſanctiorem traductus.

(*c*) *Theod. Tur. vit. S. Eliſ. apud Caniſ. ant. lect. t.* 5. *p.* 203.

XXIX. Sub hoc tempus navavit Pontifex operam, ut quæ in Galliis emendanda corrigeret; quocirca fœneratores opera epiſcopi Tornacenſis comprimendos curavit: (*d*) nonnullos clericos, qui litigatorum actiones emebant, coercuit (*e*): tum eorum ſordidiſſimam cupiditatem avaritiamque repreſſit, qui non ſine magno ſedis Apoſtolicæ contemptu ac dedecore, impetratas ab ea literas atque indulgentias ad pecunias comparandas divendebant. Præterea Maſſilienſes, qui ad Eccleſiæ obſequium redierant, in Apoſtolicæ ſedis clientelam admiſit; annuumque cenſum impoſuit (*f*) cujus rei in libro cenſuum (*g*) mentio expreſſa eſt hiſce verbis: *In epiſcopatu Maſſilienſi communitas Maſſilienſis debet annis ſingulis Eccleſiæ Rom. Cobol. Maſſ. & facta eſt cenſualis anno quarto D. Gregorii Papæ noni.* Quanto vero præſidio apoſtolicum patrocinium eſſe ſoleret, experta eſt hoc anno Gallia, quæ cum inteſtino bello laboraret, ſtudio Gregorii ſuſtentata eſt. Is enim recrudeſcente primum malo, epiſcopo Carnotenſi provinciam dedit (*h*) proceres Francos, qui defectionem ab Rege moliri videbantur, comprimeret; & ſi turbas aliquas cierent, apoſtolica fultus auctoritate refrænaret.

Avaritia in clericis caſtigata.

(*d*) *Greg. l.*3. *ep.* 106.

(*e*) *Ib. ep.* 107.

Maſſilienſes ad ſolvendum ſedi Ap. cenſum ſe obligant.

(*f*) *Ib. ep.* 1.

(*g*) *Lib. cenſ. MS. Vatic.*

Inteſtinum in Galliis bellum recrudeſcit.

(*h*) *Greg. l.*4. *ep.* 4.

*Gregorius &c.*

*Etſi juxta verbum Prophetæ conſtituti ſuper gentes & regna, ſimus omnibus in juſtitia debitores, ut magnum judicemus ut parvum; quia tamen ex injunctæ nobis officio ſervitutis, patres orphanorum eſſe tenemur & judices viduarum, quatenus tanto iis favorabilius aſſiſtamus, quanto inſufficientior eſt fortunæ propriæ fortitudo, eo quod multi ſunt ad nocendum talibus proniores, qui promptiores eſſe debuerant ad juvandum, ne chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Francorum illuſtris decedente inclytæ memoriæ patre ſuo in ſervitio Jeſu Chriſti videretur gubernationis ſolatiis deſtitutus, ipſum, Reginam, filios, regnum, & omnia bona ſua ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus ſpeciali, reputantes hoc ſibi juſte deberi, quia prædeceſſores ſui merito devotionis & fidei, quam erga Deum & Eccleſiam habuiſſe noſcuntur, laudabiliter meruere. Ut autem protectionis noſtræ munimen eo efficacius, quo vicinius ſibi adſit, intellecto quod quamplures magnates, & alii regni prædicti, quid liceat, deceat, vel expediat minime attendentes, Regem, regnum, & Reginam, & liberos ejus variis moleſtiis turbare præſumunt, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictas perſonas & regnum contra protectionis noſtræ tenorem*

Illi ſopiendo incumbit Greg.

Jubet auctores diſcordiæ cenſuris devinciri.

NOTÆ [1] Certam diem locumque ubi Siffridus Moguntinus archiepiſcopus deceſſit adnotat Anonymus Erfordienſis ad hunc annum ſcribens: *V. Id. ſeptembris Erfordiæ obiit Siffridus Moguntinæ ſedis archiepiſcopus, ac honorifice ſepultus eſt in eccleſia B. Virginis ab Engelhardo Nuvvembergenſe epiſcopo; cui ſuccedit Siffridus patruelis* (ex fratre nepos) *ipſius*. MANSI

*rem non permittatis a prædictis moleſtatoribus aliquatenus perturbari (imponit iis epiſcopis provinciam, ut proceres diſcordiæ incentores cenſuris defigant). Dat. Later. IV. non. april. pontif. noſtri an. IV.*

XXX. Qui in ſanctum Regem coitionem fecerint. (a) *Bern. chr. Rom. Pont.* Tornac. ep. creatus in Gall. Narb. legatus ad emendanda quæ adverſus rem catholicam erant patrata.

Adducta ſane in diſcrimen graviſſimum Francia videbatur, ni Deus ſanctum Regem ſua providentia texiſſet. De bello periculoſiſſimo divinitus extincto hæc Bernardus (*a*): *An. Dom. MCCXXX. Theobaldus comes Campaniæ, item comes Britanniæ item comes Marchiæ & Raymundus ultimus comes Toloſæ cum Rege Angliæ contra S. Ludovicum Regem Franciæ convenerunt, ſed agente Deo pii Regis viribus ſunt repulſi.* Addit auctor coacto præſulum concilio [1] Clarinum Carcaſſonæ epiſcopum miſſum ad pontificiam aulam, obtinuiſſe, ut legatus ſedis Apoſtolicæ ad componendas res daretur, eamque provinciam Tornacenſi epiſcopo commiſſam fuiſſe; tum de legato ſubdit: *Cum veniſſet, convenit comitem Toloſanum Raymundum ultimum ſuper illis articulis emendandis, qui dicebantur contra pacem nuper factam Pariſiis eſſe commiſſi, unde fuit dies aſſignata apud Caſtrum novum in eccleſia Petræ Albæ omnibus, qui cauſas haberent conquerendi, ut ſcriptis comiti traderentur; ipſi enim promiſit, quantum in ipſo erat, omnia emendare;* hæc Bernardus. [2] Retuſis igitur Raymundi qui rebellionem moverat aliorumque hoſtium conatibus, habitum colloquium ſcribit Pariſius, in quo pax contracta; ſancitumque, ut Campaniæ comes diſſidii illius præcipua fax ad Hieroſolymitanam peregrinationem ſe conferret, ut cum centum equitibus contra hoſtes crucifixi dimicaret. At Rex Reginaque mater ſacramento ſolemni ſeſe obſtrinxere, ſingulis jura ſua ſervaturos, juſtitiamque ex veterum conſuetudinum ratione adminiſtraturos; addit idem auctor Anglorum Regem, comparato ingenti exercitu, trajectoque in Britanniam ad petendum bello Francum ſeſe accinxiſſe, ejuſque adventus, ac bellici apparatus fama excitum Francorum Regem, coactis copiis, ejus impetus eluſiſſe, adeo ut ſumma vi pecuniarum effuſa abſumptaque, nulla alia re præclare geſta Angliam repetierit. Hic vero curſim Pariſii veſania refellenda eſt, qui canino more principum ſummorum famam rodere ſolitus, crimine impudicitiæ Blancham Reginam omnium probatiſſimorum auctorum conſenſu piiſſimam aſperſit, ac infamis cum comite Campano, & legato pontificio conſuetudinis accuſavit, jactoſque a rebellibus falſos rumores, ut colore aliquo ſuam perduellionem oblinerent, ut veros hauſit. [3]

Henric. Anglorum Rex transfretat in Britan. min.

Propulſatur a D. Lud.

Refellitur calumnia Pariſii jacta in reginam Blancam.

XXXI. Reliquum jam eſt, ut quemadmodum anno ſuperiori fuimus polliciti, ſermonem de victoriis adverſus Chriſtiani nominis hoſtes in Hiſpania divinitus relatis ſermonem inſtituamus. Eas in hiſtoriam exactiſſime contulit Lucas Tudenſis (*a*) antiquus auctor & veritatis ſtudioſiſſimus: *Adephonſus Rex Legionenſis obſedit civitatem Emeritam, & cepit eam. Erat tunc temporis quidam barbarus inſignis nomine Abenſuitan, qui expulit Almafadas ab Hiſpania, & factus eſt Rex barbarorum. Hic a ſuis vocabatur Rex virtutis; congregato magno exercitu Maurorum innumerabili, venit pugnaturus cum Adephonſo Rege Legionenſi, qui ſerat ei obviam cum paucis. Sed Rex Adephonſus, ut erat fortis & animoſus, fecit exercitum ſuum de nocte contra Sarracenos, flumen Guadiana tranſire; fixerant Sarraceni tentoria cuncta caſtrorum a longe, & viderunt primo mane noſtrorum acies paratas ad bellum, & ipſi ordinaverunt acies ſuas ad prælium parantes. Fuit Dominus cum Rege Adephonſo, & populo Chriſtiano, & in congreſſione ipſius belli tanta Sarracenorum millia proſtrata ſunt, quod multa barbarorum oppida remanſerunt vacua, omnibus habitantibus eorum extinctis; in ipſo bello Abenſuitan Rex barbarorum fuit graviter vulneratus. Tunc Rex Adephonſus e victoria reverſus obſedit Badalocium, & poſt paucos dies cepit ipſum. Dimiſerant Sarraceni Elues, & caſtra alia plura, ſe fugæ committentes, quæ Chriſtiani populaverunt, cum vacua reperiſſent. Reverſus eſt Rex Adephonſus cum multis ſpoliis, & victoria magna, laudans Deum & beatum Jacobum, qui ſibi de inimicis dedit tam nobiliter triumphare: ſiquidem in ipſo bello viſibiliter apparuit B. Jacobus cum multitudine militum albatorum, qui Sarracenos in manu valida proſternebant. Beatus etiam confeſſor Iſidorus quibuſdam apparuit Ternore antequam Evicta caperetur & bellum fieret & dixit eis ſe ad auxilium Adephonſi Regis cum ſanctorum exercitu properare, & quod ſibi dictam traderet civitatem & de Sarracenis præberet campalem triumphum.* [1]

Hiſpani Reges Sarracenos bello petunt. (a) *Luc. Tud. chr. Hiſp. Jo. Marian. l. 12. c. 15. & alii.* Emerita ab Alfonſo Rege Legion. capitur.

Abenſutus Sarr. Rex prælio vincitur.

Badalocium expugnatur.

SS. Jacob. & Iſidorus pugnaſſe in fidei hoſtes crediti.

XXXII. Regis Alphonſi mors.

Interea dum Rex pia ac fortia contra barbaros conſilia agitaret, reportatis de illis triumphis decorus, onuſtuſque palmis, e vivis, ut ait Tudenſis ſublatus eſt: *Rex autem Adephonſus multam victualium, & bellici apparatus copiam præparavit, ut ſtatim reverteretur ad evertendas urbes & oppida barbarorum; ſed cum cauſa orationis ad eccleſiam ſedis ſancti Jacobi Apoſtoli properaret, in Galicia in loco, qui dicitur Villa nova Delemos, graviter ægrotavit, & accepta ab epiſcopis pœnitentia, & corporis & ſanguinis Dei Sacramento morte pretioſa deceſſit, & in eccleſia B. Jacobi Apoſtoli juxta patrem ſuum eſt honorifice tumulatus. * Rex regnum feliciter quadraginta duobus annis,* obiit *æra* 1278. is eſt annus Chriſti MCCXXX. in quem etiam Rodericus ea tempeſtate archiepiſcopus Toletanus, ipſius Adelphonſi obitum aliique contulere (*b*).

* *tenuit*

(b) *Joan. Marian. l. 12. c. 15.*

XXXIII. Subiicit etiam Tudenſis perlato ejus mortis nuntio Fernandum filium, qui bellum cum Mauris gerebat, Legionem ad paternum ſceptrum ſuſcipiendum provolaſſe, atque interea Gallos & Aſtures alioſque ſeditionem moviſſe; ac miraculum egregium recenſet, in Didaco viro prænobili editum, qui cum prava in Fernandum conſilia molitus, turrim atque eccleſiam S. Iſidori occupaſſet, mox adeo gravi ægritudine implicitus eſt, ut oculi emicare foras, & ex orbibus ſuis erupturi ingenti dolore viderentur, auſique facinoris pœnitentem priſtinæ valetudini reſtitutum: *Erat tunc in ipſa civitate, die & nocte, continua vox belli, & tribulatio & anguſtia magna, ſed miſericordia Dei non defuit; & prædictus Didacus ægritudine valida eſt, * ita ut ipſi Bellileo neſcio quis clamaret, quod B. Iſidorus ad auxilium regis Fernandi volebat ipſum militem interficere, eo quod occupaverat turrem & eccleſiam ejus. Præterea a capite dicti militis oculi avelli, & a concavitate ſua egredi videbantur, non ſine magno dolore, unde compulſus, cum ſe videret tam graviſſime vexari, conſilio Sanctiæ comitiſſæ venerabilis matris ſuæ, abbati & conventui ipſius monaſterii turrem, & eccleſiam reſtituit, & damna, quæ illis intulerat, integravit, dato ſuper ſancta Dei evangelia juramento, quod de cætero eſſet miles & vaſſallus B. Iſidori confeſſoris, illico ſanitati reſtitutus eſt, & ſtatim cum ſuis de civitate egreſſus. Epiſcopus autem Rodericus & cives gaudentes in Domino, quod etiam ſancti pro Fernando pugnabant, miſerunt nuntios illi, ut veniret cito.* Redintegrata etiam Regem inter ejuſque ſorores Sanctiam & Dul-

Fernandus Rex Caſtel. paterno Legionis regno ſuccedit. Didacus in eum rebellat.

Punitur divinitus.

* *correptus.*

B. Iſidoro ſervitutem vovet. Sanatur ejus opera.



NOTÆ

[1] CONcilium hoc incerti loci, de quo Bernardus, in nulla conciliorum collectione apparet. Idem vero fuiſſe credo cum alterutro ex conciliis a Romano cardinale A. S. L. celebratis, de quibus in nota ad A. 1228. 24. Cum enim forte Romanus cardinalis alio deſtinatus incumbere per ſe negocio huic pacis componendæ non poſſet; ideo forte in alterutro ex iis conciliis de mittendo Romam Carcaſſonenſi epiſcopo ut legatum a pontifice obtineret, deliberatum eſt. Quæ ſic conjectura admittatur, concilium hoc ſive ad annum 1228 exeuntem, ſive ad A. 1229. ineuntem transferendum eſt. Vide notas ad A. 1228. 24. MANSI

[2] POſt illa verba: *Hæc Bernardus*, adde ex Annalibus contractis: *Celebravit vero idem legatus Biterris concilium, in quo ad excindendas hæreſeos reliquias ſanxit, ut cuilibet catholico manus iniicere in hæreticum, eumque ad epiſcopum adducere liceret; tum juſſi ſinguli diebus feſtis eccleſiam parochialem adire, ut parochus ſuſpectos de hæreſi dignoſceret.*

Hæc Annaliſta; ſed Guillelmus de Podio Laurentii, qui Biterrenſis hujus concilii ad annum 1233. meminit, circa *illud tempus* a *legato* apoſtolico coactum affirmat. Labbeus qui in eundem annum 1233. illud refert, celebratum putat a Valthero epiſcopo Tornacenſi apoſtolicæ ſedis legato. Profecto anno 1233. functum jam fuiſſe legatione ſua Gallicana Romanum cardinalem colligo ex literis Gregorii ad Toloſanum comitem eodem illo anno 1233. prid. kal. maii datis, legendis in Spicileg. Dacherii to. 3. col. 605. nov. edit. in quibus mentio eſt de Romano tanquam legatione illa jam functo: *tunc in illis partibus apoſtolicæ ſedis legati* Viciſſim Tornacenſem epiſcopum legatum apoſtolicum tunc egiſſe, ex aliis pontificiis literis, ibidem vulgatis, diſcimus, quam legationem ſequenti anno 1234. januario menſe abſolverat, ut ex literis Gregorii, eodem anno & menſe ſcriptis *ad Viennenſem archiepiſcopum apoſtolicæ ſedis legatum* ibidem col. 606. intelligimus. Ex quibus demonſtratum arbitror concilium hoc Biterrenſe a Valthero Tornacenſi, non vero a Romano, ut Annaliſtæ creditum eſt, coactum fuiſſe. Cum tamen Valtherus nihil quidquam in eodem concilio ſciverit, ſed canones tantummodo a Romano cardinali in variis conciliis ſtatutis, puta in conciliis Senonenſi, & Silvanectenſi probaverit, iterumque publicaverit, ut ex præfatione ejuſdem Biterrenſis concilii plane conſtat; hinc Biterrenſes illi canones pro canonibus Romani cardinalis non incongrue habiti ſunt. MANSI

[3] QUæ hic narrat Annaliſta de motibus Gallicanis ex Bernardi Guidonis chronico decerpta, cum falſa nonnulla veris admiſceant, ideo ex iis, quæ adnotavimus anno ſuperiori ad num. 56. corrigenda ſunt. Quin & Albericus in chronico conſpirationis hujus cum rege Angliæ nonniſi comitem Britanniæ, alioſque, quorum nomina non recenſet, accuſat. Notat & idem Albericus in bello anni hujus adverſus Anglos neminem ex principibus majori fide juviſſe regem Galliæ ſupra comitem Campaniæ. MANSI



NOTÆ

[1] HOc anno in Hiſpania concilium provinciale celebratum fuit Tarraconæ a Sparago ejus urbis epiſcopo. Mentio hujus fit in editione conciliorum Veneto-Labbeana to. XIII. ſed collector oblitus fuit unius canonis in eo lati, qui extat in collectione canonum pro eccleſia Tarraconenſi quam ejus eccleſiæ adminiſtrator vulgavit in Conc. Tarraconenſi anni 1239. quas conſtitutiones ex anecdotis Martenii habes in to. XV. collectionis Veneto-Labbeanæ. Canone iſto illicitæ omnes pactiones in beneficiis damnantur. Concilium vero ipſis majarum kalendis anni hujus cœpit, præſentibus cum Archiepiſcopo Epiſcopis IV. MANSI

Dulciam poſt multas diſſenſiones concordiæ fœdera, quæ Pontifex auctoritate apoſtolica firmavit atque ad ipſas dato diplomate (*a*) ſtabilivit. Reliqua porro Fernandi inſignia facinora complectitur Tudenſis, inter quæ Ubeda capta ac Xerel, Rex Abenhut Mahometanus fuſus & fugatus; reportata opima ſpolia, caſtrum S. Stephani, aliaque expugnata loca; ac regnum Berengariæ matris opera pulcherrime compoſitum, celebrantur.

(*a*) *Greg. l.* 5. *ep.* 161.

Inſignia Regis Fernan. facinora.

XXXIV. Perlatis ad Apoſtolicam ſedem de Sarracenis profligatis lætis nuntiis, Gregorius gratulatorias ſcripſit ad eos literas, (*b*) qui in regno Legionenſi crucesignatorum militiæ jam ante nomen dediſſent, eſſentve daturi; cunctos rogare hortarique atque obſecrare, ut vel ſeſe ad bellum illud accingerent, vel ſuis fortunis bellicum apparatum juvarent; iis ampliſſimam culparum indulgentiam ſe impartitum: *Gaudemus in Domino, & in ejus laudibus delectamur, quod in partibus Hiſpaniæ, proſequens cauſam ſuam, fugavit, & fugat a facie fidelium Sarracenos, ut cultus divini nominis amplietur, & ſemen Eccleſiæ gentes hereditet, & deſertas inhabitet civitates. Verum quia neceſſe eſt in partibus illis quaſi jugem continuari ſuccurſum ad retinendas terras noviter acquiſitas, & alias acquirendas, ut exercitatio in eo ſit cauſa ſalutis æternæ, univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur in Domino adjurantes per dominum Jeſum Chriſtum, quatenus illuc in perſonis & rebus modis quibus poteritis univerſi & ſinguli ſuccurratis, &c.* Laturis opem indulgentiarum præmia pollicetur. *Datum Anagn.* 2. *kalend. novemb. pont. noſtri anno* IV.

(*b*) *Lib.* 4. *ep.* 80.

Lætæ Greg. lit. de partis ab Hiſp. victoriis.

Ad ferenda illis auxilia fideles excitantur.

XXXV. Ad inſtaurandum etiam in iis regionibus veræ religionis cultum, quas Mahumetica ſuperſtitio tandiu infecerat, Gregorius Compoſtellano archiepiſcopo provinciam demandavit, (*c*) Emeritæ ac Badalocio urbibus ab Alfonſo Rege ex Sarracenica tyrannide ereptis, ut ex Tudenſi & Godefrido vidimus, quæ olim ſede epiſcopali inſignitæ fuerant, epiſcopos præficeret, & ſacra canonicorum collegia ad divinas laudes decantandas inſtitueret: quo argumento hæc ad ipſum ſcripſit: *Ne in partibus illis Eccleſia inordinata remaneat, cum ubi non eſt gubernator, populus facile corruat, inſtituendi hac vice canonicos, & ordinandi epiſcopos in eccleſiis Emeritæ, & Badalos quondam civitatum, auctoritate tibi præſentium concedimus facultatem; ſalva in poſterum capitulis eccleſiarum eligendi, vel poſtulandi ſecundum inſtituta canonica poteſtate. Dat. Anagniæ* IV. *kal. novemb. pont. noſtri anno* IV. Ac ſimilis argumenti epiſtolas ad eundem archiepiſcopum dedit (*d*).

Epiſcopi Emeritæ & Badalocio impoſiti.

(*c*) *Lib.* 4. *ep.* 85.

(*d*) *Ib. ep.* 86. 87.

XXXVI. Per id tempus adverſus Sarracenos Aragonum Rex bello certabat, ipſiſque Majoricam eripuerat, (*e*) ac nuper ab Romano Pontifice poſtularat, uti eccleſiam cathedralem ibi erigeret. Gregorius regiis votis reſpondere paratus cum eſſet, facultates prius ab eo dotis nomine eidem eccleſiæ attribuendas decrevit, (*f*) quibus epiſcopus & canonici ſuſtentari poſſent:

Majorica a Jacobo Rege Sarracenis erepta.

(*e*) *God. ubi ſup. Joan. Marian. l.* 11. *c.* 14.

(*f*) *Greg. l* 4. *ep.* 91.

Poſtulat Aragon. Rex epiſcopalem ſedem in ea collocari.

*Ex parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in Majoricana civitate, quam Dominus per tuum, & aliorum ſuorum fidelium miniſterium ad cultum Chriſtiani nominis revocavit inſtitueremus eccleſiam cathedralem, in ea epiſcopum ordinantes: verum cum cathedralis eccleſia magnifice ſit dotanda, ut epiſcopus, & capitulum exinde honorifice ſuſtententur, eo quod alias facile ibi vileſceret epiſcopalis titulus dignitatis; quia de dote ipſius nobis non conſtitit, tuæ petitionis effectum providimus differendum. Quocirca ſerenitatem regiam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus in civitate prædicta eccleſiam ita dotare ſtudeas, & ditare, quod poſtulationibus tuis ſuper hoc aſſenſu hilari concurrere debeamus. Datum Laterani* XIII. *kalend. januar. pontif. noſtri anno* IV.

XXXVII De excitata Majoricana ſede, deque Balearium expugnatione agit pluribus Surita, (*g*) qui Sarracenum Regem captum, ejuſque filium Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe, increbuiſſeque D. Georgii virtute inſulæ principem urbem expugnatam, atque in ipſa irruptione candido cultu ac ſplendidiſſimo fulgentem barbaros hoſtes obterere, ac primum omnium in urbem penetrare viſum ſcribit, additque pridie kal. januar. hujus anni expugnatam fuiſſe, cui Mariana (*h*) in eo ac Bernardus (*i*) conſentiunt, quorum poſtremus rem in chronico Romanorum Pontificum ita conſignat: *Eodem anno*, nimirum MCCXXIX. *in feſto S. Silveſtri Jacobus Rex Aragonum cepit Majoricam, ibique mortuus fuit in bello Guillelmus de monte Cathano pater Gaſtonis de Bearno.* Cæterum ut parta de infidelibus inſula a Chriſtianis retineretur, Pontifex literis fideles plurium provinciarum ſolicitavit, ut eo ad incolendas terras, ac novas armis comparandas ſe conferrent, atque ſedes ibi poſituris, laturiſve contra Mauros auxilia indulgentiarum præmia propoſuit: quo argumento ad Ebredunenſem archiepiſcopum ac ſuffraganeos miſſæ literæ, (*k*) ut populum pro ſacra concione blande illuc pellicerent.

Petitis annuit Gregorius ſi eccleſiam dotarit.

(*g*) *Surita in Jacob. Reg. l.* 3. *c.* 8. 9.

(*h*) *Joan. Marian. de reb. Hiſp. l.* 12. *c.* 14.

(*i*) *Ber. chr. Rom. Pont. an.* 1229.

(*k*) *Ib. ep.* 92.

An-



I. ANno Salvatoris milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo quarta indictione Gregorius Pontifex maximus ad contractam anno ſuperiore cum Friderico Imp. pacem firmius ſtabiliendam, hæreticos, qui pravarum opinionum virus pluribus afflarant, profligandos, impioſque nonnullorum, qui libertatem eccleſiaſticam opprimere pertentarant, conatus coercendos, denique ad vinciendam Friderici fluxam fidem, quemadmodum in tractatu pacis inito conventum erat, fidejuſſores, qui ſacramento ſolemni partes Eccleſiæ adverſus Imperatorem, ſi is a promiſſis reſiliret, amplexuros ſe obſtringerent, exegit; eoque argumento ad epiſcopum Ratiſponenſem imperialis ſigilli præfectum literas miſit, quibus plurium Germaniæ, atque Italiæ principum, tum nonnullarum Inſubriæ, Hetruriæ, ac Flaminiæ civitatum nomina expreſſit, ut ſedis Apoſtolicæ cauſæ ſecuritati caverent: qua etiam de re ad Fridericum ſcripſit (*a*) octo jam menſes effluxiſſe, intra quorum ſeſe evolventium ſpatium fidejuſſores ex initæ pacis legibus dare tenebatur: nolle ſe quidem, ut ea res ipſi damno verteretur; verumtamen monere, ut promiſſa quantocyus in opus perduceret.

Exacti fidejuſſores a Frid. ad illius fidem aſtringendam.

(*a*) *Greg. l.* 5. *ep.* 98.

II. Contendit etiam Gregorius a Friderico, uti Templarios & Hoſpitalarios, quos iterum bonis expoliaverat, exagitare deſineret, receptiſque in gratiam priſtina bona reſtitueret; quibus literis, ut ipſum ad clementiam informaret, flecteretque, eleganti oratione, quanto ea principi ornamento ſit edocuit (*b*): *Manſuetudo, pietas, & clementia, veluti tres ſorores decoræ, nobiles, & inſignes dilectores ſuos feliciter dirigentes, eos Deo placitos, & hominibus efficiunt gratioſos: quas utique principes eo debent ſectari libentius, amplexari deſiderabilius, & inſtantius venerari, quo materia opportunior, facultas commodior, & paratior potentia ipſis eſt præſto dictis ſororibus efficaciter obſequendi; unde quod ad earum amorem te precibus, monitis, & exhortationibus invitamus, novit Altiſſimus, ex fide pura, conſcientia bona, & charitate ſincera procedit, qua cupimus, ut ſecundum utrumque hominem in Domino proſpereris, &c.* Cumulat preces, ut in Templarios atque Hoſpitalarios benevolentiam imperialem explicet; quo argumento datis aliis Rhegienſi epiſcopo literis inſtitit, (*c*) ut Fridericum ad recipiendos in gratiam religioſos illos equites adduceret; principem quoque Pontifex hortatus eſt, ne regni Neapolitani ſubditos, qui a cauſa Eccleſiæ ſtetiſſent, in Syriam traiicere compelleret, ne in exilium eos agere videretur: neve (*d*) moleſtiam Longobardis crearet.

Templarii ab ipſo exagitati.

(*b*) *Ib. ep.* 82.

Suſcepta a Greg. illorum cauſa.

Quæ virtutes principi maximo ornamento ſint.

(*c*) *Lib.* 4. *ep.* 114.

(*d*) *Lib.* 5. *ep.* 76.

III. Quemadmodum vero Inſubres commendavit Friderico, ut ab eorum injuria ſibi temperaret, ita ipſos graviſſime monuit, uti ſua Friderico præſtarent officia, atque a Vercellenſi, & Brixienſi epiſc. ex concepta initæ cum Imperatore pacis formula ſacramento adigi juſſit (*e*). Iiſdem etiam epiſcopis, atque electo Mantuano provinciam dedit, ut cum Fridericus conventum habere cum filio ac Germaniæ principibus flagitaret, Longobardis ſuaderent, ne Germanos arcerent aditu in Italiam, quo facto ſancitum fœdus violare viderentur: *Ex parte Imperatoris ejuſdem noſtris eſt nuper auribus intimatum, quod idem intendit habere generale colloquium cum nobili viro nato ſuo aliiſque principibus Alemanniæ in partibus Lombardiæ, promittens noſtro conſilio ſe uſurum, nihilque facturum, quod in derogationem pacis exiſtat, Eccleſiam, vel ejuſdem ſocietatis homines offendendo, exhibiturus poſſibilem, & honeſtam de ſecuritate hominibus ſocietatis prædictæ præſtanda, quam eidem conſuluerimus, cautionem.*

(*e*) *Ib. ep.* 2

Meditatur Frid. inire cum filio colloquium.

IV. *Nolentes igitur ullam dari cuiquam materiam malignandi, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, convenientes in unum dilectos filios rectores ſocietatis ipſius ſuper cautione prædicta, & aliis tractatu cum eis præhabito diligenter monere, ac inducere procuretis, ne quod eidem ad hoc impedimentum patiantur opponi; ſed dictum nobilem, & alios ad ejus propter hoc præſentiam venientes, libere, ac tanquam viros pacificos per Lombardiam tranſire tam eundo, quam redeundo permittant, ita quod nullam ſuſtineant injuriam, vel offenſam, proviſo, ne ſi ejus colloquium per ipſos contra noſtrum conſilium contingeret, minus provide impediri pacis negotium videatur, per eos, & quoad eos quaſi ſtudioſe diſſolvi. Quia vero dictus Imperator proponit accelerare colloquium, mandatum noſtrum curetis adimplere celeriter, tamen caute, cum hæc omnia velimus eſſe ſecreta, nobis cito, & fideliter reſcripturi, quidquid ſuper hoc inveneritis apud eos, ut inſinuatione veſtra ſuſcepta poſſimus negotio providere, ſicut fuerit providendum. Dat. Reate* V. *kalend. octob. pontif. noſtri anno* V. Hæc Pontifex, qui ad Inſubriæ præfectos apoſtolicas literas (*f*) miſit, ut habito concilio propoſita ab epiſcopis audirent, iiſque pro ſua ſapientia reſponderent. Nec levis metus aderat, ne bellum in Longobardia recrudeſceret, ac Fridericus excitis e Germania viribus ſuccinctus auctuſ-

Monentur Longob. ne ipſum Germanoſque aditu arceant in Italiam.

(*f*) *Ib. ep.* 138.

que Inſubres captata occaſione opprimeret; ad quod diſcutiendum periculum ſumma ſolicitudine Gregorius tuendæ Inſubrum libertati incubuit.

V. Nec egregia modo erga Inſubres, quorum armis ad retundendos Friderici impetus fultus fuerat, verum crudeliſſimum etiam hoſtem, a quo atrociter laceſſitus, ac læſus in eo bello fuerat, eſt benevolentia proſecutus. Memor enim ſe illius locum in terris tenere, cujus celebris eſt ſententia: *Benefacite his, qui oderunt vos*, Raynaldum Conradi olim ducis filium, qui in Friderici odia incurrerat, in illius gratiam reſtituere conatus eſt. Extant enim ejus literæ, (*a*) quibus ad ſedandas Imperatoris iras admonet, ut Davidis exemplo clementia erga Conradum uteretur: *Non ignorat imperialis excellentia, quod nobilis vir Raynaldus natus claræ memoriæ Conradi ducis Spoletani nos ex induſtria multipliciter provocavit, inæſtimabilia damna, & atrociſſimas injurias Eccleſiæ Rom. audaci ſuperbia inferendo, & multos, non ſine manifeſta contumelia Creatoris, immaniter tribulando. Unde ſi ſecundum iniquitates ipſius retribuere vellemus eidem, nequaquam in anguſtia ſibi compaſſionis exhiberemus affectum, intercedendo pro eo, ſed illius pœnas conniventi oculo tranſiremus. Verum quia illius ſumus, licet indigne, vicarii conſtituti, qui verbo docuit, & inſtruxit exemplo, ut pro perſequentibus, & calumniantibus nos oremus, & miſericordia plurimum indigentes fruſtra peteremus nobis Dominum miſereri, niſi miſeraremur miſerias miſerorum; ecce remiſſo illi rancore, ſalvis tamen omnibus, in quibus Eccleſiæ Rom. tenetur, cujus jura nequaquam negligere nos oportet, ne a Domino negligi mereamur, celſitudinem tuam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus memor quod miſericordes miſericordiam conſequenter, & quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis ira illius obtentu, qui præfert miſericordiam holocauſtis; noſtri quoque interventu, qui & honori tuo, & illius ſtatui ſalubriter conſulere affectamus; David exemplo, qui quanto apud homines major erat, tanto ſe propenſius humilians, apud Deum miſericordiæ operibus aſſuevit; clementiæ tuæ januam ei aperire digneris, ut parcendo maxime, ac miſerando tuam potentiam manifeſtans, manſuetudinem tuam Deo gratam, & hominibus reddas acceptam; noſque ſerenitatem tuam dignis debeamus proſequi actionibus gratiarum. Datum Reate* VII. *id. jun. pontificatus noſtri anno quinto.*

(*a*) *Ib. ep.* 80.

VI. Affert Richardus (*b*) cauſam, ob quam Raynaldus exulceravit Imperatoris animum, juſtaſque ejus iras in ſe aſperavit; nimirum in Imperiale ærarium graſſatum eſſe, nec rationem reddere, aut fidejuſſorem dare potuiſſe, quare in carcerem conjectum boniſque omnibus exutum fuiſſe. Quo viſo ipſius frater Bertholdus in arcem Introducum ſe recepit: verum anno 1233. Imperator, ut arcem recuperaret, Raynaldum firmo ſatellitio cinctum adduci Introducum juſſit, quo fratrem ad deditionem faciendam compelleret, quam Meſſinenſis archiep. opera factam ait; ex quibus patet diuturno carcere Raynaldum maceratum fuiſſe. Hic altiſſima Dei conſilia mirari poſſumus, qui Raynaldum Friderici olim in Eccleſiis excindendis, iiſque, qui majori ſtudio Rom. Eccleſiam proſequerentur, exquiſitiſſimis ſuppliciis diſcruciandis paratiſſimum ſe ſatellitem, uti ſupra recenſitum eſt, præbuerat, in ipſius poſtea Friderici iram incurriſſe, & ad Pontificem, quem atrociſſimis injuriis affecerat, confugere coactum, ut principis exaſperatos adverſus ipſum animos deliniret.

(*b*) *Rich. in chr. hoc ann.*

Cauſæ ob quas Raynald. vinculis traditus eſt.

Juſta numinis in Raynaldum ultio.

VII. Urget repetitis lit. Greg. Fridericum ut Raynaldo ignoſcat.

Cum priores preces Raynaldo in gratiam Imperatoris revocando non ſuffeciſſent, aliis epiſtolis (*c*) durius ipſius pectus inflectere ad miſericordiam pertentavit: *Cum teneamur pro perſequentibus, & calumniantibus nos orare, ſatis affectuoſe te nuper noſtris literis rogavimus, & monuimus confidenter, ut prædicto R... veniam largireris, jure tamen Apoſtolicæ ſedis ſalvo, quod ſine periculo negligere non poſſemus; verum quia poſſent homines cogitare, quia ideo motus ei principaliter contra eum, quia nos taliter provocarat, poſſentque aliqui opinari, quod ipſius afflictio beneplacita nobis eſſet, & ſic primum tacito murmure, ac deinde clamoſo tumultu inveherentur contra nos facile detractores, quod cauſam dederimus ejus pœnæ, nos etiam quaſi proſequentes proprium intereſſe, cum ſi, quod abſit, corporaliter læderetur, majus nobis improperium immineret, quam quod idem nobis intulit Eccleſiam perſequendo, imperialem celſitudinem rogamus affectuoſius, & monemus attentius pro ſpeciali gratia poſtulantes, quatenus ei ne amplius iraſcaris, ſed in ira miſericordiæ recordatus, nobis & tibi parcens, miſerearis ipſius, ita quod ex hoc propitiationem divinam uberius merearis, &c. Dat. Reate v. id. jul. pont. noſtri anno v.*

(*c*) *Ib. ep.* 93. 95.

VIII. Cæterum Fridericus apud ſedem Apoſtolicam graviter queſtus eſt, Eſculanos Romanæ Eccleſiæ vectigales nonnullos ejus regni beneficiarios fundos occupaſſe, aliaque excidio dediſſe; poſtulavitque uti effrænatos illorum impetus cohiberet. At Gregorius alias contra querelas detulit (*d*) juri dicundo ab ipſo præfectos longe graviora damna Eccleſiæ obnoxiis impreſſiſſe, quæ licet a ſuis tentata non crederet, ſe tamen epiſcopo Belvacenſi Piceni præfecto ad ejus da-

(*d*) *Lib.* 4. *ep.* 126.

mna



Eſculanus comitatus ep. vectigalis traditus a Greg.

mna reſarcienda provinciam contuliſſe. Quod vero de Eſculanis incidit mentio, prætereundum non videtur ſummum Pontificem Eſculanum comitatum hoc anno Marcellino urbis illius epiſcopo impoſito certo cenſu pontificio ærario annis ſingulis inferendo adminiſtrandum tradidiſſe; pontificiæ ea de re literæ extant in Vaticano codice, qui liber cenſuum inſcribitur: *Eccleſiam Eſculanam tanquam ſedis Apoſtolicæ filiam ſpecialem, & perſonam tuam nobis fide notam & devotione probatam ſpeciali gratia proſequentes comitatum Eſculanum cum juriſdictione, ac juribus, redditibus, & pertinentiis omnibus ad Eccleſiam Rom. ſpectantibus, & ſpecialiter poteſtatem ibidem creandi tabelliones tibi ſub annuo cenſu centum librarum Vulteranenſis monetæ in feſto B. Michaelis cameræ noſtræ ſolvendo, quamdiu nobis placuerit, committimus Eccleſiæ Romanæ nomine fideliter gubernandum. Dat. Reat. non. novembr. pontifi. noſtri anno v.*

Quæ leges impoſitæ.

IX. Ut in augendis locupletandiſque eccleſiis munificum ſe præſtitit, ita in defendendis illarum juribus reprimendiſque illorum conatibus, qui ea labefactarent, acerrimum vindicem præbuit. Cum enim Fridericus iniquiores leges eccleſiaſticis intuliſſet, mox excitatus zelo Gregorius Capuanum archiepiſc. qui improbarum ferendarum legum auctor extiterat, perſtrinxit (*a*); Imperatoremque, ut eas reſcinderet, oratione graviſſima eſt adhortatus (*b*): *Intelleximus ſiquidem quod vel proprio motu, vel ſeductus inconſultis conſiliis perverſorum, novas edere conſtitutiones intendis, ex quibus neceſſario ſequitur, ut dicaris Eccleſiæ perſecutor, & obrutor publicæ libertatis, ſicque tibi contrarius contra te tuis viribus moliaris.* Et infra: *Sane ſi ad id ex te forte moveris, timemus multum * de gratia tibi eſſe ſubtractum, dum ſic patenter famam propriam negligis & ſalutem: ſi vero impulſus ab aliis, miramur, quod talibus conſiliariis acquieſcis, qui ſpiritu vexati nequitiæ te intendunt Deo, & hominibus conſtituere inimicum, ut taceamus alia, potius ſilentio intelligenda quam verbo: quæ utinam a te tacite intellecta fortius in auribus cordis ſonent, quatenus quieti tuæ, ac famæ noſtræ provide conſulens, utrumque ab increpationibus populi ſerves immunem. Cum enim montes pacem ſuſceperint, cur pauperes populi debent eſſe pacis expertes, ut in pace amaritudo amariſſima ſit eorum? Aut quis poſſet indurato corde ululatus, quos quodammodo prævidemus, tot flentium obaudire? &c. Dat. Reate* III. *non. julii pont. noſtri anno v.*

Latæ iniquiores clericis a Frid. leges.

(*a*) *Lib.* 5. *ep.* 91.
(*b*) *Lib.* 5. *ep.* 91.

Jubentur a Pontifice revocari.

* *Dei gratiam tibi eſſe ſubtractam.*

X. Aſperarunt hæc monita Friderici animum, qui blandiſſimis aſſentatorum lenociniis aſſuetus, quaſi gravior injuria, propoſito ob oculos ipſius vitio inflicta eſſet, excanduit, acerbiuſque de ſeveritate pontificia expoſtulavit. Quibus ad Gregorium perlatis, tanquam pius pater exulceratum ejus animum lenioribus verbis pacare ac permulcere ſtuduit (*c*): inſtruxitque, ut aſperiora amantiſſimi patris monita molliſſimis adulatorum blanditiis præferre deberet.

Apoſtolicis monitis exulceratur Imp.

(*c*) *Lib.* 5. *ep.* 100.

Placare illum ſtudet Greg.

*Friderico ill. Romanorum Imp. ſemper Auguſto, & Regi Siciliæ.*

*Intelleximus quod ex literis, quas nuper imperiali celſitudini deſtinavimus, motus utcumque fuiſti, quia plus amaritudinis, quam dulcedinis ſapere videbantur. Cæterum cum juxta ſapientis edictum, melius ſit arguere, quam iraſci, eo quod via vitæ ſit & cur increpatio diſciplinæ, de paternæ dilectionis ſincero proceſſit affectu, quod horribilium, ut a plurimis dicebantur, ſubito auditu perculſi filium minus leniter duximus arguendum, ne mel videremur in ſacrificio adolere. Sed nec filio fuit ægre ferendum, quia pater filium, quem diligit corripit, & Dominus quos amat arguit, & caſtigat, eo quod meliora ſunt diligentis verbera, quam oſcula odientis. Et ſi quidem extiterit aſpera increpatio, non fuit publica, ſed privata; non clamoſis vocibus, ſed literis expreſſa ſecretis, quæ vix unquam ad ſcribentis affectum ſufficiunt exprimendum. Ut igitur omnia inter nos fiant in omnimoda puritate, ſerenitatem tuam rogamus, & monemus in Domino, quatenus omni omnino ſuſpicione depoſita, quod id proceſſerit niſi de meræ ſpiritu charitatis, de nobis in veritate confidens, voluntatem tuam nobis incunctanter exponas quoties videris expedire, qui ad profectus tuos irrequiſiti etiam libenter intendimus cum affectu. Dat. Reate* VI. *Kal. aug. pont. noſtri anno* V.

XI. Cumque inſuper Fridericus queſtus eſſet, ſummum Pontificem inter cæteros honorum titulos, quibur ornari ſoleret, Regis Hieroſolymitani inſigne nomen in literis ſuis prætermiſiſſe, reſpondit Gregorius (*d*) id non factum ad imminuendum ipſius honorem, quem augere potius, & amplificare cuperet; ſed alias ob cauſas, quæ ipſi a Rheginenſi archiepiſcopo aperiri potuiſſent. Tum hortatur Terram ſanctam tueatur, excindat hæreticos, populos juſte moderetur, ablata bona Templariis, atque Hoſpitalariis reſtituat, eoſque regia benevolentia complectatur.

Queritur Frid Reg. Hier. nomen a Greg. in lit. prætermiſſum.

(*d*) *Ib. ep.* 114.

*Friderico illuſtri Romanorum Imp. ſemper Auguſto, Hieruſalem, & Siciliæ Regi.*

*Quod de tribus inſignibus titulis, quibus te Dominus inſignivit, in literis, quas imperiali celſitudini deſtinavimus, medius hactenus non eſt ſcriptus, nequaquam ex minori affectione proceſſit, quia nec ex hoc derogare tuo intendebamus honori, cui deferre potius affectamus: ſed cauſæ rationabi-*

Quid reſponderit Pontifex.

*nabi-*

*nabiles affuere, quas venerabilis frater noſter Rheginus archiep. & dilectus filius magiſter domus S. Mariæ Theutonicorum Hieroſolymitanæ tibi depromere potuerunt. Verum ſperantes in illo, qui dans virtutes præmia elargitur, ſua tantum dona in homine coronando, ut quo pluribus dignitatum nominibus fueris appellatus, eo te ſtudeas his reddere digniorem, ecce tacitum hactenus Hieroſolymitanum titulum, clarum utique ac decorum, hilari ſcribimus novitate.*

XII. Egregia ad Frid. exhortatio ut dignas principe virtutes ſectetur.

*Ut igitur aucta munera gratiarum tibi augeant gloriam præmiorum, ſerenitatem tuam affectuoſe rogamus, & monemus, attente obſecrantes per Dominum Jeſum Chriſtum, quatenus potentiam, & ſapientiam a Domino recognoſcens, benignitati ſedulus aſſueſcas, ut ſecutus indiviſæ opera Trinitatis, per potentiam conterens molas iniqui, auferas de faucibus ejus prædam, ſubiiciendo tibi barbaras nationes, per quas humani generis inimicus impugnans hactenus immaniter Terram ſanctam, prædatus eſt multipliciter Eccleſiam generalem; hæreticoſque diſperdas, qui velut venenata reptilia inſidiantur animabus ſimplicium inceſſanter, ut fortitudinem tuam Deo reddas, & hominibus commendandam. Per ſapientiam quoque te cupimus ſubjectos tibi populos proſpere gubernare, ut nullo errore deceptus juſtitiam diligas, quæ ſe dirigens diligentes directos provehit in ſalutem. Per benignitatem vero det tibi Dominus, ut ſis mœrentium conſolator, & ſpecialiter regnum Siciliæ habitantium, qui longis temporibus valde tribulati, niſi ſpe rediviva reſpirent, fere coguntur præ anguſtia deſperare. Ut autem ſignatum in idem conveniat cum ſignante, cum Hieruſalem viſio pacis dicatur, pacis haberi te volumus ſectatorem, ut fideles tui ſedeant in pulchritudine pacis, & requie opulenta; nec non Eccleſia, & perſonæ eccleſiaſticæ plena libertate gaviſæ tranquilla ſecuritate lætentur, &c. Dat. Reate* 11. *id. auguſt. pontific. noſtri anno* v.

XIII. Serpit hæreſis in pluribus Italiæ locis.

Excitavit ideo in his literis Fridericum Gregorius, ad excindendos hæreticos potentiam imperialem exerere, cum Patarenorum luem graſſatam latius compertum eſſet: non enim modo Inſubriam, & citeriorem Siciliam infecerat, ſed ipſum quoque puritatis catholicæ domicilium, Romam videlicet contaminare aggreſſa erat. Ad quam delendam Pontifex legum ſeveritatem diſtrinxit, ut vitæ illius ſcriptor teſtatur: *Annibaldo regente ſenatum quia in Urbe propter paſtoris abſentiam ille contagioſus morbus hæreticæ pravitatis irrepſerat, ut occulto meatu proficiens, jam publica nocumenta monſtraret; inquiſitione præhabita diligenti, ante portas majoris baſilicæ Virginis glorioſæ, ſenatore & populo Romano præſentibus, multos presbyteros, clericos, & utriuſque ſexus laicos hujuſmodi lepra conſperſos, tum teſtibus, tum propria confeſſione damnavit; presbyteros ipſos, & clericos ſacris indutos, & demum ſpectante populo univerſos veſtibus ſpoliatos ſententiæ perpetuæ depoſitionis ſubiiciens.* Hæc auctor; de quibus dum loquitur Richardus, addit ad ejuſmodi peſtem depellendam ferrum ignemque adhibitum, ac rei geſtæ tempus conſignat his verbis: *Eodem menſe*, februario nimirum, *nonnulli Patarenorum in Urbe inventi ſunt: quorum alii ſunt igne cremati, cum inconvertibiles eſſent, alii donec pœniteant, ſunt ad Caſſinenſem eccleſiam, & apud Cavas directi.*

Inſignis ad eam extinguendam Greg. diligentia.

Patareni plures Romæ a Greg. publice damnati.

Pertinaciſſimi flammis injecti.

XIV. Latæ in hæret. a Greg. leges.

Ne recrudeſceret in poſterum malum, ac fidei catholicæ puritatem corrumperet, tulit Gregorius novas leges adverſus perditiſſimos homines, atque anathematis fulmine percuſſit, ſive illi Patareni, Cathari, pauperes e Lugduno, aliove infelici nomine notarentur; ſanxitque, ut cum ab Eccleſia damnati eſſent, raperentur ad tribunalia judicum, ut meritis pœnis afficerentur: qui vero clericatu eſſent inſigniti, ea prius dignitate exuerentur. Cæterum ſi in ſcelere deprehenſos flagitii pœniteret, perpetuis vinculis ad illud expiandum addicerentur, cujus exordium Gregorianis canonibus inſertum eſt (*a*), atque incipit: *Excommunicamus, & anathematizamus univerſos hæreticos.* Et infra hæc adjecit, quæ non extant in citato canone.

(*a*) *Cap. excommunicamus de hæret.*

Adverſus illorum etiam ſtudioſos.

*Item receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere, firmiter ſtatuentes, ut ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a ſua ſuper hoc non curaverit præſumptione ceſſare, ipſo jure ſit factus infamis, nec ad publica officia ſeu conſilia, nec ad eligendos aliquos ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur: ſit etiam inteſtabilis, ut nec teſtamenti habeat factionem, nec ad hereditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ipſi ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quod ſi forte judex extiterit, ejus ſententiæ nullam obtineant firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur: ſi fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur: ſi tabellio, inſtrumenta confecta per ipſum nullius penitus ſint momenti, ſed cum auctore damnato damnentur, & in ſimilibus idem præcipimus obſervari: ſi vero clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur. Si qui autem tales poſtquam ab Eccleſia fuerint denotati, evitare contempſerint, excommunicationis ſententia percellantur, alias animadverſione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi juxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ* pro-



*propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint, anathematis gladio feriantur, & uſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus evitentur; ita quod ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur: proclamationes, aut appellationes hujuſmodi perſonarum minime audiantur.*

XV. Præfecti publicis muneribus iis deturbandi ſi ea lue aſperſi fuerint.

*Item judices, & advocati, & notarii nulli eorum officium ſuum impendant, alioquin eodem officio perpetuo ſint privati.*

*Item clerici non exhibeant hujuſmodi peſtilentibus eccleſiaſtica ſacramenta, nec eleemoſynas, aut oblationes eorum accipiant; ſimiliter Hoſpitalarii, & Templarii, ac quilibet regulares, alioquin ſuo priventur officio, ad quod nunquam reſtituantur abſque indulto ſedis Apoſtolicæ ſpeciali.*

*Item quicunque tales præſumpſerint eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, uſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere, nec abſolutionis beneficium mereantur, niſi propriis manibus publice extumulent, & proiiciant hujuſmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat ſepultura.*

*Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de fide catholica diſputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.*

*Item ſi qui hæreticos ſciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, ſeu a communi converſatione fidelium & moribus diſſidentes, eos ſtudeat indicare confeſſori ſuo, vel alii, per quem credat ad prælati ſui notitiam pervenire; alioquin excommunicationis ſententia percellatur. Filii autem hæreticorum, receptatorum, defenſorum eorum uſque ad ſecundam generationem ad nullum eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.*

XVI. Senat. Populuſque Rom. exemplo Greg. inſectantur hæreticos. Severæ leges ab iis promulgatæ.

Imitati Pontificis zelum ſenatus populuſque Romanus ſeveras leges contra hujuſmodi hæreticos condidere, quas ad commendandum illorum in tuenda fide ſtudium afferendas ducimus.

*Capitula Annibaldi ſenatoris, & populi Romani edita contra Patarenos omnes.*

*Hæretici in Urbe, videlicet Cathari, Patareni, Pauperes de Lugduno, Paſſagini, Joſeppini, Arnaldiſtæ, Speroniſtæ, & alii cujuſcunque hæreſis nomine cenſeantur, credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum in Urbe ſingulis annis a ſenatore, quando regiminis ſui præſtiterit juramentum perpetuo, diffidentur.*

*Item hæreticos, qui fuerint in Urbe reperti, præſertim per inquiſitores ab Eccleſia datos, vel alios viros catholicos, ſenator capere teneatur, & captos etiam detinere, poſtquam fuerint per Eccleſiam condemnati, infra octo dies animadverſione debita puniendos. Bona vero ipſorum omnia infra eundem terminum publicentur; ita quod de ipſis unam partem percipiant qui eos revelaverint, & ii qui eos ceperint, ſenator alteram, & tertia murorum Urbis refectionibus deputetur.*

*Item, ut ibi fiat receptaculum ſordium, ubi fuit latibulum perfidorum, domus illorum, in qua hæreticorum aliquem auſu temerario aliqui in Urbe præſumpſerint receptare, nullo reficienda tempore funditus diruatur: hoc idem de domibus illorum Urbis, qui manus impoſitionem receperint ab hæreticis, ſimiliter obſervetur.*

*Item in Urbe circa credentes hæreticorum erroribus, poſtquam fuerint per Eccleſiam denotati, præmiſſa omnia obſerventur.*

*Item quicunque de Urbe ſciverit hæreticos in Urbe, & non revelaverit, viginti librarum pœna mulctetur, & ſi ſolvendo non fuerit, diffidetur; nec relaxetur diffidatio, niſi digna ſatisfactione præmiſſa.*

*Item receptatores ſcienter, ſive defenſores, ſeu fautores hæreticorum Urbis tertia bonorum ſuorum parte mulctentur, quæ murorum Urbis refectionibus deputetur. Quod ſi vel hoc modo puniti rurſus in ſimilem fuerint culpam prolapſi, de Urbe penitus expellantur, nec unquam revertentur ad illam, niſi digna ſatisfactione præmiſſa. Hujuſmodi autem perſonæ in Urbe minime audiantur, nec quiſquam eos in qualibet cauſa reſpondere cogatur: ſed ipſi cogantur aliis reſpondere. Judices autem, advocati, & ſcriniarii nulli eorum ſuum impendant officium, vel ad aliquem actum legitimum, ſeu commune conſilium aſſumatur, & qui talem ſcienter elegerit, tanquam hæreticorum fautor prædicta pœna mulctetur.* XVII.

*Quando ſenator exhibet juramentum.*

Senator in capeſſenda republica ad perſeq. hær. ſacramento obligandus.

*Senator quando præſtat ſui regiminis juramentum, jurabit quod hæc omnia, & ſingula in Urbe tempore regiminis ſui ſervabit, & pro viribus faciet obſervari, ac teneatur facere jurare præmiſſa omnia ſucceſſorem. Quod ſi non juraverit, pro ſenatore nullatenus habeatur, & quæ fecerit, nullam habeant firmitatem, & nullus teneatur ſequi eum, etiam ſi de ſequendo ipſum præſtiterit juramentum. Quod ſi prædicta ſervare contempſerit, præter notam perjurii pœnam ducentarum marcharum incurrat, murorum Urbis refectionibus applicandam, nec de cætero ad aliquam dignitatem, vel officium publicum aſſumatur: ad quam pœnam judices S. Martinæ ipſum condemnare teneantur, & hoc in capitulario judicum prædictorum ponatur, & nullo tempore exinde deleatur. Omnes autem prædictæ pœnæ neque per concionem, neque per concilium, neque ad vocem populi ullo modo, aut ingenio aliquo tempore valeant relaxari.*

Conditas a ſe, ac ſenatu Romano Gregorius hujuſmodi leges Mediolanenſi archie- XVIII.

Transmittuntur eæ leges Longobardis. (a) Ib. ep. 119.

chiepiſcopo, ac ſuffraganeis tranſmiſit, (a) ut pari zelo in impios homines conſurgerent. Inſubriam enim maxime contaminarat hæreſis, cui alendæ nimia libertas non parum faverat. Ad quam comprimendam Fridericus non ſine magna laude, ejus criminis convictos imperiali edicto flammis tradi, vel ſi ad aliorum terrorem vitæ reſervandi viderentur, linguis, quibus blaſphema evomuiſſent, amputari iuſſit. Cujus edicti acerbi, ſed juſtiſſimi, exemplum in regeſto pontificio (b) ita jacet.

Fridericus vetera in hær. edicta renovat.

(b) Lib. 4. ep. 103.

*Fredericus, &c. Magdeburgenſi archiep. comiti Romaniolæ, & totius Lombardiæ legato dilecto principi ſuo gratiam ſuam, & omne bonum.*

*Cum ad conſervandum pariter, & fovendum eccleſiaſticæ tranquillitatis ſtatum ex commiſſo nobis Imperii regimine defenſores ſimus a Domino conſtituti, non abſque juſta cordis admiratione perpendimus, quod hoſtilis invaleat hæreſis, proh pudor! in partibus Lombardiæ, quæ plures inficiat.* Et infra: *Erit ne igitur diſſimulandum a nobis, aut ſic negligenter agemus, ut contra Chriſtum, & fidem catholicam ore blaſphemo inſultent impii, & nos ſub ſilentio tranſeamus? Certe ingratitudinis, & negligentiæ nos arguet Dominus, qui contra inimicos ſuæ fidei nobis gladium materialem indulſit, & plenitudinem contulit poteſtatis. Quapropter in exterminium, & vindictam actorum ſceleris tam nefandi, complicum, & ſequacium hæreticæ pravitatis, quocunque nomine cenſeantur, utriuſque juris auctoritate muniti, dignos motus noſtri animi exercentes, præſenti edictali conſtitutione noſtra in tota Lombardia inviolabiliter de cætero valitura duximus ſanciendum, ut quicunque per civitatis antiſtitem, vel diœceſanum, in qua degit, poſt condignam examinationem fuerit de hæreſi manifeſte convictus, & hæreticus judicatus, per poteſtatem, conſilium, & catholicos viros civitatis, & diœceſis earundem, ad requiſitionem antiſtitis illico capiatur, auctoritate noſtra ignis judicio concremandus, ut vel ultricibus flammis pereat, aut ſi miſerabili vitæ ad coercitionem aliorum elegerint reſervandum, eum linguæ plectro deprivent, quo non eſt veritus contra eccleſiaſticam fidem invehi, & nomen Domini blaſphemare. Ut autem præſens hæc edictalis conſtitutio noſtra debeat in hæreticorum exterminium firmiter obſervari, circumſpectioni tuæ committimus, quatenus hanc conſtitutionem noſtram per totam Lombardiam facias publicari, amodo per Imperialis banni cenſuram ab omnibus univerſaliter obſervandam. Datum Cathaniæ anno Dominicæ incarnationis MCCXXIV. menſe martii undecimæ indictionis.*

Jubentur flammis tradi.

Linguis ob blaſphema verba mutilari.

XIX. Cum imperiali edicto annus MCCXXIV. adſcriptus ſit, trigeſimi primi anni regeſto inſeratur, id factum putamus, quod idem edictum hoc anno renovatum, iterumque promulgatum fuerit. Et ſane Fridericum ab Rom. Pontifice adverſus hæreticos incitatum, ſcriptæ ab ipſo ad Gregorium literæ teſtantur, quibus ſe ad Italiæ hæreticos profligandos, extirpandoſque pro apoſtolicis ejus adhortationibos proſilire in animum induxiſſe ait (c): *Sane cum omni honorificentia venerandis apicibus veſtræ paternitatis acceptis, & earum tenore cognito, juſte non potuimus non moveri, velut qui ad laudem bonorum, ad vindictam vero malefactorum collatum nobis a Domino enſem juſtitiæ bajulamus, dum noſtris eſt auribus per eaſdem ſacras literas intimatum, quod hæreticæ labis morbus paulatim ſerpens, ut cancer pro magna parte Italiam, & ſpecialiter, quod dolentes referimus, in regno noſtro Siciliæ Neapolim, & Averſam, parteſque vicinas dicitur infeciſſe, ſicut per quendam ab eodem errore tandem Domino inſpirante converſum apoſtolicæ beatitudini accepimus revelatum. Super quo tanto vehementius anxiamur, quanto vicinior apoſtolicæ, ac imperiali ſedi tanti ſuperſtitio invenitur erroris, ut in circuitu matris inſultent impii, & ante faciem ejus, proh pudor! in injuriam fidei perfidia tam obſtinata conſurgat, dum hericii foveas habeant, & lamiæ nudent mammas, ut lactent catulos infelices, &c. Dat. Tarenti* XXVIII. *febr. quartæ indict.* Hactenus Fridericus, quem in Sicilia inſectatum hæreticos, ac miſiſſe Neapolim Rheginum archiepiſcopum, ut in eos inquireret, ac plures in vincula conjectos, ut meritis pœnis addicerentur, tradit Richardus (d)

(c) Ext. apud Greg. l. 4. ep. 131.

Penetrarat in Siciliam eadem lues.

Plures Neapol. ejus criminis nota inuſti vinculis mancipati.

(d) Rich. in chr. hoc an.

XX. Patavini in Ezelinum hæreticum inſurgunt.

Excitatus etiam in cæteris Italiæ provinciis fidelium zelus ad delendam hæreſim, inter quos Patavini magnis laudibus ornati (e) a Gregorio, ut qui pio ardore accenſi in Ezelinum ea infamia inuſtum proſiliiſſent. Ad quem in caſtra Eccleſiæ traducendum literis gravioribus in præfixo illis titulo: *Spiritum conſilii ſanioris* precatus, errores abiicere monuit (f): *Tentare volumus varias medicinas, ſi forte medico acquieſcens ſaluti reſtitui merearis, ſalvos te ac alios, quos perdidiſſe noſceris, faciendo. Dic ergo, quæ eſt iſta veſania, qua vexaris, ut ſecutus deceptricis fallaciæ documenta, errorum ſpiritibus acquieſcens eligas non conſentire fidei veritati? Nunquid ſapientior es doctoribus Eccleſiæ univerſis, quibus ſuæ merito ſanctitatis revelata eſt orthodoxæ fidei certitudo, & multorum miraculorum ſignis roborata? An forſan, etſi non voce, quod eſt nequius, in facto dicis: Quis eſt omnipotens, ut ei ſerviam, & quid mihi prodeſt, ſi eum fuero deprecatus? peccavi, & quid accidit mihi triſte? Certe*

(e) Lib. 5. ep. 75.

(f) Ep. 120.

Nefarium hominem provocat ad reſipiſcendum Greg.



*te perverſa eſt hæc cogitatio, quaſi lutum contra figulum cogitet, & contra levantem eam virgula elevetur. Ut quid divitias bonitatis Chriſti contemnis? Patientia ejus ad pœnitentiam te adducit, tu autem cur ſecundum duritiam tui cordis iram in die iræ tibi damnabiliter theſaurizas?*

XXI. *Nonne cum adhuc in minori officio conſtituti in partibus Lombardiæ legationis officio fungeremur, converſionis ſigna prætendens, cum effuſione plurima lacrymarum ſuppliciter flagitabas, noſtris & Eccleſiæ, & ſpecialiter ſanctarum ancillarum Chriſti orationibus commendari, deteſtando patenter hæreticam pravitatem? Sic nobis, immo Domino illudere intendebas?* Ezelinum tum temporis religioſæ diſciplinæ amplectendæ deſiderium præ ſe tuliſſe ſuperius in Honorio vidimus: *An neſcis, quod illuſores ipſe deludit, & Spiritus ſanctus fictum effugit diſciplinæ? Redi ergo, redi prævaricator ad cor, ut ad Dominum per pœnitentiam convertaris, & ipſe ad te per miſericordiam convertatur. Deſine pro verbis pœnitentiæ, verbis ſuperbiæ blaſphemare, quia cunctis diebus ſuperbit impius, & numerus dierum ipſius tyrannidis eſt incertus. Ut igitur vel ſic foſſo pariete mentis tuæ aliquem introrſus admittas radium rationis, nobilitatem tuam monemus, & hortamur attente per apoſtolica ſcripta ſub obteſtatione divini judicii firmiter præcipiendo mandantes, quatenus culpas tuas humiliter recognoſcens, eum qui multus eſt ad ignoſcendum, tibi ſtudeas complacare relictis erroribus, & a terra tua hæreticis profligatis ad gremium matris Eccleſiæ corde puro humiliter redeundo, infra duos menſes poſt ſuſceptionem præſentium ad noſtram præſentiam perſonaliter acceſſurus, paratus præciſe parere noſtris beneplacitis, & mandatis. Alioquin, ut ex qualitate pœnarum tuarum iniquitatum enormitas ſæculis innoteſcat, contra te cœlum invocamus & terram, ad te ac alios hoſtes fidei diſperdendum, terras & omnia bona tua occupantibus exponendo, ut qui multis es in ſcandalum, & horrorem, fias in opprobrium ſempiternum, &c. Dat. Reate kal. ſept. pont. noſt. an.* V.

XXII. Ezelini filii parentem tradere vinctum offerunt ut ſe ſuaque in tuto collocent.

Tranſmiſit harum literarum exemplum Gregorius ad Ezelini filios Ezelinum juniorem, & Albericum, qui a paterno ſcelere abhorrere præ ſe ferebant, ac ne avitis opibus exciderent, ultro Gregorio obtulerant miſerum parentem inquiſitorum fidei manibus tradere, ſi obfirmatus in flagitio perſtaret; quibus Pontifex ſignificavit illorum cauſa, quos putaret numinis vero cultui addictos, juſtiſſimam in ipſorum parentem ultionem effundere diſtuliſſe, ne paterna calamitate involverentur, cum hæreſeos crimen (ut ait) inſtar criminis læſæ majeſtatis filios exheredet: adjecitque preces, & imperia, ut ſummo ſtudio parentem ab hæreſi atque hæreticorum ſtudio deterrerent, ac ſi monita reſpueret, ut ſuæ conſulerent ſaluti, illum, ut erant polliciti, ad pontificium tribunal rapiendum darent; nec mirum cuiquam videri poteſt datum hoc filiis adverſus parentem conſilium, cum numinis, a quo deſcendit omnis paternitas, cauſa humanis affectibus debeat anteferri.

Jubentur promiſſa perficere ſi patrem ad rectam fidem adducere non poſſunt.

XXIII. Quæſiti etiam ad ſupplicium in Galliis hæretici.

In cæteris etiam regnis hæreticos meritis pœnis affici juſſit Gregorius: quo argumento Bituricenſi, & Antiſſiodorenſi epiſcopis literas, ut in impios, qui oppidum, cui a charitate nomen inditum eſt, admodum infecerant, animadverterent.

(a) Bern. in chron.

Fulco ep. Toloſ. hæretic. expugnator moritur.

Cæterum in Galliis occubuit hoc anno (a) eximius hæreticorum expugnator, ac fidei ſtrenuiſſimus defenſor, inſignis ſanctitate Fulco epiſcopus Toloſanus, de quo nos plura, qui cum eam eccleſiam oppreſſam hæreticis, atque opibus eorum improbitate nudatam capeſſiviſſet, demum iis triumphatis vindicatam in libertatem, auctam bonis, ac pietate florentem reliquit, & in monaſterio Grandis ſylvæ Ciſtercienſis ordinis, in quo vita religioſa excultus fuerat, ſepultus eſt. Sed ad Gregorium redeamus.

XXIV. Clero familiiſque religioſis emendandis incumbit Greg.

Cum graſſatam hoc tempore latius hæreſim viderimus, mirum non eſt eccleſiaſticorum mores admodum deformatos fuiſſe, ac religioſam diſciplinam in pleriſque locis penitus amiſſo priſtinæ ſanctitatis flore concidiſſe. Incubuit ergo Gregorius ad ſolutiores clericorum mores emendandos, quo argumento ad Rhemenſem archiepiſcopum, ac ſuffraganeos datæ literæ (b); tum ad revocandam apud religioſas familias veterem diſciplinam ſtudium adhibuit. Utque ſeverum (c) ſe in eos, qui ab inſtitutæ vitæ ſanctitate defecerant, ita liberalem in alios præbuit, quemadmodum literæ (d) Caſſinatibus (e) Benedictinis datæ oſtendunt; quos præterea Caſſinates ita novis auxit prærogativis, ut etiam veteres confirmarit. Rogatus enim ab iis, ut S. Zachariæ Pontificis privilegia renovaret, cum monumenta, in quibus contenta erant, ob temporum vetuſtatem conſumpta eſſent, eorum precibus adductus diploma Zachariæ prædeceſſoris ſuo inſeruit, e quo, miſſis cæteris, quæ ad conditi illius ordinis celeberrimi hiſtoriam pertinent, decerpimus.

(b) Lib. 4. ep 138.

(c) Lib. 4. ep. 27. 124. 159. 164

(d) Ep. 110. 129.

(e) lb. 142. l. 5 ep. 31.

Sanctitatis cultores prærogativis exornat.

Privilegium Zachar. PP. Benedicti Caſſinatibus datum renovat.

XXV. *Omnipotenti Deo, cujus melior eſt miſericordia ſuper vitas, gratias agimus, qui glorioſus in ſanctis ſuis, atque mirabilis eſt, & virtutes ſuas, ubicunque vult, ineffabili bonitate oſtendit. Ipſe quippe dignationis ſuæ potentia beatiſſimum Benedictum patrem omnium conſtituit monachorum: ipſe eum monaſticæ legiſlatorem, & ope-*

*operatorem eſſe diſpoſuit: ipſe illius meritis Caſſinenſe monaſterium, in quo & ſanctiſſime vixit & glorioſiſſime obiit, omnibus per totum orbem monaſteriis clementi benignitate præfecit. Qui pater ſanctiſſimus, dum vitam eremiticam duceret, divina revelatione monitus, ad eundem locum pervenit duobus ſe Angelis comitantibus cum beatiſſimo Mauro, ac Placido Tertulli patricii filio, aliiſque nonnullis: ubi templa idolorum deſtruens, monaſteriumque conſtruens, apoſtolicis illud dotavit virtutibus; inter quæ dum ei revelatum fuiſſet, quod ſupradictus locus eſſet deſtruendus, & ob id inconſolabiliter fleret, omnipotentis Dei ad ſe vocem audivit dicentem: Noli probatiſſime ac clementiſſime Benedicte pro iis, quæ huic eventura didiciſti loco, mœſtum gerere animum, quoniam quod ſemel a Deo præfixum eſt, immutabile atque irrevocabile eſt, ſolis tibi tuo merito conceſſis habitantium in loco animabus: ſed aderit omnipotentis Dei conſolatio, quæ locum iſtum in ampliorem, & multo meliorem, quam nunc eſt, reſtituet gradum, & hujus ordinis doctrina de hoc iterum per totum orbem radiabit loco: quod poſt ejuſdem patris obitum conſummatum eſt.*

Caſſinenſis cœnobii primordia.

De illius excidio & inſtauratione.

XXVI. *Nam a Longobardis invaſum, & igne crematum eſt: fratres autem ad Apoſtolicam ſedem venientes ex conceſſione ſancti prædeceſſoris noſtri Pelagii juxta Lateranenſe palatium monaſterium conſtruxerunt, atque per prolixum tempus habitaverunt. Sed jam cum omnipotens Deus cenſuiſſet Caſſinenſe cœnobium reſtaurare, ac cœnobialem inſtitutionem, quæ inde principium ſumpſerat, ex eodem loco propagare, a ſanctiſſimo Gregorio III. prædeceſſore noſtro Petronas dilectus filius noſter eſt ad reſtaurandum directus. Qui cum ad eundem locum veniſſet, communis pater noſter Gregorius ex hoc mundo migravit: ſed poſt ejus exceſſum in ſede Apoſtolica cum parvitas noſtra ſucceſſiſſet, opus ab illo cœptum in reſtauratione ejuſdem cœnobii, adjuvante Domino, ad finem uſque perduximus.*

XXVII. *Hæc autem eo die, quo ſanctiſſimi patris eccleſiam dedicavimus, parvitas noſtra obtulit libros ſanctæ ſcripturæ, & librum regulæ, quam ſanctiſſimus pater manu propria ſcripſerat; pondus etiam libræ panis, & menſuram vini, nec non diverſa, quæ ad eccleſiaſticum miniſterium * ornamenta, & poſſeſſiones apoſtolica liberalitate conceſſimus. Qualiter autem ejuſdem patris pignora ſororiſque ejus ſunt poſita perſpicientes, ac intemerata invenientes, pro reverentia tanti patris tangere minime auſi ſumus. In dedicatione vero ejuſdem, cum illic una cum tredecim archiepiſcopis & ſexaginta octo epiſcopis adeſſemus, idem dilectiſſimus filius noſter poſtulare cœpit, quatenus poſſeſſiones, quæ eidem monaſterio oblatæ ſunt a quibuſcunque fidelibus per noſtrum privilegium roboraremus, illorum deſideriis utpote amabilium annuentes, hæc per præſens privilegium, quæ a nobis aliiſque fidelibus conceſſa ſunt, in eodem loco in perpetuum corroboramus.* Et infra:

* *pertinent*

S. Scholaſticæ reliquiæ inventæ a Zach. PP. corruptionis expertes.

XXVIII. *Præterea corroboramus, atque in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio ejuſque ſucceſſoribus, in omni conventu epiſcoporum, & principum ſuperiorem univerſis abbatibus ſedere, & in conciliis & judiciis priorem ſui ordinis omnibus ſententiam proferre pro reverentia tanti loci, qui primam & ſummam monaſticæ legiſlationem in eodem Caſſinenſi cœnobio ſcribens verbo & exemplo, cœnobitale propoſitum appetentibus in toto mundo ſole clarius vibravit. Pro quo Caſſinenſe cœnobium exaltantes decernimus, ac in perpetuum confirmamus, ut ſupradictus locus dignitate, vigore, ac honorificentia præcellat omnia monaſteria, quæ conſtructa vel conſtruenda ſunt in toto orbe terrarum; abbaſque, ejuſdem loci celſior ac celebrior exiſtat omnibus abbatibus eandem regulam tenentibus. Illic lex monaſtici ordinis caput teneat, ac principatum, ubi ejuſdem legis deſcriptor Benedictus pater ſanctiſſimus, eandem deſcribens promulgavit regulam, ibique abbates & monachi honorem, ac reverentiam deferant, & ibi uſque ad diem judicii quærant doctorem, ubi monachorum univerſalis magiſter & doctor Benedictus pater almificus corporaliter una cum ſorore ſua quieſcens, glorioſæ reſurrectionis diem expectat. Defuncto autem abbate ex ſe ipſa congregatio, ſecundum ſanius conſilium ſapientum & ſaniorum fratrum, ſibi abbatem eligat, & Apoſtolicæ ſedis Pontifici confirmandum & conſecrandum exhibeat, &c. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii, atque ſcriniarii ſanctiſſimæ Rom. Eccleſiæ in menſe januario, per indictionem ſupraſcriptam primam. Datum XII. kal. mart. Aquini, per manum Benedicti epiſcopi ſanctæ Silvæ Candidæ eccleſiæ, & bibliothecarii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, anno Deo propitio pontificatus domini noſtri Zachariæ ſummi pontificis, & univerſalis Papæ in ſacratiſſima ſede B. Petri Apoſtoli, primo, &c.* Tum ſubiicitur conſignata a Gregorio dies, qua S. Zachariæ diploma confirmavit. *Dat. Later. III. id. april. pont. noſtri anno v.*

XXIX. Ex antiquiſſima illa ſacra familia derivata eſt hoc anno nova religioſa ſocietas, quæ inſtitutam a D. Benedicto vivendi rationem conſectata eſt, jacta enim hoc tempore fuiſſe in monte, cui a Fano nomen, haud longe a Fabriano nobili Piceni oppido, congregationis Sylveſtrinorum fundamenta a B. Sylveſtro Guzolina familia Auximi orto, tradit in ejus vitæ actis Andreas Jacobus (*a*) ejuſ-

Sylveſtrinorum congregatio hoc anno condita.

(*a*) *Apud Sur. t. 6. poſter. edit. die 26. novembr.*



jüſdem ordinis a conditore quartus abbas generalis, qui eodem quo S. Sylveſter ævo vixit. Quantum vero in primis conditæ illius religioſæ familiæ incunabulis, adipiſcendarum virtutum rerumque cœleſtium amor arderet, eleganter his verbis deſcribit (*a*): *Antiquiſſima in primis erat omnibus monachis cœnobii diſciplina, & vitæ religioſæ ſtudium, quæ exterioris hominis ſunt: veſtis admodum vilis, & aſpera, ciborum magna ſimplicitas non tam ad explendam, quam lavandam famem accommodata, ſuam inopiam ac voluntariam paupertatem corrogatis eleemoſinis leniebant. Mira in omnibus religioſæ taciturnitatis obſervantia: crebras tum ad carnis macerationem, tum ad ſæculi expianda pericula verberationes, & jejunia identidem uſurpabant; dies noctesque divinis laudibus chorus perſonabat, mutua vigebant charitatis officia, quæ interioris hominis ſunt, ſtatutum tempus ſacris lectionibus, ac precationibus tribuebant, eratque unuſquiſque ſui contemptor egregius, neque hæc ſui contemptio quidquam de bona cæterorum exiſtimatione detrahebat, & ad ſummæ demum Chriſtianæ perfectionis ſtudium incumbebant: neque vero eorum virtus, & charitas intra illius cœnobii ſepta continebatur, ſed ad externos quoque derivabatur.* Hæc auctor, quem conſulat, qui plura de illius religioſæ familiæ ſacris inſtitutis, atque incrementis cupiat, jam enim noſtra oratio ad nonnulla Gregorii reſponſa ad res divinas ſpectantia traducenda eſt.

(*a*) *And. Jac. l. 1. c. 10.*

XXX. Conſulenti Pontificem archiepiſcopo Barenſi an vetitis lege canonica diebus ſacris ordinibus initiati, charactere eſſent inſigniti, hæc reſpondit (*b*): *Eos autem qui extra tempora conſtituta ſacros ordines receperunt, characterem non eſt dubium recepiſſe, quos pro tranſgreſſione hujuſmodi prius eis pœnitentia impoſita competenti, ſuſtinere poteris in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, attentius proviſurus, ut id de cætero fieri in tua provincia non permittas.*

Barenſ. arch. conſulit Greg.

(*b*) *Lib. 5. ep. 154. c. conſultationi de temp. ordinat.*

Injecerat archiepiſcopus aliam de confirmatione quæſtionem, an ii, qui a puro ſacerdote ſacro chriſmate inuncti fuerant, confirmationis ſacramento reipſa eſſent inſigniti. Cui Pontifex nullatenus ſacramenti munere potitos ſubjecit: *Chriſmati vero, ut verbis tuis utamur, a ſimplice ſacerdote confirmationis munus minime receperunt; quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum ſunt epiſcopi ſucceſſores, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant, & ideo tam illi, quam confirmandi de cætero a ſolis epiſcopis conſignentur.* Quorum verborum veritas illuſtris eſt, cum doctores purum, ac ſimplicem ſacerdotem de ordinaria poteſtate ſacramentum illud impertiri non poſſe conſentiant; id vero extraordinaria, ſpeciali nimirum ab ſummo Pontifice commiſſa auctoritate poſſe ſignificent; cujus exemplum inſigne S. Gregorius magnus explicuit, qui nonnullis Sardiniæ presbyteris eam poteſtatem permiſit (*c*) in quibus locis epiſcopus nullus eo munere perfungeretur (*d*).

An confirmati a puro ſacerdote ſacramenti gratia fuerint conſignati.

(*c*) *Greg. l. 3. ep. 9. ind. 12.*

(*d*) *Bar. an. 594. n. 14. 15.*

Pergit Pontifex de iis, qui ſacro linteamine ritu Græcorum conſecrato uterentur, edicere: *Qui pro altari viatico utuntur panno lineo a Græco epiſcopo benedicto ſtudeas firmiter inhibere, ne in panno hujuſmodi celebrare præſumant: ſed id de cætero faciant, vel in altari itinerario, vel in altari majori ſecundum ritum Eccleſiæ conſecrato. Dat. Reate* II. *id. nov. pont. noſtri anno* V.

An ſacra myſteria in panno ritu Græco conſecrato peragi poſſint.

XXXI. Commoratum diu Reate Pontificem tradit illius geſtorum ſcriptor, qui ad colligendam ſalubriorem auram eo profectum locique amœnitate delectatum deſcribit: *Jam quidem prædictus Pontifex æſtatis proximæ ſuſpicione permotus, quinto ſui Pontificatus anno ad civitatem ſe contulit Reatinam, ubi præ eminentia loci, & aquarum fluentium copia, frigidioris aeris potitus obſequio, longi temporis ſpatium percurrit, ibidem multis, & variis Eccleſiæ negotiis expeditis.* At non modo ob æſtivos calores, ſed etiam ob terræmotum, quo Urbs concuſſa eſt, Roma diſceſſiſſe innuere videtur Richardus his verbis: *Eo die quo terræmotus ipſe fuit, Gregorius Papa Urbem exiens vadit Reate*, quem quidem contigiſſe ait kalendis junii circa meridiem die dominica, quaſſatamque adeo terram, ut domus corruerent, & inquilinos opprimerent: limpidiſſimi antea fontes apud S. Germanum colore mutato, terreſtri fæce manarent, diſſilirent ſaxa, homines hauriri terra vivos pertimeſcerent, metuque pallidi crimina præterita lugerent. Ea terræ horrenda concuſſio a Capua Romam immani fragore excurrit menſemque integrum tenuit; unde incolarum pars maxima deſertis domibus alio commigravit: at Caſſinenſis abbas ad numen placandum ſolemnem ſuis ſupplicationem indixit, in qua omnes nudis pedibus, in lacrymas effuſi incedebant. Viguiſſe pariter eundem terræmotum Conſtantinopoli, multiſque everſis domibus, ac ſacris templis inſignem cladem intuliſſe tradit auctor. Sed a Richardo ad geſtorum Gregorii ſcriptorem revertamur.

Reate proficiſcitur.

Terræmotu Roma quatitur.

Ab urbe Capuam magno terrore excurrit.

Trepidatum etiam ab eo eſt Conſtantinopoli.

XXXII. Exorſus igitur quæ, dum Reate conſiſteret, Pontifex geſſerit, ſcribit, Jacobum e Ciſtercienſi familia in Cardinalium collegium cooptatum, ac Mirandulam e graſſatorum manibus Eccleſiæ reſtitutam: *Ubi etiam* (nimirum Reate) *fratrem Jacobum Ciſtercienſis ordinis modeſtiæ virum, trium fontium tunc abbatem in epiſcopum aſſumpſit Prænestinum. Tunc caſtri Mirandulæ*

Mirand. in Pont. poteſtatem redigitur.

*dulæ dominos, quos hæreticorum fautores, publici violatores itineris, & falſarios papalis bullæ, ac fraudati numiſmatis percuſſores, publica deferebat infamia, mandatis ejus parere nolentes cuſtodiæ mancipavit, munitionem ipſam jam potenter obſeſſam Eccleſiæ Romanæ faciens aſſignari. Quibus poſtmodum paterna pietate compaſſus ſex millia librarum mulierum, & parvulorum ſubventioni, qui ſicut a culpa ſic a pœna videbantur immunes, ac pro ipſius munitionis voluntaria exhibitione conceſſit, ſingulos nihilominus beneficiis ſingularibus proſecutus.* Hæc etiam delibat Richardus, (*a*) dum ait Belvacenſem epiſc. pontificio exercitu inſtructum Spoleto vicina loca vaſtaſſe, nec ad deditionem compellere potuiſſe; dein Mirandam cinxiſſe obſidione, ac Reatinos Pontificis juſſu ad eam expugnandam ſeſe contuliſſe conjunxiſſeque.

(*a*) *Rich. in chron.*

XXXIII. Interea S. Antonius, cujus paulo ante memini, beatum Patavii finem vitæ fecit, de quo hæc monachus Patavinus (*b*): *Ann. dom. MCCXXXI. in menſe junii migravit B. Antonius de ordine fratrum Minorum, cujus ſanctitas totam Italiam illuſtravit.* De eo multa Lucas Wadingus, quæ ab ipſo peti poſſunt. Satis nobis erit hæc de ejus geſtis (*c*) præclariſſimoque exitu in annales coniicere: *Paulatim autem increſcente ægritudine ad extrema feſtinavit: cumque nonnihil quieviſſet, facta confeſſione hymnum illum de B. Maria: O glorioſa domina, canere cœpit; deinde ſublatis oculis aliquandiu ſurſum diligentiſſime intentos eos tenuit. Cum autem interrogaretur, ecquidnam ita aſpiceret, reſpondit: Video Dominum meum. Cernentes igitur fratres, qui aderant, felicem ejus exitum adeſſe, e proximo ſacram unctionem ei impendere voluerunt. Ut autem vidit ſanctus vir fratrem ex more ſacrum oleum apportantem, intuens in eum, ait illi: Hanc unctionem ego habeo intra me.* Porro lector obſervet inter ea verba, quæ vir ſanctus in mortis confinio poſitus effudit, extremæ unctionis ſacramentum, quod hoſtes (*d*) fidei his D. Antonii verbis truncis mutiliſque allatis putidum oleum per ſummum contemptum appellarunt, non reſpuiſſe, ſed tantummodo ad ſalutem non neceſſarium innuiſſe: *Etſi autem neceſſe non eſt hanc extrinſecus adhibeas, & placet tamen, & utilis eſt. Suſcepit igitur ſanctam unctionem, extenſiſque manibus, & palmis junctis, pſalmos, quos pœnitentiales vocant, cum fratribus perlegit. Inde quaſi dimidia elapſa hora inter manus adſtantium dormienti ſimilis leniter expiravit, & anima illa ſanctiſſima carnis ergaſtulo abſoluta in abyſſum claritatis abſorta eſt. Corpus plane dormire videbatur, manibus in candorem, & colorem priſtinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus; agebatur tunc a Chriſti incarn. an. MCCXXXI. & dies junii* XIII. Hæc auctor pluraque alia ſubiicit de viſis rebus admirandis, quibus Deus ſervum ſuum illuſtravit.

(*b*) *Monach. Paduan. in chr. l. 2.*

S. Antonii e Padua feliciſſima mors.

(*c*) *Ext. apud Sur. to. 3. die 13. junii.*

Extrema unctione illinitur.

(*d*) *Novatores cent. 13. c. 10. col. 1176.*

Refelluntur Novatores qui ſanctum virum eam reſpuiſſe ajunt.

XXXIV. Tranſmiſit etiam cœlo eodem anno ſanctiſſimam animam S. Eliſabeth regia Ungarorum ſtirpe progenita, cujus feliciſſimam mortem extremumque vitæ actum Theodoricus ita deſcribit (*e*): *Apparens ei in viſu Dominus vocavit eam, dulciter loquens ei: Veni dilecta mea in præparata tibi tabernacula ab æterno. Jam vero tunc ægrotavit vir Dei magiſter Conradus de oppido Marburg ſacerdos, & gravi infirmitatis moleſtia torquebatur, & introivit ad eum viſitandum infirmorum conſolatrix Dei famula Eliſabeth. Factum eſt autem dum fabularentur invicem, interrogavit eam ſacerdos infirmus dicens: Quomodo, mi domina, & filia, poſt mortem meam ſtatum tuum proponis ordinare? Tunc Dei famula de morte ſacerdotis nil reſpondens, ſui ipſius obitum eidem indubitanter prædixit, quem Spiritu ſancto præcognoverat revelante. Et ecce die quarta poſt hæc verba, in ægritudinem Dei famula incidit, in qua ex hac luce ſubtracta mortem perdidit, & vitam æternam adiit.*

D. Eliſabeth mortem ſuam præſagit.

(*e*) *Theod. l. 8. c. 1. 2. 3. 4. apud Caniſ. ant. lect. to. 5. pag. 206. 207. 208.*

XXXV. *Cumque per dies duodecim, & amplius in ægritudine Dei famula laboraret, aſſidens ejus lecto decumbentis die quadam una ex ancillis ejus æquivoca, audivit quaſi intra guttur ejus vocem dulciſſimam. Poſt puſillum convertens ſe ad ancillam (jacuerat enim ad parietem verſus) dixit: Ubi es dilecta mea? Reſpondit ancilla: Adſum, & adiecit: O domina quam dulciter cantaſti! Quæſivit ergo ab ancilla ſi quid audiſſet. Et dixit: Etiam. At illa: Dico tibi, quod inter me, & parietem avicula quædam mihi jucundiſſime cantavit, cujus dulcedine excitata oportebat & me cantare. Tertia vero die ejus obitum præcedente juſſit a ſe omnes ſæculares excludi perſonas, nec etiam nobiles, quæ ad eam frequenter viſitandi gratia venerant, ad ſe voluit intromitti. Requiſita vero, cur advenientes excluderet, circumſidentibus ſuum ſtratum dixit: Volo de extremo diſtricti judicii examine, & de meo omnipotente judice meditari.*

Divinis delitiis moritura affluit.

XXXVI. Addit auctor, ut omnes, vitæ nævos ſacra confeſſione apud ſacerdotem expiarit, ac magno pietatis ſenſu delibuta ſanctiſſimo viatico communita, ſuaviſſimas voces immotis labris magno miraculo e gutture effuderit, ac ſciſcitata, quid rei eſſet, ſubjecerit num aliquos ſecum divinas laudes decantantes audirent; ac demum ubi in extrema mortis confinia properantem deſcripſit, adiicit: *Tandem jubilando requievit & quaſi ſuaviter obdormiens inclinato capite expiravit.* Ut vero ejus exequiæ magna cleri, ac religioſorum virorum frequentia ingentique populorum concurſu celebratæ fuerint deſcribit idem auctor, ac locum, & tempus his verbis conſignat: *Acta ſunt hæc apud oppidum Haſſiæ Marpurg in capella xenodochii pauperum, quod ipſa nobilis Regis filia, Chriſtique famula eximia S. Eliſabeth ſuis ſumptibus conſtruxerat, anno incarnationis dominicæ MCCXXXI. menſe novembris, quarto die obitus ejus terra condita eſt migrante anima ad requiem opulentam, &c.* Nonnulla recenſet miracula, quibus ancillæ ſuæ merita Deus in luce collocavit, quibuſque permotus Gregorius IX. eam in ſanctorum numerum retulit, qua de re ſuo loco dicendum erit.

Sacramentis rite procurata pie moritur.

De ejus ſepultura.



XXXVII. Occurrit quoque hic divinæ providentiæ conſilia mirari, quæ certis temporibus viros ſanctitate conſpicuos in variis terrarum partibus excitat, ac prodigiis tum ad Chriſtianam fidem confirmandam, tum ad gloriam ſuam amplificandam illuſtrat. Non enim modo Eliſabethæ Reginæ ſanctitate, ſed etiam Lucæ Strigonienſis archiepiſcopi miraculis his temporibus Ungaria effulſit. Is antea morum inſigni probitate effloruerat, atque e vivis ereptus plures variis morbis implicitos, & calamitatibus involutos liberarat. Quæ cum ad ſummum Pontificem eſſent perlata, ut ſanctorum illum catalogo annumeraret, ipſe pro apoſtolico munere ſumma adhibita diligentia, epiſcopum Cenadienſem una cum duobus aliis religioſis viris rei veritatem inquirere, ac miraculorum teſtibus ſacramento adactis diſcutere juſſit (*a*): *Cum ex parte venerabilium fratrum noſtrorum Strigonien. archiepiſcopi & ſuffraganeorum ſuorum fuiſſet nobis ſæpius intimatum, quam juſte, ſobrie, atque pie felicis recordationis Lucas Strigonienſis archiepiſcopus prædeceſſor archiepiſcopi memorati vixerit in hoc mundo, quantaque Deus operetur miracula per eundem, languorem multorum qui devote auxilium implorant ejuſdem relegando ab ipſis; nobiſque fuiſſet devotiſſime ſupplicatum, ut & canonizaremus eundem, & ſanctorum annumerari catalogo faceremus, tanto maturiori conſilio circa ea cenſuimus procedendum, quanto in his citius, quam in aliis mole carnis gravatus humanæ conſiderationis intuitus poteſt falli. Ideoque ſinceritati veſtræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inquiratis per juratos teſtes idoneos tam de vita, & converſatione ipſius archiepiſcopi, quam de miraculis ſupradictis, & circumſtantiis univerſis diligenter & perſpicaciter veritatem, & eorum dicta fideliter redigentes in ſcriptis, ea ſub veſtris ſigillis tranſmittatis, &c. Dat. Reat.* V. *kal. ſept. pont. an.* V.

Lucas Strig. arch. miraculis fulget. De illo SS. catalogo annumerando inquiri jubet Greg.

(*a*) *Lib. 5. ep. 128.*

XXXVIII. Ad aſſerendam vero ſuo ſplendori Strigonienſem eccleſiam, cui ſanctiſſimus hic archiepiſcopus præfuerat, Gregorius conceſſa illi vetera privilegia confirmavit (*b*) probavitque prædeceſſorum more, ut Strigonienſis archiepiſcopi partium eſſet Reges Ungaros ſolemni ritu corona redimire: *Jus quod a bonæ memoriæ Alexandro Papa prædeceſſore noſtro, & inclytæ recordationis Bela Ungarorum Rege, ac eccleſia Colocenſi, videlicet ut Ungarici Reges ab archiepiſcopis Strigonienſibus ſemper debeant coronari, Strigonienſi metropoli fuit manifeſte recognitum, ſicut in eorum autenticis continetur: & felicis recordationis Clemens, & Cæleſtinus prædeceſſores noſtri ſuis literis confirmarunt jus quod habes in abbatiis, & præpoſituris regalibus, eccleſiæ Strigonienſi per Ungariam ubicunque ſubjectis; decimas inſuper primitias, & incenſum, quæ de camera Regis eccleſiæ memoratæ debentur; ſicut omnia de ratione, vel conſuetudine ad eccleſiam tuam pertinere noſcuntur; tibi & ſucceſſoribus tuis ad exemplar felicis recordationis Innocentii Papæ prædeceſſoris noſtri, auctoritate apoſtolica confirmamus. Dat. Later.* II. *kal. martii pontif. noſtri anno* IV.

Strigon. eccleſ. privilegia a Greg. confirmata.

(*b*) *Lib. 4. ep. 121.*

Spectat ad Strig. arch. Reges Ungar. ſacro ritu inungere.

XXXIX. Conciliavit etiam ei rei novam aliis literis archiepiſcopo Strigonienſi datis auctoritatem (*c*) adjecitque in regiæ domus præfectis miniſtriſque, in iis quæ ad tribunal eccleſiaſticum ſpectarent, jus diceret, ac ſi res poſceret, anathemate percellere poſſet. Cumque divina & humana jura adeo in illo regno protererentur, ut Chriſtiani plures tributis oppreſſi Sarracenis ſeſe aggregarent, vel filios ſuos illis coacti venderent; ac nonnulli Cumani cœleſti lavacro expiati expiandive a perfidis empti a ſuſcepta fide deterrerentur, Judæi ac Sarraceni publicis muneribus præficerentur, eccleſiis & eccleſiaſticis viris collectæ aliaque onera a laicis imperarentur, poſſeſſiones ac redditus iiſdem eccleſiis auferrentur, idque genus alia admitterentur flagitia, Gregorius archiepiſcopum memoratum hæc omnia componere pro religioſa poteſtate juſſit, (*d*) quæ vero improbæ conſuetudines inoleviſſent, ita Gregorius deplorat.

(*c*) *Ib. ep. 122.*

Demandata illi in regios adminiſtros auctoritas.

Jubetur emendare pravas in regno Ung. conſuetudines.

*Gregorius &c. archiep. Strigonienſi.*

*Inter alia, quæ divinæ ac humanæ legi obviant manifeſte, propter oppreſſionem Chriſtianorum pauperum, & Sarracenorum Judæorumque in Chriſti fideles dominatum, multi Chriſtianorum oneribus importabilium exactionum gravati, videntes Sarracenos melioris conditionis, & majoris libertatis prærogativa gaudere, ſponte ſe transferunt ad eoſdem, & ritum ſuſcipientes eorum, ut pari cum eis gaudeant libertate, non ſolum per errorem Chriſtiani Sarracenorum & Sarraceni Chriſtianorum mulieribus commiſcentur, verum etiam illas*

(*d*) *Ep. 124.*

Queritur Greg. Judæos Chriſtianis feminis abuti.

*illas ducunt damnabiliter in uxores. Emunt præterea Sarraceni mancipia Chriſtiana, & de iis tanquam de ſuis omnem voluntatem, & voluptatem ſuam explentes, ipſas apoſtatare compellunt, & earum non ſinunt filios baptizari; pauperes nihilominus Chriſtiani quandoque ſic oneribus, & exactionibus affliguntur, quod filios ac filias cogantur vendere Sarracenis: & ſic liberi fiunt ſervi, & Chriſtiani quodammodo Sarraceni.*

XL. Cumanos recenter converſos opprimi a Sarracenis.

*Ad hæc quidam eorum cum revera ſint Sarraceni, ſe Chriſtianos mendaciter confingentes, qui juxta verbum propheticum, arcum rem amaram intendunt, ut ſagittent innoxios in occultis ſub palliata ſpecie pietatis, multos Chriſtianorum decipiunt ſimplices, & nonnullos ſeducunt aſtute, illos ad infidelitatis errorem nequiter attrahendo: & dum tanquam Chriſtiani cum Chriſtianis mulieribus contrahunt, illas poſtquam duxerint in uxores, apoſtatare compellunt, & cum nonnulli Cumanorum relicto infidelitatis errore, jam ſint illuminati per fidem, quidam vero ipſorum de tenebris & umbra mortis currere cupiant ad Chriſtum, lucem, viam, veritatem, & vitam, præfati Sarraceni eos ementes in ſervos, & baptizatos cogunt retro reſpicere, & baptizandos venire ad agnitionem fidei non permittunt. Ad quorum libertatem, ſi præſumptores hujuſmodi cogerentur ſicut dicitur, firmiter eſt ſperandum, Cumanos ex hoc ad fidem catholicam provocari.* De Cumanis ad Chriſtianæ religionis cultum feliciter traductis extant apoſtolicæ literæ (*a*) gratulatoriæ ad Strigonienſem eumdem archiepiſcopum, quibus ipſi legati apoſtolici munus in Cumania & Brondicia imponit, ut cæteros, qui gentilitiis erroribus adhuc ſunt involuti, ad Chriſtum adducat, ac Hieroſolymitanæ profectionis voto abſolvit, ſeque in eas regiones conferendi auctoritatem tribuit; quo argumento ſimiles jam ante literas dediſſe vidimus.

(*a*) Ep. 119.

XLI. Præfici publicis muneribus infideles.

*Et licet in Toletano concilio provide ſit ſtatutum, ne Judæi publicis officiis præficiantur, cum nimis abſonum videatur, ut Chriſti blaſphemus in Chriſtianos vim exerceat poteſtatis in regno tamen eodem paſſim Judæi, ac Sarraceni publicis officiis præponuntur, qui ſub tali prætextu, & damna gravia eccleſiis inferunt, & Chriſtiano nomini plurimum ſunt infeſti. Libertas quoque eccleſiaſtica in regno ipſo adeo ſubverſa eſſe dicitur & everſa, quod non ſolum eccleſiarum hominibus, ſed etiam ipſis eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis collectæ & talliæ imponantur a laicis, & reſpondere cogantur ſub examine judicis ſæcularis. Poſſeſſiones quoque & redditus, quos ex devotione Regum a longis retroactis temporibus pacifice poſſederunt, eiſdem eccleſiis contra juſtitiam auferunt, ac per immenſas donationes, quas de novo quibuſdam nobilibus regalis feciſſe dicitur celſitudo, non modicum aggravantur. Et quamvis cauſæ matrimoniales ad examen eccleſiaſticum pertinere noſcantur, hujuſmodi tamen cauſæ ibidem ad ſæcularem judicem perferuntur, & per ſæcularem judicem matrimonia ſeparantur: ſicque fit, ut ipſius regni eccleſiæ tot afficiantur injuriis atque damnis, tot tribulationum anguſtiis affligantur, quod niſi celeriter ſuccurratur eiſdem, vix poterunt reſpirare &c.* Ad tollenda funeſta adeo mala archiepiſcopo munus demandat, ut in iis excindendis ſolers ſtudium defigat. *Datum Laterani* v. *nonas martii pontificatus an.* IV.

XLII. Pomerani Chriſto dant nomen.

Emerſerant his temporibus ex ſuperſtitionum erroribus, quibus tot ſæculis obruti ingemuerant Pomerani plures ac Pozolucenſes Chriſtique fidem amplexi ad Eccleſiæ ſinum tranſvolarant; quin etiam Prædicatorum familiæ alumnos, qui in iis nationibus evangelii lumine colluſtrandis operam defigebant officiis pluribus erant proſecuti. Quapropter ſummus Pontifex ex apoſtolico officio neophytos illos complexurus, qua par erat paterna benevolentia, his ſcriptis literis (*b*) in ſuam clientelam admiſit: *Gratias agimus gratiarum omnium largitori, qui de tenebris errorum vos eruens veritatis ſuæ vobis lumen oſtendit, in agnitionem domini noſtri Jeſu Chriſti vos miſericorditer perducendo, quem ſicut in ipſo confidimus, agnitum diligitis, & perfectius diligetis.*

(*b*) Lib. 5. ep. 97.

Excitantur ad divinum amorem a Greg.

Et infra: *Quia Chriſti vicarii, licet inſufficientibus meritis, conſtituti fideles ejus ſincera complectimur charitate, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, hortamur, & obſecramus in domino Jeſu, per apoſtolica vobis ſcripta in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus ſicut laudabiliter inchoaſtis, ſequentes gratiam præeuntem, ſtudeatis Chriſto inflexibiliter adhærere, irreprehenſibilem legem ejus animas convertentem ſatagendo fideliter cuſtodire. Dictos quoque fratres* (nimirum Prædicatores) *inconfuſibiles Domini operarios, & cooperatores veſtræ ſalutis pio amore venerabiliter amplectentes, non deficiatis ipſorum ſanam doctrinam deſiderabiliter amplexari, eorum monitis efficaciter obſequendo. Ut autem gratiam noſtram erga vos efficacius ſentiatis, perſonas & alia bona veſtra ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus ſpeciali. Dat Reate* VII. *idus julii pontific. noſtri anno* V.

Admittuntur in clientelam apoſt.

XLIII. Ruſſiæ Rex a Græcorum ſchiſmate diſcedere meditatur.

Effloreſcebat igitur feliciter in iis regionibus ſeptentrionalibus Chriſtiana religio, ſeſeque late circumferebat: non enim modo plures inſanam idolorum ſuperſtitionem proſcripſerant, verum etiam Ruſſiæ Rex, qui Græcorum ritus pluresque errores ſectatus & ab Eccleſia diſ-

cis-



ciſſus fuerat, eos exuere ac Romanæ Eccleſiæ ſeſe ſubmittere cupiebat: quo proſpero nuntio ingenti lætitia Gregorius delibutus conſilium ejus laudibus extulit, oſtenſoque Romanæ Eccleſiæ primatu ad illud in opus perducendum hortatus has ad ipſum literas dedit (*a*).

(*a*) Ib. ep. 99.

*Gregorius, &c. illuſtri Regi Ruſſiæ.*

*Domino in evangelio docente didicimus, quod unum eſt ovile, ac etiam unus paſtor, & quod ſuarum ovium Chriſtus cuſtodem ſpecialem & præcipuum B. Petrum eſſe conſtituit, dum quodam ſingulari privilegio, traditis ei clavibus regni cœleſtis, ligandi atque ſolvendi ſibi contulit poteſtatem, ſingulariter, ac tertio ei dicens: Paſce oves meas. Porro ab hoc ovili videtur extraneus, & a grege Domini alienus, qui Chriſti vicario, ſucceſſori videlicet B. Petri ſubeſſe contempſerit, ac humiliter obedire, qui aſſumptus eſt in poteſtatis plenitudinem, cæteris in partem ſolicitudinis evocatis, & pro quo Chriſtus in Petro Patrem rogavit, ut non deficeret fides ejus. Propter quod merito deviare creduntur, qui opinantur de ipſo contrarium, & contumaciter ab ejus obedientia receſſiſſe probantur. Unde cum venerabili fratre noſtro epiſcopo Prutenorum referente te intellexerimus eſſe principem Chriſtianum, ſed obſervantem Græcorum ac Prutenorum mores & ritus, ac facientem in regno tuo ab aliis obſervari, divina tamen gratia inſpirante, volentem accedere ad devotionem, & obedientiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram, nos intimis affectibus ſitientes animæ tuæ ſalutem, tuumque profectum, commodum, & honorem, ſerenitatem tuam monemus, & hortamur in Domino, quatenus ſanam doctrinam non abnuens venerabiliter amplexari ritus & mores Chriſtianorum Latinorum devote ſuſcipias & obſerves, te regnumque tuum pro amore Chriſti ſubmittendo ſuavi dominio Rom. Eccleſiæ matris univerſorum fidelium, quæ te ut magnum in Eccleſia Dei principem habere proponit, & diligere ut filium ſpecialem: uberius enim erga te ſenties gratiam Apoſtolicæ ſedis, & noſtram, ſi relinquens iter devium per oſtenſam tibi viam rectitudinis gradiaris, noſque tibi, & regno tuo benigni favoris præſidium efficaciter impendamus. Dat. Reate* XV. *kal. aug. pont. noſt. an.* V.

Solicitatur a reg. ad pia perficienda conſilia.

XLIV.

Inſiſtente apud Apoſt. ſedem Rege Norwegiæ, ut illius auctoritate corona regia ſolemni ritu cingeretur, ac morte oppreſſis Lundenſi & Nidroſienſi archiepiſcopis, quibus Gregorius provinciam commiſerat, ut mature, quid gerendum videretur, explorarent, ejuſdem Regis precibus adductus in præſules alios demandatum illis munus transfudit (*b*). Quas literas afferendas duximus, ut videant Norwegi, quantum apud eos olim ſedis Apoſtolicæ auctoritas vigeret. Ad epiſcopos igitur Bergenſem & Stavengrenſem, & Abbatem S. Mariæ de Stauleja Ciſtercienſis ordinis hæc ſcripſit.

(*b*) Eod. l. 5. ep. 132.

*Bergenſi & Stavengrenſi epiſcopis & abbati S. Mariæ de Stauleja Ciſtercienſis ordinis.*

*Cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Norvvegiæ Rex illuſtris olim nobis pro coronatione ſua humiliter ſupplicaſſet, nos bonæ memoriæ archiepiſcopo Lunden. & Scarenſi epiſcopo noſtris dedimus literis in mandatis, ut ſuper electione, conditione, ac ſtatu perſonæ Regis ejuſdem & regni ſui, aliiſque circumſtantiis univerſis, quæ ad ipſius promotionem ſeu proſecutionem negotii neceſſaria videntur, diligenter inquirerent veritatem; & quidquid invenirent, ſuis nobis literis fideliter intimarent, ut plenarie per eorum relationem inſtructi, ſuper hoc ſecurius procedere valeremus. Sed cum poſtmodum ex parte Regis ipſius noſtris fuiſſet auribus intimatum, quod iidem archiepiſcopus & epiſcopus in negotio non proceſſerant morte præventi, nos bonæ memoriæ Nidroſienſi archiepiſcopo & tibi frater Bergenſis epiſcope negotium ipſum juxta præſcriptam formam commiſimus exequendum: verum quia eodem Nidroſienſi ſublato de medio, tu ſolus procedere nequiviſti, præfatus Rex a nobis humiliter poſtulavit, ut ſuper hoc procedi per te, ac per alios mandaremus. Nos igitur Regis ejuſdem poſtulationibus benignum impertientes aſſenſum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus memoratum negotium juxta primi mandati noſtri tenorem exequi procuretis. Quod ſi non omnes, duo veſtrum, &c. Datum Reate v. id. ſeptembr. pontif. noſtri an.* V.

XLV. Dux Bavariæ ex inſidiis cæſus moritur.

In Germania eodem anno Ludovicus Bavariæ dux a quodam nobili interemptus eſt. Sunt qui tradant fraude Henrici Cæſaris, vel Friderici Imperatoris neci traditum. Ac per idem tempus Deus eximio miraculo, quantum illi impertita hoſpitalitas jucunda foret, comprobavit, cum exhauſtam vini amphoram in hoſpitibus lautius excipiendis vino divinitus implevit; quam feſtivam narrationem affert Thomas Cantipratenſis (*c*) ejus ævi auctor: *Anno ab incarnatione Domini MCCXXXI. ſuper Rhenum, & Moſellam in Theutonia, vinorum cariſtia habebatur, & accidit, ut duo fratres ordinis Prædicatorum ad dicti viri hoſpitium declinarent. Quibus hilariter introductis, filium cum laguncula pro vino miſit. Quo reverſo, dixit eidem mater: Defectum cordis frequenter in mane patior, tu autem mihi nocte hauſtum vini reſerves de laguncula, quia nimis tarde ſolet pater tuus vinum ante prandium demandare. His dictis, omnes conſederunt ad menſam, qui erant in domo. Ebibito autem fere de laguncula vi-*

(*c*) Cantipr. l. 2. c. 25. n. 12.

Lagena vini viris religioſis porrecta exhibita divinitus generoſo vino repletur.

no,

*no, filius in aure patri matris verba ſuſurrat. Quæ ille quaſi cum indignatione diſſimulans, laguneulam in magna jucunditate cum hoſpitibus exhauſit. Mane ergo illis recedentibus, & eos hoſpite deducente, cœpit mulier, ſecundum conſuetum morem, cordis defectum pati, & vocato filio, quæſivit ſi quid eſſet in vaſculo. Et ille: Nihil, inquit. Cui anxia mater: Verſa ſupra buccellam panis, ut cordis mei debilitas relevetur. Acceſſit puer, levavit vaſculum, invenit plenum. Quod ut vidit mulier exclamans cecidit, & fere præ admiratione defecit. Currens autem filius poſt patrem, & fratres, quid factum ſit recitat. Quibus in laudem Chriſti cum lacrymis reſolutis, orat hoſpes redire fratres, benedictionem accipere, quam dedit omnipotens. Negant illi, commendant illum Deo, & cum benedictione remittunt ad propria gratulantem. Poſt multos vero annos, cum hoc a fratribus Trevirenſibus audiviſſem, & per deſcenſum Moſellæ fluminis domui dicti viri in navigio proximaſſem, exiens navem, pedes ivi videre virum, uxorem illius, & filium, & redii ædificatus non modicum in modo, & verbis ejus. Erat enim totus extra modum vitæ verborum, & geſtuum habitatorum illius terræ, qui in vinetis montium & deſertis, & agreſtes moribus converſantur.* Hæc auctor. Non abſimile eſt hoc miraculum alteri, quod S. Bonifacii epiſcopi Ferentillini opera patratum narrat B. Gregorius Papa (*a*); cum enim lagena vino plena duobus Gothis a ſancto epiſcopo data eſſet, atque ex ea barbari multis diebus large potaſſent, novo affluente divinitus vino exhauriri non eſt viſa, donec perfecto itinere ad ſanctum præſulem rediiſſent. Sed de his ſatis, jam ad ea, quæ hoc anno in Galliis geſta, excurramus. [1]

(*a*) *S. Gregor. dial. l.* 1. *c.* 9. Simile mirac. olim a D. Bonif. editum.

XLVI. Reſtituendæ Pariſien. academiæ incumbit Greg.

Ad reſtituendam priſtino ſplendori Pariſienſem academiam, quæ præteritis tumultibus diſſoluta erat, Pontifex vetera illius privilegia renovavit, deque iis ad magiſtros, & ſcholaſticos diploma dedit, (*b*) cujus initio ingentes in eam laudem cumulat, dum ipſam ſapientiæ officinam, Lutetiamque ſcientiarum parentem appellat; dein tenendum in ea ordinem ſancit.

(*b*) *Lib.* 5. *ep.* 23.

*Gregorius, &c.*

Quæ ab ipſo in ea cauſa decreta.

*Circa ſtatum ſcholarium, & ſcholarum hæc ſtatuimus obſervanda, videlicet quod quilibet cancellarius Pariſienſis deinceps creandus coram epiſcopo, vel de ipſius mandato in capitulo Pariſienſi vocatis ad hoc, & præſentibus pro univerſitate ſcholarium duobus magiſtris in ſua inſtitutione jurabit, quod ad regimen theologiæ, ac decretorum bona fide ſecundum conſcientiam ſuam, loco & tempore, ſecundum ſtatuta civitatis, & honorem ac honeſtatem facultatum ipſarum non niſi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos, perſonarum & nationum acceptione ſubmota. Antea vero*



NOTÆ [1] Illuſtriſſimus Spondanus anno huic aſſignat exordium conciliorum in controverſia Belvacenſis eccleſiæ, quam totam ille num. VIII. & IX. proſequitur. Sed viro docto fucum fecit concilium quoddam apud S. Quintinum hoc anno menſe auguſto habitum, quodque ex Sirmondi ſchedis deprompſit & reliquorum conciliorum in cauſa Belvacenſi primam male ſtatuit. At cum tandem ex iiſdem Sirmondi ſchedis concilium illud P. Harduino edente prodierit; intellexerunt eruditi, nullam in eo mentionem cauſæ Belvacenſis iniici; & ſuſpicio Coſſartii in adnotatione ad concilium iſtud ſolido niti fundamento agnita eſt. Serius igitur quam hucuſque factum ſit conſignari exordium conciliorum in celebri hoc diſſidio oportet, P. Martene Anecdot. tom. IV pag. 181. ex veteri membrana Belvacenſi, primum concilium quo agitari hæc cœperunt Noviomenſe recte ſtatuit; ſed cum illud primæ dominicæ quadrageſimæ anni 1232. aſſignat, profecto errat. Igitur nonniſi anno 1233. diſſidium iſtud cœpit, agitatumque fuit primo quidem in concilio Noviomenſi eodem anno 1233. celebrato, ac dein in aliis quatuor eodem pariter an. 1233 coactis. Id ego antequam demonſtro, controverſiæ hujus hiſtoriam paucis expono. Cauſam illius pandit Albericus ad an. 1233. notans: *Rex Ludovicus de civitate Belvacenſi ſibi reſiſtente, in qua facta fuit enormis diſſenſio inter divites & plebejos, ita ſe vindicavit, quod mille quingentos de mediocribus civitatis comprehenſos Pariſios & alibi adduci fecit, & carceri mancipari.* Hæc omnia fuſius narrantur in Synodica patrum Synodi Sanquintiniani hoc anno decembri menſe habiti ad Gregorium papam, de qua infra, in qua pariter rex veniſſe Bellovacum aſſeritur *circa feſtum purificationis Beatæ Mariæ Virginis nuper ante præteritum.* Quibus verbis legendis in epiſtola data menſe decembris anni 1233 fides adſtruitur chronologiæ Alberici, qui geſta hæc anno 1233. aſſerit. Ex iis pariter literis intelligimus male habitum a rege epiſcopum Belvacenſem, qui ex veteri privilegio jus ſibi plenum in tota diœceſi vindicans, ne quid eccleſiæ ſuæ injuriæ irrogaretur, inſtabat. Violentiam paſſus Belvacenſis ad concilium provinciæ ſuæ ab Henrico Remenſi archiepiſcopo Noviomi prima dominica quadrageſimæ convocatum cauſam detulit, a quo epiſcopi tres, Sueſſionenſis, Laudunenſis, Catalaunenſis delecti, ut rem totam ſedulo perquirerent, & ad aliud concilium ab iiſdem epiſcopis poſt menſes aliquot agendum referrent. Auditi ſunt a concilio Lauduni celebrato dominica *Lætare*, ideſt quarta quadrageſimæ, & ex illorum relatione juſtitia Belvacenſis comperta, regi ſupplicarunt patres, ut tandem injuriam eccleſiæ repararet. Quo negante, patres illi in Silvanectenſi urbe iterum in concilium coeuntes, ſtatuerunt ut in ſua ſinguli diœceſi interdictum promulgarent, niſi rex ad definitum tempus reſipuiſſet. Quo nihilo ſecius recuſante; patres illi, nempe Remenſis, Sueſſionenſis, Catalaunenſis, Noviomenſis, Tornacenſis, Atrebatenſis, Belvacenſis, Morinenſis, abſentiam ſuam per literas excuſantibus Ambianenſi, Silvanectenſi, & Ca-





*quam quemquam licentiet infra tres menſes a tempore petitæ licentiæ, tam ab omnibus magiſtris theologiæ in civitate præſentibus, quam aliis viris honeſtis, & literatis, per quos veritas ſciri poſſit, de vita, ſcientia, & facundia, nec non propoſito, & ſpe proficiendi, ac aliis, quæ ſunt in talibus requirenda, diligenter inquirat: & inquiſitione ſic facta, quid deceat, & quid expediat, bona fide det, vel neget ſecundum conſcientiam ſuam petenti licentiam poſtulatam. Magiſtri vero theologiæ, ac decretorum quando incipient legere, præſtabunt publicæ juramentum, quod ſuper præmiſſis fidele teſtimonium perhibebunt. Cancellarius quoque jurabit, quod conſilia magiſtrorum in malum eorum nullatenus revelabit, Pariſienſibus canonicis libertate, ac jure in incipiendo habitis in ſua manentibus firmitate. De phyſicis autem, & artiſtis ac aliis cancellarius bona fide promittet examinare magiſtros, & non niſi dignos admittens, repellet indignos. Cæterum quia ubi non eſt ordo, facile repit horror, conſtitutiones, ſeu ordinationes providas faciendi de modo, & hora legendi, & diſputandi, de habitu ordinato, de mortuorum exequiis, nec non de bacchellariis, qui & qua hora, & quid legere debeant, ac hoſpitiorum taxatione, ſeu etiam interdicto, & rebelles ipſis conſtitutionibus, & ordinationibus per ſubtractionem ſocietatis congrue caſtigandi vobis concedimus facultatem. Et ſi forte vobis ſubtrahatur hoſpitiorum taxatio, aut quod abſit, vobis vel alicui veſtrum injuria, vel exceſſus inferatur enormis, utpote mortis vel membri mutilationis, niſi congrua monitione præmiſſa infra quindecim dies fuerit ſatisfactum, liceat vobis uſque ad ſatisfactionem condignam ſuſpendere lectiones. Et ſi aliquem veſtrum indebite incarcerari contigerit, fas ſit vobis, niſi monitione præhabita ceſſet injuria, ſtatim a lectione ceſſare, ſi tamen id videbitis expedire.*

XLVII.

*Præcipimus autem ut Pariſienſis epiſcopus ſic delinquentium caſtiget exceſſus, quod ſcholarium ſervetur honeſtas, & maleficia non remaneant impunita: ſed occaſione delinquentium non capiantur ullatenus innocentes: immo ſi contra quemquam ſuſpicio fuerit orta probabilis, honeſte detentus, idonea cautione præſtita, ceſſantibus carcerariorum exactionibus dimittatur. Quod ſi forte tale crimen commiſerit, quod incarceratione ſit opus, epiſcopus in carcere culpabilem detinebit, cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto. Prohibemus inſuper, ne ſcholaris pro contracto debito de cætero capiatur, cum hoc ſit canonicis, & legitimis ſanctionibus interdictum. Sed nec epiſcopus, vel officiales ejus ſeu cancellarius pœnam pecuniarum pro excommunicationis emenda, vel alia qualibet cenſura requiret: nec cancellarius a licentiandis magiſtris juramentum, vel obedientiam ſeu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum, ſeu promiſſionem recipiet pro licentia concedenda, juramento ſuperius nominato contentus. Porro vacationes æſtivæ non excedantur de cætero ultra menſem, ſed vacationum tempore bacchellarii, ſi voluerint, ſuas continuent lectiones. Inhibemus autem expreſſius, ut ſcholares per civitatem ar-*



NOTÆ meracenſi; Laudunenſi vero Romam ad negocia profecto; apud S. Quintinum concilium aliud egerunt, quod cœptum ſabbato ante nativitatem B. M. ex actis inquiſitionis in ea cauſa factæ & a Lovetio in hiſtoria Belvac. vulgatis eruitur. Cenſuerunt monendum iterum regem, eoque parere nolente interdictum promulgandum. Reipſa vero promulgatum fuit a ſingulis poſt feſtum S. Martini, uno excepto Noviomenſi, qui Synodo obſequi recuſavit. Res in eo ſtatu perſeveravit uſque ad dominicam ante natalem Domini; qua patres iterum coiverunt ad ſanctum Quintinum, ibique de ſervando interdicto tractatum eſt, variatiſque ſententiis, tandem, renitente licet Belvacenſi & appellationem ad pontificem interponente, ſtatutum, ut archiepiſcopus Remenſis quamvis reluctans & invitus interdictum latum ſuſpenderet. His peractis, idem archiepiſcopus ſuo cæterorumque patrum nomine Synodicam ad pontificem ſcripſit, in qua totius hiſtoriæ cauſam narrat. Has literas vulgavit P. Martene Anecdot. tom. I. col. 976. ſignanturque *apud S. Quintinum dominica ante natale Domini MCCXXXIII.* Ex hac narratione, quam ſumma fide ex iiſdem literis excerpſi, intelligimus, quinque illa concilia, quæ vulgo huc uſque chronologi in annos diſtribuerunt duos uno eodemque, an. 1233. celebrata fuiſſe, cum uno eodemque anno iſto injuriæ Belvacenſi eccleſiæ irrogatæ ſint, ut non ex Alberico tantum, ſed ex Synodica etiam conſtat. In ea enim patres affirmant, regem Galliarum Bellovacum veniſſe *circa feſtum Purificationis nuper ante præteritum.* Sicut & primum in ea cauſa concilium Noviomenſe coiviſſe *præterita prima ſeptimana quadrageſimæ.* Cum autem ex veteri ſtylo hebdomada illa nondum annus 1233. incepiſſet; hinc factum eſt, ut coæva quædam documenta concilium hoc & ſequens Laudunenſe ad annum ſuperiorem 1232. referant.

Vetus membrana Belvacenſis a Martene anecdot. tom. IV. col. 181. ſextum aliud concilium hoc anno eadem de cauſa celebratum reliquis accenſet, quod inter Laudunenſe, & Silvanectenſe medium interponit, in loco incerto habitum circa aſcenſionem Domini, cujus deſtinatione archiepiſcopus cum duobus epiſcopis ad regem monendum ablegatos ſtatuit. Sed cum de hoc concilio nihil in eadem Synodica, in qua reliqua diligenter adnotantur, & ex ejuſdem Synodicæ auctoritate conſtet tres epiſcopos ad regem ablegatos fuiſſe a patribus Laudunenſibus; hinc concilii hujus aſſertor falſi convincitur. Quem vero exitum cauſa iſta apud pontificem ſortita fuerit, legas apud Raynaldum ad A. 1236. 37. MANSI

*mati non vadant, & turbatores pacis & ſtudii univerſitas non defendat, & illi, qui ſimulant ſe ſcholares, nec tamen ſcholas frequentant, nec magiſtrum aliquem profitentur, nequaquam ſcholarium gaudeant libertate.*

XLVIII. *Ad hæc jubemus, ut magiſtri artium unam lectionem de Priſciano, & unum poſt alium ordinarie ſemper legant, & libris illis naturalibus, qui in concilio provinciali ex certa cauſa prohibiti fuere, Pariſiis non utantur, quouſque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati. Magiſtri vero, & ſcholares theologiæ in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere; nec philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri theodocti: nec loquantur in lingua populari, & populi linguam Hebraicam cum Azotica confundentes, ſed de illis tantum in ſcholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros theologicos, & ſanctorum patrum tractatus valeant terminari, &c.* Decernit, ut, cum aliquis eorum qui literis dant operam, e vita diſcedere contigerit, certum tempus ſtatuatur, quo excurrente, mortis illius nuntius ad ſuos perferatur, ac ſi nemo comparuerit, relicta ab illo bona in piis operibus ad levandam ipſius animam collocentur. Dat. Lat. id. april. pontif. noſtri anno v. Laudes quoque academiæ Pariſinæ præfatus Gregorius in literis ad Ludovicum Francorum Regem ſcriptis (*a*) expetiit benignum ſe placidumque ſcholaſticis impertiretur, privilegiaque ab ipſius avo Philippo conceſſa renovaret. Hactenus de Gallicis rebus, ad Hiſpanicas nos conferamus.

(*a*) *Ib. ep.* 34.

XLIX. Oppreſſam in Caſtella libert. eccl. aſſerere ſtudet.

Pertulerat fama ad ſedem Apoſtolicam Ferdinandum Caſtellæ Regem lata iniquiſſima lege vetuiſſe, ne quis in Calaguritanam cathedralem, monaſteria, piaque loca ejus diœceſeos poſſeſſiones conferret, atque impertita eccleſiæ ſine ſua, vel avi facultate obtenta, regio fiſco addixiſſe. Judæos etiam nimio favore proſecutus, ſigna, quibus ex præſcripto concilii diſtincti erant, abiicere, atque uſuris in parrochiales eccleſias graſſari permiſerat. Quare Pontif. Burgenſi epiſcopo, & Calaguritano decano munus demandavit (*b*) Regem a cœptis avocarent, ne egregias laudes fœdioribus his nævis macularet. Plura ſane eximia facinora Ferdinandum in amplificandis regni ſui, ac religionis limitibus explicuiſſe vidimus, atque hoc ipſo tempore expeditionem in Sarracenos comparabat, paucis namque diebus poſt datas memoratas literas archiepiſcopo Toletano munus demandavit, contra barbaros cum dicto Caſtellæ Rege proſiliret, atque adeo ituro exercitui indulgentiarum præmia largiretur (*c*).

(*b*) *Ep.* 10.

Ferdinandus in Sarr. movet.

(*c*) *Ep.* 21.

L.

Obſoleverat in Luſitania longe infelicius, quam in Caſtella immunitas eccleſiaſtica: juvenili quippe audacia, ſive miniſtrorum conſiliis inſanis abreptus, Rex graviſſimo jugo Eccleſiam oppreſſerat, veteris enim conſtitutionis prætextu, qua mulierem cum clerico inventam capiendam ſancitum erat, regii miniſtri per ſummam injuriam noctu clericorum domos infringebant, ac ni pecunias darent, eorum famam, ſive criminis participes eſſent, ſive non, traducebant; contra alii, qui annua tributa pendebant, quamvis ſceleſtiſſime viverent, ab epiſcopo reprimi non poterant: eccleſiaſtica tribunalia evertebat, e fidelium cœtu ejectos non declinabat, Judæoſque publicis muneribus præfecerat; quæ ut coerceret Gregorius, epiſcopos Aſturicenſem, & Lucenſem ſtrenuam operam, ut tot malis mederentur, navare imperavit.

Dignitas eccl. in Luſitania obſoleſcit.

Nefariæ in ea ſuſceptæ conſuetudines.

Aboleri a Greg. juſſæ.

LI. In Anglia ep. ſanctioribus Regum conſiliis adhiberi ſoliti.

In Anglia pariter eccleſiaſticæ dignitatis ſplendor emarcuerat ſub Henrico Rege: cui tamen a Pontifice expetenti, ut eorum præſulum opera, cum ſibi utilem fore viſum eſſet, uti liceret (invaluerat enim ea conſuetudo, ut Angliæ Reges in ſanctioribus conſiliis aliquos epiſcopos adhiberent) Gregorius lubenter annuit (*d*).

(*d*) *Ep.* 106.

Petenti Henrico quos ex illis optaret ſibi aſciſcendi poteſtatem tribuit Greg.

*Illuſtri Regi Angliæ.*

*Pia devotione progenitorum tuorum, qui ad Deum, & ejus Eccleſiam debitam reverentiam habuiſſe noſcuntur, aſſeris introductum, quod Reges Angliæ ſemper conſueverunt habere conſiliarios aliquos epiſcopos regni ſui, de cujus ſtatu cum conſilio diſponerent eorumdem; unde humiliter poſtulaſti eiſdem prælatis, quibus incumbit ex officio paſtorali conſervare juſtitiam, & diligere honeſtatem, ut libere aſſumere valeant ſolicitudinem, & tibi aſſiſtere in conſiliis, a nobis licentiam indulgeri. Nos autem piam in hac parte intentionem tuam eſſe credentes, & tam regni tui ſperantes, quam Eccleſiæ utilitatibus providere, epiſcopis, quos ad hoc duxeris evocandos, aſſiſtendi tibi in conſiliis, prout utilitas exigit, & honeſtas, liberam auctoritate præſentium concedimus facultatem. Dat. Reate* XIII. *kal. aug. pont. noſtri anno* v.

LII.

(*e*) *Ep.* 36.

Solicitat ad cœundas cum Francis inducias.

Excitavit eundem literis (*e*) Regem, ut quo ætate corroboratior in dies evadebat, eo majora virtutum exempla explicaret; tum etiam bellum in Gallias ad repetenda amiſſa inferre meditantem ad ineundas cum Rege Ludovico inducias ſolicitavit, atque ingentia mala, quæ rem Chriſtianam opprimerent, ſi Angli Gallique mutuo bello impliciti eſſent, dum infideles in Syros Chriſtianos innumeras acies effunderent, ob oculos propoſuit (*f*): *Licet guerrarum ſtrepitus omni tempore multiplici ſubſit diſcrimini rerum, corporum, & quod eſt gravius animarum; quia tamen eo nunc Deo & hominibus gravius diſpliceret, quo in diſpendium Terræ ſanctæ, ac per conſequens in confuſionem vergeret totius populi Chriſtiani, cum Rex Perſarum ſtipatus multitudine numeroſa, in exterminium terræ prædictæ ſuccenſus anhelans, ſibi jam civitatibus, & locis aliis inexpugnabilibus ſubjugatis, nullum ſe credat repagulum invenire; quin terras cultui Chriſtiano relictas invadat, & Chriſticolas in gladii occiſione diſperdat, ſicut nuper nobis eſt a plurimis intimatum; celſitudinem regiam rogamus, monemus & hortamur in Domino, quatenus ſaluti propriæ, nec non tuæ ac tuorum quieti provide conſulens, ſepoſito guerrarum propoſito, ad pacis fœdera inter te, ac chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Francorum illuſtrem, ſi datum eſt deſuper, reformanda vel ſaltem treugas firmandas animum tuum prudenter inclines; ſciens nos regi prædicto ſimile conſilium deſtinaſſe. Ut autem concordia perfectius pertractetur, & felicius impleatur, venerabilem fratrem noſtrum Vvintonienſem epiſcopum ex parte tua, quem erga te fidei, & devotionis gerere novimus puritatem; & venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Senonenſem ex altera propter hoc providimus deſtinandos: quorum monitis & exhortationibus credere te volumus incunctanter. Datum Later.* VII. *kal. maii pontif. noſtri anno* v. Additur in regeſto, eodem exemplo ad Ludovicum Francorum Regem de paciſcendis induciis miſſas literas: nec fruſtra pontificiæ fuſæ preces, tradit enim Pariſius (*a*) III. non. julias ejuſdem anni Francos inter & Anglos inducias conciliatas fuiſſe. [1]

(*f*) *Eod. l.* 5. *ep.* 37.

Rex Perſarum in Syriam irrumpere parat.

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*

LIII. Significatur Pontifici a Friderico ea irruptio.

Significarat Pontifici illam Perſarum in Syriam irruptionem Fridericus, qui oratores ad Gregorium miſerat, ut ab ipſo auxilia ad defendendum regnum Hieroſolymitanum eliceret, ſeque ad ornandam Aſiaticam expeditionem numinis inſtinctu excitatum oſtentarat. Cujus literis acceptis ita reſpondit Gregorius (*b*): *Licet primo gravi nos ſtupore perculerunt & horrore, rumores inſuſpicabiles referendo; lætitiam tamen nobis & exultationem placidam attulerunt, fidei zelum & devotionis fervorem tibi divinitus inſpiratum, juxta mentis noſtræ deſiderium explicando. Hæc eſt enim gratificans gratia perennis gloriæ infallibilis cooperatrix, ut prudenter attendens, quod qui plus aliis noſceris a Domino percepiſſe, ad obſequendum eidem es arctius obligatus, eo quod dum augentur dona, rationes etiam donorum excreſcunt, beneplacitis ejus te reverenter prona humilitate ſubſternas, & ad eadem exequenda prompta magnanimitate potenter exurgas certus omnimode, & ſecurus, quod Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ, munificus elargitor, excedenſque ſupplicum merita tranſitoria commutat æternis. Agentes igitur grates, & laudes gratiarum omnium laudabili largitori, miſericordiam ejus humiliter imploramus, ut piæ intentionis propoſitum, ipſo ſeminante in tua mente conceptum continua nutriens pietate perficiat ad profectum in tuæ ſalutis augmentum, & exultationem populi Chriſtiani.* Obteſtatur, ut reliquas regni Hieroſolymitani arces muniat ad impetus barbarorum propulſandos, ſeque interea omnes principes Chriſtianos ac populos ad cogendum ingentem exercitum inducturum.

(*b*) *Lib.* 4. *ep.* 97.

Solicitatur Frid. ad repellendos barbaros.

LIV. *Quia negotii qualitas auxilio indiget generali, ecce univerſis eccleſiarum prælatis, Regibus, & principibus, & quibuſdam cruceſignatis dirigimus ſcripta noſtra, qualia eidem negotio conſpeximus expedire, continuaturi alias ſolicitudinem diligentem, & impenſuri nos ipſos in quibuſcunque fuerit opportunum. Cæterum quia ſi te in hoc exhibueris, ut convenit, animoſum, multos ad idem laudabiliter animabis; celſitudinem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, adjurantes per ſanguinem Crucifixi, quatenus fortitudine ſpiritus roboratus ex alto, memor quod in talibus immenſitas optima eſt menſura, non parcens perſonis vel rebus, illuc in utriuſque feſtinatum ſubſidium ſtudeas deſtinare, faciendo loca muniri, ne timeant impetum aggreſſorum, donec illuc copioſus poſſit deſtinari ſuccurſus, qui profliget auctore Domino inimicos, ſupererogaturus nihilominus, quæcunque videris opportuna, ut magnanimitatem magnificam, & magnanimem magnificentiam tuam Deo reddas, & hominibus commendandam. Dat. Lat.* XIV. *kal. feb. pont. noſtri anno* IV.

LV. Excitavit mox Gregorius, ut erat pollicitus Friderico, univerſos Chriſtianos, ut arma





NOTÆ [1] Quanquam de induciis Gallos inter & Anglos die III. non. julii conveniri potuit Lutetiæ, ut ſua fides ſtet Pariſio id aſſerenti; illas tamen non ſignavit Henricus rex Angliæ niſi die XXI. auguſti hujus anni, qua de re dubitare nos non permittunt literæ Huberti de Burgo magni Angliæ juſtitiarii ea die ſignatæ, quibus fide data pollicetur omni ſe niſu laboraturum, ut ab Angliæ rege induciæ illæ ſerventur. Has autem literas in collectione Monumentor. Martenii to. I. col. 1253. vulgatas, non immerito datas ſuſpicor eodem tempore, quo rex Angliæ inducias ſignavit, licet editæ ab illo ea de re patentes literæ, ibidem vulgatæ, die & menſe carent. Nam in iiſdem literis affirmat rex commiſiſſe ſe, ut Hubertus inducias illas una ſecum jurejurando firmaret. Mansi

Excitantur fideles ad crucem in Perſas induendam.

arma in Perſas Syriæ ingruentes capeſſerent hoſtemque partis pluribus victoriis exultantem, imminentemque ſanctis locis propulſarent. Quorum zelum encyclicis datis literis hac oratione accendere conatus eſt (a).

(a) Ib. ep. 129.

*Univerſis archiepiſcopis & epiſcopis & dilectis filiis aliis eccleſiarum prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint.*

*Ille humani generis pervicax inimicus, concinnator perfidiæ, deſperationis incentor, odii procurator, non contentus, quod in ſingulis Chriſti fidelibus fidem attentat, ſpem impetit, & aggreditur charitatem, geſtiens extirpare virtutes, ut ſerantur vitia, & perditio ſubſequatur etiam univerſalem Eccleſiam continue inquietat, infeſtat jugiter & tribulat inceſſanter, dum Terram ſanctam Chriſti ſanguine conſecratam, ubi vita, ſalus, & redemptio noſtra noſcuntur originem habuiſſe, non deſinit impie impugnare, ratus, quod ſi poſſet ibi ullatenus prævalere, irreparabile periculum, inextricabile opprobrium, & perditionem inæſtimabilem inferret univerſo populo Chriſtiano (hujus nos ſententiæ veritatem modo deploramus). Et quidem ſatis acriter ſævit hactenus per ſoldanos illarum partium diabolicæ feritatis executores perfidos & protervos: ſed quod gravi nos ſtupore perculit, & horrore concuſſit, Regem Perſarum ſtipatum multitudine numeroſa in exterminium terræ prædictæ nequiter inſtigavit, ſicut chariſſimus in Chriſto filius noſter Fredericus Romanorum Imp. illuſtris ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, nec non venerabilis frater noſter patriarcha Hieroſolymitanus, & dilecti filii hoſpitalis, & domus militiæ templi Hieroſolymitani magiſtri ſuis nobis literis intimarunt. Quod jam ſibi civitatibus, & locis aliis inexpugnabilibus ſubjugatis nullum inveniens repagulum, vel obſtaculum, pro modico reputat occupare terras cultui Chriſtiano relictas, & Chriſticolas, tam religioſos quam alios in gladii occiſione delere, credens fore, diabolo mendaciter ſuggerente, quod populus Chriſtianus fatigatus laboribus, & ſumptibus infinitis potius elegerit cauſam Chriſti deſerere trepidanter, quam illuc auxiliis ſuccurrere iteratis. Quod ad hæc igitur, quid ad hæc? Numquid abbreviata eſt manus Domini, ut ſalvare nequeat, vel auris ejus, ut non exaudiat aggravata? An fideles ſuos tentat, ut probet, utrum injuriam ſuam inultam, vel terram prædictam velint relinquere indefenſam? Abſit, ut obliviſcatur homo pacti domini Dei ſui: ſed memor ſe ad illius divitis menſam ſediſſe, qui eſt dives ſuper filios hominum, quæ ſibi fuerunt appoſita, ſtudeat & eadem apponere ipſe illi, non trepidans pro eo calicem ſalutaris accipere, quem idem pro noſtra ſalute guſtavit: quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam Chriſti fidelibus revelandam. Ut itaque diabolo propria iniquitas mentiatur, dum unde animarum machinatur excidium, inde ſalutem eis doleat perveniſſe, univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente per apoſtolica vobis ſcripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus exhibentes vos fideles Chriſti miniſtros, ſinguli ſubditos veſtros cruceſignatos & alios, ſecundum datam vobis a Domino gratiam, ſedulis exhortationibus excitetis, ut ad ſuccurrendum terræ prædictæ in perſonis, & rebus taliter ſe ſtudeant præparare, quod cum iterato fuerint requiſiti, impendant ſuccurſum, & ſubſidium opportunum; aliaſque operari, & cooperari cauſæ Chriſti taliter ſtudeatis, quod affectum & effectum veſtrum retributiva gratia proſequens, gloriam vobis retribuat ſempiternam, noſque diligentiam veſtram dignis debeamus in Domino laudibus commendare. Dat. Later. II. kal. martii pont. noſtri anno IV.*

LVI. Objurgat Greg. Babyl. Sultanum contra datam fidem nonnullos Chriſtianos vinculis mancipaſſe.

Præterea Pontifex, Templariorum magiſtro vetuit, ne bello Perſico imminente finitimos barbaros laceſſeret, induciaſve cum illis initas violaret, uti ſpreto præfecti a Friderico regni Hieroſolymitani imperio tentaverat, ne ex eo gravius periculum rei Chriſtianæ crearetur, viresque ad retundendos Perſarum impetus debilitarentur. Cumque perlatum eſſet ſoldanum Babyloniæ mercatores Anconitanos, qui apud Alexandriam fide ab eo publice data degebant, ipſius juſſu bonis exutos, aut in ſervitutem conjectos, Pontifex barbarum principem gravi oratione objurgavit, (b) jura gentium turpiſſime violaſſe, hortatuſque eſt, ut tantum a ſe dedecus amoveret, ipſoſque e ſervitute in libertatem vindicaret: *Rem novam, & inſolitam, rem deteſtabilem, & horrendam rumore audivimus obſtupendo, quod videlicet mercatores Anconitanos fideles noſtros apud Alexandriam ſub tuæ ſecuritatis ſolita fiducia commorantes capi feciſti, detineſque captivos bonis omnibus ſpoliatos, quod eſt utique contra fidem, & pacem, quarum prædicabaris hactenus inviolabilis cuſtoditor: eſt etiam contra honorem, & profectum tuum, quibus ex hoc plurimum derogaſti, quia ex parte tua fide taliter violata, hinc de te confidere quis audebit? Quia vero remediabile bonum eſt in exceſſibus accelerata correctio, magnificentiam tuam affectuoſe rogamus, & monemus attente, quatenus conſcientiæ, ac famæ tuæ ſalubriter conſulens prædictos mercatores ob reverentiam divinam, & noſtram cum omnibus bonis ſuis liberaliter reſtituas libertati, ita quod exinde Dei, & hominum evites offenſam, & nos te debeamus in majoribus exaudire. Dat. Reate III. id. Aug. pont. noſtri anno* v. Hæc barbaro principi Gregorius, qui non modo Aſiaticas res, ve-

(b) Lib. 5. ep. 113.



verum etiam Conſtantinopolitanas tueri ſtuduit, ut oſtendunt ejus literæ ad Strigonienſ. archiepiſc. datæ, quibus hortatur, (a) nonnullos principes ad defendendum Conſtantinopolitanum Imperium excitaret, Joannique Regi auxiliares copias conciliare conatus eſt.

(a) Lib. 5. ep. 73.

LVII. Joannes Hier. Rex e Galliis in Ital. ad Pontificem ſe confert.

Comparato in Galliis exercitu Hieroſolymitanum Regem, quem antea ad orientalis Imperii ſceptra vocatum vidimus, hoc anno ineunte in Italiam veniſſe, ſcribit Richardus; cumque Peruſii ſubſtitiſſet, Pontificem Reate conveniſſe ſubdit auctor, qui Venetiis copias impoſuiſſe navibus & Conſtantinopolim applicuiſſe deſcribit his verbis: *Rex quondam Hieroſolymitanus apud Reate ad Papam vadit, de cujus aſſenſu, ut cum filio Imperatoris Conſtantinopolitani de filia ſua contrahat & ipſe ſit curator Imperii, donec in minori conſtitutus ætate perveniat ad legitimam; mare apud Venetias intrans vadit collecto exercitu Conſtantinopolim.*

Venetiis exercitu navibus impoſito Conſtantinopolim appellit.

Appellatus ideo videtur Joannes ab Richardo imperii adminiſtrator, cum ſupra recepto tantum Cæſaris nomine magna modeſtiæ laude ſceptro abſtinuiſſe retulerim. At Pontifex Imperatorem eum deſignatum appellat in literis (b) ad patriarcham Conſtantinopolitanum ſedis Apoſt. legatum miſſis, quibus ſignificat multis difficultatibus in dies emergentibus implicitum hactenus trajectionem diſtuliſſe; ſed demum iis ſuperatis, percuſſo cum Venetis fœdere brevi copias trajecturum: *Licet inopinatæ difficultates emerſerint, quare chariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Rex Hieroſolymitanus illuſtris in Imperatorem Conſtantinopolitanum electus juxta noſtrum, ſuum, & tuum deſiderium, hactenus Imperium adire nequivit, nunc tamen faciente Domino, qui operatur omnia ſecundum ſuæ conſilium voluntatis, & nobis cooperantibus ſtudioſe, ipſis difficultatibus expeditis idem Rex cum honorabili exfortio in proximis kalendis auguſti ad tranſeundum navem, auctore Domino, intraturum, & Veneti tranſlaturos ſeſe invicem juramentis, & aliis cautionibus aſtrinxerunt. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, & monemus attente per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus prænuntiata lætitia hilareſcens, alios modis, quibus potes, ſtudeas confortare, quæcunque Regi tam cito profutura cognoveris, ſolicite procurando, & impedimenta quælibet ſubmovendo, ita quod fidem, & diligentiam tuam dignis debeamus in Domino laudibus commendare. Dat. Lat. VIII. id. maii pont. noſtri anno* v. Petiiſſe Joannem Conſtantinopolim maritimo itinere ſcribit Logotheta, cum validis adeo copiis inſtructus non eſſet, ut terra viam ſibi ferro munire poſſet, ac duobus annis Conſtantinopoli ſe continuiſſe, antequam in Græcos ullam expeditionem adduceret.

(b) Ep. 75.

Trium-

I. Chriſtiana fides in ſeptentrionalibus regionibus amplificata.

TRiumphavit Eccleſia hoc anno trigeſimo ſecundo ſupra milleſimum indictione quinta, in amplificanda religione per extremas ſeptentrionis oras, quæ hactenus frigore obſitæ, fervorem fidei non ſenſerant. Epiſcopus Semigallienſis antequam illam dignitatem conſequeretur, egregium in colluſtrandis evangelii luce populis, operam navaverat; cujus rei nuntio ingenti perfuſus gaudio Pontifex, quo majores illi jam epiſcopo creato animos adderet, neophytoſque confirmaret, illum apoſtolici legati dignitate inſignivit, (a) ac partes injunxit epiſcopos urbibus imponeret, præficeret animarum curæ promovendæ viros idoneos, abbates conſtitueret, cæteraque omnia pro rei dignitate adminiſtraret.

(a) Greg. l. 5. ep. 172.

*Epiſcopo Semigallienſi.*

Pœnitentiarius Card. S. Nicol. A. S. L. ſtrenuam in gentium converſione operam navat.

*Cum in minori adhuc officio conſtitutus, de credito tibi talento fructum acceptabilem, & de labore tuo benedictionis manipulos reportans, digne velut fidelis ſervus, & prudens, ſuper familiam Domini, cui cibum debeas in tempore miniſtrare, conſtitui meruiſti, qui utique de gratia in gratiam, & de virtute proficiens in virtutem, mundi deſideria abnuens, ſtuduiſti ſpiritu ambulare. Olim ſiquidem memor exiſtens, quod nullum Deo ſacrificium eſt acceptius, quam lucrum quærere animarum, fervore devotionis accenſus ad mandatum dilecti filii noſtri Othonis S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi Card. tunc A. S. L. in laboribus & periculis multis, quaſi Jordanem cum Jacob in baculo pro gentium converſione maria tranſiens, non ſolum cum duabus turmis ovium, verum etiam cum diverſis provinciis paganorum in Chriſto credentium remeaſti, ad arcam ſicut columba deferens ramum virentis olivæ in reconciliatione non paucæ barbaræ nationis.*

II. Creatur ep. Semigallienſis.

*Eo igitur in gratia collata tibi a Domino ſuavius delectati, quo exinde flores & fructus perveniunt gratiores, cum non eſſet lucerna ponenda ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut tenebras multorum illuminet, collocanda, te in Semigallienſem epiſcopum manibus noſtris duximus conſecrandum: indubitatam quoque de te gerentes fiduciam, utpote non tam argumentis, quam evidentibus experimentis inſtructi, quod animarum ſalutem, & Chriſtiani cultus ſitias incrementum, ad quæ potens es in opere, ac ſermone, conceſſo tibi in Livonia, Gothlandia, Vinlandia, Heſtonia, Semigallia, Curlandia, & cæteris neophytorum & paganorum provinciis, & inſulis circumpoſitis legationis officio pro fidei finibus dilatandis, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in locis ejuſdem libere Chriſtum annunties, corrigendo perſonas eccleſiaſticas, & eccleſias reformando. Inſtituas quoque in eis, & inde amoveas, cum opus fuerit, abbates, priores alioſque ſubditos, & perſonatus habentes, promovens ad ordines clericos: electionem epiſcoporum confirmans, eiſque conſecrationis, & abbatibus benedictionis munus impendens, cum expedierit & videris opportunum. Virtute igitur ſpiritus indutus ex alto commiſſam tibi ſolicitudinem tam laudabiliter ſtudeas exercere, ut per miniſterium tuum in partibus illis fide catholica propagata, ei placeas, qui ſibi placitos provehit in ſalutem, paratus quod ſupererogaveris, compenſare. Ne autem tibi deſit poteſtatis auctoritas, cui adeſt conſcientiæ puritas, & præſto eſſe creditur judicium rationis, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut contradictores & rebelles excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti cenſura percellas, quia & nos ſententiam, quam in tales rite protuleris, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Dat. Reatæ* v. *kalend. febr. pontif. noſtri anno* v.

Legati apoſtolici munere augetur.

Paucis vero poſt diebus Curlandiam cum omnibus ad ipſam ſpectantibus ipſius fidei permiſit; (b) alioque diplomate ejus amplificata auctoritate hæc adjecit: *Curam epiſcopatuum Revaliæ, Vvironiæ, ac aliorum de Livonia, Vinlandia, & Heſtonia dum vacant, vel eorum epiſcopi ſunt abſentes, tibi perſonaliter uſque ad beneplacitum noſtrum duximus in ſpiritualibus fiducialiter committendam.*

(b) Ib. ep. 182.

III. Curonii Chriſtiana ſacra ampleҫtuntur.

Inter cæteros populos, qui inſanas dæmonum ſuperſtitiones abjecere, Curonii ſeſe Eccleſiæ aggregarunt: ad quorum ornandam pietatem varia in eos privilegia Apoſtolica ſedes conceſſit (c) inter quæ id adjectum, ut nec Daniæ regno, nec Sueciæ ſubiicerentur, ſed perpetua libertate quandiu a fide deſciſcere non accideret, potirentur. Illud tamen onus ipſis impoſitum, ut ad expeditiones pro Chriſtianorum terris defendendis, religioneque proferenda conflandas ſe conferrent, atque intra duorum annorum ſpatium ſummo Pontifici ſiſterent ſeſe, ac facta ab eo imperia religioſe obſervarent, editumque ea de re Cardinalis legati pœnitentiarii diploma iis populis conceſſum corroboravit, cujus ſeriem ſubiicit: *Frater B... monachus Alvenſis, domini Othonis Cardinalis ſedis Apoſtolicæ legati pœnitentiarius, ac nuntius, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Cum inſpirante gratia Spiritus ſancti, ubi, quando, atque quantum vult ſpi-*

(c) Ep. 185.

Quæ leges fœderis cum iis initæ.



*ſpirantis, Lammechinus Rex, & pagani de Curonia de terris Eſeſtua, ſcilicet Durdis, & Saggara, & Kiligundis, quarum hæc ſunt nomina: Thargolara, Oſva, Lanpgis, Venelis, Normis, Kiemala, Piigavvas, Sarnitus, Rivva, Saceze, Edualia, Aliſvvanges, Ardus, Aloſtanotachos, & de aliis Kiligundis villis ex utraque parte Vvinda ſitis offerrent ſe ad fidem Chriſti ſuſcipiendam, terras ſuas, ſe & obſides ſuos per manum noſtram ad manus Domini Papæ conferentes, omnimodæ ejuſdem ordinationi ſtare perpetuo promiſerunt. Nos vero domini Papæ vices in hac parte agentes de communi conſilio eccleſiæ Rigenſis, abbatis de Dunemunde, mercatorum omnium, militum Chriſti, peregrinorum, de civium Regenſium tale cum eis pactum inivimus, & firmavimus conditionem; videlicet quod incontinenti ſacerdotes recipient auctoritate noſtra ſibi deſtinandos: honeſte in neceſſariis procurabunt eos, & eiſdem tanquam veri Chriſtiani in omnibus obedient, & eorundem per omnia ſalutaribus monitis acquieſcent: ab hoſtibus eos ſicut ſeipſos defendent: ab eiſdem omnes tam viri quam mulieres, & infantes ſacri regenerationem baptiſmatis indilate recipient, & aliorum ritus Chriſtianorum obſervabunt. Epiſcopum autem domini Papæ auctoritate inſtituendum eiſdem cum reverentia, ac devotione, tanquam patrem ſuum & dominum recipient, & in omnibus tanquam domino ſuo & epiſcopo aliorum more debito Chriſtianorum perfectiſſime obedientes eidem obtemperabunt, ipſi reverentiam, ac ſubjectionem domino, & epiſcopo ſuo debitam impendentes.*

IV. Gothlandis libertas promiſſa dum in fide Chriſt. perſtiterunt.

*Ad ea vero jura, quæ perſolvere tenentur indigenæ de Gothlandia, per omnia perpetuo tenebuntur epiſcopo ſuo, ſuiſque prælatis annuatim perſolvenda, ita quod nec regno Daciæ, nec Sueciæ ſubiicientur, perpetuam enim eis indulſimus libertatem, quamdiu eos apoſtatare non contigerit: pacto tamen inito & in chartula præſenti conſcripto robur perpetuum obtinente, expeditiones ſuper paganos tam pro terræ Chriſtianorum defenſione, quam pro fidei dilatatione faciendas frequentabunt: infra biennium domino Papæ ſe præſentabunt, & ſecundum ejuſdem arbitrium per omnia perpetuo ſe habebunt, & ordinationem: medio autem tempore inſtituta noſtra perfecte ſervantes, ac præcepta, nobis obedient in omnibus & per omnia obtemperabunt, ſalva in omnibus auctoritate domini Papæ, &c. Actum an. dom. MCCXXX. in die Innocentum. Nulli ergo, &c. Dat. Reate* III. *id. feb. pont. noſtri anno v.*

V.

In altiſſimam evangelii lucem adducti pariter fuerant finitimi populi, quibus ſummus Pontifex leges ſequenti diplomate ad ipſos dato (a) contentas ab O.... Cardinalis legati pœnitentiario latas corroboravit, exciperent ſacerdotes, eoſque omnibus rebus neceſſariis inſtruerent, atque ab improborum hominum injuriis vindicarent, ab illis filios ſacro baptiſmate ablui curarent, cumque Chriſtianus exercitus pro fide contra ethnicos compararetur, ad arma pro eadem cauſa ipſi quoque proſilirent: qui vero ii populi eſſent ad caſtra Eccleſiæ recens traducti, recenſet Semigallienſis epiſcopus: *Cum inſpirante gratia Spiritus ſancti, ubi, quando, atque quantum vult ſpirantis nobis quamlibet indignis adminiſtrantibus, atque procurantibus pagani de Curonia, ſcilicet de Bandovve, de Vvannenia, de citra Vvinda, de villis, quarum nomina hæc ſunt: Rende, Vvaſa, Galle, Matichule, Vvanne, Pyrre, Ugeneſſe, Cadovve, Aazes, Talſe, Arovvelle, Pope, & pluribus aliis fidem ſuſceperint Chriſtianam, ad hoc ipſum obſides ſuos dederunt, & ſacri regenerationem baptiſmatis receperunt. Nos vero de communi conſilio, & conſenſu eccleſiæ Regenſis militum Chriſti univerſorum peregrinorum, omnium civium Rigenſium, & mercatorum tale cum eiſdem pactum inivimus ac firmavimus conditionem, &c.* Eædem ferme ſunt leges, quæ ſuperius aliis neophytis, atque ideo prætermittendas cenſemus.

(a) Ep. 166.

Alii populi Eccleſiæ aggregati.

VI.

Eam porro legem de capeſſendis ad tuendam fidem armis ob id ſummus Pontifex indixit, quod plures iis temporibus, in regionibus illis, gentilitiis erroribus imbuti, adverſus Chriſtianos furore inaudito conjurarent, eorumque ſanguinem immaniſſime effunderent. Inter quos Pruteni, quorum plures ſuſceptam Chriſti fidem abjecerant, cum aliis paganis conſcripto numeroſo exercitu, in vicinas Chriſtianorum terras ſeſe effuderant, horrendaſque intulerant clades, incenderant urbes, lacerarant fœdiſſime plures Chriſti fideles virgines dæmonibus immolarant, totque alia intulerant mala, ut plures nemorum receſſus petere cogerentur. Ad quorum comprimendum furorem, cum ſacræ Theutonicorum familiæ religioſi equites ſtrenue ad bellum ſe accinxiſſent, nec ferendis tamen illorum impreſſionibus numeroque pares eſſe poſſent, admonitus de iis Gregorius Papa, Chriſtianis expeditionem ſacram contra illos promulgare juſſit, ac Bohemos, qui Hieroſolymitanum iter voverant, commutato voto, adverſus Prutenos ſigna attollere imperavit (b) ut teſtantur ſequentes ad memoratos equites miſſæ literæ, ut fideles ad tam pium opus pro concione inflammarent.

Pruteni in Chriſtianorum terras excurrunt.

(b) Eod. l. 5. ep. 168.

*Gregorius, &c.*

*Ex literis venerabilium fratrum noſtrorum Mazovienſis, Vvratiſlavienſis epiſcoporum, & capitulorum ſuorum, necnon pru-*

*den-*

*dentium virorum relatu percepimus quod, pagani Pruteni verum Deum, & dominum Jeſum Chriſtum agnoſcere reſpuentes, ultra decem millia villarum in Pruſſiæ confinio poſitarum clauſtra, & eccleſias plurimas combuſſerunt. Quare ad cultum divini nominis præterquam in ſilvis, in quibus multi de fidelibus latitant, locus hodie non habetur. Ipſi etiam pluſquam viginti millia Chriſtianorum in occiſione gladii poſuerunt, & ignominioſa morte damnarunt, & adhuc de fidelibus ultra quinque millia detinentes in compede ſervitutis, reliquos habitatores Mazoviæ, Cujaviæ, & Pomeraniæ inſtanter perdere moliuntur, juvenes, quos capiunt, continuis, & horrendis laboribus conſumendo, virgines pro ridiculo floribus coronatas in ignem dæmoniis immolant; ſenes occidunt, pueros necant, quoſdam infigendo verubus, quoſdam ad arbores allidendo. Quid ultra? ipſi ferarum more humanum ſanguinem ſitientes in contumeliam Creatoris, quem multi eorum poſt receptam baptiſmi gratiam reliquerunt, luci tenebras præferendo, illa fidelibus infligunt jacula tormentorum, quæ ſtuporem afferunt cogitata, & potius fletus materiam offerunt, quam relatus.*

Ferina illorum crudelitas.

VII. Excitati ad induenda in ipſos arma fideles.

*Et licet dilecti filii fratres hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum Hieroſolymitani pro reverentia Jeſu Chriſti, cujus ſe obſequio devoverunt, aſſumpſerint in Pruſſiæ partibus negotium fidei ex animo proſequendum, cum quibus Deus miſericorditer operatur, reprimendo per eos impetum barbaræ feritatis; quia tamen ad tam arduum negotium ſufficere per ſe nequeunt, & egent fidelium ſubſidiis adjuvari, univerſitatem veſtram monemus, & obſecramus in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus aſſumpto ſanctæ prædicationis officio propter Deum pauperum, & debilium cruceſignatorum in regno Bohemiæ, cum quibus duximus diſpenſandum, vota peregrinationis in ſuccurſum prædictorum fidelium commutetis, & tam eos quam alios fideles in regno conſtitutos eodem ad nimiam charitatem, qua Chriſtus nos dilexit & diligit, reſpectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ tribuit ipſe illis, monitis, & exhortationibus veſtris ſecundum datam vobis a Deo prudentiam informetis diligenter, & ſolicite; poſtulantes, ut ipſi redempti pretio glorioſo, in quos tanquam viros Chriſtianos, & catholicos cadere opprobria exprobrantium Chriſto debent, ſe viriliter, & potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes ad vindicandam injuriam Crucifixi, & ad liberandum proximos de manibus paganorum profecturi, & acturi ſecundum fratrum conſilia prædictorum; ita quod & ipſis præmium debeatur æternum, & infideles non poſſint, quod impune Chriſti nomen impugnaverunt, gloriari, &c.* Correpturis arma in tam juſta cauſa indulgentiarum præmia pollicetur. *Dat. Reate x. kal. febr. pont. noſtri anno* v.

VIII. Stedinghi in Bremenſi provincia graſſantur.

Nec humaniores Prutenis erant in Bremenſi archiepiſcopatu Stedinghi nefanda dæmonum ſuperſtitione faſcinati, qui graviſſima ea tempeſtate, maximeque clericis ac religioſis viris damna crudeliſſime impreſſerant, cunctaque ſacra proterebant. Contra quos Gregorius Chriſti fideles ad induendam crucem incitari pro concione juſſiſſe, pontificiæ literæ epiſcopis Mindenſi, Lubecenſi, & Racemburgenſi miſſæ teſtantur, (*a*) quibus enarratis immaniſſimis eorum flagitiis, peccatorum indulgentias elargitur, cum iis qui ſolemnibus ea de re concionibus interfuiſſent, tum etiam illis, qui ſuam opem & auxilium in ſacram expeditionem contuliſſent: *Intenta fallaciis ſathanæ malitia reperiri neſciens in periculis otioſa quoſdam, qui Stedinghi vocantur in Bremenſi provincia conſtitutos, ſicut dolentes audivimus, & referimus cum horrore, a notitia Creatoris ita reddidit alienos, ut amentes effecti, & quadam inſania ventilati, relicta ſemita veritatis, in invium adeo ſunt deducti, quod nec Deum, nec homines reverentes, doctrinam ſanctæ matris Eccleſiæ vilipendunt, ejus libertatem impugnant, & dediti crudelitatis officio, quaſi de ferinis uberibus fuerint enutriti, nulli parcunt ſexui, vel ætati. Quid ultra? effundentes ſanguinem ſicut aquam, clericos, & religioſos ferali more lacerant, & quoſdam adinſtar crucis affigunt parieti in opprobrium Crucifixi. Ipſi etiam, ut expreſſione majori ſe perfidos indicent & divinæ potentiæ contemptores, ſalutis noſtræ viaticum, quo vita tribuitur & mors tollitur peccatorum, horribilius quam deceat exprimi, pertractantes, quærunt reſponſa dæmonum, ſimulacra cerea faciunt, & in ſuis ſpurcitiis erroneas conſulunt pythoniſſas, alia perverſitatis opera perpetrantes, quæ ſtuporem inferunt meditata, & fletus materiam potius offerunt, quam relatus. Verum quia hujuſmodi exceſſibus tam iniquis potenti dextera fidelium eſt celeriter obviandum, ut illorum horrenda ſævitia per objectæ virtutis inſtantiam dejectionis ſentiat detrimenta, &c.* Hortatur, ut populos ad corripienda defendendæ religionis gratia contra nefarios dæmonis cultores pro concione incitent, ac præmia indulgentiarum expeditionem ſuſcepturis proponant. *Dat. Anagniæ* IV.

(*a*) *Lib. 6. ep.* 151.

Sæva illorum barbaries ac impietas.

Solicitati ad arma adverſus ipſos fideles.

kal.



*kal. novemb. pont. noſtr. anno* VI. [1]

De Stedingis ait Stadenſis, (*a*) archiepiſcopum Bremenſem caſtrum Slutere ad frænandos eorum impetus excitaſſe, ac ſtatim ab ipſis everſum; ſubditque defuncto hoc anno Chuſphoro abbate Stadenſi in ejus locum ſe fuiſſe ſubrogatum. Cæterum in Auſtria nefandum flagitium plures infecerat, cui excindendo viros religioſos incumbere juſſit (*b*) Gregorius, Lundenſique archiep. injunxit, ut magiſtratuum implorata ope nonnullos clericos coerceret, qui ne ob morum impuritatem pœnis canonicis afficerentur, coitiones iniverant: Argentinenſi (*c*) pariter epiſcopo præcepit in clericos hæreſeos nota inuſtos eadem ſeveritate atque in laicos animadverteret: denique Maguntinenſi, ut in mali auctores zelum exereret; plures vero hæreſes in Germania hoc anno detectas, earumque ſectatores flammis injectos tradit Godefridus (*d*); in quam ſententiam hæc Siffridus (*e*): *In Theutonia multi hæretici tonſi, & cremati ſunt a magiſtro Conrado de Martburge ex commiſſione domini Papæ Gregorii.* Verum hoc reiiciendum videtur in annum ſequentem, cum hæc Conrado adverſus hæreticos provincia ab ſede Apoſtolica eſt demandata.

(*a*) *Stad. in chron. hoc ann.*

Plures hæreſes emergunt in Germania.

(*b*) *Ib. ep.* 79. 80.

(*c*) *Ep.* 144.

(*d*) *Godef. in annal.*

(*e*) *Siffrid. ep. l.* 2.

In eas ferro flammaque pugnatum.

IX. S. Gothardi tranſlatio.

Cæterum dum perditi hæretici ſuas in Germania errorum tenebras offundere nitebantur divino conſilio factum eſt, ut eodem tempore plurium miraculorum, quæ ſanctorum opera ad eas diſcutiendas patrabantur, fulgore radiaret; de ſancti enim Gothardi tranſlatione, deque ejus miraculis hæc auctor additionum ad Lambertum: *S. Gothardus anno dormitionis ſuæ centeſimo primo minus uno die dicti anni*, nimirum MCCXXXII. *die ultimo* IV. *non. maii in Hidenshem e terra levatur, cujus ſignorum admirabili magnitudine omnis Germania illuſtrata lætatur.* Effulgebat etiam iiſdem temporibus B. Eliſabeth pluribus miraculis, ingentiaque beneficia Deus in eos, qui ſe illius precibus commendabant, explicabat: quorum fama cum latius percrebuiſſet, Gregorius Conrado Marpurgenſi, atque archiepiſcopo Maguntino, & abbati de Berbarch provinciam demandarat, (*f*) ut cœleſtia illa prodigia ad ſepulcrum illius edita certius inquirerent, teſtibuſque adhibitis redacta in tabulas publicas, ſigilliſque communita per nuncios, cum imperatum eſſet, ad apoſtolicam ſedem tranſmitterent: *Cum lætitia dulcium lacrymarum concurſibus comitata pridem dilecte fili frater Conrade ex literis tuæ devotionis accepimus, quod ille artifex glorioſus, qui terram in aurum, & aquam alterat in cryſtallum claræ memoriæ ancillam ſuam E... quondam chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Lantgraviam Turingiæ jure naturæ fragilem & labilem, demum dono gratiæ in cultu divini nominis ſtabilem, & robuſtam, ac tandem mundanæ miſeriæ compedibus expeditam aggregavit collegio ſupernorum gloriam conceſſæ beatitudinis ſignis exprimens glorioſis. Nam circa ſepulcrum ejus & locis aliis per invocationem ſui nominis, & devotionis ſinceræ ſuffragia, vita mortuis, lumen cæcis, auditus ſurdis, verbum mutis, & greſſus claudiis cœleſti dextera conferuntur.*

B. Elizab. miraculorum gloria coruſcat.

(*f*) *Lib. 6. ep.* 121.

X. De iis inquiri jubet Greg.

*Verum etſi per virtutum inſignia, quibus olim jam dicta Lantgravia extitit multipliciter inſignita, ſeu per famoſa miracula, quibus ejus ſancta rutilare dicitur ſepultura, cœleſtis ſponſi vocibus eſſe de ſanctorum numero debeat affirmare; tamen quia mentibus ambiguis ſubito rei veritas non clareſcit, & repentinis non ſolet miraculorum relatibus quorundam ſpiritus exultare, eo quod omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet nivem imitatur, nos quos providentia præambula decet feſtinos in certis, & lentos in dubiis inveniri, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta mandamus, &c.* Partes iis imponit, ut propoſita tantum ob oculos divina gloria magna conſilii maturitate miraculorum veritatem diſcutiant, atque in publicas tabulas referant. *Dat. Anagniæ* II. *id. octob. anno* VI. Deque eadem re alteras literas miſit, (*g*) quibus miraculorum teſtes diligentiſſime interrogari, atque ad examen vocari juſſit, ac de examinis forma hæc demum tertiis literis (*h*): *Teſtes legitimi, qui ſupra vita, converſatione ac miraculis quondam Eliſabeth Lantgraviæ Thuringiæ ſunt recipiendi, prius ab eis præſtito juramento diligenter examinentur, & interrogentur de omnibus, quæ dixerunt, quomodo ſunt,*

(*g*) *Ib. ep.* 122.

(*h*) *Ep.* 123.



NOTÆ [1] CONRADUS Martburgenſis anno iſto hæreticos inſectari ad necem cœpit, ut non Siffridus tantummodo, hic ab Annaliſta laudatus & rejectus, ſed & Anonymus Erfordienſis coævus affirmat, qui etiam hæc notat: *circa Rhenum nonnulli, & alibi innumerabiles hæretici per magiſtrum Cunradum de Maburc authoritate apoſtolica examinati, ac per ſententiam ſæcularem damnati, combuſti ſunt igne; fueruntque etiam præſente eodem Cunrado Erphordiæ III. Non. maii quatuor combuſti.* Ex his conficitur deſtinationem pontificiam Conradi anno iſto cœpiſſe. Nec aliter perſuadent literæ illæ pontificis ad eumdem, ſequenti anno ſcriptæ; in illis etiam nihil habet pontifex quo ſignificet ſe tunc primo Conradum in hæreticos deſtinare. MANSI

*ſunt, quo tempore, quo menſe, quo die, quibus præſentibus, quo loco, ad cujus invocationem, quibus verbis interpoſitis, & de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur, & ſi eos ante cognoſcebant & quot diebus ante viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi, & de qua civitate ſunt oriundi, & interrogentur de omnibus circumſtantiis diligenter, & circa ſingula capitula fiant, ut expedit, quæſtiones præmiſſæ. Et ſeries teſtimonii & verba teſtium fideliter redigantur in ſcriptis.*

XI. De Eliſabeth ſanctitate in luce & ore totius populi Chriſtiani collocata locuti, Conradi Lantgravii Thuringiæ, [1] qui non mediocrem ad eam cœlitum albo referendam, operam defixit, eximium pœnitentiæ exemplum piſſimumque facinus conjungere libuit. Nimio ipſe antea zelo percitus cum abbatem quemdam ob negatas Siffrido archiepiſcopo Maguntino pecunias ſquallore obſitum nudoque tergo virgis publice cædendum Friſlavi audiiſſet, in archiepiſcopum avarum adeo excanduit, ut facto in eum impetu proxime abeſſet, quin eum jugularet, atque e civitate prorumpens, contractis mox copiis, eam obſidione cinxit: quam cum expugnare non poſſet, & vaſa colligere meditaretur, meritriculæ pro muris civitatis denudato utero, jactiſque conviciis adeo ipſum exaſperarunt, ut rurſus obſidioni inſtiterit, urbemque captam nullo prophani ſacrive loci diſcrimine ferro flammaque deleverit. Sed cum crudele factum conſcientiam poſtea lancinaret, veniam a deſolatæ urbis civibus ſupplex popoſcit, in pia loca liberaliter ingentia bona contulit, religioſo Theutonicorum equeſtri ordini ſeſe aggregavit, Romam petiit, a Pontifice abſolutionem obtinuit, largas eleemoſynas effudit pauperibus, famuli obſequia ſæpius demiſſe exhibuit, de B. Eliſabeth uxore fratris ſui in catalogo ſanctorum reponenda cum Pontifice pluribus egit, explicitiſque Romæ innumeris virtutum exemplis, in Germaniam reverſus crucigerorum magiſter eſt ſalutatus: quæ licet anonymus hiſtoriæ Lantgraviorum Thuringiæ auctor ſequenti anno conſignet, in hunc opportune congerenda duximus. Sed de his ſatis; jam ad Ungaricas res excurramus.

Excitati inter Siffridum & Lantgravium belli cauſæ.

Friſlavum a Lantgravio obſeſſum.

Ferro flammaque deletum.

Facinoris pœnitentia ductus Lantgravius religioſis equitibus ſe aggregat.

XII. Quamvis Eliſabeth parens Andreas, quem Gregorius etiam eo privilegio ornarat, ut nullus ipſi anathematis notam niſi facto a ſede Apoſtolica imperio poſſet inurere, Ungariæ ſceptra tractaret, tanta tamen Sarracenorum, Judæorum, aliorumque infidelium multitudo in eo regno pullularat, ut duriſſimo illorum jugo plures Chriſtiani opprimerentur: ac licet anno ſuperiore, ut vidimus, a Gregorio atque apoſtolico legato Strigonienſi archiepiſcopo pro reſtituenda ſuo ſplendori re Chriſtiana, quæ periclitabatur, deſudatum eſſet, nullum veteribus malis remedium adhibitum erat: atque nimia ejuſdem Regis, qui ſe procerum conſiliis nefariis ſubornari patiebatur, facilitate vel ignavia potius, excreſcente infidelium potentia, ac multis Chriſtianis a fide deſciſcentibus, omnia in pejus collapſa erant. Robertus itaque archiepiſcopus Strigonienſis juſtiſſimo zelo percitus interdicto Ungariam perculit, Regem ut reſipiſceret monuit, ac præcipuos illius miniſtros, qui graviſſimis etiam ſeſe ſceleribus inquinarant, cœtu fidelium, vibrato anathemate, abegit; utque interdicto lato vires adderet, Jacobum electum Præneſtinum A. S. L. & alios conſpicuos in Ungaria epiſcopos exoravit, publicis litteris univerſos Chriſti fideles facerent certiores, ſe diploma (*a*) ſummi Pontificis, quo ipſi auctoritas fulminandi interdicti demandata eſſet, recognoviſſe. Roganti archiepiſcopo morem geſſere præſules ac publicis literis apoſtolicas, quas nos ſuperiore anno attulimus, tum alias miſſas a Gregorio eodem argumento ad Regem literas, quibus ipſum hortabatur ad tollenda ea mala ſedulo incumberet, inſeruere, atque adjecere Regem iis permotum conſtitutionem ad componendum regni ſtatum ediſſe, quam pariter iidem epiſcopi literis ſuis inſinuarunt his verbis.

Religio Chriſtiana in Ungaria laborat.

(*a*) *Ann. Chr.* 1231. *ex reg. Greg. l.* 4. *ep.* 124.

*In*

NOTÆ [1] IN hiſtoria Conradi Thuringii nonnulla ſunt, in quibus Annaliſta peccat. Conradus iſte alius erat a Lantgravio; qui enim poſt deceſſum Ludovici, viri S. Eliſabeth, principatum invaſit non Conradus, ſed Henricus appellabatur. Hinc recte anonymus Erfordienſis Conradum hunc fratrem Conradi appellat. Arma vero tuliſſe aſſerit in archiepiſcopum Moguntinum pro monte Helagemberc in Haſſia ſito. Longe alia eſt hæc cauſa belli movendi ab ea, quam author hiſtoriæ Lantgraviorum comminiſcitur. Addit idem hiſtoricus coævus, & forte teſtis oculatus. *Cunradus XVII. Kal. octobris civitatem Fritiſlarienſem contra multorum opinionem incendio cœpit, ſecum captivos adducens epiſcopum VVormatienſem, ac Gumbertum ejuſdem loci præpoſitum, & quoſdam canonicos, cum aliis fere CC. militibus. Fridericus itaque de Drivordia, ac ſui complices magnam inde pecuniam a civibus ibidem depoſitam manu ſacrilega auferentes, libros, calices atque eccleſiæ ornatum cum SS. reliquiis diſtraxerunt &c.* Non ergo hæc præſtitit Conradus Thuringius, ſed alius quidam ſceleſtus in ejus exercitu. Denique hæc omnia anonymus iſte in annum præſentem confert. MANSI



XIII. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Andreas Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galatiæ, Lodomeriæque Rex in perpetuum, concedimus tam eis, quam aliis jobagionibus & ſervientibus regni noſtri libertatem a ſancto Rege*, nimirum Stephano primo Ungarorum Rege, *conceſſam, ac alia ad ſtatum regni noſtri ordinandum pertinentia, in hunc modum confirmamus. In feſto S. Regis noſtri niſi arduo negotio regni noſtri ingruente, vel infirmitate prohibiti fuerimus, Albæ tenemur ſolemnizare, ut ibi oppreſſi ſine timore querimonias ſuas nobis poſſint exponere: ſed ſi nos non poſſumus intereſſe Palatinus intereſſe tenetur, & vice noſtra cauſas audiat, & omnes ſervientes noſtri & alii qui volunt, libere & ſine timore illuc conveniant prælati eccleſiarum aut archiepiſcopi & epiſcopi ad pauperum querimonias audiendas, ex infraſcriptæ formæ libertatis conceſſæ confirmatione, niſi canonica præpeditione fuerint impediti, tenentur intereſſe. Si palatinus interim male adminiſtraverit negotia Regis & regni, ſupplicabunt nobis, ut utiliorem loco ejus conſtituamus, quem volumus, quod nec nos nec poſteri aliquos unquam capiant, vel deſtruant, niſi prius ordine judiciario conveniantur, & cum iſta ſacramento noſtro & principum noſtrorum fuerint confirmata. Si qui per nos vel per filios noſtros vel per quoſcunque poſt idem tempus, ſcilicet decimo ſeptimo anno regni noſtri ſine judicio ſunt ſpoliati, plene reſtituantur. Item nullam collectam, nullam exactionem, nec lucrum cameræ, quocunque nomine poſſit cenſeri, occaſione aliqua ſuper homines cujuſcunque nationis, vel conditionis colligi faciemus, exceptis, qui fiſco regio in debito cenſu tenentur ſuper domos ſervientium, vel villas, nec nos, nec agaſones, nec falconarii, nec cariferi, nec curriferi noſtri deſcendant ipſis invitis. Ubicunque autem alibi nos vel dictos officiales noſtros deſcendere contigerit, juſtam æſtimationem ſolvi faciemus, ſicut in ſequentibus continetur.*

Andreæ conſtitutio de emendandis regni abuſibus.

Habendis albæ comitiis, pro juſtitia adminiſtranda.

Non imponendis vectigalibus.

Non exercendis rapinis.

XIV. *Et quia propterea tam per deſcenſus noſtros, & dominæ Reginæ, ac filiorum noſtrorum, intolerabilia damna, & gravamina per totum noſtrum regnum fieri videbamus, diſtricte præcipiendo ſtatuimus, ut nihil recipiatur ad coquinam noſtram, vel noſtrorum niſi juſto dato pretio. Similiter & de annona, & de vino, & aliis neceſſariis nihil recipiant, niſi dato juſto pretio. Pro domeſtico autem, cui juſtitia exhibita non fuerit, tres ruſtici de villa jurare debeant, & ad eorum juramentum hoſpes quicunque fuerit, domeſtico plenam faciet juſtitiam cum judiciali regali, vel dominus villæ, quicunque fuerit, ſive archiepiſcopus, ſive epiſcopus, ſive nobilis ille per literas hoc verbo veritatis dicere teneatur. Quicunque vero nobiles juxta formam ſtatuti noſtri juſtitiam non fecerint, tales quilibet epiſcopus in ſua diœceſi excommunicet, & nos eos pro excommunicatis tamdiu habebimus, donec injuriam paſſo ſatisfiat competenter.* Et infra:

Percellendis anathemate judicibus ſi ab æquitate deflexerint.

XV. *Nobis facientibus exercitum extra regnum nobiles nobiſcum ire non tenentur, niſi comites & ſtipendiarii, & jobagiones caſtri, & qui ex officio debito tenentur, quibus amplas conceſſimus poſſeſſiones. Si vero exercitus ſuper regnum venerit, univerſi, & ſinguli ad defenſionem patriæ contra inimicos ſe opponere teneantur. Regreſſo ſuperveniente exercitu pro vindicta ipſos tenentur perſequi. Palatinus vero comes homines omnes indifferenter diſcutiet, præter perſonas eccleſiaſticas, & clericos, cauſas matrimoniales, & dotes & alia eccleſiaſtica, quacunque ratione videntur ad eccleſiaſticum examen pertinere.*

Conflandi exercitus modo.

XVI. *Cauſæ nobilium, quæ ad perditionem capitis aut deſtructionem poſſeſſionum eorumdem pertinent, ſine conſcientiæ regiæ periculo terminentur. Palatinus judices vicarios non habeat, niſi unicum in curia ſua, & caveat diligenter, ne contra præſens ſtatutum aliquem judicet, vel condemnet. Curiales comes noſter, dum in curia noſtra manet, omnes judicet, & cauſam inchoatam in noſtra curia ubique poſſit terminare, ſed exiſtens in prædio ſuo, vel alibi extra curiam noſtram nec dare præſtaldos, nec partes poſſit citari facere. Et quia multi in regno læduntur per falſos præſtaldos, citationes vel teſtimonia eorum non valeant niſi per teſtimonium diœceſis epiſcopi, vel capituli, nec falſificatus præſtaldus poterit ſe juſtificare, niſi eorumdem teſtimoniis in factis majorum, minorum, viſinorum, conventuum, vel clauſtrorum teſtimoniis; præſtaldum nullus per annum, vel biennium, vel ultra ſecum detineat, niſi uſum ad deciſionem cauſæ, ad quam impetravit.*

Eccleſiaſticis ſuum tribunal habituris.

XVII. *Hoſpites nobiles ad regnum venientes, niſi incolæ eſſe velint, ad dignitates non promoveantur: per tales enim divitiæ regni extrahuntur. Uxores decedentium, vel condemnatorum per ſententiam ad mortem, vel in duello ſuccumbentium aut alia ex quacunque cauſa non fraudentur dote ſua. Uxores furum vel latronum vel eorum liberi pro delictis patrum non vendantur. Integros comitatus vel dignitates in prædia non transferemus. Statuimus jobagiones caſtrorum ſecundum libertatem a ſancto Rege conſtitutam, ſimiliter & hoſpites cujuſcunque nationis ſecundum libertatem ab initio eis conceſſam perpetuo teneri. Ad ſecandas indagines, ad foſſata facienda, ad hortos, ad quæcunque regia ædificia, vel officinas ſervientium, vel eccleſiarum populos non cogemus. Præter vigeſimam, quam ab antiquo Reges*

Exteris ad dignitates non admittendis.



*ha-*

*habent, decimas non exigemus, quia per hoc populus gravatur. Porci noſtri in ſilvis, vel pratis ſervientium contra voluntatem eorum non paſcantur.*

XVIII. Judæis & Sarrac. publicis muneribus ſubmovendis.

*Monetæ, & ſalibus & aliis publicis officiis Judæi, & Sarraceni non præficiantur. Poſſeſſiones extra regnum non conferantur, & ſi aliquæ ſunt collatæ, vel venditæ populo regni ad redimendum reddantur vel ſimpliciter recipiantur. Item per ſingulos marturinos quatuor pondera perſolvantur. Quæcumque inde provenerit tertia pars domino fundi & duæ partes domino terræ perſolvantur: comites jure ſui comitatus ſint contenti; cætera ad Regem pertinentia, ſcilicet ibriones, tributa, boves & duæ partes caſtrorum ad Regis voluntatem, cui voluit, diſtribuentur. Item quandocumque aliquos ordine judiciario convinci contigerit, in voluntate noſtra erit, bona ipſorum penes nos retinere, vel aliis pro velle noſtro diſtribuere; incendium tamen mitti nolumus ſuper villas eorundem. Ut autem hæc noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum temporibus firma & inconcuſſa permaneant, tam nos, quam filii noſtri præſtito corporaliter juramento confirmavimus, & tam noſtro quam filiorum noſtrorum ſigillis fecimus roborari, ſpontanee conſentientes, ut ſive nos ſive filii noſtri ac ſucceſſores noſtri hanc a nobis conceſſam libertatem confringere voluerint, Strigonienſis archiepiſcopus, præmiſſa legitima admonitione, nos vinculo excommunicationis & eos innodandi habeat poteſtatem. Dat. anno ab incarnatione Domini milleſimo duceteſimo triceſimo primo; anno vero regni noſtri vigeſimo nono.* Hactenus Andreæ Regis conſtitutio lata anno ſuperiori.

XIX. Queritur Strigon. arch. non ſervari eas leges.

Verum cum ad temperandum Pannoniæ ſtatum, coercendoſque Judæos ac Sarracenos improborum audacia, ac Regis ſegnitie parum illa valuiſſet, archiepiſcopus Strigonienſis, ut munus ab Romano Pontifice injunctum obiret, eccleſiaſticas cenſuras in regnum regioſque miniſtros diſtrinxit, & cauſas, quæ ad eas vibrandas perpuliſſent, his verbis expreſſit: *Nullis itaque correctis de his omnibus, quæ D. Papa rogaverat, mandaverat, & præceperat corrigenda, contempta etiam & non obſervata conſtitutione domini Regis ſupradicta, ultimus error factus eſt pejor priore, & noviſſima prioribus ſunt pejora, cum non ſolummodo Sarraceni præficiantur cameræ, & publicis officiis,*

Infideles gratia & auctoritate creviſſe.

*immo conditione eorum facta meliore quam antea; quidam eorum, qui quaſi ſervilis conditionis hucuſque fuerunt, & ad ſolvendam quamdam ſummam pecuniæ annuatim dominæ Reginæ tenebantur, nunc ab hujus conditione liberati facti ſunt ſtipendiarii, & liberis hominibus ſunt æquales. Solebant quandoque Chriſtiani ritibus Sarracenorum adhærere, æſtimantes leviorem conditionem impoſitam Sarracenis in Ungaria, quam pauperibus Chriſtianis.*

Inde Chriſtianos ad defectionem a fide pellici.

*Quid facient amodo hujuſmodi ſimplices & imbecilles Chriſtiani, cum videant ſibi Sarracenos dominari, & nobilibus eſſe pares? præſumendum eſt, quod libentius quam antea paulatim tam propter lucrum temporale, quam propter levem conditionem ſe transferent ad ritum, & fœditatem paganorum. Poteſtis etiam ſcire, quod per hujuſmodi apoſtaſiam in partibus iſtis animarum infinita millia perierunt.*

Imperia pontificia ſpreta.

*Quod autem diximus de Sarracenorum articulis, idem vel ſimile dicere poſſumus de ſingulis articulis in literis D. Papæ comprehenſis, cum nullus eorum ſit correctus; quippe eccleſiarum, monaſteriorum, orphanorum, clericorum, pauperum conditio de die in diem aggravatur.*

Regnum ſceleratorum rapinis, & furori expoſitum.

*Nam & multæ poſſeſſiones, redditus, & beneficia, quæ per privilegia regalia eccleſiæ & domus religioſæ poſſidebant per malitiam Sarracenorum, per iniquas ſuggeſtiones conſiliariorum domini Regis, domibus religioſis, & eccleſiis ſunt ſubtracta.*

XX.

*Ne igitur crimen inobedientiæ, ne Dei, & ſummi Pontificis incurramus offenſam, ne etiam tanquam mercenarii, & non paſtores veniente lupo, tanquam canes muti non valentes latrare, fugere comprobemur, ne tantam injuriam miſerorum, tantam contumeliam fidei Chriſtianæ, tantam oppreſſionem eccleſiarum, & ordinis clericalis diſſimulare videamur, cum dominus Rex Andreas ſæpe per nos admonitus ad piam, & paternam admonitionem ſummi Pontificis ſupra clericos exceſſus corrigere noluerit,*

Andream officii monitum malis non occurrere.

*nos mandatum apoſtolicum exequendo auctoritate domini Papæ, qua fungimur in hac parte, totum regnum Ungariæ ſuppoſuimus interdicto, probibentes, & interdicentes auctoritate ſuper hoc nobis commiſſa, ne quis in regno Ungariæ, ſive in Strigonienſi, ſive in Colocenſi provincia, ſive in curia domini Regis, vel filiorum ſuorum, vel alibi præſumat divina celebrare.*

Ungaria ob hæc interdicto eccleſiaſtico ſuppoſita.

*Quidam vero quibus hoc a jure, vel ex ſpeciali privilegio indultum eſt, ſubmiſſa voce, campanis non pulſatis, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, divina poterunt celebrare. Præterea prohibemus, & interdicimus, ne quis in prædictis provinciis præſumat divina ſacramenta miniſtrare, hoc excepto, quod baptiſma parvulis, corpus & ſanguis Domini, pœnitentia & ultima unctio laborantibus in extremis non negetur: corpora tamen eccleſiaſticæ ſepulturæ non tradantur. Cuilibet parrochiali ſacerdoti liceat ſemel in menſe januis clauſis, campanis non pulſatis, excommunicatis, & interdictis excluſis, voce ſubmiſſa celebrare divina, & corpus Chriſti conficere ad opus infirmorum* [1].



XXI. Regii conſiliarii defixi anathemate.

*Quia vero regiæ celſitudini, in quantum ſecundum Deum poſſumus, deferre volumus, nondum in perſonam ipſius ſententiam tulimus, ejus correctionem expectantes. Conſiliarios autem ejus, quorum conſilio ipſe retrahitur, & retardatur a correctione ſupradictorum exceſſuum, & quorum ſuggeſtione Sarracenos exaltavit, & publicis præfecit officiis, excommunicationis ſententia innodamus. Dionyſium vero comitem palatinum, non ſolummodo ob cauſam prædictam, immo multis aliis de cauſis nominatim excommunicavimus, utpote qui non ſolum eccleſiaſticas perſonas quamplures rebus ſuis, & beneficiis, & eccleſiis ſpoliavit; immo aliquos viros eccleſiaſticos fecit percuti, & inhoneſte tractari, ut de injuriis & violentiis præpoſito, & plebanis de Scepiis, & per ipſum & ſuos illatis ad præſens taceamus. Tacere non volumus nec debemus, quod magiſtrum Joannem præpoſitum Poſſonienſem alapis fecit cædi, & tractari inhoneſte, nec de hoc eccleſiæ, nec paſſo injuriam ſatisfecit. Præterea Sarracenos & falſos Chriſtianos in ſua malitia protegit, & tuetur, aliquos etiam in ſuis prædiis receptando. Nicolao camerario magiſtrorum tabarnicorum, cum ſit domini Regis conſiliarius, & ejus conſilio omnia Regis, & cameræ negotia diſponantur, damus inducias uſque ad diem cœnæ Domini proxime venturum, ut interim quæ per ipſum in prædictis articulis perperam acta ſunt, ſtudeat emendare: alioquin ex tunc ſciat nominatim ſe excommunicatum, & ab omnibus evitandum. Præterea Samuelem quondam comitem cameræ nominatim excommunicamus, pro eo quod ipſe infamatus, & convictus de hæreſi, in purgationem, & correctionem ſui erroris aſſumpta cruce, dato & recepto ad hoc termino, ut eat ultra mare, & non ivit, immo Sarracenos & falſos Chriſtianos ſimiles ſui ſuſtinet & defendit.*

XXII. Prohibentur Chriſtiani ne commercium cum infidelibus ineant.

Dein ad tuendam religionem, ne Chriſtiani ſolito cum Sarracenis commercio in eorum pravos mores deflecterent, familiaritatem cum illis ſuſtulit, interdictumque ſumma religione ſervari præcepit; quod ſi aliqui in dubium revocarent, an eam auctoritatem a ſummo Pontifice obtineret, monet aliquos ad ſe transmittant, qui literas Pontificis perlegere, contentaque illis referre poſſint: *Item auctoritate Dei & Domini Papæ prohibemus, & interdicimus, ne aliquis Chriſtianus in aliquo commercio vel contractu, vel aliquo modo communionem habeat aliquam cum aliquo Sarraceno, donec omnes Sarracenos baptizatos vel baptizari volentes, vel baptizatorum filii ſive ſunt Ungari ſive Bulgari, ſive Cumani, vel cujuſcunque nationis homines reſtituant, & dimittant, ſive apud eos in ſervitute, ſive in libertate fuerint commorati. Auctoritate igitur ſummi Pontificis, qua fungimur*

NOTÆ. [1] HUic interdicti ſententiæ in regem Hungariæ lucem affundere credimus non modicam epiſtolam Andreæ ad Gregorium papam, vulgatam a Dacherio in ſpicilegio to. III. pag. 610. nov. edit. Narrat ibi rex ſe ab archiepiſcopo Strigonienſi atroci injuria affectum fuiſſe; nam ait: *nuper ad initium Quadrageſimæ, cum ſacroſancta jejunia ſuſciperemus, ſubito R.* (Robertus) *Strigonienſis archiepiſcopus, occaſione, authoritatis a vobis* (a Gregorio ſcilicet) *ſuſceptæ, in me & regni mei colonos, & univerſaliter per totam Hungariam ſententiam tulit interdicti, & quoſdam meos familiares.* (Dionyſium Palatinum de quo in literis archiepiſcopi in annalibus legendis) *ſententia excommunicationis innodavit.* Addit, archiepiſcopum vix tandem exoratum permiſiſſe, ut interdictum illud uſque ad feſtum S. Regis (Stephani quod in diem II. ſeptembris incidit) ſuſpenderetur; ſe vero interim mittere Romam ablegatos ſuos Dionyſium comitem Palatinum, Simonem comitem Levirenſem, & Rembaldum magiſtrum hoſpitalis in Hungaria, & Silave. Conſignatur epiſtola *ex inſula Bubalorum in proxima dominica ante aſcenſionem Domini, regni noſtri anno XXIX.* Ex hac epiſtola conſtat ſententiam interdicti latam fuiſſe ineunte anno 1232. non vero exeunte, ut ſuſpicari quis poſſet ex notis chronicis epiſtolæ, quæ in Annalibus hic num. 19. recitatur, in qua interdicti hujus ſententia deſcripta eſt. Data eſt enim illa anno MCCXXII. menſe decembris. Hæc vero poſterior epiſtola ſcripta fuit poſtquam interdicti ſuſpenſione, de qua in priori epiſtola, remota, in toto regno divina ceſſarunt.

An vero conſtitutio Andreæ hic num. 13. relata ad annum præcedentem, ut ſenſit Annaliſta hic num. 18. vel potius ad præſentem pertineat, adhuc dubius hæreo. Licet enim annus 1231. eidem conſtitutioni adjectus eſt, adhuc tamen annus XXIX. regni Andreæ, qui ibi pariter adnotatur, annum 1232. exigit. Nam idem annus Andreæ XXIX. in epiſtola quam modo ex Spicilegio retulimus, cum anno 1232. perſpicue conjungitur. Non enim epiſtola hæc ferens *nuper ad principium quadrageſimæ* latum fuiſſe interdictum, ad alium annum reiici poteſt, ut probat epiſtola Strigonienſis archiepiſcopi ſcripta anno 1232. cum jam interdicto Hungari ſubeſſent. Conciliari quidem hæc non poſſunt cum epocha regni Andreæ ducta ab anno 1205. circa menſem junium; ſed neque cohærent cum notis chronicis diplomatis Andreæ relati in codice diplomatico Melitenſi to. I. pag. 109. in quo annus XIII. regni ejus cum anno 1217. illigatur. His inter ſe comparatis ſuſpicor, conſtitutionem ad annum 1232. promovendam eſſe, ut annus XXIX. regni Andreæ indicat. Epocham regni illius figendam, an. 1204. ante diem XXVII. aprilis, quæ dies in epiſtola Spicilegii denotatur. Ex hoc vero conſequatur neceſſe eſt, ut anno 1217. annus XIII. regni Andreæ itidemque anno 1232. die XXVII. aprilis annus regni ejuſdem XXIX. conjungi poſſit. MANSI

*mur in hac parte, vobis mandamus, & in virtute obedientiæ, ea auctoritate, qua nobis diſtricte præceptum eſt vobis diſtricte præcipimus, quatenus interdictum obſervetis, & per veſtram diœceſim ſine dilatione aliqua faciatis promulgari & firmiter ab omnibus obſervari. Si qui vero ſacerdotes, vel alii viri eccleſiaſtici, poſtquam ad eos notitia hujus interdicti pervenerit, ipſum interdictum firmiter & diligenter non obſervabunt, & contra prædictam formam divina celebrare præſumpſerint, in perpetuum ab executione ſui officii ſint ſuſpenſi, niſi per Apoſtolic. ſedem, cujus auctoritate hoc actum eſt, fuerint reſtituti. Si autem dubitatis, an mandatum ſummi Pontificis habeamus, ad nos mittatis aliquos, quibus fidem adhibeatis, qui videant & legant literas domini Papæ, & vobis referant veritatem, &c.* Subditur promulgaſſe epiſcopos, flagitante archiepiſcopo Strigonienſi, interdicti formam, Pontificias literas, eamque conſtitutionem tranſcripſiſſe ſuis ac ſigillis muniviſſe. *Actum Budæ anno Dominicæ incarnat. MCCXXXII. menſe decembris.*

XXIII. Hæc quidem magno zelo a Roberto archiepiſcopo A. S. L. ad comprimendos infideles geſta: ſed cum ſacrorum antiſtitum zelo principes non obſecundaſſent, meruit poſtea Ungaria ob commiſſum in fovendis infidelibus crimen, infidelium horrenda excurſione inundari, qui (ut inferius enarrabitur) florentiſſimum regnum in vaſtam ſolitudinem redegerunt. Aberat ſane Andreas longe a D. Stephani in coercendis infidelibus robore & animis, qui ob eos populos ad divinum cultum compulſos Ungariæ apoſtoli nomen meruerat, ac divino præſidio fultus potentiſſimos hoſtes debellarat; nec ille ſe numini ingratum præbuerat, qui ad augendum illius cultum ampliſſimas donationes ac privilegia viris religioſis contulerat. Cujus ſane in eo genere diploma pervetuſtum hoc anno confirmavit Gregorius, atque uti in regeſto pontificio jacebat, ad dirimendam ingentem inter Veſprimienſem epiſcopum & Benedictinos litem, cum membranæ, quibus contentum erat, vetuſtate labefactatæ eſſent, renovavit, (*a*) e quo nonnulla memoria celebranda ſubiicimus.

(*a*) *Lib.* 5. *ep.* 174.

*Gregorius, &c.*

*Ne privilegio ulterius poſſit opponi vitium falſitatis, illud quod contradicto judicio comperimus eſſe verum, de verbo ad verbum præſenti paginæ juſſimus annotari, cujus tenor talis eſt:*

XXIV. Inſigne Steph. Regis Ung. privil. Benedictinis datum confirmatum a Greg.

*In nomine domini Dei ſummi Stephanus ſuperna providente clementia Ungarorum Rex. Credimus & vere ſcimus, ſi locis divino cultui mancipatis poteſtates, atque honores adaugumentaverimus, id non ſolum laude humana prædicandum, verum divina mercede remunerandum. Quocirca omnium ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelium noſtrorumque præſentium ac futurorum ſolers comperiat intentio, quod nos interventu, conſilio, & conſenſu domini Anaſtaſii abbatis de monaſterio S. Martini in monte ſupra Pannoniam ſito, a genitore noſtro incepto, quod nos per Dei ſubſidium ob animæ noſtræ remedium, pro ſtabilitate regni noſtri ad finem perduximus, talem conceſſimus libertatem, qualem detinet monaſterium S. Benedicti in monte Caſſino, quia propter orationes ſanctas fratrum ejuſdem monaſterii conſiliante domino Anaſtaſio præſcripto abbate, & jugiter adjuvante, confortati & laureati ſumus: ſingulare namque ſuffragium, quod per merita B. Martini in pueritia mea expertus ſum, memoriæ poſterorum tradere curavi. Ingruente namque bellorum tempeſtate, quia inter Theutonicos & Ungaros ſeditio maxima excreverat, præcipueque cum civilis belli ruina urgeret, volente * comitatu quodam Simigienſi paterna me ſede repellere, quid fluctuanti animo conſilii darem, quaque me verterem tanta tactus verecundia aſtantibus ducibus videlicet Pagzano, Contio, Orzio, donno quoque Dominico archiepiſcopo votum vovi S. Martino, quod ſi de hoſtibus interioribus, & exterioribus ejus meritis victor exiſterem, ſupranominati comitatus decimationem de omnibus negotiis, prædiis, terris, vineis, ſegetibus, vectigalibus, vinoque hoſpitum, quod in prædiis eorum creſceret, ne Parrochiano epiſcopo pertinere videretur, ſed magis abbati ejuſdem monaſterii ſub teſtimonio præfatorum ducum multorumque comitum, abſque ulla mora ſubjugarem. Dumque poſt cogitatum victoria potirer, quod animo revolveram, operis efficacia complere ſtudui. Necdum enim epiſcopatus & abbatiæ præter ipſum locum in regno Ungarico fuerant. Quod ſi, vos fideles, licuit mihi quo volui loco epiſcopatus, & abbatias ſtatuere, an non licuit cuipiam loco, quod volui ut facerem. Et ne adhuc eccleſia S. Michaelis vacua eſſe videretur, vel epiſcopus Parrochianus injurias,* que-

Quæ illius concedendi fuerit occaſio.

* comite quondam

NOTÆ [1] Conſtitutionem, hanc Stephano I. Hungariæ regi adſcriptam, in lucem proferendam fuiſſe ab Annaliſta, libens ego quidem admiſerim; ſed monendi ſimul erant lectores ne quid fiderent ſcripto ſuſpicionis pleno & prorſus apocrypho. Quid eſt enim illud quod Stephanus rex ſcribit: ſe ſcilicet ab Anaſtaſio abbate *confortatum & laureatum eſſe?* Phraſis etiam illa ab ejus ætatis moribus abhorret, *Parrochiano epiſcopo*. Denique Stephanus I. an. 1001. jam deceſſerat, ut ex Pagio in critica ad A. 997. 3. diſcimus. MANSI.



*querimoniaſque in collectione decimationis pateretur, ei Curtem, quæ vocatur Cortou, cum omnibus eidem pertinentibus tradidi.*

XXV. *Quod ſi ipſe contra mea ſtatuta quid inique agere, vel acquirere voluerit, ante Deum judicem vivorum & mortuorum in die judicii ſe contendere mecum ſciat, adhuc autem ſubjungens dico, ſit autem id ipſum monaſterium ab omni inquietudine ſemotum habeantque monachi poſt tranſitum ſui cujuſque abbatis alium abbatem ſecuriter eligendi auctoritatem a quocunque velint epiſcopo conſecrandi eum, ſitque illis licitum ordines recipere in quovis loco, & a quocunque, &c. Signum domini Stephani inclyti Regis. Dominicus archiepiſcopus vicecancellarius fecit anno Dominicæ incarnationis. M. I. indictione* XV. *Anno Stephani primi Regis ſecundo.* Quibus omnibus Gregorius Papa apoſtolicam auctoritatem addixit. *Dat. Reate* VIII. *id. febr. pontif. noſtri anno* V. Hic forte lector mirabitur Regem eccleſiaſtica privilegia in abbatem contuliſſe, quorum auctoritas ad ſedem Apoſtolicam ſpectare tantummodo poſſit. Verum difficultas omnis evaneſcet, ſi ſecum cogitatione reputarit, Stephanum ob egregias animi virtutes atque in dilatanda fide ardentiſſimum zelum, ob quem optime de Eccleſia meritus dictuſque Ungarorum apoſtolus, legati dignitate ab Romano Pontifice auctum & inſignitum eſſe, (*a*) eaque non, ut Regem, ſed ut legatum privilegia indulſiſſe. Hactenus de Ungaricis rebus; jam ad Gallicas ſermonem traducamus.

(*a*) *Baron. an.* 1000. *n.* 13.

XXVI. Recruduere in Auxitana provincia nonnulli hæreticorum motus: adverſus quos Gregorius S. Jacobi equites, qui in Vaſconia erant, ſolito ardore bellum capeſſere, fideleſque illis auxilio eſſe juſſit; (*b*) tum Auxitanum ac Burdegalenſem archiepiſcopos ſedandis tumultibus, qui increbuerant, incumbere præcepit; (*c*) quorum poſtremum, nimirum Burdegalenſem, eo inſignivit privilegio, ut cum legatus Apoſtolicæ ſedis in provincia non verſaretur, crucem ſibi præferre liceret: qua etiam prærogativa Meſſanenſem archiepiſcopum decoravit (*d*). Cum vero Rothomagenſis archiepiſcopus ſe Romano tantum Pontifici obnoxium contenderet, atque in jus vocatus a Ludovico Rege coram ipſius tribunali reſpondere recuſaret, bonorum poſſeſſione exutus eſt; qua de re graviſſime queſtus eſt apud Gregorium, qui ſuſcepto archiepiſcopi patrocinio cauſam ad ſedem Apoſtolicam evocavit, eoque argumento hæc Regi ſcripſit (*f*):

(*b*) *Lib.* 5. *ep.* 169.

Burdegal. & Meſſan. archiep. præferendæ crucis auctoritas data.

(*c*) *Lib.* 6. *ep.* 5.

(*d*) *Ib. ep.* 207.

(*e*) *Ep.* 198.

Exorta in Galliis controv. Regem inter & arch. Rothom.

(*f*) *Lib.* 6. *ep.* 175.

*Gregorius, &c.*

*Utinam, fili chariſſime, ſicut & nos optamus, a primævo adoleſcentiæ tuæ flore aſſuefacias temetipſum timori divini nominis & amori, ac perſiſtas jugiter in eodem, ut ei ſerviens, cui ſervire regnare eſt, vere regnes; & poſt præſentis vitæ inevitabilem exitum regnum temporale commutes felici commercio in æternum, ac de te, ſicut de claræ memoriæ progenitoribus tuis, vere valeat prædicari, quod Chriſtianiſſimus es inter principes Chriſtianos; ut a devotione Eccleſiæ matris tuæ, nullo unquam movearis impulſu, ſed eam, quæ te ſincero cordis affectu diligit & honorat, tu quoque pio devotionis propoſito venereris, ut præter laudem hominum mercedem conſequaris æternam. Gravem ſiquidem venerabilis fratris noſtri Rothomagenſis archiepiſcopi recepimus quæſtionem, quod cum in ſpiritualibus & temporalibus nullum poſt Deum præter nos judicem habeat, de antiqua Rothomagenſis eccleſiæ libertate, ac ipſius conſuetudine hactenus obſervata, tu quorundam ductus, & utinam non ſeductus, conſiliis contra prædictorum progenitorum tuorum conſuetudinem, qui eccleſias, & viros eccleſiaſticos pio ſemper & prompto venerabantur affectu ipſum ad tuam præſentiam evocans eum inducere voluiſti, ut ſuper eo, quod in quoſdam excommunicationis ſententiam promulgarat, ac quibuſdam aliis articulis ſub tuo examine reſponderet. Et quia ipſe non ſolum juri ſuo periculum, verum etiam ſubverſionem metuens eccleſiaſticæ libertatis, id efficere denegavit, ſe ac bona ipſius Eccleſiæ protectioni ſedis Apoſtolicæ ſupponendo, motus ex hoc graviter contra eum, ipſum domibus, villis, terris, redditibus, & poſſeſſionibus ad eccleſiam ſuam ſpectantibus pro tuæ voluntatis arbitrio ſpoliaſti, ea per miniſtros tuos faciens detineri. In quo tanto tibi, tanquam filio Eccleſiæ ſpeciali, dolemus & timemus amplius, quanto perſonam tuam inter cæteros principes Chriſtianos ſinceritatis brachiis ſpecialius amplexamur, cum regnum Francorum benedictum adeo ſemper in Apoſtolicæ ſedis devotione permanſerit, ut ab ea nullo unquam, ſicut credimus, ſit tempore diſceſſurum. Monemus itaque celſitudinem regiam, rogamus, & obſecramus in domino Jeſu Chriſto, quatenus erigens oculos tuæ mentis ad illum, qui eſt Rex regum, & dominantium dominator, ac penſans illum devotionis affectum, quem præfati progenitores tui ad Deum, & Eccleſiam habuerunt, præmiſſa omnia taliter corrigas, & emendes, quod exiſtat tibi meritorium apud Deum, & apud homines glorioſum, & ex hoc ille, qui te præ cæteris Regibus exaltavit, pleniorem tibi gratiam conferat in præſenti, & abundantiorem gloriam in futuro. Si quid autem juris in præmiſſis, & aliis adverſus eundem archiepiſcopum regalis excellentia ſe habere proponit, faciemus ei juſtitiæ plenitudinem exhiberi, &c.* Signi-

ficat

Bona archiep. a regiis adminiſtris occupantur.

Quæ diſcordiæ cauſæ.

Rogat Pont. Regem reſtituat bonis archiepiſcopum.

*ficat a ſe Pariſienſi, & Sylvanectenſi epiſcopis datam provinciam, ut regios adminiſtros ad reſtituenda archiepiſcopo, quæ occupata erant, cenſuris cogerent, provinciamque interdicto ſubiicerent. Dat. Anagniæ.* III. *kal. decemb. anno* VI. Hæc Pontifex, qui auctoritatis eccleſiaſticæ tuendæ zelo agebatur, quique gravioribus verbis in Henricum Angliæ Regem ob eam labefactatam clerumque oppreſſum invectus eſt (*a*).

(*a*) *Lib.6. ep 22.*

XXVII. Neque Anglicanus clerus modo depreſſus, ſed in ipſius etiam apoſtolicæ dignitatis dedecus atrox facinus patratum eſt. Nonnulli enim Angli exaſperati odio atque invidia ſacerdotia exteris, qui Itali ex Pariſio videntur fuiſſe, attribui, pontificium curſorem interceptum gladiis concidere, Gregoriique diplomata ſacrilego contemptu laniata pedibus conculcarunt: nec tamen præſules Anglicani in tanti flagitii auctores conſurrexerant, ſed ignavo ſilentio rem diſſimulabant. Quare Gregorius acrioribus literis Eboracenſem archiepiſcopum cæteroſque epiſcopos perſtrinxit.

Atrox facinus a nonnullis improbis in Angl. tentatum contra Pont. auctorit.

*Gregorius &c.*

XXVIII. *Attendite & videte fratres, & filii, ſi in conculcatione numiſmatis Petri & Pauli Apoſtolorum imaginem, & nomen Jeſu Chriſti Vicarii profitentes, debita creatori reverentia exhibetur: ſi in laceratione literarum noſtrarum ſcripturæ mandata ſervantur: ſi in captione, obſeſſione, redemptione, ſpoliatione clericorum, privilegiati cleri glorioſa libertas infringitur: ſi in illata curſoribus noſtris injuria, uno in fruſta conciſo, & altero ſemivivo relicto, illa communis ſecuritas, quæ non ſolum in Chriſtianiſmo, ſed etiam in paganiſmo, quaſi naturaliter debetur omnibus, obſervetur. Sane bullæ noſtræ quid injuriæ debebatur, quæ pro univerſis, & ſingulis a tempore, cujus non extat memoria, & ſpecialiter a tempore beatiſſimi Thomæ martyris principes & tyrannos in eccleſiis & bonis earum in Anglia ſæpius debacchantes, pro conſervatione eccleſiaſticæ libertatis, ac privilegio clericali tuendo, auctoritate ſedis Apoſtolicæ toties expugnavit? Quod ſi aliquid inhoneſti literis noſtris impingitur, deducantur in medium, & luce clarius apparebit, quod in ipſis nullius juſtitia læditur, animarum ſaluti conſulitur, indulgentiæ reſerantur, jus ſuum patronis redditur, prælatis honor debitus exhibetur, nobilibus, literatis, & benemeritis gratia non negatur, & ſic niſi corrigere delinquentis exceſſus, & clerum in melius reformare ſit vitium, nihil in eis, quod oculos intelligentis offendat, poterit inveniri. Herodiana vero ſeveritas in clericos, & maxime Italicos agitata, vel tantum deſævire ſperavit.* Et infra:

Correpti epiſcopi ob nimiam in eo diſſimulando ignaviam.

XXIX. *Ubi ergo paſtorum vigiliæ? ubi ſpeculatorum excubiæ? ubi conſervatores libertatum? ubi Eccleſiæ Rom. præſtitum juramentum? ubi reverentia filialis? ubi verbum Domini penetrabilius omni gladio ancipiti bis acuto? ubi ſuſpenſio interdicti? ubi excommunicationis vinculum, quod contumaces, & rebelles a fidelium conſortio, & fidei unitate ſic ſeparat, ut vita ſit eis ſupplicium, & ſuſpecta criminis conſcientia etiam dormiendo timorem incutiat damnationis æternæ? Quis ipſo jure excommunicatos hujuſmodi, & raptores, incendiarios, prædones in ſua diœceſi publicavit? Quis ad relevandam Eccleſiæ generalis injuriam, organa condolendo ſuſpendit? Quis ab Hieruſalem in Jericho deſcendenti, ſacerdote ac levita prætereuntibus, vulneribus ſauciato vinum, & oleum cum Samaritano infundit? Quis de ſemine Sem, virtutum operatione famoſus, vel Japhet charitatis dilatatus amore humeris ſuis imponens pallium, verecundiam matris Eccleſiæ pallio ſuo, retrorſum incedens, operuit a Cham callido denudatam? Non inventis ergo Sem, & Japhet ejuſque ſimilibus in partibus Anglicanis, utinam locum non habeat hic maledictio jugum ſervitutis Chanaan filiis imponentis.* Et infra:

XXX. *Surgite qui dormitis, & vigiles anteponite vobis Jeſum, & ipſum pro ſalute humani generis crucifixum, facienteſque thymiama opere unguentarii compoſitum diligenter mixtum, purum, & ſanctificatione digniſſimum, malefactores ipſos, qui dixerunt Domino: Diſcede a nobis, & viam obedientiæ tuæ nolumus; præciſos a vite, Chriſto videlicet, qui eſt via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens, obſecrate, arguite, increpate in omni patientia & doctrina. Exemplo quoque Aaron ferte thuribulum, & hauſto igne de altari, mittite incenſum, curreteſque in medio multitudinis, quam ſuperbiæ jam devaſtat incendium, monitionum, correctionum, & orationum offerte thymiama. Quis enim ſcit ſi ignoſcat Deus, aut beneplacitum ſit ei adhuc, ut ad locum ſuum oſſa arida revertantur, & mortui reviviſcant? forte vobis aſtantibus, inter mortuos, & viventes plaga ceſſabit. Si vero velut obſtinati ad admonitionem veſtram Deo, Eccleſiæ Romanæ, ac nobis, nec non & paſſis iniuriam plene ſatisfacere forte noluerint, quia peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit, dictos idololatras, fautores, receptatores, & conſiliatores eorum excommunicatos, & a liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtratores publicæ nuntietis, facientes excommunicationis ſententiam, qua propter præmiſſos tenentur exceſſus, ſingulis diebus dominicis & feſtivis, pulſatis campanis & candelis accenſis, quilibet*

Ad vibrandas in ſceleris auctores cenſuras excitatur.

*in*



*in locis ſubjectis ſibi auctoritate apoſtolica publicari, donec paſſis injuriam ſatisfecerint competenter, &c. Datum Spoleti* V. *id. jun. pont. noſtri an.* VI.

XXXI. Excitatam quidem ſuperiore anno graviſſimam in Anglia adverſus Italicos clericos, qui in eo regno ſacerdotiis opimis potiebantur, tempeſtatem tradit Pariſius, ac nonnullas literas minaces a conjuratis exaratas ac toto regno ſparſas refert, ut facto impetu Anglia deturbarentur. Non prætermittendum vero eſt, quod idem auctor de paucis animabus e purgatoriis flammis uno die in cœlum receptis, ut Roffenſi epiſcopo in cœleſti viſo objectum fuerat, ſcribit: *Sub eiſdem diebus, Henricus Roffenſis epiſcopus, cum in ſabbatho quo cantatur: Sitientes venite ad aquas; apud Sidingeburniam, præſente Cantuarienſi electo ordines celebraſſet ſolemnes, aſtante clero & populo, fiducialiter cum ſermonem faceret proteſtatus eſt dicens: Gaudete omnes in Domino fratres, qui hic præſentes eſtis, ſcientes indubitanter, quod uno & eodem die exierunt de purgatorio Rex quondam Anglorum Richardus, & Stephanus Cantuarienſis archiepiſcopus, cum uno capellano ejuſdem archiepiſcopi, ad conſpectum divinæ majeſtatis, & eadem die nonniſi tres illi de locis pœnalibus exierunt. Et ut his dictis meis fidem adhibeatis pleniſſimam & certam, quia mihi & cuidam alii tertiam jam vice hoc per viſionem revelatum eſt, ita manifeſte, quod ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas removetur, &c.* Idem de Stephano ex igne purgatorio cleri ſuffragiis liberato indicant novatores (*a*).

Objectum cæleſte viſum de tribus tantum animabus uno die e purgatoriis flammis erutis.

(*a*) *Cent. 13. col. 1116.*

XXXII. Subiicit Pariſius facta Richardi Regis mentione, pium illius opus, quo divinum numen placari potuiſſe exiſtimat, in quo non minus divinæ clementiæ in equitem inſigne miraculum emicat. Cum enim exæſtuans eques ira in parentis interfectorem, ad eum trucidandum involaret, alterque per Crucifixum obſecraſſet, ut vitæ parceret, motuſque iis atque emollitus diſtrictum enſem in vaginam innoxium condidiſſet, ac poſtea ob venationem contra regias leges quæſitam in exilium pulſus boniſque exutus, poſt multos annos in Normannia eccl. ingreſſus ad Richardi Regis miſericordiam implorandam, ut ſibi patria ejecto amiſſa bona reſtitueret, intereaque temporis cum ſæpius provolveretur in genua, peteretque a Deo, regium pectus emolliret, contigit, ut quoties procumberet in genua, toties Chriſti e cruce pendentis imago in ara expoſita caput inflecteret; quo conſpecto ingenti miraculo Richardus Rex evocavit equitem ſquallore obſitum, percontatur quod Deo gratiſſimum opus aliquando edidiſſe putaret, eoque ſubiiciente parentis interfectori veniam per Crucifixi vulnera exoranti ignoviſſe, audita rei ſerie & cauſa exilii, in patriam, priſtinos honores, fortunaſque reſtituit; hæc Pariſius prolixiori oratione proſequitur, ſubiicitque: *Et hæc miſericordia, quam fecit pius Rex Richardus cum aliis hujus operibus ipſum, ut credimus, a periculis damnationis & cruciatus citius liberavit.*

Crucifixi imago capite annuit illi, qui hoſti pepercerat.



XXXIII. Suſpexit hoc anno Italia B. Antonium Olyſſipponenſem tot tantiſque cœleſtibus prodigiis Patavii inclareſcere, ut nondum ab illius feliciſſimo obitu evoluto anno Gregorius ſacros divinæ voluntatis nutus ſecutus, illum ſolemni ritu in ſanctorum albo collocarit de quo hæc Richardus (*b*): *Apud Spoletum Gregorius Papa quemdam fratrem Antonium de ordine fratrum Minorum canonizavit, & ſanctorum catalogo mandavit aſcribi.* Cui auctori conſonant Henrici Steronis (*c*) verba: *S. Antonius de ordine Minorum fratrum apud Paduam ſignis coruſcans a domino Papa canonizatur, cum nondum annus integer poſt obitum ſuum eſſet elapſus.* Quibus conſentanea hiſtoriæ monimentis tradidere, ejus vitæ ſcriptor, (*d*) S. Antoninus, (*e*) & alii veteres ſcriptores, de quibus P. Lucas Wadingus, qui hæc aliaque ad Minorum familiam ſpectantia, eſt exactiſſime proſecutus, ad quem more noſtro cupidum lectorem reiicimus. Satis nobis fuerit ex apoſtolicis literis de S. Antonio cœlitum numero adjecto, exaratis (*f*) hæc delibare:

B. Anton. fulget miraculis.

(*b*) *Rich. in chron.* Annumeratur SS. catalogo.

(*c*) *Ster. apud Caniſ. to. 1. p.261.*

(*d*) *Apud Sur. to.3. die 13. jun.*

(*e*) *Tit.23. c.3. §. 6.*

(*f*) *Greg. l.6. ep. 12.*

XXXIV. *Sanctæ memoriæ B. Antonius de ordine fratrum Minorum, qui olim degens in ſæculo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cœlo multis coruſcat miraculis, ut ejus ſanctitas certis indiciis comprobetur.* Ubi ſubjecit ſignificantibus Patavinis maxima miracula, quæ numen apud ejus ſepulcrum ederet, datam epiſcopo Patavino nonnulliſque viris religioſis provinciam, ut ea in publicas tabulas referrent, addit: *Nuper autem tam per relationem prædictorum epiſcopi, & priorum, quam per depoſitiones teſtium ſuper hoc receptorum, de ipſius virtutibus, & miraculorum inſigniis certiores effecti, & experti aliquando per nos ipſos ſanctitatem vitæ, & admirabilem converſationem ipſius, utpote qui apud nos fuit aliquandiu laudabiliter converſatus, eiſdem epiſcopo, poteſtate ac communi prædictis per ſolemnes nuntios ſuos, & literas nobis cum inſtantia denuo ſupplicantibus, quod eundem fratrem ſanctorum catalogo adſcribere curaremus, ut auctoritate, ſicut convenit, apoſtolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui ſicut claris ſignis & evidentibus argumentis apparet, honoratur in cœlis, ipſum qui corporaliter diſſolutus cum Chriſto eſſe meruit in cœleſtibus, ne illius honori, & debito,*

*& gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum a domino permitteremus ulterius humana devotione privari, de fratrum noſtrorum conſilio, & prælatorum omnium, tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, catalogo ſanctorum duximus adſcribendum, &c.* Decernit recurrentem annis ſingulis id. junii diem illius nomini ſacrum futurum, & eodem die aliiſque octo ſubſequentibus cum pietatis ſenſu ac rite expiata conſcientia illius ſepulcrum adituris unius anni indulgentiam pollicetur. *Dat. Spoleti* III. *non. jun. pont. noſtri anno* VI.

**XXXV.** Meminit decreti B. Antonio ſanctorum cultus pontificiæ vitæ ſcriptor honorificentiſſimis hiſce verbis: *Sexto quoque anno pontificatus ſui inter multa negotia, quæ feliciter expedit, B. Antonium de fratrum Minorum ordine, qui feliciſſimi magiſtri vita & miraculis non diſpar extiterat imitator, ſanctorum conſortio venerabiliter aſſociavit.* Pergit auctor enarrare varia Pontificis itinera ac geſta: *De Spoleto poſtmodum per Reatinæ civitatis fines ad abbatiam Sublacenſem profectus, iterum Campaniam adiit. Menſe auguſti Anagniam civitatem ingreſſus, ubi majori parte hyemis feliciter conſummata, iterum in Campaniæ partibus nobile caſtrum Palliani populo, & poſſeſſione fœcundum, adeo dira degentium ſeditio concitabat, ut alterutrum attriti moleſtiis, ſolum ipſius exterminium per ignis incendia cogitarent.*

Romani Pallianum occupare ex inſidiis meditantur.

*Quo inexpleta Romanorum cupiditas rumore ſuſcepto, ſuis adjungere terminis cogitans viribus atque dolo procurans, homines montis Fortini latenter immiſit, ut illud occaſione diſcordiæ caperet indefenſum; ex ejus ſperantes dominio reliquam Campaniam ſubjugandam. Quod veriſimilius videbatur, nam inter fines Campaniæ ſitum promptius præſtare poterat hoſtibus familiare fomentum, præſertim cum ſi remota timentur incendia, non veniunt cum ſecuritate propinqua.*

Eluſæ a Gregorio eorum artes.

*Quorum aſtutiam domini Papæ cautela præveniens, illud officialium ſuorum miniſterio captum, decrevit ad opus ſedis Apoſtolicæ cuſtodiri, eodem foſſatis præruptis, muro ſublimi, & excelſæ turris præſidio communito. Et licet ipſius ſtructuræ primordia Romanus populus interdicens, terroribus ſolitis exterminium patriæ minaretur & caſtri, Pater non minus intrepidus hyemis algentis horrore, aquæ bullientis ſubſidio cœmentis habilitatis ad opus, quæ malitia temporis reddebantur inepta, manu artificis celeris erexit eandem.*

**XXXVI.** *Ut autem Pontifex hominibus caſtri & arcis cuſtodiæ utilius provideret, ipſius loci nobilium domos, & poſſeſſiones non tenues, novem millium librarum eis erogato pretio, titulo emptionis accepit; quas ſubſequenter eiſdem conceſſit in feudum Romanæ Eccleſiæ, proprietate ſervata largiore pecunia, nihilominus pro ædificiis, & variis munimentis, pro emptis poſſeſſionibus & aliis uſibus affluenter effuſa. Caſtrum etiam Seroni ſatis primo vicinum non modico emptum pretio Eccleſiæ dominio applicavit.*

Caſtr. Fumon. Eccleſiæ reſtitutum.

*Munitiſſimum ibidem caſtrum Fumonis ſtructura nobili, & grandi poſſeſſione ditavit, quod Eccleſiæ Rom. dominium eſſe aſſerunt publica documenta, nobiles quidam ipſius domini Papæ propinqui, quorum cuſtodiæ fuit antiqua ſedis Apoſtolicæ liberalitate commiſſum, detentione ita longa quaſi jure quodam dominii ſibi vendicabant, per quos etiam itinera publica dubia reddebantur. Sed non acquieſcens carni, & ſanguini Pontifex venerandus illud Eccleſiæ matri reſtituit, arcta obſidione devictum, de pietatis manu trium millium librarum, eis quantitate ſoluta, propter quæ Romanorum pectora dira commotione ſuccenſa, perſonarum pericula, & exterminia patrimonii promittebant.* Tradit Richar. Romanos menſe jul. Gregorio Reate redeunte, conflata prævalida manu ad montem Fortinum acceſſiſſe, ingrediendæ vaſtandæque Campaniæ animo: ſed tribus ad eos Gregorii nomine venientibus Cardinalibus data pecunia flexos emollitoſque Romam repetiiſſe.

Auro mitigati abſcedunt.

**XXXVII.** Retardatus eſt ea largitione Romanorum furor, ſed non penitus concidit; quemadmodum nec præterita beneficia in inſtaurata urbe collata (de quibus hæc vitæ auctor: *Pontem S. Mariæ gravibus refecit expenſis, alluvione Tyberis demolitum: & quia quædam Urbis itinera ſui concavitate reflexa per detentionem putredinum fere inaceſſibilia reddebantur, nec tamen abſque graviſſima civium ibidem degentium corruptela, pater munificus quædam fieri purgamenta decrevit, quæ Romani clavicas vocant, per quarum vaſtos hiatus influente putredine ſalubriter aeri provideretur & viæ*) a laceſſendo injuſte Gregorio pellendoque urbe, quam ornarat, abducere potuerant; ob motam enim eorum rebellionem Spoleti, Anagniæve Reateve morari coactus eſt, ubi dum conſiſteret 9. kal. auguſti, Fridericum rogavit his verbis, ut ad frangendam elidendamque Romanorum ſuperbiam opem porrigeret: *Hortamur*, inquit, *attente, quatenus in ſuccurſum matris Eccleſiæ velut benedictionis filius te ſupernæ lucis lumine præcedente ad fugandas catervas dæmonum, & frangenda cornua impiorum tam propere quam potenter exurgas, ut rebelles intelligant & cognoſcant, quia tibi nomen invictus & excelſus præ terræ Regibus elatorum in perditionem deponens inſaniam, & erigens humilium gratiam in ſalutem, & etiam dejectis perſequentibus ſponſam Chriſti ſponſi delitias merearis.* Hæc Pontifex, qui nulla a Friderico auxilia, quam magnifica verba elicuit.

Non moventur impenſo a Greg. in ornanda urbe ſtudio.

Friderici arma in Rom. implorat Greg.





**XXXVIII.** Inſignis Ugotii in Rom. Eccleſ. donatio.

At dum Friderici arma implorare cogebatur Gregorius ad frangendos eorum conatus, qui eccleſiaſticam ditionem invadere moliebantur, Ugotius vir in iis regionibus princeps opibus florentiſſimus divino inſtinctu afflatus omnia bona Rom. Eccleſiæ pro ſua parentumque animabus redimendis contulit; cujus donationis inſtrumentum (*a*) hiſtoriæ inſerendum viſum eſt: *In nomine Chriſti amen, anno ejus MCCXXXII. indictione* V. *die* VII. *exeunte menſe octobris tempore Domini Gregorii Papæ, & Frederici Imperatoris. Ego quidem in Dei nomine Ugutio Dadei de caſtro Aldicæ pro me, & pro filiis meis propria & ſpontanea voluntate, liberoque arbitrio pro redemptione animæ meæ, & parentum meorum do & offero Deo, & Eccleſiæ Romanæ & tibi D. Raynaldo. D. Papæ ſubdelegato, & capell. Maſſinorum rectori & Apoſtolicæ ſedis legato recipienti nomine ipſius Romanæ Eccleſiæ concedo, & trado omnia bona mea præſentia, & futura, quæ habeo, & teneo, vel aliquis pro me habet, & tenet, vel ad me pertinent in diœceſi Caſtellan. Ferentin. & Bobien. ſciliset caſtrum Alphani, & ejus curtem, caſtrum Corneti, & ejus curtem, caſtrum Montis Acuti, & ejus curtem, & etiam partem meam caſtri Frageti, & ejus curtem, caſtrum Naſſ. & ejus curtem, & ea quæ habeo in villa Montis rotundi, & in villis de Calante, & Rocchetam, & caſtrum de Silva plana & caſtrum Montis Portulæ, & caſtrum de Fonte Cluſi, & caſtellum Vedum, & caſtrum Montis Betolini, & villam de Rufello, & caſtrum de Fuſcianæ, & ejus curtem: hæc omnia prædicta cum omnibus ſuis pertinen. & cum omni jure & actione mihi in dictis rebus competen. & competitura do & trado tibi dicto D. Raynaldo legato recipienti, ſicut dictum eſt, nomine dictæ Romanæ Eccleſiæ, & ad fidelitatem, & ſervitium ejus, quæ omnia confiteor me poſſidere nomine ipſius Eccleſiæ.*

(*a*) *Extat in MS. Vat. qui liber cenſuum inſcribitur.*

**XXXIX.** Romani Viterbienſem agrum vaſtant.

Debuerant hoc pietatis exemplo Romani ab invadenda ditione pontificia ſibi temperare: at non Gregorium inſectabantur modo, ſed diuturno jam bello Viterbienſes fatigabant, factiſque ſæpius excurſionibus, ingentes adverſariis clades, exciſis captiſque plurimis illorum munitionibus, vaſtatis agris, prædaque ingenti avecta impreſſerant; quo pene deſperatione efferati Viterbienſes in ſubditos Eccleſiæ circumjacentes iras effuderunt. Ad quæ comprimenda mala miſſis legatis diligentiam ſolicitudinemque Gregorius applicuit, de quibus ipſius vitæ ſcriptor: *Quia Romani immaniter Viterbienſes perſequentes, captis munitionibus & hominibus de potentioribus civitatis, & animalibus datis in prædam annis ſingulis, vineas & ſegetes devaſtabant; per quod Viterbienſes quadam deſperatione commoti, vicinos Eccleſiæ flagellis durioribus affligere non ceſſabant, ut idem dominus tali preſſura fideles eriperet, duos ex venerabilibus fratribus ſuis venerabiles patres epiſcopum Oſtienſem & . . . tit. S. Sabinæ presbyterum Card. Viterbium deſtinavit, per quorum manus fuit forma compoſitionis inventa de conſenſu partium, & ſufficienti cautione vallata.* De bello Romanos inter ac Viterbienſes geſto, cladibuſque inflictis mutuo & acceptis agit Richardus (*b*) ſuiſque temporibus diſtinguit; ac demum pacem Pontificis opera miſſo Viterbium Thoma S. Sabinæ preſbytero Card. conciliatam. Interim ne quid in ea extinguenda diſcordia prætermitteret Pontifex, datis Anagniæ XII. kal. novem. ad Fridericum Imp. literis (*c*) de miſſis Viterbium R. Oſtienſi electo & T. ſanctæ Sabinæ presbytero Cardinali certiorem fecit, poſtulavitque ad Viterbienſes pro coeunda cum Romanis pace ſcriberet.

(*b*) *Rich. in chron. anno* 1228. 1229. 1230. 1231. 1232.

(*c*) *Lib.* 6. *ep.* 135.

**XL.** Conciliatur a Gregor. Rom. inter & Viterb. concordia. Fridericus clandeſtinis artibus diſcordiam inter eccleſiæ ſubditos excitare nititur.

At ſubjeciſſe potius diſcordiæ faces ac ſolitis fraudibus malum inteſtinum alere ſtuduiſſe Fridericum, non diſſentientes conciliaſſe, tradit memoratus auctor: *Et licet ille verſutus Auguſtus augere diſcordias contra ſuæ majeſtatis debitum moliretur miniſter nequitiæ, fomenta majoris & gravioris odii miniſtrando, ut antiqui draconis imitator & heres, per mille nocendi modos caudæ fraudulentæ aculeo in matris pectus venenum infunderet præconceptum, ut vel mater filiorum deſtituta ſubſidio facilius ruinæ pateretur incurſum, vel ſaltem turbationis experiretur anguſtias, in diſſenſione natorum, nullius quietis beneficio potitura* * *P. de Polot ſenatoris Urbis, & quorumdam nobilium, quos pretii mercede corruperat, ſuffragio comitatus, eam, tum pater providus curavit invenire cautelam, ut hoſtis argumentis eliſis, diſcordes filios ad gremium matris Eccleſiæ reduceret, firmiſſimi fœderis unione pacatos, eorum ſic labores metitur & damna, ut de matris ubere Romanis filiis lactis copiam miniſtraret; nec relinqueret alios ubertatis extorres, quorum inopiæ, quam ex cauſa diſſenſionis incurrerant, viginti millia librarum Eccleſia Rom. conceſſit, ſanctius judicans vaſa viventia, quam metalla ſervare. Sicque pace diſcordantium ſtabilita, captivos liberavit, utcumque veſtibus & muneribus honoratos; ſicque pius pater, circa ſalutem filiorum errantium provida liberalitate diſpenſans, ut hos a pœna deſtructionis eriperet, & alios præſervaret a culpa.*

* *Johannis*

**XLI.** Palam ſe Pontifici obſequentem oſtentat.

Pugnare ſuperiora ab auctore vitæ Gregorii tradita cum literis pontificiis Friderico miſſis alicui videbuntur, ſed facile conciliabit, qui inſtructum fraudibus principis animum perpenderit, cum ho-

ſtes adverſum illum clandeſtinis artibus aſperaret; palam vero ad aucupandam gloriam gratiamque Pontificis, qua maxime ad Hieroſolymitanum retinendum regnum egebat, Eccleſiæ obſequentiſſimum ſe oſtentaret. Ad conciliandam equidem ſibi ejus laudis famam Meſſanenſem archiepiſcopum ac Petrum imperialis aulæ judicem oratores ad Gregorium miſit, ut ſignificarent divina ſe luce colluſtratum ferrum ex ara B. Petri, pontificiaque manu ſuſceptum in hoſtes fidei atque Eccleſiæ ſtringere, omnemque armorum potentiam ad defendendam propagandamque divinam gloriam convertere decreviſſe: cujus audita legatione Gregorius gratulatus, hortatuſque eſt (*a*) pia conſilia ad optatum finem perduceret: conjunctis enim Sacerdotio & Imperio mutuique amoris vinculis obſtrictis fore, ut Eccleſia atque Romanum Imperium ad auguſtiorem effloreſcerent dignitatem.

(*a*) Lib. 6. ep. 149.

*Gregorius, &c.*

XLII. *Referentibus venerabili fratre N... archiepiſcopo Meſſanenſi, & dilecto filio P... imperialis aulæ judice nuntiis tuis pium propoſitum & ſanctum deſiderium, conſilium rectum divina inſpiratione conceptum; nos & fratres noſtri gaviſi ſumus in Domino, & in potentia majeſtatis ipſius, qui ſic matri filium, & filio matrem ſpiritu ſuæ charitatis univit, ut affectuum unitas, & identitas animorum nobis onuſtis leviget onera honoris & oneris, alias Sacerdotio, & Imperio multipliciter oneroſa. Quis unquam nova poſſet temeritate præſumere, ut in negotio fidei, libertatis eccleſiaſticæ, Eccleſiæ & Imperii jurium reſtauratione, quod de conſilio noſtro proſequeretur imperialis ſublimitas in principio, medio, & fine, filio mater deeſſet, aut filius matri deficeret? Ratio non patitur, natura renititur, ut individuum recipiat ſectionem; alioquin poſſet inferri, quod ſeipſum poſſet homo relinquere, & idem eſſet ſecundum idem relinquens pariter & relictum, agens & patiens in eodem. Abſit chariſſime fili, quem geſtamus in viſceribus charitatis, quem, teſte Deo, in omni puritate diligimus, cujus incrementum commune commodum reputamus, ut aliquis ſuæ mentis oblitus hæc vel leviter ſuſpicetur. Immo ſi ſecretarium cordis ſcrutinio recte inquiſitionis exquiritur, ſi veritas infallibilis diligenti meditatione penſatur, hortus clavigeri regni cœleſtis rationalis & floridus apoſtolica manu conſitus, paradiſi fluminibus irrigatus, non invenitur pro uvis ſpinas, pro ficu tribulos germinare, cum ejus cultor & dominus, pro pane lapidem, pro ovo filiis ſuis non conſueverit porrigere ſcorpionem. Facile quidem tollitur ſuſpicandi facilitas, ſi incerti judicii attenditur difficultas, maxime ubi experta ſinceritas operis deſtruit imaginariam opinionem erroris. Et licet intra virtutum germina lolium quandoque improbæ ſe pravitatis immiſceat, nunquam tamen in colonia Apoſtolorum principis de puritate duplicitas, de veritate ſimultas, de innocentia iniquitas nociva colligitur, a qua ſcandalorum hujuſmodi zizania relegatur. Quocirca Imperialem manſuetudinem rogamus, monemus per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti obſecrantes, & in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus theſaurum deſideriorum cœleſtium ſacrario tui cordis manu filii altiſſimi commendatum aperiens & effundens, ad conterendos iniquos, liberandos oppreſſos, & miſeros conſolandos, cum abſcondita ſapientia, & theſaurus inviſus nulla ſit utilitas in utriſque, virile propoſitum præpotente potentia totis viribus proſequaris: animo manus ſit proxima, affectum effectus aperiat, ut conſilium auxilium, & favorem Eccleſiæ ſolicitudo imperialis obtineat, quæ præſto tibi ſunt educenti de foramine obſtetricante manu Imperii colubros tortuoſos. Datum Anagniæ* VI. *kal. nov. pont. noſtri anno* VI.

Solicitatur ad perducenda pia conſilia.

Oſtentabat etiam vafer princeps ad delendos hæreticos ſacrum deſiderium ſe concepiſſe, quare ob pium conſilium laudibus ornatus eſt (*b*): ſed longe hæreticis nequiores Sarracenos fovebat: unde illi Pontifex non ſine ingenti dolore id crimen objecit (*c*) ex quo ingentia emergerent mala, Sarracenique majoribus ſumptis animis vicinis Chriſtianis graves inferrent clades, ac S. Petri eccleſiam in Bangio prophanatam in ſtabulum ſacrilege convertiſſent: *Mirantes accepimus & turbati, quod perditionis filii, Sarraceni videlicet, in Apuliæ partibus conſtituti, tui favoris accedente conſenſu, quod credibile non videtur, eccleſiam S. Petri in Bangio Fojetano pleno jure ſpectantem ad monaſterium S. Laurentii de Averſa, vertentes in locum ſubjugalium, quæ prius fuerat habitaculum Angelorum, ipſam funditus diruerunt, lapides & lignamina ejus deportando Nuceriam pro ſuis ædificiis conſtruendis. Verum quia tam iniqua præſumptio non abſque contumelia Creatoris, Apoſtolicæ ſedis injuria, tanquam nota nominis noſcitur attentata, ſerenitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, quatenus prudenter attendens ſi eccleſiarum aliqua, & præcipue in regni ambitu contentarum, quæ tua debent protectione gaudere, eo quod illarum & aliarum defenſor ſis a Domino conſtitutus, ſacrilegis infidelium manibus debeat demoliri, qua debet potius virtus Altiſſimi a fidelibus exaltari, pro divina reverentia, & tuæ celſitudinis incremento præfatam eccleſiam reparari jubeas, & ei bona ſublata reſtitui, quæ integritatis ſuæ tempore obtinebat. Cæterum quia nimietas libertatis, quam Sarracenis eiſdem diceris induſiſſe, damnoſa Chriſtianis de vicinia perhibetur, & venit pluribus audientibus in horrorem, ſublimitati tuæ placeat taliter ipſorum præſumptiones elidere, quod vel in pauco non audeant tuorum corda fidelium perturbare, præſertim cum Redemptori noſtro, quædam injuria fieri videretur, ſi Belial filii, ſervitutis perpetuæ compede comprimendi, filios lucis in finibus noſtris impeterent, vel libertate pares ſe damnabiliter æſtimarent. Dat. Anagniæ* III. *non. decemb. pont. noſtri an.* VI. Quanto rei Chriſtianæ damno Fridericus Sarracenos Nuceriam munire permiſerit, nobis poſtea lugendum erit; quem quidem in perditiſſimos homines ſtudio proclivem fuiſſe ſuperius vidimus, atque adeo ſoldanus Babylonicus cum erga ſuæ ſuperſtitionis homines bene affectum noſſet, illum ſæpius per oratores ſalutabat, ingentibuſque muneribus ad adſtringendam magis illius amicitiam afficiebat, de quo hæc Richardus (*a*) e S. Germano: *Soldanus Damaſci pretioſiſſima mittit xenia Imperatori per quoſdam nuntios ſuos in Apuliam venientes*. Tradunt vero nonnulli (*b*) inter ea munera miſſum tentorium ſingulari artis lenocinio efformatum, in quo ſolis, & lunæ imagines ſuos peragebant curſus, ac diei noctiſque horæ indicabantur.

XLIII.

(*b*) Ep. 180.

(*c*) Ep. 184.

Jubetur ipſos coercere eccleſias pro munienda Nuceria evertere auſos.



(*a*) Rich. in chron.

(*b*) Trith. in chr. Hirſaug. hoc ann.

XLIV. Delibatis inferius Syriacis rebus, idem auctor tradit Chriſtianos Terram ſanctam incolentes inteſtino bello laboraſſe, ac Berythi regulum Ptolemaidam occupaſſe: *Joannes*, inquit, *de Baruch civitatem Acconitanam recipit in odium Imperatoris*. Exaſperaſſe vero in ſe juſta illius odia Fridericum ſupra vidimus, cum in expeditione Aſiatica blandiſſimis verbis ad ſe evocatum productis poſt cœnam armatis ſatellitibus Berythi dominio cedere juſſit. Nova igitur moliente Berythi regulo extulit in eum ſigna imperialium caſtrorum præfectus, ſed victum acie Richardus addit: *Eodem menſe*, nimirum majo, *Joannes de Baruch cum mareſcalco Imperatoris congrediens in partibus Syriæ ipſum devicit in campo & multos cepit ex ſuis*. Et infra ſubiicit, ut Fridericus iis acceptis mox ad comparandum exercitum ſe accinxerit, cum Ptolemais contrariis diſciſſa ſtudiis partim hoſti, partim ſibi adhæreret: *Imperator pro ſuccurſu civitatis Acconitanæ, quam Joannes de Baruch occupatam tenebat, parte civitatis ſe pro Imperatore tenente, exercitum congregat militum, & baronum*. Sed paulo poſt menſe auguſto exercitum diſſolutum, ac milites ad ſua dimiſſos adiicit. E quibus videtur diſcordiam ſtudio Pontificis ſopitam fuiſſe: ad illam enim extinguendam Gregorium ſtrenuam operam navaſſe oſtendunt ejus literæ (*c*) ad Geroldum patriarcham Hieroſolymitanum, quem Fridericus in crimen motæ ſeditionis vocabat: illum enim Pontifex accerſivit in occidentem, monuitque a novandis rebus in Fridericum abſiſteret, ne quæ antea ab ipſo geſta erant, cum turpiter initum ab Imperatore cum Sarracenis fœdus damnarat, non divino zelo, verum illius odio incitatum egiſſe putaretur: *Eſt qui de temporis hujus moleſtia ad factum præteriti elicit argumentum, aſſerit quod olim te illi non devotio ad ſedem Apoſtolicam habita, ſed odium aliunde conceptum abjecit. Primum proculdubio nos non decet, quod Eccleſiæ Rom. ſinceritas non admittit. Secundum tibi non licet, quod religionis reverentia renuit, & dignitatis auctoritas dedignatur. Ex his quidem, ut credimus, ſatis intelligis, quid non ſolum contra te, ſed etiam contra nos aliqui loquerentur, ſi terra multorum ſanguine conquiſita, occaſione ortæ diſcordiæ exponeretur periculo, jacturæ pateret. Quia vero nonnunquam mittens in miſſo notatur, nos nolentes Eccleſiam alicujus facto confundi, præſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ſi ad nos in paſſagio proximo venire non poteris, injuncto tibi legationis officio non utaris. Dat. Reate* VII. *kal. aug. anno* VI. [1]

Chriſtiani Syri inteſtino bello laborant.

Acconitani Berythi regulum recipiunt.

Friderici præfectus ab eo acie vincitur.

(*c*) Ib. ep. 65.

Patriarcha. Hier. accuſatur diſcordiæ illius incentorem fuiſſe.

Evocatur a Greg. in Occid.

XLV. Abrogatum igitur eſt Geroldo legati apoſtolici munus, tranſmiſſumque patriarchæ Antiocheno, ut ea auctoritate inſtructus adverſas partes ad mutuam pacem adduceret, rerumque novarum cupidos cenſuris percelleret. Cui etiam graviſſime expoſuit Pontifex (*d*), quanta mala ea afferret diſcordia, Terramque ſanctam, tot comparatam laboribus, ac tot Chriſtianorum ſanguine partam in ſummum periculum coniiceret, ne mutuis cladibus exhauſta in Sarracenorum po-

Patriarch. Antioch. creatur legatus ad conciliandos diſſidentes Syros.

(*d*) Ib. ep. 52.

NOTÆ [1] DE rebus in Syria hoc anno geſtis meliora quam a Richardo, ſcriptore quidem coævo, ſed longe a Syria remoto, ſperamus ex Bernardi theſaurarii hiſtoria Terræ ſanctæ Gallica, quam tacito authoris nomine ſub titulo continuationis ad Guillelmum Tyrium dederunt nobis PP. Martene & Durand. Collectionis Monumentor. to. V. col. 711. Narrat author, qui non longe ab his temporibus vivebat, hoc anno 1232. die 3. Maii copias Cypriorum, quas ducebat Joannes Ybelinus Baruthi dominus, victas fugataſque fuiſſe ab exercitu Richardi ducis copiarum Friderici, dum copiæ illæ Joannis nihil ejuſmodi cogitantes Tyrum obſidione ſtringebant. Acie victus Joannes una cum rege Cypri venit Acconem; cum interim Richardus dux copiarum Friderici exercitum ſuum duceret in Cyprum, ubi nonnullas urbes ſub-

poteſtatem veniret: *Sane nondum defuit Agarenus, ut Chriſtianus converteret in ſe manum: nondum ſic eſt adverſarii attrita potentia, ut puſillus grex Domini mutua ſe diſceptatione diſrumpat: nondum ſic ibi ſunt noſtra dilatata tentoria, ut in pacis faſtidium libeat, & liceat ſub guerra voluntaria laſcivire. Porro multorum eſt acquiſitum laboribus, quod hi tenent, ſeminaverunt plurimi, quod hi metunt, unde nec licet offerre jacturæ multi ſanguinis pretio conquiſitum, nec expedit dare periculo id, ad quod non abſque periculis Chriſtianæ ſolicitudinis ſtudium vix pervenit. Miramur autem, quod homines illius regionis induxerit, ut contra chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fredericum Romanorum Imp. ſemper Auguſtum, Hieruſalem, & Siciliæ Regem illuſtrem rebellionis, ut fertur, prætenderint conjecturam, qui contra eos, ut dicitur, nullius exhibuit gravaminis argumentum. Sed dato quod appareret gravamen in patre; filius heres regni legitimus, in quo tenera ætas affectum injuriandi non patitur, quid peccavit? Quod ſi patris & filii dextera fuiſſet adverſus illos plena moleſtiis, poterat & debebat Apoſtolicæ ſedis auxilium invocari, quæ pro illius terræ ſubſidio plus cæteris laboravit. Cum igitur nos ejus ſcandalum urat, & in ipſius infirmitatibus infirmemur, volentes vulnerato principio feſtinato remedio ſubveniri, ne ſero medicina paretur, ſi mala per longas contingeret invaleſcere moras, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus habito conſilio magiſtrorum templi & & hoſpitalis, necnon & aliorum, prout videris expedire negotio, nobiles regni prædicti, cives Acconenſes, & alios, ut ad fidelitatem, & devotionem Imperatoris præfati, ſublato cujuslibet difficultatis obſtaculo, redeant, inducere non poſtponas. Dat. Reate* VII. *kal. aug. pont. noſtri anno* VI.

Utque ad optatum finem conſilium perduceret, Hieroſolymitani regni præſules, alioſque pro dignitate Antiochenum patriarcham eo ad extinguendos tumultus contendentem excipere juſſit; (*a*) nec iis contentus, Hoſpitalarios equites ad illas contra Fridericum factiones comprimendas incumberent, incitavit (*b*). E quibus lectori illuſtre, & conſpicuum eſſe poſſit, Pontificem majorem induſtriam ad Friderici Imp. res tuendas conferre non potuiſſe. Hæc de Syris: jam ad Græcorum res nos conferamus.

(a) Ep. 54.
(b) Ep. 53.

XLVI. De conjungenda Græcorum Eccleſia cum Romana agitatur.

Hoc anno aliquorum Minoritarum occaſione, de conjungenda Latinæ Græcorum eccleſia agitatum eſt; eaque de re Germanus Græcorum archiepiſcopus, qui Niceæ Bythiniæ morabatur, ad ſummum Pontificem ſcripſit: (*c*) quibus literis quamvis ſpecimen aliquod pietatis præſe ferre videretur, cuperetque, ut in eandem fidem, & concordiam ambæ Eccleſiæ coaleſcerent, carpſit tamen audaci ſtylo, veterique imbuto odio Rom. Eccleſiam, quaſi illa ſe a Græca diſtraxiſſet, Pontificemque ad controverſiam decidendam, qui populus a capite Chriſto diſciſſus divulſuſque eſſet, ad ſcripturarum auctoritatem provocavit: graviores alias querelas, calumnias verius, affectata eloquentia exaggeravit, Pontificem vetuiſſe, ne Deus Græco ritu coleretur, perſecutionemque in Cypro adverſus Græcos concitaſſe, adeo ut Græcorum aliqui poſt longum carceris ſqualorem flammis abſumpti eſſent, quos ille illuſtrem martyrii palmam collegiſſe gloriatur; verum hæc tam a veritate Eccleſiæque Romanæ manſuetudine aliena, quis non videat illum falſo effutiiſſe? illius tamen literarum partem illuſtrandæ hiſtoriæ gratia afferamus.

(c) *Apud Greg. ib. ep.* 19.

Germani Græc. patriarchæ lit. ea de re ad Greg.

*Sanctiſſimo & excellentiſſimo Papæ veteris Romæ, & Apoſtolicæ ſedis decori, Germanus miſeratione divina archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ.*

*O Domine ſalvum me fac. O Domine bene proſperare. Te enim lapidem angularem, honorificatum, pretioſum, electum in fundamentum pono hujuſmodi negotiationis toto orbi ſalutiferæ. Didici enim per prophetam tuum Iſaiam, quod omnis qui credit in te talem lapidem exiſtentem, nullatenus confundetur, neque a ſuæ ſpei baſe moveri poterit. Et ita ſe habet veritas, & nullus contradicere audet, niſi patris mendacii diſcipulus fuerit. Opus autem tuum eſt, qui lapis angularis exiſtis, conjungere quæ procul ſunt, vel quæ inter ſe diſtant, & ea quæ diviſa ſunt, in unita-*

*te*

NOTÆ ſubegit. Sed prompte accurrens Joannes Ybelinus cum rege Henrico ſignis collatis Germanos debellavit. Diem pugnæ aſſignat idem ſcriptor diem XI. junii, in quam feriam tertiam incidiſſe ibidem notat. Sed forte mendum irrepſit in textum, legendumque pro *Mardis Vendredi*, nam die illa huius anni feria VI. agebatur. Poſt victoriam Richardus ſe recepit in Armeniam, & Henricus rex Cypri urbes ſuas nullo negotio recuperavit. Hinc factum ut copiæ Germanorum diſſolverentur, quemadmodum Richardus a S. Germano optime notat. Ex his vero conſtat eundem Richardum a S. Germano ex falſis vulgi rumoribus inter vera nonnulla falſa etiam quædam admiſcuiſſe. Quod enim aſſerit menſe majo prælium in Syria commiſſum fuiſſe recte id quidem adnotat; ſed de victoria minus inſtructum conſtat; non enim hoc prælio Joannes Ybelinus victoria potitus fuit, ſed victus abſceſſit; itidem vero in altero prælio menſe junio commiſſo victoria Ioanni favit. Richardus igitur duo prælia inter ſe diverſa in unum miſcuit & confudit. MANSI



*te fidei congregare. Tu enim es, qui & procul, & prope exiſtentibus pacem evangelizaſti, & fines orbis terrarum per tuarum ſuper crucem extenſionem manuum ad euſebiam convocaſti, & paterno more in humeros elevaſti. Tuæ igitur inæſtimabili clementiæ ſupplico deſuper verbum proſperare, qui Patris es Verbum omnipotens, conſubſtantialis ſapientia Dei, ædifica in me domum hujus rei, & tu ſis ejus & fundamentum, & tectum, qui juxta theologicam vocem Joannis A. & Ω. diceris tanquam omnium principium, & finis incircumſcriptus. Ac in primis oculos elevantes ad montes cœleſtes, unde venire nobis auxilium oravimus, deinde ad te ſanctiſſimum Papam, qui Apoſtolicæ ſedis primatum ſortitus es ſermonis mutamus exordium, ut velis deſcendere aliquantulum ab altitudine gloriæ, & intendere verbis meis, qui miſer ſum & vita & ſermone; ſi tu, inquam, aſſimilaris ei, qui in altis habitat & humilia reſpicit Deus.* Et infra: [1]

Agnoſcit primatum ſedis Apoſtolicæ.

XLVII. *Acceſſerunt in domum noſtram patres ipſi (nimirum quinque Minoritæ) ex divina providentia, ſicut credidi, quæ cuncta diſponit in eo, quod expedit; & cum hinc inde inter nos multa verba fuiſſent exorta, vertebatur magis locutio præ cæteris ſuper ſchiſmate longi temporis tunicæ inconſutilis euſebiæ deſuper contextæ, qua veſte videlicet Apoſtolorum manus catholicam Chriſtianorum Eccleſiam induerunt, & ſanctorum patrum, atque doctorum diverſa conſilia conſtrinxerunt, & velut zona cinxerunt. Præſumptuoſe autem non quidem manus militum, ſed eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus ſciderunt & diviſerunt, & ſchiſma equidem magnum eſt & multorum annorum, & nullus eſt qui miſeratur ſponſæ Chriſti, quæ ſic ſciſſa veſte induta eſt, ut qui ejus velit turpitudinis miſereri. Hoc, ut credo, David in libro pſalmorum plangit, dicens: Diviſi ſunt, & non ſunt compuncti. Si enim compunctionem habuiſſemus, doleremus utique, & contriſtaremur; & ſi tribulationem & dolorem inveniremus, nomen Domini utique invocaremus, & adhuc nobis petentibus adeſſet, ſicut in medio diſcipulorum jam pridem pacificans diſcordes, & cogitationum amphibologiam corrigens. Nunquid enim non mordentur ejus viſcera? nunquid non contriſtantur propter diſcordiam? etiam valde. Pater enim eſt, & omnium patrum piiſſimus, & non ſuſtinet videre pignora hoſtili more ſe ad invicem evellentia, & diſperdentia, & more piſcium alterum ab altero devorari, eo quod major contra minorem extollitur, & qui potentior eſt, infirmum opprimit. Siccine docuit nos piſcator hominum Petrus, qui contra naturam prioris artis de morte ad vitam, quos piſcatus eſt, traduxit? Heu quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte ſuper contritione novæ Sion de gentibus eccleſiæ congregatæ? qualiter electus populus Dei in Judam & Iſrael diviſi fuimus, & civitates noſtræ in Elim & Samariam! Ea enim quæ de Cain & Abel, vel Eſau & Jacob contigerunt, qui fratres quidem natura erant, hoſtes autem mente, & ſibi contrarii, piget me ſermonis inſerere, ne forte primatui fraternitatis injuriari videar, aut ſurripere primogenita credar. Veruntamen nec pater noſter ſenuit, nec oculi ejus caligaverunt; ſed in cœlis exiſtens liquide omnia videt, & iis, qui injuſte oppreſſi ſunt, benedictionem largitur.* Et infra:

*Quod autem diſcordia magna, & dogmatum contrarietas, & canonum deſtructio, & rituum, quos tradiderunt patres, immutatio, materia ſint ſepis, quæ ſeparat ea, quæ prius unita fuerant, & conjuncta concordiæ, & pacis & conjunctione, totus orbis terrarum, una lingua factus, acclamabit. Hinc & crudelia bella in alterutrum, civitatum deſolatio, ſigilla in januis eccleſiarum impreſſa, & ſacerdotalis miniſtrationis prorſus vacat operatio, ne Græcis laudetur vocibus Deus. Unum defuit tantum, ſed & ipſum factum eſt, ut martyrii tempus adſit & tribunal tyrannicum aperiatur, & ſedes tormentorum proponatur, & nos ad martyrii ſtadium deſcendamus, & bonum certemus agonem, coronam ab Omnipotentis dextera recepturi. Novit ea, quæ dico, Cyprus famoſa inſula, quæ novos martyres vidit, & milites Chriſti, qui prius per aquam tranſeuntes lacrymarum compunctionis, & ſudoribus loti a corpore ex confeſſionis laboribus emanantibus per longa* XLVIII.

*tem-*

NOTÆ [1] Literæ Germani II. patriarchæ Græcorum, quæ in annalibus hic afferuntur, lucis aliquid accipiunt ex literis ejuſdem Germani ad Cyprios datis anno 1229. ut ex indictione ſecunda, qua obſignantur, ſatis conſtat. Vulgatæ ſunt illæ a Cotelerio in monumentis Græcis to. II. pag. 475. Cyprios monet patriarcha, ut conſtantes fidem ſervent, quam a patribus acceperunt. Vitio Latinis vertit, quod contempto capite Chriſto, nomen & jus capitis in Romanum pontificem conferant. Dein tyrannidis illos accuſat, quod cogant Græcos papam pro pontifice ſuo agnoſcere. Ex hoc natam Latinorum in Græcos inſectationem vexationemque indicat; quod Latini Græcos cogerent ad parendum ſuis epiſcopis. Ad ea ſpectare credo verba illa Germani in epiſtola ad Gregorium, reprehendentis Latinos, quod nollent Deum Græco ritu coli. Hæc eſt pariter vexatio Latinorum, de qua tam multa in eadem epiſtola Germanus exaggerat. MANSI

*tempora, ad ultimum per ignem etiam tranſierunt, & eduxit eos agonothetes dictus, qui agonem ponit Deus, in cœleſte refrigerium. Bona nunquid hæc ſunt Papa ſanctiſſime & Apoſtoli Petri ſucceſſor? Hæc injungit Petrus, mitis & humilis corde Chriſti diſcipulus? Sic inſtruit ſeniores per epiſtolam? cum ſcribat: Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ei quæ in futuro revelanda eſt gloriæ communicator; paſcite qui in vobis eſt gregem Dei providentes non coacte, ſed ſponte, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, ſed forma facta gregis: & cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam. Hæc eſt enim Petri doctrina, & videbunt, qui ei non obediunt. Nobis autem ſufficit ad conſolationem epiſtolæ pars illa, in qua gaudere præcipit contriſtatos, nunc diverſis tentationibus, ut examen fidei noſtræ multo magis pretioſius auro corruptibili igne examinato inveniatur in laudem, & honorem, & gloriam in revelationem Jeſu Chriſti.*

XLIX. *Sed concede veniam ſanctiſſime domine & omnium prædeceſſorum tuorum Pontificum veteris Romæ clementiſſime & mitiſſime; & ſuſtine verba amaritudinis habentia. Sunt enim languentis cordis genimina, & datur indulgentia a diſcretis viris iis, qui propter cordis triſtitiam aliquid loquuntur, quod mordeat. Accinge autem ſicut vir lumbos tuos, & accende tuæ diſcretionis lucernam, & quære dragmam quæ periit ſuper fidei unitate, & compatiemur ſanctitati tuæ nos etiam. Non parcemus infirmo corpori, non prætendemus ſenectutis excuſationem, non longam viam cauſabimur, quanto magis enim laborioſius eſt opus, quod incipitur, tanto magis cauſa erit plurium coronarum. Unuſquiſque enim ſecundum proprium laborem mercedem accipiet, ſicut generalis ſtadii luctator, & maximus victor coronæ Paulus ait. Non ignoramus, o ſapientiſſime domine, quod quemadmodum nos Græci nitimur in omnibus obſervare orthodoxiam, & euſebiam, ut in nullo errare poſſimus a ſanctorum Apoſtolorum & patrum ſtatutis; eodem modo veteris Romæ Eccleſia pro ſe nititur; & pro eo quod non exiſtimat ſe falli in aliquo, neque remedio ſe indigere dicit, neque correctione. Hoc & apud Græcorum eccleſiam, & apud Latinorum dici novimus. Nam nemo unquam in propria facie exiſtentem turpitudinem diligenter videre poteſt, niſi ſuper ſpeculum ſe inclinaverit, aut ab alio certificatus fuerit, qualiter ſe circa faciem habeat, ſive turpiter, ſive non. Habemus ſpecula multa, & magna & lucida, clarum Chriſti evangelium, Apoſtolorum epiſtolas, libros theologorum patrum, inſpiciamus in eis, ipſa oſtendent nobis, qualiter unuſquiſque ſentit, ſive nothe, ſive legitime. Qui autem ad ſpeculum fuerit invitatus cauſa experientiæ, cum receſſerit, confitebitur etiam invitus ſuum vultum eſſe deformem. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & pax Dei patris & communicatio ſancti ſpiritus ſit nobiſcum; amen.* Hanc etiam Matthæus Pariſius adduxit epiſtolam (*a*) quam, ut advertit P. Wadingus, additis, more ſuo, hiſce verbis calumniarum plenis corrupit, ne occaſionem aliquam lacerandæ pontificiæ dignitatis prætermitteret; niſi forte quis adulteratum Pariſium ab eo, qui ejus opera typis Londini mandavit, dicere malit: *Et ut veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, niſi injuſtas oppreſſiones & opum protervas exactiones, & ſervitutes indebitas, quas a vobis ſubjectis extorquetis, formidarent.*

(*a*) *Par. Hiſt Angl. ann.* 1237.

De eodem argumento Germanus ad Cardinales literas dedit (*b*) quibus non tam Rom. Eccleſ. gratiam colligere velle, quam Græcorum res amplificare, atque oſtentare ritus præ ſe tulit, dum populos, qui Græcæ eccleſiæ morem gererent, Æthiopas, Syros, Hiberos, Lazos, Alanos, Gothos, Chazaros, Aſſaros, Ruſſos, Bulgaros commemoravit; in quibus ſuperioribus literis, quod ſeſe Rom. Eccleſiæ velut matri & magiſtræ ſubiicere vellet, nec verbum inſeruit, ſed tantum ad Deum preces, ut utramque conjungeret eccleſiam effudit. L. De eadem conjunctione ineunda ſcribit ad Cardinales.

(*b*) *Apud Greg. l.* 6. *ep.*20. *extat etiam apud Par. ubi ſup.*

Accepta Pontifex honorificentiſſime ejus legatione, nuntios alios ad ſanciendum ſacrum fœdus, atque orientales ad Eccleſiæ Rom. conjunctionem adducendos, mittere in animum induxit, idque ſuis ſignificavit literis, (*c*) quibus Petri primatum, fortiſſimis argumentis illuſtravit; ipſiuſque factum, ob quod a Paulo reprehenſus atque increpitus fuerat, a Græco criminis labe aſperſum, culpa carere oſtendit. Tum divinæ juſtitiæ æquitatem inculcat, dum Græcorum eccleſiam ab eo tempore, quo ſeſe ab Romana abrupiſſet, a ſua dignitate excidiſſe, ac ſub miſera ſæcularium poteſtatum ſervitute ingemiſcere, variiſque erroribus irretiri permiſit: demum hortatur ad ſinum Eccleſiæ convolet, tumque ipſum optatæ veritatis luce colluſtratum iri. Reſcript. patriarchæ Gregor.

(*c*) *Greg. ib. ep.*56. *extat etiam apud Par. ubi ſupr.*

*Gregorius, &c.*

*Si frater chariſſime dignitatis myſterium, & auctoritatis officium pleno intellectu diſtinguens Petri & Pauli zelum conſideras, qui animas tantummodo ſitiebant, eos nec tamen morte, quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos, nec, dum viverent, in doctrina invenies fuiſſe diſcordes. Licet enim Petrus pro duræ cervicis Judaico, & Paulus pro gentili populo, lac parvulis, & eſcam provectis exhibens, di-* LI.



*diverſis linguis & ritibus laborarint, cum jam plenitudo temporis adveniſſet unum Dominum, unam fidem, unum baptiſma, & alios fidei articulos ſecundum gratiam ſibi collatam a Domino in uno eodemque ſpiritu prædicavit uterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini Petro & cæteris Apoſtolis univerſaliter ſic dicentis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt; cum Petro myſterium dignitatis exercens, & ex verbis ejuſdem auctoritatis ſingulariter Petro propoſitis: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis; in Petro auctoritatis officium recognoſcens, & ideo ad eum tanquam primatem & evangelii dominici fontem venit Hieroſolymam, & poſtmodum cum ipſo, & aliis ſecundum revelationem contulit evangelium, ne in vacuum curreret, vel cucurriſſet. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cum ſoli Petro, ſi frater ſuus in ſe peccaverit, non tantum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties præcipitur dimittendum, ipſi ſoli oves ſuas indiſtincte committens; qui tam ſpeciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis, & grabatis poſitis ad umbram ejus ſanabantur infirmi. Cujus auctoritas ex ejuſdem Domini verbis expreſſibus roboratur, cum ſibi ſoli dictum eſt: Duc in altum; & pluraliter ſubinfertur: Laxate retia in capturam. Si ergo Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Chriſto duas naturas veraciter recognoſcens, cum dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi; claves regni cœleſtis in terris ſolus accepit, cum unus ſit Dominus, una fides, unum baptiſma, unum principium, unum corpus Eccleſiæ militantis, & corpus cum pluribus capitibus monſtruoſum & ſine capite acephalum cenſeretur, reſtat, ut ad regimen generalis Eccleſiæ, quam ipſe cum Paulo, & cæteris de gentibus, Græcis, Latinis, barbaris congregavit, caput ejuſdem ſuumque Dominus, per ea, quæ promiſſa ſunt, manifeſte oſtenderet ſucceſſorem.*

LII. *Prævidens autem Dominus, quod Eccleſia Dei conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab hæreticis, & a ſchiſmaticis ſcinderetur, ait: Pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ex quo colligitur evidenter, quod ad ſedem Petri omnis ſit quæſtio fidei referenda. Sed quod dolentes referimus, ut epiſtolæ tuæ verbis utamur, præſumptuoſe quidem non per manus militum, ſed eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus veri Joſeph talaris tunica, & inconſutilis eſt paſſa ſciſſuram: ſed quis ſciderit, videatur. Cum enim Græcorum eccleſia a Romanæ ſedis unitate receſſit, ſtatim privilegio caruit Eccleſiaſticæ libertatis; & quæ fuerat libera, facta eſt ſæcularis poteſtatis ancilla, ut juſto Dei judicio, quæ noluit recognoſcere divinum in Petro primatum, toleret invita ſæculare dominium, ſub quo non modice contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & a fraterna charitate tepeſcens licentius per campum licentiæ non refrænatæ diſcurrit, ut ſine alicujus reprehenſione licitum ſub illicito palliaret, & a templo Petri recedens, a Domino quaſi attritum foris eiicitur, quod virga ſua Joannes probibente Domino non metitur, quoniam datum eſt illud gentibus, & hoc jam cognoſcis viſibiliter conſummatum, quod Samaria, quæ a templo Domini & a Juda, ac veræ fidei confeſſione recedens, facta idololatra præfigurans bellorum cladibus continuatis attrita & peccatorum gravata pondere, licet Elias, & Eliſeus tanquam magna luminaria ibi velut in loco caliginoſo refulſerint, data eſt gentibus, projecta foris in ultionem fornicationis, & idololatriæ, quibus ſe a Domino ſeparavit.* Congruere Græcorum eccleſiæ, ſub Turcarum jugo ingemiſcenti, iſtius oraculi veritatem non ſine lacrymis intuemur: quæ ſi ad obſequium ſedis Apoſtolicæ rediiſſet, in eam, ut videtur, calamitatem nunquam decidiſſet. Addit Gregorius contra inanem Græcorum jactantiam, qui D. Pauli reliquias ſe habere in oriente falſo aſſerebant: Quod ſi Paulum Græcorum eccleſia ſe habere proponit, exhibeat? vel a ſucceſſore Petri & vicario Jeſu Chriſti in Apoſtolorum baſilica, quæ a Conſtantino conſtructa eſt, cum Petro exhibitum recognoſcat. *Et infra:*

*Tuæ prudentiæ conſcientiam ſine aliqua ſuperſtitione, regira, & illuminatus invenies, quod Eccleſia Rom. quæ omnium eccleſiarum caput eſt & magiſtra, in ſpeculo a te propoſito, evangelii videlicet, & epiſtolarum, & doctrina aliorum doctorum nihil contrarium invenit, quod interpretative, vel diſpenſative, ſecundum ſtatuta ſanctorum patrum, in unitate fidei & ſpiritus non concordet. In cujus libri apertione invenies, quod Rom. Pontifex omnibus omnia factus, ut omnes ſalvi fiant, non turpis lucri cauſa, vel voluntarie, ſed a fratribus ſuis divina inſpiratione vocatus, ſtatim ſervus ſervorum Dei effectus, murum pro fratribus & coepiſcopis ſuis eorumque ſubditis contra hæreticos, ſchiſmaticos, & tyrannos, ad tuitionem eccleſiaſticæ libertatis cum ſuis fratribus ſe opponit. Et licet aliqui latenter ſubrepant, publice tamen quaſi ab ovium incurſibus modernis temporibus Eccleſia Rom. reſpirat. Sed ſi Græcorum eccleſia patienter ſuſtineat, ut tuis verbis utamur, verba quæ mordeant, præter animarum pericula, quæ ex eorum ſciſſura provenerunt hactenus & proveniunt, ſatis eis vexatio dediſſe debue-* LII.

*rat intellectum, in quorum manibus ordo eccleſiaſticus per adverſas orientis nationes in diverſa partitus confunditur, eccleſiaſtica libertas deprimitur, & ſacerdotalis dignitas conculcatur, nec eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus, quia tanquam acephali ad caput Eccleſiæ recurrere contempſerunt. Revertere igitur Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te, quia recte tunc poterit frater a fratre juvari, ſi filius, qui omnia conſumpſit diſſolute vivendo, a Domino inſpiratus ſurgat, & dicat: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Tunc enim pater non ut mercenario, ſed ut filio revertenti occurrens primam ſtolam proferet, occidetque vitulum ſaginatum, & generale convivium faciens univerſis Chriſti fidelibus cum exultatione annuntiabit, & gaudio, quod & frater & filius, qui mortuus fuerat, jam revixit, & dragma, quæ perierat, eſt inventa, & ſic te in gremio matris Eccleſiæ cum honore recepto veritatem manifeſte videbis in ſpeculo puritatis, quam Eccleſia Latina ſervat in fidei unitate, quæ non recipit maculam neque rugam. Dat. Reate VII. kal. aug. anno VI.*

LIV. Quid Cardinales ad patriarcham reſcripſerint, conſumptum injuria temporum eſt. Hic lectorem monitum velim, falſo Germanum ſe archiepiſcopum Conſtantinopolitanum inſcripſiſſe, cum alter illi eccleſiæ legitime præfectus eſſet, ejus tamen dignitatis titulo a ſchiſmaticis decoratum Niceæ ſediſſe, quo ſedem Imperii Græcus princeps traduxerat. Qui vero canonice Conſtantinopolitanam eccleſiam adminiſtrabat, legati apoſtolici dignitate erat inſignitus, quem Pontifex eo privilegio affecit, (*a*) ut extra provinciæ fines in Syriam profecturus pallio uteretur. Tentatam vero antea Græcæ cum Rom. Eccleſia conjunctionem ſuperius vidimus, (*b*) antequam a Latinis Conſtantinopolis expugnaretur, cum Innocentius III. Joannem Camaterum ad concilium invitavit; ſed cum ille primatum ſedis Apoſtolicæ agnoſcere recuſaret, perfidiæ pœnas paulo poſt tulit, ejectuſque Conſtantinopoli eſt, deinde patriarcha Græci caruere, donec Theodorus Laſcaris arrepto Niceæ Imperio Michaelem Antyrianum eligi juſſit, cui in dignitate Manuel Philoſophus, Manuelique Germanus, de quo nunc egimus, ſucceſſere, quæ de patriarcharum ſchiſmaticorum ſerie indicare hac occaſione viſum eſt.

*(a) Greg. l.6.ep.79.*

*(b) MS. Græc. bibl. Vallicell.*

Dum Græci Aſiatici de coeundo cum Romana Eccleſia fœdere agitarent, Manuel Comnenus, qui deſpotam, atque etiam Regem Theſſalonicæ agebat, non modo hærendi in ſinu Eccleſiæ, verum etiam ſuam illi ditionem fiduciario jure addicendi conſilium præſetulit. Cui reſcripſit Gregorius (*c*) pium conſilium ſedi Apoſtolicæ gratum acceptumque fore, ſi illud in opus perduxiſſet. Succeſſerat ille fratri Theodoro Comneno capto in acie a Bulgarorum Rege, atque ob molitas in carcere res novas oculis orbato, ut ſuperius vidimus, in Theſſaliæ atque Epiri principatu; de quo hæc Georgius Acropolita (*d*) Logotheta: *Manuel Comnenus deſpotæ dignitate a fratre cohoneſtatus, fugam meditatus, cum Romanus miles terga dedit, Theſſalonicam reverſus deſpota vocabatur, illius & locorum adjacentium dominus, ſcriptioneſque ſuas purpureis characteribus conſignabat, quem Joannis Imperatoris legatus non inurbana dicacitate notavit, in eum ſcilicet magis aptari poſſe, quod de Chriſto in pſalmis legitur, te Regem & deſpotam.* Hæc Logotheta, qui poſtea recenſet, ut a fratre Theodoro e vinculis a Bulgaro Rege, qui illius filiam thoro ſibi junxerat, ac ſocero quam genero addictior erat, vinculis emiſſo exutus fuerit, arteſque Theodori, quibus ad recuperandam ditionem uſus eſt, ita deſcribit: *Paucis ab Aſiano acceptis cum palam in fratrem Manuelem armis capere non poſſet, clam ingreſſum Theſſalonicæ molitur ſordidis pannis veſtitus, ſic urbem furtive ingreditur. Cum vero quibus, concupierat, illis ſcilicet quos ipſe in rebus proſperis ſibi & amore & beneficio devinxerat, innotuit, adverſus fratrem conſilia aperit: neque diu poſt rurſus & Theſſalonicam, & adjacentia loca & urbes ſub dominium ditionemque ſuam ſubjungit. Is propter oculorum imminutionem Imperatoris nomen recuſat, & tamen Joannem filium cohoneſtat, & purpureis calceis pedes illius circumveſtit, neque diſſimilibus literis ſubſcribere eum juſſit: ſibi vero ſummam omnium rerum ac filii temperationem reſervavit fratrem Manuelem abrogato Imperio in triremem impoſitum Attaliam relegavit.*

LV. Manuel. Commen. Theſſal. principatum arripit.

*(c) Lib. 6. ep. 3.*

Vectigalem ſe ap. S. conſtituere meditatur.

*(d) Georg. Logoth. interp. Leon. Allatio.*

Deiicitur a fratre Theod. cæco.

Theod. artes pro recuperando principatu.





I. Magna animorum contentione, eventuque irrito, de concilianda Romanæ Græcorum eccleſia, atque exitiali ſchiſmate extinguendo agitatum eſt, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio indictione ſexta, quo ad cœptum optatiſſimæ conjunctionis tractatum promovendum, totque annis diviſos animos conjungendos operam collocaturus Gregorius, ad Germanum patriarcham literas (*a*) dedit, quibus ſchiſmaticum ad ſe pellicere, erroreſque diſcutere eſt conatus. In iis enim Romanum Pontificem utroque gladio, humana nimirum ac divina auctoritate pollere, auguſtiſſimas Chriſti domini in terris vices gerere, a quo Græci ingenti ſuo damno deſciviſſent; tum ritus Romanæ Eccleſiæ in corpore Chriſti in pane azymo conſecrando ſanctiſſimos eſſe demonſtravit, hortatus denique ad ejuſdem Eccleſiæ caſtra, damnato ſchiſmate, cum omnibus populis auctoritati illius obnoxiis ſe conferret. [1]

Greg. revocare nititur patriarcham Græc. ad Roman. Eccl. obſequium.

*(a) Greg. l.7. ep. III. ext. etiam apud Par. an. 1237.*

Ea de re lit. ad ipſum datæ:

*Gregorius, &c.*

II. *Cum juxta teſtimonium veritatis occaſio ſit errorum ignorantia ſcripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire; quia quæ in eis inſpiratio divina repoſuit, pro doctrina ſequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sane ſub Jeroboam, qui peccare fecit, ut legitur, Iſrael præſumpta diviſio tribuum patenter ſignat ſchiſma Græcorum, & multitudo abominationum Samariæ diverſas hæreſes multitudinis a veneratione veri templi Domini, Romanæ videlicet Eccleſiæ reverentia ſeparatæ. Quod Chryſoſtomus, Nazianzenus, Magnus Baſilius, & Cyrillus emicuerunt in cœtu diſſentientium, eadem fuit cœleſtis altitudo conſilii; qua degere voluit inter idololatras Eliam, Eliſeum, & filios prophetarum.*

III. *Nunc igitur, quia in aliis literis, quas dudum tibi remiſimus, latius hanc, & alias auctoritatum, & rationum, quæ pro Rom. primatu Eccleſiæ faciunt, materias explicamus, illud tantum adiicimus, quod utrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Jeſu diſcipulis de acquiſitione gladii ſpiritualis, illi duos ibi poſitos oſtenderunt, quos Dominus dixit ſufficere, ad coercitionem videlicet ſpiritualis & corporalis offenſæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quid in Matthæi evangelio Dominus dicat Petro: Converte gladium tuum in locum ſuum; dicendo tuum, materialem, ſignavit gladium, quo percuſſerat ille ſervum principis ſacerdotum. De ſpiritali nemini venit in dubium, cum cum ei id eſt, Petro per cujuſdam ſpecialitatis apicem ligandi, & ſolvendi commiſerit poteſtatem. Uterque igitur gladius Eccleſiæ traditur, ſed ab Eccleſia exercendus eſt unus, alius pro Eccleſia manu ſæcularis principis eximendus: unus a ſacerdote, alius ad nutum ſacerdotis adminiſtrandus a milite.* Addit ſe nonnullos viros religioſos in ſacris literis apprime eruditos mittere, quos de rebus ad fidem ſpectantibus conſulere poſſit.



Si cum eis de omnibus, quæ in quæſtionem veniunt, tractare fideliter, & ſocialiter conferre decreveris, in rota, quæ infra rotam Ezechieli oſtenſa eſt, vocem poteris audire tonitrui, & in mari vitreo ſpeculari, quod unus Adam collocatus ad opus, & cuſtodiam paradiſi, unam ſortitus eſt uxorem, unum dominum Jeſum Chriſtum, in juſtitia & veritatis ſanctitate creatum, & unicam ſponſam ejus Eccleſiam, præfigurans: quod Lamech, qui humiliatum ſonat, dum uxorem unam diviſit in duas ſanguinarius factus eſt, & virum in ſuum vulnus occidit, quod alia præter unam arca non legitur, quæ cuncta vaſtante diluvio ſub unius patriarchæ remigis potentatu, paucas animas ſub perfectionis numero reſervavit: quod legem Deus ſecundo dedit non alteram, ſed eandem: quod duorum Cherubim, qui propitiatorium obumbrabant, non aliorſum verſi, IV.



NOTÆ [1] QUæ hic narrat Annaliſta de legatione Latinorum ad Græcos in utriuſque eccleſiæ conciliationem miſſa, quæque legationis hujus occaſione in Græcia tractata ſunt, omnia ad ſequentem annum pertinent, ut recte admonuit P. Harduinus in adnotatione ad concilium Nymphææ. Quanquam enim legati Latinorum a Gregorio hoc anno miſſi ſunt, non ante tamen Conſtantinopolim pervenerunt, quam exordiente anno 1234. cum veteri ſtylo annus 1233. adhuc curreret. Id non intelligens Annaliſta hæc omnia uno anno anticipavit. Sed colligere facile poterat ex data literarum pontificis, quas recitat quibuſque ſe legatos illos mittere Gregorius ſignificat. Conſignantur enim illæ Laterani XV. Kal. junii, pontificatus Gregorii anno VII. ideſt anno 1233. Cum ergo conſtet legatos Conſtantinopolim januario menſe perveniſſe ut illi in ſua relatione teſtantur, illud conſequatur neceſſe eſt, eorum adventum, & quæ ab illis Conſtantinopoli tractata ſunt ad annum ſequentem pertinere. Porro concilium, cujus in eadem narratione fit mentio, Synodus eſt Nymphææ habita menſe aprili anni ſequentis indictione VII. quæ indictionis nota optime ſignatur, in editione Wadingi, mendoſe vero in editione conciliorum vulgata, in qua legitur, *indictione VI.* MANSI

ſed reſpicientes erant vultus ad unum: & unam Joſeph tunicam fuiſſe talarem, & noſtri Salvatoris inconſutilem veſtem unam. *Et infra de conficiendo in azymo Sacramento adiicit Rom. Eccleſiam B. Petri exemplum imitari: verum ſive in fermentato, ſive in azymo Sacramentum conficiatur, in Dominicum corpus divinitus converti: ſed uterque panis ſimplex ante ſacrificium panis eſt, tranſubſtantiatione vero facta per verba Dominica, panis non eſt, & ideo nec fermentatus, nec azymus dici poteſt, ſed ille potius creditur eſſe panis vivus, qui de cœlo deſcendit, & tribuit vitam mundo.* Pergit Pont. Hæc & his ſimilia docuit Petri ſedem unctio Spiritus, & ſanitas intellectus. Utinam & tu tandem aliquando juniorem diſcipulum, qui vidit, & credidit, ſecutus introeas, ut omnibus intellectis nobiſcum pariter vere pſallas illud Davidicum: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Dat. Later.* XV. *kal. jun. pontif. noſtri an.* VII.

Sacram. in azym. & fermentato confici poteſt.

V. Ad tantum tamque arduum opus perficiendum duo ex ſacra Dominici, totidemque ex D. Franciſci familiis religioſos viros ad Germanum Græcorum patriarcham miſit, quos ingenti pompa omnique lætitiæ ſignificatione exceptos fuiſſe teſtantur ipſi in rei geſtæ hiſtoria (*a*), quam a ſe conſcriptam Pontifici expoſuere; quæ omnia in libro cenſuum contenta, e quo cætera ad hujus narrationis texendam ſeriem delibanda: *Anno Domini MCCXXXIII. menſe januarii nos de ordine fratrum Prædicatorum fr. Hugo, & fr. Petrus: de ordine fratrum Minorum, fr. Aymo, & fr. Radulphus nuncii domini Papæ miſſi ad archiepiſcopum Græcorum, intravimus Niceam dominica prima poſt octavam Epiphaniæ, hora quaſi veſpertina: ſed antequam civitatem intraremus, plures nuncii Imperatoris ab ipſo tranſmiſſi nobis frequenter occurrerunt, ex parte dicti Imperatoris nos ſalutantes, & lætitiam cordis ejus de adventu noſtro nobis notificantes. Sed & nuncii ipſius patriarchæ nobis plures occurrerunt, & tandem ipſi canonici eccleſiæ majoris, nobis longe a civitate occurrentes cum gaudio ſuſceperunt, & unanimiter omnes cum honore & reverentia in civitatem introduxerunt. Et cum peteremus nos duci ad majorem eccleſiam cauſa orationis duxerunt nos ad aliam eccleſiam ubi primum celebratum fuit concilium, oſtendentes nobis SS. Patres, qui eidem concilio interfuerunt, in parietibus depictos. Deinde poſt multum civitatis circuitum, ad hoſpitium, quod dominus Imperator nobis honorifice præparari fecerat, comitantibus clericis, & multitudine populoſa deduxerunt: in quo hoſpitio, quaſi homines fatigati ſolatia neceſſitatibus corporalibus abundanter præparata invenimus.*

E Prædic. & Min. familiis ad rem tractandam electi.

(*a*) *Ext. in lib. cenſ. MS. Vat. bibl.*

Honorificentiſſime a Græcis excipiuntur.

VI. *Secunda autem feria proxima ſequenti, vocavit nos dominus patriarcha; qui comparentes coram ipſo, & clero ſuo congregato, primo ipſum patriarcham ex parte domini Papæ ſalutavimus: deinde ex parte noſtra, enumeratis poſtmodum more noſtro cauſis, & pro honoribus, & beneficiis nobis ab ipſo collatis, gratiarum actionibus exhibitis, literas domini Papæ eidem porreximus; qui receptis literis bullam oſculatus, & reſpiciens in clerum ſuum adjecit: Petros, Paulos. Conſequenter talem nobis fecerunt quæſtionem utrum eſſemus legati domini Papæ, & honorem legatorum debitum vellemus recipere; ad quem reſpondimus, proteſtantes nos ſimplices eſſe, & honorem legatorum nolle recipere. Conſiderantes etiam tantam cleri multitudinem, volentes vitare eorum aſtutias conſuetas & fallacias, interim cum conteſtatione diximus, nos non ad concilium, ſed ad ipſum patriarcham eſſe deſtinatos. Nobis autem renuentibus oblatum honorem magnam reverentiam, & honorem etiam minimo nuncio domini Papæ exhibendum eſſe proteſtatus eſt. Dum autem plurima verba ex utraque parte proferrentur in medium, tandem valedicto ei ad ſumptum hoſpitium noſtrum honorifice a clero ſuo ſumus reducti.* Nonnullis interjectis addunt, ut adventus ſui cauſam Imperatori ac patriarchæ magna cleri ac procerum multitudine circumfuſis expoſuerint: *Diximus, non miſſi ſumus ad diſputandum vobiſcum ſuper aliquo articulo fidei, de quo ambigat Eccleſia Romana, vel nos, ſed ut vobiſcum amicabilem collationem habeamus.* Subdunt, ut poſt nonnullas contentiones, ſciſcitantibus legatis, quæ tandem cauſæ Græcos, qui olim, ut cæteræ toto orbe diffuſæ nationes Romanæ Eccleſiæ paruiſſent, ſeſe ab illius conjunctione atque obſequio divulſiſſent; poſt multa quæſita verborum effugia, *habito concilio tale dederunt reſponſum. Dicimus, quod duæ ſunt cauſæ. Una eſt de proceſſione Spiritus ſancti, alia de Sacramento altaris. Ad hoc reſpondimus ſic: Si iſtæ ſunt cauſæ, & non aliæ, quare vos ſubtraxiſtis obedientiæ Eccleſiæ Romanæ? Videamus ſi hæ ſint, vel debeant eſſe ſufficientes cauſæ tantæ inobedientiæ.*

Significant ſe non ad ſynodum ſed ad patriarcham miſſos.

Exquirunt cauſas a Græcis ob quas a Rom. Eccleſ. receſſerint.

Duas afferunt Græci, & quæ illæ fuerint.

VII. Ad dirimendas eas difficultates, interjecto duorum dierum intervallo, in palatio Imperatorio certatum eſt, ubi de proceſſione Spiritus ſancti, atque an Niceno ſymbolo aliquid addi a Latinis jure potuiſſet; in quo legati Græcos, tum ipſorum exemplo retudere, qui in concilio Conſtantinopolitano ſecundo, plura ſymbolo Niceno adjeciſſent: tum eo argumento convicere, quod liceret credere, quæ vera eſſent; quæ credere, ea ſcribere, canere, prædicare liceret: tumque

Diſceptatur de proceſſione Spir. S. a Filio.



que teſtimoniis patrum veritas proceſſionis Spiritus ſancti etiam a Filio demonſtrata atque illuſtrata eſt. Quæ omnia conſecutis diebus diſcuſſa magna animorum contentione fuerunt, quibus afferendis ſuperſedendum cenſeo, cum de iis in concilio œcumenico Florentino agitatis definitiſque ſuo loco nobis dicendum ſit: tum ſatius modo videatur Græcum hominem ad catholicam veritatem adverſus Græcos ſchiſmaticos tuendam ſtrenuis certantem, quam Latinos producere. Is erat Blemmyda, qui his temporibus floruit, quique cum ſe rerum divinarum contemplationi addixiſſet, otio, quo fruebatur, egregie uſus, commentaria duo luculenta edidit, quibus, adductis ſanctorum Græcorum patrum auctoritatibus, Spiritum ſanctum non a Patre tantum, ſed etiam a Filio procedere oſtendit; quæ nos e Vaticana (*a*) bibliotheca exſcripta in hujus annalium tomi calce collocamus. Meminit compoſiti a Blemmyda operis Nicephorus (*b*) Gregoras his verbis: Ὃς σχολῇ δεδωκὼς ἑαυτὸν, ἤρξατο συλλέγειν πολλὰς παρὰ τῶν θείων γραφῶν μαρτυρίας, συγκροτεῖν δοκούσας τῷ τῶν Λατίνων δόγματι, καὶ λογογραφεῖν ἐπὶ τούτοις, λάθρα μὲν διὰ τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν, ἐλογογράφει δ᾽ οὖν ἔστιν ἅ. Quæ interpres ita reddidit: *Qui cum ſe in ocium contuliſſet, multa e ſacra ſcripturæ teſtimonia, quæ dogma Latinorum confirmare viderentur, colligere, ac conſcribere cœpiſſet, clam ille quidem infamiæ metu, ſed tamen ſcripſiſſe quædam.* Verum in his tam Gregoram, quam ejus interpretem cenſura dignos animadvertit D. Leo Allatius: Gregoram quidem, dum ſchiſmatica veſania percitus, ut veritati detrahat, clanculum ſcripſiſſe ait; interpretem vero, dum ſive imperite, ſive maligne, metu infamiæ ſcripta non vulgaſſe interpretatur. Sed illos arguentem Allatium noſtrum in libro de ſynodis, dante Deo brevi in lucem edendo audire præſtat: *In poſtremis verbis Gregoras a malitia ſua non diſcedit. Qui enim clam ſcripſit, qui imperatorio juſſu id egerat, & literas non ad Imperatorem ſolum, ſed ad Jacobum etiam archiepiſcopum Bulgariæ palam dederat, qui de negotio publico ſibi commiſſo publice ſententiam proferens ſecreto ſcriptitaſſe dicendus eſt?* διὰ τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν, *quod reddi debuerat, propter multorum judicia & opinionem, ea ſcilicet reveritum Blemmydam, cum ipſe ſolus eſſet, clam ſcripſiſſe, ut Gregoræ ſententia eſt interpres infamiæ metu reddidit, quaſi infamia fuerit juſſu Imperatoris de rebus controverſis pro Latinis & pro veritate contra aberrantes Græcos ſcribere: certe ipſe non puto adeo deſipuiſſe Gregoram, quid Vvolfius agat, ipſe viderit.* Refelli etiam ex Pachymerio poteſt Gregoras: *Inciderunt in manus Becci quæ doctiſſimus vir Blemmyda ſcripſit ad Theodorum Imperatorem, & incipiunt: Qui quæret non opportuno tempore, &c. & ea quæ ad Jacobum Bulgariæ, quæ incipiunt: Eſt mihi morbus, quem patefaciam. Ex quibus omnibus conſtat ipſum lucem veritum non fuiſſe.*

Blemmyda editis commen. illius veritatem tuetur.

(*a*) *E Vat. biblioth. exſcrip.*

(*b*) *Niceph. Greg. l. 5.*

VIII. Fuiſſe porro Blemmydam inſignem virum, laudibuſque cumulatiſſimum, atque orientalis eccleſiæ cum Romana conjunctionis appetentiſſimum, teſtatur Joannes Beccus vir catholicus in ea oratione, (*c*) quam de illata ſibi injuria cum ſede patriarchali a ſchiſmaticis deturbatus eſt, compoſuit; ubi ſe Blemmydæ exemplo defendit: *Præterea juniorem & eundem cum noſtra ætate, ut ita dicam, Blemmydam inveni, cujus laus multa eſt in ſermone, cujuſque ſapientiam etiam quammaxime infenſi, in ingentem gloriam perveniſſe fatebuntur. Qui ſcripſit quoddam opus de hoc argumento, ad Bulgariæ quemdam archiepiſcopum electum, quamvis divino inſtinctu percitus, in monte Atho ſolitariam vitam agere elegerit, cujus etiam in orationibus præſtantiam multi, adhuc in vivis ſunt, conteſtantur. Sed nulla certior erit demonſtratio, quam ipſius ſcripta, quæ poſt illius mortem præ manibus omnium teruntur. Nomen erat viro Jacobi. Ad hunc Blemmyda ſcribens, eccleſiarum diſſidia deplorat, & in eorum cauſas ſuam indignationem promit, quo mihi ſatis innui videtur nunquam ſimilia vel dicturum vel ſcripturum fuiſſe, niſi etiam illum agnoviſſet de hoc eccleſiarum diſſidio indolere, ut alius quiſpiam ex iis, quæ in literis continentur, perſpiciet.* Hæc Beccus, cui in laudando Blemmyda conſentit Pachymerius, (*d*) qui virtute & ſermone admirabilem vocat, ac patriarchatum ſibi oblatum generoſe reſpuiſſe ait, ne a rerum cœleſtium contemplatione divelleretur: *Etenim*, inquit, *cum Blemmyda philoſophicam vitam ageret, totus extra res haſce factus, nullo erga eas ducebatur affectu, neque cuiquam compatiens, neque commiſerens, ſed mens illius ita agebatur, ac ſi in corpore prorſus non eſſet, unumque ducebat eſſe & Arſenium & Joſephum eſſe, non factis ipſis animum advertens, adeo ut hunc quidem injuriam paſſum exiſtimaret, hunc vero invaſorem fuiſſe, hæc enim dejectiſſimæ cujuſdam mentis, nec præter hæc aliquid aliud ad ſpeculationem poſſidentis exiſtimabat, ſed ſciens Dei quidem eſſe ſtabile & immutabile, hominum vero etiam per modicum tempus nullo modo perſiſtere.* Sed hæc de Blemmyda egregio proceſſionis Spiritus ſancti a Patre & Filio propugnatore ſuffecerint; ad nuncios apoſtolicos, a quibus digreſſa eſt oratio, redeamus.

Blemmydæ laudes.

(*c*) *Extat in bibl. Vat. Leone Allat. interp.*

(*d*) *Georg. Pachym. hiſt. l. 5.*

IX. Cum fides catholica de proceſſione Spiritus ſancti Græcorum patrum, ac maxime

Inſtant nuncii ut de Euchariſtia agatur.

me S. Cyrilli dictis in ſchiſmaticorum cœtu a nunciis illuſtrata, nitidiſſimis radiis oculos perfidorum feriret, ſignificavere nuncii ad alteram de ſacramento Euchariſtiæ a Latinis in azymo confici ſolitæ quæſtionem devolvendum videri: quibus captato effugio Germanus ſubjecit cogendam eſſe Græcorum ſynodum, nec ſine aliorum patriarcharum conſenſu diſcutere aliquid in re adeo ardua, vel deliberare poſſe: quare nuncii flagitavere a Vatacio, ut ipſis recedendi facultatem permitteret; quæ vero ille de ineunda conjungendæ cum Romana Græcorum eccleſiæ ratione quæſierit, his verbis exponunt: *Cœpit Imperator conferre nobiſcum: Sub qua forma poteſt patriarcha & eccleſia Græcorum reconciliari Eccleſiæ Romanæ? Ad quod dedimus tale reſponſum: Hoc modo poſſet reconciliari, ſi crederet hoc, quod credit Eccleſia Romana & prædicaret; utrum cantaret, vel non, non faceret magnam vim credimus Eccleſiam Romanam & obediret ei eodem modo & in illis, in quibus obedivit ante ſchiſma. Et adjecit Imperator: Si dominus patriarcha velit obedire Eccleſiæ Romanæ reſtituet ei dominus Papa jus ſuum? Ad hæc reſpondimus hoc modo: Si patriarcha obedientiam, & ea quæ matri ſuæ ſolvat, credimus quod miſericordiam majorem inveniet, quam credat, coram domino Papa, & tota Eccleſia Romana & aſſumpta licentia receſſimus a Nicea, & venimus Conſtantinopolim.*

Negat Germanus niſi in ſuorum concilio agitandam.

Sciſcitatur a nunciis Vatacius num ſua patriarchæ jura reſtituenda ſint ſi ad Roman. Eccl. redierit. Quid reſponſum a nunciis.

X. Hæſere in urbe regia apoſtolici nuntii, ut ſi forte interea aliqua concordiæ ratio explicaretur, operam ſuam ad rem promovendam conferrent; cumque Germanus ſuos ad ſynodum evocaſſet, nuntios apoſtolicos ut Leſcharam venirent, invitavit; at illi quamquam ſæpius teſtati erant ad nullum concilium, ſed tantummodo ad patriarcham Nicenum, ut placide de Græcis ad Eccleſiæ Romanæ conjunctionem revocandis tractaretur: nihilominus congregato graviſſimis de cauſis Latinorum præſulum Conſtantinopolitanique Imperatoris conſilio, eo ſeſe contulere. Cumque acceſſiſſent ad ſynodum & coram Græcis præſulibus adventus cauſam geſtorumque Niceæ rationem expoſuiſſent, inſtitere ut de ſacramento Euchariſtiæ ageretur: at illi iterum quæſtionem de Spiritus ſancti proceſſione ingerere, dein varias artes ad legatos irretiendos inſtruere, ineptis interrogatiunculis laceſſere, tempuſque in nugis fallere; quorum improbitate exaſperati nuncii, magna libertate animi ipſis cauſas objecere, ob quas quæſtionem de azymo aggredi recuſarent, ac palam ipſorum perfidiam in oculis hac oratione defixere: *Videmus, quod tempora redimitis, & ſubterfugere quæſtionem noſtram nitimini, & fidem veſtram profiteri non audetis: amodo aperto ore cor noſtrum patebit ad vos, & notificabimus vobis quicquid ſentimus de vobis. Jam perpendimus, quod male ſentitis de Sacramento noſtro in azymo, primo per ſcripta veſtra, quæ plena ſunt hac hæreſi. Secundo quia ad quæſtionem factam de Sacramento non audetis reſpondere, ne pateat hæreſis veſtra. Tertio quia facta veſtra iſtud probant, abluitis enim altaria veſtra, poſtquam celebraverit Latinus in eis. Quarto quia Latinos venientes ad ſacramenta veſtra compellitis apoſtatare, & abjurare ſacramenta Eccleſiæ Romanæ. Quinto quod dominum Papam ejeciſtis de dypticis veſtris: ſed ſcimus, quia nullum eiicitis niſi excommunicatum & hæreticum. Sexto quia ſemel in anno excommunicatis eum, ut nobis retulerunt quidam, qui audierunt.*

Nicea ſe Conſtantinopolim conferunt.

Vocantur ad ſynodum.

Conſilio Imper. Conſt. & præſulum eo ſe conferunt.

Moliuntur Græci ipſos technis ſuis irretire.

Refugiunt tractare de Azymo.

Quæ nuncii ipſis objecerint.

XI. *Surrexit igitur Chartofilax in medio concilii, & ait: Quid dicitis, quod Dominum Papam excommunicamus? Dicimus quod falſum eſt; & quicumque dicit iſtud, exeat, aut mala patietur. De aliis, quæ facimus, non miremini, quia Latini veſtri cum recepiſſent Conſtantinopolim, fregerunt eccleſias, diruerunt altaria, auro & argento ſublato, reliquias ſanctorum projecerunt in mare, iconas ſanctorum conculcaverunt, & de eccleſiis ſtabula fecerunt, ita ut impletum videretur illud propheticum: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum; & iis dictis, ait patriarcha: Si miramini, quod Papam ejecerimus de dypticis noſtris, quæro quare me eiicit de dypticis ſuis? Et incipientes reſpondere ad ultimum objectum, diximus: Dominus Papa nunquam te ejecit de ſuis dypticis, quia tu nunquam eras: ſed ſi de prædeceſſoribus veſtris quæratis, vos legeretis, utrum Papa vos, quam vos eum prius ejecerit: nec ad hoc aliquod reſponderunt. Ad alia, quæ imponitis Eccleſia Romanæ nihil imponitis, cum non fuerint hæc facta, conſenſu, vel præcepto Eccleſiæ Romanæ. Sed ſi hæc fuerunt facta, fecerunt viri laici peccatores, excommunicati, propria auctoritate talia præſumentes, nec imputandum eſt toti Eccleſiæ, quod a quibuſdam iniquis eſt præſumptum. Sed quæ dicimus de vobis, vera ſunt, & hæc verbo, & opere teſtificamini, & iſta faciunt primo veſtri patriarchæ & archiepiſcopi, & poſtmodum epiſcopi & cæteri eccleſiæ veſtræ prælati; hæc facitis, & hæc docetis fieri; unde jam excuſationem non habetis in peccatis veſtris; & quia tot abominabilia invenimus apud vos, nec aliquam voluntatem emendandi quod hactenus erratum eſt, ecce nos revertemur ad eum, qui nos miſit, & ſic receſſimus a concilio.*

Jactæ ex adverſo a Græcis contumeliæ.

Refelluntur a nunciis.

XII. Soluta itaque ea ſeſſione, exulceratis admodum animis, jactiſque plurimis a

Græ-



Græcis verborum contumeliis, quas nuncii ſolita conſtantia refregere, diſſentientes conciliare cupiens Imperator, in palatio concilium celebrari voluit, illique intereſſe, ut motus omnes pacaret, primaque ſeſſione tractatum, an corpus Chriſti in azymis confici poſſit; & Græcis omnino id negantibus, legati petiere, ut illud in ſcriptis traderent, viciſſimque Græci a legatis popoſcere, ut Spiritum ſanctum a Filio procedere, in ſcripto ſibi porrigerent, atque ita diſceſſum; proximaque ſeſſione producta utrinque ſunt ſcripta, quæ tum propoſitionem ipſam, tum præcipua argumenta complectebantur, publiceque lecta invicemque porrecta fuere.

Quæſtio de Euchar. in azymo conficienda agitatur.

XIII. *Accerſitis nobis in craſtino ad palatium Imperatoris, dixit Imperator: Conſuetudo Regum & principum eſt, cum diſcordia fuerit, inter eos ſuper caſtris, aut provinciis, ut quilibet de eo, quod dixit jus ſuum, aliquid dimittat, ut ſic pervenire poterit per medium ad pacem. Sic mihi videtur, quod debeat fieri inter veſtram eccleſiam & noſtram. Duo enim ſunt inter nos, & vos. Primum de proceſſione Spiritus ſancti; ſecundum de corpore Chriſti. Si igitur velitis pacem, vos dimittatis unum ex his duobus; nos venerabimur & gratum habebimus ſacramentum veſtrum: vos autem dimittatis ſymbolum veſtrum nobis, & dicatis nobiſcum, ſicut nos dicimus ſicut conſtitutum habemus a ſanctis patribus in conciliis ſuis, & hoc quod vos ſuperaddidiſtis, non dicatis ulterius, quia ſcandalum eſt nobis. Nos ad hæc reſpondimus: Hoc ſcitote, quia dominus Papa, & Eccleſia Romana non dimitteret unum jota de fide ſua, nec de hoc aliquid, quod dicitur in ſymbolo noſtro. Et ait Imperator: Quomodo ergo poterimus facere pacem? Reſpondimus: Si modum vultis ſcire, breviter dicimus vobis. De corpore Chriſti ita dicimus, quod oportebit vos firmiter credere, & aliis prædicare, quod corpus Chriſti confici poteſt ita in azymis, ſicut in fermentato; & omnes libri, quos veſtri ſcripſerunt contra fidem, damnentur, & comburantur. De Spiritu ſancto ita dicimus, quod oportebit vos credere Spiritum ſanctum procedere a Filio, ſicut a Patre, & iſtud neceſſe, ut prædicetur in populo. Quod autem cantetis iſtud in ſymbolo veſtro niſi velitis, non compellet vos dominus Papa, condemnatis & combuſtis omnibus libris, qui huic capitulo ſunt contrarii. Quod audiens Imperator graviter tulit, & ait: Jam non audio formam pacis; & ideo convocatis prælatis, annunciabo eis, quæ audivi a vobis. Quod cum audiſſent, indignati ſunt, & converſi in ſeditionem contra nos.*

Nefaria a Vatacio ineundæ concordiæ forma propoſita.

Quid illi reſponderint nuncii.

XIV. Verum Joannem Vatacium aliam cum Romana Eccleſia ineundæ concordiæ rationem excogitaſſe, atque ad eam, ſi ab Rom. Pontifice admitteretur, ſynodum Græcorum traxiſſe refert Michael Palæologus apud Pachymerium (*a*): *Comperiens*, inquit, *quod ſub Joanne duca in ipſa ſynodo ſancitum fuerat, quod ſi finem facerent auxiliares copias Latinis, qui Conſtantinopoli erant, mittendi, ſic & noſtri parati fuiſſent cum illis concelebrare, & mentionem Pontificis facere: & hoc modo ſpondebat, mittebanturque propterea Sardium Andronicus & Cycici Georgius & fortaſſe effectum habuiſſet, ſi illi acceptaſſent.* Eo certe ſpectabant Vatacii conſilia, ut illius conjunctionis beneficio occidentalium auxiliis deſtitutos Conſtantinopolitanos ſibi ſubiiceret.

Alia a Vatacio pertentata.

(*a*) *Pachym. l. 5.*

XV. Diſſoluta igitur eſt nullo fructu ea ſynodus, immo exaſperati magis utrinque ſunt animi; quæ res ingrata admodum Imperatori fuit, qui adverſas partes ſine animorum exulceratione utrinque abſcedere exoptabat. Cumque nuntii reditum adornarent ac ſchiſmaticorum ſcriptum fœdiſſimam hæreſim continens ſecum deferrent, Græcorum chartophylax vi adhibita illud avulſit, ac fidei formam de proceſſione Spiritus ſancti a nunciis traditam reddidit, quem nuncii illam ſervare juſſerunt: cupere enim ſedem Apoſt. ut omnes populi, quæ ipſa credat, teneant, ac profiteantur. Ita pia Pontificis ſtudia ad patriarcham alioſque Græcos in viam reducendos irrita cecidere, ut literis poſtea ad Fridericum datis (*b*) teſtatur.

Diſſolvitur exaſperatis utrinque animis eccleſiarum conjunctionis tractatus.

Incidere in hæc tempora videntur, quæ tradit de Joanne Brenenſi Rege Logotheta, (*c*) illum nimirum cum ſe duobus annis Conſtantinopoli nulla re geſta continuiſſet, aucupatum occaſionem Joannem Ducam exercitum ad ſibi ſubiiciendam Rhodum miſiſſe, collecta claſſe Lampſacum appuliſſe, ac maritimam oram vaſtaſſe, Græco Imperat. cum copiis radices montium legente arcenteque, ne interiora penetraret; demum Latinos ſolertis viri opera noctu Pegarum arcem munitiſſimam aſcenſu ſubiiſſe, atque impetu in præſidiarios facto expugnaſſe; quæ res magnum terrorem Græcis injecit, Joannes vero Ducas cum Latinorum potentiam perhorreſceret, mox Bulgaros de jungenda affinitate armorumque fœdere in Latinos firmando interpellaſſe, utque a Bulgaris gratiam iniret, archiepiſcopum Trinobi imperiali & ſynodico decreto abſolviſſe, ne patriarchæ Græcorum obnoxius eſſet, ac patriarchæ titulo augeretur. Erat hæc Græcorum Imperatorum veſania, ut magno rerum divinarum ludibrio auctoritatem ſedi tantum Apoſtolicæ attributam affectaret, ac patriarcharum jura definiret: meminit hujus rei Nicephorus (*d*) Gregoras, additque Jo-

an-

(*b*) *Greg. l. 11. ep. 413.*

(*c*) *Georg. Logoth.*

(*d*) *Niceph. Greg. l. 2.*

Conatur Greg. Sult. Damaſc. ad Chriſti fidem traducere.

annem Ducam Rhodo potitum, cum antea Lesbum, Chium, Samum, Icariam, Con, aliaſque finitimas inſulas obtinuiſſet. Sed ad Pontificem revertamur, qui non ſchiſmaticos modo atque hæreticos ad conjunctionem Rom. Eccleſiæ adducere, verum Sarracenos etiam miſſis ad ipſos viris religioſis, qui decerpta e prophetis ſacra oracula ad fidei Chriſtianæ veritatem in luce collocandam exponerent, ad veræ religionis cultum traducere tentavit. Quo argumento ad ſoldanum Damaſcenum hæc ſcripſit (a):

(a) Lib. 6. ep. 295.

*Sultano Damaſci viam agnoſcere veritatis.*

XVI. Argumenta ad eam probandam e patriarchis, prophetis, & Apoſtolis petita proponit.

*Cœleſtis altitudo conſilii, & immenſa benignitas Dei excelſi, hoc inter univerſa, quæ condidit, rationali tantum creaturæ conceſſit, ut ſapientiæ oculus per opus opificem, per creaturam agnoſceret Creatorem; & ad totius ignorantiæ tenebras expellendas, tres ordines electorum, velut tria candelabra per quædam ſibi ſuccedentium ſpatia temporum, patriarchas primo, ſecundo prophetas, Apoſtolos tertio direxit in via: Patriarchas a cæca multitudine ſeparatos juſtitia inſignes Angelorum ſuſceptores, Deum facie ad faciem intuentes in fundamento fidei poſuit, ſcriptura dicente: Credidit Abraham Deo, & fuit ei ad juſtitiam reputatum; vere & credidit, qui cum tres viros cerneret, unam divinam in eis ſubſtantiam adoravit; juxta quod Iſaias audivit Cherubin in cœlo clamantia: Sanctus, ſanctus, ſanctus, dominus Deus ſabaoth, dicente David: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ; cum ter ſanctus, & ter Deus ſit pro perſonarum numero poſitum, dominus Deus ſabaoth, & metuant eum omnes fines terræ; pro eſſentiæ unitate ſubjunctum, attribuente ſcriptura Patri potentiam, ſapientiam Filio, & Spiritui ſancto benignitatem, proprietate myſterii cum ſit potentia, ſapientia, & benignitas una trium, ſicut ipſi ſunt unum. Deinde prophetas ex Hebræorum populo, qui credebat electos fide ſummos, ſanctitate pollentes, claudentes, & reſerantes orationibus cœlum, curantes infirmitates hominum, & ſuſcitantes corpora mortuorum: poſt legem, quam Moyſen edidit, velut parietes ædificii conſurgentis erexit. Apoſtolorum vero ſacrum perfectumque numerum ſuperduxit in operis complementum.*

Divina de ſanctiſſima Trinitate oracula.

XVII. Ut Chriſtus patriarchis promiſſus fuerit.

*Et primum quidem luminare talium promiſſionum ſponſione ſuccendit ad Abraham, magnum patrem multitudinis gentium, in cujus carne fecit conſiſtere teſtamentum: In te,* inquit, *benedicentur univerſæ cognationes terræ. Ad Iſaac: Benedicentur in ſemine tuo gentes. Ad Jacob, vero, qui per duodecim filios, tribus totidem, & populum magnitudinis innumeræ propagavit: Ego ſum, ait Dominus, Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac; & poſt pauca: Dilataberis ad orientem, & occidentem, ſeptentrionem, & meridiem, & cunctæ benedicentur in te, & in tuo ſemine tribus terræ. Jacob vero filiis ſuis per ſingulos benedicens, præſentia tangens, futura proſpiciens, ait de Juda, ex cujus erant ſtirpe deſcenſuri Reges Hieruſalem, & tandem Dei Filius homo Chriſtus Jeſus, per uterum intactæ Virginis naſciturus: Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fœmore ejus, donec veniat qui venturus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

XVIII. Ut annuntiatus a prophetis.

*Luminare quoque ſecundum talibus teſtimoniorum fulgoribus illuſtravit, ait prophetarum præcipuus Iſaias: Ecce virgo concepiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel. Item: Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Et Jeremias ſacerdos ex ſacerdotibus, & in matris utero conſecratus: Novum,* inquit, *faciet Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum. Item Baruch: Deus noſter eſt, & non æſtimabitur alius adverſus eum, hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo; poſt hæc in terris vixit, & cum hominibus converſatus eſt. Et dominus per Oſee: Ex Ægypto,* inquit, *vocavi Filium meum. Et per Micheam: Et tu Bethleem Ephrata parvula es in millibus Juda: ex te enim egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

XIX.

*Denique illud ſemen benedictionis, & gratiæ, quod promiſſum fuerat patriarchis, de quo cecinit Iſaias dicens: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha, civitates videlicet, quas ſubvertit Dominus in momento. Et item: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra & germinet Salvatorem, & juſtitia oriatur ſimul. Ego Dominus creavi eum. Et David: Veritas de cœlo orta eſt, & terra noſtra dedit fructum ſuum. Et cum de morte, ac remuneratione fidelium loqueretur: Hæc eſt, inquit, hereditas Dei domini filii merces; qui fructus eſt ventris per operationem Sancti Spiritus, in intactæ virginis utero ſeminatus, cibus hominum, & ſalus fieri voluit pœnitentium. Poterat autem nos abſque ſua humiliatione redimere, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto potuit omnia ſine aliqua difficultate creare: ſed ſapientia ſapienter cuncta diſponens, attulit illud genus remedii, quo ſolo dilectioni fierent obnoxii liberati, ſicut prophetaverat Iſaias: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Et iterum: Oblatus eſt, quia ipſe voluit; & non aperuit os ſuum.*

Si-



*Sicut ovis ad occiſionem ducetur. Et poſt pauca: De anguſtia, & de judicio liberatus eſt, generationem ejus, quis enarrabit? Et iterum: Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis deputatus eſt, & ipſe tulit peccata multorum.*

XX. Quantis miraculis illuſtrata illius gloria.

*Hic in fine temporum juxta quod prophetarum vaticinio fuerat præſignatum, Angelo nuntiante conceptus eſt. Naſcentem ſtella novæ lucis apparens nuntiavit Regibus orientis, & Angelus in Judæa paſtoribus ovium, quorum ſimplicitas verbum non perverteret, nec mutaret auditum, cum quo facta eſt ſubito cœleſtis militiæ multitudo laudantium Deum & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ipſe dedit Regibus intellectum, qui dederat ſignum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri: ac per ducatum novi ſideris venerunt ad adorandum in pannis infantiæ Dominum majeſtatis. Joannes, quo major inter mulierum natos nemo ſurrexit, & qui tantus habebatur, ut Chriſtus a populo crederetur; eum mox, ut vidit, digito demoſtravit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; poſt hæc curavit ab omni morbo languentes, & mortuos ſuſcitavit. Illum quoque omnia elementa ſuum cognoverunt auctorem: ſub plantis ejus mare ſe calcabile præbuit, & ad ipſius imperium fluctus, & æquora ſiluerunt: voluntas ejus aquas tranſuberavit * in vinum, & ipſius benedictio pane modico multa hominum millia ſatiavit. Quo moriente terra contremuit, ſol lucis ſuæ radios occultavit, velum templi, & petræ ſciſſæ, ac aperta ſunt monumenta, & cum ſurgente apparentia multa corpora mortuorum multis in civitate teſtibus ſurrexerunt. Ad extremum temporali, quam pro totius mundi ſalute pati dignatus eſt morte calcata, vicarios operis ſui reliquit Apoſtolos, & concedens eis eadem faciendi miracula poteſtatem, ipſis cernentibus eſt elevatus in cœlum, & judicaturus vivos & mortuos expectatur. Ipſi etiam, quos reliquit in tertium luminare nihil minus miraculorum, quæ Deum feciſſe viderant, effecerunt; & quotidie tam per venerabiles ipſorum reliquias, quam per eos, qui fidem & opera ſectantur eorum, catholica mater Eccleſia miraculis illuſtratur, dum cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, liberantur energumeni, mortui ſuſcitantur, quod in alia religione non contigit nec continget.*

* tranſmutavit.

XXI. Significat Greg. in eo prædicando munere apoſtol. perfungi.

*Quia igitur debitores ſumus omnium ſalutem quærere ſervus ſervorum illius, qui neminem vult perire, non immerito circa te & ſubditos tuos miſericordiæ viſceribus affluentes, affectum Pauli gentium doctoris induimus, qui ſciens Creatorem omnium acceptionem non facere perſonarum conformatus infirmis, & omnibus omnia factus eſt, ut omnes Domino lucraretur; ſcientes inſuper inſtare tempus correctionis errantium animarum & gentes ante converſionem Iſraelis, qui adverſus eſt, ad fidem per gratiam intraturas: vobis, qui huc uſque reſiſtitis, & evangelii Jeſu Chriſti Filii Dei, boni videlicet nuntii, quod per ſeipſum attulit, & tranſmiſit, notitiam non habentes, ſicut abyſſus inſtabilis ſenſu carnis contra catholicæ navem Eccleſiæ fluctuantis, verbum Chriſti, & celatum a ſæculis Chriſtianæ fidei ſacramentum, non ſimul omnibus, ſed ſicut ab æterno ſapientia divina diſpoſuit, aliis poſt alios revelatum, æternæ videlicet myſterium ſalutis, & pacis annuntiare decrevimus Jeſum Chriſtum, verum Deum, veri Dei Filium tibi & tuis per epiſtolam noſtram, & per viros virtutis ejus miniſtros gratiæ prædicamus, ſi forte Deus omnipotens, qui vocat ea, quæ non ſunt, ſicut ea quæ ſunt, illud lumen infundat cordibus veſtris, quod vocationem omnium gentium præfigurans, trium in oriente quondam Magorum cordibus aſpiravit, quod in propria veniens, ſuſceptum non fuit a ſuis, quod per evangelium Pauli populus, qui ambulabat in tenebris, apprehendit, quod nunc quoque lucet in tenebris, nec videtur ab eis, quia venire nequit ad veritatis indaginem, qui non reliquit errorem. Unde cœleſtem curiam, & cœlum, & terram in teſtimonium invocamus: ſi enim, quod abſit, fidem tot argumentis, talibus teſtimoniis, tantis ſignis, & miraculis jugiter approbatam ſuſcipere, ac tenere negligitis, nullam penitus de peccato prætendere, nullam in ejus conſpectu, qui ſæculum judicare per ignem, in poteſtate ac majeſtate venturus eſt, poteritis excuſationem habere.*

Divinas Sultano iras ni crediderit intentat.

XXII.

*Cæterum vos, non veſtra requirimus, animarum veſtrarum cum Jeſu Chriſto lucra ſitimus: nihil de facultate ſubtrahere quærimus, vel minuere de honore; ſed provehere vos & ampliare potius affectamus. Erit proinde dante Chriſto Jeſu noſtris affectibus incrementum, ut tu qui & caput & princeps es populi tui, per gratiam intellectus, quo a multitudine ſubjecta diſcerneris, ſi propoſita tibi per pacis nuntios audieris patienter, per cognitionem fidei efficieris Chriſto primitiæ populi credituri, ſicut de quarumdam principibus nationum factum eſt, qui ſoli data ſibi deſuper ſignificatione credentes multorum & præcipue ſubjectorum cauſa ſalutis effecti, temporali gloria non amiſſa, ſed aucta cœleſte regnum, quod nunquam finitur, a Deo percipere meruerunt, &c.* hortatur, ut Minoritas ad ipſum miſſos benigne excipiat, nec ſupervacaneum putet prophetarum oracula audire. *Dat. Anagn. xv. kal. mart. pont. noſtri anno* VI. Eodemque exemplo literas ad Caliphium (a) Baldacenſem ac Miramamolinum (b) Africæ, ut ipſos ad lucem evangelii evocaret, miſit,

Caliphius & Miram. etiam ad fidem Chriſt. ſolicitati.

(a) Lib. 7. ep. 129.
(b) Reg. poſt eand. ep.



Pera-

**XXIII.** Commendat Greg. Regi Georg. præcones evangelicos.

Peragrabant eo tempore vaſtiſſimas Aſiæ regiones plures viri religioſi, ad populos Chriſtiana religione excolendos: e quibus Jacobus Ruſſanus Minorita, cum in Georgiam penetraſſet a Rege perhumaniter eſt exceptus, (fuiſſe vero Georgianos Chriſtiana religione imbutos, ſedique Apoſtolicæ addictiſſimos ſuperius inſinuatum eſt) quo accepto Pontifex, cum idem religioſus vir reditum in Aſiam appararet, illum atque alios, qui Chriſti nomen apud gentes circumferebant, Regi commendavit. Plura vero cœleſtia prodigia ad confirmandam Chriſtianæ fidei veritatem præconum evangelicorum opera numen explicuiſſe colligitur ex hac literarum parte: *Latore præſentium recepimus referente, quod tu thronum gloriæ, cui præſides, ab auctore omnium recognoſcens, perſonas ipſius ordinis, quin potius operantem in eis ſpiritum venereris, intelligens, ſicut credimus, & attendens, quod qui cuſtodit parvulos, in confuſionem hæreticæ pravitatis catholicam dignatur Eccleſiam evidentioribus ſignis atque miraculis decorare per eos, ut quo ſe fortius paupertate ſimul & ſimplicitate, eo majoribus ab eo, qui humilia reſpicit, virtutum honoribus attollantur, &c. Dat. Lat.* III. *idus april. an.* VII.

**XXIV.** Excitat Frid. ut Sarrac. Nucerinos ad Chriſti cultum adducat. (a) *Eod. l.* 7. *ep.* 310.

Cum pontificium zelum ad colluſtrandos evangelica luce remotiſſimarum orientis terrarum infideles ſe diffudiſſe viderimus, prætermittenda non eſt ſilentio navata ab illo opera, ut Sarracenos, qui Nuceriæ in Apulia agebant, nefanda Mahometi ſuperſtitione irretitos ad fidem adduceret; Imperatorem enim monuit (a) qua vi qua amore, ipſos ad exuendos errores adigeret, ac Dominicanæ familiæ religioſos viros ad exponenda ipſis divina oracula miſſos tueretur: *Imperialem manſuetudinem rogandam duximus & hortandam, quatenus Sarracenis, qui Capitanatæ Nuceriam incolunt, & Italicum idioma non mediocriter, ut fertur, intelligunt, per tuas literas firmiter dare debeas in mandatis, ut fratres ordinis Prædicatorum, pacis angelos, quos ad eos cum exhortationis verbo dirigimus, in pace ſuſcipiant, patienter audiant, & prudenter iis, quæ pro ſua ſalute proponuntur, intendant; ſi forte pater luminum noſtræ miſeratus aſpiciens intentionis affectum, populo, qui in tenebris habitat, verum lumen oſtendat: & ſi quod a nobis in benedictione plantabitur, potentiæ tuæ favoribus irrigetur, ad unum ex hoc nobiſcum proficias meritum apud eum, qui ſolus tribuit incrementum, quia qui plantat, & qui rigat, unum ſunt in unius intentionis affectum, &c. Dat. Anagniæ* VI. *kal. ſept.*

Pollicetur illi ſuam operam Fridericus.

Pontificis acceptis literis, ut flectere ingenium, verſareque omnem in partem noverat Fridericus, pietatis gloriam aucupaturus, ſtudium ſuum & operam detulit, jactavitque induſtria ſua plures jam Sarracenos exuta impuri Mahometis ſuperſtitione Chriſtianam religionem amplexos, ac diligentiam omnem collocaturum, quo Dei, & Eccleſiæ in dies gloria effloreſceret.

**XXV.** Offert armorum potentiam ad frangendos Eccleſiæ hoſtes. (b) *Apud Greg. l.* 6. *ep.* 268. Illius ea de re literæ ad Gregorium.

Oſtentabat ſane ſe Fridericus præclare erga Eccleſiam affectum atque evolvente jam ſe anno ſuperiore, ad hoſtes illius edomandos operam ſuam oratorum opera ac pompaticis literis (b) detulerat, quibus Imperium Sacerdotio conjunctiſſimum ſemper fore ita jactabat: *Quamquam hæc duo, ſacerdotium & ſacrum Imperium vocabulorum appareant nuncupatione diſcreta, ſignificationis tamen effectu ſunt eadem, ejuſdem originis divinæ potentiæ ſcilicet initiata principiis, ejuſdemque gratiæ favore fovenda; & quod abominamur exprimere ejuſdem noſtræ communis fidei ſubverſione tollenda. Quas etenim oves paſcet paſtor Eccleſiæ, ſi gramina fidei deſiccantur? Quibus fidelibus ſacrum Imperium imperabit, ſi deficiente fide deficiant, qui ſibi tenentur ex fide? Eadem eſt ergo, ut neceſſario repetamus, languentis fidei noſtræ medela, idem eſt gladius; ſed tamen bis acutus, velut proprietate pluralis numeri, quo uſus eſt Petrus in evangelio, dicens: Ecce duo gladii hic; ut ad literam & ad oculum alludamus, qui ad intellectum hactenus verba retulimus; duo vere ſunt gladii, ſed una eadem mater Eccleſia fidei noſtræ genitrix eſt vagina duorum, quod aperte diſcernere voluiſſe dicentem ſignificatio propria adverbii localis oſtendit. Dum enim, hic, dixit, oſtendere voluit, quod gladiorum amborum unus eſt locus, ex quo invincibiliter aſſumitur, & neceſſario comprobatur, quod gladiorum iſtorum una ſit ſubſtantia, cum ſit impoſſibile de natura unum, & eundem locum duas poſſe ſubſtantias continere. Profecto vagina eadem hos duos gladios ſic effectualiter unum facit, quod non aliter unus ab altero integritate alterius ſervata ſejungitur, quam pars a toto deducitur abſque corruptione ſubjecti, vel ut videat oculus, quod forte non concipit intellectus in eadem vagina corporea duobus gladiis conditis, ſublato altero impoſſibile ſequitur, quin in vagina reſiduus non vagetur. Abſit a nobis unquam pater, & paſtor Eccleſiæ, non levis, aut ſimplex, immo bruta credulitas, quod iſtud individuum gladiorum, patris & filii unio recipiat ſectionem: immo firmiter credimus, & publice profitemur, quod nos duo velut pater, & filius unum ſumus in hac vera credulitate cordis, in hac ſancta profectione ſermonis, etſi ſemper Apoſtolicæ ſedis conſtantiam fuiſſe noverimus, nunc tamen, & continuo permanere gaudemus, &c. Datum Præcin.* III. *decemb. ſexta indict.*





**XXVI.** Fallit promiſſa. (a) *Lib.* 6. *ep.* 262.

Verum tanta promiſſa fruſtra cecidere, cum enim Pontifex, oppreſſa ab improborum ambitione Eccleſia, qui illius ditionem invaſerant, Fridericum rogaſſet, (a) ut ad retundendam eorum audaciam conatuſque elidendos auxiliarem manum explicaret, cum ad ferendam illi opem ob dignitatem Imperii, tum ob Siciliam ſedis Apoſt. vectigalem obſtrictus eſſet, expectaretque ut, conſcripto collectoque ingenti exercitu, ad levandam oppreſſam Eccleſiam provolaret, ſeſe ille ad Siculum iter comparabat. Quibus auditis Gregorius, graviſſimo dolore perfuſus, de iis conqueſtus hortatuſque (b) eſt, ſi ipſe præſens operam matri Eccleſiæ ferre non poſſet, alios ſaltem duces potenti ſuccinctos exercitu, ad hoſtes debellandos quamprimum expediret. Et ſane Fridericum Meſſanam profectum captoſque ibi rebelles partim ſuſpendio, partim flammis dediſſe a Richardo (c) Godefrido (d) aliiſque traditum eſt. Cæterum Eccleſiæ hoſtes, de quibus dictæ epiſtolæ memorant, Romanos fuiſſe, res ſuperiori anno dictæ, tum ex Gregorii actis, tum ex regeſto ſatis illuſtrare videntur, quæ etiam acta de Friderico hæc tradunt: *Quo Fridericus Imp. prædictus apud S. Germanum certa relatione comperto*, nimirum Romanos odiis in Pontificem efferatos ob caſtrum Fumonis munitiſſimum ab ipſo recuperatum conjuraſſe, *qui fidele defenſionis præſidium Eccleſiæ Roman. promiſerat, ut juramento, & vaſſallagii obligatione tenebatur, & fidei, & majeſtatis oblitus, Meſſanam properans, nullo perſequente diſceſſit, hoſtibus taciti favoris auxilium ex ceſſione daturus.*

(b) *Greg. l.* 6. *ep.* 289.

(c) *Rich. e S Germ. in chron. hoc ann.*

(d) *Godef. in Annal. eod. ann.*

Excitus a Greg. in auxil. contra Romanos Meſſanam avolat. Cur Romani ſigna in Greg. extulerint.

**XXVII.** Ad eos pacandos Romam ſe conferre decernit.

At Pontifex licet ſe cinctum periculis, hoſtibuſque circumfuſum videret, generoſo ardore ſuccenſus, Romam contendere decrevit, quo conflatas ſeditiones extingueret, laborantique civitati opem explicaret: acciditque, ut cum primum pedem inferre viſus, ſingulari miraculo mollirentur ſtatim Romanorum pectora, odiiſque, quibus erant imbuti, poſitis, ad ipſius pedes ſeſe abiicerent, ingentique pompa Urbe exciperent; quæ auctor anonymus, collaudata Pontificis conſtantia proſequitur: *Fratrum ad hoc conſilia dividuntur, dum pauci Urbis ingreſſum, plures acceſſum in Tuſciam ſummo Pontifici ſuaderent: ſed Chriſti vicarius, cui temporis brevitas ad elidendos Romanorum impetus facultatem virium denegabat, exiſtens Anagniæ cum Apoſtolicæ ſedis honore exitium patriæ ſuſtinere non poterat indefenſum, nec abſque præſidialis auctoritatis injuria provinciam deſerere poterat fugitivus: magiſtri autem vocem ſecutus & actus, trepidantium fratrum animos humili reſponſione collidens ait: Vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis, & perſecutoribus ſimilitudine quæſtionis occurrens: Si me quæritis, ſinite hos abire, zelo juſtitiæ, ac fidei fervore ſuccenſus, fortis athleta ſanguinem ponere pro commiſſæ ſponſæ libertate paratus, Urbem frementium beſtiarum intrepidus, & conſtanter ingreditur, a Romano populo catervatim obviam concurrente, incredibili veneratione ſuſceptus; res mira, & ab humana poſſibilitate remota, ut hoſtes propoſito crudelitatis armati audito paſtoris acceſſu, protinus ferocitatis animum immutaverint in devotionis affectum, & ora contumeliæ ſcurrilitate laxata, in organa divinæ laudis compoſita patrum Patri præconia perſonabant, nec his Pater contentus devotionis indiciis, quæ ſolent apud eos venalitatis argumenta monſtrare, ipſorum eſuriem non modicæ pecuniæ refectione placavit.* His addit Richardus (e) antequam Pontifex Romam accederet, ſenatorem Urbis aliis proceribus ſtipatum Anagniam veniſſe flagitaſſeque ſummis precibus, ut Romam regrederetur, flexumque eorum votis aliquorum Cardinalium comitatu cinctum, aliis Anagniæ conſiſtentibus rediiſſe. Sed non diu pax tenuit, iterum enim recrudeſcente vetere diſcordia Romani ſeditiones novas moliri, & conflare cœperunt. Qui ut imminenti periculo ſeſe ſubduceret, ingratam urbem deſerere alioque transfugere coactus eſt, de quibus anno ſequenti.

Major Cardinalium pars id conſilium damnat.

Egregia ad ipſos Pontificis ſententia.

Mitigantur ejus adventu Romani.

Pontificem magnifice excipiunt.

(e) *Rich. de S. German. in chron.*

Parum ea tenuit concordia.

**XXVIII.** Inſubriæ tumultus pacare nititur Greg.

Nec tumultus modo in pontificia ditione verum etiam in Inſubria excitati. Quamvis enim antea diligentiſſima cura Pontifex Inſubres inter atque Imperatorem, ut vidimus, pacem conciliare, atque omni adhibita opera fortiſſime adſtringere ſtuduiſſet, eruperant tamen novæ difficultates, quæ exulceratos, atque exaſperatos jam animos in veram amicitiam coaleſcere non ſinebant; ad eos tamen deliniendos arctiorique jungendos fœdere Gregorius Papa Fridericum, (f) & Inſubres, (g) ut ſinguli Romam legatos ad eam agitandam perficiendamque mitterent eſt hortatus, (h) ac monuit utroſque, initis antea conditionibus ſtarent. Ac ne diſcordia in bellum apertum Eccleſiæque exitiale emergeret, egit apud utroſque, ut compromiſſo in Jacobum Præneſtinum electum, & Cardinalem S. Nicolai in Tulliano facto, jura ſua Eccleſiæ definienda permitterent: quæ cum apoſtolica interpoſita auctoritate Pontifex promoveret componeretque, de his ad Fridericum ſcripſit, & ejus ac filii Regis literas, quæ geſta & gerenda rata haberent, flagitavit. Cui Fridericus ſe magiſtrum Theutonicorum, cum primum rediiſſet, ad ipſum, ut ea de re ageret, miſſurum reſpondit (i); interim aculeatas, ac querimoniarum plenas literas (k)

(f) *Lib.* 6. *ep.* 258.

(g) *Ib. ep.* 259.

(h) *Lib.* 7. *ep.* 146.

(i) *Ib. ep.* 267.

(k) *Ep.* 268.

*Queritur Fridericus ſibi læſo a Longobardis non fieri ſatis.*

ad Oſtienſem epiſcopum miſit, quibus primum admonuit, quæ ſibi ab Pontifice ſcripta ac reſponſa eſſent; tum in querelas erumpit, injurias tantas, quibus ab Inſubribus eſſet laceſſitus, Ravennæ nimirum indicta comitia ab iis diſcuſſa, abruptos ad patrem filio aditus, plures Germanos nobiles contumeliis affectos, non reſarciri, quæ Pontificis arbitrio permiſiſſet, rem ita ab illo compoſitam, ut ſui Imperiique honoris oblitus videretur. Demum rogat illis conſuleret, ne ſi fama rei geſtæ emanaret, cæteri principes arbitrario Eccleſiæ judicio ſeſe committere deterrerentur. De quibus omnibus certior factus Pontifex, literis (*a*) ad Imperatorem ſcriptis purgavit ſe, ac Principis querimonias de re in Inſubrium gratiam deciſa retudit, conceptaſque ſiniſtras ſuſpiciones ex illius animo depellere conatus, oſtendit, ſi tuendæ eccleſiaſticæ libertatis gratia aſperiorem ſe præbuiſſet, id ipſius ſalutis cauſa ex ſummo amore emanaſſe, ac ſecuta ingentia in eum beneficia commemorat, ut non querimoniarum, ſed gratiarum materiam ſibi porrectam eſſe cognoſcat.

(*a*) *Ep.* 169.

*Accuſat Pontificem nimiæ in eos indulgentiæ.*

*Gregorius, &c.*

XXIX. *Objecta diluit Gregorius.*

*Pro tuæ celſitudinis incremento etſi ab aliquibus, qui ſcirent etiam de balſami murmurare fragrantia, & in melle cauſari dulcedinis ubertatem, forte contrarium teneatur, duos ex fratribus noſtris, quos laudabiles effecit multiplicis evidentia probitatis, Lombardis omnino renitentibus, pro te in Lombardiam miſimus, quorum diligenti ſtudio, quantum difficultas negotii concedebat, tuis accreviſſe profectibus probabiliter æſtimamus. Cæterum etſi bona referamus inviti, quæ de ſedis Apoſtolicæ benignitate procedunt, eo quod impenſa beneficia non ſint largitoris relatibus publicanda, tamen ut innocenti maculam non impingas, & ſcias te ad retributionis debitum, non ad querelæ convitium obligatum, reminiſci te volumus, quod in pluribus, quæ tuorum prudentia nuntiorum, ſeu multarum ſeries literarum a nobis tuo nomine diebus præteritis expoſcerunt, faciendum ſemper aſſumpſimus, quod dignum, & utile videbamus. Sed ecce quaſi arbor gratis onuſta fructibus, ex eo dicenda ſit ſterilis, ſi non per totum appareat uniformis, aut quaſi defectus aſcribi firmamento debeat, ſi æqua ſtellarum claritas non exiſtat, oblivioni commiſſa gratiarum congerie, quam ſuis temporibus circa te recolimus effudiſſe, innuis ex ſcripto lamentabili, quod non nobis, ſed noſtris fratribus deſtinaſti, nos taliter ſuper Lombardiæ negotio providiſſe, ut de illatis injuriis a Lombardis nihil ſit tibi ſatisfactionis præſtitum, aut de tuo, vel honore Imperii cogitatum, immo quod pro miro geritur, ſi proceſſus hujuſmodi Cardinalium conſilio fulciatur, quaſi talibus inconſultis ſoliti ſimus efficere, quæ debemus & cupimus, ipſorum conſulta providentia diffinire.*

XXX. *Ad hæc autem quid reſcribentis innocentia reſpondebit, unde præſumptio, quod ſequentes arbitrium propriæ voluntatis, quaſi rationis conſilio non ducamur, qui licet immeriti locum ſuperni Judicis obtinentes in terris plenitudinem juſtitiæ ſtudemus omnibus exhibere, principi præeminenti, & Eccleſiæ filio ſpeciali Lombardos in aliquo maxime ubi de jure agitur, relicto rectitudinis tramite proponamus? Abſit, abſit a nobis, qui teſtem in cœlis, & in excelſis conſcium obtinemus, quod in juris præjudicium nobis non ſit acceptio perſonarum. Sed infers ex quingentis militibus, quos quidem de fratrum noſtrorum conſilio in Terræ ſanctæ ſubſidium a Lombardis providimus præfigendo ab Eccleſia Rom. termino deſtinandos, forte injuriam tibi fecerimus evidentem. Unde locus a damnis, & injuriis, quæ tibi Lombardorum temeritas irrogavit? Quæ ſunt illa? Pone quod plurima: tamen quia Lombardis paratis ſubire judicium procuratores tui nihil ſub figura judicii proponere voluerunt, in favorem tui nominis ad proviſionis remedium nos oportuit habere recurſum, quæ qualiſcumque tuæ magnitudini videatur, tamen ex illa Lombardi ſe gravatos intelligunt, eo quod ſuper habitis contra te proceſſibus ſe in modico culpabiles ex cauſis plurimis recognoſcunt.*

XXXI. *Queſtus erat Frid. Longob. ob non ſubmiſſos 400. milites catapr. non fuiſſe mulctatos. Reſpon. Greg. non fuiſſe ad id aſtrictos, cum expeditio illa ab Eccleſ. indicta non fuiſſet.*

*Sed querelam querelæ adiicis, & ſubjungis, quod in proviſione prædicta prior ſit omiſſa conventio de militibus quadringentis. Ad hoc autem, quam poſſumus, breviter & lucide reſpondemus: ſcis enim niſi forte oblivioni commiſeris aliis pluribus occupatus, quod ſecundum declarationem felicis recordationis Honorii Papæ prædeceſſoris noſtri, quam ſumptam ex regeſtis tibi præſentibus mittimus interclusam, celſitudini tuæ prædicti milites debebantur, ſi ſtatuto a te paſſagio, & per Romanam Eccleſ. approbato in Terræ ſanctæ ſubſidium tranſiviſſes. Igitur quod non ſine turbatione referimus, cum talem tranſitum feceris, ſicut ſcimus & noſti, tibi prædicti milites non debentur. Si non debentur & in præmiſſis nil de contingentibus eſt omiſſum, quare vir provide lamentaris? Verum ſi de proviſione prædicta te gravatum propriis, vel alienis moribus arbitraris, ſuper hoc nobis tuam præciſe reſera voluntatem, quia credimus negotium in ſtatum priſtinum poſſe reducere, jure utriuſque partis integro remanente. Dat. Anagniæ* II. *id. aug. anno* VII.

XXXII. *Cajeta a Greg. ad Frid. obſequium adducitur.*

Demonſtravit vero Pontifex in Cajetanis ad Friderici obſequium, a quo maxime abhorrebant, adducendis (*b*) ſui in illum ſtudii ac fidei ſinceritatem; verebantur illi, ne poſtquam Friderici imperio ſe ſubmiſiſſent, illius ſævitiam experirentur; ad quem metum ex eorum animo evellendum pollicitus (*a*) eſt Fridericus acceptas ab iis injurias ob ſecutas Eccleſiæ partes æterna oblivione deleturum, cavitque edicto imperiali, ne quis ullam iis moleſtiam in Sicilia Romanove Imperio inferret. Quos quidem hoc anno ad illius obſequium revocatos teſtatur memoria dignum monumentum, quod in libro cenſuum Vaticanæ bibliothecæ extat: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti anno dominic. Incarnationis* 1233. *imperante domino noſtro Friderico Dei gratia victore Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieroſolymitano, & Siciliæ Rege anno Imperii ejus* XIII. *tempore domini noſtri illuſtris Regis Conradi ejuſdem ſereniſſimi Imperatoris filii, die Jovis ultima menſe junii ſexta indictione, nos conſules, judices, & univerſus populus Gajetæ præſenti ſcripto volumus eſſe notum, tractatam per D. Papam pacem, & gratiam nobis a D. Imperatore conceſſam, ſiquidem in privilegiis ejuſdem D. Imperatoris filio ſuo D. noſtro illuſtri Regi Conrado de datione & conceſſione civitatis Gajetanæ, & nobis indultis plenius continetur, quam ſub ſigillo ipſius domini Papæ recepimus in Gajeta per manus magiſtri Petri de Guartino venerabilis ſcriptoris ejuſdem Papæ affectuoſius acceptantis ipſi D. ſummo Pontifici cum omni humilitate gratias agimus, quod paternam de nobis in hoc habuit curam, & ſalutem noſtram pietate apoſtolica procuravit, &c.* Verum quamvis Imperator Cajetanos in priſtinam gratiam recepturum ſpopondiſſet, non viſus eſt fidem ſervare, cum Richardus (*b*) aſſerat Imperatorem miſiſſe in eam urbem Hectorem e monte Fruſulo, qui ipſam creandorum conſulum auctoritate dignitateque orbavit, ac vectigalia nova civibus impoſuit.

(*b*) *Eod. l.* 7. *ep.* 211.

(*a*) *Ext. ib. ep.* 212.

*Pollicetur Cajetan. Frid. injurias præteritas non ulturum.*

*Promiſſa parum curat.*

(*b*) *Rich. chron. hoc anno.*

XXXIII. Ultionis quidem Fridericum avidum extitiſſe, variiſque prætextibus, & criminibus ſubornatis in eos deſævire ſolitum, in quos odium animo concepiſſet, non ſuperius modo recenſita, verum a nobis dicenda oſtendunt. Cum enim ad excindendos hæreticos ingenti ardere zelo præ ſe tuliſſet (*c*) conſtituiſſetque, ut in ſingulis provinciis ac locis inſignibus judex una cum antiſtite exercendæ in eos quæſtioni præeſſet, atque ob ſuſceptum pium, ut videbatur, conſilium a Gregorio collaudatus eſſet, vindictæ occaſionem aucupatus, pleroſque inſontes catholicos, qui in ipſius iras incurrerant, crimine hæreſeos accuſatos flammis magno omnium dolore, & ſcandalo tradi juſſit: quare illum Gregorius graviſſime monuit, (*d*) ut in delendis hæreticis, non perdendis catholicos ſtudium collocaret.

(*c*) *Apud Greg. ep.* 243.

*Sibi exoſos pœnis hær. aſſicit*

(*d*) *Ib. ep.* 244.

*Gregorius, &c.*

XXXIV. *Corripitur graviſſime a Pontifice.*

*Quia ferventi deſiderio multis temporibus expectantes, quod verborum pulchritudinem decor operum ſequeretur, eo quod arbor ex fructibus formoſa potius quam ex frondibus cenſeatur, excellentiam tuam rogamus, & obſecramus in domino Jeſu Chriſto, quatenus prudenter attendens, quod ex melle favus laudem dulcedinis, & ex meſſe ſeges placentæ titulum ſortiatur, devotionis verba, quæ ſæpe tuis literis exponuntur, ita conformes operibus bonitatis, quod in actu fructificent, & te cœlorum Regi, ac terræ principibus, cunctiſque fidelibus, ut excelſum potentia principem, ita virtute conſtituant præeminentem: alias autem parum arbitramur utile, quod ſtudet litteris dictatoris facunditas explicare. Taliter igitur cordis adorna thalamum pietatis inſignibus; & meritis illuſtra ſolium bonæ ſplendoribus voluntatis, ut te ſeveritatem in abdito, & in procinctu clementiam obtinente lætitiæ cauſam ex te ſubjecta populi multitudo concipiat, & illa te propitio in proſperitatis gratia refloreſcat. Sic enim cum ſit amor civium inexpugnabile munimentum, deſiderium, quod adverſus exterminium pravitatis hæreticæ concepiſti, proceſſu proſpero, auctore Deo, dirigi poterit, & finiri. Veruntamen expedit, ſicut divinam gratiam, & favorem matris Eccleſiæ vis uberius promereri, quod ſub hæreticorum prætextu, quorum dudum aliqui pro firmamento fidei, ut aſſeris, incendio ſunt commiſſi, fideles, qui forte tuam celſitudinem offendendo non hæretici, ſed errantes in aliquo, impatientia procurante gravaminum, ſunt inventi, nullo modo pereant, ut pridem nobis dolentibus multiſque mœrentibus, non abſque divinæ Majeſtatis offenſa, ſcandalo fidelium populorum, & imperialis detrimento nominis in tui præſentia perierunt, quæ ſi fas ſit verbum proponere pietatis, debebat delendis perfidis, non perdendis fidelibus deputari, ut ſic Chriſtiani potius promotor Imperii, quam depreſſor ejuſdem occaſione afflicti regni Siciliæ dicereris. Datum Later. id. jul. anno* VII. Hactenus Pontifex ad liberandos e funeſta carnificina innocentes viros, quorum injuſtum ſupplicium paternum pectus ad miſericordiam commoverat.

XXXV. *Atrox inter Florentinos, & Senenſes bellum.*

Hauſit pariter graviſſimum dolorem ex mutuis Florentinorum ac Senenſium calamitatibus, qui odiis crudelibus efferati mutuis cladibus ſe atterebant. Cujus belli cauſas retexens Ricordanus (*e*) Maleſpina, ſcribit Senenſes anno ſuperiori montem Policianum, cujus cives cum Florentinis tuendæ libertatis gratia coitionem fecerant, obſidione cepiſſe illiuſque propugnacula funditus evertiſſe: Florentinos vero ea re laceſſitos præſenti anno in Senenſem agrum irrupiſſe, atque op-

(*e*) *Ricord. Maleſp. hiſt. Flor. c.* 119. & *Jo. Vill. l.* 6. *c.* 9.

*Illius cauſæ.*

oppidum nobile excidiſſe. Ad eos conciliandos, emergentiaque inde mala compeſcenda intentus Pontifex, ad Joannem e Prædicatorum familia ſpectatæ ſanctitatis virum miraculiſque editis conſpicuum ſcriptis literis, (*a*) legationis provinciam ſuſcipere, animarumque ſaluti incumbere rogavit: *Jam ad opera pietatis non es juſſione trahendus, qui, ut audivimus & lætamur, libertate ſpiritus Dominici frueris, & per unctionem ejus de omnibus edoceris. Clamat ſane Florentinorum, & Senenſium innumerabilium captivorum miſerabilis gemitus, & inter vincula, & ſquallores carceris, inter tormenta famis & ſitis pene deficientium ululatus clamat plurimorum ſanguis effuſus, & abundantius, ſi pax non intervenerit, effundendus: placeretque nobis, ſi Dominus tibi inſpiraret, ut aſſumpta legatione pro Chriſto, non tantum ſalutem corporum, ſed in utraque civitate lucrum quæreres animarum. Præcipere tibi nolumus, qui ſpiritu Dei duceris, cui nos obedire tenemur, ſed oramus, ut tibi ab illo in quo per miniſterium tuum languentium multitudo reſpirat, potius inſpiretur, hanc utriuſque civitatis univerſitati, quæ jam periiſſe videntur, facere gratiam, ne irreparabilem nobiſcum pariter compellaris flere jacturam. Dat. Later.* IV. *kal. maii anno* VII. Aliis etiam literis (*b*) eundem ſolicitavit, ut cum utriuſque populi odia miteſcere viderentur, quantocyus ad tractandam concordiam ſe conferret, ac tot captivorum, qui in vinculis ingemiſcebant, calamitate tangeretur.

(*a*) *Lib.* 7. *ep.* 69.
Joannem Vicent. miraculorum gloria & ſanctitate fulgentem ad ipſos mittit.
(*b*) *Ep.* 219.

XXXVI. Sed ne tam pio operi Bononienſes obſiſterent monuit (*c*) ut ſi Spiritus ſanctus pium virum ad eas componendas civitates moviſſet, libere exire permitterent. Sparſerat vero adeo ſeſe late illius viri ſanctitatis fama, ut zelo imprudenti permoti aliqui, detinendique apud ſe illius cupiditate deliniti, eundi libertatem eriperent. Quamobrem Pontifex archiepiſcopos, & cæteros præſules, eos qui ipſum vi detinerent, deterrere primum, obſtinatoſque anathemate ferire juſſit, (*d*) comminatus etiam illas ſe civitates, quæ illud facinus tentaſſent, epiſcopatus dignitate exuturum; ejuſdemque argumenti literas dedit (*e*) ad omnes, per quorum loca Joannes iter eſſet facturus. Verum prætor Florentinus ejuſque conſiliarii nec pacem firmare, nec inducias inire voluere; quorum pervicacia juſte commotus ſummus Pontifex, archiepiſcopum Piſanum anathematis in eos ſententiam promulgare juſſit; (*f*) de quibus inflictis cenſuris Richardus hæc monumentis conſignavit (*g*): *Florentinates ſuper Senas vadunt poſt prohibitionem Papæ, propter quod eorum civitas ſub interdicto poſita eſt, & ipſi excommunicationis vinculo innodati.* Atroci vero adeo bello Senenſes ſunt inſectati, ut demum ad poſcendam pacem, reficiendumque ſuis ſumptibus montem Politianum compulerint.

(*c*) *Ib. ep.* 68.
Monet Bononienſes ne virum ſanctum itinere arceant.
(*d*) *Eod. l.* 7. *ep.* 218.
(*e*) *Ib. ep.* 220.
Deſignuntur anathemate.
(*f*) *Ep.* 102.
(*g*) *Rich. de S. German. in Chron. hoc ann.*

XXXVII Gratulatus vero eſt Joanni [1] (*h*) Pontifex ob res, quas Deus ejus beneficio ad Eccleſiæ ſuæ amplificandam gloriam explicaret, hortatuſque, ut in divino obſequio omni cura, ac ſolicitudine perſtaret; inſtruxitque auctoritate, ut anathematis vinculis eos, (*i*) qui ſtatutis iniquioribus, & conſuetudinibus ad immunitates eccleſiaſticas convellendas uſi eſſent, vel qui clericis manus attuliſſent, atque etiam Ezelinum, (*k*) & Veronenſes, qui ob diſcordias ardentes cœtu fidelium abacti eſſent, abſolvere poſſet. Præterea eos, qui ſacris ipſius concionibus interfuiſſent, viginti dierum peccatorum indulgentiam conſequerentur ſtatuit; (*l*) Verum inter ea collata divinitus beneficia, quibus ingentem apud populos ſanctitatis famam compararat, arcano conſilio permiſit numen exercendæ ipſius, probandæque virtutis gratia aliquos, malevolentia in eum ſuffuſos, famam ipſius jactis contumeliis lacerare; quibus a Pontifice acceptis, ad ferendas pro Chriſto animo conſtanti injurias hortatus eſt, (*m*) nec enim iis ſe appeti innocentem mirari

(*h*) *Ep.* 130. 260.
Gratulatur Joanni Greg. ob res admirandas ab eo patratas.
(*i*) *Ead. ep.* 260.
(*k*) *Ib. ep.* 261.
(*l*) *Ep.* 241.
Ab improbis exagitatur Joannes.
(*m*) *Ep.* 287.

NOTÆ [1] AD ea illuſtranda, quæ hic in annalibus narrantur de Joanne Vicentino ordinis prædicatorum, concionatore ætate illa eximio, valent quæ anonymus, ſeu potius Pariſius de Cereta (ut ipſe ſe in decurſu hiſtoriæ appellat) ſcriptor chronici Veronenſis, vulgati a Muratorio rer. Italic. to. VIII. memoriæ prodidit. Narrat ille ad annum 1233. Joannem hunc principatum, ſeu ſummam poteſtatem (*elegit ſe in ducem, & poteſtatem*) Veronæ ſibi aſſumpſiſſe; quod ab illo pariter Vicentiæ in patria ſua præſtitum aſſerit oculatus teſtis Gerardus Mauriſius in hiſtoria Eccelini de Romano. Id autem egiſſe illum non dominandi ambitione, ſed pro ſtudio reformandi leges, pacandi diſſidia, moreſque reformandi idem Mauriſius affirmat. Accidit ut die quadam novus ille princeps Verona Vicentiam, ubi pariter dominabatur, pergeret, *ibique die III. ſeptembris* hujus anni *captus fuit a Padovanis & ab Ugutione de Pilo* (qui civis erat Vicentinus Ezelino ejuſque factioni oppoſitus; Ezelinus vero tunc Joanni favebat) *& poſtea*, proſequitur author *dimiſerunt eum, & eſt reverſus Veronam.* Carceris hujus occaſione datas eidem Joanni fuiſſe a pontifice literas, quibus illum ad tolerantiam evangelicam hortabatur, demonſtrat tempus, quo illæ ſcriptæ ſunt; conſignantur enim *X. Kal. Octobris*. Hanc ſcribendæ epiſtolæ cauſam ignorans Annaliſta, cenſuit Joannem confirmari a pontifice, ut æquo animo obtrectationes iniquorum toleraret, plus profecto aliquid, quam linguarum inſultus Joannes patiebatur. MANSI



ri debere, cum ipſe Dominus majoribus ab invidis exceptus eſſet. [1]

XXXVIII. *Nihil magis metuimus, quam ſi erubeſcere te glorioſum crucis opprobrium ſentiremus. Non eſt ſuper magiſtrum diſcipulus, nec ſuper dominum ſuum ſervus. Si patrem familias vocaverunt Beelzebub, quid de domeſticis ejus dicturi ſunt, & facturi? Ille, cui pueri Hebræorum ſolemniter obviantes, ut Regi & triumphatori vias ſtraverant, & præconio multitudinis cantica laudum ediderant in excelſis, paulo poſt ab æmulis voluntarie tulit contraria, confuſione contempta: tanquam reus capitur, & ligatur, judicio ſiſtitur, cæditur, condemnatur. Et Apoſtolus imitator ipſius, qui poſtquam uſque ad tertium cœlum rapitur, poſtquam revelationum magnitudine, ac verbis, quæ non eſt audire licitum, informatur, utiliter vel invitus colaphis ſathanæ traditur, ne periculoſius extollatur. In hoc, inquit, laboramus & maledicimur, quia in eum, qui ſalvator omnium ſit, maxime fidelium, etiam ſperamus, ut recte voce quoque prophetica loqueretur: Pro eo ut me diligerent, detrahebant, & factus ſum illis opprobrium: & videntes me capita commoverunt. Et e contrario cernimus Judæos, hæreticos, & diverſos dogmatum ſectatores in cœno volutari libidinum, madere ſanguine, lupos vincere feritate: ſed tamen eorum tabernaculo non appropinquare flagellum, nec eos cum hominibus verberari, & idcirco ſuperbire contra Dominum, & os ponere in excelſum. Tu vero dilecte fili omne gaudium exiſtimato, ſi in tentationes aliquas incidiſti, cum oporteat nos diverſa tribulationum genera æquo animo perpeti, per quæ nobis cœleſtis janua promittitur aperiri. Credas denique, quod & ad tuam hæc probationem diſpenſatio divina ſuſtinuit, & improperiorum ejus ultio feſtinabit.* Addit ſe Vicentino epiſcopo provinciam demandaſſe, ut in flagitii auctores animadverteret. *Dat. Anagniæ* X. *kal. octob. anno* VII. Hactenus de Joanne Vicentino; jam ab eo, ad familiæ in qua vitam religioſam colebat, conditorem digrediamur.

Mœrentem ſolatur Pontifex.

XXXIX. Cum ſacri Prædicatorum cœtus inſtitutor B. Dominicus non modo clariſſima, dum vixit, miracula explicuiſſet, verum innumeris etiam aliis prodigiis illius Deus ſepulcrum in dies illuſtraret, certiſſimo comparatæ æternæ felicitatis argumento, Pontifex ut in eo albo ſanctorum aggregando mature pro rei gravitate incumberet, archidiacono Bononienſi, ac duobus aliis provinciam impoſuit (*a*) omni affectu depoſito in illius vitam ac miracula adactis jurejurando teſtibus diligentiſſime inquirerent: [2] *Sane gaudentes pridem accepimus, quod recolendæ memoriæ frater Dominicus plantator Prædicatorum ordinis & magiſter, divina miſericordia faciente, aggregatus exiſtat collegio ſupernorum, gloriam conceſſæ beatitudinis ſignis exprimens glorioſis: nam circa ſepulcrum ejus, & locis aliis per invocationem ſui nominis, & devotionis ſinceræ ſuffragia, multa miracula circa multos mirabilis in altis Dominus multipliciter operatur. Verum etſi per virtutum inſignia, quibus, olim memoratus frater extitit multiformiter inſignitus, ſeu per famoſa miracula, quibus ſancta ejus rutilare dicitur ſepultura, cœleſtis ſponſæ vocibus de ſanctorum eſſe numero debeat affirmari, tamen quia mentibus ambiguis ſubito rei veritas non clareſcit, & repentinis non ſolet miraculorum relatibus quorundam ſpiritus exultare, eo quod omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niveum imitatur, &c. vitam & converſationem prædicti fratris, quibus Deo & hominibus noſcitur placuiſſe, nec non miracula, quæ auctore Deo de ſui corporis ſanctitate procedunt habita præ oculis ſola divinæ reverentia majeſtatis, per teſtes idoneos ſtudeatis inquirere, cauta diligentia, & ſolicitudine vigilanti, quæ in ſcriptis redacta, ſub ſigillis veſtris fideliter conſervetis, illa nobis poſtquam mandatum apoſtolicum receperitis, per fideles, & ſolemnes nuncios tranſmiſſuri. Dat. Lat.*

B. Dominicus miraculis coruſcat.
(*a*) *Ib. ep.* 240.
Inquiri de illis jubet Greg. ad ipſum in SS. albo reponendum.

NOTÆ [1] POſt illud: *ab invidis exceptus eſt*, addunt annales contracti: *Quantas vero Deus cœleſtes virtutes opera Joannis ediderit, hæ pontificis ad eum miſſæ literæ oſtendunt* (*a*)

Gregorius &c. Gratias agimus Jeſu Chriſto, bonorum omnium largitori, cujus ſunt iſta miracula, quod miniſtros ſuos ideo in facie Pharaonis & ſervorum ejus per ſigna & portenta mirificat, ut filios Iſrael de terra Geſſen, in qua multiplicati ſunt, exire poſt dominum detrectantes, per hoc ad promiſſionis certitudinem & gloriam ſuæ viſionis accendat. Quapropter ad orationum vota convertimur, & adorantes ſuper faſtigium virgæ ejus quæ percutit, & medetur, fideliter petimus, ut gratiam quam magnificavit facere in mirabilibus ſemper tecum ad laudem ſui nominis, & ſalutem fidelium animarum augeat & conſervet &c. Dat. Laterani VII. Kal. junii anno VII. *Hactenus de Joanne Vicentino; jam ab eo, ad beatum Dominicum familiæ, in qua vitam religioſam colebat, conditorem, digrediamur.* MANSI

(*a*) Greg. IX. l. 7. pag. 130.

[2] POſt illa verba: *diligentiſſime inquirerent*, addunt annales contracti: *Celebrata vero eſt reliquiarum ejus tranſlatio ſolemni ritu, atque ex ejus ſepulcro divinus odor ſpiravit, ut vetera monumenta teſtantur hiſce verbis* (*b*): Elevato lapide egreſſus eſt odor ſuavis, & delectabilis, ut non tam ſepulcrum, quam cella ſentiretur aromatum odore patuiſſe, eratque tam

(*b*) MS. bibl. Vat. ſign. n. 218. Jord. l. 6. c. 6. vit. S. Domin. apud Sur. die 4. aug.

Quando obierit D. Domin.

*Lat.* III. *idus jul. anno* VII. Obierat Bononiæ ſanctus vir, anno hujus ſæculi vigeſimo primo, octavo idus auguſti, e contracto in itinere morbo, cum a Pontifice tum epiſcopo Oſtienſi, atque Apoſt. ſedis in Inſubria legato, commendandæ illius ſollicitudini familiæ ſuæ cauſa ſalutando rediret; qui mali vim ingraveſcere ſentiens circumſtantibus hanc orationem habuit, ut narrat vitæ auctor (*a*): *En uſque in hanc horam carne incorruptum me Dei miſericordia ſervavit, illibatamque virginitatis munditiam cuſtodivit, quæ ut etiam in vobis inviolata permaneat, fœminarum omnium ſuſpecta vitate conſortia: ea retenta ſervus Chriſti vitæ paupertate gratus Chriſto, & bonæ famæ odore fructuoſus erit proximis. Spiritus fervor ſemper maneat in vobis, & ferventi ſpiritu Deo perpetim ſervite. Promovendo & propagando huic ordini ſitis intenti: ſtabiles in ſanctitate, perſeverate in monaſtico inſtituto, & virtutum omnium incremento (& quia ex divina revelatione didicerat ſe e corpore abiturum, fratribus coram ſe congregatis teſtamentum fecit, quod nulli mutare fas eſt, teſtatoris enim morte confirmatum eſt.) Hæc ſunt fratres, & filii chariſſimi, quæ vobis hereditario jure poſſidenda relinquo, charitas ſit in vobis, humilitatem ſectemini, paupertati voluntariæ ſtudete, &c.* Ubi ſpiritum Deo reddidit, illecta ſuaviſſimo ejus ſanctitatis odore maxima populi multitudo ad ejus exequias concurrit, quibus etiam Gregorius tum Cardinalis, qui Bononiam venerat magna prælatorum multitudine ſuccinctus interfuit, ſuiſque manibus ſacrum pignus ſepulturæ mandavit: hauſerat enim magnam de ſanctitate viri opinionem, ut qui oculis ſuis ingens a ſancto viro miraculum editum, cum Stephani Cardinalis extinctum nepotem ad vitam revocavit, conſpexiſſet: unde pro ſingulari illo in B. Dominicum ſtudio excurrentibus jam ab ejus morte annis duodecim, ac ſancti viri increbreſcente miraculorum gloria ad decernendum illi cultum ſanctorum ſponte inclinabat.

(*a*) *Theod. l.* 5. *c.* 1. 2. 5. *apud Sur. to.* 4.

A Greg. tum legato Honorii III. ſepultus.

XL. Effloreſcebant hac tempeſtate ab eo conditæ familiæ viri magnæ ſanctitatis opinione, Chriſtique gloriam in populis e vitiorum cœno erigendis inſectandiſque hæreticis late circumferebant; quorum eximios labores datis ad eos, qui ad generalia comitia convenerant, literis (*b*) commendavit ac ſponte currentibus ad coronam vitæ adipiſcendam ſtimulos admovit. Laceſſiti vero ſunt interdum graviſſimis injuriis, atque etiam vulneribus appetiti ob defenſam ſtrenue fidem: quorum cauſam magna cura ſuſcepit Pontifex, ut adverſus Placentinum prætorem ejuſque ſtudioſos, qui illius familiæ religioſos viros ob traductos pro concione hæreticos ſauciarant, eccleſiaſticarum legum ſeveritatem diſtringi juſſit (*c*), ac Placentinos illum e vinculis, in quæ conjectus fuerat, laxaſſe objurgavit (*d*): commendavitque (*e*) archiepiſcopum clerumque Mediolanenſem tum Prædicatoribus, tum Minoritis in expugnanda

(*b*) *Lib.* 7. *ep.* 70.

Prædicatorum in inſectandi hæreticis egregia ſtudia.

(*c*) *Ib. ep.* 328. 335.

(*d*) *Ep.* 378.

(*e*) *Ep.* 372.

NOTÆ tam magnus & ingens, quod omnium qui aderant, ſenſus totamque eccleſiam adimplevit, incognitus diſſimiliſque omni rei naturali & aromata ſuperans univerſa. Tunc archiepiſcopus cum epiſcopis & omnes qui aderant ſtupore & gaudio repleti, ad terram ſe cum devotione & lachrymis proſtraverunt, laudantes Deum, qui glorificavit tam magnifice ſanctum ſuum. Revoluto vero penitus ſuperiori ſaxo grandi, invenerunt capſam ſolidam clauſam ſtudioſe clavis ferreis & firmatam, in qua exanime corpus jacuerat ſacroſanctum: quæ dum manifeſtata eſt, odor ille dulcis & bonus auctus, & inclinantes ſe circumſtantes oſculati ſunt capſam, eratque fluvius lacrymarum impetus Dei lætificans civitatem. Ereptis inde clavis ferreis, quibus firmata fuerat arca, inextimabilis odor cum abundantia de ſacroſanctis oſſibus expiravit. Tunc magiſter Jordanus aliique fratres cum multa devotione & reverentia de veteri capſa tollentes oſſa ſacra, in nova, quam præparaverant, poſuerunt, clauſamque & firmatam clavi quam tenebat poteſtas Bononienſis & tenet idem magiſter, & provincialis Stephanus coram omnibus uſque ad ſepulcrum marmoreum tranſtulerunt. Mane facto, præſentibus archiepiſcopo aliiſque epiſcopis cum fratribus & multis aliis, aperta denuo & reſerata fuit arca priſtinum effundens odorem, & per manus epiſcoporum depoſita fuit capſa cum oſſibus in novo ſepulcro ſeris & clavibus obſerato. Deinde quaſi in octavo die poſt poteſtas Bononienſis cum multis honoratis civibus ad inſtantiam eorum, qui tranſlationi non interfuerant ſepulcrum, iterum aperuit, ut a devotis filiis ſacroſanctæ reliquiæ viderentur. Tunc dulcis magiſter Jordanus piiſſimum prædeceſſoris ſui caput piiſſimis manibus tenens filiis obtulit oſculandum, erant trecenti & ultra fratres, qui ad hoc ſanctitatis oſculum accedentes, eum, de quo ſuperius dictum eſt, ſuavitatis odorem inenarrabilem perceperunt. Remanſit autem ſacer odor ille poſtmodum multo tempore in priori ſepulcro & in rebus in eo poſitis, in veſtimentis quoque, & in manibus eorum, qui ſacras reliquias contigerant, & uſque hodie in oſſibus ſacris mirabiliter perſeverat. Facta eſt autem hæc tranſlatio anno Domini MCCXXXIII. indictione VI. pontificatus domini Gregorii IX. anno IX. VI. domini Friderici imperatoris Romanorum, & confirmatione ordinis anno XVII.

Quanquam caracteres iſti chronologici inter ſe minus cohærent, cum annus 1233. Gregorii annum VIII. non vero IX. ferat, & Friderici annus longe eſſet a ſexto, reipſa tamen hoc ipſo anno corpus S. Dominici e tumulo levatus fuit, teſte Alberico, qui in chronico ad hunc annum notat: *Frater Dominicus levatur, & in ſequenti anno pentecoſte canonizatus eſt.* MANSI



da hæreſi impigre deſudantibus operam explicuiſſe. [1]

XLI. Cæterum non modo Pontifex ad hæreſim in Italia, ſed in regionibus quoque borealibus, & Galliis elidendam operam collocavit. Utque a Germanicis petamus exordium, ad archiepiſcopos atque epiſcopos ſcripſit (*a*) contra eos hæreticos, qui errores abjurabant, ut incuſſo pœnarum terrore ſeſe liberarent, in eamque poſtea deflectebant. Cumque Stadingorum hæreſis ſerperet, quæ dæmone magiſtro utebatur, qui diverſis ſe formis in ſecretis eorum ſcholis induebat, ubi turpiſſima, & horrenda auditu flagitia patrabantur, Pontifex illi peſti excindendæ intentus, literas lacrymis madidas magiſtro Conrado e Marburg viro eloquentiæ ſacræ laude inſigni ſcripſit, (*b*) hortatuſque eſt ad perfidos ab ſcelere revocandos incumberet, & ſi in crimine perſtarent, ſacram in eos militiam comparare ſtuderet: ſed cum adeo conſenuiſſet malum, ut blanda remedia reſpueret, alias poſtea ad execrandam peſtem ad inferos, unde emerſerat, detrudendam, archiepiſcopo Maguntino, epiſcopo Hildeſemenſi, dictoque Conrado literas dedit (*c*) ubi diabolicis præſtigiis, quibus miſeri erant deluſi, in medium adductis, blaſphemiiſque aliis, quas in cœli conditorem evomebant, magna doloris ſignificatione, ac zelo cohortatus eſt, fœdiſſimam illam hominum luem conſcriptis quamprimum crucesignatis præfocarent, eaſque indulgentias iis eſt impertitus, quibus illi, qui Hieroſolymitanam profectionem inirent, potirentur.

(*a*) *Lib.* 6. *ep.* 355.

Stadingorum horrenda hæreſis.

(*b*) *Lib.* 6. *ep.* 173.

(*c*) *Lib.* 7. *ep.* 177.

Excitati ad dæmonis cultores excindendos catholici.

*Gregorius, &c.*

XLII. *Totus in amaritudine funditur ſpiritus, effuſum eſt in terra jecur noſtrum, turbata eſt anima noſtra valde, ac impletus doloribus venter noſter: defecerunt præ lacrymis oculi noſtri, & ſuper tam nefandis abominationibus contremuerunt renes, omnia viſcera ſunt commota, reprimere lacrymas, & continere ſuſpiria non valemus. Sicut enim literæ veſtræ grandi mœrore plenæ, & immenſo dolore non vacuæ, nobis exhibitæ continebant, inter diverſas hæreſum ſpecies, quæ peccatis exigentibus Alemanniam infecerunt, una ſicut deteſtabilior cæteris, ſic & generalior univerſis, quæ non ſolum referentibus, ſed etiam audientibus eſt horrori, in nobilibus membris Eccleſiæ, ac valde potentibus jam erupit. Hæc enim omni eſt diſſona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, cœleſtium omnium, & terreſtrium inimica, contra quam non ſolum homines ratione utentes, verum etiam ratione carentia, cum hæc peſtis eorum excedat inſaniam, immo ipſa etiam elementa debent inſurgere, & armari.*

De iis Greg. lit. Deplorat Pontifex tantam peſtem erupiſſe.

XLIII. *Hujus peſtis initia talia perferuntur: nam dum novitius in ea quiſquam recipitur, & perditorum primitus ſcholas intrat, apparet ei ſpecies quædam ranæ, quam bufonem conſueverunt aliqui nominare: hanc quidam a poſterioribus, & quidam in ore damnabiliter oſculantes, linguam beſtiæ intra ora ſua recipiunt, & ſalivam. Hæc apparet interdum indebita quantitate, & quandoque in modum anſeris, vel anatis, plerumque furni etiam quantitatem aſſumit: demum novitio procedenti occurrit miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus & macer, quod conſumptis carnibus ſola cutis relicta videtur oſſibus ſuperducta: hunc novitius oſculatur, & ſentit frigidum ſicut glaciem, & poſt oſculum catholicæ memoria fidei de ipſius corde totaliter evaneſcit. Ad convivium poſtmodum diſcumbentibus, & ſurgentibus completo ipſo convivio, per quandam ſtatuam, quæ in ſcholis hujuſmodi eſſe ſolet, deſcendit retrorſum ad modum canis mediocris gattus niger retorta cauda, quem a poſterioribus primo novitius, poſt magiſter, deinde ſinguli per ordinem oſculantur, qui tamen digni ſunt, & perfecti: imperfecti vero, qui ſe dignos non reputant, pacem recipiunt a magiſtro, & tunc ſingulis per loca ſua poſitis, dictiſque quibuſdam carminibus, ac verſus gattum capitibus inclinatis: Parce nobis, dicit magiſter, & proximo cuique hoc præcipit, reſpondente, tertio ac dicente: Scimus magiſter; quartus ait: Et nos obedire debemus, & his ita peractis extinguuntur candelæ, & proceditur ad fœtidiſſimum opus luxuriæ.* Et infra: *ubi horrenda libidinum genera ab his patrari ſolita attulit:*

Execranda Stedingh. tyrocinia.

Quibus formis dæmon ſe iis exhibeat.



NOTÆ [1] ADde ex annalibus contractis: Inſtituta vero fuit ad domandam ferro hæreſim militia Jeſu Chriſti, quam viri nobiles certatim profeſſi ſunt, qui epiſcopis nuncupato voto ſe obſtringebant pro tuenda libertate eccleſiaſtica, atque excindenda hæreſi ſe ad pontificium imperium arma expedituros, quibus Gregorius ita gratulatus eſt.

Gregorius &c. Vos velut filii Joarim ideſt exultationis Domini in monte Modin, qui dijudicationis Domini dicitur, conſcendentes ſuper intemperatorum multitudine contriſtari dixiſſe videmini ſi non pugnaverimus pro juſtificationibus noſtris citius diſperdemur; & docente vos eo qui dat ſignificationem ſe metuentibus ut ab arcus facie fugiant, forti viribus eccleſia fidelium congregata & ei cunctis in lege voluntariis, & qui mala fugerunt, ſociatis, mori potius quam veſtræ gentis & ſanctorum mala cernere eligentes, peccatores in ira, & in indignatione nequiſſimos percuſſiſtis, dejectionem pii populi erigentes. &c. Dat. Laterani IV. idus decembris anno VIII. MANSI

XLIV. *Completo vero tam nefandiſſimo ſcelere, & candelis iterum reaccenſis, ſinguliſque in ſuo ordine conſtitutis, de obſcuro ſcholarum angulo, quo non carent perditiſſimi hominum, quidam homo procedit a renibus ſurſum fulgens, & ſole clarior, ſicut dicunt, deorſum hiſpidus ſicut gattus, cujus fulgor illuminat totum locum, tunc magiſter excerpens aliquid de veſte novitii, fulgido illi dicit: Magiſter hoc mihi datum tibi do; illo fulgido reſpondente: Bene mihi ſerviſti pluries, & melius ſervies, tuæ committo cuſtodiæ, quod dediſti; & his dictis protinus evaneſcit. Corpus etiam Domini ſingulis annis in paſcha de manu recipiunt ſacerdotis, & illud ad domus ſuas in ore portantes in latrinam proiiciunt, in contumeliam Redemptoris. Ad hæc infeliciſſimi omnium miſerorum gubernantem cœleſtia pollutis labiis blaſphemantes, aſſerunt delirando cœlorum dominum violenter contra juſtitiam, & doloſe Luciferum in inferos detruſiſſe. In hunc etiam credunt miſeri, & ipſum affirmant cœleſtium conditorem, & adhuc ad ſuam gloriam præcipitato Domino rediturum, per quem cum eodem, & non ante ipſum ſe ſperant æternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, & potius agenda quæ odit.*

XLV. *Proh dolor! quis unquam audivit talia? Quis tam nefaria potuit cogitare? Quis tantam poterit non abominari perfidiam? Quis tantæ nequitiæ poterit non iraſci? Quis contra hujuſmodi perditionis, & proditionis filios poterit non accendi? Ubi eſt zelus Moyſis, qui una die idololatrarum viginti tria millia interfecit? Ubi eſt zelus, Phinees, qui Judæum cum Madianitide uno pugione confodit? Ubi eſt zelus Eliæ, qui quadringentos, & quinquaginta prophetas Baal ad torrentem Ciſon gladio interemit? Ubi eſt Mathathiæ zelus, cujus furor ſecundum legis judicium adeo eſt accenſus, ut inſiliens trucidaret Judæum immolantem idolis ſuper aram? Ubi eſt auctoritas Petri, qui in Ananiam, & Saphiram, pro eo quod Spiritui ſancto mentiri non timuerunt, exarſit? Certe ſi contra tales terra conſurgeret, & iniquitates ipſorum cœli ſidera revelarent, & manifeſtarent eorum ſcelera toti mundo, ut non ſolum homines, ſed etiam ipſa elementa conjurarent in eorum excidium, & ruinam, ipſoſque delerent de terræ facie, non parcentes ſexui, vel ætati, ut eſſent cunctis gentibus in opprobrium ſempiternum, ultio de ipſis ſumi non poſſet ſufficiens, ſive digna. Cæterum licet magna ſit horum peſtilentium contritio velut mare, ſcientes tamen quod non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare non poſſit, & excoquere ad purum ſcoriam eorumdem, & omne ſtannum auferre, compatiendo ex intimo cordis ſuper contritione ipſorum prævalida, ne nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum faſciis neglexerimus, & manſuetudinis oleo confovere, ac ſperantes quoque, ut ille, qui etiam iratus non deſinit miſereri, non ſemper continebit ſuæ pietatis viſcera ſuper eos, ſed de illorum manu transferet calicem iræ ſuæ, circa correctionem eorum providimus laborandum, &c.* Hortatur ſtrenuam in perditiſſimis hominibus ad Eccleſiam traducendis operam navent: qui ſi ſalubria monita reſpuant, ad eos excindendos cruceſignatas copias comparent, ipſiſque conſueta indulgentiarum præmia proponant. *Dat. Lat. id jun. anno* VII.

XLVI. Eodem argumento ad epiſcopos Maguntinæ provinciæ, ad inflammandum eorum zelum ſcripſit (*a*): ac Fridericum Imp. rogavit (*b*) uti Germanos principes ad arma contra teterrimam illam hominum colluvionem capeſſenda hortaretur, ejuſdemque Friderici filium Henricum, ut adverſus eos proſiliret, incendere eſt conatus (*c*). In quibus viſus eſt dæmon Gnoſticorum impuritates, quæ tanto gentilibus erant ſcandalo, aliorumque veterum hæreticorum fœdiſſimos pugnanteſque cum ratione errores apertiſſimos renovaſſe, quæ nefaria germina, Apoſtolica falce amputata fuerunt. Pluribus etiam Germaniæ epiſcopis, nimirum Mindenſi, Lubecenſi, & Racemburgenſi ad delendum citius malum, ne latius graſſaretur, cum maxime plures aliarum ſectarum hæretici, qui deliteſcebant, quotidie emergerent, ac de illatis clericis crudeliſſimis cladibus gloriarentur, ſeſe compararent Gregorius monuit (*d*) atque ad illos magis ad ſacram illam expeditionem concitandos, ſcelera, quibus ii ſeſe contaminarent, ob oculos propoſuit. Superioribus conſentanea inſinuavit hiſtoriæ anno ſequenti Albertus Stadenſis; (*e*) ſed quos Pontifex Scethincos (*f*) ipſe Stedingos appellat, eorumque errores, quibus erant impliciti, ac ſcelera enumerat, dum ab Henrico duce Brabantiæ, & Florentio comite Hollandiæ navatam contra eos egregiam operam anno ſequenti commemorat.

*(a) Ib. ep. 178.*
*(b) Ep. 179.*
Solicitatus in Stedingos Henricus Rom. Rex
*(c) Ep. 180.*
*(d) Ep. 286.*
*(e) Staden in chron.*
*(f) Ead. ep. 186.*

XLVII. Dux Brabant. & Holland. comes in eos ſigna attollunt.

*Henricus dux Brabantiæ, & Florentius comes Hollandiæ, Bremæ exiſtentes contra Stedingos viriliter ſe accinxerunt, tanquam contra inimicos manifeſtos Eccleſiæ. Nam ſicut probatum eſt ſuper eos, & per Mindenſem, Lubicenſem, Raciſburgenſem epiſcopos, Papæ auribus intimatum, ipſi doctrina matris Eccleſiæ penitus vilipenſa, ipſius libertatem conculcaverunt, nulli parcentes ſexui vel ætati. Quæſierunt reſponſa dæmonum, ſimulacra fecerunt cerea, conſulentes etiam in ſuis ſpurcitiis erroneas pythoniſſas, & quod deterius eſt, omnibus viaticum ſalutis æternæ, horribilius, quam deceat exprimi, pertractantes: cle-*



*clericos etiam & religioſos impie lacerantes cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis ſufficit perditio, ſed omnes, quos poterant, & maxime ruſticos, in foveam ſuæ perfidiæ ſecum trahere nitebantur. Sicut Lucifer lucis æternæ lumine deſtitutus, caduca ſuperbia procurante cœlo contineri nequiens, eo quod perpetuæ cæcitatis tenebras incurriſſet, cum ſit perditus, & miniſter perditionis effectus, ne ademptas ſibi delicias ſempiternas poſſit conditionis humanæ dignitas adipiſci (quia ſolent miſeri proſperitate felicium cruciari) illam in profundum perfidiæ ab altitudine fidei deiicere nititur, ut ſecum in lacum ſuæ miſeriæ deducatur, exiſtimans per hoc ſuæ damnationis cumulum minorari, cum ſoleat afflictis quoddam afferre ſolatium grata miſeris ſocietas miſerorum. Ita miſeri & miſerabiles Stedingi, ponentes ſibi omnino Deum contrarium, ſuis perſuaſionibus, & malis exemplis graviter infecerunt populum Chriſtianum, ita ut infinita ruſticorum multitudo, tam in remotis, quam in vicinis provinciis conſtituta verbo tenus eos defenderet, & ſi ſe opportunitas obtuliſſet, prompto animo proterviæ eorum auxilium attuliſſet. Sed Deus miſericordiarum dominus, ſuis fidelibus inſpiravit, ut ad prædicationem crucis ſe viriliter accingerent, ad exterminium tam reprobæ nationis, illa gaudentes indulgentia, illoque privilegio, quæ accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur.* Hæc Stadenſis: quibus tradita a Godefrido in annalibus, aliiſque reſpondent (*a*).

*(a) Godef. ann. ſeq.*

XLVIII. Conradus Marpurg. ab improbis cæſus.

At per eoſdem dies memoratum Conradum e Marburg, qui S. Eliſabeth Ungarorum Reginæ, dum ipſa in terris vixit, a confeſſionibus fuit, cui provincia inſectandi hæreticos ab Apoſtolica ſede, uti vidimus, demandata fuerat, hoc anno trucidatum tradunt, de quo hæc fragmenti hiſtorici incertus auctor: *Anno domini MCCXXXIII. frater Conradus de Marburg per multa tempora crucis prædicator a malignis hominibus interfectus eſt*. Quibus ſimilia alii prodidere: inter quos Thomas Cantipratenſis (*b*) cum



ab hæreticis felici morte peremptum docet. Godefridus (*c*) tamen (quem Trithemius (*d*) ſequi videtur) illius mortis cauſam ad nimiam ipſius ſeveritatem, præcipitemque ac inflexam in damnandis flammiſque iniiciendis hæreſeos ſuſpectis ſententiam derivat, ob quam nonnulli nobiles cruentas illi manus intulerunt. Verum Gregorius Papa datis hoc anno x. kal. novemb. ad archiepiſcopos, ac reliquos Germaniæ præſules apoſtolicis literis, maximo ſe ex ejus morte dolore affectum eſſe teſtatus, ſummis ipſum laudibus effert, tantique ſceleris auctores anathemate damnari juſſit (*e*). Cæterum Conradi necis auctores, poſt annum ſequentem ad Apoſtolicam ſedem abſolutionem petitum demiſſo animo convolaſſe, atque a Pontifice in Germaniam, ut crimen ex ſacrorum canonum præſcripto expiarent, abſolverenturque, dimiſſos Gregorii literæ ad archiepiſcop. Salisburgenſem alioſque exaratæ docent [1] (*f*).

*(b) Cantipr. l. 2. c. 57. n. 23.*
*(c) Godef. in annal.*
*(d) Trith. chron. Sponh.*
*(e) Greg. l. 7 ep. 347.*
*(f) Lib. 6. ep. 168.*

XLIX. Judæi in Germania graſſantur.

Perlatum cum fuit ad Rom. Pontificem Judæos in Germania mancipia Chriſtiana detinere, eaque circumcidi, atque ad Judaiſmi ſuperſtitionem compellere, ipſos publicis officiis præfici, quorum occaſione in Chriſti fideles efferati ſævirent: nutrices ac famulas Chriſtianas domi alere, quas iis ſceleribus contaminent, quæ audientibus horrorem incutere poſſent; denique contra ea quæ in concilio generali ſtatuta nullum ſignum circumferre, quo a fidelibus diſcerni diſtinguique poſſent. Quocirca Gregorius, ut tantis malis mederetur, archiepiſcopis, epiſcopis, cæteriſque Germaniæ præſulibus imperavit, (*g*) ne Chriſti ſanguine redemptos in Redemptoris contumeliam a Judæis ſubiici ſervituti, neve de religione cum iis diſceptare paterentur, opemque magiſtratuum ad comprimendam infidelium inſolentiam implorarent.

Jubentur a præſulibus comprimi.
*(g) Lib. 6. ep. 359.*

L. Invaluerant eadem in Ungaria mala, ad quæ abolenda ab Strigonienſi archiepiſcopo magno ardore certatum anno ſuperiore eſt: quæ cum inveterata eſſent, excindendis iis etiam hoc anno a Jacobo Cardinale Præneſtino epiſcopo (quem au-



NOTÆ [1] Conradus Marpurgenſis anno iſto e vivis ſublatus fuit, quemadmodum hic in annalibus traditur, & veterum omnium teſtimonio compertum eſt. Neque dies necis hujus latet, cum extra controverſiam ſit obiiſſe illum una cum Gerhardo ordinis minorum profeſſore die XXX. junii, ut inter cæteros notat author chronici Erfordienſis, cujus verba exſcripſit Anonymus continuator Schaphnaburgenſis. Ex utroque autem ſcriptore illo diſcimus paulo ante eam necem, nempe die XXV. julii ut notat anonymus Erfordienſis, conventum epiſcoporum, & comitum habitum fuiſſe Moguntiæ, ibique diem fuiſſe edictam comiti de Seine, qui cum legitime purgare ſe non potuiſſet neque ſtitiſſet ſe judicio; ideo Conradum crucem in eum annunciaſſe. Conventum hunc anonymus idem Erfordienſis ad annum ſequentem concilium vocat; ſicut & concilium appellatur ab Alberico in chronico ad hunc annum. Cæterum præter hunc ſive conventum, ſive concilium, de quo pariter in conciliorum collectionibus ſit mertio, hoc ipſo anno Synodum aliam Moguntiæ celebravit Sifridus archiepiſcopus quam cœpiſſe die III. idus martii *pontificatus ejus* anno III. notat idem anonymus Erfordienſis. Quid in ea tractatum ſit, ignoratur; ſed ejus mentio in collectionibus conciliorum, ſiquæ deinceps fient, prætereunda non erit. MANSI

auctor (*a*) vitæ Gregorii ab ipſo, dum Reate moraretur, ex abbate trium fontium ad eam evectum dignitatem tradit) legationis apoſtolicæ munere aucto, atque Andrea Rege Ungariſque flagitantibus a Pontifice miſſo (*b*) deſudatum eſt, ac poſt varios tractatus de revocanda in priſtinum ſtudium immunitate eccleſiaſtica, coercendiſque infidelibus agitatos; demum Rex Andreas ad ponendum tot malis modum ſacramento (*c*) ſe aſtrinxit, ut in ejus literis ad Jacobum ipſum legatum datis videre eſt, in quibus nonnulla de B. Stephano, cujus imitandi cupiditate ardere ſignificat, digna memoria præfatur.

(*a*) *Anony. auctor vit. Greg.*
(*b*) *Ep.* 271.
Jacobus Peneſtr. ep. legatus in Ungar. miſſus.
(*c*) *Liber. cenſuum Vat. bibl.*

LI. *Venerabili in Chriſto patri, & amico chariſſimo Jacobo Dei gratia Peneſtrino electo Apoſtolicæ Sedis Legato Andreas Dei gratia Rex Ungariæ ſalutem.*

*Cum conſtantia ſinceræ dilectionis Rex, qui ſedet in ſolio judicii, teſte Rege Salomone, diſſipat omne malum intuito ſuo. Hunc Regem ſanctæ, & recolendæ memoriæ intelligimus beatiſſimum Stephanum gentis Ungaricæ primum Regem, qui ad regni ſolium auctoritate propria noluit ſublimari, ſciens ſcriptum, quod nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, & ideo non a quolibet, ſed a vicario Jeſu Chriſti, & Petri beatiſſimi ſucceſſore per revelationem divinam ſummo Pontifici factam, aſſumpſit regni diadema. Sed etiam parentibus ejus fuerat divinitus revelatum, quod ei in gente noſtra corona debebatur, & regnum. Sedens itaque in cathedra cum David ſapientiſſimus princeps, omne malum infidelitatis ſecundum illa tempora, ut prædiximus, ſuo intuitu diſſipavit, & obſtetricante manu ipſius, a gente Ungarica eductus eſt coluber tortuoſus: ſed & auctoritate ſummi Pontificis, qui ipſum vocavit Regem, & Apoſtolum gentis noſtræ, provincias per epiſcopatus diſtinxit, eccleſias mirifice ampliavit, & ſciens ſcriptum in Iſaia, quod in juſtitia regnabit Rex, & quod judicium elevat gentes, fecit judicium, & juſtitiam inter ſuos, ut juſtitia, judicium eſſent præparatio ſedis ſuæ, ut & ſic divino munere, ut Rex Salomon dixit, firmaretur juſtitia domus ejus, &c.* Addit ſe tanti Regis veſtigiis inſiſtere cupientem, cum Strigonienſis archiepiſcopus aſſerendæ libertatis eccleſiaſticæ zelo regnum interdicto ſubjeciſſet, ab Romano Pontifice petiiſſe, ut exorta ſcandala, ac pericula apoſtolica providentia propulſaret, miſſumque legatum Cardinalem Præneſtinum, cui procerum habito conſilio ſeſe hoc jurejurando ad priſtino ſplendori reſtituenda omnia devinxerat.

LII. *Vobis domine Jacobe Peneſtrinen. electe A. S. L. vice, & nomine Romanæ Eccleſiæ, & omnium eccleſiarum Ungariæ, nos Andreas Rex Ungariæ juramus ad ſancta Dei evangelia omnia, & ſingula capitula inſraſcripta obſervare, ſtatuentes ea a filiis noſtris, & a ſucceſſoribus noſtris in perpetuum obſervari, & non contravenire quacunque occaſione, vel fraudem committere in eis, quin faciant ſicut inferius continetur; & præcipiemus omnibus ſubditis noſtris in regno noſtro, quod omnia & ſingula obſervent, & ſi qui noſtri mandati tranſgreſſores extiterint, ſicut decuerit puniemus, & faciemus filios noſtros, & jobagiones jurare, ſecundum quod inferius de juramento eorum continetur.*

Andræas Rex ad tollenda ſuperiora mala ſacramento ſe devincit.

*Capitula autem ſunt hæc: Judæos, Sarracenos, Iſmaelitas de cætero non præficiemus noſtræ cameræ monetæ, ſalibus, collectis, vel aliquibus publicis officiis, nec aſſociabimus eos præfectis, nec in fraudem aliquid faciemus, propter quod ab ipſis poſſint opprimi Chriſtiani. Item nec permittemus in toto regno noſtro Judæos, Sarracenos, vel Iſmaelitas præfici alicui publico officio. Item faciemus quod Judæi, Sarraceni, ſive Iſmaelitæ de cætero certis ſignis diſtinguantur, & diſcernantur a Chriſtianis. Item non permittemus Judæos, Sarracenos, ſive Iſmaelitas mancipia Chriſtiana emere, vel habere quocunque modo: & promittimus per nos, & ſucceſſores noſtros conſtituere, & dare ſingulis annis palatinum, vel alium de jobagionibus noſtris, quem voluerimus Chriſtianæ fidei zelatorem, quem faciemus jurare, quod mandatum noſtrum ſecundum iſta fideliter adimplebit, ad petitionem epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt vel erunt Judæi, pagani, & Iſmaelitæ, ut Chriſtianos extrahat a dominio, & habitatione Sarracenorum, vel Sarraceni Chriſtianorum quomodocunque mulieribus copulati, ſive ſub ſpecie matrimonii, ſive alio modo bonorum omnium copulatione, tam Chriſtiani quam Judæi, vel pagani mulctentur, & nihilominus in ſervitutem Chriſtianorum per Regem perpetuo deputentur.* Et infra:

*Item nolumus, nec permittemus, quod de cætero tractentur cauſæ dotium, vel matrimoniales per nos vel per alios judices ſæculares, quia de his nolumus nos intromittere, nec debemus; ſed per judices eccleſiaſticos tractentur, & terminentur. Item volumus, & conſentimus, quod clerici, & perſonæ eccleſiaſticæ reſpondeant, & conveniantur coram eccleſiaſtico judice ſuper omnibus, exceptis judiciis terrarum, de quibus volumus, quod tam per vos domine legate, quam per nos conſulatur dominus Papa, expreſſis eidem circumſtantiis facti, in quibus circumſtantiis inter alia exprimatur, quod vos a prælatis Ungariæ percepiſtis, quod ſi judicia terrarum eccleſiaſticarum ſubtraherentur a noſtro judicio, damnoſum eſſet eccleſiis plurimum, & periculoſum, quia per hæc* LIII. *multa de jure eccleſiaſticis poſſent deperire. Nullas collectas, & nullum lucrum imponemus, vel recipiemus a clericis, vel eccleſiaſticis perſonis, & contra eorum privilegia, ſi qua habent, ſcienter non veniemus: ſuper collectas vero per regnum noſtrum aliis imponendis per nos, & legatum conſulatur dominus Papa, ſicut convenimus cum eodem de conſultatione facienda D. Papæ ſuper judiciis terrarum, & hæc omnia ſponte & ſine conditione promittimus, & juramus.*



LIV. Adacti etiam ſacramento a Jacobo legato ad hæc ſervanda Bela Andræ filius natu maximus ſceptri Ungarici heres, & Colomanus Rex & dux Sclavoniæ, tum omnes proceres, ac magiſtratus Ungari, cujus jurisjurandi formæ certis conceptæ verbis in eodem Vaticano M. S. extant. Renovatum pariter vetus edictum antea ab Andrea ſuperioribus annis latum, in quo dignitati clericorum conſulebatur, ne ad tribunalia judicum ſæcularium traherentur, quod Jacobus legatus, ac Robertus Strigonienſis archiepiſcopus literis ſuis inſeruerunt. Ut vero Gregorius tuendis eccleſiaſticis juribus incubuit, ne regia potentia labafactarentur, ita ad jura regia aſſerenda Andream ſacramenti religione abſolvit, (*a*) quo ſe devinxerat illa nunquam repetiturum, ex quo maximum auctoritati regiæ damnum creabatur. Flagitante vero eodem Rege a ſede Apoſtolica, ut Lucam archiepiſcopum Strigonienſem, qui vivus piis operibus, ac poſt obitum divinis prodigiis effloruerat, ſanctorum albo adiiceret, Jacobo legato provinciam, ut de miraculis ab eo editis inquireret, impoſuit his verbis (*b*): *Ab eo, qui eſt via, veritas, & vita poſtules & implores, ut per ſuam miſericordiam & gratiam aperiat tibi viam, per quam ſecure incedere valeas & ſuper his plenius cognoſcere veritatem; ac deinde non ſolum per teſtimonia, ſed per teſtes, per famam quoque, ac ſcripturam autenticam de moribus, virtute ac veritate ſignorum, operibus videlicet, & miraculis certitudinem diligenter inquirens, quæ inveneris ſub ſigillo tuo nobis ſtudeas per fideles nuntios deſtinare.*

Eodem jurejurando filii reges proceresque ſe aſtringunt.
(*a*) *Lib.* 6. *ep.* 270.
De B. Lucæ Strig. arch. miraculis inquiritur.
(*b*) *Ib. ep.* 294.

LV. Conjungendus ſancto archiepiſcopo ſanctus alter archiepiſcopus, Virgilius nimirum Salisburgenſis videtur, de quo hæc Richardus (*c*): *Menſe junio de quodam S. Virgilio miracula multa in ſcriptis redacta de Alemannia miſſa ſunt ad dominum Papam.* Inſtitutam antea de miraculis ejus opera patratis ſacram quæſtionem vidimus, atque hoc ipſo anno cœlitum catalogo aggregatum tradit Stero (*d*) ac demonſtrat pontificium diploma (*e*) cujus potiorem partem affero: *Ne illius*, nimirum B. Virgilii archiepiſcopi Salisburgenſis, *honori debito detrahere quodammodo videremur ſi glorificatum a Domino permitteremus ulterius humana devotione privari, de fratrum noſtrorum & prælatorum, qui tunc erant apud ſedem Apoſtolicam conſtituti, conſilio ſanctorum catalogo duximus adſcribendum, ſtatuentes, ut quinto kal. decemb. videlicet quo carnis ergaſtulo abſolutus ad regna cœleſtia pervenit, ab univerſali Eccleſia natalitia ejus devote, ac ſolemniter celebrentur. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipſius Domino aſſurgatis in laudes ejus, patrocinia humiliter implorantes, ut annua ſolemnitate memoriam recolentes ipſius, ejus ſuffragantibus meritis ſpiritualium conſequamini gratiam gaudiorum. Nos autem cupientes ſepulcrum tanti confeſſoris, qui miraculorum fulgoribus illuſtrat Eccleſiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis illud in feſtivitate ipſius uſque ad octavum diem annis ſingulis cum reverentia viſitantibus, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat. Lat.* XIV. *kal. jul.*

(*c*) *Rich. e S. Germ. in chron.*
S. Virgilius SS. catalogo adſcribitur.
(*d*) *Henr. Ster. in annal. apud Caniſ. antiq. lect. to.* 1. *pag.* 262.
(*e*) *Lib.* 7. *ep.* 198.

Hactenus Gregorius ad ſanctiſſimi præſulis, qui commiſſum ſibi gregem feliciter paverat, gloriam illuſtrandam. Qui etiam cum certiſſimis argumentis comperiſſet Boſnæ epiſcopum, e paſtore in carnificem verſum, traditos ſuæ curæ populos veſanæ doctrinæ veneno extinguere adverſaque fidei catholicæ dogmata ſpargere; juſto commotus zelo, Jacobo in Pannonia legato partes impoſuit (*f*) ut ad expurgandam ea fæce regionem, hæreticum hominem e gradu pelleret, ac plures epiſcopos ſcientia ac pietate pollentes Boſnæ præficeret. Boſnæ vero ducem, qui abjurata hæreſi ad Eccleſiæ caſtra ſe contulerat, accepit (*g*) in clientelam, ac Regi Colomano, ne illius jura invaderet, injunxit: (*h*) denique, ut Ungaricas res abſolvamus, addimus ex chronici auſtralis auctore Andream Regem vergente anno circa omnium ſanctorum feſtum diem ingenti ſuccinctum exercitu irrupiſſe in Auſtriam, ac parte illius ferro flammaque vaſtata cum Auſtriacis pacis tractatum iniiſſe. LVI.

(*f*) *Eod. l.* 7. *ep.* 164.
(*g*) *Ib. ep.* 292.
(*h*) *Lib.* 6. *ep.* 232.
Andreas Rex Auſtriam vaſtat pacemque init.

Excitatos etiam in Polonia tumultus tradit Longinus, (*i*) nimirum majoris Poloniæ magnates ob ingentia privilegia, quibus Eccleſiam Wladiſlaus Otho dux decoraſſet, invidiæ ſtimulis agitatos inſidias ipſi ſtruxiſſe, quas cum ille diſcuſſiſſet, in apertam rebellionem erupiſſe, conjurationeque cum Henrico cum barba ap- LVII.

(*i*) *Joan. Long. hiſt. Pol. an.* 1233.

Wladiſlaus Poloniæ dux in fugam a conjuratis compulſus.

appellato, infenſiſſimo illius hoſte conflata, nequicquam S. Hedwige ejuſdem Henrici uxore renitente, ipſum præpotenti inſtructum exercitu majorem Poloniam invaſiſſe, ac Wladiſlaum cognita ſuorum perfidia, ad ducem Pomeraniæ Swantopelkum ſocerum confugiſſe. Cæterum adeo ingraveſcebat in Polonia procerum potentia, ut in tyrannidem degeneraret, pauperesque ſub illorum jugo miſere ingemiſcerent, ac nonnulli quadam deſperatione adducti ad Ruthenorum perfidiam deſciſcerent. Quorum propterea inſolentiam frænari (*a*) ab epiſcopis juſſit Gregorius, vetuitque (*b*) ad tuendam fidem, ne catholicæ mulieres cum Ruthenis matrimonia inirent, cum ob thori commercium contingeret plures a viris ſubornatas iterato baptiſmate inquinari (*c*), erroribuſque Ruthenorum irretiri: tum Dominicanos excolendis iis populis confutandiſque hæreſibus ac Ruthenis monachis ad religioſa inſtituta revocandis ſtrenue incumbere monuit (*d*).

(a) Ib. ep. 337. 338.
(b) Ep. 310.
(c) Ep. 372. 373.
(d) Lib. 7. ep. 304.

LVIII.
Prutheni ſingunt ſe amplectendæ fidei deſiderio teneri.

Eorumdem Prædicatorum opera uſus eſt Pontifex ad Pruthenos fide Chriſtiana imbuendos. Significarant illi ſe Chriſtiana ſacra ſuſcipere in animum induxiſſe: quibus magno ex ſperata illorum converſione gaudio delibutus Pontifex gratulatus, & evangelium excipere eſt adhortatus, (*e*) utque oratores ad ſedem Apoſtolicam mitterent, quo tanta res ad exitum felicius perduci poſſet. At perfidi induerant pietatis ſpeciem, cum ſe ab hoſpitalariis Theutonicis victos profligatoſque lugerent: ac brevi fraus patuit, cum Pruſſiæ epiſcopum ſuſcipiendi ab eo baptiſmi ſpecie excitum obtruncatis iis, qui ipſum ſtipabant, vinculis manciparunt, ut Pontifex ea de re ad Prædicatores datis literis queritur (*f*). Impoſuerat aliis literis iiſdem religioſis viris partes, ut fideles in exercitu ad colligendos in hoſtem animos excitarent, ſuaderentque ad muniendas magnis operibus arces firmandaque propugnacula incumberent: confluxerat enim maxima ex finitimis regnis cruceſignatorum multitudo, quam apoſtolicis literis (*g*) ad edomandum hoſtem inflammavit, (*h*) & indulgentiarum præmiis eos, qui ad vivificæ crucis dominicæ lignum, apud equites religioſos magno cultu aſſervatum, venerandum accederent, decoravit. Denique ad conficienda nova in Pruthenos ſupplementa dictos Prædicatores populos ad induendam crucem adhortari juſſit. Hactenus de Pontificis ſtudio in infidelium barbarie edomanda, Pruthenisque ad Chriſti obſequium adducendis. Supereſt ut quæ ad evellendas in Galliis reliquas hæreſeos fibras egerit, proſequamur (*i*).

(e) Lib. 6. ep. 232.

Pruſſiæ epiſc. magna perfidia coniiciunt in vincula.

(f) Lib. 7. ep. 308.
(g) Ib. ep. 307.
(h) Ep. 306.
(i) Ep. 309.

LIX.

Gliſcebat in nonnullis Galliarum locis hæreſis, ac virus ſuum clanculum diffundebant, maximeque in oppido, cui Charitatis nomen eſt, malum eruperat; ad quod extinguendum Stephanus Cluniacenſium prior ſtrenuam operam contulit: quare illum Pontifex Ludovico Regi commendavit, (*k*) ac Robertum Prædicatorum ordinis ſuam contra eoſdem hæreticos induſtriam conjungere, (*l*) inquiſitoreſque (*m*) fidei relapſos hæreticos judicibus meritis ſuppliciis afficiendos tradere juſſit. Demonſtrant idem labis illius delendæ ſtudium plures literæ, (*n*) quas nobis indicaſſe ſuffecerit: tum ad Ludovicum Regem datæ quibus ſolicitavit, moneret (*o*) Toloſanum comitem, ut hæreticos a ſuo conſortio ſubmoveret. Cæterum Raymundus paruit, principiſque catholici ſpecimen egregium edidit: habito enim epiſcoporum procerumque ſolemni conventu ſeveras leges adverſus hæreticos edidit, quas Papyrius Maſſonus (*p*) ex antiquis membranis typis mandavit. Dignæ certe eæ ſunt, quæ in annales noſtros in compendium coactæ inferantur.

Pontificis opera in abolendis hæretic. reliquiis.

(k) Lib. 6. ep. 340.
(l) Lib. 7. ep. 54.
(m) Ib. ep. 200.
(n) Ep. 248. 360. 363. & l. 7. ep. 83. 246. 247. 248.
(o) Lib. 6. ep. 359.
(p) Papyr. Maſſon. annal. l. 3. p. 298. edit. ſecund.

LX.
Latæ a Raymundo com. Toloſ. adverſus hær. Albig. leges.

Prima lege cautum eſt, ut omnes tam nobiles, quam juſtitiæ præfecti omnem operam in hæreticis comprehendendis collocent. Si qui porro hæretici in urbibus, oppidis, pagis fuerint comprehenſi, incolæ pro captorum numero ſingulas marchas capientibus ſolvere teneantur. Severe ac diligentiſſime in eos inquiratur, qui hæreticorum perſecutoribus violentas manus inferrent. Ne ii, quorum fama hæreſeos ſuſpicione aſperſa eſt, juri dicundo præficiantur: omnes domus in quibus, ſciente domino, hæreticus inventus vivus, aut ſepulturæ mandatus funditus diruantur, cunctæque abditiores ac ſemotæ ab aliis caſæ, vel in rupibus defoſſa exciſave habitacula obturentur, & omnia, ſi quæ poſtea in iis reperta, fiſco abdicantur. Eorum bona, qui a tempore contractæ Pariſiis pacis hæreſi ſe contaminarint, fiſco mancipentur, nec ad ſanguine conjunctos transfundantur. Ii qui hæreticis capiendis imploratam operam denegarint, vel obſtiterint, vel inquiſitoribus iter ad luſtrandos hæreticorum receſſus intercluſerint, vel captos avolare paſſi ſint, exuantur bonis atque aliis pœnis ſubiiciantur. Si qui hæreſeos infamia laborent, fidem profiteantur publice, & hæreſi abrenuntient, quod ſi negaverint, meritis pœnis plectantur. Qui antea hæreſi contaminati fuerint, quamvis ſponte ad Eccleſiam tranſvolarint, niſi literis, vel teſtibus ſe probent catholicos, vel niſi acceptam crucem aperte geſtarint, bonis ſuis excidant, & irriti ſint eorum contractus, qui, antequam ſe hæreticos perfectos promulgent, in fraudem fiſci bona abalienarint, vendiderint, donarint, obligarint. Qui ad tegendam hæ-



hæreſim mercaturæ & peregrinationis ſpeciæ alio ſe contulerint, niſi de juſta eorum abſentia conſtiterit, bonis ſpolientur. Qui anathemate percuſſus, eo abſolvi intra annum non flagitarit, occupatis illius bonis Eccleſiæ ſubiicere ſeſe compellatur, &c. *Hæc omnia ſtatuta facimus ſine præjudicio domini Regis Franciæ, & Eccleſiæ, & ſalva pace Pariſienſi. Acta ſunt hæc Toloſæ* XII. *kal. mart. anno Domini MCCXXXIII.* [1]

LXI.
Pontificem rogat S. Ludov. ut Raymundi ditio ultra Rhodanum ſita ipſi reſtituatur.

Inſequenti menſe poſt latas has a Raymundo in hæreticos leges, S. Ludovicus cum Pontifice agere cœpit, ut ditio, quæ ad continendum in officio comitem ſuæ cuſtodiæ a legato apoſtolico demandata fuerat, comiti reſtitueretur, ſignificavitque literis (*a*) cuſtodiendæ illius ditionis munere diſcedere decreviſſe: *Sanctiſſimo patri in Domino Gregorio Dei gratia Francorum Rex ſalutem, & reverentiam in Domino tam debitam, quam devotam. Noverit veſtra benignitas, quod terram ultra Rhodanum, quæ in partibus eſt Imperii, quam chariſſimus amicus noſter R. .... tunc Apoſt. ſedis legatus balivo noſtro cuſtodiendam commiſit, cuſtodiendi amplius conſilium non habemus: quod paternitati veſtræ ſcire facimus per præſentes. Actum apud Loiriacum anno Domini MCCXXXIII. menſe martio.* Toloſana porro academia, ut firmiſſimi inſtar adverſus hæreticos propugnaculi eſſet, ab R. .... Portuenſi electo, cum pax comitem inter atque Eccleſiam inita fuit, excitata, privilegiis exornata (*b*) a Gregorio eſt, qui literis ad S. Regem ad tuendum Pariſienſis academiæ ſigilli præfectum, quem Viromanduorum præſes indigne tractarat, exaratis (*c*) eleganter deſcripſit, quantas academia illa Eccleſiæ utilitates afferret.

(a) Ext. apud Greg. l. 8. ep. 112.
(b) Greg. l. 7. ep. 72.

Toloſana acad. exornata privilegiis a Greg. IX.

(c) Lib. 6. ep. 350.

LXII.
Excitata de Campaniæ comitatu controverſia.

Præterea cum de Campaniæ comitatus ſucceſſione diſcordia recrudeſceret, ac Regina Cypri, quæ ex Henrico comite matreque adultera Regina illegitimo nexu conjugatis originem duxerat, quaſi legitimorum natalium privilegio potiri deberet, comitatum illum occupare affectaret, ne res in bellum erumperet, ſummus Pontifex indixit (*d*), ut primum quæſtio de ipſius natalibus coram Eccleſiæ tribunali diſcuteretur, illamque ſaltem procuratorum opera Romæ ſe ſiſtere juſſit. Injunxit (*e*) etiam, ut antequam ad ſucceſſionis dirimendam litem accederetur, natalium cauſa, ex qua altera penderet, prius judicaretur, ne res majoribus hoc modo difficultatibus implicaretur, eodemque argumento aliæ literæ Regi (*f*) Francorum, archiepiſcopo Senonenſi (*g*) comiti S. Pauli (*h*), comiti Flandrenſi (*i*) pluribuſque aliis (*k*) exaratæ. Regem quoque Francorum, collaudata ampliſſimis verbis ejuſque anteceſſorum pietate, rurſus etiam atque etiam hortatus eſt (*l*) archiepiſcopo Rothomagenſi ablata redderet: *Quaſi vas aureum gemmis enitentibus adornatum aula regni Franciæ cunctis temporibus noſcitur extitiſſe. Placuit quidem conſtitutis in illa Regibus, gratioſis ſic regiæ celſitudinis intendere viriliter incrementis, ut qui generis erant ſublimitate conſpicui, virtutum excellentia exiſterent etiam redimiti.* Et infra: *Quid igitur princeps egregie ſi tua tenet induſtria, quod vitis valentiam in ſe palmes debeat continere, tuis eſt deſideriis inhærendum, niſi quod tuorum colenda veſtigia ſint amplexu continuo a te laudabiliter imitanda, ut non tam regno, quam virtutibus heres inclytus comproberis? Porro ſi contrarium, quod abſit, efficeres, tibi detrimentum nominis, & multis exemplum reprobum procurares. Ergo ut anima noſtra tibi benedictionis filio benedicere delectetur, animum tuum deputans operibus pietatis, ut quem magnum natura genuit, etiam edidiſſe magnificum videatur, vota noſtra circa reverentiam matris Eccleſiæ devotione proſequere filiali, preces & monita quæ pro venerabili fratre noſtro archiepiſcopo Rothomagenſi tuæ celſitudini ſecura fiducia replicamus, ſic efficaci promptitudine completurus, ut abſque moræ diſpendio ſibi & Eccleſiæ ſuæ per te reſtitutio fiat omnium ſublatorum. Dat. Anag. kal. ſept. an.* VII. Hactenus Gregorius, qui aliis literis Reginam Blancam (*m*) regioſque conſiliarios (*n*) ſolicitavit, ut pium Regem ad erepta reſtituenda adducerent. Cumque jam

(d) Ib. ep. 42.

Quid ſanxerit in ea Gregorius.

(e) Ib. ep. 43.
(f) Ib. ep. 44.
(g) Ep. 45.
(h) Ep. 46.
(i) Ep. 47.
(k) Ibid.
(l) Ep. 277.
(m) Ibid. ep. 278.
(n) Ib. ep. 279. 280. 281. 282.

NOTÆ [1] CUm veteri Gallicano ſtylo annus martio menſe deſineret, novuſque inciperet, conſtitutiones a Raymundo latæ XII. Kal. martii ad annum juxta noſtrum ſtylum 1234. pertinent: quare in annalibus hic extra ſuum locum afferuntur.

Quod autem hic ait annaliſta, S. Ludovicum hoc primum anno cum pontifice agere cœpiſſe de reſtituendis Toloſano comiti terris, quas illi ereptas legatus apoſtolicus regis Francorum cuſtodiæ commiſerat; veritati utique non cohæret. Extant enim in ſpicilegio Dacherii to. III. pag. 604. nov. edit. literæ Gregorii ad regem & reginam Francorum tum & ad Toloſanum comitem, quibus ſignificat rogatum ſe ab illis fuiſſe, ut in reſtitutionem eorumdem locorum conſentiret. Datæ ſunt ille Reate IV. nonas martii pontificatus Gregorii anno V. adeoque Chriſti 1222. Addit in illis pontifex, ſe non ita facilem præbere Toloſano comiti, quippe qui non ita pridem a defectione in Romanam eccleſiam redierat; rem tamen comittere totam epiſcopo Tornacenſi, ut cum epiſcopis aliiſque Galliarum præſulibus quid facto opus eſſet conſuleret, tum ad ſe referret. MANSI

Servet Belvac. epiſc. jura.

jam ante epiſcopus Belvacenſis, apud Apoſtolicam ſedem queſtus eſſet Regem, urbis illius dominatum, ad Belvacenſem eccleſiam pertinentem, ſibi contra ſententiam a Ludovico Rege promulgatam, atque auctoritate apoſtolica confirmatam vindicaſſe, atque ab Romano Pontifice rogatus, ab ea re abſtineret, ejus preces non admiſiſſet, Gregorius ipſum iterum monuit (*a*) rogavitque, iniquis improborum hominum rejectis conſiliis Eccleſiæ priſtina jura reſtitueret, quo argumento tum ad Sueſſionenſem & Lingonenſem epiſcopos (*b*) tum ad Reginam (*c*) literas exaravit. [1]

(*a*) *Lib.* 7. *ep.* 317.
(*b*) *Ib. ep.* 318.
(*c*) *Ep.* 319.
(*d*) *Ep.* 107.

Antea vero Ludovicum rogarat (*d*) pacem cum Anglo iniret, maxime cum ea res neceſſaria foret, quo Hieroſolymitanis rebus conſuleretur: archiepiſcopo Senonenſi, atque epiſcopis Pariſienſi, Wintonienſi, ac Saresberienſi apoſtolico ſe pro imperio mandaſſe, ut Reges ad id adducere niterentur.

LXIII. De Steph. Dien. ep. miraculis inquiri jubet Greg.

Denique ut res Gallicanas abſolvamus, contendentibus ab Apoſtolica ſede Arelatenſi archiepiſcopo, ac ſuffraganeis, Stephanum Dienſem olim epiſcopum maximis miraculis effulgentem ſanctorum numero adſcriberet. Archiepiſcopo Ebredunenſi, & epiſcopo Vapicenſi, atque Valliſcreſcentis abbati Ciſtercienſis ordinis partes impoſuit (*e*) ut ſumma adhibita diligentia in ea miracula ac prodigia, quæ poſt illius mortem edita fuiſſent, inquirerent, cum ad aliquem ſanctorum albo adiiciendum probitas & cœleſtium prodigiorum veritas deſiderentur: *Ex literis fratris noſtri archiepiſcopi Viennen. & ſuffraganeorum ſuorum nos noveritis accepiſſe, quod recolendæ memoriæ Stephanus Dien. epiſcopus, qui degens olim in mundo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cœlo tot dicitur miraculis coruſcare, ut ejus ſanctitas apertis indiciis comprobetur, & ejus intra alios ſanctos non invocare ſuffragia ſit indignum; quare nobis per eaſdem literas ſupplicarunt, ut eum ſanctorum adſcriberemus catalogo veneradum. Licet autem ad hoc, ut aliquis ſanctus ſit apud Deum in Eccleſia triumphante perſeverantia ſola ſufficiat juxta illud, eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, quod evidenter illa Joſeph talaris tunica figurabat, ad hoc tamen, ut ipſe ſanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula, ut hæc, & illa ſibi invicem conteſtentur, &c. Dat. Later.* XVI. *kal. januar.*

(*e*) *Ep.* 392.

LXIV. B. Eadmundus ad Cantuar. archiepiſc promoverur.

Effulgere hoc anno cœpit in Cantuarienſi ſede totius Angliæ clariſſimum lumen B. Eadmundus e Saresberienſi canonico, & ſacri ærarii præfecto ad eam dignitatem evectus, in qua velut in celſiore loco ſanctitatis ſuæ radios latius diffudit; extant in pontificio regeſto de eo Gregorii literæ (*f*) ad Cantuarienſis eccleſiæ ſuffraganeos exaratæ, quibus morum honeſtate conſpicuum, perpolitum literarum ſcientia, ac rerum gerendarum induſtria præditum appellat, repudiatiſque cæteris ipſius electionem confirmat: *Præſentatam nobis electionem, quam dilecti filii capitulum Cantuarienſis eccleſiæ de dilecto filio magiſtro Eadmundo theſaurario Sarebérienſi, viro morum honeſtate conſpicuo, eminenti literarum ſcientia prædito, & temporalium providentia circumſpecto, in Cantuarienſem archiepiſcopum canonice, ac concorditer celebrarunt, examinantes ſicut convenit diligenter eam, quia rectis diſpoſitionibus nihil debet difficultatis afferri, de fratrum noſtrorum conſilio duximus confirmandam; firmam ſpem fiduciamque tenentes, quod idem in eadem eccleſia recta regens, & dirigens indirecta, ſibique per vitæ meritum, & aliis proficiens per exemplum quaſi ſtella in ejuſdem Eccleſiæ firmamento fundata per diligentiæ ſuæ miniſterium, ipſi auctore Domino ſpiritualibus, & temporalibus proficiet incrementis. Quia vero ſi patrem quis tenetur honorare carnalem, eo ipſo ſpiritualis debet amplius honorari, quo pretioſior eſt carne ſpiritus, & animæ ſunt corporibus digniores, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ei-*

(*f*) *Greg. l.* 6. *ep.* 230. 231.

Confirmatur a Pontifice.

NOTÆ [1] MAuricius Rotomagenſis archiepiſcopus, jura epiſcopatus ſui adverſus Gallorum regem defendens regis iram incurrit. Hujus rei cauſa S. Ludovicus *regalia* ejus invaſit, quod graviter ferens archiepiſcopus diœceſim Rotomagenſem univerſam interdicto ſubjecit anno 1233. in pervigilio S. Michaelis die 28. Septembris. Ex his intelligimus admonitionem Gregorii apud regem per literas ſcriptas Kal octobris anni hujus minus profeciſſe. Interdictum uſque ad ſequentem annum ad diem feſtam SS. Criſpini & Criſpiniani perſeveravit. Tunc vero rebus omnibus archiepiſcopo reſtitutis pax eccleſiæ rediit. Hæc omnia legas in fragmento chronici Rotomagenſis vulgato in Spicilegio Dacherii ubi ſupra pag. 613. Cum autem ſua illa cenſura archiepiſcopus *omnes capellas* regis interdixiſſet, idque forte grave ſibi rex cenſuiſſet; ideo literas pontificias impetravit, quibus ſublata erat omnibus eccleſiaſticis poteſtas, ut capellas regis interdicto ſubiicerent. Leguntur in eodem Spicilegio pag. 606. ſcriptæ a Gregorio ea de re literæ ſignatæ *Terracinæ idibus novembris pontificatus* ejuſdem *anno* X. quæ annum 1236. indicant.

Quoad ea quæ de Belvacenſi cauſa hic attinguntur, legenda eſt adnotatio noſtra ad annum 1231. 46. MANSI



*eidem electo tanquam patri, & paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, ipſius monitis ſalubribus, & mandatis cuvetis efficaciter obedire, &c. Dat. Lat.* XI. *kal. jan. anno* VII. [1]

LXV.

Adegere ſacramento fidei in verba Pontificis Eadmundum Londinenſis, & Roffenſis epiſcopi, conceptamque his verbis illius formam, quam pontificio nomine admiſerant in ſuis ad Gregorium literis (*a*) inſeruere: *Ego Eadmundus Cantuarien. archiepiſcopus ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero B. Petro, & ſacræ Rom. Eccleſiæ, & domino Papæ Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in facto, nec in conſilio, aut conſenſu, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium vero quod mihi credituri ſunt per ſe, aut per nuntios ſuos, ſive per literas, ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & regalia B. Petri adjutor eis ero, ad retinendum, & defendendum ſalvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apoſtolicæ ſedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Vocatus ad ſynodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apoſtolorum limina ſingulis trienniis viſitabo, aut per me, aut per nuncium meum, niſi apoſtolica abſolvar licentia. Poſſeſſiones vero ad menſam mei archiepiſcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque pignerabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconſulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.* Additur in eodem libro cenſuum Petrum archiepiſcopum Rothomagenſem anno domini MCCXXXVII. eam ſacramenti formam, nec non Jarletium archiep. Upſalenſem ac Martinum Legionenſem epiſcopum nuncupaſſe. Plura de B. Eadmundo apud Pariſium, qui hoc anno nonnulla prodigia accidiſſe narrat, viſos nimirum quatuor ſoles totidem ſemicirculis interſectos, tum duos dracones inter ſe confligere in aere magno ſpectantium terrore conſpectos, eodemque tempore inteſtinas diſcordias Angliam, Walliam, & Hiberniam evertiſſe, cæterum Henricus Rex, qui plura regia jura nunquam repetiturum ſe jurejurando obligarat, eo ipſo die, quo regia inunctione fuerat delibutus illius ut metu extorti religione a Gregorio liberatus eſt.

(*a*) Ext. *in l. cenſ. Vat. bibl.*

LXVI.

Conſulenti Apoſtolicam ſedem Aſtoricenſi epiſcopo de nonnullis, quæ in controverſiam vocabantur, hæc reſpondit Gregorius (*b*): *Conſultationibus tuis taliter reſpondemus. Si concubinæ publicæ clericorum eccleſiaſticæ cenſuræ diſtrictione notentur, eoſdem concubinarios non eſt dubium ſententia majoris excommunicationis involvi, qui poſt latam ſententiam communicant in eodem crimine criminoſo. Aqua per epiſcopum benedicta eccleſiam reconciliari poſſe per alium epiſcopum non negamus; per ſacerdotes ſimplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obſtante conſuetudine provinciæ Bracarenſis, quæ dicenda eſt potius corruptela: quia licet epiſcopus committere valeat quæ juriſdictionis exiſtunt, quæ ordinis tamen epiſcopalis ſunt non poteſt inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus epiſcopis, ſuper reconciliatione factum eſt hactenus per eoſdem, miſericorditer toleramus. Eccleſiæ in qua divina myſteria celebrantur licet adhuc non extiterit conſecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur, quia obſequiis divinis dicata nullius eſt temerariis auſibus profananda. Si eccleſia non conſecrata cujuſcunque fuerit ſemine, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis in ea organa ſuſpendantur: eſt tamen quam citius fieri poterit, conſecranda. Dat. Lat.* XII. *kal. jun. pontif. noſtri anno* VII.

(*b*) Lib. 7. ep. 119.

LXVII. Rex Luſit. Portugalenſem ep. divexat.

In Luſitania Rex Portugalenſem epiſcopum, cui urbis ejus nominis dominium Theraſia Regis proavia olim tranſmiſerat, ſua jura defendentem exagitabat. Quare Gregorius inquirendæ rei provinciam Cerrianenſi epiſcop. demandavit (*c*) Zamorenſique (*d*) ut pontificio nomine a cœptis Regem graviſſimis monitis avocaret, qui ſi apoſtolica imperia detrectaret, omnia loca, ad quæ eſſet acceſſurus interdicto percelleret; aliiſque literis Luſitanos præſules in tuendis Portugalenſis epiſcopi juribus opera, & conſilio non deeſſe juſſit (*e*). Moneri pariter Ferdinandum Caſtellæ, ac Legionis Regem a Compoſtellano archiepiſcopo præcepit (*f*) ut Judæos, qui plura patrabant ſcelera, coerceret, atque ex concilii œcumenici legibus ſigna, quibus diſtinguerentur, præferre juberet; quos tamen in Galliis a populis perfidiæ odio in ipſos concitatis religionis ſpecie crudeliter exagitatos clementius haberi juſ-

(*c*) *Lib.* 7. *ep.* 121.
(*d*) *Ep.* 122.

Corripitur a Pontifice.

(*e*) *Ib. ep.* 188. 189.

Rex Caſtellæ admonitus, ut Judæos coerceat.

(*f*) *Ib. ep.* 210.



NOTÆ [1] DIem electionis, confirmationis, & conſecrationis B. Edmundi in archiepiſcopum Cantuarienſem ſervavit nobis author geſtorum S. Edmundi vulgatus a Martenio anecdotorum tom. III. qui ſcribit: *in vigilia B. Matthei* (anni 1233.) *electus fuit in archiepiſcopum, confirmatus autem a ſummo pontifice in vigilia S. Thomæ* (apoſtoli) *in dominica, qua cantatur Lætare Jeruſalem* (quadrageſimæ quarta, die ſcilicet II. aprilis anni 1234.) *in archiepiſcopum conſecratus extitit.* MANSI

(a) Lib. 7. ep. 20.

juſſit (a) ita enim illorum ſcelera comprimi voluit, ut nullum in iis inſectandis ſcelus committeretur.

LXVIII. Petrus Majoric. moderator in clientelam apoſt. acceptus.

Adſcivit vero in clientelam apoſtolicam Petrum Regum Luſitanorum ſtirpe ſatum, qui Baleares inſulas, quas Jacobi Regis virtutes Sarracenis ereptas vidimus, fiduciario jure ab illo acceperat ea lege, ut Urgelitani comitatus ab uxore teſtamento relicti jure cederet. Cum vero Thunetanus Rex ad Majoricam invadendam ſe compararet, Pontifex Aragoniæ, Navarræ, vicinarumque provinciarum populos apoſtolicis literis hortatus eſt, (b) conjunctis armis regno Majoricarum, quod fide Chriſtiana nuper ſuſcepta Dei Eccleſiæ ſe aggregarat, ſubſidio adverſus perfidos Mauros proficiſcerentur, iiſque annos, tres injunctæ pœnitentiæ remiſit: *Univerſitatem veſtram rogamus, monemus attentius, & hortamur, ac in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad ſuccurſum regni Majoricarum ad cultum Chriſtianum de novo converſum, & defenſionem novellæ plantationis fidelium in eodem exiſtentium accedentes, contra infideles Mauros partium earundem, ſecundum conſilium dilecti filii nobilis viri Petri infantis nati inclytæ recordationis Regis Portug. domini regni præfati, qui aſſumpſit in illis partibus negotium fidei ex animo proſequendum de divino confiſi auxilio procedatis, illi militantes libenter ad tempus, qui pro nobis in Cruce ſuis ſtipendiis militavit.* Cumque Aragonum Rex bellum adverſus crucis hoſtes ſuſcipere conſtituiſſet, Gregorius pio ejus commendato conſilio, archiepiſcopis Burdegalenſi, & Auxitano, ac ſuffraganeis mandavit, (c) fideles cohortationibus ſuis incitarent, ut ad tam egregium opus magno animo ſe accingerent: illum vero in Valentiæ regnum ditionis Mauricæ hoc anno irrupiſſe, ac præclara facinora explicuiſſe fuſius Surita (d) proſequitur.

(b) Ep. 185.

Exeitati ad bellum contra Sarracenos fideles.

(c) Ep. 263.

(d) Surit. l. 3. c. 16. 17.

LXIX. S. Iſidori reliquias veneraturis indulgentiæ propoſitæ.

Poſtremo quod ad Hiſpaniarum res attinet, addendum videtur Gregorium, dato ad abbatem, & conventum S. Iſidori Legionenſis diplomate, indulgentias apoſtolica auctoritate elargitum iis, qui monaſterium illud S. Iſidori die feſto adiiſſent (e): *Cum ſicut accepimus, in monaſterio veſtro corpus B. Iſidori requieſcat, nos conſiderata ipſius loci religione, ac fratrum ibi morantium honeſtate, de beatorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus devote ad monaſterium ipſum die feſtivitatis B. Iſidori venientibus quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia pro ipſius ſancti reverentia relaxamus. Datum* **Later. XIV. kal. junii pontif. *noſtri* anno VII.**

(e) Lib. 7. ep. 349.

Elati



I. Romani in Gregorium rebellionem movent.

ELati animis Romani novam meditati condere in ruinis Eccleſiæ rempublicam anno Chriſti milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto indictione ſeptima, conflata in Pontificem ſeditione, Gregorium Urbe exire coegerunt, atque oratores ad trahendos ad defectionem populos in Hetruriam ac finitimas regiones miſere, qui ubi a ſubditis Eccleſiæ ingentem pecuniarum vim corraſiſſent, celſiſſimam turrim in oppido, cui Mons altus nomen eſt, in occupati dominatus argumentum excitarunt. At Pontifex cum ſe Reate recepiſſet, ſenatorem Urbis, ejuſque conſiliarios illius defectionis auctores anathemate perculit, (a) & ad retundendos Romanorum conatus ſtudia applicuit. Qua diſſenſione cognita Fridericus Imp. ad prolectandam Pontificis gratiam, ut ejus opera ad rebellem filium Henricum Imperium affectantem comprimendum uteretur, Reate profectus, ſe ſuaque omnia impenſe deferre præ ſe tulit: quare a Gregorio regia magnificentia exceptus fuit, ac licet anceps, & dubia ejus fides timeretur, gerendi adverſus Romanos perduelles belli provincia illi demandata eſt, atque legatus S. Mariæ in Coſmedin diaconus Cardinalis conjunctus. At brevi Fridericus artes ſuas, conditaque intus ſcelera aperuit, cum deſerta ſummi Pontificis cauſa, diſſolutoque exercitu, ac ſuo honori fœdiſſima inuſta macula, in Neapolitanum regnum ſe proripuit; quæ omnia ampliori ſtylo anonymus Gregorii geſtorum auctor proſequitur.

(a) Lib. 8. ep. 167.

II.

*Sed illorum*, nimirum Romanorum civium, *mens livore ſuffuſa nullius medicaminis ſuffragio valitura, pro depulſo dæmone ſeptem ſpiritus nequiores aſſumens * ſexto ejuſdem pontificatus anno in pejora prioribus commenta vexationis erupit: quo tempore Urbis ſenator inter ſtatuta, quæ in Eccleſiæ libertatis exilium, & enormem ſedis Apoſtolicæ læſionem temerarius edidit, hoc grave promulgavit edictum, ut Roma, quæ Chriſti vicario largitione Chriſtianiſſimi principis Conſtantini, & ſequentium principum munimentis, uſque ad ætatis noſtræ tempora, illi fuerat ſervituti obnoxia, quod ſenatoris electio, percuſſura monetæ, coquendi panis fornax accenſa, ipſa etiam brutorum paſcua ſub tributo ſervirent, in hereditatem ſuæ dominæ ſuſpiraret ancilla ipſa, & quæ ſui libertate carebat, in Petri patrimonio quæreret novi comitatus abuſum. Pro quibus deducendis in actum legatos in Tuſciam, & Sabinam deſtinavit viros omni cupiditate nobiles, & omnium immaniſſimorum ſcelerum patratores, quorum veſania non minus impetu munita, quam gladio, a vaſſallis Eccleſiæ fidelitatis perjuria, & pecuniarum loculos extorquentes in caſtro Montis alti ultra virium potentiam excelſam turrim in ſignum dominii, & defendendæ occupationis præſidium conſtruxerunt. Hæc eſt devotio filiorum, hic maternæ ſolicitudinis fructus, ut ubere jam ad ſanguinis eductionem emuncto procurarent matris excidium filii matricidæ. Invenit ad hæc conſilium, procuravit remedium providus Eccleſiæ gubernator, & excuſſo de pedibus pulvere, Damaſcum ſuis relinquens erroribus, reatum delinquentium puniturus Reate acceſſit.*

* ſeptimo

Mittunt ad ſubornandos populos oratores.

Fridericus ſuam Pontifici ad debellandos Romanos operam defert.

III.

*Cujus diſcordiæ cauſam dictus Imperator agnoſcens, cum decreviſſet pro imminente ſibi neceſſitatis eventu contra filium Henricum in ipſius juris injuriam, jura Imperii vendicantem Eccleſiæ patrocinium implorandum, Reate concitus, nec invitatus advenit.* De Henrici adverſus Fridericum rebellione, Pontifex literis (b) ſuis infra reddendis, Godefridus (c) Richarduſque (d) meminere, quorum ultimus rem ita conſignat: *Hoc anno, quod Henricus Rex contra Imp. patrem ſuum ſeditionem in Alemannia fecerit fama fuit.* Additque auctor: *Menſe maii Imperator per S. Germanum habens tranſitum, apud Reate ad Papam vadit, ducens ſecum Conradum filium ſuum, & ſe ad ſervitium Eccleſiæ exponens contra Romanos.* Ac poſt nonnulla interjecta, ſubdit Gualterium Averſanum, qui colligendæ Imperatoris gratiæ cauſa eos, qui ab ipſo ad Eccleſiæ partes defendendas antea vigente diſcordia transfugerant, infeſtare hoſtili animo cœperat, coercitum ab Imperatore, atque in vincula ob temerarios auſus conjectum. Cœptam pergit narrationem geſtorum Gregorii ſcriptor, ut gerendi in Romanos belli provinciam ambiverit Fridericus, ac demum ſolitis artibus omnium expectationem eluſerit: *Eccleſiæ cauſam, quam ut advocatus ex Imperii debito, & vaſſallus ex homagio regni Siciliæ gemino tenebatur defendere juramento cum ſupplicatione ſuſcipiens, domino Papa, & fratribus de ipſius fide dubitantibus, proſequendam (fecerat enim eorum judicia futuri profectus incredula, mentitæ ſæpius offerentis fidei conjectura) quod prudenter tandem ſummi Pontificis cautela permiſit, eligens potius felicem deeſſe negotio ſucceſſum, quam recuſare debitum Imperatoris ipſius obſequium, per quod cum ex conditione regni, & Imperii teneretur, grave poterat Eccleſiæ præjudicium generari. Qui poſt tractatus, & collocutiones multiplices, poſt familiare convivium, quod eadem menſa, & ſcutella*

(b) Greg. an. 1239.

(c) God. in annal. hoc anno.

(d) Rich. de S. Ger. in chron.

Ut filii rebellio ad gratiam Pontificis ſibi conciliandam illum moverit.



la

Conradum filium obſidem Pontifici offert.

*la communis ſimul utrique principi miniſtrarat, ut cautius falleret, cautionem adjecit, Conradum natum proprium obſidem, ad ſummi Pontificis pedes exponens, regni & Imperii juribus pro fide ſervanda fraudulenter oblatis, ſicut facta ſequentia manifeſtant.*

IV. De inito cum Friderico adverſus Romanos excutientes Apoſt. ſedis imperium fœdere ad Inſubres ſcripſit Gregorius, (*a*) ut ſuſpicionem omnem ex eorum animis deleret, ne in ſuam perniciem illud vergere pertimeſcerent, aut auxilia e Germania accerſita aditu in Italiam arcerent: *Cum diverſæ, ac variæ forent contra Eccleſiam inquietudines Romanorum, ita quod ſedes Apoſtolica ſine confuſione ſua non poterat, quin uteretur imperialis brachii miniſterio evitare; dictus Imperator ad præſentiam noſtram accedens ad Eccleſiæ Romanæ defenſionem, & patrimonii ſui ſponte ſe obtulit, ſicut ad id ſpecialiter tenebatur. Unde cum auxilium militum neceſſarium eſſet eidem, vobis, ut liberum tranſitum daretis eiſdem, direximus ſcripta noſtra, ſuper quo qualiter ſit proceſſum, plene noviſtis. Verum cum non poſſetis abſque offenſa Apoſtolicæ ſedis offendi, quæ reputat vos membra ejus honorabilia, & filios ſpeciales, non debetis in aliquo modo moveri, nec unquam dubitare poteſtis, quod paternum affectum, quo ſincera vos complectimur charitate, deponere debeamus; propter quod nihil vobis deperit, ſed accreſcit potius, ſi Romana Eccleſia mater veſtra in libertate, & honore debito conſervetur, maxime cum nos veſtris profectibus ex intimis cordis, & animi aſpirantes non ceſſemus pro ſtatu veſtro ſalubriter conſervando opportuna conſilia cogitare. Dat. Reate v. non. jul. an.* VIII. Hæc Inſubribus Pontifex, cum in ſpem a Friderico erectus eſſet, Romanæ Eccleſiæ perduelles imperialium armorum potentia ad officium adductum iri: at brevi illius promiſſa evanuere; cujus fraudes ita retexit vitæ Gregorii auctor.

(*a*) Lib. 8. ep. 148.

Greg. de inito in Rom. cum Friderico fœdere Longobardos monet.

V. *Licet autem negotium ipſum ſumptibus propriis, ſub præmiſſis cautionibus promiſerat exequendum, quia tamen inter ipſa primordia mentita devotio decipientis propoſitum certis inditiis oſtendebat, per quod dubiæ fidei dubius timebatur eventus, venerabilem patrem S. Mariæ in Coſmedin diaconum Cardinalem apud caſtrum montis Flaſconis in electorum multitudine militum ad comprimendam Romanorum ſuperbiam cum Cæſare deſtinavit.* (His conſentiunt pontificiæ literæ (*b*) ad proceres, magiſtratus, ac populos Tuſciæ exaratæ, quibus ipſos imperiis R.... diaconi Card. S. Mariæ in Coſmedin obtemperare jubet, miſſumque ad B. Petri patrimonium defendendum adverſus hoſtium conatus ſignificat) *Ubi de concepta nequitia in partus venenatos erumpens, legatus infidus, & corruptibilis executor deformans prætoris ſolium eminens Imperatoriam majeſtatem, violato prioris fidei fœdere, mutatus in hoſtem, hoſtibus ſe conjunxit, receſſus ſui diem certis cautionibus ſtatuens, omnimoda interim indemnitate præmiſſa in ſuæ quidem apertioris infidelitatis indicium, eos ſecreta familiaritate pertractans, venerabatur in publicum, & muneribus honorabat, non minus in hoc puſillanimitatis opprobrio, quam infidelitate notandus; hic majeſtatis titulum in officium venaturæ commutans, non armis decoratus, & legibus, ſed canibus, & avium garrulitate munitus factus de Imperatore venator, excellentiam ſceptri in ferarum venabula commutavit, & hoſtium vindicta poſtpoſita in capturam avium ſolicitabat aquilas triumphales. Sic igitur decurſo temporis ſpatio, quo matris cauſam indevotus filius conſecuturus, acceſſit Romanis in die illa, quam idem ſibi præfixerat, exeuntibus ex conditione caſtro Raſpampani, quod a ruina ſola ipſius præſervavit aſtutia obſidione relicta illicentiato exercitu, & gladiis expoſito Romanorum, famæ prodigus, & honoris, fugitivus abſceſſit, proditionis maculam timoris mendacio cupiens colorare. Illa ſiquidem velocitate fugatis triumphalibus aquilis vehebatur, ut de dicto caſtro eadem die, quaſi hoſtibus terga petentibus, delatus in regnum, non equitaſſe, ſed volaſſe verius crederetur.*

S. Mariæ in Coſmedin. diac Card. junctus Friderico ad repellendos Rom.

(*b*) Ib. ep. 179.

Fridericus Pontificis cauſam turpiter deſerit.

VI. Poſt enarratam Friderici in Romanum Pontificem perfidiam egregiam de hoſtibus Eccleſiæ, qui in Viterbienſem agrum irruperant, victoriam per quoſdam nobiles Germanos divinitus conceſſam recenſet: *Tum Peruſium adiit ſummus Pater, ubi auditum deplorat infidelitatis eventum, dolores ingeminat mater Eccleſia, de filio patris, de patre delatore prodit totus orbis in fabulam, altum negotium tanta ſolicitudine procuratum, tam turpi colluſione concluſum. Sed Dei filius ſponſus Eccleſiæ reſumpſit contra draconis inſidias ſponte cauſam: nam ipſius ſponſæ vicarius Eccleſiæ ſolicitus gubernator cadenti negotio manum ſubventionis apponens, quoſdam Theutonicos nobiles libertatis eccleſiaſticæ zelatores decrevit apud Viterbium pro defenſione patrimonii retinere, qui Romanos de ſua præſumentes virtute, ad ipſius civitatis incidendas vineas, & arbores in gravi multitudine properantes, congreſſu audaciſſimo fugaverunt, non paucis captis, & interfectis utrinque, victoriam tamen, & liberationem patriæ de cælo non ab homine conſecuti. Ii poſtmodum per Urbis confinia uſque ad Campum rotundum, qui ab Urbe decem milliaribus diſtat, diſcurrentes totam Sabinam a Romanis civibus occupatam abſque contradictio-*

Nonnullos Germanos Pont. pro defendendo patrimonio conducit.

Romani ab iis magna ſtrage deleti.



*nis obſtaculo ad Eccleſiæ dominium reduxerunt, Romanis ſic divina animadverſione percuſſis, ut dum alienos terminos quærerent, ſuorum defenſione carerent.* De Gregorio Peruſium profecto, deque Romanis Pontificem apud Viterbium bello petentibus, & circumjacentes regiones flammis vaſtare enitentibus, ac poſtremo fuſis fugatiſque agit etiam Matthæus Pariſius (*a*) confirmatque Richardus (*b*) ſoluta ab Imperatore Raſpampani obſidione Romanos id oppidum muniviſſe, atque inde facta eruptione ad portas Viterbii cum equitatu occurriſſe, ſed cladem maximam a Theutonicis interceptos accepiſſe, partimque cæſos, partim captos, nonnullos tamen Theutonicos in prælio cecidiſſe, cum hoſti deſperatio feciſſet animos, iraſque efferaſſet; hos porro Theutonicos non imperiales fuiſſe certum eſt, ſed ii, de quibus acta meminere.

(*a*) Par. hiſt. Angl. hoc anno. (*b*) Rich. in chron.

Gregorii ad Rothom. archiep. lit. pro impetrandis auxiliis.

VII. Præterea ad conficiendum contra hoſtes exercitum Gregorius tranſalpinos præſules ſolicitavit, ut laboranti Eccleſiæ Romanæ opem afferrent, qua de re ad archiepiſcopum Rothomagenſem epiſtolam ſcripſit (*c*) cujus exemplum infra ſcriptum eſt.

(*c*) Ep. 394.

*Archiepiſcopo Rotomagenſi.*

*Quia filius es Eccleſiæ, non poteſt te non comedere zelus ejus, nec potes opprobria exprobrantium illi, & uſurpantium jura ejus æquanimiter ſuſtinere. Adeo enim in timore divini nominis, & Eccleſiæ dignitatis reverentia te credimus radicatum, ut de te nullatenus dubitemus, quin in ſuis anguſtiis doleas vicem ejus. Sane tacti ſumus dolore cordis intrinſecus pro eo, quod cum Romani eſſe debeant Eccleſiæ filii ſpeciales, degenerantes ex filiis in privignos, adeo ſe indevotos exhibent, & ingratos, ut modica videatur in eis devotionis ſcintilla, vel gratitudinis remanſiſſe. Nam in tantum velut ex adipe prodiit jam iniquitas eorumdem, ut non ſolum ad temporalia, quæ ad eos non pertinent, verum etiam ad ſpiritualia, laicis penitus interdicta, manus temerarias extendentes, omnino libertatem eccleſiaſticam evertere, ac ſubvertere moliantur, & Romanam Eccleſiam matrem ſuam, eccleſiarum omnium ſpeculum, & exemplar modis omnibus ancillare, ut exempli ſui pernicies ſoli provocent univerſos contra univerſalis Eccleſiæ libertatem. Quia vero, etſi grave ſit facinus, tamen cum diu duraverit hujuſmodi perſecutio, gravius eſt exemplum nos alligare quod fractum erat in eis paſtorali diligentia niſi ſumus, & reducere quod abjectum, ſedulis monitionibus apud eos, & crebris exhortationibus laborando.*

VIII. *Sed non fuit eis datum deſuper, quod eorum plaga, pro qua ſananda multo labore ſudavimus, ſalutarem adhuc reciperet medicinam, propter quod in eos cenſuram curavimus eccleſiaſticam exercere. Et quia iniquitates eorum excreverunt in tantum, ut nec Deum timeant, nec cenſuram eccleſiaſticam vereantur, te ac alios Eccleſiæ filios, & devotos, in quorum ipſi publica detrimenta graſſantur, in eorum ultionem, licet inviti, compellimur excitare fraternitatem tuam affectuoſe rogantes, & hortantes attente per apoſtolica tibi ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes quatenus prudenter attendens, cujus ſit cauſa, quæ agitur, cum ſit publica non privata, non ſit propria ſed communis, in qua tanto fortius te oportet in adjutorium noſtrum exurgere, quanto per hoc non tam ſpecialiter aliquos, quam generaliter univerſos intendimus defenſare, congruum bellatorum, ſeu ſtipendiariorum ſubſidium nobis impendas, tam liberaliter quam libenter, ita quod tuis, & aliorum fulti ſubſidiis taliter auctore domino adverſam ſuperbiam reprimamus, quod alii adverſus Deum, & Eccleſiam ſe de cætero non extollant, & Eccleſiæ filii debita gaudeant libertate; noſque ſinceritatem tuam ex affectu & effectu liberalitatis exhibitæ plenius cognoſcentes in Chriſti viſceribus te charius amplexemur. Dat. Peruſii non. decemb. ann.* VIII.

Ad elicienda e Galliis contra Romanos auxilia cæteris archiepiſcopis ſcripſiſſe e regeſto pontificio (*d*) patet, ubi illorum nomina ſigillatim recenſentur: eodemque exemplo ad Hiſpaniarum archiepiſcopos, atque ad Luſitaniæ, Aragoniæ, Navarræ, & Caſtellæ Reges, Ferrandum infantem, comites Roſſilionis, & Barcinonæ, & ducem Auſtriæ in Germania literas miſit. Ac ſane confecta ab ijs pecuniarum ſubſidia ad belli tolerandos ſumptus Gregorii vitæ auctor tradit hiſce verbis: *Ut multiplicatis viribus eorum colla veſtigio premeret graviori, ultramontanis prælatis omnibus pro ſtipendiis congregandæ militiæ pecuniam ſubventionis indixit, quæ cum jam conſummato negotio non opportuna veniret, eadem liberalitate, qua Eccleſiæ nuntio ſoluta extitit, eſt ſolventibus totaliter reſtituta.* IX.

(*d*) Reg. poſt eand. ep.

X. De ſopitis hiſce tumultibus agit Richardus anno ſequenti. Antequam vero illi palam erumperent Gregorius imminentem tempeſtatem præſagiens, ac Romanorum animos ad rebellionem inclinare videns, ad diſcutienda illorum conſilia, qui pontificium imperium evertere moliebantur, ut in ruinis Eccleſiæ novam rempublicam excitarent, conſtitutionem apoſtolicam edidit (*e*) qua ſanxit nulla ditionis pontificiæ loca alienari poſſe, pluraque ipſorum nomina expreſſit, ut illa affectantium cupiditatem extingueret: *Sane felicis recordationis Symmachus Pa-*

Renovata a Gregorio Symmachi conſtitutio de non abalienandis Eccleſiæ bonis.

(*e*) Lib. 7. ep. 469. extat in bullario.

*Papa volens quodammodo legi ſubiicere poteſtatem, in Eccleſiæ prædiis alienandi licentiam interdixit, ut quod licere non expedit, licitum non putetur. Nos autem ſuper hoc illius veſtigiis inhærentes, unanimi fratrum deſiderio, & petitione concordi, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut de patrimonialibus ſine communi fratrum conſilio, & aſſenſu alienatio nulla fiat, ſitque uni facultas, quod ex cauſa legitima obſtaculum liberæ contradictionis opponat. Quod ſi forte fuerit in alienatione proceſſum, factum ipſo jure non teneat per ſucceſſorem, quatenus prædeceſſor de facto proceſſerit, & eo ipſo quod proceſſum ſic fuerit revocandum, de alienantis vita conſentientium numero, & ſolemnitate ſcripturæ nullum adminiculum tali ſuſcipiente contractu.* Longam adiicit nominum locorum, & caſtrorum ſeriem, quæ ſingulari titulo abalienari vetat, ac prætermiſſa ſunt a nobis, cum in bullario omnium oculis pateant: *Dat. Lat.* XVII. *kal. feb. anno* VII.

XI.
Lucani Eccleſiæ Carfagnianam reſtituunt.

Pari conſtantia Lucanos ad reſtituendam Eccleſiæ Carfagnianam, quam invaſerant, compulit, ac reverſos ad officium, & cenſuris, quibus defixi diu fuerant, liberari flagitantes, in gratiam benigne recepit (*a*), atque ad rem totam conciliandam componendamque Petrum Guaninum (*b*) ſcriptorem miſit. Extant ea de re in libro (*c*) cenſuum prolixiora monumenta coram Petro Lucæ confecta, quibus reipublicæ magiſtratus ad Eccleſiæ excipienda imperia ſe aſtrinxere, arceſque duas præſidiario milite Pontificis nomine muniendas tradidere. Nec Romanæ modo, ſed aliarum etiam eccleſiarum jura defendit Gregorius: cum enim Aretini leges eccleſiaſticæ libertati adverſas tuliſſent, reſcindi ipſas juſſit (*d*); Cortonenſeſque Aretini epiſcopi imperia detrectantes anathemate perculit. (*e*).

(*a*) *Lib.* 8. *ep.* 96.
(*b*) *Ib. ep.* 144.
(*c*) *Lib. cenſ. Vat. bibl.*
(*d*) *Greg. l.* 7. *ep.* 448.
(*e*) *Ibid. ep.* 449.

XII.
Bellovac. epiſc. jura defendenda ſuſcipit Greg.

Eodem tuendorum jurium eccleſiaſticorum zelo Pontifex ſuſceptam Bellovacenſis epiſcopi cauſam, qui Bellovaci dominio ab Rege Francorum deturbatus fuerat, eſt perſecutus. Quo argumento tum ad Reginam Blancam, tum ad Ludovicum ſcriptis literis (*f*) regium animum ad reſtituendam illi priſtinam urbis ditionem propoſito majorum eximio erga eccleſias ſtudio flectere ſtuduit.

(*f*) *Lib.* 8. *ep.* 19.

*Gregorius, &c.*

Illius de ea re ad D. Lud. lit.

*Sicut narraverunt patres noſtri, & per nos ipſos cognovimus, inclytæ recordationis progenitores tui ſtabilientes & radicantes in devotione Eccleſiæ regnum ſuum, libertatem eccleſiaſticam, inter alios catholicos principes fuerunt ferventius amplexati, & tam per eos, qui zelo divinæ legis inducti partes tranſmarinas pro vindicanda injuria crucifixi perſonaliter adierunt, quam per regni prædicti ſubſidium non modicus Chriſtianitati fructus provenit in partibus ſupradictis, & in Imperio Romaniæ. Claræ memoriæ quoque pater tuus progenitorum ſuorum inhærendo veſtigiis, ad relevandam fidem, cujus excidium in partibus Albigenſibus eccleſia deplorabat, ter illuc in propria perſona laborans dies ſuos feliciter conſummavit; unde ſperandum eſt, quod eis poſt gloriam, quam ſibi Dominus contulit temporalem, nomen eorum in ſæcula magnificentius extollendo, æternam beatitudinem largiatur. Hæc igitur, & alia præclara illorum merita, nulla labentium temporum oblivio a corde noſtro poterit, * ac a generatione ſequenti memoria tantæ ſinceritatis non decidet; ſed eam poſt nos noſtri recognoſcent, & referent ſucceſſoribus: tibi nimirum dona naturæ, ac gratiæ dignatio divina concedens, ſicut opinio noſtra tenet, ac in deſiderio gerimus, uberius conferet in futurum, cum a tenella ætate munere benedictionis cœleſtis imbutus, & ſicut lilium albeſcentibus foliis, per annos gradiens pubertatis, non minus in devotione, quam regno ſuccedas, prædeceſſores tuos in bonis actibus imitaturus æmulatione laudabili Domino largiente.* Et infra: *Cum omni regno deſiderabilis ſit tranquillitas, qua & populi proficiunt & honor regius cuſtoditur, ad concordiam cum Belvacenſi eccleſia faciendam, animi tui manſuetudinem inclinare procures, per quod miſericordia, quæ tecum coaluit, clarius, & conſpectius eniteſcat. Nos enim dilectum filium magiſtrum P. de Collemedio capellanum noſtrum præpoſitum eccleſiæ S. Audomari, virum notæ probitatis & circumſpectionis expertæ, quem honoris tui zelatorem tibi fidelem novimus, & devotum, & de ſua prudentia, & induſtria plenam habet notitiam celſitudo regalis mediatorem inter te & dictam eccleſiam duximus deputandum, cujus conſiliis acquieſcens, januam benevolentiæ conſuetæ paci clementer aperias, eam & libertatem eccleſiaſticam, quibus regni ſolium plus firmitatis accipit, plus ſplendoris tanquam Rex Chriſtianiſſimus amplectendo, ita quod in te paratum videatur eccleſiis antidotum pietatis, &c. Dat. Later.* VIII. *idus april. pontific. noſtri anno* VIII. Non abſimile ſtudium pro Rothomagenſi archiepiſcopo atque epiſcopo Tornacenſi (*g*) priſtinis juribus reſtituendis applicuit Gregorius.

* abolere.

(*g*) *Lib.* 8. *ep.* 369.

XIII.

Plerumque accidit, ut principum miniſtri, ſive ad illorum colligendam gratiam, ſive ad commoda aliqua ex variis occaſionibus ad ſe derivanda, contra illorum mentem plura tentent, ac facinora ſua officii prætextu colorent; unde fiat ut non levis macula principum famæ & exiſtimationi ex miniſtrorum ſordibus aſpergatur. Quod in S. Ludovici adminiſtris contigiſſe conſpicimus: licet enim

prin



princeps pietate ſpectatiſſimus, ſingulari Eccleſiam cultu ac benevolentia proſequeretur, ab illo tamen præfecti populis magiſtratus, in Albigenſium recens converſorum partibus, regiæ utilitatis, tuendorumque jurium colore, in eccleſias graſſabantur, ac viros eccleſiaſticos graviore jugo attriverant; ut illorum anguſtiis permotus Pontifex, ad S. Regem ſcribere coactus (*a*) ſit, nefarios viros coerceret.

(*a*) *Ib. ep.* 66.

*Gregorius, &c.*

Queritur Gregor. præſules in Narbonenſi Gallia opprimi.

*Mirantes accepimus, & referimus conturbati, quod quidam tui bajuli in prædictis Albigenſium partibus conſtituti eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas, quæ pro ampliando ſtatu fidei favoris tui præſidio deberent aſſidue communiri, graviter in multis offendere non verentur, homines ipſorum talliis & collectis, angariis, & perangariis, & aliis multis exactionibus affligendo, nec non eiſdem hominibus, ſi excedant in aliquo inferendo pœnam, quam ſuggerit propriæ voluntatis arbitrium, ita ut ad ipſorum dominos nullam reverentiam habeant vel reſpectum. Ad feuda etiam, quæ plures clerici, & laici obtinere ab eiſdem eccleſiis dignoſcuntur, manus avidas extendentes, poſſeſſiones, & alia bona eccleſiarum ac hujuſmodi perſonarum tandiu occupata detinent, donec in foro ipſorum ſuas compulſi exerceant actiones. Præterea iidem hujuſmodi moleſtiarum frequentia non contenti, eccleſiarum bona, quibus quondam per Albigenſes ſpoliatæ fuerant, ſuis applicare uſibus moliuntur: compoſitiones, tranſactiones, & donationes factas per dilectum filium nobilem virum comitem Montisfortis, ac ſententias editas per eumdem obſervare renuunt, & jurare pacem juxta Toloſani ſtatuta concilii prætermittunt, plura quæ ſunt de genere pietatis, præconis voce prohibendo fieri, quaſi pepigerint divinam nolle gratiam promereri, eccleſiis quidem offerri primitias, aut decimas, aut ipſis a fidelibus legari aliqua, in extremæ articulo voluntatis, ſive quod eccleſiarum feuda ſine ipſorum licentia & conſenſu recognoſci valeant non permittunt; ad illicita celeres, & in exequendis licitis contumaces, dum excommunicatos vitare negligunt, & ipſorum puniendo contemptui, prout inſtitutum fore dignoſcitur, non intendunt: venerabiles fratres noſtros Biterrenſem, & Agathenſem epiſcopos, quos & vexant calumniis, & turbant frequentibus nocumentis per violentam detentionem caſtrorum, & aliorum bonorum eccleſiarum ſuarum ad illam inconvenientiam deducendo, quod ſuper ipſis de ſtando juri coram te inconſultis eorum capitulis coacti & involuntarii ſuas literas conceſſerunt, quarum occaſione, præter juris ordinem, & conſuetudinem eccleſiarum provinciæ in tua litigare curia compelluntur, venerabilibus fratribus noſtris epiſcopis Narbonenſis provinciæ per te nihilominus in amaritudine conſtitutis, a quibus fidelitatis exigis juramenta, reluctando compoſitiones, vel ordinationes obſervare, quas legati ſedis Apoſtolicæ, ac bajuli tui ſuper quibuſdam querelis, & pacis negotio deliberatione provida ſtatuerunt, &c.* proſequitur plura alia graviora onera ab ejus adminiſtris impreſſa eccleſiis exponere, rogatque, virum inſtructum auctoritate mittat, ut una cum archiepiſcopo Viennenſi A. S. L. controverſias, quæ inter prælatos regiumque fiſcum vertuntur, definiat. *Dat. Later.* VI. *non. maii anno* VIII. Ejuſdem argumenti literas ad ipſum paucis poſt diebus exaravit (*b*) quem etiam & ejus conſiliarios cæteroſque Galliarum optimates ad id impellere juſſit (*c*).

(*b*) *Ep.* 72.
(*c*) *Ep.* 67. 75.

XIV.
Illius in abolendis Albig. reliquiis ſtudium.

Quod ad Albigenſes attinet; conſtituerat (*d*) Gregorius ad excindendas mali fibras, legatum ſedis Apoſtolicæ, archiepiſcopum Viennenſem, cui pro fide catholica laboranti, Lugdunenſem, Bituricenſem & alios Galliarum epiſcopos (*e*) Regem Aragonum (*f*) & Montisfortis comitem (*g*) præſto eſſe juſſit, eidemque archiepiſcopo Viennenſi inquirendi in epiſcopum Arauſicanum multis criminibus irretitum (*h*) provinciam injunxit: tum ut in hæreticos, qui in Toloſano comitatu deliteſcebant, legum ſeveritatem diſtringeret (*i*); inquireret, an Raymundus ſenior pœnitentiæ Chriſtianæ ſigna moriturus edidiſſet, ut ſepulturæ eccleſiaſticæ ipſius corpus mandaretur, ejuſque filio in gratiam Eccleſiæ recepto, benevolentiam ſuam explicaret: Raymundum vero juniorem ad delendos hæreticos operam contuliſſe anno ſuperiori inſinuavimus, tum Pontificiæ literæ, quibus zelum in ea profliganda peſte commendat, legeſque ab ipſo ſuperius a nobis adductas confirmavit, tum a Regina Blanca (*k*) ac S. Ludovico ad Pontificem exaratæ, (*l*) quibus ab eo contendere, ut ſitas in Romano Imperio ultra Rhodanum terras illi jam ſtrenue pro fide dimicanti reſtitui juberet.

(*d*) *Ep.* 73.
(*e*) *Ep.* 69. 71. 76.
(*f*) *Ep.* 70.
(*g*) *Ep.* 77.
(*h*) *Lib.* 7. *ep.* 463.
(*i*) *Ib. ep.* 324.
(*k*) *Ib. ep.* 336. & *l.* 7. *ep.* 471.
(*l*) *Ib. ep.* 113.

XV.
Raymundi zelus ad eos excindendos commendatur.

*Sanctiſſimo patri in Domino, Gregorio Dei gratia ſummo Pontifici, Ludovicus eadem gratia Francorum Rex ſalutem & reverentiam in Domino tam debitam, quam devotam.*

Pontificem rogat S. Lud. ut ditio in Rom. Imp. ſita Raymundo reſtituatur.

*Super terra, quam ultra Rhodanum in partibus Imperii per voluntatem veſtram tempore aliquo in manu noſtra tenuimus, & cuſtodivimus, cum conſilio noſtro deliberatione habita, paternitatem veſtram alias recolimus rogaviſſe, ut terram illam dilecto & fideli conſanguineo noſtro Raymundo comiti Toloſano reſtitui faceretis, qui terram illam & anteceſſores ejus etiam poſſederunt temporibus retroactis, conſi-*

*den-*

*dentes quod per hoc multum allici debeat ad ſervandam pacem Eccleſiæ in partibus illis, & ad ſervitium nobis devotius exhibendum: ad quod præcipue nos inducit, quod jam dictus comes heredem non habet niſi unicam filiam, quæ chariſſimo fratri noſtro ex diſpenſatione veſtra matrimonialiter eſt copulanda; propter quod gratiam iſtam tanquam ad nos & noſtros petimus proventuram. Idcirco benignitatem veſtram conſilium habuimus iterum depoſcendi, ut prædictam terram obtentu devotionis, quam ſperamus ex hoc concedente Domino ſequuturam, reſtituere velitis comiti ſæpedicto, attendentes etiam quod, ſicut ex prælatorum illarum partium didicimus teſtimonio, in hæreticis perquirendis & perquiſitis ad honorem Dei & S. Eccleſiæ puniendis vigilanter ſe habuit, fideliter & devote; unde nobis & conſilio noſtro bonum & utile videtur talem ei fieri gratiam, quo Deo & Eccleſiæ fiat devotior ex devoto; paternitatem veſtram etiam ex affectu rogantes ut jam dictum comitem in ſuis aliis juſtis petitionibus amore noſtro velitis benigne & favorabiliter exaudire. Dat. apud Loiriacum in craſtino S. Gregorii.* [1]

XVI. Flagitat ut canonica impedimenta contrahendi cum Margareta matr. convellat. (a) Lib. 7. ep. 441.

Pubeſcebat tum Ludovicus ad ingentes ſpes, nec dubiam ſui expectationem futurum Eccleſiæ ſtrenuiſſimum defenſorem atque ornamentum apud omnes concitabat; cui adeo Gregorius oratorum opera flagitanti, ut contrahendi cum Margareta comitis Provinciæ filia matrimonii canonicum impedimentum diſſolveretur, dato hoc diplomate annuit (a).

*Ludovico illuſtri Regi Francorum.*

*Dixiſſe Petro Dominus: Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, ſolutum erit & in cœlis; ac ei claves legitur tradidiſſe, in altera dans ſcientiam diſcernendi, & in altera plenitudinem poteſtatis, ne vel poteſtas crudelis exiſteret, ſi non eſſet diſcretionis ſale condita, vel diſcretio eſſet inutilis, ſi non poteſtatis ſubſidio fulciretur, quatenus & poteſtativa diſcretio, & poteſtas nihilominus ſit diſcreta. Unde Rom. Pontifex, qui claves in B. Petro diſcretionis, & poteſtatis accepit, nunc manſuetudine utitur, nunc rigore, conſideratis circumſtantiis univerſis neutrum in altero derelinquens, & interdum flectit per manſuetudinem, ſic rigorem, quod non diſſolvitur ejus nervus, ſed prudenter attendit non ſolum perſonas ſed cauſas; cum quibus videlicet, & ex quibus diſpenſare diſponit, ne forte ſic diſpenſet ne diſſipet, immo ne diſſipet ſic diſpenſet; ne propter manſuetudinem ſubvertatur veritas, neque manſuetudo propter juſtitiam perimatur, ut miſericordia, & veritas ſibi obvient, & ſe pax, & juſtitia oſculentur. Cum itaque de matrimonio contrahendo inter te, & dilectam filiam nobilem mulierem ... natam dilecti filii nobilis viri comitis Provinciæ ſit tractatum; qua dicta nobilis quarta conſanguinitatis linea te contingit, non prius duxiſti ad conſummationem ipſius matrimonii procedendum, quam ſuper hoc ad Rom. recurreres Eccleſiam matrem tuam, nobis per nuntios humiliter ſupplicans, ut cum nihil magis ad conſervationem illius terræ, pro qua tantus ſanguis effuſus eſt, operetur, ſalubre conſilium apponere dignaremur. Licet igitur nihil aliud amplius, quam neceſſitas diſpenſantem ad diſpenſationem inducat; attendentes tamen quod urgens neceſſitas, & evidens utilitas id expoſcit, cum ex hoc negotium pacis & fidei, pro quo multo ſudore laboratum eſt, & multo labore ſudatum proficeret, ac terra prædicta, quæ olim, velut deſerta, & invia luxit, & languit, ſpinis eam replentibus & urticis, & nunc a ſuis reſpiraſſe videtur anguſtiis, de cujus recidivo timetur, melius valeat conſervari, cum fratribus noſtris deliberatione habita diligenti, de ipſorum conſilio ſerenitati regiæ auctoritate præſentium concedimus, diſponendo ut cum dicta nobili, ſi velis, contrahere valeas, impedimento hujuſmodi non obſtante. Datum Later.* IV. *non. januar. anno* VII.

XVII. S. Lud. nuptias celebrat.

Expurgata quidem fuit hæreſeos labe Provincia, non tamen ad Regem Ludovicum, ſed Carolum ipſius fratrem, qui Beatricem comitis natu minimam filiam



NOTÆ [1] Literæ regis, ac reginæ Gallorum, quibus pontificem rogabant ut integram ditionem ſuam Raymundo comiti reſtitueret; tum & reddita illis a Gregorio reſponſio ad annum 1232. referendæ ſunt. Id enim exigit ſubſcriptio earumdem epiſtolarum, quæ integræ in ſpicilegio Dacherii to. III. nov. edit. pag. 604. &c. leguntur. Conſignantur enim Reate IV. non. martii pontificatus Gregorii anno V. Regem tamen ac reginam ad Gregorium bis ea de re ſcripſiſſe puto; ſemel quidem anno 1232. iterum vero anno 1234. Legendæ ſunt pariter in eodem ſpicilegio literæ Gregorii ſcriptæ Anagniæ XIV Kal. octobris pontificatus ejuſdem anno IV. ideſt anno 1230. quibus Petrum de Collemedio mandatis onerat, ut inquirat an Raymundus Toloſani comitis pater ex hac vita deceſſurus ſigna pœnitudinis exhibuerit. Quanquam tamen hoc pariter anno eamdem provinciam impoſitam fuiſſe Vienneníi archiepiſcopo, non abnuo, cum in regiſtro Gregorii hujus anni literæ ea de re extent, quas Annaliſta hic laudat. MANSI



Miſſus a Gregor. Prov. comes pro conciliandis Franc. & Arag. Regibus. (a) Nang. de geſt. S. Ludov. Reg.

uxorem duxit, illius ditio devoluta eſt: ex quo magnæ poſtea lites, Margareta ſibi ut natu maximæ debitam paternam hereditatem contendente, exarſerunt: de quibus ſuis locis. S. Ludovicum porro nuptias hoc anno cum Margareta comitis Provinciæ filia natu maxima celebraſſe, tradit ejus geſtorum auctor cum aliis Nangius, (a) qui ipſam ob præclaras animi dotes celebrat: tum ejus patrem laudibus effert; illum Surita Raymundum Berengarium vocat, meminitque initi a Ludovico cum Margareta matrimonii, ac tum S. Regem e matris tutela exiiſſe, & liberas regni habenas capeſſiviſſe ait, colligitque (b) conjectura eam ob cauſam Jacobum Aragoniæ Regem Montempeſſulanum contendiſſe: ſed ex pontificiis literis Aragonium belli conſilia pro Carcaſſona nonnulliſque aliis locis ſuæ ditioni adiiciendis meditantem eo profectum conſtat, cujus belli cum inter eos Reges inflammandi metus impenderet, ad illud diſcutiendum Pontifex converſis curis Provinciæ comitem S. Ludovici ſocerum, utrumque adire Regem, atque ad pacem conciliandam, ac ſopiendam litem exortam antequam gravius ſerperet, operam dare juſſit (c): *Cum ſicut eſt nobis pro certo relatum, inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros Franciæ, & Aragonum Reges illuſtres ſuper dominio terræ Carcaſſonenſis, & aliarum terrarum vicinarum, diſcordiæ materia ſit exorta, & ex hoc majora emergere guerrarum pericula formidentur, nobilitatem tuam rogandam duximus attente & monendam, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram perſonaliter ad præfatos Reges accedens, ipſorum animos ad pacem reducere, & ortam inter eos diſcordiam, juxta datam tibi a Domino prudentiam, amicabili ſtudeas compoſitione ſopire. Cæterum ſi forte, quod avertat Dominus, inter eos concordia nequeat reformari, tu nobis ſingulas negotii circumſtantias exponere, & regias voluntates tuis non differas literis intimare, &c. Datum Spoleti* III. *kal. ſept.* At Provinciæ comitem operam feliciter in ea controverſia extinguenda collocaſſe rei exitus docet, cum ii motus in apertum bellum non eruperint. [1]

(b) Surit. l. 3. c. 19.

(c) Lib. 8. ep. 213.

Diriminitur benevole controverſia.

XVIII. (d) Greg. l. 7 ep. 545.

Ludovicum præterea Gregorius ad pacis fœdera cum Anglo ineunda invitavit, (d) rogavitque ut donec firma pax inter ipſos coaleſcere poſſet, inducias in triennium produceret, cum id maxime Terræ ſanctæ rebus conduceret: *Serenitati tuæ ſcripta noſtra direximus, ut ad Deum habens cum omni devotione reſpectum, qui cum ei placuerit, aſpera in plana, & prava dirigit in directa, cogitare incipiens vias pacis, in qua ſublimabit Dominus regnum tuum, cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Rege Angliæ inire concordiam procurares, ad quam intendebamus, & intendimus efficaciter interponere partes noſtras. Quia vero cordi noſtro eſt hoc negotium, firmiterque ſperamus, quod dum attenderis ſincerum exhortationis affectum, monitionibus noſtris, quas dilectionis integritas & circumſpectionis ratio comitantur, ſicut devotionis filius humiliter acquieſces, celſitudinem regiam, ſicut iterum, ſic attentius rogandam duximus & hortandam, quatenus ad eum, qui eſt pax noſtra, converſus cum Rege prædicto concordiam reformare procures. Et quia ſine treugarum interpoſitione non poſſent commode pacis fœdera procurari, eas, ſuper quibus & prædicto Regi ſcripta noſtra dirigimus, uſque ad triennium ſtudeas prorogare. Datum Later.* II. *id. februar. anno* VII.

Incumbit Francis Angliſque ad pacem adducendis.

XIX. (e) Pariſ. hiſt. Angl. ann. 1233. & 1234. Laborat inteſtinis diſcordiis Anglia. (f) Greg l. 7. ep. 547. 568. & l. 8. ep. 9. 23.

Adductas tum in grave diſcrimen Henrici res ſcribit Pariſius, (e) cum atrox civilis belli procella in Anglia inhorruiſſet, ad quam diſcutiendam Pontifex omni ſtudio incubuit, literiſque Petrum Wintonienſem, B. Edmundum Cantuarienſem, Dunelmenſem, Roffenſem, Elienſem præſules ac nonnullos alios (f) conciliandæ concordiæ operam navare præcepit: cujus belli faces imprudentia ſua accendiſſe efferaſſeque in ſe Anglorum animos ſcribit memoratus auctor, cum exteros, nimirum Pictavenſes, depulſis aliis, muneribus publicis præfeciſſet. Commendat vero ejuſdem Henrici clementiam, qui cum Richardum comitem hoſtem infenſiſſimum in Hibernia cæſum audiſſet, ejus necem lacrymis eſt proſecutus, ac pro illius anima divina myſteria celebrari, atque eleemoſynas in pauperes liberaliter effundi imperavit.

XX. Revocat Henr. ab exilio Hubertum Cantiæ comitem.

Eodem Henricus benignitatis exemplo plures ab exilio revocavit, atque in gratiam deletis ex animo prioribus injuriis adſcivit, interque cæteros Hubertum Cantiæ comitem, qui accepti beneficii gaudio delibutus in has voces erupit: O *Jeſu Salvator crucifixe, quem cruentatis in cruce vulneribus aliquando conſpexi, & in craſtino ſecundum admonitum tuæ peperci effigiei, eandem venerando nunc mihi*



NOTÆ [1] Totum hunc paragraphum ita legas in annalibus contractis: *Præterire hoc loco non poſſumus ſilentio, (a) Gregorium archiepiſcopis, & epiſcopis Galliarum dediſſe imperia, ne patere ulla proſtibula paterentur, in quibus ludo, & commeſſationi, ac licentiæ apertus erat campus, blaſphemæ fundebantur voces, ac funeſta fiebant animarum ſuffragia; & ædium dominos, qui eas meretriculis locabant cenſuris eccleſiaſticis percelli juſſos.* MANSI

(a) Greg. IX. l. 8. ep. 235.

*veſtra gratia tempore opportuno gratam rependiſti viciſſitudinem*. Ad quæ illuſtranda verba, refert Pariſius, (*a*) ardente ſub Joanne Rege civili bello Anglia, noctu Chriſtum e cruce pendentem ſeſe Huberto videndum obtuliſſe, monuiſſeque, ut ea ſpecie ipſius auxilium imploraturo opera non deeſſet. Sequenti vero die cum miles furibundus in Eccleſiam ad eam ſpoliandam irrupiſſet, ſacerdos correpta Crucifixi effigie in lacrymas effuſus comiti occurrit, obteſtans ut eccleſiam a direptione atque excidio vindicaret. Quo ſpectaculo emollitus, ac veneratus ſacram imaginem, milites ſacrilegos omnia, quæ eccleſiæ eripuerant, reſtituere coegit: ob quod pium facinus Hubertus in Regis gratiam admitti meruiſſe arbitrabatur. Divinam porro opem Henrico ob eam in ſuos hoſtes manſuetudinem, ac liberalitatem in pauperes non defuiſſe indicat celebratum Leolini principis Northwalliæ dictum: Plus timeo eleemoſynas Regis, quam totam ejus militiam; adeo potentius expanſæ ad cœlum pauperum, quam militum ferro armatæ manus hoſtes ſæpe attrivere.

(*a*) *Par. hoc ann.*

Acceptum beneficium attribuit Hubertus divinæ providentiæ.

XXI. Celebre dictum Leolini de Henrici eleemoſynis.

At ſi numen hæc præmia in beneficum principem contulit, non minus in avaros hoc ipſo anno, qui rei frumentariæ inopia laboravit, cœleſtis indignationis formidanda exempla explicuit, ut mortales a fœdiſſimo avaritiæ, quæ ex Apoſtoli ſententia idolorum ſervitus eſt, vitio deterreantur. Inter quæ Walteri epiſcopi avari hominis, inſigne fuit, qui cum frumenti copiam ingentem, pauperibus fame pereuntibus, condidiſſet, tanta bufonum ac ſerpentum vis ex ſegetibus male ſervatis emerſit, ut faces ac flammæ iniiciendæ fuerint. Neque abſimile cujuſdam presbyteri exemplum, qui cum olim ſeſe dæmoni ad opes cumulandas addixiſſet, ac moriturus male partas divitias vimque frumenti nonnullis abbatibus reliquiſſet, abeuntibus ad frumentum colligendum dæmon ægrotantis ſpecie ſeſe objecit, juſſitque eos procul faceſſere, cum is presbyter ſeſe ipſius imperiis mancipaſſet. Quibus moribundo perlatis, is ad divinam miſericordiam confugiens, ita eam inflexit, ut vitam etiam ad ſeveriorem agendam pœnitentiam a Deo obtineret. Addit Pariſius exemplum cœleſtis iræ in eos effuſæ, qui indignati fuerant pauperes ſegetum ſpicas ad levandam famem vellere, ac manibus attritas devorare.

Divina in avarum ep. vindicta.

Dæmoni vænundatus æger ob factas viris piis largitiones ad pœnitentiam revocatur.

XXII. Cœleſtis ultio in eos qui erga pauperes immiſericordes extiterant.

*Licet in ſupraſcriptis duobus capitulis ſit evidenter expreſſum, in quantum avaritiæ vitium omnibus Chriſtianis deteſtandum exiſtat, adiiciam adhuc & tertiam ad audientium ædificationem, ne res tam memorabilis dierum vetuſtate ab humana memoria deleatur. Cum hic annus, de quo diximus, pauperibus graviſſimus uſque ad julium menſem proceſſiſſet, illi, quos diutina fames afflixerat, ad agros frugiferos proruunt catervatim, ubi frugum ſpicas, licet non maturas, carpentes, & manibus tremulis confricantes miſeram vitam, quæ vix eorum pectoribus palpitabat, protrahere ſatagebant. Sed ruſtici quarundam villarum, qui ex avaritia inopiam ſemper habent ſuſpectam, per agros ſuos tranſeuntes, cum hoc pium & miſerabile furtum deprehendiſſent, perturbati ſunt valde. Unde contigit quod homines villæ, quæ dicitur Alboldeſlea in Cantebrugenſi provincia ſita, cum ſequenti die dominica, quæ tunc fuit* XVII. *kal. aug. ad eccleſiam conveniſſent, presbyterum tumultuoſis clamoribus rogabant, ut in continenti omnes illos, qui ſpicas in agro carpentes bladum furati fuerant, anathematis ſententia innodaret. Et cum ad hoc ruſtici omnes vehementer inſtarent, vir quidam ex eadem villa religioſus & pius, cum videret presbyterum ad ferendum ſententiam paratum, ſurrexit, & ex parte Dei omnipotentis & ſanctorum omnium presbyterum adjuravit, ut ipſum & omnes, quas habuit in campo fruges, ab illa ſententia ſequeſtraret. Addidit etiam quod bene placuit ſibi quicquid pauperes inedia compulſi de ſuis ceperant frugibus, & quod reſiduum erat Domino commendavit.*

XXIII. *Quid ergo? inſtantibus pertinaciter cæteris in ſtulto propoſito ſuo, cum presbyter compulſus ferre ſententiam inchoaſſet, tanta ſubito exorta eſt in aere tempeſtas, tonitrui ſcilicet ac fulminis concuſſio ventorum, ac turbinum conflatio, pluviarum ac grandinum inundatio, quod quaſi in momento turbine, & flatu diabolico agitata fruges in agris, armenta cum arboribus, ac cæteris quibuſque creſcentibus & avibus in campis ita opprimendo contrivit, quod velut in curribus & in equis conculcata, & in terram comminuta videbantur. Et quod admiratione dignum erat, nec porci, nec aves, nec aliquod genus animalis ſpicas, vel grana licet matura eſſent, voluerunt urgente tamen fame guſtare. Viſi ſunt autem in aere, ingruente eadem tempeſtate, angeli ſathanæ in modum nigrorum ſatyrorum volitantes, & per agros curſitantes, qui aereæ poteſtates credebantur, quibus conceſſum terræ & fructibus nocere fuerat, aerem perturbantes. Sed cum juſtis & piis ſtabilis ſemper ſit inventa benignitas, vir ille ſimplex & juſtus, cum peracta tempeſtate omnibus vicinis ſuis nimis damnoſa viſitare pergeret agros ſuos, invenit prædia ſua & jugera, licet terris aliorum permixta, ita ab omni tempeſtate intacta & illæſa, ut nullum in eis læſionis veſtigium appareret; unde omni luce clarius conſtat, quod ſicut Deo gloria in excelſis canitur ab angelis, ita*

Divina erga virum miſericordem providentia.





*& in terra pax eſt hominibus bonæ voluntatis. Inchoavit autem hæc tempeſtas in finibus Bedefordiæ & ſic per inſulam Elienſem, & Horthfole ad orientem tendens in mare deſcendit.*

XXIV. Hoc anno Gregorius B. Dominicum Prædicatorum familiæ conditorem, ſanctitate ac miraculis toto orbe clariſſimum, cœlitum catalogo adſcripſit; qua de re in apoſtolico regeſto (*a*) extant literæ ad cunctos eccleſiarum præſules datæ, e quibus hæc ad incendendum ad ſanctiſſimi viri cultum pium lectorem decerpenda viſa ſunt.

B. Dominicus SS. catalogo adiicitur.

(*a*) *Lib.* 8. *ep.* 142.

*Gregorius, &c.*

*Gerens a pueritia cor ſenile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitæ requiſivit auctorem, & Deo deditus ac in Nazaræum ſub B. Auguſtini regula conſecratus, ſedulum circa ſancta, Samuelis imitatus obſequium in caſtigatione deſiderii piiſſimum Danielis continuavit affectum, juſtitiæ ſemitas, & ſanctorum vias ſtrenuus athleta cuſtodiens, & velut ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis Eccleſiæ magiſterio ac miniſterio non diſcedens, carnem ſpiritui, & ſenſualitatem ſubiiciens rationi; & factus unus cum Deo ſpiritus, totus in eum per exceſſum mentis pergere ſtuduit, & ſobriæ compaſſionis ſtudiis a charitate proximi non receſſit. Quo ſagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum ſecta contremuit, omnis Eccleſia fidelium exultavit. Ætate creſcente, crevit & gratia: quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum ad eloquia Dei dedit animum, & per evangelium Chriſti multos generans, in converſione tam ſtrenuæ multitudinis evangelicæ dignitatis officium profitentis, nomen & opus in terra meruit obtinere, majorum paſtor, & dux inclytus in populo Dei factus: novum Prædicatorum ordinem inſtituit meritis, ordinavit exemplis, nec miraculis confirmare deſiit evidentibus & probatis. Nam præter opera ſanctitatis, & ſigna virtutis, quibus in carne poſitus claruit, diverſorum curatis langoribus, loquela mutis, viſu cæcis, ſurdis auditu, greſſu paralyticis, & ſanitate priſtina multarum generibus invalitudinum reſtitutis, aperte patuit, qualis ſpiritus in ejuſdem ſanctiſſimi gleba corporis habitavit.*

XXV. *Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiſcum in minori conſtitutis officio habuit, argumenta ſanctitatis ipſius ex inſignis vitæ teſtimonio conſtitiſſent, eſſetque poſtmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per teſtes idoneos plena fides; nos cum commiſſo nobis grege Domini confidentes ejus poſſe ſuffragiis per Dei miſericordiam adjuvari, ut cujus in terris ſolatium gratioſæ familiaritatis habere meruimus, ejus in cœlis potenti patrocinio gaudeamus, ipſum de fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac omnium tunc apud ſedem Apoſtolicam conſiſtentium prælatorum, catalogo ſanctorum adſcribi decrevimus, ſtatuentes firmiter, ac univerſitati veſtræ præſentibus injungentes, ut non. auguſti ante diem, quo poſita carnis ſarcina dives meritis penetravit in ſancta ſimilis ſanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari, &c. Dat. Reate v. nonas julii anno* VIII. Ex quibus corrigendus videtur Gregorii IX. vitæ anonymus auctor, qui relatum inter ſanctos ante hunc annum aſſerit, memoria forte lapſus quod cum partem ſexti etiam ſui pontificatus anni Reate egerit, id tum ab ipſo geſtum exiſtimarit.

XXVI. Neque ſilentio prætereundum videtur, non vulgari a divina providentia affectum munere Gregorium, cum ſanctiſſimorum virorum, qui illius ſæculi clariſſima lumina extitere, ut Dominici, Franciſci, Antonii dicti Patavini, familiari conſuetudine eſt potitus; quibus annumerandus S. Raymundus Penniafortius e Prædicatorum familia, capellanus ipſius ac pœnitentiarius, vir ſacris literis egregie excultus, ac divini & humani juris conſultiſſimus, cujus opera decretales Romanorum Pontificum litteras, variis conſiliis atque libris ſparſas, in volumen unum pluribus additis collegit, quæ Gregorius hoc anno promulgavit, & in judiciis ſervari, ac in gymnaſiis publice doceri juſſit; (*b*) [1] quo argumento extant ad Pariſienſis academiæ doctores non. ſept. hujus anni Spoleti exaratæ: ad quam urbem, Reate diſcedens, ſe contulerat, ut cum Friderico Imperatore, ac præſulibus de comparando in Sarracenos bello conſilia agitaret (*c*).

Greg. opera S. Raym. Penniafor. decretales conficit.

(*b*) *Greg. l.* 8. *ep.* 218.

(*c*) *Ib. ep.* 183.

XXVII. Indixiſſe Gregorium Spoleti univerſo orbi Chriſtiano ſacram adverſus infideles



NOTÆ [1] HOc anno editæ ſunt celebres Gregorii IX. decretales, ſeu libri V. decretalium, qui juris canonici modo obtinentis non minimam partem conficiunt. Qua die utiliſſimus iſte liber prodierit non ſatis definitum eſt, ſed anonymus Erfordienſis adnotat *circa feſtum S. Michaelis novum illud decretalium corpus veteribus reprobatis a Gregorio autenticatum*, ideſt auẗhoritate ſua munitum *fuit*. Quid ſint veteres illæ decretalium collectiones modo diligentius explicandum eſt. Ne vero moremur vetuſtiſſimas canonum collectiones, de quibus conſulendus eſt Doujat (in prænot. canon. lib. IV. cap. 16.) Non longe ab his temporibus Innocentius III. collectionem ſuam edidit 12. priorum annorum ſuorum epiſtolas complectentem. Hanc tamen

Aſiaticos expeditionem tradit vitæ pontificiæ ſcriptor his verbis (*a*): *Ibidem primo crucis verbum in Terræ ſanctæ ſubſidium in majori platea civitatis, utriuſque ſexus populo congregato, lacrymabiliter & devote proponens, eorum turbam non modicam cum lacrymarum profluvio crucis charactere inſignivit, per mundi climata crucis prædicatoribus paſſim deſtinatis*. Illum porro magna conſilii maturitate crucis ſigna ad recuperanda alia ab infidelibus occupata loca attollenda deliberaſſe, atque antiſtitum conventum, cui patriarchæ Conſtantinopolitanus, Antiochenus, atque Hieroſolymitanus una cum Imperatore armorum potentiam vertere in Sarracenos ſpondente interfuerunt, coegiſſe teſtatur Pontifex in literis ad Syros ſcriptis (*b*).

(*a*) *Auct. anonym. vit. Greg.*

Celebrata Spoleti ſynodus. Promulgata adverſ. infideles ſacra expeditio.

(*b*) *Ep.* 183. *ep.* 304.

XXVIII. Pellicere ſane anno ſuperiori apoſtolicis literis ad Chriſti cultum Sultanum Damaſcenum, Caliphium Baldacenſem, ac Miramamolinum Africanum pertentarat: ſed cum eorum duritia non verbis, ſed ferro perrumpenda videretur, ad glorioſiſſimum, & arduum opus Chriſtianos principes, atque inter cæteros S. Ludovicum his literis provocavit.

De ea ad S. Lud. lit.

*Gregorius, &c.*

*Zelus Domini exercituum, de tanto diſcrimine, quod adverſus Terram ſanctam noſtris temporibus accidit, anxie cogitantes vehementiſſime nos affligit, propter quod ad vindicandas ejus injurias tam atroces ex intimis medullis animi provocamur*. O *quantum Chriſtianorum dedecus, quod ille Rex regum, qui fecit omnia & ea, quæ cœli ambitu continentur, pro noſtris facinoribus a propria ſede pulſus, terram illam amiſit, quæ funiculus hereditatis ſuæ dicitur, quam non corruptibilibus auro, & argento, ſed ſuo pretioſo ſanguine comparavit!* O *quantum opprobrium univerſis, qui ſub Chriſto principe gloriantur, quod princeps noſter amiſit ſui terreni gloriam principatus, & ſuæ terram nativitatis, in qua corporaliter viſus eſt, cum hominibus converſatus, & in qua univerſa redemptionis noſtræ ſacramenta patravit! In ea enim fuit conceptus, & natus, nutritus, & baptizatus, captus, & alligatus, irriſus, & exprobratus, cæſus, & flagellatus, crucifixus, & lanceatus, mortuus, & ſepultus, ſuſcitatus, & tandem ad Patris dexteram exaltatus. Quis autem adeo duri cordis, & obſtinatæ mentis exiſtat, qui non in fletum erumpat, & non in lacrymas reſolvatur? Illud diebus iſtis audiens innovatum, quod olim Propheta lacrymoſis vocibus deplorabat: Deus inquiens, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.* O *quantum progenitores tui pro illius terræ ſubſidio laborarunt, quot pro recuperatione ipſius expenſas, quot labores, & pericula ſubierunt! Non ne claræ memoriæ pater tuus pro fide catholica, immo in defenſione fidei diem clauſit extremum?*

XXIX. *Tuum ergo expetit, & expectat auxilium negotium Jeſu Chriſti, & expertam domus tuæ potentiam, quaſi jure ſucceſſorio deſiderat Terra ſancta, ut propagata devotione parentum in filios, per te velut devotionis heredem ſubveniatur in tantæ neceſſitatis articulo Crucifixo. Cum igitur illius vices geramus in terris, licet immeriti, qui peccata noſtra pro nobis pertulit ſuper lignum, & per hoc nobis incumbat excitare fideles ad prælium Domini præliandum, & treugæ inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fredericum, & ſoldanum initæ in proximo compleantur, ac per hoc, ne inveniatur populus Chriſtianus imparatus, ubique prædicari mandaverimus verbum crucis, ut ad tantæ felicitatis bravium tollat fidelis quilibet crucem ſuam, & ſequatur vexillum gloriæ ſummi Regis, regalem excellentiam monemus & hortamur attente, ac in remiſſionem injungimus peccatorum, obſecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti quatenus ad ulciſcendas injurias Chriſti tui accingas te viriliter, & potenter, ut in generali paſſagio, quod Rom. Eccleſia duxerit præfigendum, per te vel tuos magnanimiter ſuccurrere valeas illi terræ, &c.* Addit alias preces, ut inducias longiores vel pacem cum Rege Angliæ ineat, de quo jam a nobis paulo ante dictum eſt; ſe pariter omnes principes Chriſtianos ad colendam pacem, dum ſacra tenebit expeditio, aſtrinxiſſe. *Dat. Peruſii* VIII. *id. novemb. pontificatus noſtri an.* VIII. Eædem literæ (*a*) ad Regem Angliæ a Gregorio miſſæ, ut pacem cum Gallis coiret: tum adjectæ aliæ ad ſpectatiſſimos utriuſque regni præſules, ut Reges ad mutua fœdera, inſtruendaſque in Syriam auxiliares copias monitis adducerent.

NOTÆ non ipſe per ſe Innocentius, ſed Bernardus Maior archidiaconus Compoſtellanus privata authoritate compoſuit. Sed cum illa minus placeret Romanis; ideo Innocentii juſſu Petrus Beneventanus diaconus, Innocentii ejuſdem tabellio, collectionem aliam dedit, quæ omnium prima eſt pontificum authoritate edita canonum collectio ut notat Antonius Auguſtinus apud Doujat ibid. num. 7. Poſt Lateranenſe concilium ex ſolis conſtitutionibus Innocentii poſt annum duodecimum pontificatus ſui editis coaluit alia collectio canonum, quæ una cum duabus prioribus Antonio Auguſtino curante typis demandata fuit. Poſt Innocentium Honorius III. ex ſuis tantummodo conſtitutionibus peperit collectionem aliam Decretalium, quam Innocentius Cironius eccleſiæ & Academiæ Toloſanæ cancellarius publici juris fecit anno 1645. Has igitur decretalium collectiones Gregorius, ſuam hanc edens, abrogavit, cum ea omnia, quæ in illis latius expandebantur, compendio redacta, contineret. Operam in ea colligenda ſuam contulit S. Raymundus de Pennafort, quem Johannes Sabinenſis epiſcopus ab Hiſpana legatione rediens circa annum 1230. Romam deduxit. MANSI



(*a*) *Reg. poſt eand. ep.*

XXX. Chriſtianam præterea juventutem armorumque uſu exercitatos encyclicis literis ad ſacrum bellum inflammavit, (*b*) in quibus, ubi flebilibus verbis expoſuit terram tot redemptionis Chriſtianæ myſteriis conſecratam jugo infidelium premi, ac templum Domini, quamvis Hieroſolyma Friderico antea fuerit reſtituta, adhuc Mahumetica ſuperſtitione pollui, initarumque cum ſultano induciarum tempus effluere, ſubdit altiſſimi divinæ providentiæ conſilii fuiſſe permiſiſſe Sarracenorum potentiam ingraveſcere, ut plures criminum noxis obruti, objecta periculis pro divina gloria vita, quodam felici compendio æternam ſalutem ſibi compararent. *Licet per gratiam adoptati quotidie cauſas ingratitudinis cumulemus, ipſe tamen abundat in divitiis bonitatis; dum propter diverſitatem voluntatum, virium, facultatum, delinquentibus diverſa pro tempore ſatisfaciendi genera contulit, varia medendi languentibus remedia ſuſcitavit, dum terram, in qua naſci, mori & reſurgere voluit, tandiu ad exercitationem fidelium ab infidelibus detineri permittit, cum non ſit abbreviata manus Domini, nec virtus ejus in aliquo diminuta, quin eam, ſicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento: ſed illas compaſſionis, & dilectionis cauſas exquirit ab homine, quibus ad omnis conſummationis finem legiſque plenitudinem oſtendendam, ipſe prior homini perdito, & damnato voluit miſeratus adeſſe, qui nullatenus permiſiſſet manus impias contra pios uſque adeo roborari, niſi & ſuam vindicari de noſtra confuſione providiſſet injuriam, & ſervari noſtram de ſua victoria diſciplinam. Sub hac occaſione delicati plurimi ſatisfacere pro modo criminum aliter non valentes, velut in profundo malorum penitus deſperaſſent, niſi occurriſſet eis hæc tabula, niſi per hoc compendium ſuis pro Chriſto poſitis animabus, conſummati breviter, multorum temporum ſpatia complevisſent. Multi etiam invenire locum, ubi ſteterunt pedes Domini cupientes, prius ad bravium ſine curſu, vel poſt ad coronam ſine gladio pervenerunt, illo ſuum remunerante militem, qui ſolam conſiderat in oblatis voluntatem*. Pluribus apoſtolicis beneficiis eos complectitur, qui arma ſacra capeſſiverint, vel qui militum pecuniarumve ſubſidia contulerint; in quos etiam e ſacro Chriſti meritorum ærario indulgentiarum pro expiandis criminum reliquiis opes effudit *Dat. Peruſ.* XV. *kal. decemb. pont. noſt. an.* VIII. Quæ literæ etiam ad omnes Chriſtiani orbis præſules tranſmiſſæ, ut fideles ad ſignum crucis induendum (*c*) accenderent.

(*b*) *Lib.* 8. *ep.* 315. *Extant etiam apud Pariſ. hiſt. Angl. an.* 1234.

Excitati ad crucem induendam fideles.

(*c*) *Ib. ep.* 316. & *reg. poſt eand. ep.*

XXXI. Excitati pariter plures eccleſiaſtici proceres præpotentes, patriarcha nimirum Aquilejenſis, Maguntinus, Treverenſis, Saliſburgenſis, Pragenſis, Leodienſis, Patavienſis, Metenſis, Conſtantienſis, Monaſterienſis, Baſilienſis, aliique plures epiſcopi, & abbates: tum alii ſæculares Imperii principes, Rex Bohemiæ, Lantgravius, Thuringiæ, Auſtriæ, & Stiriæ, Bavariæ, Saxoniæ, Lotharingiæ, Limburgi, Brabantiæ duces, pluresque marchiones comiteſque ſolicitati, (*d*) ut proximo futuro martio egregiis inſtructi copiis iter ſuſciperent.

(*d*) *Ibid. ep.* 333. & *reg. poſt eand. ep.*

XXXII. At ne mutuæ orientalium diſcordiæ, quibus antea a Friderico diſſenſerant, expeditionis ſacræ conſilia diſſiparent, Gregorius ad eas componendas Theodoricum Ravennatem archiepiſcopum ſedis Apoſtolicæ creatum legatum in Syriam tranſmiſit, (*e*) regnique Hieroſolymitani præſules, proceres Acconitanos, [1] Templarios, alioſque religioſos equites ſervare pacem, legatumque honorifice excipere juſſit, ubi primum nonnulla de celebri ſynodo habita, cui tres orientis patriarchæ una cum Imperarore, ut ſupra inſinuavimus, præſentes affuere, prælusit (*f*): *Pacem quam jam dudum prædicti Antiochenus patriarcha, & dilectus filius magiſter domus Theutonicorum, inter Imperatorem ipſum ex una parte, & vos ex altera facere curaverunt, quæ cum litteræ ſuper hoc nobis congruo tempore præſentatæ non fuerint, non extitit per ſedem Apoſtolicam confirmata, ſine difficultate qualibet acceptantes, inviolabiliter obſervetis eamdem, ita quod propitiante Domino nullum impedi-*

Theodor. Ravenn. arch. ad conciliandos Friderico Syros miſſus.

(*e*) *Ep.* 182. 183. & *reg. poſt eand. Rub. hiſt. Raven. l.* 6.

(*f*) *Lib.* 8. *ep.* 183.

NOTÆ [1] PAx quam imperator & Cyprii Acconiſque cives per legatos ad eundem imperatorem miſſos compoſuerunt, ab iiſdem legatis in patriam reductis expoſita improbata ab omnibus fuit. Statimque legatum alium miſerunt ad pontificem, ut illum de rejectis a ſe conditionibus certiorem faceret. Cum vero hoc anno pontifex literis ad illos datis monuerit, ut, compoſitam cum imperatore pacem ſervarent; legatum illorum nondum ad ſe veniſſe ſatis demonſtrat. Bernardus Theſaurarius in hiſtor. Gallic. pag. 717. Cur autem pax illo ignorante pontifice conciliata fuerit, nulla alia potior cauſa aſſignanda eſt, niſi quod Fridericus pontifici minus probatas illas fore intelligebat. MANSI

*pedimentum obſiſtat, quin ad ſubſidium veſtrum Eccleſia valeat, ſicut diſpoſuit, Chriſtianum populum advocare. Alioquin cum nequeamus prædicto Imperatori deeſſe in juſtitia, quem velut Eccleſiæ brachium ſpeciale in rationibus ſuis abundantiori tenemur affectu fovere, archiepiſcopo ipſi, quem tanquam Eccleſiæ Rom. legatum debito ſuſcipiatis honore, & ipſius pareatis humiliter monitis & mandatis, per litteras noſtras injungimus, ut omnia quod ad jus poſſeſſionis & proprietatis eum ſtatum auctoritate noſtra reducat, in quo fuiſſe noſcuntur ante diſcordiam, inter mareſcallum Imperatoris ejuſdem & vos inimico pacis faciente, ſubortam, &c. Dat. Spolet.* VI. *id. aug. pont. an.* VIII.

XXXIII. Pontificias partes affert Gregor. pro Longobardos inter & Frid. aſtringenda concordia.

Simili ſtudio incubuit Pontifex ad ſopiendas Inſubriæ fœderatarumque urbium diſſenſiones, ne illæ Fridericum a gerendo bello ſacro diſtraherent; ac primum, antequam expeditionem Aſiaticam indiceret, miſerat ad Imperatorem epiſcopum Sabinenſem, ac Petrum S. Georgii in velo aureo diaconum Cardinales legatos, ut quæ a ſuis contra ſuperioris tractatus leges geſta erant, emendarent, atque ad pacem inflecterent: quibus ille benevolum ſe impertitus eſt, admiſſiſque placide eorum conſiliis, omnes controverſias, quæ ipſi cum Longobardis ſociiſque intercedebant, Pontificis arbitrio his litteris (a) dirimendas permiſit: *Admoniti per honorabiles viros Joannem venerabilem Sabinenſem epiſcopum, & magiſtrum Petrum de Capua S. Georgii ad velum aureum diaconum Card. pro parte reverendiſſimi patris domini Gregorii ſummi Pontificis, & fratrum ſuorum, ſuper negotio illorum de Lombardia, marchia Treviſii, & Romaniola, qui videntur nobis, & Imperio adverſari, ex innata manſuetudine, qua univerſos Imperio Rom. ſubjectos ad fidem, & devotionem Imperii revocamus, totum negotium prædictorum de Lombardia, marchia Treviſii, & Romaniola, tam ſuper detentione noſtrorum regalium, & aliorum jurium noſtrorum quam de præteritis exceſſibus, quos pridem, & hactenus quocunque modo erga nos, & Imperium commiſerunt, conſilio proviſioni, compoſitioni, & laudationi prædicti ſummi Pontificis, & ſanctæ Romanæ matris Eccleſiæ, pro reformatione pacis & ſtatus Imperii duximus committendum, id in voluntate, & ordinatione apoſtolica firmiter exponentes, quod quidquid ex hoc conſuluerit, providerit, compoſuerit, & laudaverit, ratum & firmum tenere volumus, & habere. Datum Capuæ, anno Dominicæ incarnationis MCCXXXIV. menſe aprilis, ſeptimæ indictionis.*

(a) Apud Gr. g. l. 8. ep. 47.

Cardinales legatos ad ipſum mittit.

Rem totam Pontificis arbitrio permittit Frid.

XXXIV. Mox Gregorius totius rei cum Friderico a legatis Cardinalibus geſtæ Inſubres certiores fecit: (b) adjecitque, viderent ipſi Imperatoris ſuas controverſias in ſedis Apoſtolicæ arbitrium conferentis exemplo num ſtare pontificio judicio parati eſſent: cæterum ne militares turmas, quæ ex Germania ad Imperatorem accedere parabant, infeſtarent, cum Fridericus caveret ipſis nullam injuriam damnumve a ſuis inflictum iri; denique cum Peruſii VI. kalen. novemb. ageret, monuit, (c) ut litteras omnibus numeris abſolutas de admittenda ſedis Apoſt. controverſiam dirimentis ſententia tranſmitterent, ad quos etiam capellanum, ut rem promoveret, legavit. Obſecundarunt illi apoſtolicis nutibus ac litteras edidere, (d) quibus ſedi Apoſtolicæ præteritæ cum Friderico diſſenſionis cauſas decidendas commendarunt.

(b) Lib. 8. ep. 58. & 90.

(c) Ib. ep. 292.

(d) Ep. 293.

XXXV. Conſentiunt Longobardi ſententiæ ſtare.

*Nos rectores, poteſtates, & conſilia civitatum ſocietatis Lombardiæ ex debito, quo tenemur tanquam filii devotionis efficere, quæ ad honorem S. Rom. Eccleſiæ matris noſtræ poſſint merito redundare, juxta conſilium & ſubmonitionem ipſius omnes querelas, quas habemus adverſus ſereniſſimum principem dominum Fredericum Imp. ſemper Aug. Hieruſalem & Siciliæ Regem illuſtrem, conſilio, proviſioni, compoſitioni, & laudationi domini Gregorii Dei gratia ſummi Pontificis, & ejuſdem Eccleſiæ, pro reformatione pacis, & ſtatu Lombardiæ, committimus. Si quid etiam per nos in læſionem, vel injuriam Imperatoris ejuſdem factum eſt, totum proviſioni, & arbitrio prædictæ Eccleſiæ libere duximus committendum; nihilominus generaliter omnia, ex quibus, vel propter quæ inter nos, & Imperatorem eundem aliqua diſcordia hactenus eſt exorta, in voluntate, & ordinatione apoſtolica firmiter exponentes, quod quidquid ex hoc conſuluerit, & laudaverit, ratum & firmum tenere volumus & habere: modum etiam cautionum, & formam, ſi quæ neceſſariæ videbuntur, præſtandæ nobis ab eo, vel ipſi per nos pro eorum obſervatione, quæ inter nos & præfatum Imperatorem Eccleſia duxerit ſtatuenda de omnibus ſupradictis, ſimiliter in totum committimus proviſioni, & arbitrio præfati ſummi Pontificis patris noſtri; ita ut nos cautionibus, quas proinde providerit eſſe præſtandas, debeamus pro parte noſtra eſſe contenti: ut tamen & ipſe nobis pro parte ſocietatis noſtræ eas præſtare debeat cautiones, quas nobis Eccleſia viderit eſſe efficaces. Ad cujus rei memoriam, & ſtabilem firmitatem, præſens ſcriptum fieri, & ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione muniri.* Succedere e ſententia is pacis tractatus videbatur, ſed illum poſtea novi excitati motus abrupere, ac pariter expeditionis ſacræ in Sarracenos conſilia pontificia everterunt, de quibus ſuo loco; jam ex Inſubricis rebus ad Ungaricas digrediamur.

De-



XXXVI. Vetera in Ungaria mala non emendata.

Deſudatum annis ſuperioribus magno ſtudio, & contentione fuerat, ad reſtituendam priſtino ſplendori dignitatem eccleſiaſticam, vindicanda jura, & comprimendos infideles, qui in Chriſtianos graſſabantur. Cumque poſt multos tractatus Andreas Rex ad eccleſiarum jura aſſerenda, damnaque iis illata reſarcienda ſacramento ſe aſtrinxiſſet, promiſſa & expectationem fefellerat, ſeque anathematis vinculis irretierat: quem Pontifex ad damnanda nefaria eorum, qui a cœptis ipſum avocarant, conſilia, & quæ magna laude promiſerat majori gloria perficienda (a) ſolicitavit.

(a) Ib. ep. 198.

*Gregorius &c. Andreæ illuſtri Regi Ungariæ ſpiritum conſilii ſanioris.*

Andreas Rex ob id anathemate implicitus.

*Non abſque mentis amaritudine ſerenitati regiæ ſalutationis alloquium cogimur denegare, cum nulli unquam principum, quandiu vinculo ſit excommunicationis aſtrictus, Romana Eccleſia conſueverit ſcribere cum ſalute. Cum enim olim ſuper multis abuſionibus, & enormitatibus abuſivis, quæ fiebant in regno Ungariæ contra eccleſiaſticam libertatem, quæ vergebant in derogationem fidei, & ignominiam & confuſionem regiæ dignitatis, validus & ſtupendus clamor frequenter ad ſedem Apoſtolicam aſcendiſſet, nos quorum inſtantia eſt ſecundum Apoſtolum eccleſiarum omnium ſolicitudo continua, de regno militantis Eccleſiæ colligere ſcandala cupientes, dilectum filium noſtrum Jacobum Præneſtinum electum, virum utique ſecundum cor noſtrum, quem tuæ ſerenitati credebamus acceptum, ad partes ipſas commiſſo ſibi plene legationis officio providimus deſtinandum. Cum autem idem electus apud celſitudinem regiam ſuper ipſis abuſionibus emendandis, & ſatisfactione læſis eccleſiis impendenda crebris monitionibus, & ſedulis exhortationibus inſtitiſſet, tandem ſano uſus conſilio, prout regalem decebat excellentiam, monitis ejus obtemperans, ſatisfactionem de præmiſſis plenariam promiſiſti te ad id ipſius electi arbitrio principaliter obligando: & ne irrita fierent quæ tuis labiis proceſſerunt, ſed factis dicta melius compenſares, ferri in te & quoſdam conſiliarios tuos, niſi infra præfixum tibi ab eodem electo de voluntate tua terminum, juxta quod tractatum & ordinatum fuerat, prædictis eccleſiis ſatisfaceres, & impleres omnia, quæ in tuis literis continentur, & generaliter in omnes, qui conſulendo, vel ſuggerendo, aut alio modo ſcienter in hoc impedimentum præſtarent, per jam dictum electum excommunicationis, & in curiam tuam interdicti ſententias, relaxata prius in te lata interdicti ſententia conſenſiſti, venerabili fratre noſtro epiſcopo Boſnenſi, & collegis ſuis ſententiarum ipſarum, poſt eundem terminum denuntiatoribus deputatis, prout evidenter ſerenitatis tuæ literæ manifeſtant. Et licet electus ipſe hujuſmodi ſententias te præſente & aſtante multitudine copioſa ſolemniter promulgaſſet, tu quorumdam inductus & ſeductus conſiliis, veniens contra propriam ſponſionem, nullam, vel modicam ſatisfactionem diutius expectatus poſt terminum impendiſti: propter quod denuntiatores prædicti te incidiſſe in eaſdem ſententias publice nuntiarunt, prout in eorum literis perſpeximus plenius contineri.*

Urgetur a Pont. illata eccleſiis damna ſarciat.

XXXVII *Cum igitur nos ſuper quibuſdam articulis per nuntios tuos duxeris conſulendos, & nos hilariter tuos nuntios videamus, & recipiamus gratanter, ægre tamen ferre non debet regia magnitudo, quod quandiu ſententiarum nexibus ſubjacet præmiſſarum, ſuis non poſſumus conſultationibus reſpondere, quia quo univerſalis Eccleſiæ ſolicitudo principalius nobis imminet, eo de honeſtate ipſius tenemur ſolicitius cogitare, ne per injuriam, vel negligentiam noſtram notam alicujus detractionis incurrat; & quanquam tui nuntii niſi fuerint probare ſatisfactionem plenariam coram nobis, nihil exinde oſtendere potuerunt. Monemus itaque magnificentiam regiam & hortamur, obſecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per aſperſionem ſanguinis Crucifixi, quatenus prudenter attendens, quod nil prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ ſuſtineat detrimentum; & quod non debet uſque adeo præferri caro ſpiritui, & ſenſualitas rationi, ut præponatur utilitati voluptas; quodque gratum tibi eſſe debuit & acceptum, quod ad compoſitionem cum prænominatis eccleſiis deveniſti, quæ promiſiſti ſine difficultate qualibet, juxta compoſitionem eandem exolvas, &c. Dat. Reate* v. *kal. aug. anno* VIII.

XXXVIII. Andreæ etiam majorem natu filium, Belam ſcilicet Regem Pontifex hortatus eſt (b) Walachos ſchiſmaticos in Cumanorum epiſcopatu agentes comprimeret, uti ſe facturum jam ante Jacobo Cardinali Præneſtino electo Apoſtolicæ ſedis legato fuerat pollicitus.

(b) Ep. 313.

Admonetur Bela Walach. ſchiſmaticos coerceat.

*Gregorius &c. Belæ Regi primogenito Regis Ungariæ.*

*In Cumanorum epiſcopatu, ſicut accepimus, quidam populi, qui * Vvalathi vocantur, exiſtunt, qui etſi cenſeantur nomine Chriſtiano, ſub una tamen fide varios ritus habentes & mores, illa committunt quæ huic ſunt nomini inimica. Nam Rom. Eccleſiam contemnentes, non a venerabili fratre noſtro epiſcopo Cumanorum, qui loci diœceſanus exiſtit, ſed a quibuſdam pſeudoepiſcopis Græcorum ritum tenentibus univerſa recipiunt Eccleſiæ ſacramenta, & nonnulli de regno Ungariæ, tam Ungari, quam Theutonici, & alii ortodoxi moran-*

* Vvalachi

*di*

*di cauſa cum ipſis tranſeunt ad eoſdem, & ſic cum eis quaſi populus unus factus, cum eiſdem Vvalachis, eo contempto, præmiſſa recipiunt ſacramenta in grave orthodoxorum ſcandalum, & derogationem non modicam fidei Chriſtianæ. Ne igitur ex diverſitate rituum pericula proveniant animarum, nos volentes hujuſmodi periculis obviare, ne præfati Vvalachi materiam habeant pro defectu ſacramentorum ad ſchiſmaticos epiſcopos accedendi, eidem epiſcopo noſtris damus literis in mandatis, ut catholicum eis epiſcopum illi nationi conformem provida deliberatione conſtituat ſibi, juxta generalis ſtatuta concilii vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens, & ſubjectus.* Et infra:

XXXIX. Ad obſequium Rom. Eccleſ. adducat.

*Cum autem tu tanquam princeps catholicus ad commonitionem dilecti filii noſtri Jacobi Præneſtini electi tunc A. S. L. præſtito juramento promiſeris te omnes inobedientes Rom. Eccleſiæ in terra tua ad obediendum eidem Eccleſiæ compulſurum, prout confectæ ſuper hoc tuæ literæ continebant; ac eidem electo viva voce promiſeris, quod præfatos VValachos compelleres ad recipiendum epiſcopum, quem eis Eccleſia ipſa conceſſerit, & aſſignaſſe ſibi de redditibus tuis, quos ab eis percipis, ſufficientes redditus & honeſtos, ſicut idem electus nobis expoſuit, regalem excellentiam rogamus, monemus, & hortamur attente, ac in remiſſionem tibi injungimus peccatorum, quatenus cum te non deceat in regno tuo hujuſmodi ſchiſmaticos ſuſtinere, ac ea quæ promiſiſti Deo grata, & hominibus ſint accepta, ne facias irrita, quæ de tuis labiis tam laudabiliter proceſſerunt, eaque ſtudeas efficaciter adimplere, ita quod ex hoc placeas Regi regum & nos ſinceritatis tuæ zelum poſſimus dignis in Domino laudibus commendare. Dat. Peruſii* XVIII. *kal. decemb. pontific. noſtri an.* VIII. Spoponderat præterea ſacramento Bela Rex legato Cardinali in Cumana provincia eccleſiam excitaturum, boniſque ornaturum, nec tamen promiſſa mandarat operi, quem adeo ut promiſſis ſtaret compleretque, Gregorius admonuit. (*a*)

Condat eccleſiam in Cumania.
(*a*) *Ep.* 282.

XL. Juſiurandum Belæ de Eccleſiæ hoſtibus profligandis.

Cæterum extat in libro cenſuum a nobis ſæpius laudato forma jurisjurandi, quo Bela Rex catholicæ fidei hoſtes, & eos qui Rom. Eccleſiæ imperiis ſeſe ſubducerent, e ditione ſua vel extirpandos & eiiciendos, vel ad ejuſdem Eccleſiæ obſequium compulſurum jurejurando eſt pollicitus: *Nos Bela Dei gratia Rex primogenitus domini Andreæ Regis Ungariæ illuſtris univerſis præſentes literas inſpecturis facimus manifeſtum, quod ad petitionem venerabilis patris domini Jacobi Peneſtrinenſis electi A. S. L. in ipſius præſentia, & plurimorum aliorum juravimus ad ſancta Dei evangelia, quod de terris noſtræ juriſdictioni ſubjectis, & quæ in futurum, dante Domino, ſubiicientur, univerſos hæreticos & alios Chriſtianos, qui relicta fide Chriſtianitatis ad ſuperſtitionem Iſmahelitarum, vel Judæorum pervertuntur, quocunque nomine cenſeantur, & fictos filios Chriſtianos de terris noſtris bona fide ſtudebimus pro viribus extirpare, & eos qui Rom. Eccleſiæ in terra noſtra ſunt inobedientes juxta ritum uniuſcujuſque nationis, qui non ſit contra fidem catholicam, compellemus obedire Rom. Eccleſiæ. In cujus rei teſtimonium præſentes literas noſtri ſigilli munimine juſſimus roborari. Dat. Strigoniæ* VII. *kal. martii anno gratiæ MCCXXXIIII.*

XLI. Colomanus in Dalmat. hæreticos inſectatur.

Navabat tum egregiam operam ad excindendos e Dalmatia hæreticos Belæ frater Colomanus Rex, cui (*b*) aliiſque (*c*) ſub ejus ſignis in eo bello ſacro certantibus Gregorius Papa apoſtolicam clientelam eſt pollicitus, atque ad cœpta urgenda accendere eſt conatus (*d*). Ad delendam denique hæreticam luem, quæ Sclavoniam infecerat, malaque ingentia, quæ in iis regionibus excreverant, extinguenda legatum apoſtolicum religioſi Chartuſiani ordinis miſit, eaque de re ad Carniolæ, Iſtriæ, Dalmatiæ, Boſnæ, Croatiæ, Serviæ, & aliarum provinciarum finitimarum præſules literas miſit. (*e*) Cumque Boſnenſis epiſcopus adverſus hæreticos pro concione fulminaret, illius Pontifex eximium ſtudium commendavit, conceſſitque, ut criminum reliquias contritis hominibus, qui ad ejus conciones accederent, condonaret. (*f*)

(*b*) *Eod. l.* 8. *ep.* 255.
(*c*) *Ep.* 351.
(*d*) *Ib. ep.* 255.
(*e*) *Lib.* 7. *ep.* 542.
(*f*) *Ep.* 256.

XLII. Ductæ in Stedingh. cruceſignatæ acies.

Decertabat eodem tempore in Germania adverſus hæreticos alios, omnium deterrimos, Stedinghos nimirum, archiepiſcopus Bremenſis, qui Henrico Brabantiæ duce, ac Florentio comite Hollandiæ, aliiſque nobiliſſimis cruceſignatis ſuccinctus, nefarios dæmonum cultores bello feliciter profligavit. Rem geſtam narrat Albertus abbas Stadenſis (*g*), qui ea tempeſtate in illis regionibus viguit: *Itaque Bremenſis archiepiſcopus, dux memoratus & comes, peregrinorumque non modica multitudo* VI. *kal. jul.* [1] *die ſabbati proceſſerunt unanimiter contra ipſos tanquam divinæ potentiæ, & patientiæ abuſores, parati occumbere, vel ipſos cum eorum nefandis operibus, ad honorem & gloriam Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ penitus abolere. Illi e converſo tanquam ferinis uberibus enutriti, ad hoc crudelius ſæviebant, & in ſuo aſmodet ponentes fiduciam, non diffidebant ſe poſſe reſiſtere potenti brachio Domini ſabaoth, & tantæ multitudini ſignatorum. Et mira & miſeranda pertinacia obſtinati, non ceſſabant adhuc claves Eccleſiæ ſceleſtis labiis turpiter blaſphemare;* nonnulliſque interjectis addit auctor:

(*g*) *Stad. in chron. an. præced.*

NOTÆ [1] ERror quidam irrepit in textum Alberti Stadenſis, quem hic exſcribit annaliſta. Pro eo enim quod habet *VI. Kal. julii die ſabbati* ſcripſiſſe Albertum oportet VI. Kalendas junii die ſabbati, neque enim hoc anno dies illa julii in ſabbatum; ſed in feriam ſecundam incidebat. Viciſſim autem dies XXVII. vel VI. Kalendas junii cum ſabbato componebatur. Victoria ergo de Stedinghis integro menſe anticipanda eſt. MANSI



XLIII.

*Stedinghi, ut amentes effecti, ac quadam inſania ventilati, non timuerunt ſignatorum multitudinem, nec ſpiritualem, nec materialem gladii poteſtatem, ſed ordinata quidem acie, inordinata autem mente, tanquam furibundi canes proceſſerunt obviam peregrinis. Dux Brabantiæ, & comes Hollandiæ primo congreſſu peſtilentes illos ſuper agrum Oldeneſche, ubi convenerant, viriliter invaſerunt: ſed ipſi ſummo conamine ſe defenderunt. Statim comes de clivo cum ſuis a latere irruens ſuper illos, ipſorum aciem diſſipavit. Clerus qui eminus aſtans rei exitum expectabat media via, & alia miſerationis carmina cum mœrore cecinit, & pro crucis victoria ſupplicabat. Nec mora illi inſipientes, & maligni evanuerunt in cogitationibus ſuis, quia ab exercitu Domini opprimuntur, haſtis perfoſſi, gladiis percuſſi, equorum pedibus conculcati, & ita manus Domini invaluit ſuper eos, ut in brevi ſpacio eorum* VI. *millia interierint. Plurimi ex eis fugæ præſidium poſtulantes, in proxima fovea, & in VViſera ſe ſubmerſerunt; ſi qui evaſerunt, ſub cœli ventis quatuor ſunt diſperſi. Sic pertinacia eorum facta eſt coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum. Comes Henricus de Oldenborg ibidem cecidit, & cum eo peregrini aliqui circiter novem: Sed comes Hollandiæ domum veniens in tornamento apud Novimagium eſt occiſus.* Hujus etiam victoriæ Pariſius (*a*) aliique meminere. Stedinghos porro qui ſuperfuere, ab Apoſtolica ſede abſolvi poſtulaſſe pontificiæ literæ anno inſequenti datæ patefaciunt (*b*), quibus Gregorius archiepiſcopo Bremenſi impertiendæ iis, expiato rite crimine, abſolutionis poteſtatem facit.

Stedinghi ad ſex millia in prælio cæſi.

(*a*) *Pariſ. hiſt. Angl.*
(*b*) *Extant inter privil. Eccleſ. Bremenſis.*

XLIV. Cladi acceptæ ſuperſtites Stedinghi Eccleſiæ conciliari poſtulant.

Debellatis Stedinghis in Pruthenos infideles arma cruceſignatorum vertere facilius Gregorio fuit, univerſoſque fideles in caſtris Pruſſiæ agentes apoſtolicis literis contra fidei hoſtes incendit, & earum regionum neophitos ad præcepta divina religioſiſſime colenda (*c*) atque ad ſervandam in adverſis rebus belliciſque laboribus ſubeundis conſtantiam excitavit (*d*): *Cum nihil nobis ſit animarum ſalute charius, nihilque pretioſius reputandum, eo quod animam ſuam pro illarum redemptione poſuerit Patris æterni Filius, natus de Virgine glorioſus, gaudiorum immenſitate perfundimur, quod idem qui tenebras cæci nati luminis claritate perfudit, ſuper vos, ſicut exultantes accepimus, ſuam illuſtrando faciem, dedit vobis agnoſcere fidei catholicæ puritatem; quæ cum proculdubio perducat ad cœli patriam, habentes in timore Domini perſeverantiam expeditam, devotionem veſtram rogamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus penſato prudenter, quod quietis obtentu perpetuæ labor momentaneus ſit cum lætitia cuilibet aſſumendus, in obſervantia mandatorum Dei viriliter perſiſtatis, ita quod nulli cedatis tentationis impulſui, per quam vel in modico poſſetis a ſtatu rectitudinis elongari, &c. Datum Spol.* V. *id. ſeptembris anno* VIII.

(*c*) *Ib. ep.* 322.
(*d*) *Lib.* 8. *ep.* 232.

Converſa in Pruthenos crucis ſigna.

XLV. Vvillelm. ep. Mutin. in Pruſſiam legatus mittitur.

Ad confirmandos in ſuſcepta fide Chriſtiana eoſdem populos Willelmum epiſcopum Mutinenſem in eas regiones miſit, atque in eum legati apoſtolici in Livonia, Pruſſia, Gothlandia, Winlandia, Eſtonia, Semigallia, Curlandia, aliiſque circumpoſitis continentis inſularumque provinciis, antea epiſcopo Semigalliæ impoſitum munus transfudit (*e*), inſtruxitque (*f*) auctoritate, ut epiſcopatus conjungere, vel dividere, præficere epiſcopos ac conſecrare, vel jam initiatos in alias eccleſias traducere poſſet. Scripſit vero de ea legatione Willelmo impoſita ad ſeptentrionalium plagarum fideles, quos honorifice epiſcopum ſuſcipere juſſit (*g*) qui Mutinenſi ſede relicta lucrandarum Chriſto animarum zelo accenſus objecta omnia pericula penetrare, ſanguinemque profundere, ſi opus foret, paratus erat.

(*e*) *Lib.* 7. *ep.* 557.
(*f*) *Ib. ep.* 555.
(*g*) *Ep.* 558.

*Univerſis Chriſti fidelibus, per Livoniam, Pruſſiam, Gothlandiam, Vvinlandiam, Eſtoniam, Semigalliam, Curlandiam, & cæteras neophytorum, & paganorum provincias, & inſulas conſtitutis.*

*Quoniam*, ut ait Apoſtolus: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt, vel quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient ſine prædicante, & quomodo prædicabunt niſi mittantur? ſuſcitavit olim Dominus ſpiritum venerabilis fratris noſtri Vvillelmi epiſcopi quondam Mutinenſis, qui de mandato ſedis Apoſtolicæ ad paganos illos accedens, qui circa regiones veſtras exiſtunt, non modicam multitudinem eorundem ad agnitionem veritatis adduxit multorum in eis errorum generibus extirpatis, quibus ita miſeri tenebantur impliciti, ut cultum Chriſtiani nominis non habentes, omnem intentionem ſuam cultui tantum viſibilium applicarent. Verum idem epiſcopus elevatis oculis, videns*

*dens quod regiones veſtræ albæ ſunt jam ad meſſem, cum Jeſus Chriſtus Deus noſter, ſicut accipimus, ſuper gentem veſtram clementer reſpiciens oſtium ejus ſalvationis dignatus ſit aperire, ac ad ſpirituales delicias, converſionem videlicet gentis ejuſdem, totis deſideriis, totiſque animi medullis ſuſpirans nobis, qui locum illius, licet immeriti, tenemus in terris, qui diſcipulis ſuis ait: Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam; cum multa precum inſtantia, & lacrymarum affluentia ſupplicavit, ut cum expertus curæ laborioſa certamina paſtoralis, quamquam poſſit dicere cum apoſtolo: Bonum certamen certavi; curſum cupiat perfectioris operis conſummare, ut ei corona juſtitiæ de reliquo reponatur, ipſum epiſcopatu propter vos Mutinenſi dimiſſo, paratum pro vobis, ſi opus fuerit, etiam calicem bibere paſſionis, in meſſem Domini mittere dignaremur. Nos igitur pium ejus, & ſanctum propoſitum in Domino commendantes, ac revocantes legationis officium, & univerſas litteras, & indulgentias venerabili fratri noſtro epiſcopo Semigallienſi conceſſas, eum ad evangelizandum gentibus nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, commiſſo ſibi plene legationis officio, ad partes ipſas providimus deſtinandum, ut auctore Domino, tanquam diligens cultor agri dominici evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, prout ſibi Dominus miniſtrabit. Monemus itaque univerſitatem veſtram,* &c. Hortatur, ut ejus imperiis pareant, ni fecerint, latas ab illo in rebelles ſententias ab Apoſtolica ſede ratas habitum iri. *Dat. Lat.* IX. *kal. mart. anno* VII.

XLVI. Waldemar. Rex Daniæ Lubecenſem portum obſtruit.

Gerebat tum Waldemarus Daniæ Rex magno fidelium damno cum Lubecenſibus bellum, portumque crueſignatis in Livoniam contendentibus, merſis in illius faucibus navibus, obſtruxerat: quæ res cum neophytis cœleſti lavacro nuper expiatis magno detrimento eſſet, ab illis certior factus Gregorius, præpoſito, decano, & cantori Halberſtadenſibus, Waldemarum monere pontificio nomine juſſit, (*a*) cœptis abſiſteret. Apertum vero a Lubecenſibus portum fuiſſe ſcribit Crantzius (*b*).

Arguitur a Pont.
(*a*) *Ep.* 204.
(*b*) *Crantz. Dan. l.* 7. *cp.* 20.

Rex Norwegiæ ob exagitatum Ameren. ep. objurgatus.

In Norvvegia Amerenſis epiſcopus adeo atrocibus injuriis ab Rege eſt affectus, ut ad ſedem Apoſtolicam confugere ſit coactus, cujus arrepto patrocinio Gregorius, gravioribus litteris Regem, ut læſo faceret ſatis, adducere mixtis precibus imperiis conatus eſt, recenſitiſque inuſtis epiſcopo damnis, ut in ejus agro arcem extruxiſſet, quibuſdam terris ſpoliaſſet, fidelium communione abactos tueretur, ejus adminiſtris inferre necem molitus eſſet, aliaque patraſſet facinora, hæc adjecit (*c*):

(*c*) *Greg. l.* 8. *ep.* 264.

XLVII.

*Serenitatem regiam rogandam duximus attentius & monendam, quatenus dicto epiſcopo de damnis, & injuriis debitam ſatisfactionem impendens, & a tuis faciens hominibus exhiberi, ſibi ablata prædicta reſtituas, ut teneris; ac relaxato interdicto præfato de cætero ab ejus moleſtatione deſiſtas, & tuos homines deſiſtere tradita tibi poteſtate compellas. Alioquin, quantumcunque tuam excellentiam diligamus, quantumcunque tuum affectemus commodum, & honorem, quia tamen deferre non poſſumus homini contra Deum, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo, & dilectis filiis, archidiacono Lundenſi, & abbati de Herviado Lundenſis diœceſis noſtris damus litteris in mandatis, ut te ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota prævia ratione compellant, brachii ſæcularis auxilio ad hoc, ſi opus fuerit, nihilominus invocato. Dat. Peruſii* III. *non. octob. pontif. noſtr. ann.* VIII.

XLVIII. Agnes Venceſlai Regis ſoror virginitatem Deo vovet.

In Bohemia explicuit egregium virtutis exemplum Agnes ſoror Wenceſlai Regis eximiis moribus ornata virgo, quæ cœnobio nobili Pragæ condito, ut vitam religioſam ex inſtituta a S. Clara formula excoleret, ſe recepit, cujus conſilium collaudavit Gregorius, atque Regis Bohemi, & epiſcopi Pragenſis precibus adductus, illud monaſterium in pontificiam fidem accepit, (*d*) ac Wenceſlai edictum in eos, qui monaſterii res invaderent, latum ſua auctoritate corroboravit: (*e*) in quo videtur imitata regia virgo Eliſabetham Reginam, de cujus ingentibus miraculis cum publicæ tabulæ confectæ eſſent, Gregorius Ildeſemenſi epiſcopo, ut eas ad ſe tranſmitteret, hoc anno juſſit, (*f*) factamque Marpurgenſis xenodochii, in quo ſacrum illius corpus ſervabatur, Germanicis hoſpitalariis S. Mariæ, donationem confirmavit (*g*). Sed de his ſatis; jam e borealium regnorum rebus ad auſtrales nos convertamus.

(*d*) *Lib.* 8. *ep.* 208. 209.
(*e*) *Ibid. ep.* 240.
(*f*) *Ep.* 244.
(*g*) *Ep.* 145.

XLIX.

Pugnatum acerrime eſt in Hiſpania cum Sarracenis, partæque a fidelibus illuſtres victoriæ; quibus acceptis Gregorius, magno gaudio delibutus, gratiis ingentibus Deo actis, illos vehementius accendit, (*h*) ut Regi Luſitano graviſſimum bellum adverſus crudeliſſimos fidei hoſtes paranti operam porrigerent: cunctis eo profecturis, eas ſe indulgentias elargiri, quæ a concilio œcumenico terræ ſanctæ opem ferentibus tribuerentur.

(*h*) *Lib.* 8. *ep.* 272.
Rex Luſitaniæ in Sarrac. acies comparat.

*Univerſis Chriſti fidelibus, per regnum Portugalliæ conſtitutis.*

*Cupientes Chriſticolas ad Chriſti obſequium modis, quibus poſſumus, animare, quaſi certa præmia ipſis gratanter offerimus, remiſſionem videlicet peccatorum, quæ ſuper aurum, & topazion univerſis, & ſingulis charior eſſe debet. Sane gaudemus*

in



*in Domino, & in ejus laudibus delectamur, quod in partibus Hiſpaniæ, proſequens cauſam ſuam, fugavit, & fugat a facie fidelium Sarracenos, ut cultus divini nominis amplietur, & tandem Eccleſia gentes hereditet, & deſertas inhabitet civitates: verum quia neceſſe eſt in partibus illis, quaſi jugem continuari ſuccurſum ad retinendas terras noviter acquiſitas, & alias acquirendas, ut exercitatis in eo ſit cauſa ſalutis æternæ, quod ipſe conſiderans, chariſſimus in Chriſto filius noſter Portugalliæ Rex illuſtris ad id, prout decet, magnifice ſe accingit, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, adjurantes per dominum Jeſum Chriſtum, quatenus illuc univerſi, & ſinguli ſuccurratis, ut per hæc & alia bona, quæ Domino inſpirante feceritis, incomparabilem vobis gloriam, & gratiam comparetis. Nos enim de omnipotentis* &c. *Ex illa quoque quam nobis, licet indignis, ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem, omnibus cum Rege prædicto, vel exercitu ſuo perſonaliter illuc proficiſcentibus contra eos illam remiſſionem peccaminum indulgemus, quæ ſuccurrentibus terræ ſanctæ conceſſa eſt in concilio generali præſentibus poſt quatriennium minime valituris. Dat. Peruſii* III. *octob.*

Secuturis illius ſigna propoſitæ indulgentiæ.

L.

Nec Luſitanus modo, verum Ferdinandus quoque Caſtellæ, ac Legionis Rex bello cum Sarracenis certabat, iiſque profligatis plura loca recuperabat, uti rerum Hiſpanicarum ſcriptores (*a*) ac ſequentes Gregorii literæ ad archiepiſcopum Toletanum hoc anno datæ teſtantur (*b*): *Miſericors, & miſerator Dominus, cujus miſerationes ſuper omnia opera ſunt ipſius, miſertus fidei Chriſtianæ, quam a quibuſdam partibus Hiſpaniæ Sarracenorum infidelitas, a longe retro temporibus exulare coegit, per miniſterium, ut intelleximus, chariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris Regis Caſtellæ & Legionis, & claræ memoriæ patris ſui, magnam partem regionis illius de manibus eripiens eorundem paganorum inde abominatione depulſa reduxit eandem, ad nominis ſui cultum innumera ibidem Chriſtianorum multitudine introducta. Ut igitur gregi dominico non deſit cura paſtoris, ſed potius per paſtoralem ſolicitudinem numero, & merito credentium populus augeatur, & Chriſti fides ſuſcipiat incrementum, mandamus quatenus in civitatibus tuæ provinciæ, quæ ſedem epiſcopalem antiquitus habuerunt, & aptæ nunc eſſe noſcuntur ad pontificalem honorem, ſtudeas auctoritate noſtra viros idoneos in epiſcopos promovere, ſicut diſcretio tua viderit expedire. Dat Reate* VI. *kal. julii pontif. noſtri anno* VIII. Cumque S. Jacobi militiæ fratres adverſus Sarracenos ſtrenue decertarent, Pontifex Hiſpaniarum epiſcopis, cæteriſque præſulibus præcepit (*c*) ne eorum dignitati, boniſve aliquid damni imprimi paterentur.

(*a*) *Luc. Tuden. hiſt. Hiſp. Rod. Tol. l.* 9. *c.* 15. 16. *Jo. Marian. l.* 12 *c.* 17. *& alii.*
(*b*) *Greg. l.* 8. *ep.* 137.
Arch. Tol. in expugnatis Sarrac. urbibus a Caſt. Rege jubetur præficere epiſcopos.
(*c*) *Ib. l.* 8. *ep.* 353.

LI.

Neque præterimus taciti, inſertas Gregoriano regeſto (*d*) ac libro cenſuum ſequentes Regis literas hoc anno ad Pontificem datas de reddendo caſtro Toraf, ac nomine Romanæ Eccleſiæ ab equitibus ſacræ militiæ S. Jacobi retinendo.

(*d*) *Eod. l.* 8. *ep.* 374.
Ferdinandi ſacramentum de caſtro Toraf. reſtituendo.

*Sanctiſſimo patri, & domino Gregorio, divina providentia ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ ſummo Pontifici nono Ferdinandus Dei gratia Rex Caſtellæ & Toleti, Legionis & Galitiæ ſalutem, ob omnia tam debita, quam devota.*

*Notum ſit ſanctitati veſtræ, & omnibus aliis præſentem paginam inſpecturis, quod ego Ferdinandus, Dei gratia Rex Caſtellæ & Toleti, Legionis & Galitiæ recognoſco & promitto, quod decedentibus ſororibus meis domina Sanctia, & domina Dulcia, vel intrantibus religionem, aut nubentibus, ſeu recompenſationem aliquam accipientibus, caſtrum Toraf fratribus militiæ S. Jacobi in priſtino ſtatu nomine Eccleſiæ Romanæ tenentibus libere reſtituam ſub omni conditione. Confiteor* &c. *& recognoſco, quod non fuit intentionis meæ, nec eſt per verba donationis, & conceſſionis poſita in inſtrumento facto inter me, & ſorores meas prædictas, ſuper regno Legionenſi aliquod ſedi Apoſtolicæ matri meæ præjudicium generare, & ideo volo, quod illa verba in prædicto inſtrumento compoſitionis inter me, & ſorores meas poſita: Damus & concedimus, quantum ad hoc pro non appoſitis habeantur. Proteſtor tamen, quod per hoc nullum juri regio præjudicium generetur, quod ei in prædicto caſtro competit, vel competere, debet, & ut hoc ſcriptum firmum ſit, & autenticum, meo ſigillo ipſum munio, roboro, & confirmo. Facta eſt charta propria, & apud Regem expreſſa* IV. *die octobris eræ MCCLXXII.* Quoniam vero dictæ militiæ magiſter, ſententiam anathematis ob id caſtrum aliis traditum contraxerat, Gregorius Regis poſtulatis annuens, abſolvi poſtea juſſit (*e*).

(*e*) *Lib.* 8. *ep.* 509.

LII.

Exceſſit e vivis VII. id. aprilis hujus anni Sanctius Rex Navarræ, a quo Jacobus Aragonum Rex in filium cooptatus fuerat. Celebrata mutuo ita fuerat ea adoptio, ſancitaque arctiſſimo fœdere, ut qui prior obiret, alterum heredem ſceptri relinqueret, magno, ut ait Mariana, ludibrio, cum Jacobus ætate florens proleque auctus, alter morbo anniſque gravis liberis careret, quæ tamen ratio excogitata excludendi, regni ſucceſſione Theobaldi optima tum viſa eſt. At Theobaldus Campaniæ comes, e Blanca Sanctii ſorore filius, ad quem regni ſucceſſio jure ſpectabat, mox audita avunculi morte, in Navarram provolavit, regiiſque inſignibus Pompejopoli eſt inſignitus,

Sanctii Regis Navarr. mors.

Theobaldus nepos illi ſucceſſit. (a) *Lib.* 8. *poſt ep.* 213. Quo jure affectarit illud regnum Aragonum Rex.

in quem Aragoniæ Rex cum bellum meditaretur, ne diſcordia in aperta prælia erumperet, Gregorius (*a*) Calaguritano, & Calvatenſi epiſcopis, ac duobus Ciſtercienſibus abbatibus, e Berola, & Oliva partes impoſuit, pontificio nomine diſſentientes Reges conciliarent: *Cum ſicut nobis eſt pro certo relatum, inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Aragonum & Navarræ, Reges illuſtres ſuper regno Navarræ, quod idem Rex Aragonum ad ſe pertinere proponit; diſcordiæ materia ſit exorta, & ex hoc majora emergere guerrarum pericula formidentur, devotionem veſtram rogandam duximus attentius, & monendam per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis, & noſtram perſonaliter ad præfatos Reges accedentes, ipſorum animos ad pacem reducere, & ortam inter eos diſcordiam, juxta datam vobis a Domino prudentiam, amicabili ſtudeatis compoſitione ſopire, &c.* Addit ſi diſcordiam conciliare non potuerint, Regum voluntates Apoſtolicæ ſedi ſignificent, quo naſcens malum comprimi poſſit: *Datum Spolet.* v. *kal. ſept. pont. noſtri anno* VIII. Ex quibus videtur Gregorius ſua diligentia illud emergens bellum ſuſtuliſſe, Regemque Aragonum ab infeſtanda Navarra abduxiſſe.

Controverſiam ſopire ſtudet Greg.

Exci-



I. Romani in Pontificem rebellionem movent.

EXcitarunt ingentes ſeditionum motus, ineunte redempti humani generis anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto indictione octava, Romani, atque in fidiſſimos Eccleſiæ clientes, ut eos ſuæ ſubiicerent ſervituti, atroces iras exercuerunt: inter quos Velletrenſes ſævos eorum impetus ob egregiam in Pontificem ſervatam fidem atque conſtantiam exceperunt, ut Gregorii ad ipſos datæ oſtendunt litteræ, quibus de inſolentia Romanorum queſtus eſt, acceptumque ex inflictis illis injuriis dolorem conatus eſt delinire: *Amariſſime clamare, compellimur, quod cum quieſcere crederemus, gravis & ſæva perturbatio ſupervenit, quam cum facile prævifam potuerimus evitare, conatus contrarios reprimendo forſan arguimur, quod adeo ſolitam Apoſtolicæ ſedis patientiam obſervare volumus, ut videamur aliis intolerabilis inſolentiæ materiam præſtitiſſe: Romani enim, creſcentibus eorum iniquitatibus, quibus multiplicatis ſanguis ſanguinem tetigiſſe videtur, ad eam tyrannidem devenerunt, ut ingrati beneficiorum innumerabilium, quibus eſt eos mater Eccleſia proſecuta, facti ei hoſtes, in capite dignoſcantur, ad cujus deſiderabilia manum mittentes, moliuntur eandem libertate, ac proprio patrimonio ſpoliare, filios ſuos perdere, ac fideles, illoſque cum ipſa ſubiicere ſervituti. Super quo tanto dolemus amplius & triſtamur, quanto magis ex hoc attendimus periculum imminere, cum non ſolum Romana, ſed etiam generalis Eccleſia concutiatur propter exempli perniciem in hac parte, pro eo quod hoc eſt in exemplar aliarum, & ſpeculum conſtituta, &c.* Hortatur, ut in adverſis rebus generoſos ſe præbeant, brevi enim concitatam in ipſos illam procellam disjectum iri: *Dat. Peruſii* IV. *januar. ann.* VIII. Aliiſque litteris (*a*) eorum fortitudine, ac fide commendata, tum ipſos ac Viterbienſes, (*b*) Tuſcanenſes (*c*) plureſque alios populos (*d*) ſacramenti religione, ſi quo ſeſe Romanis contra jus pontificium aſtrinxiſſent, liberavit. Ad coercendos demum rebelles conſtitutionem edidit, qua cautum, ne caſtrum ullum in Sabina Rom. Eccleſiæ vectigali, (*e*) niſi poteſtate a Pontifice facta, excitari poſſet. Atque, ut improborum audaciæ fræna iniiceret, caſtrum, cui Gualdi nomen eſt, in Spoletano ducatu pretio ingenti comparavit, ac Radicofanum & Faliſcorum montem arces firmiſſimis mœnibus, & propugnaculis cinxit (*f*). [1]

Velletrenſes ob ſervatam in Pontif. fidem exagitant.

(a) *Lib.* 8. *ep.* 392.
(b) *Ib. ep.* 453.
(c) *Ep.* 468.
(d) *Reg. poſt eand. ep.*
(e) *Extant in bullar. to.* I. *in Greg. IX.*

Radicof. & Faliſc. mons magnis molibus firmat.

(f) *Vit. Greg. auth. anonym.*

Tan-

NOTÆ [1] LAbbei in collectione conciliorum adjutor Coſſartius collect. Labbeanæ Venet. edit. to. XIII. pag. 1317. hoc anno recitat conciliabulum quoddam Moguntinum, in quo cauſa illorum, quos Conradus Marpurgenſis damnaverat, iterum diſcuſſa abſoluti ſunt. Conventum hunc reſciſſe ſe profeſſus eſt ex epiſtola Gregorii IX. ad archiepiſcopum Salisburgenſem, quam recitat Angelus Manrique in to. IV. annal. Ciſterc. ad annum 1235. In ea pontifex meminit concilii cujuſdam, *in quo plures* eccleſiarum *prælati, & principes ſæculares* convenerunt, ubi interfectores Conradi Marpurgii abſolutionis gratiam obtinuerunt; id autem præpoſtere ab illis factum ſede apoſtolica inconſulta queritur: tum ſubdit: *nos igitur etſi hactenus iſta diſſimulationi dederimus, ſuper eiſdem tamen in poſterum procedemus.* Data eſt hæc epiſtola *II. Kal. auguſti pontificatus anno IX.* ideſt anno 1235. Ex poſtremis his verbis non inani coniectura ſuſpicatur Coſſartius, ſermonem hic eſſe de concilio quodam ante hunc fortaſſe annum, ſed poſt necem Conrado illatam anno 1233. habito. Nec falſus eſt vir clariſſimus, quanquam in eo errat, quod concilium hoc Moguntinum inſcribit, cum Francfordienſe appellandum eſſet. Sublato enim Conrado hi, *quos ille pro hæreticis totonderat* (quod erat ſignum acceptæ poſt hæreſim ejuratam pœnitudinis) *fere quinquaginta viri omneſque ſine qualibet contradictione ſubjecerunt ſe, ac omnia ſua, tam ſpirituali, quam ſæculari poteſtati. Sex enim ex iſtis, qui occiſioni Conradi interfuerunt, quantum ad cauſam hæreſeos eccleſiaſtico, quantum vero ad cauſam interfectionis ſæculari ſe judicio ſpontanee tradiderunt præſentandos publico examini in curia ſolemni Franckenevurt in purificatione celebranda.* Verba ſunt hæc anonymi Erfordienſis, qui dein annum MCCXXXIIII. ita exorditur: *Rex Henricus curiam ſolemnem Franckenevurt in purificatione celebravit.* In eo conventu ſtitiſſe narrat *illos infamatos, qui anno præterito ſe eccleſiæ examini dediderant, atque crucem ante ſe ferentibus illis, inſuper de defuncti Cunradi factis clamoſis vocibus miſerabiliter querelantibus, tantus ſubito cœpit oriri tumultus & turbatio, ut hi qui ex parte magiſtri Cunradi extiterant ſe manus adverſariorum deſperarent evadere.* Denique anonymus idem narrat comitem de Syene abſolutum fuiſſe, & de cæteris *ut omnes ad infamiæ expurgationem admitti jure deberent.* Hoc ergo & non aliud Moguntiæ habitum concilium pontifex deſignat & reprobat; ideoque in nova, ſi quæ fiet, conciliorum collectione duo iſta corrigenda ſunt. Expuncto enim anno 1235. conciliabulo Moguntino an. 1234. conciliabulum Franfordienſe adſcribendum eſt, cui ſubiicienda duplex illa Gregorii epiſtola, quæ modo ſub titulo conciliabuli Moguntini in editione Labbeana datur. Cauſa erroris hujus ex eo deducta, quod conciliabulum coactum fuiſſe eo anno crederetur, quo Gregorii epiſtola data eſt nempe anno 1235. eodem vero Moguntiæ ſolemnis curia coivit. Sed cum Moguntinus hujus anni conventus nonniſi medio auguſto menſe cœperit, teſte anonymo Erfordienſi, aliiſque, & Gregorii literæ diem XXXI. julii ſignent, quem ille commemorant conventus, a Moguntino hujus anni plane diverſus eſt. MANSI

II. Agitatum de concordia Pont. inter & Rom. ineunda. Quæ leges a Greg. Romanis dictæ.

Tandem vero illa ſeditionum tempeſtas ſedata eſt, deque pace agitari cœptum, ad quam conciliandam hæ leges ab Pontifice Romanis propoſitæ. Ut ob excitatum Montis alti caſtrum, poſtulatos obſides, fidei ſacramenta ab indigenis extorta, certos limites impoſitos, adactos nonnullos Tuſcos, ac Sabinos in verba præfectorum juſtitiæ, invaſa Eccleſiæ eique obnoxiorum bona, laceſſitum bello Raynerium Cardinalem, ſpoliatum Lateranenſe palatium, ac direptas quaſdam Cardinalium domos, illatas eccleſiis nonnullis clades, atque ob editam ſanctionem, ne Pontifex in Urbem admitteretur, ni prius inflicta Romanis damna refudiſſet, ſedi Apoſtolicæ ſatisfieret. Subjuncta ſunt nonnulla alia poſtulata Eccleſiæ, quibus Romani annuere jubebantur, ne clerici, atque ii, qui e pontificia, vel Cardinalium familia eſſent, ad tribunal ſæculare raperentur, ulliſve pœnis ſiſtere ſe compellentur: ne pariter, qui ad ſedem Apoſtolicam, ad luſtranda Apoſtolorum limina Romam accederent, ad judicem ſæcularem traherentur: nullum vectigal eccleſiis viriſque eccleſiaſticis ſive in Urbe, ſive in agro infligerent: pacem cum Imperatore tum Anagninis, Signinis, Velletrenſibus, Viterbienſibus, Campanis, & aliis, qui Pontificias partes foviſſent, religioſe colerent: qui e patrimonio forent, amplius ad capitolium non raperentur. His adiicitur, Eccleſiam profiteri aperte, ſi in patrimonio conſtitutos afflixerint, ipſam certiſſime ipſorum patrocinium ſuſcepturam, inflictaſque injurias vindicaturam.

III. Demiſſe a Romanis exceptæ.

Annuere pontificiis poſtulatis Romani, imperataque facturos ſe admiſere: ſolemni enim ritu populus ad capitolium congregatus, toleratiſque belli incommodis defeſſus, pacis propoſitas leges accepit, atque ita prætorem totius populi nomine ſacramento ſe ad pacem colendam devincire juſſit: tum ſenator curiæque proceres ſimili jurejurando ſeſe obſtrinxere. Cardinales ergo quorum opera res ad felicem ſtatum perducta erat, geſtæ rei ſeriem literis (*a*) Pontifici expoſuere, precibuſque ſummis ab eo contenderunt, ſuis vetaret, ne Romanis contra pacis leges moleſtiam ullam infligerent, eoſve ulla ratione laceſſerent, ne nova bellorum incendia erumperent, pacatique jam animi aſperarentur; tum etiam, ut Romanos bello captos vinculis laxaret, perfectiſque jam ex parte Romanorum omnibus ad pacem ſanciendam neceſſariis, grave dedecus Eccleſiam ſuſcepturam, ſi in aliquo fidem violaret: quo porro omnis ab animis Romanorum abſtergi ſuſpicio poſſit, Joannem Columnam Reate profectum, ut ibi pontificia imperia excipiat, & captivos vinculis ſolutos Romam adducere patriæque reſtituere poſſit.

(*a*) *Ext. Greg. l.9.*

IV. Confirmatæ a Malabranca ſenat.

Extat quoque in eodem regeſto nuncupati ſacramenti forma, (*b*) quo Malabranca ſenator ad petita a Pontifice implenda, & capita pacis propoſita religioſe ſervanda ſe obſtrinxit, quam nobis annalibus noſtris inſinuare viſum eſt: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ad honorem omnipotentis Dei, & B. Mariæ ſemper Virginis, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & omnium ſanctorum; ad honorem quoque ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ matris noſtræ, & ſanctiſſimi patris noſtri domini Gregorii Dei gratia ſummi Pontificis, nos Angelus Malabranca Dei gratia almæ Urbis illuſtris ſenator, decreto & auctoritate ſacri ſenatus, mandato quoque & inſtanti acclamatione inclyti populi Rom. ad ſonum campanæ, & buccinarum publice, & pleniſſime in capitolio congregati, ad propoſitionem venerabilium patrum dominorum R.... Portuenſis, & S. Ruffinæ epiſcopi I.. de Columna tit. S. Praxedis, & ſanctæ Mariæ trans Tyberim presbyterorum Cardinalium ſuper diſcordia inter ſacroſanctam Rom. Eccleſiam matrem noſtram & eundem ſanctiſſimum patrem noſtrum ſummum Pontificem, & ſenatum populumque Romanum exorta, nomine ſenatus & populi promittimus nos ſatiſfacturos ad mandatum ipſius domini Papæ ſuper facto ædificii, & obſidibus Montis alti, juramentis exactis tempore ſenatus Lucæ de Sabellis, & terminis poſitis tempore ſenatus ejuſdem in patrimonio, & terris fidelium Eccleſiæ. Et quia juſtitiarii in Sabiniam, & Tuſciam tempore ejuſdem ſenatus iverunt ad exigenda juramenta prædicta, & poſſeſſiones Eccleſiæ, & fidelium ſuorum occupandas, & ſuper diffidatione domini Raynerii S. Mariæ in Coſmedin venerabilis diaconi Card. & magiſtri Bartholomæi notarii, & ſuper ſpoliatione ſacri Later. palatii, & occupatione illius, & ſuper ſpoliatione domorum quorundam Cardinalium, & ſuper privilegiis factis Rainucio, & aliis Romanis pro eorum damnis, ſuper bonis eccleſiarum Oſtienſis, & Tuſculanæ, & Peneſtrinæ epiſcopatuum, & aliarum eccleſiarum, & aliis poſſeſſionibus, & terris fidelium in patrimonio B. Petri, & ſuper ſtatuto facto, vel privilegiis, quod Rom. Pontifex non regrediatur ad Urbem, ſeu quod non faceremus pacem cum ipſo, niſi prius reſtitueret quinque millia librarum, recepta mutuo ſuper Roccha de Papa, & omnes expenſas, & damna illata Romanis cujuſcumque conditionis, vel ordinis. Quas diffidationes & privilegia ſupradicta auctoritate ſacri ſenatus, & mandato populi evacuamus, & in irritum penitus revocamus.*

(*b*) *Ib. l.9.*

*Ut autem inter nos, & S. Rom. Eccleſiam, & eundem ſanctiſſimum, & reverendiſſimum patrem noſtrum, & ſucceſſores ipſius de cætero ceſſet materia quæſtionis, quem ob reverentiam Jeſu Chriſti, cujus vicem gerit in terris, & B. Petri Apoſtolorum principis, cujus ſucceſſor exiſtit, intendimus tanquam devotiſſimi filii venerari, & totis viribus honorare; maxime quia honori, & famæ hujus almæ, & inclytæ Urbis expedire videmus, auctoritate ſacri ſenatus, conſenſu, & mandato ipſius populi ordinamus, ſancimus, ſtatuimus, & firmiter ſtabilimus, quod omnes clerici, & eccleſiaſticæ perſonæ, qui ſunt in urbe & extra, & familiæ domini Papæ & Cardinalium conveniantur tantum ſub judice eccleſiaſtico, nec ad ſæcularem trahantur, nec ad hoc cogantur per foſſiones domorum, aut alio compulſionis genere, nec aliqua occaſione inquietentur. Quod autem dictum eſt de familiis domini Papæ & Cardinalium, non intelligimus de civibus Romanis laicis, qui habent domos & familias in Urbe, licet familiares dicerentur, vel eſſent.*

VI. *Item quod amodo nulli clerici, vel religioſi, vel laici cujuſcunque conditionis, vel ordinis, qui veniunt ad Apoſtolicam ſedem, vel limina beatorum Petri & Pauli, in veniendo, morando, & redeundo trahantur ad judicem ſæcularem, nec aliquo modo cogantur, ſed a ſenatore & ſenatu potius defendantur; & quod nulla collecta, vel exactio fiat ab aliquibus eccleſiis, clericis, vel perſonis religioſis tam in Urbe, quam extra. Reſtituimus præterea perpetuam pacem perpetuo ſervandam domino Imperatori & ſuis. Item Anagnienſibus, Signienſibus, Velletrenſibus, Viterbienſibus, Campanis, Maritimanis, Sabinenſibus, comiti Guillelmo, & omnibus aliis hominibus de patrimonio, omnibus adjutoribus, & fautoribus Eccleſiæ. Præcipimus itaque, & præſente auctoritate ſancimus, quod nullus ſenatorum, unus vel plures, qui per tempora erunt, quolibet modo vel ingenio contra hoc noſtrum privilegium venire, vel facere præſumant. Si quis vero contra facere tentaverit, iram ſenatus graviter incurrat & odium, & inſuper ſolvere teneatur centum libras auri pro muris Urbis, & pœna ſoluta hoc privilegium ſemper firmum perduret.* Adjecta quoque jurisjurandi forma, qua urbani forenſeſve magiſtratus ſeſe ad pacis conditiones obſervandas aſtrinxere: tum nonnulla ſenatoris decreta, quæ ad majus promiſſis ſervandis capitibus, ac petitis ad Eccleſiæ libertatem, eccleſiaſticorumque dignitatem ſpectantibus, addendum robur promulgavit: quæ cum a ſuperioribus parum differant, prætermittere viſum eſt.

Corroboratæ ſacramento ab aliis magiſtratibus.

VII. Dum pacem hanc cum Romanis tractaret Pontifex, Fridericum, qui gerendi illius belli curam admiſerat, turpiſſimeque, ut vidimus, cum Riſpampani obſidionem ſolvit, deſeruerat, certiorem fecit, cui ille defendendæ Eccleſiæ ſtudium præ ſe ferens, hæc reſcripſit: (*a*) *Licet multa rerum diſpendia, & gravia damna paſſi fuerimus magnarum, & nobilium perſonarum, de quibus non potuimus non dolere, ſingula tamen credimus commode ſucceſſiſſe, ſi rei exitus ad nutum veſtrum, & fratrum veſtrorum pacem, & honorem reſpiciat eccleſiaſticæ libertatis. Nam ſi, quod abſit, aliter ſequeretur, & veſtram exinde non proſequeremini voluntatem, tunc reputaremus incommodum geminatum. Quia vero defenſionem Eccleſiæ ſolicitudini noſtræ placuit commiſiße, paternitatis veſtræ providentiæ, ac fratrum duximus committendum; quod ſi pax ad honorem, & exaltationem Eccleſiæ provenerit, ut optatur, quod in oculis veſtris gratius fuerit, faciatis. Nec pro eo, quod neceſſitas ad remotiora provocat iter noſtrum, inclinetis ad pacem inutilem minus honorifice motus veſtros, pro firmo gerentes, quod, etſi a præſente itinere deſiſtere non poſſimus, nihilominus per exhibitionem operis oſtendemus, quod non dimittamus Eccleſiam indefenſam.*

Ineundæ pacis certiorem Fridericum reddit Gregor.

(*a*) *Apud Greg. l.9. ep.13.*

Quæ reſponſa a Friderico.

VIII. Frid. in Germ. adverſus Henr. fil. expeditio.

Adornabat tum temporis Fridericus expeditionem in filium Henricum Regem, qui parenti Germanicum diadema eripere moliebatur, uti Albertus Stadenſis, (*b*) fragmenti hiſtorici incertus auctor (*c*), aliique recentiores affirmant, ac Gregorii Papæ geſta litteræque teſtantur: quamobrem Pontifex contumacem principem cenſuris comprimere niſus, archiepiſcopi Salisburgenſis opera, anathematis ſententia perculit (*d*). Sed ad lucem his affundendam ejus vitæ anonymum auctorem audiamus: *Prædictus interim Imperator contra Henricum ejus filium, qui patris excluſo dominio, regni Theutoniæ regebat habenas, diſponens in Theutoniam proficiſci, ſedis Apoſtolicæ ſubſidium imploravit: ſed pia mater ingratitudinis oblita prædictæ compaſſionis viſcera reſumens, filium, quem educavit infantem, defendit multo labore pupillum, & provexit ad culmen Imperii jam adultum, ne planta tot culta ſudoribus percuteretur uredine, ſed manu ſubdita rigantis fructus afferret uberes, fulſa licet opinione ſervata, eidem contra filium & ejus complices conceſſit apoſtolicas litteras juxta petentis arbitrium, modum petitionis, & formam. Procedit itaque quaſi novus Eccleſiæ Romanæ legatus literis papalibus præmunitus, quarum cenſuram Theutoniæ principes tutores catholicæ fidei formidantes, patris reſumpto dominio, de filii conſortio receſſerunt.*

(*b*) *Stad. in chron. hoc ann.*
(*c*) *Frag. hiſt. auct. eod. ann.*
(*d*) *Greg. l.9. ep. 171.*

Favet Frid. Gregorius.

IX. Extant apoſtolicæ litteræ, (*e*) quibus Gregorius epiſcopos cæteroſque Imperii principes, rebellem filium, divinæ legis immemorem, hoſtem naturæ, paternique amo-

(*e*) *Lib. 8. ep.461.*

Pro revocandis ad officium Germanis laborat.

amoris contemptorem, conſilio aliave ratione juvare vetat, ipſiſque vitio tribuit, tantum facinus permiſiſſe tum hortatur effrænatum juvenem cœptis avocare ſtudeant: poſtremo juramentum reſcindere, quo ſe ſe illi adverſus Fridericum devinxiſſent.

*Archiepiſcopis, epiſcopis cæteriſque principibus, tam eccleſiaſticis quam mundanis per Imperium conſtitutis, præſentes literas inſpecturis.*

Datæ eo argum. apoſt. lit.

*Rem multiplici ratione placitam, & evidentibus indiciis fructuoſam qui diligit invitus lædi patitur, & ſtudioſus eandem opportuno tempore prætuetur. Hinc eſt quod cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Fredericus, ex eo nobis potiſſime dilectus, & diligendus exiſtat, quod ad tuendum ſacerdotium ipſum noverimus a Domino deputatum; & quia devotionem ejus diverſis experti temporibus, illam ferventem in devotione ſenſerimus eccleſiaſticæ libertatis, pati nolentes, ſicut etiam nec debemus, quod a quoquam ſibi aliqua inferatur injuria, vel jactura, univerſitatem veſtram rogamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, quatenus provida meditatione penſantes, quam indecens, & probroſum exiſtat, ut patrem filius, ſeu quemquam benemeritum quiſquam gratis offendere moliatur, dilecto filio Henrico nato Imperatoris ejuſdem, qui tanquam nec viſu, nec auditu perceperit, quæ genitoribus a filiis reverentia debeatur, divinæ legis immemor, & affectionis humanæ contemptor, dicto Imperatori ſe petram oppoſuiſſe ſcandali perhibetur, nullum in concepta proſecutione nequitiæ præſtetis conſilium, auxilium, vel favorem: ſed ipſum potius, quem non abſque gravi nota procedere ad exceſſum tam deteſtabilis inconvenientiæ permiſiſtis, quod velut a ratione diſſonum, & actori juſtitiæ penitus inimicum indigne gerimus, & omnimode reprobamus, de invio diſcriminis prudenter & efficaciter ad rectitudinis ſemitam, ſublato tarditatis obſtaculo, reducatis; ſolerti ſtudio procurantes, quod ab incepta temeritate deſiſtens, quam ulterius protendi nolumus ſed ſuccidi, præſertim cum his potiſſime temporibus pro ſuccurſu Terræ ſanctæ debeat in pace conſtitui univerſitas fidelium nationum, feſtinus ad obtinendam patris benedictionem, & gratiam accingatur, impiis colligationibus, quas contra ipſum damnabiliter feciſſe dignoſcitur, diſſolutis. Verum, ut quod petimus, eo facilius conſequatur effectum, quo vacuis aliquorum exceptionibus non extiterit impeditum, omnes, qui contra juramentum fidelitatis prædicto Imperatori præſtitum, præfato nobili juramentis præſtitis adhæſerunt, duximus abſolvendos, illa irrita decernentes. Dat. Peruſii* III. *idus martii an.* VIII Eademque die epiſcopo Ratiſponenſi curiæ imperialis ſigilli præfecto mandavit (*a*) in Herbipolenſem & Auguſtenſem epiſcopos, ac Waltuenſem abbatem inquireret, quos fama erat Henrici Regis partibus implicitos, & ſi culpæ reos inveniret, apoſtolico pro imperio injungeret, ut ſedi Apoſtolicæ, intra duorum menſium ſpatium, ſe ſiſterent: eandem ſententiam continent aliæ ad ipſum Ratiſponenſem, & Ildeſemenſem epiſcopos datæ (*b*). De epiſtolis porro ab Rom. Pontifice adverſus Henricum, in gratiam Friderici ad Germaniæ principes miſſis nonnulli recentiores hiſtorici in hunc annum meminere. (*c*)

(*a*) *Reg.* 8. *pag.* 36.

(*b*) *Lib.* 9. *ep.* 232.
(*c*) *Naucl. in chron. Pandulph. Collenut. hiſt. Neap. l.* 4. *Sigon. hiſt. de reg. Ital. l.* 4.

X.

Henr. ad parentis obſequia ſe dimittit. Jubentur a Greg. cenſurarum religione ſolvi.

Cæterum profecto in Germaniam Friderico, cum vires ſuas Henricus paternis impares cerneret, velle ſe parenti ſubmittere præ ſe tulit, receptuſque a Friderico in gratiam eſt, ut Richardus (*d*) & Godefridus (*e*) docent, literæque Gregorii (*f*) oſtendunt, quibus prædicto Ratiſponenſi imperialis ſigilli præfecto Henricum, anathematis vinculis irretitum, ex canonum præſcripto ſolveret, provinciam injunxit: *Cum nobilis vir Henricus natus chariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici Romanorum Imperatoris, pro perjurio, quod incurrit, ſe patri temere opponendo, ſit per venerabilem fratrem noſtrum Salzeburgenſem archiepiſcopum, auctoritate noſtra, excommunicationis vinculo innodatus, præſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus eidem, cum ſit ad ipſius Imperatoris gratiam jam reverſus, juxta formam Eccleſiæ, beneficium abſolutionis impendas, ſufficienti ab eo prius cautione recepta, quod militibus Danis, ab obſequio Romanæ Eccleſiæ redeuntibus, nec non clericis accedentibus ad illam, & redeuntibus ab eadem, quos fecit bonis ſuis, non abſque divina, & Apoſtolicæ ſedis injuria ſpoliari ſatisfaciat competenter. Dat. Peruſii kal. auguſti.* [1]

(*d*) *Rich. de S. German. in chr.*
(*e*) *Godef. in annal. hoc ann.*
*f*, *Greg. l.* 9. *ep.* 172.

Non

NOTÆ [1] Ut more noſtro omnia, quæ hic junctim traduntur in Annalibus, chronicis characteribus adjectis apte diſtinguamus Fridericus *menſe majo* hujus anni *egreſſus ab Italia partes Theutonia aggreſſus fuit*, nempe repetiit, quæ verba ſunt anonymi Erfordienſis in chron. ad hunc annum. Id intelligens Henricus rex, ſimulque noſcens ſe ab omnibus pene deſtitutum, de patris indulgentia poſtulanda cogitare cœpit. Itaque *veniam a patre poſtulans in Vvimphe gratia ſua, ſe ſuaque omnia contradidit*, ait idem anonymus ibidem, qui & proſequitur; ſed *patre compoſitionis, & ſatisfactionis formam in Vormaciam deferente XVII. Kal. auguſti* (Corradus Hildensheimenſis in epiſtola ad Gregorium, relata in vindemiis Schannat to. I. pag. 200. ha-



XI. Conjicitur in carcerem a Frid.

(*a*) *Stad. in chron.*
(*b*) *Rich. de S. German. in chron.*
(*c*) *Fragmen. hiſt. incer. auctor. Naucler. loc. citatis. Pandulph. Collenut. & alii.*

Non ita Fridericus acceptam injuriam filio remiſit, ſive enim impia in patrem conſilia agitare cœpiſſet, ſive ſiniſtram ſine cauſa de filio pater opinionem concepiſſet, ſive alia de cauſa illum regno exuit, carcerique mancipandum in Italiam non apud Brutios, uti Stadenſis (*a*) aſſerit, ſed potius Apulos, ut affirmant Richardus (*b*) & alii (*c*) cuſtodiendum miſit, qua de re hæc in Gregorii geſtis addita: *Quem tandem ad ejus gremium, cum ſupplicatione veniæ, redeuntem non induit ſtola prima, non occidit vitulum ſaginatum, ſed præſcriptum in Apuliam, regionem longinquam, pater hoſte crudelior cuſtodiæ mancipavit*. Id vero anno ſequenti ineunte contigiſſe teſtatur Richardus (*d*) *MCCXXXVI. menſe Januarii Imperator filium ſuum Henricum ſub fida cuſtodia, per marchionem Lanceæ mittit in regnum, & in Apulia in rocca, quæ dicitur S. Felix ſervandus traditur*. Ubi Henricum etiam anno proximo mortem oppetiiſſe legitur in fragmento incerti hiſtorici: nec defuere, qui neci a patre traditum exiſtimarent, de quibus fuſius laudati auctores [1] (*e*). In locum porro Henrici Fridericum alium filium, cui Conrado nomen erat, ad Germanici regni apicem poſtea extulit.

Relegatur in Apuliam.
(*d*) *Rich. ib.*
(*e*) *Stadenſ. Godef. Math. Pariſ. hiſt. Angl. Elvag. chr. Frag. hiſt. incer. auct. Naucler. Pandulph. Sigonius, & alii recent.*

XII. Studet Pont. Longob. adducere ad pacem cum Imp.

Nec Germanos modo perduellionem Henrici ſecutos ad Friderici obſequium adducere ſtuduit Pontifex, verum operam etiam omnem, ut Inſubriæ tumultus ſedaret, collocavit: eo enim ſpectabant pontificia conſilia, ut pace inter clientes Imperii revocata, arma in Sarracenos verterentur, qua de re ad Inſubriæ, Flaminiæ, & marchiæ Tarviſinæ præſules ſcripſit (*f*) ac patriarcham Antiochenum, cui legati ſedis Apoſtolicæ munus, ad extinguendam diſcordiam impoſuerat, honorifice excipere, ejuſque conſiliis obſecundare juſſit: *Ecce venerabilem fratrem noſtrum, patriarcham Antiochenum, virum utique providum, & diſcretum, quem ob ſuæ devotionis fervorem, & propriorum meritorum exigentiam nos, & fratres noſtri charum habemus admodum & acceptum, conceſſo ſibi plenæ legationis officio, ad partes ipſas de fratrum noſtrorum conſilio providimus deſtinandum, ut evellat & deſtruat, ædificet & plantet, quæ deſtruenda & evellenda, ædificanda noverit & plantanda. Monemus itaque univerſitatem veſtram attentius, & hortamur præcipiendo mandantes, quatenus præfatum patriarcham, tanquam legatum Apoſtolicæ ſedis, & magnum in Eccleſia Dei locum habentem, immo nos*

(*f*) *Eod. l.* 9. *ep.* 73. Antiochenum patr. legatum mittit ad Inſubr.



NOTÆ habet *idibus julii; ſed forte die illa nuptiæ celebratæ ſunt, ſuccedenti vero nova imperatrix coronata fuit*) *imperator ſororem regis Angliæ* (Iſabellam) *ibidem Vormatiæ matrimonio ſibi ſolemniter copulavit; ubi rex Henricus audita compoſitionis forma a patre promulgata fugam inire paravit, quem pater captivum Caſtro Heidelber cuſtodiendum tradidit; & poſt hunc in Rethiam caſtro Alreheim ſervandum commiſit. Tandem imperator adhuc timens per ipſum ab amulis ſuis imperii turbationem moliri, per epiſcopos Salzburgenſem, & Babembergenſem eundem in Apulia transmittens Caſtro Balerne recipi mandavit*. Tranſmiſſionem hanc Henrici in Apuliam nonniſi januario menſe ſequentis anni 1236. contigiſſe Richardus a S. Germano author eſt, & arcem cuſtodiæ regis aſſignatam *S. Felicem* idem Richardus appellat. Diſſidii hujus inter filium, & patrem originem & fomenta nemo huc uſque, quem viderim, aſſignat; quare rei notitiam accuratiorem ex apologetica epiſtola ejuſdem Henrici ad Conradum Hildesheimenſem erutam hic tradere ingratum fore lectoribus minime arbitror. Scribit in ea Henricus, decretum fuiſſe in ſolemni curia Francfordienſi præcedenti anno in Purificatione celebrata, teſte anonymo Erfordienſi, *ut caſtra quadam, & munitiones de quibus rapina, & incendia fieri conſueverant* amolirentur; ejuſque rei executionem Henrico de Nyſen commiſſam, qui & arcem fratrum de Hehenloch cum cæteris evertit. Patri id diſplicere in filio cœpit, a quo pariter filio obſides a duce Bavariæ & marchione de Badati exacti, & detenti ſunt. Viciſſim imperii feuda nonnulla, facta ſibi a patre poteſtate, amicis ſuis contulit, & pater rata hæc habere recuſavit. Mandavit inſuper Fridericus, ut arcem Langemberc, quam pupillo cuidam in ſolemni Francfordienſi conventu adjudicaverat, ab eo tolleret, & Godefrido de Hohenloch aſſignaret; & filius impotentiam ſimulans parere renuit, quanquam aſſignaſſe ſe eidem Godefrido compenſationem 2000. marcharum profitetur. Alia id generis utrinque diſſenſionis fomenta ſubjecta ſunt, quæ patrem in filium incenderunt adeo, ut quanquam filius ſemel & iterum patri ſupplicaret per deſtinatos a ſe principes, Moguntinum ſcilicet archiepiſcopum, & Bambergenſem epiſcopum, æquiorem ſibi tamen illum efficere minime potuerit. Hæc omnia legas in epiſtola ejuſdem Henrici data IV. nonas ſeptembris, quam hoc anno ſcriptam fuiſſe inde colligo, quod de acceſſu ſuo ad patrem nihil memorat. Vulgavit illam Schannat in Vindemiis to. I. pag. 198. Eadem filio exprobrat Fridericus in epiſtola ad principes imperii, quam legas apud Hahnium in collect. Monum. tom. I. pag. 225. in qua filium accuſat de moleſtia principibus illata per *requiſitionem* obſidum, aliaſque multiplices vexationes. Mansi.

[1] Henricum hoc anno in carcerem ab imperatore actum, mortem anno ſequenti oppetiiſſe author fragmenti hiſtorici apud Annaliſtam hic tradit. Anno 1238. diſceſſiſſe illum ſcribit anonymus Erfordienſis ad eundem annum, qui unus ex omnibus docet illum, antequam abiret ad ſuperos e captivitate liberatum in patris gratiam rediiſſe. Sed utrumque errare certum eſt, cum Richardus a S. Germano, qui tunc circa illa Italiæ loca agebat, & ſcribebat, affirmet obiiſſe illum in carcere an. 1242. menſe februario. Vide Annales ad annum 1242. n. 20. Mansi.

*in ipſo potius recipientes hilariter & honeſte tractantes, ejus ſalubribus monitis & mandatis intendatis, & obediatis humiliter ac devote, ſtatuta, quæ pro reformatione pacis, ac negotio fidei, conſervatione eccleſiaſticæ libertatis, correctione morum, & ſalute animarum duxerit facienda, inviolabiliter ſervaturi, &c. Dat. Peruſii* XII. *kal. junii pontif. noſtri anno* IX.

XIII. Urget Fridericum controverſiam in ſuum arbitrium conferat.

(a) Ep. 169.

Inſtitit etiam, ut Fridericum ad concordiam flecteret, qui quamvis antea, ut dictum eſt, controverſiam Pontificis judicio dirimendam permiſiſſet, recrudeſcentibus novis diſſenſionibus a cœptis reſilierat: quare pontifex datis Peruſii v. kal. aug. literis proceres, eccleſiaſticos, ac laicos, & qui in imperiali aula auctoritate florebant, ſolicitavit (a) urgerent Fridericum, ut quemadmodum cœperat totam controverſiam, in Pontificis arbitrium conferret: non enim expeditionem ſacram adverſus infideles comparari poſſe, niſi mutua concordia populi conjuncti eſſent. Aſſenſit Gregorio Imperator, ac ne res diutius traheretur, eam legem adjecit, ut controverſia proximo natalis Chriſti die, adjecta in compromiſſo triginta millium marcharum mulcta, dirimeretur; & ſi Inſubres pontificiæ ſententiæ ſtare reſpuerent, anathemate defigerentur, viſum eſt Pontifici, ad componendam rem arduam, datum anguſtum tempus; ne tamen ſuſceptæ provinciæ deeſſet, patriarchæ Antiocheno injunxit (b), Inſubres moneret, ut oratores ad permittendam ipſius Pontificis maximi judicio controverſiam ſumma inſtructos auctoritate mitterent.

Aſſentitur Imp. ſed tempus anguſtioribus terminis circumſcribit.

(b) Ib. ep. 237.

*Gregorius, &c.*

Longobardi juſſi oratores idoneos citiſſime tranſmittere.

*Mandamus quatenus præfigas rectoribus ſocietatis ejuſdem, ac ipſis Lombardis pro termino kal. dec. proximo nunc futuras, in qua per ſyndicos, ſeu per procuratores ſufficientes & idoneos, plenum mandatum habentes, ad ponendum totum negotium ſub præſcripta forma in manu Eccleſiæ, & parendum ſuper eo præciſe mandatis noſtris, & ad prorogandum ipſum terminum, ſi viderimus expedire, omni dilatione ac excuſatione ceſſantibus, compareant coram nobis. Alioquin ſibi poterunt imputare, ſi quod eis periculum exinde contigerit imminere. Dat. Aſſiſii* VI. *kal. octob. anno.* IX. Eodemque argumento Inſubriæ fœderatarumque urbium præfectis ſcripſit: (c) ut vero diſcordia in apertum bellum, fruſtra exortam flammam extinguere ſatagente Pontifice, eruperit, ſequenti anno dicetur.

(c) Ep. 238.

XIV. Diſſentientes plures populos conciliare nititur Pont.

Ad conciliandos etiam mutuis in ſe odiis efferatos Flaminiæ, Piceni ac Umbriæ populos ejuſdem patriarchæ opera uſus eſt Gregorius, ut literæ ad prætorem populumque Britenorenſem edocent. Miſerandas enim clades hinc Ravennates, Bretenorii, Forojulienſes, Ariminenſes, ac Foripompiliani ſimul conjurati; inde Faventini, Ceſenates, Urbinates, Cervienſes, mutuo ſibi inferebant, ut pluribus proſequitur Hieronymus Rubeus. (d) Tum paternas curas applicuit (e) ut ſubortam inter Aſſiſinates cives diſcordiam ſedaret; quibus etiam nonnulla ſervanda injunxit, atque ad ea perficienda, conjectura eſt Gregorium Aſſiſium ſe contuliſſe, ubi ultra menſem commoratum teſtantur ejus epiſtolæ (f). Præterea epiſcopum Præneſtinum in Tuſciæ provinciam legatum miſit (g), quo Florentinos, Senenſes, & Urbevetanos, perfidorum opera alienatos, in concordiam adduceret; cunctoſque ſedis Apoſtolicæ in Tuſcia fideles monuit (h) diſſenſiones ac bella emergentia compeſcerent, unde damna ingentia eccleſiis inferrentur. Tum Rolandum ſubdiaconum, & capellanum ſuum, ad conſilia, & fœdera in populorum Romanæ Eccleſiæ obnoxiorum perniciem, atque Apoſtolicæ ſedis contemptum eruptura, diſſolvenda incumbere juſſit (i); eodemque argumento Viterbienſibus literas miſit (k) ex quibus aliiſque colligitur hæreſim ibi pullulaſſe (l).

(d) Rub. hiſt. Raven. l. 6. Sigon. de regn. Ital. l. 17.
(e) Lib. 9. ep. 111.
(f) Ib. ep. 221. & 254.
(g) Ep. 45.
(h) Ep. 178.
(i) Ep. 179
(k) Ep. 177
(l) Ep 192.

XV. Hæreſis Viterbii gliſcit.

Cum vero ſerpiſſe latius, ac prænobiles infeciſſe didiciſſet, mox eo ad eam ex agro dominico extirpandam radicitus accurrit, ac latam Romæ aliquot ante annis adverſus hæreticos ſententiam renovavit, (m) quibus conſentiunt ea, quæ ejus vitæ auctor Viterbii geſta monumentis conſignavit: *Ibi multos hæreticos, quorum unus Joannes Beneventi Papa dicebatur, tum ex teſtium aſſertione fideli, tum ex confeſſione propria, populo aſſiſtente damnavit, & eorum domos, & turres de nobilioribus civitatis ipſius funditus faciens demoliri.* Denique ne qua mali labes in ea provincia hæreret, Viterbienſem ac Tuſcanenſem epiſcopos, in diœceſibus ſuis, in eos inquirere juſſit. (n) Priori vero & Radulpho ordinis ſacri Prædicatorum hæreſeos labe, & infamia aſperſos Viterbienſes, Tuſcanenſes, Ortanos, Balneoregienſes, Caſtrenſes, Suanenſes, Amerinos, ac Narnienſes, in gratiam Eccleſiæ recipiendi provinciam impoſuit (o), epiſcopumque Ortanum ea in re ferre illi opem juſſit. (p) Studio quoque epiſcopi Patavini in hæreticos inquirendi collaudato, ut in re ſuſcepta perſtaret, hortatus eſt (q): parique zelo inflammavit (r) Parmenſes religioſos equites Jeſu Chriſti, qui ad excindendam hæreſim contundendamque operam navabant, atque in Apoſtolicæ ſedis fidem & clientelam acceptos (s), ac privilegiis munitos (t) a Jordano ſacræ Prædicatorum familiæ generali magiſtro, qui ſanctitatis & doctrinæ fama tum florebat, ad pietatem inſtitui præcepit (a).

(m) Extat in direct. inquiſit.

Pontificium in ea extinguenda ſtudium.

(n) Eod. l. 9. ep. 191.
(o) Ib. ep. 187.
(p) Ep. 188.
(q) Ep. 114.
(r) Ep. 64.
(s) Ep. 63.
(t) Ep. 66.





(a) Ep. 62.

XVI. Mantuan. ep. ab hæret. trucidatus.

Atqui jure merito Pontifex tantam operam ac diligentiam in hæreſi extinguenda, excindendaque conſumpſit, cum probe noſſet, quantas calamitates in civitates ac populos inveheret. Teſtis eſt hoc anno infelix Mantua, quæ epiſcopum ſuum pietate conſpicuum a nefariis ac ſceleſtis hominibus, hæreticorum fautoribus, vel hæreſeos ignominiæ macula inquinatis, crudeliſſime obtruncatum luxit. Quo audito triſti nuntio Pontifex, ut ſimilia imminentia facinora averteret ad Mantuanos literas ſcripſit (b), quibus meritis pœnis commiſſi ſceleris auctores, ac participes percutit, & conſentaneas Mantuanis leges dixit, quo in poſterum tantum flagitium, ac ſcelus in ſuos epiſcopos alii populi non modo tentare, ſed ne cogitare quidem auderent.

(b) Eod. l. 9. ep. 97.

*Gregorius, &c.*

*Cum nuper primo die rogationum epiſcopus ipſe ad monaſterium S. Andreæ Mantuanum accedens ingreſſus fuiſſet, capellanum monachorum pro reformatione ipſius monaſterii tunc vacantis, ſupervenerunt antichriſti ſatellites, a quibus fuit tam crudeliter interfectus, ut ex ipſa atrocitate ſceleris, & ſævitia manifeſte appareat, eos velut hæretica ſorde infectos Eccleſiæ Dei, & catholicæ fidei voluiſſe injuriam irrogare. Nam cum primo ejus faciem gladiis impetiiſſent, poſtmodum ambas manus ipſius Domino conſecratas, cum in modum crucis brachia cancellaſſet, deſpecta Crucifixi reverentia, impie amputantes, eundem quadraginta & pluribus ſibi plagis impoſitis, quaſi totum ſcindere præſumpſerunt, ſaturari de morte & laniatione Chriſti Domini non valentes.*

XVII. *Porro licet ad clamorem ſanguinis, tota civitate commota, quia iniquitatem cœli revelant, & adverſus peſtilentes terra conſurgit, poteſtas veſtra, ad hoc vindicandum negligens fuerit, & remiſſa, ex quo non levem ſuſpicionis notam noſcitur incurriſſe, vos tamen deplorantes & gementes miſerabilem parentis occaſum, & nimium exinde conturbati, zelo vos excitante divino, inſurrexiſtis unanimiter per vos ipſos in parricidii ultionem, quamvis in perſonas, quæ aufugerant, ſe illis favorabilem exhibente poteſtate prædicta, nequiveritis vindicare: propter quod, etſi ad tam grande malum noſter expaverit animus, cor contremuerit, & aures tinnierint horribilitate peccati; expoſita nobis tamen veſtra devotio, immenſum dolorem, quem intulerat enormitas maleficii, in parte aliqua mitigavit, qui moti contra vos non immerito fuiſſemus, ſi aliter feciſſetis.*

*Et quidem cum pro cauſis prædictis biberit epiſcopus memoratus calicem paſſionis, paſſus ſacro die, & in loco ſacro, videlicet in capitulo ipſius monaſterii, pro cujus fide ac libertate certabat, & ibi mortem recipiens, ubi vitæ requirebat auctorem, patientis titulus concurrentibus ſingulis circumſtantiis clarius eniteſcit; dum quaſi novus Zacharias eſt in templo pro fide, ac libertate Eccleſiæ immolatus, & nequiſſimorum amplius revelatur nequitia, nomenque ipſorum ſempiterno parricidialis reatus opprobrio maculatur.*

*Ut igitur magis vindicta, quam exceſſus memoria propagetur, cum lictores flagitioſiſſimi, & ſceleratiſſimi parricidæ in acerba, & ſæva nece parentis epiſcopi & paſtoris contra ſe provocaverint cœlum & terram, & graviſſime offenderint non ſolum Romanam Eccleſiam, a qua præfatus epiſcopus fuit ad Mantuanam aſſumptus, verum etiam nimis exacerbaverint Eccleſiam generalem, nos de fratrum noſtrorum conſilio, ac venerabilium fratrum patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & aliorum prælatorum, qui tunc erant apud ſedem Apoſtolicam conſtituti, hujus criminis patratores, tam Advocatos, quam alios, necnon & illos, quorum ope, conſilio, vel auxilio eſt commiſſum, publice candelis accenſis denuntiavimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere, & loca, ad quæ devenerint, quandiu ibi fuerint, ſuppoſita interdicto, ſtatutis quibuſdam contra prædictos, & omnes de Advocatorum progenie promulgatis; inter quæ duximus ſtatuendum, ut iidem ab hujuſmodi excommunicationis ſententia non poſſint niſi per Eccleſiam Rom. abſolvi. Quod ſi eorum aliqui per alium extiterint in mortis articulo abſoluti, careant tamen eccleſiaſtica ſepultura; & ſi forſan poſt abſolutionis beneficium reſtituti fuerint ſanitati, niſi ſtatim ad ſedem Apoſtolicam feſtinaverint pro ſuis meritis recepturi, ut videlicet cum pœnitentiali baculo pedites ultra mare, dum vixerint, circumeant loca ſancta, implentes injunctam ſibi pœnitentiam cum gemitu, & dolore, relabantur in priſtinam excommunicationis ſententiam ipſo jure.* XVIII.

XIX. Pro ulciſcenda illius nece Greg. zelus.

*Quia vero conſiderata exceſſus immanitate, nulla ipſorum pœna ſufficeret ad vindictam, & ſinceræ compaſſionis affectus in hoc a vobis exhibitus, ex quo apud Deum & ſedem Apoſtolicam non modicum meruiſtis, firmam nobis præbet fiduciam de futuris, univerſitatem veſtram monemus, & obſecramus in Domino per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus præfatos Advocatos tanti reatus actores, & eos qui ad hoc dederunt conſilium, auxilium, vel favorem, ac ab ipſis recta linea deſcendentes banniatis de veſtra civitate, diœceſi, ac diſtrictu, ita quod aliquo ingenio per ſe, aut per alios ad eadem loca redire non poſſint: bona quoque publicetis ſceleratorum*

*ipſorum, de illis taliter diſponentes, quod ad eos, vel eorum heredes nulla valeant occaſione reverti, nec adhiberi patiamini circa iſta fraudem aliquam ſive dolum. Jurari etiam ſemper in mutatione rectoris in animabus veſtris in concione publice facietis, quod præmiſſa omnia obſervabitis, & facietis firmiter obſervari, nec permittetis quidquam contra præmiſſa, præſumi vel aliquod eorumdem, neque habebitis aliquem pro poteſtate, conſule, vel rectore, qui hujuſmodi non præſtiterit juramentum. Ad quæ omnia & ſingula obſervanda, in capitulari, ſeu in libro ſtatutorum civitatis conſcripta ibidem perpetuo remanſura, quilibet rector civitatis veſtræ juramenti vinculo ſe aſtringet, & ſuum aſtringi faciet ſucceſſorem, &c. Dat. Peruſ. non. jun. an.* IX. Adiicitur in regeſto, epiſcopo Mutinenſi, ac præſulibus Inſubriæ, Marchiæ, Tarviſinæ, Romandiolæ, duci Venetorum, atque Imperatori Friderico ſcriptum ad comprimendam perditorum improbitatem: quinto vero id. jun. capitulo Mantuano eadem de re ſcripſit, (*a*) magno ſe dolore affectum ex epiſcopi nece, qui pro eccleſiaſtica libertate fideque tuenda mortem oppetierat.

(*a*) Eod. l. 9.

Poenæ in Curienſis ep. interfectores qui veniam a ſed. Ap. popoſcerant.

Simili zelo in Curienſis epiſcopi interfectores, temperata tamen ſeveritate clementia, animadvertit: cum enim ſceleris horrore tacti ad ſedem Apoſtolicam miſericordiam imploraturi confugiſſent, ea lege abſolvit, ut mare ad gerenda in Sarracenos arma traiicerent, darentque fidei pignora, proxima trajectione iter ſe arrepturos, neque unquam ab ea, niſi venia a Pontifice data, diſceſſuros: qua de re Cumanum epiſcopum certiorem fecit (*b*); juſſitque ni parerent, meritis pœnis, quæ parum ab iis, quæ Mantuani epiſcopi interfectoribus inflictæ ſunt, diſcrepant, afficere: *Tu eos & alios, quorum ope, conſilio, vel auxilio tantum facinus eſt commiſſum, publice candelis accenſis nunties excommunicationis ſententiæ ſubjicere, nec niſi per ſedem Apoſtolicam abſolvendos; & loca, ad quæ devenerint, quamdiu ibi fuerint ſuppoſita interdicto. Dat. Peruſ.* v. *kal. aug. an.* IX.

(*b*) Ib. ep. 166.

XX. Judæi ab injuſta oppreſſione vindicati.

Hic porro memoria celebrandum non prætermittemus Pontificem, ne ullo modo a juſtitiæ tramite deflecteret, Judæis juſtis de cauſis ad eum confugientibus, benignum ſeſe impertiiſſe; illorumque fletibus emollitum, petulantium hominum avaritiam, qui religionis prætextu, ac ſpecie pietatis graviſſima ipſis mala intulerant, coercuiſſe; (*c*) cum ad id prædeceſſorum exemplis Chriſtianaque manſuetudine permoveretur.

(*c*) Eod. l. 9. ep. 42.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fidelibus Chriſtianis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.*

*Sicut Judæis non debet eſſe licentia in ſynagogis ſuis ultra quam permiſſum eſt lege præſumere, ita in iis, quæ conceſſa ſunt eis, nullum debent præjudicium ſuſtinere. Nos ergo licet in ſua magis velint duritia perdurare, quam prophetarum verba, & ſacrarum ſcripturarum arcana cognoſcere, atque ad Chriſtianæ fidei, & ſalutis notitiam pervenire; quia tamen defenſionem noſtram, & auxilium poſtulant, & pietatis Chriſtianæ manſuetudinem prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis, Cæleſtini, Innocentii, & Honorii Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ipſorum petitionem admittimus, eiſque protectionis noſtræ clypeum indulgemus. Statuimus etiam, ut nullus Chriſtianus invitos vel nolentes eos ad baptiſmum per violentiam venire compellat: ſed ſi eorum quilibet ſponte ad Chriſtianos fidei cauſa confugerit, poſtquam voluntas ejus fuerit patefacta, Chriſtianus abſque aliqua efficiatur calumnia: veram quippe Chriſtianitatis fidem habere non creditur, qui ad Chriſtianorum baptiſma non ſpontaneus, ſed invitus cognoſcitur pervenire. Nullus etiam Chriſtianus eorum perſonas ſine judicio poteſtatis terræ vulnerare, aut occidere, vel ſuas illi pecunias auferre præſumat, aut bonas, quas hactenus in ea, in qua habitant, regione habuerunt, conſuetudines immutare. Præterea in feſtivitatum ſuarum celebratione quiſque fuſtibus, vel lapidibus eos ullatenus non perturbet, neque aliquis ab eis coacta ſervitia exigat, niſi ea, quæ ipſi præteritis facere temporibus conſueverunt. Ad hæc malorum hominum pravitati, & avaritiæ obviantes, decernimus ut nemo cœmeterium Judeorum mutilare, vel minuere audeat, ſive obtentu pecuniæ corpora humata effodere. Si quis autem hujus decreti tenore cognito temere, quod abſit, contraire tentaverit, honoris & officii ſui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit: eos autem duntaxat hujus protectionis præſidio volumus communiri, qui nihil præſumpſerint in ſubverſionem fidei Chriſtianæ. Dat. Peruſii per manum fratris Joſeph ordinis Florenſis domini Gregorii Papæ* IX. *notarii* v. *non. maii indiction.* VIII. *incarnationis Dominicæ MCCXXXV. pontificatus ejuſdem domini Gregorii Papæ anno* IX.

XXI. Inepta calumnia Novatorum.

De his agit Matthæus Pariſius ſubjectis verbis: *Eodem anno Judæi privilegium impetraverunt a Pontifice Romano, ne a Regibus aut principibus pro exactione pecuniæ turpiter tractarentur, vel in carcerem traderentur.* Ex quibus novatores (*d*) occaſionem Pontificis calumniis petendi, aſpergendique aucupati, dum falſo ajunt ſubornatum ipſum corruptumque pecunia Judæos, Chriſtianis principibus adverſantibus, clientela ſua improbe texiſſe, atque

(*d*) Centur. 13. c. 15. col. 1283.



que hoc anno privilegiis per ſummum Chriſtianæ religionis dedecus ornaſſe, & inter cætera conceſſiſſe, ne Chriſtianis Regibus tributum penderent, ipſiſque Chriſtianos famulos ac nutrices domi tenere licitum eſſet. Quod quam falſo Pontifici affictum, probant tot graviſſimæ leges contra Judæos Hiſpaniæ, atque Ungariæ latæ, de quibus ſuo loco diximus.

Convincitur aperti mendacii.

XXII. B. Eliſabeth SS. numero ritu ſolemni appoſita.

Per hæc tempora B. Eliſabeth Andreæ Regis Ungarorum filia, ſanctitate ac miraculis toti orbi Chriſtiano conſpicua, in ſanctorum catalogum ab Rom. Pontifice ſolemni ritu redacta eſt, ut [1] Theodoricus Thuringius in ejus geſtis (*a*) & ejus vitæ auctor apud Surium (*b*) teſtantur; extantque ea de re Gregorii literæ (*c*) quæ cum in lucem editæ ſint, hæc modo decerpſiſſe ſuffecerit: *In confeſſione veræ fidei vitæque dedita ſanctitati, cœleſtis Reginæ diligendo filium, per quem dulcedinem conſequi poſſet cœleſtium nuptiarum, ita dilexit & proximum, quod amœnum ſibi conſtituens illorum familiarem habere præſentiam, quam eorum inimica corruptio cunctis ſuggerit effici peregrinam, ſe in multis ſibi reddidit inopem, ſolicitam fore pauperibus multipliciter affluentem: quorum ab ætate tenera, tutrix eſſe deſiderans, & amatrix, eo quod ſciret perennis vitæ præmium dilectorum Deo acquiri meritis egenorum, adeo conditionem ipſorum gratam ſibi conſtituit, quam naturaliter ſæcularis elatio vilipendit, quod etiam licitis ſibi delitiis, quas offerebat ſtatus excellentia conjugalis deductis pluries in contemptum, corpus delicatum, & tenerum reddebat aſſiduæ parſimoniæ ſtudio maceratum, tanto ſibi meriti quantitate proficiens, quanto quod ſponte geritur, majoris gratiæ præmio muneratur. Quid ultra? Quæque jura ſanguinis in ſupernæ deſiderium transferens voluptatis, & imperfectum quid æſtimans, ſi jam viri deſtituta præſidio, ſic reſiduum vitæ decurreret, quod ſe ad jugum obedientiæ, cujus ſub lege poſita maritali abſque ipſius præjudicio amplexatrix extiterat, non arctaret, religionis habitum induit, ſub quo Dominicæ paſſionis in ſe celebrare myſterium uſque in diem ultimum non omiſit.* Et infra:

(*a*) Apud Caniſ. ant. lect. to 5. p. 215.
(*b*) Jacob. Montan. apud Sur. to. 6. die 19. novembr.
(*c*) Greg. l. 9. ep. 91. extat etiam apud Bullar. to. 1. in Greg. IX. atque apud Vvading. & alios.

Edita ab ipſa inſignia virtutum exempla.

XXIII. *De cujus ſtupenda & ineſplicabili claritate procedit, quod illius ſpiritus in ſuperni fulgoris abyſſo rutilat; & in hujus profundo caliginis multis coruſcat miraculis glorioſis, quorum virtute catholicis fidei, ſpei, & charitatis augumenta proveniunt, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis confuſionis multæ materia cumulatur; dum ſtuporis turbine obvoluti, quod dictæ ſanctæ meritis, quæ dum carnis clauſa carcere teneretur, pauper ſpiritu, mitis mente, propria vel potius aliena peccata deplorans, juſtitiam ſitiens, miſericordiæ dedita, munda corde, vere pacifica, attrita perſecutionibus, & opprobriis extitit laceſſita; vita mortuis, lumen cæcis, auditus ſurdis, verbum mutis, & greſſus claudis, cœleſti dextera conferuntur, partes Theutoniæ ſpatioſas, quas mortis dogmate geſtiebant inficere, in doctrinæ cœleſtis amplexibus cernunt multipliciter exultare. De hujuſmodi quidem, & aliis ejuſdem ſanctæ miraculis, quæ mentis inſpecta oculis uberiorem lætitiam proferunt, quaſi diffuſis diſtincta literis viderentur facta nobis per teſtes idoneos tanta plenitudine fidei, ſicut debetur, & competit colendæ per omnia veritati; nos quorum depoſcit officium his continuis deſudare ſtudiis, per quæ augeatur gloria Redemptoris, dictam ſanctam, quam ſibi ad intuitum placuit ſuæ majeſtatis aſſumere; de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ac venerabilium fratrum noſtrorum partriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & prælatorum omnium, qui tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtebant, ſanctorum catalogo duximus adſcribendam; univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes quatenus* XIII. *kal. decemb. die videlicet quo eadem mortis abſoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem ſupernæ prodiit voluptatis, feſtum ejuſdem, prout miranda ipſius meritorum magnitudo exigit, celebretis & faciatis ſolemniter celebrari, &c. Datum Peruſii kal. jun. an.* IX.

Illuſtria patrata miracula.

XXIV. Excitatur ad eam imitandam a Gregor. Regina Caſtellæ.

Hæc Pontifex, qui etiam beata Eliſabeth ampliſſimis laudibus cumulata, ejus vitam præclaraque geſta, tanquam in ſpeculum, ex quo vitam moreſque fingeret, Beatrici Caſtellæ, Toleti, ac Legionis Reginæ inſpectandum propoſuit: (*d*) his in extrema epiſtola adſcriptis: *Chariſſima igitur in Chriſto filia S. Eliſabet converſationis exemplum propter duo poſuimus coram te quaſi pretioſiſſimam margaritam: primum ut in hoc ſpeculo ſine macula frequenter aſpicias, ne quid in angulis conſcientiæ tuæ lateat, quod oculos divinæ majeſtatis offendat; ſecundo ut nihil deeſſe valeat ad ornatum, quod ad de-*

(*d*) Greg. l. 9. ep. 120.

NOTÆ [1] QUanquam pontificiæ literæ de relata in ſanctorum albo S. Eliſabeth datæ ſunt junio ineunte, ut ex annalibus in quibus inſertæ ſunt ſatis conſtat. Dies tamen qua ſolemnis illa conſecratio celebrata fuit, non alia aſſignanda eſt, quam Pentecoſtes, ut coævi ſcriptores Albericus, & Anonymus Erfordienſis teſtantur, ideoque literæ illæ non de referenda illa inter ſanctos; ſed de cultu ubique illi, utpote jam cooptatæ inter ſanctos deferendo decernunt. MANSI

*decorem ſponſi cœleſtis exigitur, ut cum invitata fuerit ad cubiculum Aſſueri; ſcilicet Regis æterni, appareas ornata virtutibus, & pietatis operibus decorata. Dat. Peruſii* VII. *idus jun. pontif. noſtri anno* IX.

XXV.
Tranſlatio reliquiarum S. Eliſab.

Ut vero ſacrum ejus corpus a Siffrido Maguntino antiſtite ſublatum e terra, ad illuſtrandam eximiam ipſius in pauperes miſericordiam divinitus oleo manarit, ac Fridericus Imperator illi coronam micantem auro ac gemmis conſecrarit, narrat Theodoricus; verum anno ſequenti tranſlatum ſolemni pompa Friderico præſente ſacrum corpus anonymus auctor (a) de Lantgraviis ſcribit: *Tranſlata ſunt oſſa de humili loco, ad locum magis reverendum ejuſdem ſanctæ Eliſabeth, præſentibus archiepiſcopis Maguntinenſi, Colonienſi, Bremenſi, & pluribus aliis epiſcopis, & prælatis; item præſentibus Friderico Imp. & Henrico Lantgravio Thuringiæ & Haſſiæ, & ſuo germano fratre Conrado magiſtro ordinis Theutonici, & matre eorundem Lantgraviorum, ſcilicet domina Sophia, & Hermanno filio B. Eliſabeth, & Sophia filia S. Eliſabeth, & multis aliis*. Hæc auctor, qui tradit etiam Henricum Thuringiæ Lantgravium, Gregorii Papæ juſſu, templum beatæ Eliſabeth, cui, dum inter mortales ageret, negotium exhibuerat, nomini ſacrum erexiſſe docet (b).

(a) *Hiſt. Langr. c.* 47.
Pretioſiſſima corona illi a Frid. oblata.
Erectum templum illius nomini ab Henr. Lantg. a quo fuerat exagitata.
(b) *Ib. c.* 48.
(c) *Greg. l.*9. *ep.* 184.
(d) *Ib. ep.* 215.

XXVI.
Prorogatum Andreæ tempus ut eccleſiis faceret ſatis.

Præterea aſcivit Gregorius in Apoſtolicæ ſedis clientelam (c) I. Reginam S. Eliſabeth ſororem atque Andreæ Regi ejus parenti, dato deplomate (d) ſolvendarum eccleſiis debitarum pecuniarum tempus prorogavit: *Cum ad mandatum venerabilis fratris noſtri Præneſtini epiſcopi tunc Apoſtolicæ ſedis legati, pro damnis illatis eccleſiis per compoſitionem, ad quam te juramento præſtito aſtrinxiſti, annuatim promiſeris uſque ad quinquennium duo millia marcarum argenti eccleſiis reſtituere memoratis; & redditibus tuis, ſicut aſſeris per regales munificentias aſſignatis, ex eis tribus partibus tuis filiis, & nepoti, ſola ut creditur quarta tibi retenta, plurimum diminutis id facere nequeas, neque primo anno pro debitis, quæ neceſſario te oportuit pro defenſione regni contrahere, ſatisfacere potuiſſes, ſuppliciter poſtulaſti, ut neceſſitatibus tuis inſpectis clementer ſuper hoc agere dignaremur. Nos igitur tuis devotis precibus inclinati, qui quantum cum Deo poſſumus, excellentiæ proponimus regali deferre, tibi uſque ad decennium, ita quod ſingulis annis mille marcas eiſdem eccleſiis ſolvere tenearis terminum duximus præfigendum, remittentes benigne quod ex defectu ſolutionis primi termini contraxiſti. Dat. Peruſii* II. *kal. ſep.* [1]

XXVII.
Marchionis Eſten. filiam uxorem ducit.

De Andrea prodit monachus Patavinus, (e) Beatricem Aldrenandini olim Marchionis Eſtenſis filiam, ab Azone marchione ejus patruo ingenti & magnifico ſtipatam comitatu miſſam, ac matrimonio laſcivienti juveniliter ſeni, Bela & Colomano Regis filiis rem ægre ferentibus, conjunctam: ſed nuptias intempeſtivas mors hoc eodem anno Andræa ſublato, ut tradunt (f), confudit. Regina vero ſe gravidam relictam conteſtata cum privigni crudelitatem vereretur, ſumpto virili habitu, deluſiſque cuſtodibus, cum Friderici oratoribus in Germaniam fuga elapſa, filium Stephanum nomine enixa eſt, ex quo Andreas ſuſceptus ſceptrum Ungaricum, extincto Ladiſlao, corripuit, de quibus poſtea: Andream porro ſeniorem inclinante hoc anno obiiſſe pontificiæ etiam literæ proximo ineunte datæ Belæ Ungariæ Regi ſatis indicant.

(e) *Monach. Paduan. chr. l.*1. *hoc ann.*
*Jord. MS. Vat. bibl.*
Ea relicta gravida moritur.
(f) *Bonfin. rer. Ungaric. decad.* 2. *l* 7 *in fin. & Long. hiſt. Pol. l* 6. *hoc ann.*

XXVIII.
Sabin. ep. in Daniam legatus miſſus.

Denique hoc tempore epiſcopum Sabinenſem, in Danorum regiones, ad obſoletos Chriſtianorum mores emendandos, a Gregorio Papa legatum eſſe miſſum, ac ſynodum Scherungenſem celebratam docet Olaus (g) Magnus. Quoniam vero borealibus in regionibus verſatur oratio, prætereundum non eſt Gregorium, initam anno ſuperiori inter Henricum Sleſiæ, & Poloniæ duces de quadam ipſius Poloniæ parte concordiam, ratam ſtabilemque eſſe conſtituiſſe, uti data ad Henricum diplomata oſtendunt (h), cujus præterea filium redditis ipſi literis in Apoſtolicæ ſedis clientelam fidemque accepit (i). De diſſidiis belliſque Henricum

(g) *Olaus hiſt. Goth. l.*19.
Poloni principes inter ſe conciliati.
(h) *Greg. l.*9. *ep.* 133. 134.
(i) *Ib. ep.* 126.

NOTÆ [1] Certus annus cum menſe & die, qua Andreæ regis cum Beatrice Eſtenſi nuptiæ celebratæ ſunt, nec a monacho Patavino, nec ab aliis ſincere indicatus tandem eluxit ex charta donationis ab Andrea factæ uxori, quam tunc duxit cum tabulæ illæ ſcribebantur. Porro chartam hanc e M. S. codice vulgavit Muratorius in opere *Antichità Eſtenſi* to. I. cap XII. pag. 420 Signatur apud *Albam* (Ungariæ urbem) *civitatem in eccleſia B M. V. milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, indictione VII. die Dominico, quarto decimo intrante majo*. Hac igitur die ſacrum nuptiarum ritum præſtante epiſcopo Mantuano, qui forte novam nuptam ex Italia comitatus fuerat *Andreas rex* (ut in eadem charta expreſſum eſt) *dominam Beatricem deſponſavit annulo maritali*; eidemque uxori ſuæ maritus dotem conſtituit *quinque millia marchas argenti* ſolvendas intra proximum quinquennium, mille in annos ſingulos. Id plane notandum eſt cum ſit noſtris moribus oppoſitum; niſi forte reputaverimus ideo maritum dotem uxori ſolviſſe eo quod ſenex puellam duxiſſet. Mansi



cum inter, & Conradum Poloniæ duces deque pace compoſita fuſe Polonicarum rerum ſcriptores (a).

(a) *Jo. Longin. Chromer. & alii.*

XXIX.

Conciliandæ inter principes Chriſtianos concordiæ eodem ſtudio, cum impenderet Angliæ Scotici belli metus, ad periculum diſcutiendum Pontifex animum convertit: archiepiſcopum enim Eboracenſem, & Carledenſem epiſcopum Scotiæ Regem literis monere juſſit (b), ne Henrici jura infringeret, pacemve initam labefactaret. Tum ipſum apoſtolicis literis ſolicitavit (c), ne quæ a Willelmo Rege Scotiæ cum Henrico ſeniore, & Joanne Regibus conventa fuerant, violaret: *Sane idem Rex*, nimirum Henricus Angliæ, *in noſtra fecit nuper præſentia recitare, quod jam dudum inter claræ memoriæ Henricum avum, & Joannem patrem ſuum ex parte una, & VV. Scotiæ Regem ex altera, compoſitio amicabilis interceſſit, per quam ipſe VV. prædictis avo, & patri, & idem Regi, & tu patri, & ſibi ligium homagium & fidelitatem feciſti, quæ tenentur ſucceſſores tui, comites, barones Scotiæ ipſis de ſuis ſucceſſoribus exhibere, ac comites & barones prædicti eſſe cum Regibus Angliæ contra Reges Scotiæ, ſi compoſitionem eandem forſitan non ſervarent: quod ſi unius homines fugerint ad regnum alterius metu criminum commiſſorum, ille ac homines ſui eos in terra ſua receptare non debent, & utriuſque Regis homines terras, quas in regno alterius ante compoſitionem habuerant, obtinebant: unde idem Rex nobis humiliter ſupplicavit, ut præfatam compoſitionem apoſtolico dignaremur munimine roborare. Quocirca ſerenitatem regiam rogandam duximus propenſius & hortandam, quatenus ad ea, quæ pacis ſunt, intentionem tuam dirigens, & ea prudenter evitans, quæ ad ſcandalum vel diſcordiam pertinerent, prædictam compoſitionem, ſicut provide facta fuit, & ab utraque parte ſponte recepta, ſtudeas obſervare; maxime cum dicatur paci & tranquillitati utriuſque regni plurimum expedire. Dat. Peruſii* II. *jan. ann.* VIII. Recruduit ſæpius hæc controverſia, num Scotia fiduciario jure ab Anglia penderet, bellaque atrocia, de quibus ſuis locis dicendum erit, exarſere. Cæterum Gregorius ad tuenda Henrici jura, quorum plura diſſiparat, ſacramentum, quo ſe ad ea nunquam repetenda aſtrinxerat, apoſtolica auctoritate, quod etiam annis ſuperioribus præſtiterat, diſſolvit. (d)

(b) *Lib.*8. *ep.*388.
(c) *Ib. ep.* 387.
(d) *Lib.*9. *ep.*123. & *l.* 10. *ep.* 370.

XXX.
Agitatum de collocanda Frid. in matrimonium Henrici ſorore.

Confirmaſſe res ſuas Henricum affinitate Imperatoris collocata illi in uxorem Iſabella ſorore ſcribit Pariſius, (e) ad quod matrimonium conciliandum, Pontificium favorem in ea re deprecatum oſtendunt ad Gregorium datæ anno ſuperiori, cum iter in Germaniam ad Henricum comprimendum adornaret, litteræ (f).

(e) *Par. hiſt. Angl.*
(f) *Ext. in MS. biblioth. noſtra.*

*Sanctiſſimo in Chriſto patri domino Gregorio Dei gratia ſummo Pont. Fridericus ſalutem, & reverentiam filialem.*

Pontificem interceſſorem adhibet Frid.

*Cum de latere noſtro mittamus magiſtrum Petrum de vinea magnæ curiæ noſtræ judicem, & fidelem noſtrum, ad chariſſimum amicum noſtrum illuſtrem Regem Anglorum, pro conſummatione matrimonii inter nos, & Regem eundem de Iſabella ſorore ſua juxta conſilium paternitatis veſtræ tractati, ut & in puellam tandem pro parte ac nomine noſtro conſentiat, & ut ipſam ad nos una cum aliquo de prælatis Theutoniæ, quem ad hoc idem judex de conſilio venerabilis magiſtri domus hoſpitalis ſanctæ Mariæ Theutonicorum in Hieruſalem idoneum reputabit, omine felici deducat; ne in tam ſalubri propoſito occaſione dilationis alicuius poſſet forſitan aliquis intervenire defectus, dum ad nos per longam locorum diſtantiam non poſſet facilis haberi recurſus; nos de paternitate veſtra plena ſecuritate confiſi, negotium ipſum circumſpectionis veſtræ præſentibus duximus committendum, videlicet ut & quantitatem dotium promittendarum nobis a Rege præfato pro prædicta ſorore ſua veſtra induſtria moderetur, & ut tempus etiam arbitremini, quo prædictæ dotes, vel ipſarum dotium pars nobis, aut certis nunciis noſtris remota difficultate qualibet exolvantur, ſi forte contingeret propter neceſſitates aliquas imminentes ſæpedictum Regem ad præſens dotes ſtatutas exolvere non valere: prænominatum autem negotium, tam de quantitate promittendarum dotium, quam de tempore ſolvendarum ſic in totum, & libere proviſioni veſtræ committimus, quod plene gratum, & ratum habere promittimus, quicquid ſuper veſtra paternitas duxerit ſtatuendum. In cujus rei teſtimonium præſentes literas fieri, bulla aurea typario noſtræ majeſtatis impreſſa juſſimus communiri. Dat. Fogiæ* IX. *menſis decemb. indict.* VIII.

XXXI.
Friderici votis reſpondet Gregorius.

Non potuiſſe Fridericum, niſi Pontifex interceſſiſſet, votorum fieri compotem ſcribit Gregorii vitæ auctor, cum Henricus, uti ſedis Apoſtolicæ ſtipendiarius princeps, illique addictiſſimus nutus pontificios ſequeretur: *Ut per affinitatis annexum, funiculos extenderet longiores, ſororem Regis Angliæ per interventum ſedis Apoſtolicæ cum inſtantia poſtulavit, quod multis elaboratum ſtudiis obtineri non poterat, niſi Rom. Eccleſia permittente, de cujus arbitrio Rex & regnum devotionis propoſito, & ſubjectionis conditione dependeret. Annuit voto petentis filii pater, credens ipſum devotiorem afficere pluribus largitionibus gratiarum, & literis conceſſis ad votum optatum permiſit ſibi conjugem copulari*. Agunt de Iſabella Henrici ſorore magna pompa ad principem a Colonienſi archiepiſcopo ducta eleganti cultu,

Nuptiæ Wormaciæ celebratæ.

tu, quo ab Henrico regia magnificentia donata eſt, nuptiiſque apud Wormatiam celebratis Pariſius, (*a*) Stadenſis, (*b*) Godefridus, (*c*) Elvangenſis chronici auctor, ac Richardus, (*d*) qui in eo errat, dum filiam Regis Angliæ vocat, ni forte Joannem longe ante defunctum, non Henricum intelligi velit.

(*a*) *Pariſ. hiſt. Angl.* (*b*) *Stad. in chr.* (*c*) *Godef. in annal.* (*d*) *Rich. e S. Germ. & alii.*

XXXII. Eodem etiam anno Jacobi Regis Aragonum cum Joele Andreæ Regis Ungariæ filia matrimonium a Pontifice approbatum, illique conſtituta dos confirmata (*e*): meminitque Surita (*f*) ad id conciliandum Gregorium interceſſiſſe, ac Violantam ex Regina ejuſdem nominis Petri Antiſſiodorenſis Imperatoris Conſtantinopolitani filia ſuſceptam appellat. Cæterum obtinuit a Pontifice Alfonſus Jacobi & Elionoræ, cujus matrimonium auctoritate pontificia diremptum fuerat, filius ut juſtorum natalium dignitate ornaretur, quo ſceptrum Aragonum e parentis manibus excipere poſſet; qua de re conceſſum illi eſt ſubjectum diploma: (*g*) *Ex parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Aragonum Rex illuſtris te ex dilecta in Chriſto filia illuſtri Regina Alionora filia inclytæ recordationis Regis Caſtellæ, a qua pro eo quod ipſam in gradu prohibito conſanguinitatis attingit, per venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Sabinenſem ſeparatus extitit, procrearit & ſui regni te conſtituerit ſucceſſorem, ne quis tibi genituræ defectum poſſit obiicere, ſuper hoc tibi dignaremur miſericorditer providere. Nos igitur credentes devotionis affectum ab eodem Rege patre tuo, quem inter cæteros Reges, & principes Chriſtianos ſpecialis amoris prærogativa complectimur, circa ſedem Apoſtolicam habitum in te totum, & integre derivari, eo quod ſapor fontium conceſſus origini neſcit rivulis curſu perenni currentibus abnegari; de ſpeciali gratia te legitimandum duximus, & tecum ut non obſtante tali defectu habearis legitimus, diſpenſamus, &c. Datum Peruſii* XII. *kalendas maii anno nono.*

(*e*) *Greg. l. 8. ep. 185. & l. 9. & ep. 18.* (*f*) *Surit. l. 3. c. 19.* Jacobus Rex Arag. Joelem Ung. thoro ſibi jungit. Alph. ex injus. matrim. ſuſceptus juſtorum natalium dignitate auctus. (*g*) *Lib. 9. ep. 28.*

XXXIII. Imminentes Aragoniæ ſeditiones repreſſæ. Diſturbare in Aragonia improbi ac profligati homines publicam pacem, diſcordiaſque graviſſimo populorum & Eccleſiæ damno inferre nitebantur; ad quorum nefarios auſus extinguendos Gregorius apoſtolicas literas, ad electum Tarraconenſem dedit, (*h*) quibus ſuffraganeos, abbates, alioſque præſules, ac populos ad ſervandam pacem ſacramento adigi juſſit, cum maxime Jacobus Chriſtianam fidem armis amplificare cogitaret: laceſſiverat enim Mauros eorumque tyrannidem, ac jugum ab infelicibus tot populorum cervicibus depellere generoſa pietate incitatus meditabatur, atque adeo ne quis cœptis arduis avocaret, intentatum (*i*) eſt Chriſtianis anathematis fulmen, qui ſacro implicitum bello invaderent. Tum Pontifex Tarraconenſis provinciæ fideles hortatus eſt, (*k*) crucem ad * Neuycæ inſulam Majoricano regno adjacentem ab Sarracenis occupatam, recuperandam cum dicto electo capeſſerent, eamque cruceſignatis peccatorum veniam propoſuit, quæ antea Majoricæ laboranti opem ferentibus impertita fuiſſet.

(*h*) *Ib. ep. 34.* (*i*) *Ep. 35.* (*k*) *Ep. 36.* * Yuicæ. Excitati fideles ad Balear. inſ. minimam Sarracenis eripiendam.

XXXIV. *Dilectus filius Tarraconenſis electus fervens, ſicut accepimus, & æſtuans circa Chriſtiani cultus augmentum, ac diligenter attendens quod ei, qui homini eſſe dedit, & tribuit univerſa, ex omnibus viribus ſuis debeant ſervire fideles, retribuendo ſibi aliquid pro ſuſceptis beneficiis ab eodem, quatenus ad regnum perveniant a conſtitutione mundi præparatum electis, & gloriæ ſuæ divitias, quæ ſemel poſſeſſæ nunquam deſerunt poſſeſſorem, percipere mereantur ad expugnandum Chriſti blaſphemum, ad extirpandum veterem Jebuſæum, & ad eruendam de manibus impiorum inſulam Hevizæ regno Majoricarum contiguam, cui ex ea gravia poterant pericula imminere, & quam prophanatis ſanctuariis detinent occupatam, aſſumpto in expenſis propriis hujuſmodi negotio, potenter & viriliter ſe accingit, ut in eam ejectis ancillæ filiis, qui hæredes eſſe cum filiis liberæ non merentur, populum acceptabilem Domino divino comitatus auxilio introducat. Nos itaque qui cupimus ſponſæ Chriſti tentoria dilatari, ut funiculos ſuos faciat longiores, ejuſdem electi prudentia, & magnanimitate penſatis, propoſitum ſuum dignis in Domino laudibus, & favore benevolo proſequentes, univerſitatem veſtram monemus, &c.* Addit animos, ut Guillelmi electi ſigna in ea expeditione ſequantur, ac præmia indulgentiarum proponit. *Dat. Peruſii* VIII. *kal. maii pontificatus noſtri an.* IX.

XXXV. Tarracon. arch. virtute ea comparatur. Fuiſſe hoc ipſo anno electi Tarraconenſis virtute expugnatam eam inſulam Balearium minimam dictam Ebuſum vel Yvicam ſcribit Surita, (*l*) ac Tarraconenſi archiepiſcopo obnoxiam conſtitutam. Quo zelo Sarracenos domuerat & religionis cultum auxerat archiepiſcopus, excindendæ hæreſi incubuit, cui ſedem Apoſtolicam conſulenti, (*m*) quomodo cum pluribus hæreticis, in ſua detectis diœceſi, atque in Eccleſiæ gratiam reſtitui admittique cupientibus ſeſe gerere deberet, hæc reſpondit (*n*) Gregorius: *Satis tolerari poteſt, ut ſic revertentibus poſt abjuratam hæreſim pœnitentia ſalutaris, prout magis vel minus culpæ qualitas poſtulat injungatur;* addiditque (*o*) relapſos quamvis noxæ pœniteret, perpetuo carceri mancipandos. Poſt hæc Gregorius Luſitanum Regem, qui eccleſiis ac viris eccleſiaſticis graviores moleſtias exhibebat, epiſcopi Salamanticenſis aliorumque opera coercere ſtuduit; (*a*) elapſoque menſe epiſcopo Portugalenſi, ut proceribus, & cæteris, qui eccleſias illas vexarent, abſolutionem petentibus elargiretur permiſit; (*b*) ac ſummo beneficii & gratiæ loco eidem epiſcopo conceſſum (*c*) eſt, ut nemo ipſum niſi facta ab ſede Apoſtolica ſingulari poteſtate, defigere anathemate poſſet, cum maxime Romani Pontificis manibus ſacris epiſcopalibus initiatus eſſet. Poſtremo, quod ad res Hiſpanicas attinet, illud etiam adiiciemus, extare apoſtolicum diploma (*d*) ad magiſtrum ac religioſos viros domus S. Eulaliæ Barchinonenſis exaratum, quo Gregorius regularem ordinem fratrum B. Mariæ e mercede redemptionis captivorum approbaſſe, ut inſtitutam a S. Auguſtino religioſæ vitæ formulam ſequerentur; ipſa namque ſacra familia liberandis e Sarracenorum ſervitute Chriſtianis ſe conſecrat; cæterum ei condendæ occaſionem dedere crebræ barbarorum Africæ excurſiones, qui piraticam exercebant, ac fideles abducebant in ſervitutem, cujus impatientes nonnulli a Chriſtianis ſacris deſciſcebant.

(*l*) *Surit. l. 3. c. 20.* (*m*) *Ep. 425.* (*n*) *Eod. l. 9. ep. 38.* (*o*) *Ib. ep. 39.*





(*a*) *Ep. 213.* (*b*) *Ep. 245.* (*c*) *Ep. 246.* (*d*) *Bullar. to. 1. in Greg. IX.*

XXXVI. Rex Tunet. ad Greg. oratores mittit. Cum de barbaris mentio inciderit, prætermittendum non eſt Gregorium a nonnullis Sarracenorum Regibus acceptis oratoribus, ac literis amplificandæ religionis ſtudio occaſionem aucupatum, ipſos ad Chriſti cultum pellicere conatum eſſe, ac Tunetano quidem Regi, qui ſe probe in rem Chriſtianam affectum prætulerat, hæc reſcripſit (*e*): *Cum ſuper iis quæ fuerunt propoſita, tractatus ſolemniter exigatur, dilectum filium, fratrem Joannem miniſtrum ordinis Minorum de Barbaria, & fratrem ejuſdem ordinis, quos benigne recipias & pertractes, ad tuam præſentiam duximus deſtinandos, &c. Dat. Peruſii id. maii pontif. noſtri an.* IX.

(*e*) *Ep. 53.*

Per idem tempus Pontifex Guillelmum Montisferratenſem Prædicatorum familiæ religioſum virum cum aliis ſociis ad jacienda inter incultas Sarracenorum terras evangelii ſemina miſit (*f*).

(*f*) *Lib. 8. ep. 447. 448.*

XXXVII. Sultani Iconii ad Pont. legatio. Nec minus operæ collocavit, ut Alatinum ſultanum Iconii ad Chriſtum adduceret, ad quem apoſtolicos ſe nuntios miſſurum eſt pollicitus. Hujus vero barbari literas (*g*) afferendas ducimus, ut diſcant ab infideli & Sarraceno novatores, quo honore atque obſervantia Rom. Pontificem proſequi debeant.

(*g*) *Ext. apud Greg. l. 8. ep. 443.* Ejuſdem honorificæ lit.

*Sanctiſſime, & angelis æqualis archiepiſcope magnæ Romæ & magne Papa omnium per orbem terrarum Chriſtianorum, Alatinus magnus ſoldanus Iconii, & poteſtas omnium terrarum per orientem, & ſeptentrionalem plagam exiſtentium, & magnæ Cappadociæ cum ſalute.*

*Notifico ſanctitati tuæ, quod jam dudum diſpoſueram unum magnatem vaſſallum meum ad veſtram mittere ſanctitatem ad exponendum vobis affectionem noſtram, quam erga veſtram gerimus ſanctitatem, & ad tractandum inter ambos amicitiam & pacem & ad diſperdendum & deſtruendum inimicum: ſed propter longam viam, guerrarumque diſcrimina, & quia non paucæ regna adjacent inter vos & nos, non vidimus eſſe tutum aliquem magnatem hominem deſtinare, ne a malis & invidis hominibus, qui ſunt in medio, vaſſalli mei malum paterentur, & amitterem eoſdem homines meos. Ac propter hoc ab anno tertiæ indictionis uſque ad præſentem diem inſtantis ſeptimæ indictionis, uſque ad ſex perſonas ſub habitu monachali, tanquam humiles homines, qui votum habent, & accedunt de partibus iſtis adorandum limina S. Petri, & S. Jacobi, ad veſtram ſanctitatem direxi, ne forte cognoſcerentur, & ab inimicis impedirentur. De ipſis autem duo reverſi ſunt, reliqui vero quatuor quare non fuere reverſi neſcio, & ſicut reor, nec ipſi duo monachi, qui fuerunt reverſi, potuerunt exponere ſanctitati veſtræ nuntiationes meas, quas ſanctitati veſtræ mittebam, nec etiam literas reportaverunt mihi ad certitudinem.*

XXXVIII. *Quamobrem neceſſarium duxi unum magnum hominem meum fidelem mittere ad exponendum tibi voluntatem meam, meditanſque in memetipſo, atque conſiderans alud non inveni ingenium, ut poſſet homo meus pervenire ad vos, niſi iſtum hominem meum, quem ad Imperatorem Theutonicorum Fridericum tranſmitto, ut ipſe aſſociato homine meo, homini ſuo, ipſum ad veſtram ſanctitatem tranſmittat. Nunc itaque mihi fideliſſimum, & proprium ſoldanicæ poteſtatis meæ hominem Chriſtianum, nomine Joannem de Gabra, ad ſanctitatem veſtram cum literis meis, & quodam parvo negotio, quod eſſet occaſio literarum ad fidem: ſed prius quidem miſi eum ad Imperatorem, & rogavi eundem, ut cum ordinatione ſua ipſum ad veſtram dirigat ſanctitatem, & ſpero quod ipſe non erit negligens, & pro eo quod ipſum ad Imperatorem direxi, nullam cauſam, vel nullum negotium in literis annotavi, ſed totam voluntatem meam, & mandata mea eidem fideli meo Joanni Gabra commiſi, ut ipſe viva voce ſanctitati tuæ loquatur, & quidquid ipſe vobis locutus fuerit, tanquam ab ore meo recipiatur a ſanctitate veſtra; ac præter literas iſtas habet etiam alias literas a nobis Syro ſermone ſub bulla ſimiliter aurea ſigillatas. Perlectis autem litteris, & auditis ab eodem, quamcumque voluntatem habuerit veſtra ſanctitas, mittat nuntium ſuum ad implendam voluntatem utriuſque partis. Scriptum menſe maii indict.* VII.

XXXIX. Interpellatum a barbaro Pontificem

Tractat de ineundo cum ipſo fœdere.

(a) Ib. ep. 477.

de conciliando inter ſe arctiſſimo fœdere ex oratione ſoldani nomine a Gabra ad Pontificem (*a*) porrecta conſtat: *Nuntiationes Joannis Gabra nuntii ſoldani Iconii. Ego Joannes Gabra ſervus & nuntius domini mei ſoldani Iconii adoro, & oſculor veſtigia ſanctorum pedum ſanctitatis tuæ, & notifico atque expono ſanctitati tuæ, ex parte domini mei ea, quæ mihi præcepit vobis oretenus exponenda. In primis vult idem dominus meus, ut habeat ſanctitatem veſtram amicam, ſicut habet Theutonicorum dominum Fredericum cum cautione juramenti, & ut mittas nuntium tuum ad eundem dominum meum, ut juret idem dominus meus. Et ſi hoc factum fuerit inter utroſque, paratus eſt idem dominus meus juvare vos, & pugnare vobiſcum ad recuperandum Hieruſalem, & omnes terras, quas habuerunt Chriſtiani in tempore Saladini; & quando volueris mittere ad eum nuntium tuum, paratus eſt idem dominus meus adimplere prædicta. Peto etiam ego prædictus Joannes, ut quando nuntium veſtrum miſeris ad dominum meum, prædictas nuntiationes meas deferat in ſcriptis ſecum ad dominum meum ad majorem cautelam & certitudinem.*

De ferendo Chriſtianis ſubſidio pro recuperanda Syria.

XL. Senſiſſe optime de Chriſtiana fide Alatinus videtur, cum ſe Chriſtianis adverſus Sarracenos conjungere cuperet, atque aperte inſinuat Gregorii vitæ auctor his verbis: *Recepit ibidem*, nimirum Peruſii, *ſoldani Iconii & Bathacii Græcorum principis honorabiles nuncios in futuræ ſubjectionis indicium pretioſa dona portantes, per quos tam ore quam literis Chriſtianæ religionis ſubire culturam, & redire ad unitatem catholicæ Eccleſiæ poſtulabant. Cujus propoſitum*, ſoldani ſcilicet, *princeps ille ſic catholicus*, de Vatacio ſchiſmatico videtur loqui, *impedivit ſalutis Eccleſiæ præmium in commodum temporale commutans, & culturæ Chriſti ritus præferens Machometi*. Pollicetur Rom. Pontifici Vatacium Græcos ad Rom. Eccleſiæ obſequium adducere, ſi nulla Conſtantinopolitanis auxilia ſubmitteret, ex Pachymerio ſupra diximus, atque hoc ipſum ea legatione flagitaſſe probabile eſt, cum omnes impetus ad obruendos Latinos, qui erant in Græcia, converteret: ſed Gregorium prudenter eam conditionem refelliſſe, ne Apoſtolicæ ſedis ſtudioſos deſereret, & Græci Conſtantinopoli potiti ad perfidiam deſciſcerent. Dejectus ſpe ſua Vatacius non retardatus eſt a tentanda, ut dicetur inferius, Conſtantinopoli; ipſiuſque culpa ſultanus Alatinus ſuſceptum Latina ſacra amplectendi conſilium in opus non perduxit. Interea illo ſultani Iconii felici nuncio delectatus Gregorius, ne apoſtolico deeſſet muneri, illum ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam provocavit, legatoſque Apoſtolicos tranſmiſſurum eſt pollicitus (*b*).

(b) Eod. l. 8. ep. 478.

*Nobili, & egregio principi ſoldano Iconii viam agnoſcere veritatis.*

Solicitatur a Greg. ad amplect. fidem Chriſtianam.

Promittit illi Pont. legatos miſſurum.

*Dilectum filium Joannem Gabram Chriſtianum virum ſapientem, providum, & diſcretum nuntium tuum, & literas, quas nobis per ipſum dirigere curaviſti, lætanter recepimus & benigne; & tam eorum continentiam, quam ea quæ idem ex parte tua nobis exponere voluit, intelleximus diligenter. Sane devotionem quam ad nos & ad Apoſtolicam ſedem habere dignoſceris, dignis in domino laudibus commendantes, nobilitati tuæ ſignificatione præſentium intimamus, quod diſcretos nuntios, quam cito poterimus, ad magnitudinis tuæ præſentiam auctore Domino dirigemus, per quos ſuper iis, quæ ſignificaſti nobis, prudentiæ tuæ curabimus plenius reſpondere. Datum Peruſii* XIII. *kalend. aprilis, pontificatus noſtri anno* VIII.

XLI. Apoſtolicæ curæ pro dilatanda in Syria religione.

Acconen. & Templ. Friderico conciliare ſtudet Greg.

Incendit igitur Gregorium major recuperandæ Syriæ ſpes atque cupiditas, cum Sarracenus princeps ad ſubmittendas adverſus alios Sarracenos auxiliares copias ſe offerret. Ne vero Chriſtianorum Syrorum diſſenſiones, qui adverſus Fridericum conſurrexerant, gerendæ rei occaſionem eriperent, Hoſpitalarios, Templarios, ac religioſos equites Theutonicos hortatus eſt, ut ſi Joannes Ibellinus atque Acconenſes, qui ſe illius partibus addixerant Tyrum aliamve regni Hieroſolymitani arcem obſidione cingere molirentur, eorum conatus retardarent, eo enim ſibi altiori animo inſidere Friderici jura tueri, quo ab iis oris remotior eſſet, ac diſcordia rei Chriſtianæ exitium grave allatura timeretur: quo vero Ibelinum comprimeret, ardentibus literis (*c*) perſtringit, tantæ fuiſſe temeritatis ut Imperatorem adducta in diſcrimen Syria laceſſeret, cum eo in gratiam Eccleſiæ reſtituto, in ipſius læſa dignitate pontificiam quoque majeſtatem violatam arbitretur: deſineret ergo Syriam bello turbare, quo maxime tempore Chriſtiani ad eam levandam ſeſe ſtrenue compararent, ni faciat, eccleſiaſticis cenſuris defixum iri.

(c) Ib. ep. 171.

XLII. *Nobili viro Joanni de Ibelino ſpiritum conſilii ſanioris.*

Obiurgat Ibelinum res Syriacas infeſtare.

*A diutina expectatione dependimus, ſi forte affectus tædio, quæ Deum offendunt & homines præſumendi, ſtuderes efficere per quæ tibi, & aliis in Syriæ partibus conſtitutis, poſſint pacis, & quietis gaudia provenire. Sed ecce contrarium mirantes audivimus, & abſque turbatione plurima narramus, quod cum chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fredericum Romanorum Imperatorem diverſis olim injuriis provocare præſumpſeris, unde nihil aliud acci-*



*accidiſſe dignoſcitur, niſi quod exinde ſtatus Syriæ cum detrimento multorum non modicum extitit conturbatus nunc pejora cumulando prioribus, populum Acconenſem ab ejus dominio & fidelitate ſeducens, illum ad obſidionem Tyri inducere niteris, quaſi aliena uſurpare jura tibi fore licitum arbitreris. Verum cum proceſſum hujuſmodi eo minus tolerare poſſimus, quo fere nihil eſt magis cordi noſtro contrarium, quam quod Terra ſancta per incautelam fidelium patiatur aliquod detrimentum, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attente per apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus penſato prudenter, quod nobis in præfato Imperatore multa inferatur injuria, ſi jurium ſuorum patiatur ab aliquo detrimenta; præſertim cum quidquid ſibi proſperitatis adiicitur a nobis proprium reputetur, eo quod multæ devotionis obſequiis ſe reddiderit Eccleſiæ gratioſum, ab omnibus, quæ ipſius honori contraria dignoſcuntur, te poſt præſentium ſuſceptionem avertere non poſtponas, &c. Datum Peruſii* V. *kal. aug. an.* IX.

XLIII. Quæ geſta a Theod. Ravenn. arch. in ea controverſia.

XLIII. Impoſitæ quidem antea partes fuerant Theodorico Ravennati archiepiſcopo, ut Acconenſes ad pacis a patriarcha Antiocheno confectæ ſervandas leges adduceret, vel omnia in priſtinum ſtatum ante ſubortam diſſenſionem inter ipſos & Richardum imperialis exercitus ducem verſabantur, reſtitueret, cenſuriſque eos, qui adverſarentur, percelleret. Quæ vero ille geſſerit, deſcribit Pontifex in literis ad Fridericum datis (*a*).

(a) Ep. 230.

*Gregorius, &c.*

*Antequam ſibi de prædictæ pacis, quam dicti Acconenſes probare volebant, forma conſtaret, noſtri mandati ordine non ſervato, celſitudinem tuam & nobilem virum Conradum natum tuum ad prædicta reſtituit, & quod cives & ſyndici Acconenſes præfato Richardo mareſcallo, tuo & ejuſdem nati nomine, ac aliis bajulis, quos ibi pro tempore duxeris ſtatuendos in ordinatione caſtrorum & officialium, perceptione reddituum & omnium aliorum jurium, quæ in ipſo regno ad Regem de antiqua & obtenta conſuetudine ſpectare noſcuntur, obediant; nec non ipſi ac nobiles regni ejuſdem communiam diſſolvant, campanam deponant, & amoveant conſules & capitaneos, ab eis poſt ortam diſcordiam ordinatos, ac ipſius regni proprietatem ad dictum Conradum pertinere diffiniendo decreverit, & eis ſuæ diffinitioni parere nolentibus in civitatem Acconenſem interdicti, & in ſyndicos civium, & nobilium & majorum conſulum univerſitatis Acconenſis, ac eorum fautores, & conſiliarios excommunicationis ſententias promulgavit. Quod cum ad noſtram notitiam perveniſſet, nos attendentes quod cum inibi diverſorum rituum habitatores exiſtant, de facili terræ illius homines ab Eccleſiæ Rom. ritu recedent, & per hoc inficerentur hæretica pravitate, ac ob id Terræ ſanctæ, pro qua multorum catholicorum ſanguine fuſo Eccleſia Dei innumerabiles ferens anguſtias, labores nimios ſubiit ac expenſas, gravia pericula imminerent, recepta ab ipſis Acconenſibus cautione, quod noſtris debeant parere mandatis, præfatum dumtaxat relaxavimus interdictum, ne tibi & dicto nato tuo damnum de regno prædicto modica hora contingeret, quod vix longi labor temporis reſtauraret.* Addit Pontifex Petrum e Vineis ac Pactenſem electum ad ſe acceſſiſſe, inſtitiſſeque ipſius nomine, ut quæ a Theoderico geſta erant, a ſede Apoſtolica confirmarentur. Acconenſium vero oratores controverſiam omnem pontificio arbitrio permiſiſſe: ſed cum imperiales nuntii pari ad id non valerent auctoritate, rei ſuperſediſſe; quare ſuam voluntatem quamprimum aperiret. *Dat. Aſſiſii* X. *kal. octob. an.* IX.

XLIV. (b) Ep. 231.

Hortatur ad concord. Frider. cum Rege Cypri.

XLIV. Aliiſque literis (*b*) ſignificavit, ad reſtituenda omnia in priſtinum ſtatum, aſtringendoſque Acconenſes paratum eſſe, ut cœptam reipublicæ formam diſſolvant; ſacramenta, quæ Friderici juribus adverſentur, reſcindant; magiſtratus amoveant, atque iterum novo ſe jurejurando ipſi ac filio Conrado obligent, modo tamen veteres conſuetudines reducantur: cum vero inter Richardum præfectum, & Acconenſes capitales ardeant inimicitiæ, alios illi muneri admovendos videri; demum ad componendam inter ipſum Regemque Cypri diſcordiam adjecit: *Quia non bene poſſet præfati regni ſedari turbatio, ſi regnum Cypri in diſcordia remaneret, excellentiam tuam rogamus, & monemus attente, quatenus hujuſmodi negotium, ut vel chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Cypri ad tuum faciamus redire mandatum, vel inter te ac ipſum treugas ad certum terminum ſtatuamus, ne ex hoc impediatur Terræ ſanctæ ſubſidium, noſtræ ordinationi committas.*

XLV. Crucesignatos tuetur.

XLV. Non minus grave conficiendæ expeditioni obſtaculum improborum hominum avaritia afferebat, qui humani generis hoſtis impulſu cruceſignatorum bona diripiebant, ac peſſundabant; ad quorum ſcelus coercendum, comprimendamque hiantem cupiditatem, has Eccleſiæ præſulibus leges (*c*) præſcripſit. *Univerſitati veſtræ mandamus, quatenus univerſos cruceſignatos & alios, qui ſuſceperint ſignum crucis, quilibet veſtrum in ſua diœceſi & parrochia protegentes ab inquietationibus iniquorum, non permittatis eoſdem ab aliquibus contra protectionis, & conſtitutionis noſtræ tenorem indebite moleſtari, moleſtatores hujuſmodi compeſcendo.* Cæ-

(c) Ep. 23.

*Cæterum ſi qui cruceſignatorum ad præſtandas uſuras juramento teneantur aſtricti, aut ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſurarum, creditores ipſos, ut remittant eis præſtitum juramentum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, ac reſtituant ſic extorta, cenſura ſimili compellatis, Judæos ad remittendum uſuras per ſubtractionem communionis fidelium nihilominus compellentes. Ii vero, qui Judæis debita ſolvere nequeunt, in præſenti uſque quo de ipſorum obitu, vel reditu certiſſime cognoſcatur, uſurarum incommoda non incurrant, compulſis Judæis proventus pignorum, quos interim ipſi percipient, in ſortem deductis expenſis neceſſariis computare, &c. Dat. Peruſii id. april. an.* IX. Eandem ſententiam complectuntur ad Francorum Regem miſſæ literæ (*a*). Verum cum epiſcopi tanto incommodo negligentius conſulerent, eorum perſtrinxit (*b*) ignaviam Pontifex, ac vetuit (*c*) etiam, nequis Chriſtianus in orientem ſolus proficiſci ſineretur, ſed conjungeret ſeſe aliis, cum exercitus trajicere appararent.

(*a*) Eod. l. 9. ep. 24.
(*b*) Ib. ep. 207.
(*c*) Ep. 243.

XLVI. Quanto porro arderet ſtudio promovendæ divinæ gloriæ, atque e manibus impiorum eripiendæ Terræ ſanctæ Gregorius, præter ſuperiora illuſtrant literæ (*d*) quibus Chriſtianam juventutem ad induendam crucem pro concione inflammari juſſit, tum ad Rhemenſem archiepiſcopum, alioſque orbis præſules exaratæ (*e*) quibus eos incitare populos monuit ad ſuas pro ſacra expeditione conflanda opes, prout ſua quemque moveret pietas, conferendas.

Encycl Greg lit. pro apparanda ſacra in Ter. S. expeditione.
(*d*) Ep. 81. & 244. 185. *Jord. MS. Vat. bibl.*
(*e*) Ep. 135. & *reg. poſt eand. ep.*

*Archiepiſcopo Rhemenſi, & ſuffraganeis ſuis.*

*Exeamus ad Jeſum, ſecundum Apoſtolum, extra caſtra, improperium ejus portantes, ut videlicet ipſius opprobrium proprium reputemus, quaſi nobis ipſis illatas ſibi injurias exiſtimantes, ut ſicut ipſe defectus noſtros naſcendo ſuſtinuit, & dolores moriendo portavit, dum naſcendo minoratus eſt paulo minus ab Angelis, ac ſeipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus, ut homo, ac moriendo captus, tractus, vinctus, cæſus, illuſus alapis, crucifixus, mortuus, lanceatus extitit & ſepultus: ſic quamquam non ſit ſimilitudo creaturæ ad cratorem, ut tamen aliquid ſaltem retribuamus ei pro omnibus, quæ retribuit ipſe nobis, injuria nos tangat ipſius, ut ſubveniamus pauperi Jeſu Chriſto, ad relevandas contumelias, quibus ei a fidei noſtræ hoſtibus exprobratur, inſultantibus ipſis & dicentibus: Si filius Dei es, ſalvum facias temetipſum; ſi quid potes, libera terram nativitatis tuæ de manibus noſtris, & crucis cultoribus reſtituas crucem tuam. Certe ignominia eſt populo Chriſtiano, quod ille Rex regum, qui fecit omnia, de propria ſede pulſus, pro noſtris facinoribus terram, quæ hereditatis ſuæ funiculus eſt, amiſit, in qua corporaliter viſus eſt cum hominibus converſatus, & in qua univerſa redemptionis noſtræ ſacramenta patravit. O quam anxie clamaret Apoſtolus hodie, ſi nunc in mundo maneret. Exeamus ad Jeſum extra caſtra improperium ejus portantes; forte diceret: Exeamus exemplo Abrahæ de terra, domibus, & cognatione noſtra corporali & myſtica, ut eamus in terram illam olim inclytam & Chriſti ſanguine conſecratam, ut expulſis exinde cum Dei adjutorio Amorrhæis, cum Juda Machabæo montem Sion aſcendamus mundare ſancta & renovare, coronis ornantes aureis templum Domini Dei noſtri.*

*Clamat etiam ipſe Chriſtus: Qui vult,* inquit, *venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Quaſi dicat, bellum inſtat, aciem caſtrorum diſpono: ergo qui meus eſt, me ſequatur. Qui enim vult venire mecum ad gloriam, ſequatur me ad pugnam, quia qui vult regnare oportet compati; quanquam non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quam in nobis credimus revelandam. Clamat nihilominus illa miſerabilis Hieruſalem mater noſtra, quæ merito peccatorum noſtrorum bibit de manu Domini calicem iræ ejus, ſuas nobis exponens anguſtias, & in ſui doloris remedium affectus a nobis expectans filiales, ſi forte triſtemur cum ipſa, & doleamus, ſi eam diligimus, vicem ejus. Quis enim eſt, qui non tam validis clamoribus excitatus, ad vindicandas Chriſti ſui tam atroces injurias ſe accingat? Nunquid non rei proditionis apud Filium Dei erimus, ſi ad eruendam terram de manibus impiorum ad eum ex Patris æterna donatione, qui gentes in hereditatem, & in poſſeſſionem terræ terminos ſibi dedit, ac matris de regali proſapia deſcendentis ſucceſſoria hereditate pertinentem non totis viribus laboremus? Non eſt quidem novum, quod terra illa judicio divino percutitur; ſed nec eſt inſolitum, ut flagellata, & caſtigata ſanetur: nam poterat eam Dominus ſola voluntate ſervare, ſed forſitan voluit experiri, & in notitiam ducere aliorum, ſi quis tangeretur ejus injuria, & ad ipſam ulciſcendam ſe aliquis præpararet.* XLVII.

*Licet autem ad recuperationem ipſius terræ multum laboraverit hactenus populus Chriſtianus; licet multi principes orthodoxi aſſumpto crucis ſignaculo, ut hereditatem Domini de manibus eruerent iniquorum, ad partes transfretaverint tranſmarinas; licet quamplures, quos in hoſtes zelus divinæ legis armaverat, in manibus traditi perſequentium, adhuc forſitan ferreis detineantur compedibus, & ſquallore carceris macerentur; licet non pauci facien-* XLVIII.



*ciente cum eis Domino ſignum in bonum, calicem guſtaverint paſſionis, & martyrio fuerint coronati; nondum tamen exigentibus culpis populi Chriſtiani, tantæ voluit Dominus miſeriæ miſereri, illo dante forſan occaſionem, vel cauſam, quod etſi ad tempus circa hoc ferbuerit devotio Chriſtiana, in tempore tamen tepuit fervor ejus, & ſic non continuatis præſidiis, defectum paſſa eſt graviter cauſa Chriſti. Cum igitur treugæ cum Sarracenis initæ modico ſint tempore duraturæ, ne ſi quod abſit, invenitur Chriſtiana profeſſio imparata, verendum ſit, quod non ſolum difficilis terræ recuperatio jam amiſſæ, verum etiam deſperabilis retentio ſit retentæ, cupientes acies dominicas inſtaurare, ac per continuata præſidia Chriſti negotio provideri, de fratrum noſtrorum conſilio militiam Chriſtianam in partibus tranſmarinis, quæ jugiter contra hoſtes fidei prælium Domini prælietur ad minus uſque ad decem annos providimus inſtruendam, de fidelium eleemoſynis ſubſidium continuum habituram. Ut autem quod intendimus, melius & efficacius impleatur; exemplo Apoſtoli, qui collectas faciebat in gentibus, ut mitteret illas fratribus egentibus in Hieruſalem, ſic ſuper hoc duximus providendum, ut quilibet, qui Chriſtiana profeſſione cenſetur, tam maſculus, quam fœmina, tam clericus, quam laicus, & tam ſubditus, quam prælatus conferat qualibet ſeptimana ſaltem unum denarium in hoc opus, per manus eorum, qui ad hoc electi fuerint, in ſubſidium ejuſdem militiæ convertendum; iis dumtaxat exceptis, qui ſuſcepto crucis charactere ſunt illuc perſonaliter profecturi, &c. Dat. Peruſii* IV. *kal. jul. an.* IX.

XLIX. Devovere ſe bello ſacro plerique principes, inter quos Theobaldus Navarræ Rex & Campaniæ comes, in quo multa futuræ virtutis ſigna emicabant, prima armorum tyrocinia in Chriſti defendendo nomine conſecrare ſtatuit: ſed cum nonnulli adverſus ipſum varias inirent coitiones, atque a ſuſcepto conſilio retardarent, Gregorius abbati de Irentio aliiſque provinciam demandavit, (*a*) ut cenſuris novarum rerum ſtudioſos coercerent: *Tanto*, inquit, *gaudemus amplius, quanto credimus ex majori devotione procedere, ut in ætate adhuc tenera conſtitutus juventutis ſuæ primitias offerens Deo ſuo, ac non ſolum ſua, ſed ſeipſum abnegans propter Chriſtum tulerit crucem ejus, ut illius opprobrium, quo ei a fidei noſtræ hoſtibus exprobratur, poſſit, ſi ipſe dederit, vindicare. Cum igitur ſicut accepimus, quædam colligationes illicitæ contra eundem Regem in præjudicium juris ſui a quibuſdam nobilibus tam terræ ſuæ quam aliis ſint præſumptæ, ad quarum obſervationem ſe colligantes juramenti vinculo ſe aſtrinxerunt, mandamus, &c.* Jubet ipſos tuendis Theobaldi juribus incumbere, cenſuraſque ea infringere molientibus incuti. *Dat. Viterbii* IX. *decemb. anno* IX.

Theobald. Rex Navarr. ſe bello ſacro devovet.
(*a*) Eod. l. 9. ep. 300.
Nova in eum molientes comprimi cenſuris jubet Greg.

L. Solicitavit (*b*) præterea Theobaldum Regem Gregorius Imperio Conſtantinopolitano in diſcrimen adducto opem afferret, cum eo a ſchiſmaticis everſo non ſine magna difficultate auxilia Terræ ſanctæ tranſmitti poſſent, atque Herardum de Chatenay, & alios proceres Gallos, qui Joannem aut Balduinum conſanguinitate attingerent, impelleret, ut abjecta omni mora, induta cruce, in auxilium Conſtantinopolis provolarent. Juſſus etiam Senonenſis archiepiſcopus parandis cruceſignatorum copiis incumbere: ſed cum ea auxilia ſegniora fore timerentur, Bulgaris, & Græcis cum novis exercitibus imminentibus, Pontifex ex Ungaria elicienda alia promptiora auxilia arbitratus, Strigonienſi & Colocenſi archiepiſcopis partes impoſuit, ut Ungaros, qui ſe ferendo Terræ ſanctæ ſubſidio aſtrinxerant, commutato ad Conſtantinopolitano Imperio ferendam opem voto, proficiſci juberent, ac plures ad induendam crucem in eo rerum diſcrimine excitarent (*c*).

(*b*) Ib. poſt ep. 313.
Illum excitat ad ferendam imperio Conſtantinop. opem.
Plures alii principes arma capere juſſi.
(*c*) Poſt ep. 113.

LI. Pendebant tum extrema ſpe Conſtantinopolitanorum res, cum Joannes Ducas a Latinis, qui in Aſiam excurrerant, laceſſitus percuſſo cum Aſane Bulgarorum Rege armorum fœdere, magno exercitu comparato, Calliopolim invaſit: eaque elatus victoria Conſtantinopolim infeſtis ſignis petiit, conjunctis eodem tempore copiis irrupit Aſanes, ac obviis omnibus populatis eidem urbi regiæ caſtra admovit. Quam formidandam hoſtium irruptionem Georgius Logotheta ita deſcribit: *Joannes Imperator*, is nimirum qui etiam Ducas, & Vatacius vocitabatur, *conductis copiis, uterque occiduam plagam, quæ Latinis ſerviebat, excurrerunt, ingentique inde præda deportata, Scythicam ſolitudinem, ut proverbio utar, univerſam, effecerunt urbibus ac regione, ut jurejurando convenerant, ſibi diviſis. Et Calliopolis quidem, cum ante adventum Aſani expugnata fuiſſet, ſub Imperatoris poteſtate venit, ſimili ratione & Madyſta, & omnis cui Cherroneſo nomen eſt. Habebat præterea Imperator & Ciſſi caſtrum, & ad fluvium, qui Marytſa a multis vocatur, fines extendit. Potitus eſt ad hæc & monte Gano, in quo oppidolum extruxit, cujus Nicolaum Cotertzem virum plurimis præliis exercitum, in quibus adeo præſtiterat ut apud omnes illud vulgatum fuerit, neminem neque ante eum, neque poſt eum fuiſſe, qui tot ac tanta facinora vel attentarit felicius, vel proſperius geſſerit, cuſtodem miſit, ut Latinis, qui in Tzurulo erant, negotia faceſſeret. Aſanus dictorum locorum partes ſuperiores, & quæ aqui-*

Conjectæ in extrem diſcrimen Conſtantinop. res.
Joannes Ducas & Aſanes ingentem vaſtitatem inferunt.
Parta a Vatacio loca.

Conſtantinopolis ab eod. & Aſane obſeſſa.

*quilonem reſpicerent, tenuit; & ad ipſos uſque Conſtantinopolis muros Joanne Rege in illis aſſidente, & intuente uterque perveniens ingentem timorem Latinis injecit, reſque eorum in extremum diſcrimen deduxit. Porro cum autumnus præteriſſet, ac hyems inſtaret, Joannes Imperator atque Aſanus cum inter ſe de gerendis rebus deliberaſſent, Aſanus quidem domum revertitur, Imperator in orientem transfertur.*

LII. Georgius ex nimio in ſuos ſtudio egregie a Latinis geſta ſubticet.

Hactenus Georgius ad efferendas Vatacii res, ac Latinorum deprimendas, illatas a Græcis clades deſcripſit. Turpiſſimam vero eorum fugam, ac partam divina ope a Joanne Brenenſi victoriam ſilentio prætermittit. Integra igitur hujus hiſtoriæ veritas e literis pontificiis petenda eſt, quibus ſi victoriæ reportatæ de potentiſſimis hoſtibus magnitudo fidem detrahere alicui videatur, cum ſchiſmaticorum quadraginta inſtructa agmina a centum & ſexaginta cataphractis equitibus fuſa, ac diſſipata audiet, meminerit antiqua pugnante pro ſuis numine miracula; nec putet Rom. Pontificem Theobaldo, Belæ, Colomano, aliiſque Regibus principibus antiſtibuſque inania mendacia ſcribere (*a*) voluiſſe. Illum ergo in literis Ungariæ Regi datis, quæ paucis immutatis ſententiis tranſmiſſæ ad plures fuere, hæc exponentem atque ut auxilia quantocyus ſubmitteret, ne poſt victoriam ſub hoſtium, qui colligebant novas acies, potentia fatiſcerent Latini, exorantem audiamus.

(*a*) *Lib.* 9. *ep.* 313.

LIII.

*Belæ Regi Ungariæ illuſtri.*

*Sicut pro certo didicimus Vatacius & Aſanus ſchiſmatici nuper inter ſe iniquitatis inito fœdere, terram chariſſimi in Chriſto filii noſtri Imperatoris illuſtris cum maxima Græcorum multitudine hoſtiliter invadentes, & capientes Gallipolim, omnes habitatores ipſius crudeli gladio differentia ſexus, vel ætatis non habita jugularunt: & deinde in forti manu Conſtantinopolim obſidentes, eam credebantur capere, niſi a Deo liberata fuiſſet deſuper adjuvante. Nam idem Imperator attendens quod Domino, quo protegente contra quinque Reges Abraham victoriam habuit, & ſolus Jonathas de viginti Philiſthæorum millibus eos interficiens triumphavit, non eſt difficile, ut ſalvet in multitudine vel in paucis, centum & ſexaginta militibus tantum ſociatus contra dictos Græcos cum quadraginta & octo aciebus procedentes ad bellum certamen aggrediens adverſus eos triumphum obtinuit, & ipſorum alios enſi devorandos expoſuit, aliis ſolis tribus aciebus fuga præſidio liberatis, carceri mancipavit: quando necdum ab hujuſmodi reverſo victoria viginti quatuor naves hoſtium dictam Conſtantinopolim applicantes, ut eam caperent, rapinis ac incendio devaſtarent, Conſtantinopolitanorum civium manibus Dominus tradidit: ſed aliquos ex hominibus in eis morantibus, fuga velox intercipi, & propinquum receptaculum non permiſit.*

Illuſtres Joannis Reg. Hie. de ſchiſmaticis partæ victoriæ. Vatacium & Aſanem cum exigua equitum manu profligat.

Hoſtium claſſem capit.

LIV. Novum bellum in latinos apparant ſchiſmatici.

*Dicti vero Vatacius & Aſanus, novi robur exercitus inſtaurantes, ſpem nihilominus de triumpho concipiunt, & de novo civitate Conſtantinopolitana obſeſſa, ſe ad debellandum eundem Imperatorem iterato, cum infinitis armatorum millibus accinxerunt: propter quod a nobis extitit cum inſtantia poſtulatum, ut ad ſuccurſum Conſtantinopolitani Imperii apoſtolicæ dignaremur proviſionis auxilium impertiri. Nos igitur attendentes, quod ipſius conſervatio Imperii ſpecialiter pertinet ad promotionem ſubſidii Terræ ſanctæ, de qua non niſi per partes Romaniæ liber reditus peregrinorum habetur, & ſi, quod abſit, dictum Imperium dominio Græcorum, qui magis Latinos odiunt quam pagani, ſubiicitur, de facili ejuſdem terræ diſſidium ſequeretur; celſitudinem regiam monendam duximus attente, & hortandam, quatenus cum eo levius & citius præfato Imperio per homines Ungariæ ſubveniri valeat, quo ei vicimores exiſtunt ob reverentiam Jeſu Chriſti, Apoſtolicæ ſedis, & noſtram, ſicut animæ tuæ ſalutem deſideras, ad ſubveniendum præfato Imperio regium ſtudeas auxilium & conſilium impartiri, ita quod exinde ſupernæ gloriæ merearis particeps effici, & per tui auxilii interventum dictum valeat Imperium liberari, ſpe tibi propoſita, quod dum in Imperio eodem terræ ſubvenis memoratæ, duplicatum remunerationis divinæ præmium reportabis. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & ea quam nobis in beatis Apoſtolis Petro & Paulo conceſſit auctoritate confiſi, illam eis, qui in ejuſdem Imperii ſuccurſum acceſſerint, concedimus veniam peccatorum, quam habituri forent, ſi prædictæ Terræ ſanctæ perſonaliter ſubvenirent. Dat. Viterbii* XVII. *kalend. januar.*

Rogat Belam Reg. Greg. in auxilium Lat. procurrat.

Eodemque argumento ad archiepiſcopos Strigonienſem & Colocenſem, Ungaroſque miſſis litteris (*b*) monuit ut citiſſime ad maturum ferendum auxilium provolarent.

(*b*) *Regeſt. poſt eand. ep.*





I. Impendens Longobardicum bellum ſopire nititur Gregorius.

INjecta eſt a Friderico Inſubriæ anno Chriſtianæ ſalutis trigeſimo ſexto ſupra milleſimum ducenteſimum indictione nona funeſti, ac luctuoſi belli fax, quæ tam atrox incendium excitavit, ut pluribus annis extingui non potuerit. Cujus periculi terrorem imminere cum videret Gregorius, ac ſacram expeditionem, quam adverſus Sarracenos indixerat diſſolvendam, curas omnes defixit, ut Inſubres ac Fridericum mutuo concordiæ fœdere conciliaret. Permiſerant illi quidem ſedi Apoſticæ dirimendam controverſiam, ſed variis injectis difficultatibus hactenus apoſtolicam ſolicitudinem eluſerant; extremoque ſuperiori anno Imperator compromiſſum nonnullis conditionibus devinxerat, ut facile res perduci ad exitum non poſſet: quare ab illo contendit (*a*) Gregorius, appoſitas eas literis leges removeret, nec faciles iis aures daret, qui ut ex diſſenſionibus ad ſe utilitatem aliquam derivarent, novis ipſum bellis implicare conarentur, perfectaque ea re facilius apparatum bellicum in Sarracenos adornari poſſe: jam plures Reges ac populos ea de cauſa poſitis mutuis odiis ad bellum ſacrum ſuſcipiendum ſtrenue ſeſe accinxiſſe: nec par eſſe, ut dictas orbi Chriſtiano induciarum leges infringat, quæ flagitante ipſo ex patriarcharum trium conſilio promulgatæ fuerant.

(*a*) *Greg. l.*10. *ep.*1. Præmonet Fridericum ne implicari ſe illo ſinat.

II. Alios Reges inducias promulgatas ſervare.

*Excellentiam tuam rogandam duximus attentius & hortandam, quatenus prudenter advertens, quod ad inſtantiam tuam de conſilio fratrum noſtrorum patriarcharum trium, & prælatorum omnium, qui erant apud ſedem Apoſtolicam conſtituti, negotium Terræ ſanctæ, quod ad te poſt ſedem Apoſtolicam noſcitur ſpecialiter pertinere, duximus, aſſumendum, providentes ut orbis terræ diſcordes ad treugam vel concordiam cogerentur, & quod jam ad hoc aliqui ex magnis terræ principibus ſunt compulſi; quinimmo Reges aliqui, multi nobiles, & potentes crucis ſignaculum per Dei gratiam receperunt; præfatum magiſtrum H.. ne dictæ terræ negotium, quod ad utilitatem Eccleſiæ, Imperii, ac totius populi Chriſtiani noſcitur ordinatum, quod abſit, valeat impediri, cum pleno mandato de compromittendo ſuper promiſſis præciſe in manibus noſtris ſine moræ diſpendio ſtudeas deſtinare, ſciturus quod ſi contra Lombardos, maxime cum ſe præciſe in manibus Eccleſiæ poſuerint, hoc potiſſimum tempore procedere molireris, tantum exempli perniciem aliis tribuendo, per quam præſumi poſſit a pluribus, quod cæteros Eccleſia fefelliſſet, id pati æquanimiter eamdem Eccleſiam non deceret; præſertim cum ſuper negotio, in quo de tanta gloria Redemptoris agitur, acceptio perſonarum haberi non debeat, nec aliquid nos deceat perpeti, per quod proceſſus ejuſdem poſſet aliquatenus impediri. Diligenter enim conſiderare te convenit, quod illi qui excellentiæ tuæ contraria conſulunt, ad id te nituntur inducere, per quod te illis laboribus involuto, de quibus de facili nequeas expediri, utilitates ſuas fortius valeant procurare. Dat. Viterbii* XII. *kal. april. anno* IX.

Plures copias crucesignatas conſcribi.

Longobardos compromiſiſſe in Pont.

III. Reſpuit Frid. pacis conſilia.

At Imperator Inſubrium fœderatarumque urbium injurias amplius ſe ferre non poſſe Gregorio literis ſignificavit; atque adeo enixe precibus contendere, ſi pacis Imperio honeſtas ac utiles leges accipere recuſarent, ſibi adverſus eos bellum comparanti auxilio eſſet. Quibus acceptis Pontifex monuit (*b*) caveret ne Italiam armatus peteret, Inſubreſque laceſſeret bello, cum nondum induciæ ad ſacram expeditionem adornandam illis permiſſæ effluxiſſent; rem omnem ad ſedis Apoſtolicæ arbitrium revocaret: illam ex æquo inter eos exortas controverſias compoſituram, de quibus Pariſius (*c*). Reſcripſiſſe vero Fridericum refert cum aliis Sigonius (*d*) Italiam ſui eſſe juris ac dominii, atque adeo ſuæ dignitatis eſſe rebelles edomare, hæreſim late in Inſubria graſſari, ſuiſque eam armis præfocandam: Sarracenis expugnandis ſuas opes pares non eſſe, devictaque Inſubria ſe illius divitias, ac vires in hoſtes crucifixi converſurum.

(*b*) *Auct. Anonym. vit. Greg.*

(*c*) *Apud Pariſ. hiſt. Angl. hoc anno*

(*d*) *Sigon. l.*18.

Totius Italiæ dominationi inhiat.

*Italia hereditas eſt mea, & hoc notum eſt toti orbi. Anhelare ad aliena,* nimirum Sarracenorum terras amplificandæ religionis cauſa invadere, *& propria relinquere ambitioſum eſſet & enorme, præſertim cum Italicorum, præſertim Mediolanenſium me injuriis laceſſivit inſolentia, in nullo mihi debitam exhibens reverentiam. Præterea Chriſtianus ſum, & qualiſcumque ſervus indignus Chriſti, accinctus ad Crucis inimicos debellandos. Cum igitur tot hæreſes non tantum pullulent, immo ſilveſcant in Italia, & jam zizania ſegetes incipiant ſuffocare per civitates Italicas, præcipue Mediolanenſium, tranſire ad Sarracenos hoſtiliter expugnandos, & illos incorrectos pertranſire, eſſet vulnus infixo ferro fomentis ſuperficialibus delinire, & cicatricem deformem, non medelam procurare. Item ſolus ſum & homo ſum, nec ad tantum laborem ſufficio, ut inimicos Crucis ſine magno comitatu adeam debellaturus incredulos, qui tot ſunt & tam fortes, expugnando. Iterum cum ſine theſauris magnis ad tam arduum negotium*

*conſurgere per me non ſufficiam, opes ejuſdem terræ in opem, & ultionem Crucifixi convertere deſtinavi; abundat equidem Italia armis, equis, & opibus, hoc terra novit univerſa.*

IV. Ex quibus Friderici animum totius Italiæ dominationi avide inhiantem, ac variis coloribus prætextibuſque pietatis ardentem ambitionem, ac ſuperbiam tegentem conſpicere eſt. Quæ porro Fridericus altiore animo, ac ſecretiori pectore gereret, epiſtola ad amicum exarata (a) aperuit, reliquæ nimirum Italiæ jugum imponere, ſuæque ſubiicere poteſtati ambitioſumque conſilium colorare egregie putabat, ſi diceret Italiæ demum totius Germaniæ, Siciliæ, Syriæquæ viribus accinctum Sarracenos facile everſurum. [1]

(a) Apud Sigon. ib.

*Fridericus, &c.*

Ambitionem amico aperit.

*Nos voluntati Dominicæ diſpoſiti ea perficere in votis gerimus, per quæ Eccleſia eradicatis zizaniis ſalubriter gubernetur, ſic ut quemadmodum ab orientali zona regnum Hieroſolymitanum Conradi chariſſimi filii noſtri materna ſucceſſio, ac demum regnum Siciliæ præclara maternæ noſtræ ſucceſſionis hereditas, & præpotens Germaniæ principatus pacatis undique populis ſub devotione noſtri nominis perſeverat, ſic illud Italiæ medium noſtris undique viribus conculcatum ad noſtræ ſerenitatis obſequia, & Imperii redeat unitatem: neque in hoc providere tantummodo commodis intendimus, ſed in hoc crucis negotium directiſſime procuratur. Dein rebellibus noſtris circa partes Italiæ in gremium noſtræ gratiæ revocatis diſcordias multorum nobilium deſiderato fine præcidimus, qui vota ſua in adventu hujuſmodi ſuſpenderunt, ne crucis ſignaculo præſignitos Chriſtiani cruoris effuſio, licet juſta, ob debitum & honorem Imperii, & regni Siciliæ macularet. Ad hæc igitur procuranda, æſtate præſente perſonaliter cum principibus noſtris intrare condiximus Lombardiam, ut eradicata in Italia hæretica pravitate, jura Imperii reformemus ibidem, & pacem diſcordiarum ſchiſmatibus fatigatam inſtauremus, & quibuſlibet paſſis injuriam ſine acceptione perſonarum juſtitiæ copiam miniſtremus, ut ad expiandum inimicorum fidei peculiare flagitium in partibus tranſmarinis de communi tranſmontanorum, & Italicorum conſilio votis communibus unanimiter aſpiremus. Ad quod non ſolum utilitas, ſed ipſa neceſſitas inſtanter invitat, cum treugarum finis, quas nos in ipſis partibus exiſtentes inivimus cum ſoldano, fere in gremiis habeatur. Quare de noſtrorum conſilio principum apud Parmam ſolemnem curiam duximus indicendam, ad quam ab urbe citra omnes urbium Italiæ nuntios invitamus, ubi quamplures nobiſcum principes noſtros habebimus, & legatos omnium regum occidentalium; ut ſi tanta rebellium fuerit protervitas, ut nec ad Deum, nec ad decus Imperii & Eccleſiæ velint habere reſpectum, tam celebris tribunalis in eos materialis gladius exaratur.* Addit ſe viro principi daturum provinciam, ut redeuntes ad officium in gratiam recipiat: ſolicitet ipſe Bergomenſium, Vercellenſium, Alexandrinorum, Brixianorum, Laudenſiumque præfectos, ut oratores ad ſolemnem illum ordinum conventum mittant: ſe die ſacro S. Joanni Baptiſtæ aquilas Auguſta moturum, atque in S. Jacobi ſubſequenti feſto comitia celebraturum.

Quibus coloribus eam ſubornaret.

Volvebat jam animo Fridericus Inſubres ad obſequium frangere: cumque Germaniæ imperium ſibi aſſeruiſſet, Anglorumque amicitiam aſciviſſet, oblatam tandem occaſionem exiſtimavit, qua provinciam florentiſſimam viris, ac refertam opibus adipiſceretur, ut proſequitur vitæ Gregorii auctor, his verbis: *Sic igitur Eccleſiæ magnificatus auxilio, jam ultricem manum convertere cogitans in Lombardos, quos jura ſibi longis ſubtraxiſſe temporibus, ac atroces adjeciſſe cauſas injuriæ cauſabatur, Lombardiam intravit contra ſedis Apoſtolicæ conſilium & mandatum. Sed prius vires viribus prudenter examinans, eos per Apoſtolicæ ſedis oraculum obtinuit admoneri; quorum nunciis cum legatis principis ad Chriſti vicarium cum inſtrumentis de rato tranſmiſſis, in ejus tandem arbitrio cum adjectione pœnæ per monumenta publica extitit compromiſſum: licet finem non ceperit examinatum judicium tergiverſatione partium calumnias ingerente. Qui tandem petiit in Lombardiam ſedis Apoſtolicæ deſtinari legatum, cujus judicio celerius ſuborta quæſtio finiretur. Ad quod venerabilis pater epiſcopus Prænestinus, cui præter illa omnia, quæ Pontificis conditioni debentur, & hæc quæ regularis adjecit diſciplina, zelus fidei, rectitudo juſtitiæ, ac fervor libertatis Eccleſiæ ſuffragantur, cum plenæ legationis officio deſtinatur.* V.

Jacobus Præneſt. ep. ad conciliandam diſcordiam miſſus.

Is erat Jacobus ex abbate Ciſtercienſi trium fontium urbis in Cardinalium numerum adſcitus, ut ſuis locis ex Gregorii actis inſeruimus, quem Friderico, ut vi- VI.

NOTÆ [1] CÆterum menſem & diem, quo imperator Veronam intravit ſervavit nobis coævus author chronici Veronenſis vulgatus a Muratorio Rer. Italic. tom. VIII. qui ad hunc annum notat: *XVI. auguſti dominus Fridericus imperator cum tribus millibus militibus Theutonicis venit Veronam. Sequenti vero die ivit Vacaldum, & ibidem per XV. dies ſtetit. Poſtmodum tranſivit ultra Menzum ad Cremonam vadens.* MANSI



rum integerrimum, cui certiſſime committere res ſuas, fidere poſſet, commendavit (a). *Cum olim ad noſtram notitiam perveniſſet, quod in Lombardiam proceſſus ſuos Imperialis celſitudo dirigeret, nos illum, qui ſola Deo placita efficere, ac omni perſonarum acceptione remota pacem deſideraret & concordiam promovere, illuc dirigere cupientes, venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Præneſtinum ad partes Lombardiæ de fratrum noſtrorum conſilio providimus deſtinandum: de quo firmam potes fiduciam gerere, quod cum a ſe ſua & ſuos propter Deum abdicaverit, & ſemetipſum ejus ſervitio totaliter dedicarit, ad ea dumtaxat ſtudebit procedere, quibus honorem Eccleſiæ poſſit ac Imperii confovere, ſicut ex ipſius operibus colligere poteris evidenter: & ſi quid aliud ſuggerant, imperialis excellentia auditum malevolis interdicat, &c.* Addit, ut Hermannum Germanorum equitum Hoſp. magiſtrum, quem ut accederet, invitavit (b) ad ea quæ ad Eccleſiam, & Imperium ſpectant, tractanda tranſmittat. *Dat. Interamne* IV. *id. jun. an.* X.

(a) Greg. l.10. ep. 103.

Commendatur a Gregorio.

(b) Ib. ep. 16. & 204.

VII. Ac ne ad conciliandam pacem aliquid prætermitteret, archiepiſcopos Mediolanenſem, Ravennatem, & ſuffraganeos epiſcopos ſuis literis monuit, (c) ut omnes vires ſuas ad eam ſanciendam converterent. Cumque falſus rumor obtrectatorum linguis late difflatus, Gregorium in ea re artibus & coloribus uti, atque adverſus Imperatorem ſuffuſum malevolentia animum gerere ad ipſius Pontificis aures perlatus eſſet, ad eam obterendam famam, plurimum de obtrectatoribus queſtus, dictis archiepiſcopis præſulibuſque ſignificavit, quam ſincera benevolaque mente Friderico ſemper ſtuduiſſet, inſinuarent; ad epiſcopum etiam Card. Præneſtinum legatum ſuum, ac præſules alios literas dedit, (d) quibus ipſos, ut ſedem Apoſtolicam adverſus ſparſos malevolorum ſuſurros defenderent, præcepit, aſperſamque illi calumniam confutarent. Ea porro calumnia illata Gregorio fuiſſe videtur, quam Pariſius odio & invidia in Romanos Pontifices affert, atque exaggerat, ipſum nimirum apoſtolicum patrocinium adverſus Imperatorem Mediolanenſibus, ac reliquis Inſubribus pollicitum fuiſſe.

Juſſi Longobardiæ præſules conficiendæ paci incumbere.

(c) Ib. ep. 194.

(d) Ep. 195. 196. 197. 198.

VIII. Cæterum epiſcopum Præneſtinum A. S. L. non ea, qua par erat, benignitate habuit Fridericus: virum enim ſacerdotali conſtantia præditum cum ſuas in partes, & conſilia ambitioſa pertrahere non poſſet deſpexit, contumeliiſque ac minis exceptum a ſe faceſſere juſſit (e): *Quem, cum nollet a via regia declinare, occaſione * concepta quod inter Placentinos cives pacem firmaverat, ſicut ex officii debito tenebatur, gravi ſuſpicione notatum, audire contempſit, eumdem contumeliis atque comminationibus proſecutus.* Illum porro ſuis partibus in ea re pro dignitate perfunctum ex apoſtolicis literis (f) conſtat, quibus nonis aprilis hujus anni adducendæ inter eos concordiæ omniſque diſſenſionis materiæ radicitus evellendæ Aſculano epiſcopo provincia data erat, ac Placentini (g) illius dictis & conſiliis obtemperare juſſi. Ingrata vero ea res fuit Friderico, qui diſſentientes opprimendi occaſionem ſibi porrectam arbitrabatur, literaſque ad Pontificem querelis in Jacobum Præneſtinum refertas, quibus etiam præſtiti Inſubribus adverſus Imperium Romanum favoris notam ſedi Ap. aſperſerat, ſcripſit (h); quibus lectis Gregorius objecta legato diluit, ſtudiique erga Inſubres ſuſpicionem amovit.

A Friderico repulſam patitur legatus.

(e) Vita Greg. auct.

* accepta

(f) Lib. 10. ep. 7. 8. & 10.

(g) Ib. ep. 9. 11. 13.

Ob Placentinos ad mutuam concordiam adductos illius odium incurrerat.

(h) Ep. 253.

*Gregorius, &c. Friderico Imp.*

*Cum ad exemplum mediatoris Dei & hominum, qui ut pacem inter Deum & hominem reformaret, non eſt formam ſuſcipere dedignatus humanam, ſciſſuras ſchiſmatis ad integritatem reducere unitatis ſedes Apoſtolica teneatur, noſtræ, quo Deo & homini aſtringimur, ſervitutis officium in Lombardia pro ſedanda Imperii & Lombardorum diſcordia compulit deſtinare legatum, qui & diſſidentes ad imperiale mandatum reconciliatos reduceret, & inter populos diſcordantes pacis fœdera reformaret. Nec illud noſtrum tam ſanctum, tam ſalubre potuit impedire, ſed potius debuit adjuvare propoſitum, quod te in Lombardiam pro extirpanda hæretica pravitate, ſubſidio Terræ ſanctæ, & recuperatione jurium Eccleſiæ ac Imperii, nec non pro reformatione pacis proclamabas eſſe venturum. Nam ſi te ad id Imperii reformatio invitavit, nos cauſa Imperii, cujus deformatio in diſpendium Eccleſiæ Romanæ redundat, eccleſiarum utilitas, quæ longum ſub bellorum fluctibus diſſidium patitur, & animarum periculum, pro quibus poſſeſſori cœli & terræ ad ratiocinium obligamur, ad procuranda bona concordiæ debuerunt fortius excitaſſe; unde nihil de tuo jure uſurpaſſe, de tuo nihil, licet contrarium aſſeras, occupaſſe officio credimur, ſi nos, de quorum conſilio te ad id in principio, medio, & fine procedere, ſicut pluries promiſiſti, decuerat, prompti noſtrum ſummo creditori exolvere debitum invenimur.*

Confutat Friderici prætextus Pontifex.

*Quare præmiſſa more artificis, cujus conſiderationi ſe primitus offerunt quæ ultimo in operatione concurrunt, diligentius attendentes, illum, ut per eum noſtrum impleremus miniſterium, elegimus in hac parte miniſtrum, qui eo tibi & quibuſcumque diſcordantibus minori poſſet haberi ratione ſuſpectus, quo ejus mens terrenis deſideriis abſoluta ſuis actibus fermento minus ingereret odii vel amoris; qui ſeipſum & ſua relinquens, in divini amoris* alti- IX.

Legati virtutes illuſtrat.

*altitudinem evolaſſet. Quis illius ſinceritatis rugam ſuſpicionis obiicere, quis illius puritatem nævo duplicitatis oppoſito poterit offuſcare, quem ſuſcepta profeſſionis beatæ religio, carni & mundo abſtulit, quem Deo fructus laudabilium operum, & vitæ ſanctitas commendavit? Nec enim locus originis recte contra eum in ſuſpicionis argumentum inducitur, cum non bonitas hominis deformetur a loco, ſed potius loci malitia per hominem reformetur. Probat hoc, quod nec pietati Chriſti quidquam mundus ſubtraxit impius, nec cœlum fecit ſanctum dæmonem, nec hominem paradiſus. Genus etiam ad tuam intentionem non ſufficere, immo non proficere creditur, quia fruſtra in illo parentelæ vitia condemnantur, qui per converſationis ſanctæ munditiam a patria & parentibus, quaſi in virum mutatus alium, factus eſt penitus peregrinus. Quid plura? fruſtra quid ad probationem alicujus inducitur, quod illud nec frequenter nec inſeparabiliter comitatur.*

X. Demonſtrat ex conciliatis Placentinis lædi non debuiſſe.

*Suffragatur autem ad hoc teſtimonium dilecti filii magiſtri hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum, & ei quod alia vice ipſum cum dilecto filio noſtro O.. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. tranſmiſſum tibi ſuſpectum fuiſſe aſſeris, refragatur; cum ipſum nihil feciſſe, unde celſitudini imperiali ſuſpectus merito deberet haberi, coram nobis publica voce dixerit, & eum circa obſervationem juſtitiæ plurimum commendarit. Erubeſcere igitur poterit novus logicus de nobis mali alicujus initium, vel participium paralogiſmo concludere, cujus falſitatem etiam imperiti de longe ſpeculantes poſſunt luce clarius improbare, cum publice bonum, & manifeſta boni ſpecies fuerit, quod legatus ad reformandam pacem inter te ac Lombardos a nobis deſtinatus acceſſit, cui nihil poſſe credimus imputari, ſi eo præſente ſedata ſint inteſtina bella Placentiæ, ſi aliquæ civitates Lombardiæ, cladibus præliorum oppreſſæ, ad pacis fuerint dulcedinem invitatæ. Quin immo tibi ad infamiam reputatur, quod Eccleſia ſeu præfato mediante legato pacem Imperii dedigneris, vel non patiaris potius reformari. Sed eſt fortaſſe qui dicat, quod dum contra fas & licitum epiſcopum præfatum tuis non habes votis omnino propitium, eum imperialibus æſtimes deſideriis inimicum, & quo æqualius eundem ad quodlibet oppoſitorum extremum, ut utraque unum efficiat, declinare perſpexeris, eo fortius ipſum celſitudinis tuæ profectibus contrarium ſuſpiceris: de quo ſi placet obtrectationis ceſſent obloquia, cujuſlibet prudentis & boni principis moribus inimica, qui ſic ius ſuum diſcrete proſequitur, quod in nullius præſertim timentis Deum, & epiſcopi detrectationem armatur. Verum ne aliqua de ſede Apoſtolica vere vel apparenter excellentiæ tuæ querela conſurgat, tibi contra prædictum legatum, quæ nondum probatio ſeu confeſſio objecti criminis & ignoti convincit experiri, volenti ſumus juſtitiam exhibere parati.*

XI. Objurgat tractatum concordiæ ipſi qui ab ea alienus eſſet placere non potuiſſe.

*Cæterum ne ſuper imperialis celſitudinis de coercenda, ut tuis verbis utamur, contumacia Lombardorum reſponſionem videamur per oblivionem, vel negligentiam diſtuliſſe, dictus magiſter tibi ſatisfacere potuit; de cujus conſilio dilectum filium G.. ſubdiaconum & capellanum noſtrum ad tractandum de pace duximus deſtinandum: quare reſponſio tibi grata non poterat fieri, per quem tractatum concordiæ contingebat penitus impediri. Nec etiam nobis de objecta eis contumacia conſtitit, ad quos pro facto Imperii mandatum apoſtolicum, cui ſuperba cervice reſtiterint, nullatenus emanavit; quinimmo compromiſſum in manus noſtras venerabili fratre noſtro patriarcha Antiocheno procurante teque petente firmantes, & ſi infra tempus nunciis tuis pro tua voluntate præfixum ad noſtram præſentiam venire nequiverint, maculam tamen erga te, ſi dici poteſt, commiſſæ contumaciæ per ſequentis obedientiam compromiſſi a ſe videntur penitus abſterſiſſe, &c. Dat. Reate* x. *kalend. novemb. pontif. noſtri ann.* x.

Negat Longobardos uti jactabat argui poſſe contumaciæ.

XII. Irrumpit in Longob. Frid.

Irruperat jam, cum hæc ſcripſit Gregorius, in Italiam Fridericus ob perdueles in Germania ſuperiori anno domitos elatus animo, conceptæque ob veteres injurias in Inſubres effundendæ ultionis cupidus, quem Iſabella Imperatrice & Conrado filio in Germania relictis, egregio ſuccinctum exercitu (*a*) Richardus & Pariſius (*b*) referunt; ac Veronam, quæ orta ſeditione ad illius partes antea ſe traduxerat, perveniſſe, indeque felici itinere Cremonam acceſſiſſe: ſed Mediolanenſes validiſſimas acies ad quinquaginta hominum millia in eum eduxiſſe; deinde graviſſimi ſenis conſiliis Mediolanum exercitum, ut mœnia tuerentur, ne, ſi prælio victi eſſent, in extremum exitium res ſuas coniicerent, recepiſſe: at Imperatorem Vincentiam ſibi reſiſtentem novembri menſe cepiſſe illiuſque partem flammis deleviſſe, de cujus excidio non invenuſtum diſtichon affert Richardus (*c*).

(*a*) *Rich. e S. Germ. in chron.*
(*b*) *Pariſ. hiſt. Angl.*

Mediolanenſes cum exercitu obviam eunt. Recedunt mutato conſilio ad tuenda mœnia.

*Pro meritis dignis, Vincentia te cremat ignis.*
*Subderis imperio Cæſaris ingenio.*

(*c*) *Ric. loc. cit. S. Ger.*

Vincentia flammis exuſta a Frid.

Expugnavit nonnullas alias arces Fridericus, ac ſigna ad cingendum obſidione Mediolanum convertebat, cum Auſtriæ dux Germaniam miſcere adeo cœpit, ut excitus a ſuis Imperator in Germaniam omiſſis Mediolanenſibus traducere exercitum ſit coactus, qua occaſione uſi Mediolanenſes amiſſas arces recuperarunt.

Rebellat in Germania Auſtriæ dux.



XIII. Rogat Frid. Gregorium tractatum pacis redintegret cum Longobardis.

Novo illo bello implicitus Fridericus, ut demittere faſtum erat ſolitus mox atque adverſa ingruebant, ne pluribus hoſtibus diſtraheretur, Gregorium rogavit, ut tractatum pacis cum Mediolanenſibus redintegraret: nec Pontifex ejus preces reſpuit, quamvis ille antea Præneſtinum epiſcopum paci conciliandæ incumbentem turpiter repuliſſet; qua de re hæc Gregorii vitæ auctor: *Poſt lapſum temporis*, nimirum vergente hoc anno poſt objectam Jacobo Cardinali repulſam, *ad ipſius Imperatoris inſtantiam venerabiles patres Oſtienſem & The. tituli S. Sabinæ presbyterum Cardinalem, quorum virtutes merita vitæ proteſtantur, & fama, in partes eaſdem cum poteſtate ſimili ſummus Pontifex deſtinavit.* His majorem dignitatem, atque auctoritatem conciliaturus ad patriarchas (*a*) Aquilejenſem & Gradenſem, ad Ravennatem & Januenſem archiepiſcop. corumque ſuffraganeos, & cunctos Inſubriæ, marchiæ Tarviſinæ, ac Romandiolæ præſules, magiſtratus, (*b*) proceres ac populos commendatitiis literis illorum in pietate promovenda ac pace componenda ſolicitudinem extulit: *Rogamus univerſitatem veſtram & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus per opera gratitudinis explicare ſolicite quanta vobis circa Deum ſit fidei puritas, ac devotionis ſinceritas erga ſedem Apoſtolicam continuis honoribus per fidelium multitudinem attollendam, legatos eoſdem, in quibus perſonam noſtram recipi volumus, & filiali reverentia pertractari, quaſi pacis angelos devote & hilariter admittentes, & ipſos omni, quo ſcitis & poteſtis honore proſequi ſolicita diligentia procuretis, & ſibi ſuper iis, quæ ad honorem Dei & Eccleſiæ ac libertatis eccleſiaſticæ faciunt incrementum, necnon ad ea, per quæ ſtatus Imperii, & præcipue dictæ provinciæ valeat ſalubriter faciente Domino reformari; ac ſuper pravitatis hæreticæ maculis abolendis, & Terræ ſanctæ negotio, quod eis tanto ſpecialius procurandum commiſimus, quanto ad promotionem illius nos præ cunctis teneri viventibus reputamus, efficaciter intendatis, &c. Datum Interamne* III. *kal. decemb. pontif. anno* x. Commendati (*c*) etiam Cardinales legati, Inſubriæ, marchiæ Tarviſinæ, ac Romandiolæ viris principibus urbiumque fœderatarum magiſtratibus. Verum cum legati poſtea ad Fridericum ſe contuliſſent, ſimilem repulſam, quam epiſcopus Præneſtinus paſſus erat, retulere, ut ſequenti anno dicetur, cum rerum converſo ſtatu Auſtriæ ducem præcipiti parta victoria debellaſſet, quem univerſa ditione ait Pariſius exuiſſe: additque divinum illud oraculum, quo fertur numen viſitare peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem, in eo impletum, ac vindictam cœleſtem ob Ricchardum Angliæ Regem olim in Auſtria, dum e Terra ſancta rediret, in vincula conjectum, excepiſſe.

Miſſi ad rem tractandam duo Card. legati.

(*a*) *Ibid. ep.* 272.
(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*
(*c*) *Reg. poſt eand. ep.*

XIV. Seditio in urbe inſtigante Frid. concitata.

Hic vero omittendum non eſt, Fridericum tot illuſtribus paterni in eum ſtudii notis, totque beneficiis affectum, Petri Frajapanis opera hominis etiam ingratiſſimi, cui hoc ineunte anno Pontifex Terracinenſes magiſtratus, ad populum occupata jura reſtituere juſſerat, ſeditionem in Urbe adverſus Gregorium concitaſſe, de qua Richardus: *Hoc anno Petrus Frajapane pro parte Imper. guerram movet contra PP. & ſenatorem, & ſeditio facta eſt multa in populo.* Subornatos quidem a Friderico pecuniis Romanos fuiſſe queritur Gregorius in literis, (*d*) quibus ipſum ad Conſtantini magni, & cæterorum piorum principum exempla provocavit, aliaque plura ab ipſo objecta refellit. Corripuerat illum antea Gregorius graviore jugo eccleſiaſticos in Sicilia opprimere, ingentes ab iis pecunias abradere, ad tribunalia prophana rapere, eccleſiis paſtores intrudere, libertatis juriumque Eccleſiæ defenſores partim in exilium pellere, partim bonis ſpoliare, pluraque alia damna & injurias inferre; pacem initam violari, Eccleſiæ ſtudioſos majori quam cæteros malorum mole obrui, Sarracenos invaleſcere, rudera eccleſiarum ad Mahometis templa extruenda transferre; ſed hæc potius proſequentem (*e*) lacrymis Pontificem audire juvat:

(*d*) *Lib.* 10. *ep.* 153.

Obiurgatur Frid. ob Eccl. Siciliæ oppreſſas.

(*e*) *Lib.* 9. *ep.* 398.

*Gregorius, &c.*

XV. *Ecce in regno prædicto per miniſtros imperiales nudatæ privilegio libertatis eccleſiæ bonis ſacris deputatis uſibus ſpoliatæ flent, quia ipſarum paſtores etiam & miniſtri, patres & filii exulare coguntur, carceri mancipantur, & foro eccleſiaſtico derelicto in examine vetito actiones ſuſcipere, tallias ſolvere, & bona compelluntur eccleſiaſtica, ut ſe a vexationibus redimant, exhaurire: & ſi quando eas contingat paſtoris ſolatio viduari, non permittuntur ſibi ſponſum eligere, & viduitatis veſtimenta deponere, donec adulterinis alicujus amplexibus, qui non canonice, ſed per impreſſionem electus, aut alias intruſus fuerit, extiterint copulatæ. Ecce ibi catholica fides perit, ex eo hæreſis inibi præcipue vires ſumit, quod in eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, officialium oppreſſione ſæviente, eædem prædicationis, ex qua maxime confutantur hæretici, & catholici roborantur, exercere non poſſunt officium; quia neceſſario cætera pars ædificii corruit, cujus concutitur fundamentum.*

XVI. *Ecce de ruina Hieruſalem Babylonis mœnia, de acervo lapidum Sion Agarenorum gymnaſia conſtruuntur; & ædificia, in qui-*

Queritur Eccleſias a Sarrac. ad Mahometo templa extruenda everti.

*bus divinum nomen excolitur, illuc migrare coguntur, ubi Mahomet perditus adoratur. Super quo eo crudelioris nos doloris gladius percutit, quo fortius incircumciſi, quaſi in regni medio poſiti, levius fidem catholicam ſuæ poſſunt infidelitatis veneno corrumpere, quo majora exinde contingunt pericula, quod Chriſtiani commiſcentur eiſdem, paganorum contubernia ab ovili Dominico greges fidelium abigunt, & Hebræi ab Ægyptiis ſic oppreſſi eorum quaſi dominio ſubjugantur. Ecce in dicto regno contra pacis inter te & Eccleſiam reformatæ fœdera quidam nobiles privati caſtris & aliis bonis ſuis, uxoribus & liberis captivatis, loca ſua proſcripti relinquere, domicilia in aliorum ſe transferre coloniam, & ad extremam coguntur inopiam devenire. Et dum ſimilis premit afflictio pauperes, id tanto magis Deo diſplicere putamus, quanto fortius ipſos credimus innocentes. Quid plura? in omnibus his Eccleſia tanto majori rubore perfunditur, quanto probabilius præmiſſis diſcordia cauſam dare præterita creditur, dum illi, qui adhæſerunt Eccleſiæ, plus cæteris contra juſtitiam opprimuntur. Utinam hæc veritatis eſſent deſtituta ſubſidio, & mendax inveniretur quilibet hæc dicendo, ut & audita non credere, ac fidem cogeremur a creditis removere. Sed ſi verius loquimur, jam pro majori parte iſta non credimus, de quibus opinione ceſſante certam ſcientiam obtinemus, &c. Dat. Viterbii II. kal. martii pont. noſtri an. IX.*

XVII. Objecta purgare nititur Frid. Repungit Pontific.

His acceptis Imperator non leviter exaſperatus, eas querelas partim elevare, partim eludere, partim a ſe in miniſtros detorquere, atque in iis quæ ad electiones ſpectarent, id jus a prædeceſſoribus regibus ad ſe transfuſum contendere. Cumque non pauci perditiſſimi adulatores, cognito Imperatoris alienato a Gregorio animo, rixas novas ſerere conjunctionemque priſtinam diſcindere ſtuderent, ſubornatus illorum aſſentationibus & querimoniis Imperator plures literas (a) acerbiore ſtylo ad Pontificem exaravit, quibus & Gregorium querelis oneravit, & ſibi ab eodem Pontifice objecta retundere, ejus animum aculeatis verbis repungere, uſurpataque jura defendere, ac male geſta conquiſitis fucis colorare conatus eſt. Sed Gregorium refellentem objecta, denique convincentem criminis Fridericum in apologeticis literis audiamus (b).

(a) *Apud Greg. l. 10. ep. 107. & 252.*

(b) *Lib. 10. ep. 253.*

*Gregorius, &c.*

*Si memoriam beneficiorum conditoris æterni, quæ per miniſterium ſponſæ ſuæ in ſublimes perſonas & humiles largiter emanarunt, humanæ ingratitudinis oblivio deleret; ſi dominus noſter Jeſus Chriſtus, judex vivorum, & mortuorum judicaturus apertis libris conſcientiæ revelatis tenebrarum operibus univerſos, ut Dominus timeretur, origo virtutum fides inconcuſſa perſiſteret, opera ſtatera juſtitiæ ponderaret, verba ſub veritatis ſignaculo clauderentur, & os contra Deum non poneretur in cælum: unde tonitrua prodeunt, & fulgura contra perſecutores ſuos ſæpe mittit Deus & Dominus ultionum. Sane ex pluribus litteris ad nos, & fratres noſtros nuper ab imperiali excellentia deſtinatis plura collegimus, quæ ſi ſtylus mitigaſſet humilior, & amaritudinem paginæ dulcoraſſet affectus reverentiæ filialis, virtus diſcretionis, ſub manna dulcedinis iraſcibilem ſpiritum temperaſſet, & imago Dei, quæ reſultat in ſpeculo rationis, ac ſimilitudo ejus, quæ per affectum bonum, & zelum rectitudinis in potentiis animæ naturalibus invenitur, non fuiſſent ſic ſcribendo forſitan deformatæ.* Inferius vero ubi Præneſtinum epiſcopum, quem pluribus querelis onerarat, omnis culpæ labe immunem oſtendit, ſubiicit:

*Igitur ſi noſtræ te feceris doctrinæ diſcipulum, ſi apoſtolici proceſſus circa honorem tuum ſæpe ſæpius habiti imitareris exemplum, juxta monita noſtra ſuper commiſſis in regno corrigendis exceſſibus pluries ab annis præteritis replicata, & toties paſſa repulſionis injuriam, ad debitum exauditionis admitteres; injuſta quoque, quæ nunquam tibi credimus ex certa ſcientia direxiſſe, procul ab imperialis limine conceſſionis arceres. Sed ecce ſuper facto eccleſiarum regni, quod tibi in literis noſtris primo directis ſub genere indefinite proponitur, quod ad hoc non tenearis, quaſi dubia reſpondere, a te reali reſponſione præterita vocali commentario incongrue reſpondetur, tum quia fruſtra requiritur, ut ſingularia ſpeciei, vel ſpecialia fidem faciant generi, cum genus & ſpecies manifeſtam ex ſe præbent notitiam veritati, & cum individuorum ſcientia quaſi ex infinitate confunditur, ad doctrinam univerſalium ſupervacue ſingularia colliguntur: tum quia quæ in primis literis ſub indefinita, in ſe tamen aliorum definita notitia fuere propoſita, ex ſuperabundanti in literis noſtris ad te ſecundo currentibus, per multa fuerunt particularia declarata, ſicut in epiſtola tua reſponſiva conicitur; quæ in ſeipſa quibuſdam particularibus verbaliter reſpondendo, quod in præmiſſis falſum implicet, improbatur: cujus pollicitis de ſatisfactione præſtanda quibuſdam eccleſiis & perſonis, ſicut ſic non in principio, ſic in fine non credimus, qui ſimili promiſſione deluſos multoties nos dolemus. Indigne ergo ſuper oppreſſionibus prædictarum eccleſiarum & hominum regni, in quo nullus manum vel pedem abſque tuo movet imperio, affirmativam noſtræ propoſitionis negativa ignorantiæ imperialis interimis, quibus conſenſum vel originem* XVIII.



*nem præſtitiſſe cum nuntiis & literis apoſtolicis, ac clamoribus paſſorum injurias eas tuis auribus pluries inculcatas non ſolum ſcire, ſed etiam plene potueris emendare, minime dubitaris. Quod ex illo tuarum literarum tenore manifeſte colligitur, qui pro jurium conſervatione tuorum te nonnulla immutaſſe circa eccleſias, & tibi ſuper non reſtituenda eis poſſeſſione ablata noſtrum in facto civitatis Caſtellæ ſuffragari magiſterium ſuffragatur, cum in cauſa tua ſuperioris debueris experiiſſe, & expectaſſe judicium: niſi forte vulgus reſpondeat, quod juxta placitum terminos regum tranſgrederis, dum contra jus aggrederis officia ſacerdotum. Qualiter autem contra conſcientiam noſtram, ut aſſeris, denegata tibi poſſeſſionis civitatis prædictæ intentionis tuæ opituletur reſtitutio, non videmus: cum cives Caſtellan. qui ſe tibi violato ſacramento fidei, ignorante Eccleſia prodiderunt, excellentiæ tuæ nullum jus per hoc in ſeipſis acquirere, nullum nobis circa poſſeſſionem, cum juriſdictionem civitatis & civium quaſi poſſideret Eccleſia, prodendo potuerunt præjudicium generare; male namque agitur cum dominiis prædiorum, ſi tanto precario poſſidentibus non requiritur poſſeſſionis initium, leges poſſeſſionum evertere, & extraneis jura conferre valeant poſſeſſorum.*

Ex Caſtell. proditione nullum jus adipiſci potuiſſe.

XIX. Adjudicanda pontificii pectoris arcana prorumpere non debere.

*Et ideo ſi prudenter attenderes, quod lignum vitæ eſt in paradiſi medio poſitum, ſic in centro tuorum finium prudenter perſiſteres, quod nequaquam incaute ad judicanda ſecreta conſcientiæ noſtræ, cujus judex in cœlo eſt conſcius in excelſis propriæ ruinam conſcientiæ metuens evolaſſes, cum Regum colla & principum ſubmitti videas genibus ſacerdotum, & Chriſtiani Imperatores ſubdere debeant executiones ſuas, non ſolum Romano Pontifici, quin etiam aliis præſulibus non præferre, nec non Dominus ſedem Apoſtolicam, cujus judicio orbem terrarum ſubiicit, in occultis & manifeſtis a nemine judicandam, ſoli ſuo judicio reſervarit.*

XX. *At fortaſſis ignoras, quod Oza morte percutitur, eo quod arcam Domini inclinatam manu temeraria ſuſtinere conabatur, & tribus Chaath, quæ vaſa tabernaculi propriis involuta portabat humeris, paribus addicitur detrimentis, ſi tabernaculum ſolius Aaron diſpoſitioni commiſſum ingredi, vel vaſa ſanctuarii, priuſquam involuta fuerint, ulla curioſitate audeat intueri? Quare ſi te ad notoria facta tua ſpeculanda reduceres, non ſolum de noſtra, immo judicare de conſcientia etiam cujuſlibet tui ſubditi dubitares. Ergo quia de conſcientia agitur, ut contra conſcientiam ſecundum conſcientiam procedatur, cum noſtræ fuiſſet conſcientiæ liquidum, quod de reddendis poſſeſſionibus Eccleſiæ Romanæ ad te pervenientibus pluries præſtiteras juramentum, non videbatur eſſe boni filii a patre petere, quod nec ſalva conſcientia poteras detinere, eo quod nec Eccleſia vitium ſpoliantis incurrerit, cui commoda ſui juris conſtitutionis beneficium integra reſervavit. Nec eſt veriſimile in hac parte nos fratrum noſtrorum conſilium deſpexiſſe, cum ſuper hoc nuntii tui inceptum proſequi voluiſſent judicium, & ideo nondum erat in his eorum conſilium requirendum.*

*Eſto præterea quod eccleſiis cum principibus permutare, ſicut in tuis excuſationem allegas, utroque jure conceditur; inique tamen ad damnoſam, & non voluntariam hujuſmodi celebrationem contractuum, præſertim ſine ſuperioris aſſenſu, & contra juramentum de non alienandis eccleſiaſticis poſſeſſionibus, quas pro animarum ſalute relictas, ſic alienantes & recipientes ſacrilegii crimen incurrunt, præſtitum compelluntur, quia quod in eccleſiarum favorem jure permittitur, fieri non debet ad læſionem earum per injuriam retorquere. Eſto quod aliqua beneficia vacantia conferas, ut curam tamen animarum illis annexam committere valeas, jus ſpirituale, quod non cadit in laicum, non permittit; & in locum viventium, quos a gradu ſuo, nec propria culpa, nec ſui judicis ſententia deiicit, alios ſubſtitui jus datum cœlitus interdicit. Eſto quod in collatione beneficiorum morientibus ſuccedas, ut dicis, epiſcopis, majorem in hoc ipſis non adipiſceris poteſtatem, nec nos ob id, qui eis viventibus conferre beneficia non collata potuimus, jam te locum tenente, ne dicamus uſurpante Pontificis, apoſtolicæ amittimus plenitudinem poteſtatis. Venerabilis inſuper frater noſter Cephaluden. epiſcopus, archidiaconus Salernitanus & Soranæ civitatis eccleſiæ, dum eos ad examen noſtræ conſiderationis adducimus, quare iſte perpetui exilii, & ille perpetuæ patiantur ruinæ diſpendia ignoramus, niſi quod dum contra pacem inter te, ac Eccleſiam reformatam ſpiritualia ſicut ſæcularia judicas; dum eos, qui ſuo domino ſtant aut cadunt, non convictos, nec confeſſos, pœna judicium præveniens condemnas; divini judicii thronum aggrederis, & leges, quibus digne ſubmittitur principatus, a lare patrio exulare compellis. De illo, qui ſe Geracenſem dicit epiſcopum, tacemus ad præſens, quem electio canonica prætermiſſa, vel per impreſſionem habita eccleſiæ Terracenſis matrimonialiter alligare non potuit, cujus conſecratio forma eccleſiaſtica, ſicut dicitur, deſtituta nec ſibi executionem officii contulit, nec ipſum illius eccleſiæ, vel alterius epiſcopum eſſe fecit.* XXI.

Non poſſe conferre ſacerdotia quibus animarum cura adjuncta.

Iniqua judicia exercere.

*Vincula vero nepotis Regis Tuneti, ſi ea recta acie conſiderationis inſpiceres, in quantam juris, & divini nominis contumeliam compeditum alligent plene ſcires. De* XXII.

ten-

Regis Tunet. nepotem, pro ſuſcipiendo baptiſ. venientem vinculis mancipaſſe.

* *nepotem*

Stupenda impietas Frid.

(*a*) *Eod. l.* 10. *ep.* 123.

(*b*) *Id. ib.*

Seductum vocat qui ſacra Chriſtiana amplecti cupit.

tento in vinculis Tunetani Regis nepote, qui ad Pontificem, ut Chriſtiana ſacra amplecteretur, iter corripuerat, locutus vitæ Gregorii auctor, aculeata hac ſententia Fridericum carpſit: *Nuper Regis Tuneti fratrem * ad ſedem Apoſtolicam accedentem ſacramentum Baptiſmatis recepturum, detentione jam longa prohibuit, in voto perſecutus alterius, quod in ſuo factus apoſtata deteſtatur*. Deſudatum ſane magna contentione a Gregorio eſt, ut ipſum e carcere liberaret: ac primum eos, qui ipſum detinebant, monuit (*a*) anathemate defigi ter in anno ſolemni ritu, qui venientes ad ſedem Apoſtolicam caperent; cumque imperia ac minæ non profeciſſent, Fridericum rogavit datis interamne VIII. kal. jul. literis, (*b*) ut libertati reſtitui juberet. Sed ille obtrito omni religionis reſpectu Sarraceni principis quam vicarii Chriſti gratiam colligere maluit, ac ſubornatum dicere non expavit; quare Pontifex ingeminare has querelas eſt coactus:

XXIII. Corripitur a Greg.

*Quia indigne ſeductus aſſeritur, qui ad notitiam veræ fidei, aliquo inducente, vel Deo potius inſpirante vocatur; quin potius quantum probationes quod præter offenſam Regis ejuſdem & non circumventus ad nos accederet, recepturus Baptiſmatis ſacramentum expoſtulas, aperte colligitur, & idem clara multorum voce utinam non dicatur, quod apoſtolos & diſcipulos veritatis non ſine magiſtri injuria manifeſta innuis ſeductores, qui inimicos crucis Chriſti ad agnitionem lucis æternæ monitis invitarunt ſalutaribus, & invitant. Et ex eo tacite aſſeris non debere Deo contra hominem obediri, quod dictum nepotem credis debuiſſe præfati Regis licentiam præſtolari, cum tibi non liceat ignorare, quod tantus eſt favor Baptiſmatis, ut etiam ſervos ſicut a jugo criminis; ſic invitis dominis infidelibus, & eos converti nolentibus, a catena eximat ſervitutis. Utinam lex Domini convertens animas ſic omnes fideles ſeduceret, quod eos de fornace ferrea Pharaonis eductos ad veræ fidei notitiam evocaret: utinam omnes fideles ſic ſuos ſuperiores offenderent, quod ad auditorium cœleſte vocati præconi parerent dominico, & in ſe tam ſalutari contumacia ſuorum offenſam principum provocarent.*

Ad objecta de Toloſ. comite reſpondit Gregor.

*Toloſano comiti, etſi lata in eum excommunicationis ſententia nequiverit privilegium immunitatis afferre, vel juri tuo præjudicium generare, debuit tamen ei favorem communionis imperialis auferre, quam ſibi nequibas præter animæ tuæ periculum, quæ tibi omni theſauro debet eſſe charior, indulgere ut hoc ſaltem rubore perfuſus, ad ſinum matris rediret Eccleſiæ, & tibi ſine ſalutis tuæ diſpendio poſſet debitum ſervitium exhibere.*

XXIV.

*Cæterum ne noſtro quod verum eſt patefaciente reſponſo, dicta exaggerare cogamur & geſta, calamo noſtro brevitatem indicimus, & ne ſuper eo quod de lege regia & epiſcopis ſcripſeras, honorem tuum obice veritatis exaſperet, prohibemus.*

Quis honor Eccleſiæ deferendus inculcat.

*Sed vade ad tuorum memoriam prædeceſſorum, & inſpice; tranſi ad felicis recordationis Conſtantini, Caroli magni, Arcadii, & Valentiniani Imperatorum exempla, & ea diligentius ſpeculare, ubi infallibilis ſolutio concluſio ſine inſtantia ſuper præmiſſis accipitur; ubi reprobanda falſæ opinionis aſſumptio confutatur.*

Veterum Imper. Chriſt. exempla proponit.

*Illud autem minime præterimus, toti mundo publice manifeſtum, quod prædictus Conſtantinus, qui ſingularem ſuper univerſa mundi climata monarchiam obtinebat, una cum toto ſenatu & populo non ſolum Urbis, ſed in toto Imperio Romano conſtituto, unanimi omnium accedente conſenſu, dignum eſſe decernens, ut ſicut principis Apoſtolorum vicarius in toto orbe ſacerdotii & animarum regebat Imperium, ſic in univerſo mundo rerum obtineret & corporum principatum; & exiſtimans illum terrena debere ſub habena juſtitiæ regere, cui Dominum noverat in terris cœleſtium regimen commiſiſſe, Rom. Pontifici ſigna & ſceptra imperialia, Urbem cum toto ducatu ſuo, quam ſparſis in ea pecuniis nobis turbare moliris, illius ſequens exemplum, qui abſorbens fluvium non miratur, & ſperans quod Jordanis influat in os ejus ſuo eſt voto fraudatus, nec non & Imperium curæ perpetuo tradidit, & nefarium reputans, ut ubi caput totius Chriſtianæ religionis ab Imperatore cœleſti diſponitur, ibidem terrenus Imperator poteſtate aliqua fungeretur, Italiam apoſtolicæ diſpoſitioni relinquens ſibi novam in Græcia manſionem elegit, de qua poſtmodum in perſona præfati magnifici Caroli, qui jugum a Rom. Eccleſia vix ferendum impoſitum pia debere docuit devotione portari, ſedes Apoſtolica, transferens in Germanos prædeceſſoribus tuis, ſicut & in tua perſona recolis eſſe factum, in conſecrationis & inunctionis munere nihil de ſubſtantia ſuæ juriſdictionis imminuens, Imperii tribunal ſuppoſuit, & gladii poteſtatem in ſubſecuta coronatione conceſſit; ex quo juri Apoſtolicæ ſedis, & non minus fidei, ac honori tuo derogare convinceris, dum factorem proprium non agnoſcis.*

Oſtendit Romam cum ducatu a Conſtantino Pontific. datam. Signa & ſceptra imperialia eidem commiſſa. Relicta ipſi adminiſtratione Italiæ ſedem fixiſſe in Græcia. Tranſlatum a ſede Apoſt. ad Germanos in Carolo imperium. Fridericum ſuæ detrahere dignitati dum illius auctorem non agnoſcit.

XXV. Illum Apoſtolicæ cenſuræ ſubjectum.

*Ex eo autem non modicam notam indevotionis incurris, quod nobis & fratribus noſtris ſacrilegii maculam conaris impingere, quia eos, quibus a te eccleſiæ ac eccleſiaſtica beneficia conferuntur, reputantes indignos de tuo videmur judicio diſputare, non attendens quod ſacerdotes Chriſti regum & principum omnium fidelium patres, & magiſtri cenſentur. Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum conetur arguere, a quibus non ſolum in terris, ſed in cœlis ſeſe ligari poſſe inſtitutione divina docetur? Omnes enim, niſi quorum oculus aliquo erroris pulvere obturatur, agnoſcunt quod cum tu ipſe apoſtolicæ examinationi, ſicut teſtantur præmiſſa, ſubjaceas, multo fortius de illorum poſſumus indignitate cognoſcere, qui de manu tua noſcuntur dignitatem aliquam ſuſcepiſſe, eo quod quidquid ſpeciei ſubiicitur, de illo genus neceſſario prædicatur. Hoc in perſonis eccleſiaſticis negari non poteſt, quibus nos ex conſtitutione divina præficimur: imperialis vero potentia ex ſola uſurpatione in hujuſmodi, in injuriam divini nominis, aliquoties dominatur, in eo rhetorico fucata colore, quod apud reges terrarum & principes de Eccleſia, quæ uſque modo non modicum imperiali pepercit honori, te depoſiturum querelas, quibuſdam apud eos jam depoſitis, comminaris.*



Magno ſcelere præcones evangelicos ne ſacras habeant conciones prohiberi.

*Præmiſſa quoque quantumcunque ſint gravia, quantumcunque a juris tramite ſint remota, minora tamen in oculis noſtris reſpectu illius injuriæ reputantur, quæ Creatori noſtro in hoc evidentius irrogatur, quod turbis undecunque collectis Crucifixi fidem & nomen publice prædicari, ne qua ex hoc tuo contingant regno diſpendia, non permittens recuperationem Terræ ſanctæ & crucis negotium impedis: ad cujus conſummationem contra conſilium tuum de bonis tuorum conferri fidelium interdicis. Quocirca celſitudinem tuam rogandam duximus & monendam, quatenus ſub potenti manu Dei, cui clara ſunt abſcondita tenebrarum, ſic humiliari procures, ſic omnes ſponſæ ſuæ injurias ſtudeas emendare, quod te taliter exaltaſſe eum nequaquam pœniteat, & ſuæ majeſtatis oculos a tuis proceſſibus non avertat, noſque de imperialibus profectibus poſſimus non immerito in Domino gloriari. Dat. Reate* X. *kal. novembr. pont. noſtri ann.* X.

(*a*) *Lib.* 9. *ep.* 389. (*b*) *Ib. ep.* 390. (*c*) *Ep.* 391.

Correptum a Gregorio Fridericum non ex iracundiæ ſed charitatis ardore ipſius opera illuſtrarunt, quibus Friderici jura dignitatemque aſſerebat; inter quæ reticendum non eſt diſcordiam Fridericum inter & cives Acconenſes alioſque regni Hieroſolymitani ſubditos Pontificis opera ex æquo bonoque conciliatam extinctamque fuiſſe, ut pontificiæ literæ ad archiepiſcopum Nazarenſem, epiſcopum (*a*) Acconenſem, ad Fridericum ipſum (*b*) atque ad præceptorem, & equites hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum exaratæ (*c*) demonſtrant; hactenus de Friderici rebus; jam reliquas Italicas res percurramus.

XXVI. Suſcepit Pontifex defendendam Willelmi Tuſciæ comitis cauſam adverſum nonnullos rebelles, qui illius jugum excuſſerant, ac Senenſes ad defectionis ſocietatem traxerant. Cujus tuendis juribus Alexandrum capellanum incumbere juſſit (*d*): maxime cum Senas comes ab ſede Apoſtolica fiduciario jure accepiſſet.

(*d*) *Lib.* 10. *ep.* 281.

Lucanis epiſ. ſedes reſtituitur.

Lucanos præterea, qui ad meliora conſilia redierant, paterno gremio excepit, nudatæque ob graviora in ſedem Apoſtolicam, & eccleſiaſticos facinora epiſcopalis ſedis dignitate illorum urbi priſtinum ſplendorem reſtituit (*e*).

(*e*) *Ib. ep.* 282.

Vetiti Piſani ne Sardinia invadant.

(*f*) *Ep.* 244.

At dum in ſedis Apoſt. obſequia Lucani procumberent, Piſani illius jura invadere, ac Turritanam provinciam ſibi ſubiicere meditati ſunt: quare Gregorius ad tuendam vectigalem Eccleſiæ Sardiniam literis (*f*) a ſuſcepto conſilio ipſos revocare eſt conatus. Illecti erant illius principatus facile occupandi ſpe, cum ob rebelliones populorum prædæ expoſitus eſſet: Sazarenſes enim Paraſonum defuncti Turritani reguli filium impuberem barbarica crudelitate efferati trucidaſſe non contenti, in fruſta ferris exponendum laniarunt: ac de tam atroci facinore conquerente apud ſedem Apoſtolicam Adelaſia ſorore, Gregorius Piſanum archiepiſcopum in ſceleris auctores fulmen eccleſiaſticum jaculari juſſit. Sed a Sceleratiſſimis hominibus, quorum flagitia audientes horrore perfundere ait Gregorius, ad pium pœnitentem ſermonem convertamus.

XXVII. Hoc anno Ludovicus Ferretanus comes, qui ſe ad Apoſt. ſedem contulerat, ut cenſuris, quibus irretitus erat, liberaretur lethali morbo correptus in ancipiti vitæ diſcrimine a pontificiis pœnitentiariis abſolutus, ex ſenſu pietatis, quo delibutus erat, ditionem ſuam, exceptis nonnullis, quæ legavit uxori, Romanæ Eccleſiæ teſtamento reliquit. Qua de re confectum inſtrumentum in libro (*g*) cenſuum extat, e quo hæc decerpimus: *Anno Dominicæ nativitatis MCCXXXVI. indictione* IX. *menſe auguſti die* XX. *pontificatus D. Greg.* IX. *PP. anno* X. *Ego Ludovicus comes de Ferreto, &c. conſtituo mihi heredem Eccleſiam in omnibus bonis meis mobilibus & immobilibus mihi de jure ſpectantibus, a quibuſcumque detineantur tam in caſtris, villis, hominibus, & vaſſallis, quam in rebus aliis, ſalvis villis duabus, ſcilicet Baghentalen & Durlenſtrors cum omnibus pertinentiis ſuis in Baſilienſi diœceſi, quas duas villas legavi uxori meæ. Inſuper ſtatuo quod omnia damna illata per me, vel meam auctoritatem reſtituantur de bonis meis juxta mandatum domini Papæ, & juſte conquerentibus ſatisfiat, & de reſiduis mittantur bellatores in ſubſidium Terræ ſanctæ juxta mandatum domini PP. & hoc eſt ultimum teſtamentum meum, quod volo firmum, & illibatum perpetuo permanere, &c.* Cum autem e vivis diſceſſiſſet comes Ludovicus, Pontifex inſequenti anno Conſtantienſem & Lauſanenſem epiſcopos teſta-

(*g*) *Lib. cenſ. Vat. bibl. MS.*

ſtamenti executores in reſarciendis damnis olim a comite quibuſvis illatis inſtituit, (*a*) juſſitque ſedem Apoſt. facerent de iis, quæ ſupereſſent certiorem, ut illa in Terræ ſanctæ ſubſidium converteret; hæc de Ludovico comite ſuffecerint: jam e pœnitente pio ad S. confeſſorem digrediamur.

(*a*) *Ext. ib. ejus lit.*

XXVIII. Beneventus Minorita miraculis clarus.

Effloreſcente in dies ſanctitatis Beneventuti Minoritæ multis confirmatæ miraculis gloria, clerus ac populus Cornetanus oratoribus ſuis ad Apoſtolicam ſedem miſſis ſupplices ab ea petiere, ut teſtium dicta de admirandis illius rebus geſtis, diviniſque prodigiis ad ipſius ſepulcrum editis, in tabulas publicas quo ſanctorum numero adderetur, referri juberet; quibus Gregorius, datis ad Melfitenſem ac Venuſinum epiſcopos literis, (*b*) ſacram de illius vitæ ſanctitate ac miraculis quæſtionem inſtituere juſſit: *Sicut dilecti filii clerus & populus Cornetanus nobis per dilectum filium Balſamum diaconum & Jacob judicem nuntios ſuos, & literas intimarunt, & quorundam epiſcoporum ac religioſorum præſentatæ nobis literæ continebant, Dominus tantam piæ memoriæ fratri Benevenuto contulit gloriam, quod ſepulcrum ejus tot & tantis dat coruſcare miraculis, ut inter alios ſanctos ejus non invocari ſuffragio eſt indignum. Quare nobis humiliter ſupplicarunt, ut ſuper miraculis, quæ per eum Dominus operatur, teſtimonia recipi faceremus. Verum quia in tam ſancto negotio non eſt niſi maturitate, & gravitate prævia procedendum, de diſcretione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus aſcitis vobis viris religioſis, & Deum timentibus de virtute morum, & veritate ſignorum, operibus videlicet & miraculis diligentiſſime inquirentes depoſitiones teſtium receptorum ſub ſigillis veſtris ſervetis incluſas, ut cum a nobis fueritis requiſiti, eas ad ſedem Apoſtolicam fideliter tranſmittatis. Dat. Viterbii* IX. *kal. apr. an.* X. Ut vero majorem conſilii maturitatem in re tanta afferret Pontifex, aliis viris probitate dignitateque conſpicuis iterum inquirendi de viri ſancti miraculis provinciam demandavit (*c*).

(*b*) *Eod. l. 10. ep. 2.*

De illis inquirere nonnulli epiſcopi juſſi.

(*c*) *Ib. ep. 93.*

XXIX. B. Jordanus mari mergitur.

Cum in ſanctorum virorum hiſtoria ſtylus decurrat, ſuperioribus B. Jordani ſupremi ordinis Prædicatorum magiſtri funus adiicere viſum eſt. Pia ille afflatus perluſtrandæ Terræ ſanctæ cupiditate mari ſe commiſerat, & fœdiſſima inhorreſcente procella, hauſtaque fluctibus arcano divinæ providentiæ conſilio qua vehebatur cum ſociis, navi, undarum vorticibus abſorptus interiit; ſed mox divinitus lapſa cœlo ignea columna defixis admiratione tam Chriſtianorum, quam infidelium rem intuentium oculis & animis ſacro corpori incubuit: quod cum undarum in littus excurrentium impetu ejectum eſſet, eodem ſplendore ter circumfuſum radiavit ac ſuaviſſimum odorem afflavit, ut S. Lutgardis vitæ auctor proſequitur (*d*): *Non diu poſt beatæ memoriæ Jordanus magiſter ordinis Prædicatorum, cum diu magno flagraſſet deſiderio inviſendi Terram ſanctam, inde rediens per mare, occulto Dei judicio cum magna hominum multitudine & duobus fratribus Dominicanis ſubmerſus eſt: moxque a ſummo cœli faſtigio uſque ad navem illam, in qua extinctus jacebat, maxima ignis columna quinque horarum ſpatio divinitus accenſa de nocte apparuit: cumque ſacrum corpus littus attigiſſet, cœli lampas tertio ſuper illud, & quarto ſuper ſocium ejus Geraldum reſplenduit, atque ita lampas recedens nube excepta eſt. Hujus rei teſtes fuere Chriſtiani catholici, Græci ſchiſmatici, & gentiles: corpus autem ejus mirifice fragrans, a fidelibus curatum eſt.* Addit Leander (*e*) ejus vitæ ſcriptor non illam modo cœleſtem lucem ſacro corpori affulſiſſe, verum & cruces in ipſius ſociorumque corporibus emicuiſſe, ac demum ſepulturæ mandato B. Jordani corpore per multos dies ſepelientium manus ſuaviſſimum odorem ſpiraſſe: ſanctiſſimam quoque illius animam B. Lutgardi virgini Deo ſacræ ſeſe objeciſſe, quod etiam Cantipratenſis hiſtoriæ conſecravit: [1]

(*d*) *Cantipr. apud Sur. in vit. S. Lutgard. l. 3. c. 2.* Illius corpus columna ignea illuſtratum.

Projectum ad littus ſuaviſſimum odorem efflat.

(*e*) *Leand. in vit. B. Jord. apud Sur. to. 7. die 13. febr.*

XXX. Objectum B. Lutgardi de illius morte cœleſte viſum.

*Eodem anno in vigilia nativitatis Chriſti a prima diei hora uſque ad ſextam horam Lutgardis, cum in ſpiritu quaſi tenebras quaſdam ſentiret, adeo cœpit tædio affici, ut in hæc verba prorumperet: Domine, quid eſt quod ſentio? quid eſt quod patior? Certe ſi quiſpiam amicus vel in cœlo vel in terra pro me oraret, talem ego duritiam minime ſentirem. Hæc illa cum lacrymis dicente, ſubito mentis ejus oculis ſpiritus quidam adeo luculentus & glorioſus apparuit, ut præ ſplendoris magnitudine eum non agnoſceret. Dixit autem illi. Es Domine? Et ille: Ego ſum, inquit, frater Jordanus, quondam dictus magiſter ordinis Prædicatorum. Ego jam migravi ad beatam vitam, & inter Apoſtolorum & Prophetarum choros ſplendeo ſublimatus: miſſus autem ſum ad te, ut in hac jucundiſſima ſolemnitate te conſoler. Tu vero de præmio ſecura eſto: propediem a Domino coronaberis.* Nec modo B. Lutgardi felix anima a fragili corpore jam ſegregata videndam ſeſe obtulit, verum etiam piiſſimo viro angelorum manibus inter Apoſtolorum, ac prophetarum lætiſſimos ac triumphales choros ſublimis efferri viſa eſt. Hæc de B. Jordano ſuffecerint; jam ad Galliarum res nos convertamus.

NOTÆ [1] CUm B. Jordanus obierit anno 1235. idibus Februarii, ut aſſerit Bernardus Guidonis in libello de Magiſtris ord. prædic. vulgato in collectione Martenii tom. IV. aliiſque, & ex veteri Gallorum ſtylo annus Martio menſe deſineret; hinc Februarius anni 1226. reſpondet Februario anni 1237. ſtyli novi, ideoque mors viri ſancti ad annum ſequentem transferenda eſt. Vide Bollandum ad diem XIII. Februarii in vita ejuſdem. Conjecturam indubiam reddit Godefridus author coævus, qui anno 1237. obitum Jordanis illigat, ſicut & eodem anno *pridie idus Februarii* deceſſiſſe F. Jordanem perhibet anonymus Erfordienſis author coævus, & diligens. MANSI



XXXI. Latæ in Galliis ad evertenda eccleſiaſt. tribunalia iniquæ leges.

Tulerat iniquiorem legem adverſus præſulum auctoritatem procerum conſilio, politicorumque artibus ſubornatus Ludovicus, qua vetuerat, ne ſubditi ad eccleſiaſticorum tribunalia ad dicendam cauſam accerſiti comparerent, & ſi ob contumaciam defigerentur cenſuris, eorum bona, qui eas inflixiſſent, vel infligi curaſſent, forenſi ſatellitio, donec revocatæ ac diſſolutæ eſſent, occuparentur. At ne dignitas eccleſiaſtica, atque auctoritas ea lege admodum depreſſa obſoleſceret tuendæ illius zelo incitatus Gregorius graviſſimis literis Ludovico Regi Caroli magni, Theodoſii, ac Valentiniani Imperatorum, qui adeo epiſcoporum auctoritatem extulerant; nec ſuæ tamen majeſtatis obſcurarant ſplendorem, ſed auxerant, exempla propoſuit, (*a*) monuit editas a ſe ac proceribus leges cum libertate eccleſiaſtica pugnantes reſcinderet: denique latam ab Honorio ſententiam objecit, qua hujuſmodi legum conditores anathematis laqueo ſe irretiebant.

(*a*) *Lib. 9. ep. 384.*

*Ludovico illuſtri Regi Franciæ.*

Greg. ad S. Lud. lit. de iis revocandis.

*Rex qui regni regit æternum dominium, qui erexit Eccleſiam ſuper catholicæ fidei fundamentum, Reges terrarum ad ipſius Eccleſiæ obſequium ſuis monitis excitans, & orbis principes multis ad ejus devotionem exemplis invitans, illam præcipit a mortalibus honorari, pro qua ipſe immortalis formam ſervi accipiens crucis patibulum, & mortis non expavit ſubire tormentum, exaltans illum, qui miniſtris ipſius præſtat obſequium, & regnum ei ſua miſeratione perpetuans, qui ad tempus ſponſæ ſuæ votis favorabiliter obſecundat.*

XXXII. Caroli magni Eccl ſtudioſiſſimi exemplum felicitatemque proponit.

*Porro id fili chariſſime in progenitoribus tuis, & præſertim in inclytæ record. Carolo magno colligere poteris evidenter, diligenter attendens, qualiter idem Carolus Rom. Pontifici vicario Jeſu Chriſti & ſucceſſori B. Petri, cui Dominus terreni ſimul, & cœleſtis Imperii jura commiſit, obediens pro defenſione Eccleſiæ ſe laboribus & anguſtiis multis expoſuit, quantum exinde honoris, laudis & gloriæ reportaverit. Sed forſan ad tuam notitiam non pervenit, quod idem contra perſecutores ipſius Eccleſiæ magnum pluries congregans exercitum bellatorum de ipſis magnifice triumphavit: & Imperatore Conſtantinopolitano eccleſiaſticam negligente defendere libertatem, Eccleſia gladii ſpiritualis & materialis obtinens a Domino poteſtatem, ut alterum ipſa exerat, & ut alter exeratur indicat, Imperium eidem Carolo, qui non ſolum violatores libertatis Eccleſiæ, ſed & rerum eccleſiaſticarum ſua virtute compeſcuit turbatores, contulit, & ipſum alias immenſis gloriæ titulis inſignivit, in perſonam ipſius continuans gratiam, quam retroactis temporibus Zaccharias Papa Pipino patri ſuo fecerat, quem ad regni Francorum ſolium exaltarat; propter quod ipſe Carolus Eccleſiam, a qua omnem honorem ſuſceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit, ut omnes ipſius juriſdictioni ſubjectos ſtatutum a Theodoſio Imperatore pro Eccleſiæ libertate editum inviolabiliter obſervarent, videlicet ut quicunque litem habens, ſive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive jam cœperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ ſedis antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi pars refragatur altera ad epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur, & omnes cauſæ, quæ prætorio, & etiam civili jure tractantur, epiſcoporum terminatæ ſententiis perpetuæ robur obtineant firmitatis, & negotium, quod judicio ipſorum deciditur, nequaquam alterius ab aliquo retractetur. Ex quo manifeſta potes ratione perpendere, quantum iniquum videatur & abſonum, ſi honor Eccleſiæ, quæ tam grandis libertatis privilegio donata cognoſcitur, in illis immunitatibus, quæ multo prædictis noſcuntur eſſe minores, tuo tempore decurtetur.*

Ut Theodoſii de Eccl. libertate decretum renovarit.

XXXIII. Succeſſores Caroli illius exempla imitatos.

*Cæterum reliqui ſucceſſores ejuſdem Caroli progenitores tui exaltationem eccleſiarum propriam exemplo ſimili reputantes, ſe Chriſtianæ fidei, ſe matris conſtituerunt Eccleſiæ defenſores; & ſtudioſius attendentes quod Deo, qui eos regni gloria ſublimarat, nihil rependere poterant ſimile, ut tamen oſtenderent ingratitudinis vitio ſe carere, eccleſias facultatibus multis dotarunt, immenſis donaverunt libertatibus, vel eam potius, a qua ipſi omnem poteſtatem acceperant, in libertate debita ſervaverunt, reputantes indignum, ut locus, ubi divinum nomen excolitur, ubi Chriſtus in altaris hoſtia in noſtrorum redemptionem criminum immolatur, alicujus ſervitutis ſubiiciatur oneribus, cum ſit ſupra intellectum hominis honorandus. Si ergo propriæ ſervat propago vitis originem, ſi ſuccus idem ramos vivificat & radicem, vix creditur, ut eiſdem progenitoribus, quibus parificaris honore dominii, patiaris*

*ris te contrarium moribus, & inferiorem virtutum actibus inveniri. Quinimmo ſperatur quod gratia bonitatis, quæ ipſis erat innata, ad tuam derivata perſonam, te nihil permittat efficere, quod libertati & honori Romanæ Eccleſiæ, & membrorum ejus poſſit in aliquo derogare; cum ſapor fontium conceſſus origini fluentibus ex ipſo rivulis non valeat abnegari.*

XXXIV. Queritur Pont. novis legibus redigi in ſervitutem præſules.

*Sed ecce audivimus & dolemus, quod tu fili chariſſime, & regni barones malorum uſi conſilio Eccleſiam, quæ vos ex utero ſanctificationis regeneravit in filios, ac pro ſalute veſtra immaculatum agnum offert jugiter Deo patri, in ſervitutem cupientes redigere, quaſi jam non liberæ velitis vocari filii, ſed ancillæ; immo ſponſam Regis æterni, qui vos a ſervitute perpetua liberavit, conantes miſerabiliter ancillare, communi ſtatuto, vel deſtitutione potius contra libertatem Eccleſiæ, ſicut dicitur, firmaviſtis, ut homines veſtri juris eccleſiaſticis, vel eccleſiaſticorum hominibus aut aliis in foro non teneantur eccleſiaſtico reſpondere: quinimmo ſi judex eccleſiaſticus in eos ob contumaciam excommunicationis ſententiam tulerit, hujuſmodi ſententiam rerum occupatione ſuarum, vel eorum, ad quorum inſtantiam excommunicati fuerint, in contemptum clavium Eccleſiæ, adverſus quas non poſſunt potentiæ inferi prævalere, relaxare cogatur; & quod deterius eſt, archiepiſcopos, epiſcopos, & alias perſonas Eccleſiaſticas, & earum homines ſuper quibuſcunque cauſis civilibus ordinem juris ſcripti & antiquæ conſuetudinis pervertentes, veſtro parere judicio coarctatis, licet ab antiquis temporibus ea libertate uſque ad hæc tempora in regno Franciæ obſervata, uſa fuit eccleſia Gallicana, ut laici perſonis eccleſiaſticis, & eccleſiarum hominibus in judicio eccleſiaſtico reſponderent.*

XXXV. Monita apoſt. ad pium Regem data ne ſe pravorum conſiliis abripi ſinat.

*Conſidera igitur fili, conſidera quantum tibi talia conſulentes tuum commodum diligunt, & honorem, qui deſiderantes in aqua turbata piſcari, pravis ſuggeſtionibus incipiunt maculam in tua gloria ponere, ut ex hoc non quæ tua, ſed quæ ſua ſunt valeant commoda reportare. Conſidera quantum indecens tibi poſſit exiſtere, ſi in eccleſiarum oppreſſionibus tui regni primitias ſuggeſtio familiarium hoſtium ſtatuat, & de flore juventutis tuæ, de qua multæ fructum dulcedinis expectat Eccleſia, amaritudinis, quod abſit, botrus erumpat. Quid plura? convenit, ut frequenter infra tui pectoris arcana revolvens quod non ſolum prædeceſſores tui, quibus & tibi ex honore impenſo Eccleſiæ multiplicis laudis titulis, & honoris accrevit, totis eam ſtuduerunt viribus honorare: ſed & multis longe retroactis temporibus Valentinianus Imperat. ſuffraganeis Mediolanenſis dixit eccleſiæ. Talem in pontificali conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincere noſtra ſubmittamus capita, & ad ejus monita, dum tanquam homines delinquimus, neceſſario velut ad curantis medicamina recurramus; aures tuas illis, qui te ad afflictionem eccleſiarum pravis ſeductionibus nituntur inducere, minime præbeas, & ea tibi ſuggerentibus, quibus animæ detrimentum incurris, auditum penitus interdicas. Hinc eſt quod excellentiam regiam rogandam duximus & monendam, quatenus ob divinæ majeſtatis reverentiam, & Apoſtolicæ ſedis honorem, ſtatutum prædictum, & alia eccleſiaſticæ contraria libertati in irritum revocans, & a dictis baronibus faciens revocari, ac eccleſiam Gallicanam in priſtino ſtatu, & honore conſervans, eam non moleſtes, nec patiaris ab aliis moleſtari; quinimmo viros eccleſiaſticos indulta tibi cœlitus poteſtate protegens, & defendens rebelles Eccleſiæ ad ipſius mandatum, & unitatem redire compellas, & de damnis & injuriis, quæ ob hoc eccleſiis Senonenſi, ſeu aliis dicuntur illata, abſque diminutione ſatisfieri facias, ita quod ex hoc apud Deum merearis gratiam ampliorem.*

XXVI. Significat cenſuras ab Honorio ſimilium legum conditoribus inflictas.

*Ad hæc cum olim fel. rec. Honorius Papa prædeceſſor noſter in omnes aliqua ſtatuta contra Eccleſiæ libertatem edentes, niſi infra duos menſes ſtatuta ipſa revocent, excommunicationis ſententiam tulerit, & ſuper hoc canonem lata ſententia promulgarit, nos ipſius tenorem tibi, ne id tuam ſerenitatem lateat, duximus tranſmittendum, qui talis eſt: Noveritis quod nos nuper in baſilica principis Apoſtolorum, præſente chariſſimo in Chriſto filio noſtro Frederico Romanorum Imp. & ſemper Auguſto in celebratione miſſarum, poſtquam capiti ſuo impoſuimus Imperii diadema, de conſilio fratrum noſtrorum accenſis candelis excommunicavimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra omnes hæreticos utriuſque ſexus quocumque nomine cenſeantur, & fautores, receptatores, & defenſores eorum; nec non & qui de cætero ſervari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines, vel potius abuſiones introductas contra eccleſiaſticam libertatem, niſi ea de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoveri. Item excommunicamus ſtatutarios, & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, nec non poteſtates, conſules, & rectores conſiliarios locorum, ubi de cætero humana ſtatuta, vel conſuetudines editæ fuerint, vel ſervatæ, nec non & illos, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare, vel in publicam formam ſcribere judicata. Dat. Viterbii XV. kal. martii pont. noſtri anno IX.* Hæc Gregorius, qui etiam ſcripſit iiſdem pene verbis tum ad Navarræ Regem (*a*) co-

(a) Ib. ep. 385.

mi-



mitem Campaniæ, tum ad proceres regni, (*a*) utque iniquas illas leges pro viribus abolere ſtuderent imperavit, tum Senonenſem & Turonenſem archiepiſc. ac ſuffraganeos antiſtites ad eas infringendas conſtanti animo incumbere juſſit.

(a) Ep. 386.

XXXVII

Præripuerat etiam ſuorum conſiliis adductus Rex Bellovacenſi eccleſiæ juris dicundi, qua pollebat hactenus auctoritatem, quanquam juſtitiæ zelo abripi viſus eſt. [1] Patrato enim a civibus immani ſcelere, ad plectendos illius conſcios, ingentibus ſuccinctus copiis eo procurrit, & quamvis epiſcopus juſtitiam ſe in criminis participes diſtricturum polliceretur, ac ſua jura quereretur infringi, ſi exercendæ illius facultas adimeretur; non deſtitit a ſuſcepto conſilio, magnaque civium multitudine partim damnata ad ſuſpendium, partim mulctata pecuniis, partim in exilium pulſa, epiſcopum ipſum ob libras octingentas ſtipendiorum nomine non ſolutas civitate ejectum majore redituum atque obventionum, ad eccleſiam eam ſpectantium parte exuit; quare Rhemenſis archiepiſcopus aliique provinciæ præſules permoti, concilio coacto Regem monuere, ut eccleſiam priſtino juri dignitatique reſtitueret, & ſi oblatas reſpueret preces, ſententiam interdicti in Rhemenſem provinciam diſtringere decreverunt: de quibus Pontifex admonitus, ſententiam ratam habuit, ac firmam juſſit (*b*) eſſe. Tum Laudunenſem, ac Noviomenſem epiſcopos, ob interdictum ab ipſis in ſuas diœceſes non jactum arguit: (*c*) Francorum vero Regem hortatoriis literis monuit, (*d*) violata eccleſiæ Bellovacenſis juria inflictaque damna reſarciret, quæ repetitis etiam aliis literis inculcavit, (*e*) magis ad id præſtandum proclivem propenſumque ſe exhibere debuiſſe, quo genus ex iis principibus duceret, qui ad fidem amplificandam, tuenda eccleſiaſtica jura, eccleſiaſticorum honorem augendum, ſæpius non modo operam ſuam collocaſſent, verum etiam ſanguinem profudiſſent; idque maxime illi gloriæ verſum iri, ſi in ea re ſedi Apoſtolicæ morem geſſiſſet: literas ſe ipſius pro ſolita benignitate excepiſſe, cumque ipſum facilem, ac pronum ad rem componendam intelligeret, Sylvanectenſi, Meldenſique epiſcopis relaxandi ad tempus interdicti provinciam impoſuiſſe, ut tumultus omnis facilius extingui, priſtinaque concordia adduci poſſet: beneque ſe ſperare majorum veſtigiis illum inſtiturum, atque epiſcopo & eccleſiæ Bellovacenſi facturum ſatis, ut famam ſuam nulla aſperſa illi labe puram integramque ſervaret. Hortatus etiam eſt Reginam Blancam, (*f*) ut Regem ad ſubiiciendum ſeſe Eccleſiæ inducere niteretur, divinumque illi timorem insereret; tum Sylvanectenſem & Meldenſem epiſcopos, ut ſacrorum uſu ad tempus reſtituto, ad redintegrandam concordiam eccleſiaſticamque ſervandam libertatem egregie operam navarent: præterea epiſcopo & capitulo Bellovacenſibus, ac Rhemenſi, Sueſſionenſi, aliiſque præſulibus injunxit, (*g*) ſalva eccleſiæ dignitate faciles ſe ad pacem cum Galliarum Rege contrahendam præberent.

Excitata Bellovaci ſeditione accurrit S. Lud. Epiſcopo Bellovaci domino reos ſupplicio affectum iri promittente, juſtitiam exercet.

(b) Lib. 10. ep. 3.

Ob violata eccl. jura provincia interdicto ſubiicitur.

(c) Ib. ep. 4.

(d) Ep. 5.

(e) Ep. 220.

Bellovac. ep. cauſa a Pont. ſuſcepta.

(f) Reg. poſt eand. ep.

(g) Ep. 221.

XXXVIII Confirmata a Greg. illius ac Turon. arch. jura.

At Bellovacenſis epiſcopus ſervandæ dignitatis tuendorumque jurium ſolicitus, ne poſthac facile infringerentur, vel ſecuturorum temporum injuria obſcurari illorum memoria, aut deleri poſſet, ſummum Pontificem rogavit, uti diplomate apoſtolico Bellovacenſis eccleſiæ jura, & illatas injurias inſereret; quæ Gregorius abunde præſtitit, & in patriarchii Lateranenſis ſanctius tabellarium referri imperavit (*h*): flagitantique pariter Turonenſi archiepiſcopo, ut eccleſiarum ſuæ obnoxiarum auctoritati prærogativas corroboraret, annuit. Quæ res cum Regi Ludovico ingrata accidiſſet, delinire illius animum ſtuduit his verbis (*i*): *Apoſtolicis literis per venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Turonenſem ſuper libertate eccleſiarum ſuæ provinciæ impetratis, nec tuam perſonam lædi, nec juri regio in aliquo credimus derogari, quia nequaquam de tuo diſpendio ſed honore ac ſalute potius agitur, ſi libertas eccleſiis per tuos prædeceſſores a tempore, cujus memoria non extat, indulta nobis præcipientibus ob-*

(h) Ep. 39.

(i) Ep. 66. Regem ægre illa ferentem delinit Greg.



NOTÆ [1] TOtam hanc hiſtoriam de interdicto pro cauſa Belvacenſi in univerſa Remenſi provincia lato, atque de conciliis ea de cauſa indictis, fuſe ad annum 1231. perſequuti ſumus, ubi & demonſtravimus illa omnia anno 1233. accidiſſe. Cum autem in noviſſimo ejus cauſæ concilio ſuſpendere interdictum illud viſum fuerit, & ex literis Gregorii hoc anno datis, & in Annalibus hic legendis conſtet pontificem iiſdem literis injunxiſſe interdicti ſuſpenſionem ad tempus, huic nodo explicando animum advertere oportet ad ea, quæ ſuperiori anno 1235. acciderant, quorum hiſtoria Annaliſtam latuit. Anno igitur illo rex eccleſiæ Remenſis jura violaverat, quibus tuendis illius provinciæ epiſcopi ter in concilium coiverunt, ſemel ad S. Quintinum die craſtina poſt feſtum S. Mariæ Magdalenæ; iterum Compendii poſt feſtum S. Petri ad vincula, ac tertio Silvanecti feria quarta poſt feſtum S. Martini, ſtatutumque rege poſt repetitas monitiones non parente totam provinciam interdicto ſubiicere. Hoc ergo interdictum, non vero illud, quod in cauſa Belvacenſi pendebat, ſuſpendi ad tempus Pontifex juſſit. MANSI

*obſervatur*. Subjungit mox preces, ut cœpto excindendarum hæreſeos reliquiarum in Toloſana provincia operi extremam manum adderet, ac Raymundum ad promiſſa perficienda compelleret.

**XXXIX.** Concitata Toloſæ adverſus fidei inquiſit. ſeditio.

Adſtrinxerat ſe jurejurando Toloſanus comes, dum Pariſiis pacem cum Francorum Rege atque Eccleſia iniret, ad excindendam hæreſim, inſtruendamque in Terram ſanctam expeditionem: verum excitatis Toloſæ in ſacræ fidei cenſores tumultibus ab iis, qui hæreſi infecti erant, nec exorienti malo congruis adhibitis remediis, comes ob non coercitum illorum furorem a promiſſis deficere hæreticoſque fovere viſus eſt; quare Pontifex præteritis omnibus criminibus in apoſtolicis literis ipſi exprobratis imperavit, (*a*) ea quamprimum emendaret, & conflato exercitu in Hieroſolymitana loca quinquennium in ſacro bello collocaturus proximo menſe martio ſeſe conferret: quæ niſi perficeret, ſe legato provinciam dediſſe, ut in omnibus eccleſiis ſolemni ritu inflictam ipſi anathematis ſententiam promulgandam curaret. [1]

(*a*) *Ep.* 58. Raymundus in ſuſpicionem hæreſ. vocatus.

*Nobili viro comiti Toloſano ſpiritum conſilii ſanioris.*

Acerrimæ ad eum Greg. lit.

*Olim ad Apoſtolicæ ſedis perlato notitiam, quod in partibus Albigenſibus vineam Domini tribulus, & urtica repleverant, & in terram Juda Rex Babyloniæ veniens templum Domini vaſis aureis catholicæ fidei ſpoliaverat, illuc felicis recordationis Innocentius, & Honorius prædeceſſores noſtri cultores, qui ex ipſa herbas peſtilentes vomere prædicationis excerperent, claræ memoriæ Ludovicum Regem Franciæ, & alios de regno ſuo crucis ſignaculo inſignitos, qui mucrone juſtitiæ a templi ſanctuario ſordes contaminationis eraderent, deſtinarunt; ſperantes quod ibi botrus catholicæ fidei in calicem Domini comprimendus erumperet, & Hieruſalem expurgata Regem pauperem ſedentem ſuper pullum aſinæ ſubjugalis cum palmis recipiens, & floribus exultaret.*

**XL.** *Cum ad id dicti prædeceſſores noſtri plurimum laborantes non potuiſſent proficere, & laborem eorum noſtrorum peccatorum crederentur merita vacuaſſe, nos attendentes quod omne, quod eſt ab improbo labore devincitur; & Pharao ut liberet Iſraelem non niſi plagis contritus pluribus emollitur, humeros noſtros hujus laboris faſci ſubjecimus, & venerabilem fratrem noſtrum Portuenſem epiſcopum, tunc S. Angeli ſubdiaconum Card. commiſſo ſibi legationis officio ad partes illas duximus deſtinandum: qui eo faciente, qui bonum opus aſpirando prævenit, & proſequitur adjuvando, maxillas eorum qui inconſutilem Chriſti tunicam lacerabant, in fræno cohibuit, vulpeculas parvulas, quæ dominicam demoliebantur vineam, intercepit; & ut fides catholica ſtatui antiquo plene poſſet reſtitui, in pace inter Eccleſiam & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Franciæ Regem illuſtrem ex parte una, & te ex altera ipſius ſtudio reformata, & concilio propter hoc Toloſæ habito, nonnulla ſtatuta edidit, ac ad hæreſin fortius confutandam Toloſæ ſacræ paginæ, & aliorum artium ſtudium ordinavit.*

**XLI.** Objurgatur pacis tractatum violaſſe.

*Verum quia immundus ſpiritus domum, a qua ejectus fuerat, ſcopis mundatam rurſus ingredi nititur, & Pharao liberatos Hebræos iterum ſibi ſubjugare conatur, poſt ipſius receſſum venerabilibus fratribus noſtris, primo videlicet epiſcopo Tornacenſi, & poſtmodum archiepiſcopo Viennenſi Apoſtolicæ ſedis legatis, ut ſuper catholicorum grege noctis vigilias vigilantes lupos a Dominico coercerent ovili, duximus legationis officium committendum. Sed ecce quod verebamus accidit, & timor quem timebamur evenit. Nam ſicut ex inſinuatione ipſius archiepiſcopi & aliorum prælatorum ſuæ legationis accepimus, fratrem Guillelmum Arnaldi fratrum Prædicatorum, qui auctoritate noſtra & dicti archiepiſcopi contra hæreticos inquiſitionis exercebat officium, & ſummo ſtudio laborabat, ut educto obſtetricante ipſius manu colubro tortuoſo prodirent in lucem opera tenebrarum a civitate Toloſana, vicarius tuus; & conſules civitatis ejuſdem, qui ne contra hæreticos procedatur diverſa difficultatum obſtacula interponunt, poſt illatas ſibi multas injurias non ſine turpi violentia ejecerunt.* Et infra ubi expoſuit alia flagitia a Toloſanis magiſtratibus in fidei cenſorem, epiſcopum & clerum magno dedecore Toloſa depulſos, comitem his verbis objurgat:

NOTÆ [1] GRegorius in epiſtola ſua ad Raymundum Toloſanum, hic in Annalibus recitata eidem comiti exprobrat fœdam expulſionem ex urbe Toloſa Willelmi ſeu Guillelmi Arnaldi fratris ordinis prædicatorum, & in hæreticos Toloſanos inquiſitoris, totamque expulſionis hujus hiſtoriam perſtringit. Id vero non præſenti, ſed potius præcedenti an. 1235. contigit, ut ex ſubſcriptione ſententiæ, quam Toloſanus, & Carcaſſonenſes epiſcopi cum eodem Guillelmo dederunt in Toloſanos conſules eruiſſe ſe affirmat Bernardus Guidonis in hiſtoria fundationis conventuum prædicatorum ad fundationem cœnobii Toloſani. Legitur opuſculum illud in collectione Martenii tom. VI. colum. 461. ſed & in Martenii ejuſdem anecdotis tom. I. col. 992. extat eadem ſententia, in qua anathema dicitur conſulibus Toloſanis; de Raymundo vero ne verbum quidem legitur. Data eſt autem eodem menſe, & anno quo Bernardus Guidonis aſſerit. MANSI



**XLII.** *Tu vero, qui juxta formam prædictorum concilii & pacis eccleſias & viros eccleſiaſticos defendere, jura & libertates ipſorum integre conſervare, ac ad confutandos hæreticos efficax præbere conſilium, & eos capientibus certam ſolvere pecuniæ quantitatem; nec non magiſtris Toloſæ regentibus uſque ad certum tempus annis ſingulis exhibere ſalarium, ac cum pluribus burgenſibus, & militibus terræ tuæ in Terræ ſanctæ transfretare ſubſidium juramento præſtito tenebaris, ſalarium ipſum prædictis magiſtris, propter quod præfatum ſtudium dicitur diſſolutum, ſubtrahens & formas iniquas ſtatutis noſtris, & juri contrarias circa hæreticorum inquiſitionem ad eorum favorem poſtulans obſervari, inquiſitionem hæreticorum multipliciter impedis, & plures in terra tua hæreticos condemnatos publice habitare permittis, & eis aliunde ad terram ipſam confugientibus ſecurum refugium exhibens, ſuſpectos & diffamatos de hæreſi conſiliarios & familiares tecum habens, ipſos ad publica promovere officia in præmiſſis contra dicta ſtatuta, vel pacem, ac præpoſitum juramentum venire; & ſicut ex conſideratione factorum tuorum coniicitur, hæreticorum fautorem, receptatorem, defenſorem, & eorum fautoribus non veritus te favorabilem exhibere, ſuper his ſæpe monitus te corrigere non curaſti: ex quo plures iniquitatis filii ſumentes audaciam, nonnullos ſacerdotes, & alios viros catholicos, qui zelo fidei perſequebantur hæreticos, in injuriam divini nominis occiderunt: multi etiam perditionis filii abnegata fide catholica ſe conſtituerunt hæreticos: nonnulli contumelias, & damna gravia eccleſiis, eccleſiaſticis, cæteriſque catholicis viris negotium fidei proſequentibus multipliciter intulerunt; tuque pluries requiſitus vindictam juſtitiæ noluiſti in malefactores hujuſmodi exercere.*

Creviſſe ex ipſius pravo exemplo perfidis audaciam.

**XLIII.** *Cumque propter quoſdam de prædictis, & aliis exceſſibus in perſonam tuam & dictos conſules, tanquam hæreticorum fautores, venerabiles fratres noſtri archiepiſcopus Narbonenſis, Carcaſſonenſis, & Toloſanus epiſcopi, & dictus frater VV... auctoritate ſua & noſtra diverſas excommunicationis ſententias protuliſſent, & idem frater ſententiam excommunicationis in ipſos a ſe latam per capellanos eccleſiarum & fratres Minores Toloſanos mandaſſet diebus dominicis & feſtivis publice nunciari, iidem conſules capellanis ipſis, quia firmiter propoſuerant hujuſmodi mandato parere, ex præfata civitate de nocte violenter expulſis, fratres ipſos, quia juxta formam ejuſdem mandati prædictas ſententias nunciarunt, exinde atrocibus minis expellere, & quoſdam ex ipſis verberare uſque ad effuſionem ſanguinis præſumpſerunt. Quid plura? tu & conſules ipſi, ut divini nominis adverſarios, & fidei vos exhiberetis catholicæ inimicos, diverſa banna & ſtatuta, vel deſtitutiones potius edidiſſe; & ne quis coram inquiſitore hæreticorum compararet de fide ſua vel alterius reſponſurus, ſub pœna rerum & corporum publice inhibuiſſe, & alia plura feciſſe dicimini; quibus fidei, & pacis ſtatus evertitur, & libertas eccleſiaſtica enervatur.*

**XLIV.** Jubetur appetente martio profectionis Hier. votum implere.

*Cum igitur quo prædicta in majorem attentata ſunt perniciem fidei, eo minus a nobis debent ſub ſilentio præteriri, mandamus, quatenus præmiſſa omnia ad mandatum prædicti legati per te corrigas, & ab eiſdem conſulibus & aliis hominibus tuis, poteſtate tibi tradita, facias emendari; ac in dictæ Terræ ſanctæ ſubſidium cum eiſdem burgenſibus & militibus in proximo futuro martio non differas te transferre; ibi juxta formam pacis per quinquennium moraturus. Alioquin eidem legato noſtris damus literis in mandatis, ut te ac alios prædictos ad præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellat; & præfatas ſententias in ſingulis ſuæ legationis eccleſiis omnibus diebus dominicis & feſtivis, pulſatis campanis & candelis accenſis, auctoritate noſtra uſque ad ſatisfactionem condignam faciat ſolemniter innovari. Dat. Viterbii IV. kal. maii ann. X.* Deque ea re legatum admonuit (*a*) injunxitque, ut Toloſana ſtudia inſtauraret, edicta ac leges, quæ libertatem eccleſiaſticam infringerent, reſcinderet, ſuſpectos vel infamiæ hæreſeos nota inuſtos, a publicis conſiliis removere ſtuderet, aliaſque contra hæreticos pœnas, fautores & Eccleſiæ perduelles diſtringeret; ac data aliis literis (*b*) provincia eſt Toloſanorum hæreticorum domos ad æternum infamiæ dedecus everti juberet.

(*a*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*b*) *Eod. l.* 10. *ep.* 115.

**XLV.** (*c*) *Id. ib.* Domus quibus recepti hæretici excindi juſſæ.

Francorum porro Regem enixius oravit (*c*) tradita ſibi a numine potentia, ad comitem conſuleſque Toloſanos compellendos ad præmiſſa ſcelera emendanda uteretur, ut ad hæreſim profligandam ſtrenue operam conferret (*d*), majorumque veſtigia ſectaretur, quorum virtutem adeo Deus in omnium gentium ore ac luce collocarat, ut eorum ope Terram ſanctam e Sarracenorum manibus eripuiſſet, Græciam ad ſedis Apoſtolicæ auctoritatemque agnoſcendam & colendam adduxiſſet, ipſam Eccleſiam multis cinctam periculis feliciter iis explicuiſſet, hæreticos Albigenſes evertiſſet: proinde ipſius gloriæ atque honori ceſſurum ad fidem propagandam incumbere, egregiaque a parente Ludovico VIII. cœpta in Albigenſium regionibus perficere. Tum admonet ut comitem Toloſanum, ad traiiciendum proximo menſe martio in Hieroſolymitana loca cogeret; fratrem Al-

(*d*) *Ep.* 66. Rogat S. Regem Pontifex malum recrudeſcens excindat.

Mittat Alfonſum fratrem ad comitat. Toloſ. adminiſtrandum.

Alphonſum ad Toloſani comitatus adminiſtrationem ſuſcipiendam mitteret. Ex

(a) Lib. 10. ep. 86.

tat pontificium diploma (a) quo Gregorius Alphonſo, ut cum filia comitis Toloſani, quarto gradu conſanguinitatis conjuncta, nuptias conficere poſſet permiſit: ac ſimilem fratri alteri, cui Roberto nomen erat, ut nimirum cum Mathilde ducis Lotharingiæ filia matrimonium inire poſſet, gratiam anno ſequenti fecit, uti epiſtolæ ad Robertum, & Ludovicum, ac Reginam matrem datæ te

(b) Ib. ep. 315. 316. 317.

ſtantur (b). Ad alendam etiam Regis pietatem, cum illum erga divina egregie affectum noſſet Gregorius, apoſtolico diplomate conceſſit (c), ut cum ſacrorum juſtitium eſſet, divinis myſteriis intereſſe poſſet; vetuitque (d) ne quis ipſius ſacraria eccleſiaſtico interdicto percelleret.

(c) Ep. 263.

(d) Ep. 264.

XLVI. Arſacid. Rex ſicarios ad occid. S. Lud. mittit.

Adſcribunt porro jure hiſtorici tanti Regis incenſæ pietati divinæ providentiæ miraculum, quo illum hoc anno ex periculoſiſſimis illius vitæ paratis inſidiis eripuit (e): cum enim princeps Arſacidarum ſive Aſſaſinorum, qui præcelſis montium jugis inſident, eaque munitiſſima loca in Antiochiæ ac Damaſci finibus incolunt, nonnullos ſicarios in Gallias miſiſſet, ut S. Regem cujus fama jam ſui terrorem Sarracenis incuſſerat, trucidarent, Deus optimus maximus, de quo ſcriptum (f): *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationem populorum, & reprobat conſilia principum;* crudelis tyranni pectus emollivit, ut mutato conſilio oratores ſubmitteret, qui Regem Ludovicum ſtructarum inſidiarum admonerent. Quæſiti itaque ſicarii, & comprehenſi; non illos tamen merito ſupplicio, ſed muneribus ſingulari Chriſtianæ manſuetudinis exemplo affectos addit Nangius his verbis: *Quibus viſis Rex exultans præ gaudio utroſque muneribus honoravit; deinde Regi Harſacidarum xenia regalia, & dona quamplurima pretioſa in ſignum pacis & amicitiæ delegavit.*

(e) Nang. de geſt. S. Lud. Bernard. in chr. Reg. Franc. hoc ann.

(f) Pſ. 32.

Mutato conſilio illum periculi admonet.

Singularis S. Lud. in ſicarios clementia.

XLVII. Parantem in Theob. crucesignatum bellum a ſuſcepto conſilio abducere ſtudet Greg.

Hæc auctor, qui huic narrationi ſuperiori anno conſignatæ præmiſerat Theobaldum Campaniæ comitem eundemque Navarræ Regem nova in Ludovicum molientem compreſſum, traditiſque ab ipſo duabus arcibus concordiam redintegratam fuiſſe. [1] Verum diſſenſionem iterum præſenti anno recruduiſſe ex pontificiis literis ad Regem Ludovicum arma in Theobaldum parantem miſſis conſtat: accepto enim bellici apparatus rumore Gregorius, qui Theobaldum cruce indutum in clientelam ſuſceperat, atque expeditionem Aſiaticam promovere cupiebat, a Ludovico ſummis precibus, adjectis etiam imperiis, contendit ne tanto rei Hieroſolymitanæ periculo pacem confunderet, cum ipſe de Cardinalium pluriumque præſulum conſilio ſtatuiſſet, ut pax vel ſaltem induciæ in univerſo orbe Chriſtiano ad quadriennium religioſe ſervarentur, atque cenſuris eccleſiaſticis earum violatores ſe irretirent: *Cum ſicut dicitur terram chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Navarræ comitis Campaniæ, qui crucis ſignaculo inſignitus in Crucifixi ſervitium proficiſci proponit, propoſueris impugnare; noſque de fratrum noſtrorum, & omnium prælatorum, tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, conſilio duxerimus ſtatuendum, ut pax aut treugæ per totum orbem terrarum ſaltem per quadriennium obſerventur, eis qui contraire præſumpſerint, ad id cenſura eccleſiaſtica compellendis; ſerenitatem regiam rogamus per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ne Terræ ſanctæ jactura, quæ propter hoc, quod abſit, poſſet contingere, de tuis manibus requiratur, a præfati regis & aliorum cruceſignatorum impugnatione deſiſtens, pacem in tuo regno procures taliter fieri, quod & crucis negotium valeat promoveri, & tu ex hoc illum merearis habere propitium, qui pro ſalute tua, & totius humani generis in ligni patibulo proprii ſuſtinuit corporis cruciatum. Dat. Interamne* XIV. *kal. julii anno* X. Paucoſque poſt dies Navarræ Regi conceſſit, (g) ne quis anathematis ſententiam jaculari in eum poſſet, quod inſignitus cruce ſanctis locis ſubſidio iturus eſſet.

(g) Ib. 156. 157.

XLVIII. Judæi in Aquitania a cruceſignatis cæſi ſpoliative.

His addere lubet, ea tempeſtate plures in Aquitania, qui ſe ad militiam ſacram accinxerant, injuſto zelo, pietatis colore ſubornato percitos, eo crudelitatis prorupiſſe, ut Judæos paſſim cæderent, bona diriperent, libros flammis abſumerent, nulloque ætatis, vel ſexus habito diſcrimine, ad duo millia ſupra quingen-

NOTÆ [1] QUæ narrat author geſtorum Gregorii de diſſidio Theobaldi Navarræ regis cum S. Ludovico Annaliſtam in eum errorem pertraxerunt, ut crederet bis inter utrumque pugnatum fuiſſe, ſemel quidem anno ſuperiori, qua demum pugna Theobaldo repreſſo, binaſque arces regi tradere coacto diſcordia ſopita fuerit; iterum vero præſenti anno, quo Pontifex pro Theobaldo ſe apud regem interpoſuit. Sed tumultus bellicus in Campania nonniſi ſemel præſenti anno excitatus fuit; nec Theobaldus veniam a rege promereri aliter potuit, niſi *mediantibus tot & tantis perſonis* (nempe Pontifice aliiſque viris illuſtrioribus) ait Albericus, & feudis nonnullis regi dimiſſis, ac demum arce duplici Monaſtericolo, & Bari ad Sequanam regis cuſtodiæ permiſſis; quanquam utramque dein rex Theobaldo reddidit. Hæc Albericus, qui tunc florebat. MANSI



gentos, nonnullis equorum pedibus immaniter protritis, & eliis trucidarent, atque ad oſtentationem crudelitatis feris avibuſque laniandа corpora expoſuiſſent. Tantis igitur oppreſſi calamitatibus infelices Judæi ad ſummum Pontificem confugere, quorum ille juſtis precibus flexus archiepiſcopum Burdegalenſem, atque epiſcopos Xanctonenſem, Engoliſmenſem, & Pictavienſem literis ſuis ad tantam arcendam ſævitiam, utque ſpoliatis erepta reſtituerentur, incumbere imperavit (a).

(a) Lib. 10. ep. 212.

*Gregorius, &c.*

*Lacrymabilem Judæorum in regno Franciæ commorantium, & miſeratione dignam recepimus quæſtionem, quod cum cruceſignati civitatum veſtrarum, & diœceſum debuerint corda & corpora præparaſſe ad prælium Domini præliandum, ac hereditatem Chriſti liberare de manibus paganorum, qui exigentibus culpis populi Chriſtiani detinent & coinquinant templum Dei; & quanto hujuſmodi prælium ſpecialius eſt ipſius, tanto timorem ſui nominis & amorem humilius amplexari ne, quod abſit, in ſuis noxiis deſideriis ambulantes divinam contra ſe patientiam provocarent; iidem cum aliis cruceſignatis adverſus Judæos eoſdem impia conſilia cogitantes, nec attendentes, quod quaſi ex archivis ipſorum Chriſtianæ fidei teſtimonia prodierunt, & propheta teſtante, etſi fuerint velut arena maris, ipſorum tandem reliquiæ ſalvæ fient, quoniam non repellet in ſempiternum Dominus plebem ſuam; delere ipſos de terræ facie pene penitus moliendo, ex inauditæ ac inſolitæ crudelitatis exceſſu duo millia & quingentos ex ipſis tam magnos quam parvos, mulieresque prægnantes hoſtili rabie trucidarunt, nonnullis lethaliter vulneratis, & conculcatis aliis equorum pedibus ſicut lutum, ac libris eorum incendio devaſtatis, ad majus opprobrium & ignominiam eorumdem morticina taliter occiſorum eſcas volatilibus cœli, & carnes eorum terræ beſtiis exponentes, ac illos qui ex occiſione hujuſmodi remanſerunt, viliter & ignominioſe tractantes, bona ipſorum auferunt, & conſumunt, & ut tam immane flagitium poſſint virtutis pallio fibulare, ac juſtificare utcumque ſuæ impietatis cauſam, fingunt ſe præmiſſa feciſſe ac pejora facere comminantur pro eo, quod renuunt baptizari: non conſiderato prudenter, quod licet orta tempeſtate in hoc mari magno & ſpatioſo, ac in ea periclitante humano genere, verus Jonas Dei Filius Jeſus Chriſtus in ejus altitudinem veniens, ſe permiſerit ab ipſa tempeſtate demergi, ut nos Deo reconciliaret in ſuo ſanguine, ac innovaret per lavacrum regenerationis, ejuſdem ſanguine conſecratum, non excludens conditionem, vel ſexum, per quod in adoptionem filiorum Dei ex omni gente poſſit aſſumi. Quia tamen, cui vult Dominus miſeretur, non ſunt ad baptiſmi gratiam, niſi ſponte voluerint, compellendi; quia ſicut homo propria voluntate arbitrii ſuggeſtioni ſerpentis obediens cecidit, ſic vocante ſe Dei gratia libero arbitrio debet apponere ut reſurgat, &c. Dat. Reate* IX. *ſeptemb. anno* X. Deque ea re S. Ludovico Regi, ad ſimilem cruceſignatorum continendum temperandumque furorem ſcripſit (b). Conſentanea mandavit hiſtoriæ Pariſius, (c) qui adiicit aliam quoque ſtragem eamque maximam Judæorum in Hiſpania editam, quibus ait perculſos Angliæ Judæos ingentem vim pecuniæ Regi obtruſiſſe, uti populorum ſimiles impetus ab ipſorum capitibus averteret, voceque præconis publice denuntiatum, ne quis injuriam ullam moleſtiamque Judæo cuilibet infligeret. [1]

(b) Ibid. ep. 213.

(c) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

XLIX.

Conciliandæ porro concordiæ, ut ex Anglia cruceſignatorum auxilia elici poſſent, inter Henricum Angliæ, & Levellinum Walliæ dominum atque etiam Scotorum Regem, omne ſtudium Gregorium poſuiſſe probant apoſtolicæ literæ, tum ad archiepiſcopum & archidiaconum Cantuarienſes (d) tum ad Scotum ipſum (e): *Regalis celſitudo requirit, ut quo magis honore præeminet, eo diligentius ſervet in ſuis actibus puritatem. Intelligimus ſiquidem chariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico illuſtri Rege Angliæ intimante, quod cum homo ligius ſis ipſius, & ei fidelitatis præſtiteris juramentum, quo te principaliter aſtrinxiſti, quod in ſuum & regni Angliæ detrimentum nihil penitus attentares, tu id, unde mirari compellimur, non obſervas, plura in honoris ſui diſpendium moliendo. Quia vero dictum Regem tanquam ſpecialem Apoſtolicæ ſedis filium paterno affectu diligimus; teque veluti nobis & Eccleſiæ Romanæ devotum ſincera complectimur charitate, propter quod eo ardentius inter vos eſſe cupimus unitatis vinculum, quo amplius nos gravaret diſcordia, & vehementius conturbaret; excellentiam tuam rogandam duximus propenſius & hortandam quatenus Regi præfa-*

(d) Lib. 10. ep. 62.

(e) Ib. ep. 65.

Pontificis pro concilianda inter Angl. & Scot. Reges concordia ſolicitudo.

NOTÆ [1] NOn in Gallia, & Hiſpania tantummodo ſed & in Germania crucigeri milites in Judæos tumultus exciverunt teſte anonymo Erfordienſi, qui ad hunc annum ſcribit: *Hoc anno V. Kal. Januarii in Fulda Judæi utriuſque ſexus XXXII. a cruceſignatis chriſtianis ſunt perempti; quoniam duo ex iiſdem Judæis in ſancto die Chriſti* (natalitio) *cujuſdam molendinarii V. pueros miſerabiliter interemerant, ac ipſorum ſanguinem in ſaccis cera linitis ſuſceperant.* MANSI

Henricus Alienoram comitis Prov. filiam uxorem accipit.

*fato ea in quibus teneris, eidem ſtudeas plenius obſervare; ita quod ex hoc ipſius Regis dilectionem uberius merearis, & nobis tibi magis conſtituas in tuis opportunitatibus favorabiles, & benignos. Dat. Viterbii* V. *kal. maii pontificatus noſtri ann.* X. Cumque Henricus Joannam comitis Pontinenſis filiam ducturum ſe ſacramento ſpopondiſſet, poſtea vero duplici cognationis vinculo ſibi junctam comperiſſet, Alienoramque comitis Provinciæ filiam accepiſſet, Pontifex Regem, dato ſacramento, cognita cauſa abſolvi juſſit (*a*). De Henrici III. cum Alieonora inito matrimonio, deque ſplendidiſſimo nuptiali apparatu fuſe Matthæus Pariſius (*b*). Per eos dies miſſos ab Henrico ad Pontificem oratores, ac literas poſtulatum, uti legatus a latere in Angliam ab Apoſtolica ſede mitteretur, Gregorius blande ac benigne accepit: petitum tamen legatum juſtis de cauſis non mittendum cenſuit, quas pontificiæ ad Regem redditæ literæ complectuntur. (*c*) *Ad præſens petitionem tuam ſuper conceſſione legati diſtulimus exaudire, pro eo quod cum alia vice hoc idem ex parte tua cum inſtantia poſtulatum fuerit, & a nobis benigne conceſſum, ſtatim ad nos revocatoriæ literæ pervenerunt: propter quod ne hac vice etiam ſimile accideret, ab aliquibus extitit dubitatum. Præterea Eccleſia Rom. hoc tempore de mittendis a latere ſuo perſonis opportunitatem non habet; quam cito erit actore Domino habitura. Ideoque ſerenitatem tuam propenſius exhortamur, quatenus de matris tuæ Apoſtolicæ ſedis favore ſecurus, quæ prædilecto filio negare non poteſt quidquid ſecundum Deum poſtulat ab eadem, in nullo ex dilatione hujuſmodi movearis &c. Dat. Reate* XII. *kal. ſept. pontif. noſtri ann.* X.

(*a*) Ep. 63. 64.

(*b*) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

(*c*) Greg. l. 10. ep. 202.

L.

At quamvis Henricus de mittendo tum legato repulſam paſſus fuerit, quod temporis ratio ſecus poſtularet, ſequenti tamen anno Othonem S. R. E. Card. miſit, piiſque ejus deſideriis in D. Eduardi Regis celebrando die feſto ſcriptis ad archiepiſcopum Cantuarienſem, ac ſuffraganeos hiſce literis (*d*) eſt obſecutus: *Cum recolendæ memoriæ Rex Eduardus, ut dudum accepimus, ſanctorum catalogo meruerit numerari, dignumque ſit honorari in terris, quem Dominus exaltavit in cœlis; nos qui ad confirmandum catholicæ fidei puritatem, convertendum incredulos ad juſtorum ſcientiam, & corda fidelium in ſui conditoris amorem ſuaviter accendendum, magnifice quantum in nobis eſt ſanctos ſuos magnificare tenemur: cum ſimus in quos fines ſæculorum ſecundum Apoſtolum devenerunt, inclinati piis ſupplicationibus chariſſimi in Chriſto filii noſtri Anglorum Regis illuſtris præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus feſtum ſancti prædicti & vos devote celebretis in veſtris eccleſiis, & faciatis a veſtris ſubditis celebrari. Dat. Reate* VI. *kalen. octob. anno* X. Extant aliæ ad Cantuarienſem archiepiſcopum literæ quibus cum Henricus religione aliqua teneretur, anathematiſque ſententiam incurriſſe ob ſubmiſſam comiti Toloſano quandam pecuniæ vim metueret, dum ad fidei defendendam cauſam ac dignitatem bellum illi inferretur, abſolvendi illius munus impoſuit (*e*).

(*d*) Ibid. ep. 225.

Indictus S. Eduardo dies ſacer.

(*e*) Ib. ep. 226.

LI.

(*f*) Pariſ. hiſt. Angl. hoc anno.

Nonnulla in Anglia prodigia.

Refert Pariſius per hæc tempora (*f*) ob effuſos cœlo copioſiſſimos imbres, flumina aquarum vi turgida extra ripas ejecta graviores clades intuliſſe, mare quoque intumuiſſe, fœdaque ac immani undarum eluvione terras circumpoſitas hauſiſſe, ſubditque: *Et videbatur juxta ſolem quidam ſol nothus collateralis die veneris proxima poſt conceptionem S. Mariæ*. Pluribuſque interjectis de portentis, iis ſimillimis, quæ in libris Machabæorum referuntur, adiicit: *Sub iiſdem quoque temporibus menſe majo, non procul ab abbatia, quæ rupes dicta eſt in partibus ſeptentrionalibus Angliæ ſita, apparuerunt acies militum elegantiſſime armatorum, vecti equis precioſis, vexillis, ac clypeis, loricis, ac galeis, & aliis munimentis militaribus adornati: exierunt autem de terra, ut videbatur, & iterum in terram abſorpti evanuerunt. Et hæc viſio per dies plurimos oculos intuentium quaſi præſtigiatos detinebat. Equitabant autem diſpoſitis aciebus, & aliquando facto congreſſu hoſtiliter dimicarunt; aliquando quaſi in haſtiludio ſuas in fragmenta minima haſtas cum fragore minuerunt: viderunt eos incolæ, & potius a longe quam prope, quia nunquam talia ſe vidiſſe meminerunt; multi autem hæc præſagio carere negaverunt. Hæc manifeſtius contigerunt in Hybernia & in confinibus, ita quod aliquando quaſi venientes de prælio, & victi trahebant equos ſuos poſt ſe vulneratos, & confractos ſine aſſeſſore, ſed & ipſi graviter ſauciabantur cruentati. Et quod mirabilius fuit, veſtigia eorum impreſſa terræ, & herba proſtrata & conculcata manifeſte apparuerunt. Et multi hæc videntes præ timore ſeſe in eccleſias, vel caſtra ante eos fugientes, cum crederent hoc non eſſe fantaſticum, ſed potius verum certamen receperunt. Hæc ex relatu veriſſima aſſertione comitis Glovverniæ poſt aliquot annos hujus eventus, & aliorum multorum teſtimonio ad notitiam noſtram pervenerunt.*

Adverſæ acies inter ſe in aere viſæ concurrere.

LII.

Vir religioſus in Anglia præſes creatus.

His Angliæ prodigiis rem adeo novam addere libet, ut ab aliquibus portento ſimile videri poſſet, monachum ſcilicet, quem religioſæ vitæ conditio a ſæculi conſortio ſegregarat, ab Henrico Rege creatum præſidem, ſummaque non ci-

vili-



vilium modo, ſed & capitalium cauſarum cognoſcendarum auctoritate inſtructum. Quid enim ita abſonum quam judicem cucullatum, ſedentem pro tribunali ſatellitio forenſi ſtipatum reos morte damnantem intueri? Id ſane epiſcopo Lincolnienſi adeo a ratione alienum, & cum ſacris canonibus pugnans viſum eſt, ut cum regium diploma, quo abbas e Ramens Benedictinæ familiæ juri dicundo præficiebatur, inſpexiſſet, ad archiepiſcopum Cantuarienſem inſertis Henrici literis ſcripſerit, ut eam rem diſcuteret, Regemque ab eo conſilio precibus ſuis, atque hortationibus dimoveret, ne ſi in re adeo inſolenti ac religioni contraria ſilentium intempeſtivum teneretur, vindex numen iras in ignavos atque inertes paſtores effunderet. Extant hujuſmodi in MS. codice bibliothecæ S. Dominici Cajetani, quas nos annalibus noſtris inſerimus.

Roberti ep. Lincol. de re adeo indigna lit. ad B. Edmundum arch. Cantuar.

*Reverendo in Chriſto, ac domino Eadmundo Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo totius Angliæ primati, ſuus devotus Robertus permiſſione divina Lincolnienſis eccleſiæ miniſter humilis ſalutem, & quam debitam tam devotam cum omni reverentia obedientiam.*

*Noverit paternitas veſtra, quod abbas de Ramens ordinis B. Benedicti ſuſcepit mandatum domini Regis in hæc verba: Henricus Dei gratia &c. abbati de Ramen. ſalutem, &c. ſciatis quod conſtituimus vos juſtitiarium noſtrum ad itinerandum ad omnia placita noſtra, cum dilectis fidelibus noſtris Roberto de Lexintone, Olivero de vallibus, & Joanne de Ultecot. in comitatibus Bedeford & Buk. & ideo vobis mandamus rogantes, quatenus onus prædictum juſtitiariæ una cum prædictis fidelibus noſtris vobis ad præſens aſſumere velitis, ita quod iter veſtrum in comitatibus prædictis ad diem & locum, quos vos & ſocii veſtri ad invicem videritis expedire, incipiatis talem diligentiam in hac parte apponentes, quod diligentiam veſtram ad hoc appoſitam non immerito videamur commendare cum gratiarum actione ſpeciali teſte meipſo. Apud Mortelak.* IV. *die maii anno regni* XX.

LIII.

Religioſam ex eo diſciplinam labefactari.

*Cum igitur ſecundum tenorem præſcripti mandati præfatus abbas conſtituatur juſtitiarius itinerans ad omnia placita regia, ſi ſupradictus abbas ſuſcipiat in ſe hujuſmodi onus juſtitiariæ, ſuſcipiet officium & poteſtatem judicis etiam in cauſis ſanguinis decidendis: ſed ſi non licet alicui officium, ſeu poteſtatem ordinariam, aut delegatam in ſe ſuſcipere, cui non licet ejuſdem officii, ſeu poteſtatis actum exercere, liquet quod hujuſmodi officii, ſeu poteſtatis in ſe ſaſceptio omni clerico, nedum abbati ordinis B. Benedicti, eſt illicita. Nec excuſetur a culpa licet more ſolito ſurgat de ſede judicii, quando in cauſa ſanguinis proferenda eſt ſententia condemnationis; præſertim cum talis ſurrectio evidens ſit apud omnes indicium, quod accuſatus abſque retractatione reportaturus ſit condemnationis judicium, & ſic talis judex non ore, tamen opere quodammodo judicium exerceat ſanguinis, & efficiatur de principibus Sodomorum, quibus exprobrat propheta, quod manus eorum ſanguine plenæ ſunt.*

LIV.

Violari ſacros canones.

*Præterea ſecundum canonicas ſanctiones, & conciliorum conſtitutiones, nulli licet clericorum juriſdictiones ſæculares ſub aliquibus principibus & ſæcularibus viris, ut juſtitiarii eorum fiant, exercere, & ſi quis clericorum contra hoc venire præſumpſerit, ab eccleſiaſtico miniſterio fieri dicunt alienum, religioſis ſi auſu temerario hoc attentaverint, diſtrictius puniendis. Cum igitur non ſolum ſecundum jura divina, quibus interdicitur militantibus Deo ſæcularibus negotiis implicatio, ſed etiam ſecundum jura canonica, & votum profeſſionis monaſticæ, ſint maxime monachis officium, juriſdictio, & exercitium ejuſdem juſtitiariæ omnino illicita, ac per hoc coarctatio, præceptio, conſenſus & diſſimulatio talium illicitorum, ab eo qui debet & poteſt impedire, vergant in detrimentum ſalutis æternæ, &c.*

LV.

Tanto malo obſiſtendum.

*Ad pedes veſtræ paternitatis ſupplices provoluti quanta poſſumus devotione rogamus, quatenus dominum regem efficaciter moneatis, & inducatis, ut præſcriptum mandatum præfato abbati deſtinatum revocet & retractet, ne ipſe coactione, vel præceptione, noſque conſenſu, & diſſimulatione animarum æternum faciatis detrimentum. Exoramus etiam veſtram paternitatem, quatenus nobis ſignificare velitis veſtrum conſilium, ſi forte dominus Rex, quod abſit, ſupradictum mandatum ſuum ad veſtram exhortationem non revocet, & ſupradictus abbas, cujus animæ curam habemus, in animæ ſuæ diſpendium, & religionis ſcandalum, & eccleſiaſticæ libertatis detrimentum præfatæ juſtitiariæ exerceat officium. Si enim in hoc caſu noſmetipſos non oppoſuerimus, ab exercitio ejuſdem officii monitione præmiſſa præfatum abbatem eccleſiaſtica cenſura compeſcendo, proculdubio incidemus in illud propheticum Ezechielis: Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. Et in illud: Error, cui non contradicitur, approbatur. Si vero nos oppoſuerimus, regii forte miniſtri noſtras invadent, & diripient poſſeſſiones; & cum hujuſmodi oppoſitio prius in iis partibus non ſit attentata, erimus hujus mundi ſapientibus in deriſum & canticum tota die. Utriuſque igitur imminet periculum hinc temporale, illinc æternum: ſed cum ad minimi æterni periculi compara-*

*tionem quantumvis magnum periculum temporale nullam omnino habeat magnitudinem, immo nihil omnino ſit, pudet jam in hoc caſu conſilium quæſiviſſe, cum in ſolis ambiguis ſit conſiliandum, & utrumque imminere periculum dixiſſe, cum temporale quod dicitur periculum, veraciter ſit nullum, ſed poſteriorum oblito, & in anteriora ſe extendenti multo magis ſit * compendium. Veſtrum igitur quam poſſumus humili, & effectuoſa ſupplicatione magis jam exoramus imperium, ut ſpreto quolibet temporali diſpendio, pro libertate Eccleſiæ, & animarum ereptione de æterni ignis incendio, confiſi de Dei adjutorio, quantum noſtra ſufficit parvitas, in caſu propoſito nos opponamus: mea namque puſillanimitas veſtræ circumſpectæ fortitudinis imperio ſuffulta, poterit juvante Domino in veſtra fortudine impulſibus malitiæ non concuti, quæ ſine tali fulcimine de facili poſſet pravorum molimine ſubverti.*

* contemnendum

LVI. Hactenus Robertus Lincolnienſis; quantam porro operam ſummus Pontifex ad Benedictinos revocandos ad antiquam vivendi rationem, ac reſtituendam regularem diſciplinam poſuerit, demonſtrant ejus literæ, a nobis in margine annotatæ: (*a*) ad Calatravanos etiam a ſolutiore vitæ genere, in quod corruptioris naturæ propenſio illos detorſerat, ad priſtinum ſanctitatis cultum adducendos, Oxomenſem, & Segobienſem epiſcopos incumbere juſſit (*b*). Ad fovendam vero augendamque magis aliorum pietatem, qui religioſam diſciplinam accuratius excolebant, beneficiis eſt proſecutus; inter quos Minoritas qui tum ſuaviſſimo ſanctioris vitæ odore Chriſtianum orbem perfuderant, ædibus Viterbii donavit, (*c*) abbatemque S. Joannis e Pinna in Hiſpania Oſcenſis diœceſis gerendæ mithræ prærogativa decoravit (*d*) dato apoſt. diplomate in quo ubi Aaroni mithram divino juſſu impoſitam præluſit, ut in mithra capillorum motus reprimente illicitos animi motus frænare, cœleſtia terrenis anteponere, atque actus modeſtia coercere diſceret, ſubdit: *Relatu plurium fide dignorum tuam nobis commendantium de multa virtute perſonam, ipſam olim uſu mithræ honorare decrevimus, ut exterius ſignum exprimeret, quod ejus ſignato eras interius adornatus, tuque ſtuderes eo fortius effici virtuoſus, quo ignominiæ majoris exiſteret, ſi hujuſmodi ſignum in te ſignificatum proprium non haberet. Verumtamen quia veri Solis, qui licet aliquam diem ſuo lumine clararit, ſuccedentes tamen dies illuminare non deſinit, libenter imitamur exemplum, præfatum uſum mithræ ad ſucceſſores tuos de gratia ſpeciali duximus extendendum, ut tibi in virtutibus ſimiles ſtudeant effici, cum pari honore ſe viderunt decorari, &c. Dat. Reate* VIII. *kal. octob. anno* X.

Gregorii ſtudium in reſtituenda religioſa diſciplina.

(*a*) Greg. l. 9. ep. 393. & l. 10. ep. 26. 27. 44. 258. 259. 295.

(*b*) Lib. 10. ep. 219.

(*c*) Ib. ep. 280.

(*d*) Ep. 230.

Oſcenſi abbati mithræ uſus permiſſus.

LVII. Defluximus ad Hiſpanicas res, quæ hoc anno florentiſſimæ extiterunt: fulminabat enim in Sarracenos ferro flammaque armatus Ferdinandus Caſtellæ & Legionis Rex, qui divino auxilio corroboratus præpotentem, atque ampliſſimam urbem Cordubam expugnavit, ac veteribus titulis Biatiæ, & Cordubæ Regis titulum adjecit. De qua victoria hæc Richardus (*c*): *Menſe junio in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli capta eſt nobiliſſima Sarracenorum civitas, qua præter Romam, Conſtantinopolim, & Hiſpalim nulla major in orbe dicitur, a Ferrando Chriſtianiſſimo Rege Toleti & Caſtellæ.* Magnum ad eam victoriam momentum attulit Jacobus Rex Aragonum, qui in Valentinum regnum irruperat, ac præclara in barbaros facinora edebat, adeo ut Abenhutus Rex barbarus quo potiſſimum excitato gemino incendio occurreret, incertus hæreret, demumque Almeriæ a ſuis fuerit obtruncatus; cujus cædes Cordubenſes in deſperationem conjecit, ut una ſalute impetrata abeundique poteſtate urbem dediderint. Cum partæ autem victoriæ fama ad ſedem Apoſtolicam emanaſſet, actæ mox numini gratiæ a Gregorio, qui amplificandorum latius Eccleſiæ finium ſtudio Hiſpanis præſulibus provinciam dedit, (*f*) ut fideles ad exturbandos Hiſpania Sarracenos inflammarent, ac præmia indulgentiarum arma correpturis daturiſque ſubſidia proponeret.

Corduba a Ferd. Rege Caſtellæ erepta Sarracenis.

(*c*) Rich. e S. Germ. in chron.

Abenhutus a ſuis cæſus.

(*f*) Greg. l. 10. ep. 214.

*Gregorius, &c.*

LVIII. *Sicut olim in filiis Abrahæ is, qui ſecundum carnem natus erat ex ancilla perſequebatur illum, qui ſecundum ſpiritum de libera natus erat, ita & nunc infelices & miſeri Agareni, qui adhuc in tenebris ambulantes, necdum videre lucem magnam, quæ Chriſtus eſt, meruerunt ſed infidelitatis nebulis obvoluti jugo premuntur vetuſtiſſimæ ſervitutis fideles, qui jam non ſunt filii ancillæ, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus non liberavit, perſequi non deſiſtunt: qui ſic evanuerunt in cogitationibus ſuis, & ita obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, ut illum, qui venit jugum captivitatis eorum diſſolvere, ac illuminare ſedentes in tenebris & umbra mortis, nolint agnoſcere; quinimmo nomen ejus, in quo flectitur omne genu, præter quod non eſt nomen ſub cœlo, in quo ſalvari oporteat, extinguere moliantur, ipſo eos ineffabili providentia tolerante, ut vel ad eum redeant, utendo libertate arbitrii, vel ſaltem excuſationem non habeant contra ipſum tandiu miſericorditer expectati. Unde cum chariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Caſtellæ & Legionis, in cujus manibus miſericors Dominus proſpere*

Excitati ad ferenda nova Ferdinando auxilia fideles.



*re direxit negotium, quod ſpecialiter ſibi & aliis Chriſtianis contra paganos regionis illius imminet, acquiſita civitate Corduba nobiliſſima & potentiſſima per eundem, clementia ſibi cooperante divina; ſuper quo univerſalis Eccleſia gaudio ſalutari reficitur, & nos omnipotenti Deo in laudes, & gratias aſſurgimus, quas valemus; diligenter conſiderans quod non debet ancillæ filius cum liberæ filio heres eſſe, ad eruendam terram de ipſorum manibus, quam profanatis ſanctuariis detinent occupatam; vel eliminatis inde ſpurcitiis, in eam populum acceptabilem Domino divino comitatus auxilio introducat, intendat ex animo, & magnifice proponat, ſicut convenit proſequi negotium memoratum; nos qui cupimus ſponſæ Chriſti tentoria dilatari, ut funiculos ſuos faciat longiores, ejuſdem Regis prudentia & magnanimitate penſatis, propoſitum ſuum dignis in Domino laudibus, & favore benevolo proſequentes mandamus quatenus omnibus ſubditis veſtris, qui cum ipſo Rege in perſonis propriis & expenſis, & illis, qui licet in alienis expenſis perſonaliter illuc acceſſerint, quamdiu prædictus Rex in proſecutione dicti negotii fuerit, vel ſaltem per anni ſpatium moraturi; ac iis qui non in perſonis propriis, ſed in ſuis duntaxat expenſis juxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinaverint moraturos per tantum temporis cum eodem, illam indulgentiam auctoritate apoſtolica tribuatis, quam ſecundum ſtatuta concilii generalis haberent proficiſcentes in ſubſidium Terræ ſanctæ. Hujus quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participes, juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum, omnes qui de bonis ſuis illuc congrue deſtinaverint, aut in tam pio negotio conſilium, & auxilium impenderint opportunum. Dat. Reate* II. *non. ſeptemb.*

LIX. Expugnatas alias præter Cordubam arces urbeſque fuiſſe refert Lucas Tudenſis, cujus auctoris felicem hanc expeditionem deſcribentis verba delibanda ſunt (*a*): *Tandem laboribus multis, & fame victi Sarraceni Regi glorioſo Fernando Cordubam civitatem inclytam tradiderunt; & ipſi Sarraceni recedentes ſe aliis Agarenorum oppidis concluſerunt. Ingreſſus eſt Rex Fernandus Cordubam cum gloria & lætitia magna, & eliminata omni ſpurcitia Mahumeti, pontifices ſacri in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & genitricis ejus Reginæ cœlorum Mariæ in eadem urbe divina myſteria peregerunt, &c.* Subdit Ferdinandum repertis campanis, quas olim Almanzor Rex Cordubæ, facta in Galitiam irruptione, ab eccleſia D. Jacobo ſacra rapuerat, in ſignum victoriæ Sarracenorum humeris Compoſtellam reportari juſſiſſe additque: *Capta eſt civitas Cordubenſis era MCCLXXIV. & reverſus eſt inclytus Rex Fernandus Toletum cum victoria & gloria magna. O quam beatus eſt iſte Rex, qui abſtulit opprobrium Hiſpanorum, evertens ſolum barbarorum, & reſtituens eccleſiæ ſancti Jacobi apoſtoli campanas ſuas cum magno honore, quæ multo tempore fuerant Cordubæ ob injuriam & opprobrium nominis Chriſtiani. Acquiſivit etiam Rex Fernandus Turgelim, ſanctam crucem, Albange, Monter, & quædam alia caſtra.* Hiſque Tudenſis hiſtoriæ finem adjecit, cui Rodericus (*b*) Toletanus ejus ævi ſcriptor nobilis Mariana (*c*) aliique rerum Hiſpanicarum ſcriptores conſentiunt.

(*a*) Luc. Tud. in chr. rer. Hiſp.

Reportatæ Compoſtellam campanæ quas Almanzor Cordubam tranſtulerat.

Plura alia loca de Sarrac. parta.

(*b*) Rod. Tol. l. 9. c. 16. 17.

(*c*) Marian. l. 12. c. 17. 18.

LX. Flagitante etiam Rege Catholico Pontifex archiepiſcopo Toletano, atque Burgenſi, & Oxomenſi præſulibus injunxit, (*d*) ut proventuum eccleſiaſticorum partem, ad bellicos ſumptus tolerandos, atque ad opus tam pium arduumque perficiendum contribuerent: *Expoſito nobis devotionis zelo, quo fervet chariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Caſtellæ & Legionenſis ad gloriam & exaltationem nominis Chriſtiani, merito eum tanquam Chriſti athletam in gratia benedictionis proſequimur, & in ſuis honeſtis petitionibus, quantum cum Deo poſſumus facere, favorem ſibi benevolum impartimur. Sane idem Rex nobis humiliter ſupplicavit, ut cum nuper civitatem Cordubam potentiſſimam inter alias, & quaſdam civitates, & terras a paganis diu detentas miſericors Dominus per ſudores ipſius bellicos, & ſumptus multiplices cultui reſtituerit Chriſtiano; manuſque ipſius ad recuperationem aliarum videatur extenta; ad conſervationem terræ acquiſitæ, & auctore Domino acquirendæ aliquid ſubventionis auxilium de bonis eccleſiarum & monaſteriorum regni Caſtellæ ipſi fieri faceremus. Quia vero decet Eccleſiam hoc Chriſti negotium pietatis ſtudio proſequi ac favore, ipſius Regis devotis ſupplicationibus inclinati mandamus, quatenus de proventibus eccleſiarum & monaſteriorum ipſorum ſubſidium viginti millium aureorum monetæ regni prædicti ad opus præfatum faciatis eidem annuatim per triennium exhiberi, diviſo per ſingula hujuſmodi onere juxta proprias facultates. Dat. Reate* III. *non. ſeptemb. pontificatus noſtri ann.* X. Abſolvamus res Hiſpanicas egregio Ferdinandi Regis juſto in hæreticos odio concitati facinore, qui cum aliquos Palentiæ ea lue infectos deprehendiſſet, candenti ferro æternis infamiæ notis in vultu inuri juſſit; ii vero calamitatis illius ſenſu ad pœnitentiam ducti conciliari Eccleſiæ, ſolvique anathemate demiſſe flagitarunt: quam provinciam Gregorius Pa-

(*d*) Greg. l. 10. ep. 215.

Ferdinandus hæreticos candenti ferro inuri jubet.

(a) *Lib.* 10. *ep.* 182.

Palentino epiſcopo contulit ( *a* ).

LXI. Non in meridionalibus modo regionibus, verum in ſeptentrionalibus etiam amplificata religio : tot enim in Pruſſia populi illatum Evangelii lumen admiſere, ut plures jam in ea inſtitui epiſcopatus poſſent, quo accepto Gregorius Guillelmo epiſcopo quondam Mutinenſi Apoſtolicæ ſedis legato in mandatis dedit ( *b* ), ut de aliquorum conſilio limites cuique epiſcopatui præſcriberet ac definiret; tum e Dominicana familia tres religioſos viros ad eos populos excolendos, informandoſque Chriſtiana pietate, epiſcopalibus ſacris initiaret : *Cum exultatione ſpiritus intellecto, quod divina faciente potentia tantum de Pruſſiæ partibus ſit Chriſtiano dominio ſubjugatum, ut ibidem poſſint limitari diœceſes, & epiſcopi inſtitui, ac eiſdem congrue de bonis temporalibus provideri, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut Deum habendo præ oculis, de conſilio & aſſenſu dilecti filii præceptoris & fratrum hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum in partibus illis morantium, in eiſdem partibus limitare diœceſes, & tres de fratribus ordinis Prædicatorum dumtaxat ibidem inſtituere valeas, ac eoſdem etiam, adſcito canonico epiſcoporum numero, conſecrare. Dat. Interamne* III. *kal. junii ann.* X. Eidemque legato, ut magis ad divinam gloriam conferret locorumque exigeret neceſſitas, epiſcopatus transferre vel in plures dividere, vel conjungere poſſet, commiſit ( *c* ).

(b) *Ep.* 88. Amplificata in Pruſſia Chriſtiana religio.

(c) *Lib.* 9. *ep.* 369.

LXII. Reſtitui juſſæ Lundenſi arch. ereptæ a crucigeris provinciæ.

Cumque Andreas archiepiſcopus Lundenſis epiſcopatus tres in Eſtonia ad fidem Chriſti traducta excitaſſet, nimirum Lealenſem, Wironenſem, & Ravallenſem, fratreſque crucigeri eos occupaſſent, Gregorius datis ad Guillelmum legatum apoſtolicis literis, dicto archiepiſcopo reſtitui imperavit ( *d* ). Ne vero recens necdum confirmata religio in iis regionibus everteretur, ac fides defloreſceret, ſi poſt tot ſuſceptos in Evangelii ſpargendo ſemine labores, fideles ab impiis, qui ſuperſtitionum tenebris adhuc involuti eſſent, proteri ſinerentur, Pontifex illorum ſaluti conſulturus legato injunxit, ( *e* ) circumpoſitos populos ad paganorum impetus contundendos excitaret, nuncupataque de Hieroſolymitana profectione vota, in ſacram adverſus ethnicos expeditionem converteret : quod opus arduum ut lubentius amplecterentur, populis liberales indulgentias ad bellum profecturis impertitus eſt.

(d) *Lib.* 10. *ep.* 19.

(e) *Ibid.* *ep.* 382.

Ad comprimendos barbaros arma correpturis indulgentiæ propoſitæ.

*Gregorius, &c.*

*Ne terra vaſtæ ſolitudinis, quam Dominus in partibus Livoniæ, Semigaliæ, Curoniæ, ac Eſtoniæ per miniſterium Prædicatorum adducens ad cultum nominis Chriſtiani de ſemine verbi ſui fecit nova fidelium ſegete pullulare, quod abſit, in ſalſuginem redigatur; ſed potius creſcens in meſſem in fructum exuberet opportunum, expedit ut Chriſti fideles a paganis, qui adhuc gentiles erroris horrore ſunt hiſpidi, nunquam ſpinis nullatenus opprimi permittantur, ſed potenter defendantur ab eis alias congruis auxiliis confovendi, quatenus non ſolum a veritatis ipſi tramite deviare cogantur, verum etiam in fide fortius radicati converſionem aliis valeant efficacius ſuadere. Quantus enim dolor quantuſve pudor eſſet populo Chriſtiano, & maxime circumpoſitæ regioni, ſi terra plurimis laboribus & expenſis Domino acquiſita per deſidiam fidelium perderetur?*

*Ut igitur tam arduum negotium fidei ſalubriter promoveri valeat, divina clementia miſerante, ac feliciter conſummari, fraternitatem tuam monemus & obſecramus in Domino, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus aſſumpto prædicationis officio propter Deum, pauperum cruceſignatorum in Bremenſi provincia, nec non in Magdeburgenſi, Havelbergenſi, & dimidia Brandeburgenſi verſus Albeam, in Verdenſi, Mindenſi, & Padeburnenſi diœceſibus, ac Gotlandia, cum quibus duximus diſpenſandum, vota peregrinationis convertens in ſuccurſum fidelium prædictorum tam eos, quam alios fideles in eiſdem provincia & diœceſibus conſtitutos, ad nimiam charitatem, qua Chriſtus eos dilexit & diligit, reſpectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ retribuit ipſe illis, monitis & exhortationibus tuis ſecundum datam tibi a Deo prudentiam, informare procures diligenter & ſolicite; poſtulans ut ipſi redempti pretio glorioſo, in quos tanquam viros Chriſtianos & catholicos cadere opprobria exprobrantium Chriſto debent, ſe viriliter & potenter accingant, velut zelum Dei habentes ad ampliandum nomen fidei Chriſtianæ, & liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi ſecundum tuum conſilium & acturi ita, quod & ipſis præmium debeatur æternum, & infideles non poſſint, quod impune Chriſti nomen impugnaverint, gloriari.* LXIII.

*Circa perſonas vero & terras, quas Dominus ad fidem vocaverit, taliter provideas, quod neophyti congrua libertate gaudeant, ordinentur eccleſiæ & dotentur, nec infeudentur decimæ, & terra ſine noſtro beneplacito nullatenus dividatur. Præterea epiſcopos aſſecutos jam ſedes, quorum eccleſiæ ſunt dotatæ, fratres quoque militiæ Chriſti obtinentes poſſeſſiones & caſtra, & cives Rigenſes cum habeant civitatem; necnon neophytos, qui per munimen caſtrorum aliquam tutelam habere noſcuntur, moneas diligentius & inducas, ut cum peregrinorum auxilio ad faciendas munitiones pro neophytis paganis expoſitis, & ad ordinandas ſedes epiſcopis adhuc vagantibus intendant fideliter & devote.* LXIV.

*Cum*



*Cum autem multa neceſſitas exigat, ut illuc fidelium ſubſidium tranſmittatur, & dignum ſit, ut in tanto negotio laborantes debita pro labore ſtipendia conſequantur, ut libentius ſecuri de retributione procedant; nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, tam cruceſignatis, quam ſignandis ad hoc in provincia & diœceſibus ſupradictis, qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint & expenſis; & eis qui in alienis expenſis illuc acceſſerint, ibidem ad minus per unius anni ſpatium Domino ſervituri, ſeu illis qui ad ſubventionem prædictorum fidelium de propriis facultatibus miniſtrabunt, illam remiſſionem peccaminum indulgemus, quæ conceditur prædictis modis ſubvenientibus Terræ ſanctæ. Dat. Viterbii* XII. *kal. martii ann.* IX.

LXV. Chriſtianæ copiæ ab infidel. in Livonia profligatæ.

(a) *Stad. in chr.*

Concurrere plures tuendi Chriſtiani nominis ſacra cupiditate pellecti, quorum partem ſanguinem pro Chriſti nomine ſuperioribus bello infidelibus divinæ providentiæ arcano conſilio profudiſſe refert Stadenſis ( *a* ): *Hoc anno facta eſt maxima ſtrages peregrinorum in Livonia circa feſtum Mauritii.* Potuit calamitatem hanc parere funeſta Chriſtianorum diſſenſio : arſerat enim graviſſima contentio inter Daniæ Regem, fratreſque militiæ Chriſti cujuſdam arcis Revaliæ in Livonia ſitæ occaſione, quæ cum primum a Dano e manibus ethnicorum avulſa, dein in ſervitutem hoſtium recidiſſet, religioſi equites Theutonici eo inſcio arcem obſidione cinctam in ſuam poteſtatem redegiſſent, atque adeo eam Daniæ Rex, ut ſui quondam juris ab ipſis repeteret, illique occupatam reſtituere negarent; ad ea diſſenſionum præſocanda ſemina, Gregorius reddendam Dano expenſaſque a fratribus factas refundi, ac firmam in eos legati opera pacem conjungi aſtringique juſſit, ut datæ literæ ad Guillelmum epiſcopum olim Mutinenſem ( *b* ) teſtantur; cui etiam injunxit, inquireret ( *c* ) contra Poloniæ principes, qui eccleſias nequiter opprimebant, tum ut Henricum cum barba nuncupatum Sleſiæ ducem epiſcopo Gneznenſi & aliis eccleſiaſticis viris inflictas injurias ac damna ſarcire compelleret ( *d* ); ſimileque argumentum ad quoſdam abbates exaratæ complectuntur ( *e* ). Aſpiraſſe illum ſcribit ( *f* ) Longinus ad totius Poloniæ monarchiam, cum depulſo Conrado Sandomirienſem, Cracovienſem, & Lublinenſem principatus tutorio Boleſlai pudici nomine obtinuiſſet, atque Vladiſlaum Othonem majoris Poloniæ ducem bello petiiſſe Gneſnamque, jam redacta in ſuam poteſtatem reliqua ditione, obſidione cinxiſſe : ſed obſeſſorum virtute crebriſque eruptionibus fatigatum inde exercitum removere coactum fuiſſe, cujus belli occaſionem Gneſnenſi epiſcopo viriſque eccleſiaſticis damna videtur intuliſſe, quæ a Pontifice ab ipſo reſarciri juſſa ſunt.

Exitialis inter Regem Daniæ & Crucigeros diſcordia ſublata a Gregor.

(b) *Lib.* 10. *ep.* 30.

(c) *Ep.* 127.

Henricus Sleſiæ dux Gneznenſi ep. damna illata ſarcire juſſus.

(d) *Ib. ep.* 128. 129.

(e) *Ep.* 24.

(f) *Long. hiſt. Pol. l.* 7. *hoc anno.*

Gnezna ab illo fruſtra tentata.

LXVI. Bela Ung. Rex ob bona Eccleſ. occupata corripitur.

Expoſitis etiam prædæ in Ungaria eccleſiaſticis viris ſubvenit Gregorius, cum Bela Rex, ſpretis ſororis ſuæ ſanctæ Eliſabethæ exemplis, improborum hominum conſiliis abreptus avaras manus in opes eccleſiaſticas iniiceret, bonaque Ciſtercienſi ordini partim hoſpitali Hieroſolymitano, partim militiæ Templi, partim S. Lazari ac S. Samſonis religioſis viris majorum liberalitate conceſſa invaderet : quare tantam injuriam non æquo animo laturus Pontifex, ne ejuſdem ſceleris, ſi ignavo ſilentio præteriret, particeps videretur, graviſſimis literis tantum crimen in oculis illi defixit, ( *g* ) cenſuraſque ni male cœpta emendaret intentavit : *Cum exceſſus hujuſmodi deteſtabilis & enormis, etſi gravis ſit admodum in ſeipſo, tamen gravius eſt exemplum, quia delinquentibus qui præcedunt, facile corruunt qui ſequuntur, & digni tot mortibus ſunt qui præſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Ne igitur tibi, quem de corde puro, & conſcientia bona diligimus, ſimus perditionis occaſio, & nobis etiam cauſa mortis, ſi ad correctionem tuam ex officii noſtri debito non pro viribus laboramus; quin potius periculum noſtrum, tuamque perniciem vitare volentes, celſitudinem regiam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, ac in remiſſionem tibi injungimus peccatorum, quatenus reſtituas ſine difficultate qualibet ſic ablata, & de perceptis inde fructibus & illatis damnis ſatisfacias competenter, ita quod exinde Deum tibi propitium ſtatuas non offenſum, ut cum venerabilis frater noſter Guerienſis epiſcopus ad nos acceſſerit, qui ex parte tua dicitur ad ſedem Apoſtolicam deſtinandus, quanto nos & fratres noſtri de offenſa præmiſſa ſumus gravius conturbati, tanto de ſatisfactione ſecuta jucundius gratulemur. Alioquin quantumcumque tenerius te amemus, quia non eſt deferendum homini contra Deum, nec poſſimus tantam Dei injuriam conniventibus oculis pertranſire, ſuper hoc juxta officii noſtri debitum actore Domino procedemus. Dat. Viterbii* XVII. *kal. februarii pontific. noſtri ann.* IX. Simili crimine famam corruperat, ac inquinarat Colomanus Belæ frater Ruthenorum Rex, ac Sclavoniæ dux : nonnullis enim ſacræ militiæ Templi equitum poſſeſſionibus occupatis, concordiaque poſtea Colocenſis archiepiſcopi opera inita, erepta reſtituere, ac ſacramento ſtare neglexerat; proinde ne illa labes ipſius gloriæ hæreret, diutius Pontifex flectere ad officium atque adducere ſtuduit ( *h* ): tum epiſcopum, ac præpoſi-

(g) *Lib.* 9. *ep.* 346.

Colomanus ob ſimile crimen objurgatus.

(h) *Ib. ep.* 349.

poſitum Quinqueclesienſes Regem ad complenda promiſſa ſolicitarent monuit (*a*).

(*a*) *Lib.* 10. *ep.* 171.

LXVII. Zibiſclaus Boſnen. ob religionis zelum commendatus a Pont.

Ut vero in prævaricatoribus emendandis principibus incubuit Pontifex, ſic in iis, qui pietatis laude florerent, amplectendis fovendiſque facilem ſe ac liberalem præbuit; ita Banum Boſnenſem qui puram ac illibatam fidem, vicinis principibus hæretica impietate contaminatis, ſervabat in ſuam clientelam recepit (*b*).

(*b*) *Ib. ep.* 183.

*Nobili viro Zibiſclao.*

Admiſſus in clientelam ap.

*Te qui ſicut lætantes accepimus inter principes Boſnenſis diœceſis infectos macula hæreticæ pravitatis exiſtis, quaſi lilium inter ſpinas proſequendo ſolicite, per quem valeat augumentum Chriſtiani nominis auctore Domino provenire, ſinceræ charitatis brachiis amplexantes, perſonam & terram tuam cum bonis omnibus quæ in præſentia rationabiliter poſſides, ſub beati Petri, &c. Datum Reate ſexto idus auguſti.* Illius etiam matrem eodem beneficio eſt proſecutus (*c*), deque his Strigonienſem archiepiſcopum, ac ſuffraganeos fecit certiores (*d*): iiſdemque Aſanis Bulgarorum Regis, Vatacio Græco infeſtiſſimo Latinorum hoſti fœdere conjuncti anathemate percellendi, ſi ab impia ſocietate divellere non poſſent, provinciam demandavit (*e*).

(*c*) *Ib. ep.* 185.
(*d*) *Ep.* 184. 186.

Intentatæ Aſani cenſuræ ni ſe a Vatacii ſocietate divellat.

(*e*) *Ep.* 94.

LXVIII. Aſanes a Vatacio diſcedit.

Abrupiſſe Aſanem initum cum Vatacio Græcorum Imperatore fœdus ſcribit Georgius Acropolita Logotheta, non quidem intentati pontificio juſſu anathematis, ſed nimiæ Vatacii potentiæ metu, ne ſi ille Conſtantinopoli potiretur, poſtea in ipſum bellum converteret, cum nonnullas Græcorum imperii provincias occupaſſet. Qua vero arte filiam quam Theodoro Vatacii filio deſponderat, rapuerit deſcribit auctor (*f*): *Aſanus pactorum, quæ cum Joanne Imper. ſanxerat, pertæſus, quemadmodum filiam a marito Theodoro Imp. avelleret, & alii collocaret (Romanorum namque in meliora progreſſum * gentis ipſe Romanis obnoxiæ occupator) modum quærebat. Meditatur itaque cauſam juſtam illam quidem atque conſpicuam, licet expertos rerumque gnaros conſilium hominis non præteriret, mittitque ad Imp. atque Imperatricem legatos, qui referrent ſe cum uxore, dum Adrianopolim veniſſet, filiolamque intueri velle, & paterna neceſſitudine amplecti, exoſcularique aliaque uti par eſſe videbatur, explere: rurſum ſe eam ad ſocerum conſortemque thalami remiſſurum. Joannes Imp. & Imperatrix Erena etſi fabulam ad amuſſim callerent, & plene technas, ac machinas cognoſcerent; mittunt tamen ad Aſanum filiam, hoc enuntiato, ſi ille filiam retinuiſſet, & a legitimo conjuge ſeparaſſet, eſſe Deum, qui omnia conſpicit, pœnamque jurisjurandi, & fœderum ſub teſte Deo initorum violatoribus infligit. Sed Bulgarus filia recepta abiit, omnibus eum ſequentibus longe retro relictis; ac Hæmum prætergreſſus Trinobum contendebat, cum illacrymaretur filia, ejularetque, ſeque a ſocro Imperatrice Erena atque conjuge ſeparatam eſſe anxie, ac nimium indoleret. Fama eſt Aſanum eam ante ſui equi ſagulum collocaſſe, digitiſque in faciem percuſſiſſe minatumque acriter fuiſſe, ni ſilentio raptum ferret, ſe in eam omnia quæ illi probro eſſent executurum.* Hæc Logotheta, qui his præmiſerat Conſtantinopolitanum Imperium ob illam Aſanis & Vatacii conjunctionem depreſſum, atque in extremum periculum conjectum fuiſſe.

(*f*) *Georg. Logoth. interp. Leon. Allat.*

Filiam Vatacii filio deſponſam aſtu rapit.

* *invidebat*

LXIX. Depreſſæ res Conſtantinop. imperii.

Concuſſum quidem tum, ac labefactatum admodum fluctuaſſe Gregorii in conciliandis illi auxiliis, ne funditus everteretur, ſolicitudo literæque (*g*) oſtendunt ad Cameracenſem, Tornacenſem, & Atrebatenſem epiſcopos in Galliis; in Ungaria vero ad Colocenſem & Strigonienſem archiepiſcopos miſſæ, quibus poſtquam Vatacium multis locis qua vi qua deditione in ſuam poteſtatem redactis, aliiſque exciſis ferocientem imminentemque reliquæ Latinorum in Græcia ditioni deſcripſit, quadringentorum cataphractorum equitum, qui ſe Aſiaticæ expeditioni aſtrinxiſſent, vota cum expeditione Conſtantinopolitana commutari, ac ſe cum aliis Joannis Brenni, & Balduini conſanguineis conjungere juſſit, præmiaque indulgentiarum illis propoſuit.

(*g*) *Lib.* 10. *ep.* 282. & *reg. poſt eand. ep.*

Urget Gregor. Ungaros Galloſque ad ſubmittenda auxilia.

*Gregorius, &c.*

*Ad ſubveniendum Imperio Conſtantinopolitano multiplex cauſa catholicos viros inducere, multiplex ad condolendum ejus doloribus ratio eos poterit admonere: in cujus exterminio corpus orientalis eccleſiæ in gravium fruſta ſchiſmatum ſcinditur, ac ſubſidium Terræ ſanctæ plurimum impeditur: in cujus exterminio ager Dominicus diverſarum hæreſum ſpinis occupatur & tribulis, & omnium Latinorum timetur periculum in partibus habitantium orientis. Illud enim ad hoc ipſos debet efficaciter exhortari, quod in ſubventione præfati Imperii oppreſſi pro Eccleſia, & fide catholica cœleſtem procul dubio poterunt gloriam promereri. Hinc eſt quod cum Vatacius Dei & Eccleſiæ inimicus graviter Imperium ipſum oppreſſerit, & plures ipſius civitates & loca capiens, ea funditus devaſtarit; nos attendentes, quod in ipſius conſervatione Imperii ſpecialiter Terræ ſanctæ ſubſidium noſcitur promoveri, & ſi, quod abſit, dominio Græcorum, qui magis Latinos oderunt quam pagani, ſubiicitur, de facili ejuſdem terræ diſſidium ſequeretur, mandamus quatenus vota quadringentorum militum regni Franciæ, & præter eos nobilium virorum conſanguineorum illuſtris Imperatoris Conſtantinopolitani, & nobilis viri Balduini, ad quem Imperium ipſum ſpectat, & familiarium ſuorum truceſignatorum, quorum ad id conſenſus acceſſerit, in ſubſidium præfati Imperii, non obſtante juramento quod ſe ad transfretandum in Terram ſanctam obligaſſe dicuntur, auctoritate apoſtolica commutantes, tam eos quam alios, qui de novo veſtris inducti monitis in ſuccurſum ipſius aſſumpſerint ſignum crucis, præceptis moneatis ſalutaribus, & inducere procuretis, ut ſine moræ diſpendio ad ſuccurrendum ipſi Imperio iter arripiant, & ad id feſtinanter & viriliter ſe accingant, ſpe ipſis propoſita, quod dum in eodem Imperio terræ præfatæ ſubveniunt, duplicatum remunerationis divinæ præmium reportabunt. Datum Interamne* VI. *idus decembr. anno* X.



LXX.

Solicitatus (*a*) præterea Achajæ princeps, ut vectigalium eccleſiaſticorum partem ad Conſtantinopolitano Imperio ſuppetias ferendas derivaret. Cumque patriarcha Conſtantinopol. bonorum parte a Græcis exutus eſſet, aliamque in ſumptibus bellicis pro Imperio exhauſiſſet, Pontifex archiepiſcopos, epiſcopos, cæteroſque Moreæ, quæ olim Peloponeſus dicebatur, præſules neceſſaria illi ſubminiſtrare imperavit (*b*): *Venerabilis frater noſter patriarcha Conſtantinopolitanus ſua nobis petitione mandavit quod, cum ipſe propter guerrarum diſcrimina, & Græcorum malitiam, fere omnes redditus, & alia amiſerit bona ſua, & ea quæ habuit expenderit pro ſubſidio Imperii Romaniæ, nec ſibi remanſerit unde valeat ſuſtentari, univerſitatem veſtram rogandam duximus & hortandam per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ſic ei in neceſſariis providere curetis, quod idem in illis partibus ad utilitatem præfati Imperii valeat remanere, & nos devotionem veſtram dignis poſſimus in Domino laudibus commendare. Datum Interamne* X. *kalen. decembr. anno* X.

(*a*) *Ib. ep.* 293. 294.

(*b*) *Ep.* 270.

I. CRuentata eſt Inſubria anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo indictione decima, converſo in mutuas cædes Chriſtianorum ferro, quod ſtringere in hoſtes fidei debuerant; unde debilitatis fidelium viribus ſchiſmatici in Græcia, Sarraceni in Syria Eccleſiam magnis cladibus attriverunt; cum nullas muneris apoſtolici partes prætermiſit Gregorius, ut emergens malum præfocaret, indictamque annis præteritis expeditionem ſacram urgeret. Oſtienſem enim epiſcopum, ac Thomam S. Sabinæ presbyterum Cardinales legatos, quos extremo ſuperiori anno miſerat, tum pacandis (*a*) Inſubriæ, marchiæ Tarviſinæ, ac Romaniolæ populis, tum concordiæ inter Inſubres, ac Fridericum conciliandæ incumbere juſſit. Solicitaverat ipſum ad eam agitandam Fridericus, cum ex Italia ob Germanicas turbas, ut vidimus ſuperius, revocatus eſſet, inſtititque, uti Pariſius refert, (*b*) ad recuperanda ſibi Imperii jura, quæ violarant Inſubres, auxilium porrigeret [1].

Fallacia Friderici poſtulata.

(*a*) *Lib.* 11. *ep.* 80.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

II. Non reſpuit Imperatoris preces, ut docet auctor, ſed ex paterno ſtudio, quo univerſos complectebatur, ita jura imperialia aſſerere ſtuduit, ut Inſubrium etiam ſaluti conſuleret, ipſoſque concordiæ ſaluberrimo tractatu adducere ad obſequium meditaretur. Edixit (*c*) itaque Mediolanenſibus, procuratores ſumma inſtructos auctoritate intra octavum a feſto Pentecoſtes excurrentem diem Mantuam tranſmitterent, qui una cum Imperatoris oratoribus de componenda controverſia coram legatis Cardinalibus agerent: caverent ipſi tractatum concordiæ diſſolvere, ne in ea ſe pericula, ac difficultates conjicerent, e quibus non ſine immenſis laboribus ſe expedire poſſent:

(*c*) *Lib.* 11. *ep.* 89.

III. *Satis, & ſcimus quod nos ſuper iis, quæ inter imperialem excellentiam & vos & Lombardos vertuntur, ſolicitudinem patris habentes, diverſa ſtuduerimus invenire conſilia, & experiri labores, ut ejuſdem finis poſſet laudabilis annuente Domino provenire. Idem autem tanto plenius & nunc efficere volumus, quanto dilationis locus de cætero non occurrit, & chariſſimo in Chriſto filio noſtro Frederico Romanorum Imperatori a nobis per ſpeciales nuntios requirente, ut ſibi ex noſtro aſſiſtamus officio, deeſſe in ſuo jure non poſſumus, qui ſumus omnibus in juſtitia debitores. Quinimmo quia in omnem eventum expedit, ut vitato diſcrimine imminenti, quæ ſunt cauſa diſcordiæ pro veſtra & tranquillitate Imperii, ac pro dirigendo feliciter Terræ ſanctæ negotio divina providentia faciente ſalubriter ſopiantur. Id-*

Juſſi Inſubres Mantuam oratores pro tractanda concordia mittere.

NOTÆ [1] HOc anno menſe januario Conradus Friderici imperatoris filius ex Jolanda Johannis regis Jeroſolymitani filia in regem Romanorum electus fuit; quæ res cum non ſatis inter veteres explorata fuerit, ideo diligenter hic inveſtiganda. Nec ſane admodum operoſa eſſet indagatio, ſi acta illa electionis Conradi, quæ ex vetuſto codice vulgavit Baluzius miſcellan. to. I. pag. 472. integra eſſent, & non luxata. Sed cum neque locum ubi conventus principum habitus fuit, neque adſcriptum annum ferant, ideo inepta ſunt, ut ex illis certi aliquid repetatur. F. Franciſcus Pippinus in chronico, quo ab anno 1176. uſque ad annum 1314. res in orbe geſtas proſequitur, vulgaturque a Muratorio Rer. Italic. tom. IX. pag. 583. in ejus operis lib. III. cap. II. eadem electionis acta ſinceriora & ſaniora recitat. In his legimus conventum illum principum habitum fuiſſe Viennæ in Auſtria, & in ſubſcriptionibus, quamvis reſectæ ſunt, tamen Patriarcha Aquilejenſis ſupereſt, & principum electorum nomina expreſſa continent. Ad eruendum igitur annum aſſumpti in regem Conradi, quærendus conventus iſte Viennenſis, qui poſt initium anni 1235. quo Henricus e ſolio in carcerem detractus fuit, & ante medium anni 1237. coiverit; nam Godefridus ad eumdem annum notat Fridericum confirmari in Spirenſi colloquio curaſſe electionem Conradi ex Auſtria nunciatam. Opportunum vero accidit nobis diploma Friderici pro monaſterio S. Crucis Ciſtercienſi in Auſtria vulgato a Ludewig in reliquiis to. IV. pag. 254. Datum eſt Viennæ, & munitur teſtimonio plurium imperii principum, inter quos Aquilejenſis patriarcha eminet, nec deſunt archiepiſcopi, Moguntinus, Saliſburgenſis, Trevirenſis, & Ratiſponenſis ac Bambergenſis epiſcopi cum duce Bavariæ, Langravio Turingiæ, quorum omnium ferme nomina in decreto electionis Conradi leguntur. Perſpicue hæc demonſtrant diploma illud datum fuiſſe in conventu, in quo Conradus rex ſalutatus fuit. Cum vero conſignetur anno 1236. menſe januarii indictione X imperii Friderici anno XVII. hinc diſcimus anni 1237. januario menſe (nam his caracteribus annus iſte exprimitur) Conradum Henrico amoto, & coacto juri ſuo renunciare ut in iis actis exprimitur, ſubſtitutum fuiſſe. Quam meam conjecturam egregie confirmat vetus italica verſio eorumdem actorum, quam nuper ex manuſcripto codice vulgavit Cl. Lamius in Deliciis ad chronicon imperatorum Leonis Urbeventani pag. 235. In ea enim ſervatus eſt electionis hujus annus qui in Latinis actis reſectus fuit. Ita vero exprimitur. *Nell' anno dell' Incarnazione MCCXXVI. nel XVII. anno dell' imperio del noſtro ſignore meſſer Federigo ſecondo*. Mendoſe hic annus MCCXXVI. pro MCCXXXVI. notatur, ut ex annis imperii Friderici liquet. Hac vero poſita emendatione deducimur ad annum 1237. ante martium, quo & annus 1236 ſtylo veteri adhuc decurrebat, & annus imperii XVII. Fridericiani nondum effluxerat. MANSI



IV. *Ideoque præſentium vobis auctoritate mandamus, & bona fide conſulimus, quatenus poſt ſuſceptionem earum procuratores veſtros Mantuam tranſmittatis ſuper prædictis ita ſufficienter inſtructos, & pro parte veſtra plenum mandatum habentes, ut omni ſubterfugio & occaſione, ſeu neceſſitate vos iterum conſulendi poſtpoſitis, conſiliis mandatis & monitis venerabilis fratris epiſcopi Oſtienſis, & dilecti fratris noſtri Thomæ tit. S. Sabinæ presbyteri Cardinalis, quos ad partes ipſas propter hoc cum plenæ legationis officio providimus deſtinandos, parere poſſint in omnibus reverenter. Datum Viterbii* VIII. *kalendas julii anno undecimo* [1].

Legati Cardd. eo deſtinati

Miſſos vero oratores a Friderico ad ſedem Apoſtolicam, ut ipſius auxilium ad jura Imperii defendenda implorarent, fuiſſe Hermannum [1] ac Petrum e Vineis tradit Richardus (*a*): *Menſe aprili magiſter domus Theutonicorum, & magiſter Petrus de Vinea miſſi ab Imp. ad Papam veniunt pro facto Lombardiæ*. Cujus auctoris verba cum Pontificiis literis ad Fridericum miſſis conſentiunt, quibus Gregorius Imperatori ſignificavit ab Hermanno, & Petro e Vineis expoſita intellexiſſe & ne detractorum ſuſurros, qui ipſius animum contra Eccleſiam exaſperare niterentur, ad aures admitteret admonuit (*b*): non defuturum ſe illius cauſæ, ad quam aſſerendam legatos Cardinales mitteret.

(*a*) *Rich. e S. Germ. in chron.*

(*b*) *Lib.* 11. *ep.* 88.

V. *Diligenter auditis, quæ dilectus filius magiſter hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum, & magiſter P.... de Vinea coram nobis, & fratribus noſtris ex parte tuæ celſitudinis retulerunt, digne providimus, ut cum inter alios terræ principes te ſpecialem Eccleſiæ filium reputemus, & tuæ diligamus proſperitatis augumentum, pro tua & Imperii fovenda juſtitia venerabilem fratrem epiſcopum Oſtienſem, & dilectum filium noſtrum Th.. tituli S. Sabinæ presbyterum Card. in Lombardiam cum plene legationis officio mitteremus, corde gerentes, ut quicquid tuis infundatur auribus linguis fallacibus detractorum, operis effectu pateat, quod de tuis ſecundum Deum procurandis honoribus, aliquid opportunis temporibus mater Eccleſia non omittat. Provideat itaque tua ſerenitas, ut & tu circa ipſam ſic quæ ſunt devoti filii proſequaris, quod & Deum tibi conſtituas digne propitium, & ab eadem Eccleſia optatam percipias affluentiam gratiarum. Dat. Viterbii* x. *kalend. julii*.

VI. Meminit quoque hujus legationis Richardus his verbis (*c*): *Magiſter domus Theutonicorum a Papa ad Imperatorem revertitur, epiſcopus Oſtienſis & Thomas Capuanus S. Sabinæ presbyter Card. legati ad Imperatorem vadunt ex parte Papæ*. Verum ipſos a Friderico repulſos inferius ait: *Menſe octobri Imp. cepit Mercariam in Lombardia, & cum nollet habita Mantua alloqui Cardinales, ipſi Romam reverſi ſunt*. De ea Friderici arrogan-

Mercaria & Mantua potitur Frid.

(*c*) *Rich. e S. Germ. in chron.*

Eo ſucceſſu tumidus concordiæ tractatum diſſolvit.



NOTÆ [1] EPiſtola Gregorii, quæ hic in annalibus ad Mediolanenſes data legitur, encyclica fuit; nam ejuſdem omnino tenoris literas ad alias per Longobardiam gentes tranſmiſſa. Earum unam ad Bixienſes ſcriptam ſervavit Cl. Hahanius in collectione monumentorum tomo I. pag. 135. apud quem extat alia pariter epiſtola Friderici ad Gregorium, in qua imperator nonnulla, quæ in colloquio Mantuano diſcuſſa fuerant, tangit. Narrat enim ibi deſtinaſſe ſe Mantuam ad tractandum de pace *fratrem Henricum venerabilem magiſtrum hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum una cum Rhegienſi epiſcopo*; eo vero acciviſſe Brixienſes, & Mantuanos, ut in communi de pace deliberarent. Subdit vero, quamvis ſub verborum ambage, tandiu colloquium illud ſe diſtuliſſe, donec ſignis collatis Mediolanenſes profligaret. Adepta dein victoria Cremonam ad imperatorem venerunt Epiſcopi Cumanus, (Comenſis) & Pergamenſis, (Bergomi) ſed imperator negavit velle ſe per internuntios cum ſubditis ſuis de pace tractare; ipſi per ſe venirent. Eo ſe conferentes Fridericus in conſpectum ſuum admittere recuſavit; deſtinavitque Petrum de Vineis & Thaddeum de Sveſſa (Sinveſſa) cum Henrico magiſtro Theutonicorum, ut Mediolanenſibus duras pacis conditiones proponeret; quas illi recuſarunt. Hæc ſumma literarum, quas Fridericus ad pontificem dedit, quibus perſpicue demonſtratur anno tantum ſequenti datas illas fuiſſe, ut ex iis quæ notat annaliſta ad eundem annum num. 69. planum eſt.

Cæterum quod colloquium Mantuanum diſſolveretur, vel alio transferretur cauſa non tam Friderico, quam etia legatis apoſtolicis forte imputanda eſt. Id colligo ex epiſtola eorundem legatorum ad pontificem, cujus fragmentum ſervavit Thomas Capuanus in dictatore, vulgato in monumentis Hahnii to. I. pag. 349. in qua legati pontificem faciunt certiorem ſe Mantuam veniſſe poſt octavam Pentecoſtes, quo & legatos *rectorum ſocietatum* (Longobardiæ) conveniſſe, ſed cum peſtilentis morbi ſuſpicio non levis illos terruiſſet, Brixiam ubi aer ſalubrior, divertiſſe, ibique, inquiunt, *petitiones ex parte domini imperatoris oblatæ ſunt*, quibus adverſa pars ut reſponderet, dies illi prorogata fuit uſque ad feſtum S. Jacobi. Hæc in literis illis, ex quibus intelligimus dilatum a Friderico colloquium non Mantuam, ſed Brixiam indictum fuiſſe. MANSI

[2] NEſcio unde hauſerit annaliſta nomen Hermanni, quod magiſtro ordinis Theutonicorum tribuit. Ordinis illius in Germania præſidem, cui de pace tractatio ab imperatore commiſſa, in literis ejuſdem imperatoris hoc anno (quanquam in illis notæ chronicæ deſunt) Henricus appelletur. Literas haſce debemus curæ Cl. Hahnii, qui in collectione monumentorum to. I. pag. 218. illas vulgavit. MANSI

Turpiter aditu ſuo Cardinales arcet.

gantia in non admittendis ad colloquium Cardinalibus queritur graviſſimis verbis Gregorii vitæ auctor: *Eam aſſumpſit in Eccleſia humilitate ſuperbiam, ut ſuam eis præſentiam, quam interdum turpibus immiſcet commerciis, denegaret, in modico felicitatis indicio cuncta pro voto ſibi mentiens ſucceſſura: qui tandem abſque ulla proſecutione negotii redierunt.*

VII. Arriſere quidem Friderico, qui potentiæ ſuæ univerſam Italiam ſuccubituram ſperabat, felicia belli principia, quamquam poſtea triſtes & funeſtos exitus habuerunt: magna ille ſtrage Mediolanenſes ad flumen Olei delevit; de qua extant, apud Petrum e Vineis triumphales Friderici ad Pontificem & Cardinales literæ, quibus Richardus (*a*) aſſentitus refert Imperatorem victrici cinctum exercitu montem Clarum in Brixiano epiſcopatu cepiſſe, direptumque flammis tradidiſſe, perculſos metu Brixianos, in auxilium ſuum Mediolanenſes exciviſſe; qui contractis validiſſimis copiis in Imperatorem caſtra movere; ſed quanta clade cæſi profligatique ſegnitiei pœnas luerint, cum urgentiſſimis precibus a Pontifice ſolicitati, ut concordiam cum Friderico inirent, rem adeo traxere, ut tractandæ illius tempus re infecta labi permiſerint, deſcribit Petrus (*b*) e Vineis tumido, atque eleganti ſtylo.

(*a*) *Rich. in chron.*

Montem clarum expugnat. Mediolanenſes Brixianis opem ferunt.

(*b*) *Petr. de Vineis ep.* 13.

VIII. Atrox prælium committunt.

[1] *Die XVII. menſis novembris XI. indictionis utriuſque partis cunei præcurſores, per Crucis novæ campos alternis curſibus impetuoſe furentes hinc inde conſertis manibus invicem, clangore tubarum milites animantes, bellum terribile inceperunt; & ſubſequentibus turmis undique commixtis alterutrum cum hinc inde foret diu dureque certatum, tunc Mediolanenſium militia cæſareis viribus fortiter interrupta, & uſque ad ſuorum caſtrorum hoſpitia impulſa viriliter incepit curſu ruinæ multiplici jam labare: nam multifariæ cædis pernicie imperialis exercitus ignobile vulgus flagellando perurgens, campum ſanguineum præcipiti populo cumulabat. Sed quis poſſit illius diei narrare pericula? Quis valeret hoſtium acervos cadaverum ſcribere? Quis captivorum copiam numerare? Tandem enim Deus judex juſtus jura reſpexit Imperii, & ad tanti caſus interitum ſubito dejecit ſuperbiam Lombardorum, quod ipſo die teſte Mediolanenſes cum ſuis fautoribus florem militiæ, populique carrucium cum poteſtate viliſſime amiſerunt, & ex hoſtibus quotquot voluit quiſque de noſtris occidit, & quotquot voluit captivavit. Tandem relictis armis, tentoriis & curribus, ferri mortem irreparabilem populus fugiebat, ita quod major pars eorum in fluminibus ſe ſubmerſit.*

IX. Delentur magna clade.

*Tunc Cæſar præ omnibus militibus ſuæ virtutis potentiam eſt expertus: ipſe enim inimicos cunctos manu propria feriebat. Tum Theutonii ſuos gladios rubenti ſanguine rubricarunt: tunc felices fideleſque regni milites collaterales principis mirabiliter pugnaverunt: tunc miranda Papiæ militia ſe de Mediolanenſium militibus vindicavit, & fidelis Cremona cum ſociis civitatibus ſecures ſanguine ſatiavit, & ſuas evacuarunt pharetras Sarraceni. Nunquam*

NOTÆ [1] Non animadvertit annaliſta errorem, qui in literas ab eo recitatas Petri de Vineis irrepſit. Quo enim loco in eadem epiſtola expreſſa eſt dies, menſis, quo celebris Friderici pugna cum Mediolanenſibus commiſſa fuit, legendum eſt non quidem *XVII. menſis novembris*; hanc enim diem ſignat Richardus a S. Germano ſcribens: *IV. ſtante eodem menſe novembris*. Et author Cremonenſis chronici locum pariter certaminis cum tempore ipſo definit: *Una die Veneris quarta exeuntis novembris apud Curtis novam dominus imperator cum militia Papienſium, & Pergamenſium, & cum aliis ſuis militibus pugnaverunt cum Mediolanenſibus, & cum aliis de eorum ſocietate. Et Mediolanenſes amiſerunt Carocolum ſuum & innumerabiles fuerunt ibi mortui & capti. Et ipſo die captum fuit caſtrum Curtis nova, & ultima die ipſius menſis captum fuit per Bergamenſes caſtrum Paluſcis.* Chronicon illud extat apud Baluzium Miſcell. tom. II. pag 309. Diem pugnæ XXVI. novembris ſignat author, qui tunc Veronæ agebat, ſcribebatque chronicon Veronenſe Rer. Italic. to. VIII. col. 629. Quid ſit carrocolus optime explicat annaliſta hic num. XI. Ejus author, ſeu inventor a Corio Hiſtor. Mediolan. parte I. ex authoritate Galvanci Flammæ authoris hiſtoriæ, quæ *Manipulus florum* Inſcripta eſt, traditur Helibertus archiepiſcopus Mediolanenſis, qui circa annum 1036. florebat. Vetuſtior quidem origo, & plane barbara illi tribuenda eſſet, ſi genuina haberetur hiſtoria Turpini, de vita Caroli Magni; nam cap XVIII. ſcribit de Saracenis: *in medio illorum erat plauſtrum quod 8. boves trahent, ſuper quod vexillum rubeum illorum levabatur, moſque erat, quod nemo de bello fugeret quandiu vexillum eorum ereptum videret*. Sed cum hiſtoria illa apud eruditos omnes multo recentior Turpino ſit, adhuc ſupereſt ambigendi locus, num vera ſint quæ narrat, & num author morem hunc ex jam inducto Carocio poſt Mediolanenſium inventionem deduxerit. Videndus Ducangius V. *Carrocivum*, qui tamen in eo errat quod Heribertum hunc floruiſſe circa annum 1124. ſcribit. Hac facta chronologica emendatione, in cæteris Ducangii ſententia de Carrocii inventione Heriberto tribuenda veritati congruit, ut liquet ex Arnulpho, qui ſæculo illo res Mediolani geſtas ſcripto commentario legendo rer. Italic. to. IV. ſcribebat. Ita enim ille lib. 2. cap. 16. *Signum quod dimicaturos ſuos debebat præcedere, tale* (Heribertus) *conſtituit. Procera trabs inſtar mali navis, robuſto confixa plauſtro erigitur in ſublime, aureum geſtans in cacumine pomum, cum pendentibus duobus candidiſſimis veli limbis. Ad medium veneranda crux depicta Salvatoris imagine extenſis late brachiis ſuperſpectabat circumfuſa agmina &c.* MANSI



Non incruenta Friderico victoria fuit.

*quam enim in aliquo bello ſic fuerunt cadavera cumulata: & niſi nox feſtine veniſſet, quæ hoſtium ſubtraxit reliquias, nullus eorum de manibus Cæſaris evaſiſſet. Sed mira res quod in tanti belli conflictu imperialis exercitus extitit ſine damno.* Verum eam victoriam multo cruore Friderico conſtitiſſe docent nonnulli ſcriptores, tantumque in conflictu efferatis utrinque animis, militum ſuorum numerum aut ferro cæſum, aut ſauciatum vulneribus, ut expugnandi Mediolani ſpe dejectus, Cremonam, ut reficeret confirmaretque exercitum, regreſſus ſit; Mediolanenſes vero collectis animis redintegratiſque viribus, bellum Friderico denuntiaſſe, ſi præditus animo eſſet, aperte non furtive rem ageret, ac non ex comparatis latronum more inſidiis, ſed libero campo, ut ſolent magni duces, bello decerneret. Pergit Petrus:

X. Præfectus Mediolanen. cum inſignibus capitur.

*Sic itaque devictis hoſtibus & fugatis, cum triumpho venit Cremonam inclytus Imperator: indeque infortunatum carrucium Mediolanenſium cum poteſtate, filio ducis Venetorum, aliiſque captivis Cremonam accelerans: cum ſequenti die ad mandatum Cæſaris ſui vexilli pertica uſque ad terræ faciem rumpitur inclinata poteſtate ad decus ligata ſuperius, & multitudine gentium magnis applauſibus prætereunte, ab elephante, qui caſtellum ligneum, & tubas cum vexillis Imperii gerebat in dorſo, per Cremonam ad laudem & gloriam principis trahebatur. Vere de throno Dei ſententia prodit inferens judicium ultionis: nam nec occiſis ſufficiunt ſepulturæ, nec Cremonæ palatia multitudinem capiunt captivorum.* Hæc Petrus e Vineis. Cæterum captorum, & cæſorum numerum ad decem millia excurriſſe ſcripſit Fridericus Henrico Angliæ Regi: *Ut multa*, inquit, *compendio concludamus, tum capti, cum mortui, inter quos multorum Mediolanenſis factionis primates & principes corruerunt, decem millium fere numero computantur*. Ex quo Richardus, qui eadem mandavit hiſtoriæ, accepiſſe videtur; adiicitque Laudam inſequenti poſt partam hanc victoriam menſe Friderico ſe dediſſe.

Cæſorum & captorum Mediolanenſ. numerus.

XI. His conſentanea tradunt ſcriptores, tum de Petro Jacobi Teupuli Venetorum ducis filio capto, atque in Apuliam poſtea miſſo; tum de carrocio. Ingens is erat currus, quem plures juncti boves trahebant, quique pluribus in altum gradibus aſſurgens ſpeciem tribunalis egregio artis lenocinio exhibebat, variiſque circum ornamentis ad pompam erat inſignitus: videbantur quippe in eo defixa militaria vexilla, ac gentis & ſociorum, qui exercitui ſeſe junxerant, inſignia volitabant; inſtarque erat prætorii, juxta quod præfecti exercitus, tribuni, centuriones verſari, ac jus militi dicere, conſilia bellica agitare, dareque imperia conſueverant; tumque fuſus exercitus, ac parta victoria exiſtimabatur, cum in hoſtis manus carrocium perveniſſet. Eo Inſubres in ſignum arctiſſimi fœderis potiſſimum uſos tradunt, tum ut miles ad id defendendum majoribus animis dimicaret, tardiorque ad fugam eſſet, cum in fugam verſus exercitus carrocium ſervare non poſſet: de quo frequens mentio apud Italos ſcriptores (*a*) reperitur.

(*a*) *Ricord. Villan. & alii.*

XII. Captum porro Mediolanenſium carrocium ad oſtentationem victoriæ Fridericus, ut ſcribit Richardus, ad Romanos tranſmiſit, nimirum ut ſuæ potentiæ admirationem concitaret, atque a Pontificis obſequio ad ſuam ſervitutem alliceret. Non enim hunc illi defuiſſe animum præter ſuperiori anno dicta indicat Gregorii vitæ auctor, Joannem Centium ſenatorem, qui poſt graviſſimas diſſenſiones Joanni Poli, uti Richardus (*b*) refert, ſubrogatus fuerat, induxiſſe ut Pontificem aditu in Urbem arceret; ſed miſſa ab Romanis ſolemni legatione ad ſuam ſedem revocatus, atque ingenti pompa, effundente ſeſe illi obviam, atque fauſta acclamante populo, exceptus eſt. Cujus reditum præclari inſtar triumphi geſtorum ſcriptor poſt ingrati invidique Imperatoris conflata ad proſperos eos confundendos ſucceſſus conſilia deſcribit: *Ipſe ingratitudinis filius*, de Friderico loquitur, in quem Pontifex innumera beneficia congeſſerat, *non matris ſauciatus anguſtiis eam a patrio lare proſcribere cogitans, Joannem Cincii tunc Urbis corruptibilem ſenatorem corrumpit juramento recepto, ut regreſſum ſummi Pontificis impediret, qui Eccleſiæ principem, per quem de ruſticano tugurio prætorium ſenatoris aſcenderat, & Chriſti vicarium pecuniæ mercede commutans, ne Petri urbem Petri ſucceſſor intraret, portas Urbis, & muros curabat, quibus poterat conatibus cuſtodire. Sed devoti filii patris ſuſpirantes adventum, proditoris eliſa verſutia, capitolium potenter aggreſſi, propulſis exinde turpiter hoſtibus, nobilem virum Jacobum Capucium, & alios potentiores Urbis ad reducendum eorum patrem & præſulem deſtinarunt.*

(*b*) *Rich. in chron.*

Frideric. prohibere ingreſſu Gregorium in Urbe nititur.

XIII. Suſceptum a Romanis Gregorium magna pompa, ac lætitiæ ſignificatione ſcribit Richardus: ſed paulo poſt diſcordias recruduiſſe ſignificavit Joannes Columna (*c*) diaconus Cardinalis Othoni legato, qui in Angliam flagitante Henrico Rege a Gregorio miſſus fuerat: *Charitati veſtræ celare non debeo, quod nimis avide, vel potius inconſulte ſe mater immerſit fluctibus, & in fauces luporum ultronea ſe jactavit*. Et infra: *Hinc eſt quod libertas abiicitur, ſervitus inchoatur, ſanctuarii fidus effunditur, ancillatur patrimonium, ſuperbia exaltatur tonantium, carcer emitur*

Excitatæ novæ in Pont. turbæ.

(*c*) *Ext. ejus lit. apud Par.*

*tur, honor contemnitur, appetitur confuſio, armatur moleſtia, tranquillitas effugatur, non curatur de fratrum & exterorum ſcandalo, irriſionibus irridetur, cœcus loco dividitur, differuntur negotia, inſtantes protracti ſermonibus diutina expectationum laſſitudine fatigantur. Bene vobis accidit quod ab his tormentis abſtracti abiiſtis ad regionem longinquam, ne videritis mala gentis veſtræ, & ſanctorum, ne pulſaremini quotidianis ictibus crebris punctionibus lacerati. Dat. Viterbii feſto S. Lucæ.*

Verum hæc quis acerbiora a Joanne Columna exarata exiſtimare poterit, quod imbutum malevolentia adverſus Pontificem animum, aut aliqua offenſiuncula exaſperatum gereret, cum ut Richardus aſſerit, apertam tandem conjurationem adverſus Gregorium conflarit, de qua nos ſuo loco.

XIV. Viterbienſes rebellionem movent in Pontificem.

Cum Romam ſe contuliſſet Gregorius, mox Viterbienſes perduelles ſenſit, qui eccleſiaſticum jugum ſuis cervicibus depellere, excitata graviori ſeditione meditabantur. Ad eam ergo extinguendam, & continendos in officio populos Bartholomæo, atque Andreæ capellanis ſuis provinciam commiſit, (*a*) ut eos officii admonerent: tum nobilitati Romanæ Eccleſiæ obnoxiæ, rebellium audaciam armis comprimere imperavit (*b*). Sed cum nec monitis minisve ad damnanda cœpta infringi potuiſſent, tandem inſequenti anno ineunte Gregorius epiſcopo Balneoregienſi in mandatis dedit, ſententiam anathematis in eos vibraret (*c*). Irretierant ſe iiſdem cenſuris (*d*) ob Eccleſiæ jura occupata, qui cum monita pontificia reſpuerent, proximo anno armorum vi coercendi fuerunt (*e*). Vercellenſes etiam, ad quos Cardinalem epiſcopum Præneſtinum apoſtolici legati munere auctum miſerat, leges eccleſiaſticæ dignitati adverſas penitus abolere graviſſimis literis juſſit (*f*). Qui non modo Pontifici dicto audientes non fuere, ſed in deteriora lapſi, atrocia eccleſiis, ac viris eccleſiaſticis, epiſcopo etiam in exilium pulſo, mala intulere; quibus de rebus Gregorius graves ad Novarienſem epiſcopum (*g*) ad clerum Vercellenſem, (*h*) atque ad archiepiſcopum Mediolanenſem, & ſuffraganeos epiſcopos, (*i*) litteras exaravit.

(*a*) Lib. 11. ep. 312.
(*b*) Reg. poſt. eand. ep.
Cenſuris ob id defixi.
(*c*) Lib. 11. ep. 342.
(*d*) Ibid. ep. 123.
(*e*) Lib. 12. ep. 17.
Iis etiam ob iniquas leges devincti Vercellenſes.
(*f*) Greg. l. 10. ep. 394.
(*g*) Lib. 11. ep. 226.
(*h*) Ib. ep. 227.
(*i*) Ep. 241.

XV.

Eodem tempore imperavit Piſanis, (*k*) redderent Lucæ epiſcopo nonnulla Lucenſium oppida ac loca: arſerat enim inter eos populos atrox diſcordia, ad quam ſopiendam cum in G.... tit. S. Marci presbyt. Card. A. S. L. compromiſſum eſſet, hanc legatus pacis arbiter ſententiam tulit, quam refert Pontifex: *Ut poſſeſſionem, & quaſi poſſeſſionem caſtrorum montis Topari, Pratilionis S. Gervaſii, montis Caſtelli, Palariæ cum villis & pertinentiis ſuis; item medietatis Colliculi, Tepiani, & Fojani, ac eorum jurium reſtitueretis uſque ad certum terminum ab ipſo legato expreſſum epiſcopo Lucano & epiſcopatui ſuo, & eis libere uti permitteretis, ſicut eo tempore utebantur, quo guerra ipſa inter eos & vos fuerat inchoata. Cum autem parere præcepto hujuſmodi minime curaſſetis, idem legatus in vicarios A.... quondam poteſtatis veſtræ tunc in noſtra præſentia conſiſtentis, & in totum veſtræ civitatis conſilium excommunicationis ſententiam promulgavit, comminando ſe contra vos durius proceſſurum, ſi diutius in veſtra duritia duraſſetis;* addit Pontifex preces, ut rem quamprimum perficiant. *Datum Viterbii* VI. *idus maii anno* XI. Eodem argumento ſcripſit (*l*) ad archiepiſcopum Piſanum. Cur vero non Lucanis, ſed eorum epiſcopo dicta loca reſtitui præceperit Gregorius, ea cauſa adduci poſſe videtur, cum ii nondum anathemate ipſis ab ſede Apoſtolica inflicto liberati forent; qui tandem conſilia meliora amplexi cœtui fidelium a Florentino epiſcopo reſtitui (*m*) meruere, ut in priſtinum ſplendorem recuperata ſede epiſcopali illorum civitas revocaretur. Hactenus de Italicis rebus: jam in adjacentes Italiæ inſulas orationem traducamus.

(*k*) Ep. 50.
(*l*) Reg. poſt eand. ep.
Epiſcopalis ſedes Lucanis reddita.
(*m*) Lib. 11. ep. 84.

XVI. Decreta in Sardiniam legatio.

Obeundæ in Sardinia, & Corſica legationis onus anno ſuperiori impoſuerat (*n*) ſummus Pontifex Alexandro capellano ſuo, ſcriptiſque ad epiſcopos atque judices literis inſulæ præfectos legati mandatis obtemperare juſſit. Tum etiam hoc anno plures leges pro dignitate ſanxit: in primis vero judicem Arborenſem, qui Ubaldi nefariis conſiliis irretitus provinciam Calaritanam Eccleſiæ Rom. obnoxiam invaſerat, eamque ob cauſam anathemate percullſus fuerat, ad officium redeuntem conſortio fidelium reſtituere præcepit (*o*). Ubaldum etiam cœpta proſcribentem in ſinum Eccleſiæ recipere (*p*) uxoremque Adelaſiam, quibus cenſuris implicita erat liberare juſſit (*q*). Ad ſupremum porro Romanæ in Sardiniam Eccleſiæ dominium illuſtrandum nonnulla ejus inſulæ principum publica inſtrumenta, ac monumenta ad rei memoriam tranſmittendam poſteritati edita, teſtiumque fide corroborata, quæ in libro cenſuum extant adducere juvat. Primum eſt Ubaldi Gallurienſis ac Turritani reguli, qui ea dignitate, Adelaſiæ uxoris ſuæ Reginæ Sardiniæ, ac Maſſæ marchioniſſæ titulo auctus, eas præfecturas aliaque ad ipſam a parentibus hereditario nomine transfuſa ab ſede Apoſtolica jure fiduciario obtineri nulla vi adductus fatetur (*r*).

(*n*) Ep. 301.
(*o*) Ib. ep. 302.
(*p*) Ep. 303.
(*q*) Ep. 304.
(*r*) Lib. cenſ. MS. Vat.

XVII. Ubaldus Turrit. & Gallur. regulus ſacramento fidei pontificio legato ſe devincit.

*Dominus Ubaldus judex Gallurienſis & Turritanus recognovit, & fuit confeſſus publice, & non coactus, ſe habere, tenere, & poſſidere ab Eccleſia Rom. judicatum Turritanum quem habuit pro domina Adelaſia uxore ſua, & alia quæ ad ipſam hereditario jure pertinent tam in Sardinia, quam in Corſica, Piſis, Marſica, Maſſa, & ubicunque ſunt; pro quibus omnibus Eccleſiæ Romanæ fidelitatis juramentum præſtitit magiſtro Alexandro capellano & legato Apoſtolicæ ſedis nomine ipſius Rom. Eccleſiæ, dictum ſacramentum recipiendo, cujus tenor talis eſt:*



XVIII.

*Ego Ubaldus judex Gallurienſis, & Turritanus ab hac hora in antea fidelis ero, & obediens B. Petro ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, & domino Papæ Gregorio, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in facto nec in dicto, neque in conſilio, ut ipſe, vel legatus, ſive nuncius ejus vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium quod mihi dominus Papa crediturus eſt per ſe, vel per literas, vel per nuncium ſuum, me ſciente ad ipſius damnum nulli pandam. Regalia B. Petri, & ſpecialiter Sardiniam adjutor ero ad retinenda, & defendenda contra omnem hominem, & reacquirenda alia jura Eccleſiæ Rom. ubicunque fuerint, cum a domino Papa, vel ejus certo nuncio fuero requiſitus. Inſuper prædictum judicatum Turritanum & alia, quæ ad ſupradictam dominam Adelaſiam uxorem meam pertinent, nemini ſupponam, neque alio modo diminuam ſine mandato & licentiæ ſummi Pontificis. Legatum Apoſtolicæ ſedis honeſte recipiam, & in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Actum in palatio Regis Turritani, &c.*

XIX. Adelaſia Regina ditionem ſedi Ap. donat.
(*a*) Ibid.

Adnexæ ſunt publicæ tabulæ, quibus Adelaſia Ubaldi uxor ſupremum ditionis ejuſdem dominum Pontificem agnoſcit, illiuſque obſequiis & imperiis ſeſe devovit (*a*): quin etiam ad commendandam magis ſuam pietatem, ac promerendam ſuorum ſalutem, edita donatione inter vivos Turritanam & Galluritanam præfecturas in Gregorium contulit, quas ipſius nomine legatus accepit. Probat inſtrumentum libro cenſuum inſinuatum, quod data opera præterimus, cum noſtri conſilii ſit hæc levi tantum oratione delibare. Cum ergo ſua jura ac bona in Rom. Eccleſiam refudiſſet, retento ſupremo jure, Eccleſia in Adelaſiam camdem ditionem tranſmiſit. Extant enim publicæ tabulæ, quibus Adelaſia Turritana ditione ab Romanis Pontificibus jure fiduciario ſe auctam promulgat; ſe ſuoſque heredes ad quatuor libras argenti perſolvendas obſtringit, ac ſi ſine filiis legitimis, e vivis diſceſſerit, Turritanam præfecturam ad Romanam Eccleſiam devolutum iri. Tum etiam Ubaldus Adelaſiæ vir eandem præfecturam ab Eccleſia Romana obtinere ac gerere publico ſacramento eſt faſſus; provocatuſque a legato, ut de Gallurienſi idem præſtaret, abnuit quod Piſanis fidem ſuam alligaſſet, ac ſibi jurare integrum non eſſe, niſi prius juramentum Piſis nuncupatum apoſtolica auctoritate reſciſſum eſſet. Quo utpote contra jura Romanæ Eccleſiæ edito, irrito & inani eſſe juſſo, legatus ab Ubaldo Adelaſiaque pro Gallurienſi etiam ditione fidei ſacramenta recepit; tum ad ſupremam in ea loca Romanæ Eccleſiæ auctoritatem exercendam, intentato anathemate vetuit, ne quis in iis terris inſtrumentum ullum publicum ſine ipſius facultate conficeret.

Eandem a legato jure fiduciario recipit.

XX. Arboreæ regulus adactus in verba Pontificis.
(*b*) Eod. lib. cenſ.
(*c*) Ibid.

Simili modo Petrus Arboreæ dominus ſuam fidem Eccleſiæ Romanæ addixit, eam præfecturam ſupremi dominii jure ad Pontifices Romanos ſpectare publicis tabulis nuncupatoque juramento ad poſteritatem traduxit (*b*). Sed quo hæc ad firmitatem defixa eſſent, ſummumque in eas terras Pontificis imperium ſtabiliretur, idem Petrus a legato, vexillo tradito, in quo duæ claves adjuncta cruce depictæ erant, principatum vectigalem accepit, cenſuſque nomine mille & centum byſantios Romanæ Eccleſiæ pendere juſſus eſt (*c*). *In nomine Domini amen. Anno Domini MCCXXXVII. indictione XI. tempore domini Gregorii IX. Papæ anno undecimo tertia die exeunte menſe aprilis pateat omnibus manifeſte, quod in præſentia domini mei Gregorii S. R. E. ſcriniarii & ſubſcriptorum teſtibus dominus Petrus Arboreæ publice, ſponte, & non coactus recognoſcens Rom. Eccleſiam eſſe matrem & dominam ſuam, confeſſus eſt ſe habere, tenere, & poſſidere regnum, ſive judicatum ab Eccleſia Rom. pro quo Eccleſiæ Romanæ & domino Gregorio IX. Papæ ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus juramentum fidelitatis præſtitit, prædictum juramentum magiſtro Alexandro capellano & legato ſedis Apoſtolicæ pro Rom. Eccleſia & domino Papa recipiente, cujus forma talis eſt: Ego judex Petrus Arboreæ ab hac hora in antea fidelis ero & obediens B. Petro, &c.* & infra iiſdem pene verbis hæc ſacramenti formula, quibus ſuperior, concepta eſt.

XXI.

Cumque legatus Petri in Eccleſiam Romanam egregium ſtudium perſpexiſſet, non modo ipſi Arboreæ regnum, ſive præfecturam, verum etiam filiis impoſito dicto cenſu confirmavit: ita tamen ut legitimis poſteris deficientibus ad Pontificem, ad quem ea ditio pertineret, derivaretur; nec ſine apoſtolico imperio cuiquam ſubiicere poſſet. Præterea cum Petrus atque alii in ea regione dignitate ſpectabiles, pontificiis mandatis, vel legati parituros juramento ſpopondiſſent, vi præſtiti ſacramenti legatus impoſuit, ut

Leges illi pontificio nomine impoſitæ.

ut nullam affinitatem ſine licentia Apoſtolicæ ſedis contraheret, ac legato abſente archiepiſcopo Arborenſi mille & centum byſantios annuo cenſu Romanæ Eccleſiæ ſolvendos daret (a).

(a) Ibid.

XXII. *In nomine Domini amen. Anno Domini MCCXXXVII. indict. XI. tempore domini Gregorii Papæ IX. ann. XI. duodecima die intrante menſe maii. Pateat omnibus manifeſte, quod magiſter Alexander capellanus, S. A. L. præcepit domino Petro judici Arboreæ ſub debito illius juramenti, quo tenetur de parendo omnibus mandatis domini Papæ, & Eccleſiæ Rom. & ipſius legati, & ſub debito juramenti præſtiti fidelitatis Eccleſiæ Romanæ quod de cætero non contrahet aliquam conſanguinitatem, vel affinitatem cum aliquo, vel aliqua abſque mandato & licentia ſedis Apoſtolicæ ſpeciali: quibus ipſe ſponte conſenſum obligavit, & promiſit ſe facturum. Præterea præcepit idem legatus prædicto judici Petro, ut quolibet anno in feſto B. Petri cenſum Eccleſiæ Romanæ debitum, videlicet mille & centum byſantios aureos ſolvat archiepiſcopo Arborenſi nomine Eccleſiæ Romanæ ſi nuncius Eccleſiæ Romanæ præſens non eſſet. Actum apud Bonarcantum, &c.* Nonnulla etiam oppida fiduciario jure poſſidenda, nimirum Arborenſi archiepiſcopo, oppidum Girapala, Empurienſique epiſcopo oppidum, cui a monte Acuto nomen erat, legatus conceſſit.

XXIII. Arboreæ & Turritanus reguli in concordiam adducti.

Cum porro Ubaldus Turritanus & Galluritanus, ac Petrus Arboreæ præfecti, inter ſe diſſiderent, compromiſſo in legatum facto, lites ſuas legati judicio dirimendas permiſerunt: conciliatiſque tandem iis inter ſe, legatus vi ſacramenti, quo ad parendum obſtricti eſſent, conjungere arctius animos, ſibique mutuo pro viribus opem explicare, & quæcumque in alterius ditione, quæ ad alterum pertinerent, reperirentur, reſtitui edito decreto (b) imperavit. Cæterum Arboreæ judex, ut egregie erga Eccleſiam animo affectus erat, ſeque liberis carere cerneret, ditionis ſuæ heredem Romanum Pontificem inſtituit, quem propterea Gregorius meritis laudibus eſt proſecutus (c).

(b) Ext. ibid.

(c) Greg. l. 11. ep. 234.

Obſoleſcebat corruptioris naturæ lapſu in Corſica eccleſiaſtica dignitas: contaminarant enim ſe ſe vitiis ipſi epiſcopi ſcelerumque exempla in clerum transfuderant, tum etiam nonnulli avaritia ardentes Romanæ Eccleſiæ bona occupabant: quare Gregorius Alexandro legato obeundæ Corſicæ bonorum Eccleſiæ ab invaſoribus repetendorum, tum in epiſcopos flagitiis inquinatos inquirendi provinciam commiſit (d).

(d) Ibid.

XXIV. Per ea tempora Jacobus Aragonum Rex crucem adverſus Sarracenos induerat atque Valentiam nobiliſſimam Hiſpaniæ urbem oppugnare decreverat, conſiliique ſui participem Apoſtolicam ſedem fecerat: quare Gregorius curis ſuis ad rem adeo præclaram converſis, concionatores ex ſacro pulpito populos ad ſacram expeditionem capeſſendam, ſubſidiaque conferenda incitare juſſit, deque iis ad epiſcopum Barchinonenſem, ac Willelmum eccleſiæ Tarraconenſis procuratorem diploma dedit.

Rex Aragonum bello Valentinos Mauros aggredi parat.

*Gregorius &c.*

*Ex literis chariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris Regis Aragonum nuper accepimus, quod gens perfida paganorum in ſui regni conſtituta confinio, conditoris omnium contemnens habere notitiam, & ad hoc ſemper invigilans, ut profeſſores Chriſtianæ fidei poſſint de ipſis partibus, quod avertat Dei Filius, propulſare; tantam ſibi bellatorum multitudinem cumulavit, ut cum ipſo Rege campeſtre bellum facere comminetur.*

*Verum cum idem Rex pro ipſius defenſione fidei, qua nihil gratius eſſe dignoſcitur Redemptori, ſignum crucis aſſumpſerit contra civitatem Valentiæ duce Chriſto potenter, & magnanimiter proceſſurus, ſpe ſibi propoſita quod fidelium ſubſidio roboratus civitatem eandem acquirat, Chriſtiano nomini divina potentia ſuffragante; diſcretionem veſtram rogamus, & obſecramus in Domino in remiſſionem vobis peccatorum injungentes, quatenus aſſumpto ſanctæ prædicationis officio propter Deum cruceſignatorum in Terraconenſi provincia, præterquam in Pampilonenſi, & Calaguritana diœceſibus, cum quibus illuc ire volentibus duximus diſpenſandum, vota peregrinationis in ſuccurſum Regis ejuſdem, ac prædictorum fidelium commutetis; & tam eos quam alios fideles in Terraconenſi provincia conſtitutos, ad plenitudinem charitatis, qua Chriſtus nos dilexit & diligit, reſpectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ tribuit ipſe illis, monitis & exhortationibus veſtris ſecundum datam vobis a Deo prudentiam informetis diligenter & ſolicite; poſtulantes, ut ipſi redempti pretio glorioſo, in quos tanquam viros Chriſtianos, & catholicos cadere opprobria exprobrantium Chriſto debent, ſe viriliter & potenter accingant ad ampliandam gloriam Crucifixi. Dat. Interamne* IX. *febr. an.* X.

XXV.

Excitat ad ſequenda illius ſigna fideles.

Ejuſdem argumenti epiſtolas ad Narbonenſem archiepiſcopum, atque alios præſules exaravit (e). Duxiſſe e Galliis auxiliares copias Petrum Amelium Narbonenſem archiepiſcopum ad urgendam Valentiæ obſidionem, ac plures etiam ex Anglia in Jacobi caſtra confluxiſſe ſcribit Surita. (f).

(e) Ib. ep. 345. 353.

(f) Surith. l. 3. annal. Arag. c. 30.

Cum vero Aragonum Rex, qui ob illatam Cæſarauguſtano epiſcopo graviorem injuriam anathemate ſe involverat, ancipiti ægritudine implicitus eſſet, urgente conſcientia facti veniam petiit, cœtuique fidelium reſtitutus ad ſedem Apoſtolicam ſupplex confugit, ut quid ſibi agendum foret imperaret, quo omnes ex animo religionis aculeos amoveret.

XXVI.



Quare Pontifex ſanctiſſimo viro Raymundo ordinis Prædicatorum, capellano ac pœnitentiario ſuo præcepit (a) ut e præſcripta forma Regem abſolveret. Præterea rogatus Pontifex a Jacobo Aragonum Rege, ut quæ maximo regiæ dignitatis detrimento pater abalienaſſet, irrita eſſe decerneret, petitionis æquitate flexus, ad Uticenſem & Ilerdenſem epiſcopos hoc diploma dedit (b): *Ex parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Aragonenſis Regis illuſtris noſtris eſt auribus intimatum, quod cum regnum ejus Apoſtolicæ ſedi ſit ſubditum, & ſpeciali Eccleſiæ Romanæ protectioni commiſſum, claræ memoriæ pater ſuus, poſt quam a felicis recordationis Innocentio Papa prædeceſſore noſtro in regem extitit coronatus, multa de bonis ſuis & regni in præjudicium honoris & dignitatis regiæ, & Apoſtolicæ ſedis pro ſuæ alienavit libito voluntatis. Quocirca mandamus quatenus prædicta bona taliter alienata legitime revocetis.*

(a) Ib. ep. 355.

(b) Lib. 11. ep. 102.

Alienata a Petro Rege jura regia pontificia auctoritate revocata.

Iiſdem epiſcopis ſanctoque Raymundo præficiendi epiſcopi Majoricæ regno ab Aragonum Rege, depulſa Sarracenica ſuperſtitione, Chriſtianæ fidei reſtituto munus demandavit. (c)

(c) Ib. ep. 359.

XXVII. *Gratias agentes gratiarum omnium largitori, qui per chariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris Regis Aragonum, & aliorum Chriſti fidelium miniſterium, propriam cauſam gerens regnum Majoricarum, dudum a Sarracenis invaſum, cultui reſtituit Chriſtiano; ac volentes eccleſiæ Majoricanæ paſtore carenti, quæ ad nos nullo medio pertinet, de perſona idonea providere, per quam commiſſus ſibi populus cœleſti irrigui foveatur homore; circumſpectioni veſtræ, de qua plenam fiduciam obtinemus, proviſionem ipſius eccleſiæ duximus committendam. Quocirca mandamus quatenus talem eidem eccleſiæ præficiatis in epiſcopum & paſtorem, qui tanto congruat oneri & honori; ac faciatis ei a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, cui vos fratres epiſcopi adjuncto vobis legitimo collegarum numero non quidem de Terraconenſi provincia, ſed potius aliunde conſecrationis gratiam impendatis, recepturi ab eo poſtmodum pro nobis & Rom. Eccleſia fidelitatis ſolitæ juramentum juxta formam, quam vobis ſub bulla noſtra mittimus incluſam, contradictores, &c. Formam autem juramenti, quod ipſi præſtabit de verbo ad verbum nobis per ejus patentes literas, ſuo ſigillo ſignatas, per proprium nuncium quantocyus tranſmittatis, quod ſi non omnes, &c. Dat. Viterbii* VII. *idus julii.*

Marrochitani etiam regni Chriſti fidelibus primum epiſcopum præfecit (d) Gregorius, cum in Mauritania religio Chriſtiana continuis virorum piorum ſudoribus, ac fuſo etiam martyrum ſanguine irrigata feliciter adoleſceret, ſpeſque affulgeret ſtrenui epiſcopi diligentia excultam latius amplificatum iri: *Lætamur quod eccleſia Marrochitana ſterilis hactenus fœcunda nunc redditur, & ſynagoga peccantium, quæ multos habebat filios, infirmatur. Lætamur quod in draconum cubilibus nunc oritur viror calami, & in ſtruthionum paſcuis creſcunt lilia nominis Chriſtiani. Lætamur quod Iſrael in terram Judæ liber a Babylonica ſervitute revertitur, & aurea vaſa, quæ Nabuchodonoſor in Babylonem tranſtulerat, jam ad templum Domini referuntur. Propter quod conſiderantes attente quod eccleſia prædicta inter hoſtes Chriſti poſita de facili editæ prolis amiſſionem incurreret, ſi ſponſi maneret cuſtodia deſtituta; & ipſius novella plantatio in brevi areſceret, niſi eam cultor eccleſiaſticus ſacri fluento dogmatis irrigaret, venerabilem fratrem noſtrum ... epiſcopum, quem ad ejuſdem eccleſiæ conſecravimus titulum in paſtorem & ſponſum, ſibi duximus providendum; ſpem firmam habentes, quod cum vir literatus & diſcretus exiſtat, quo ſincerius Dominum relictis cum Petro mundanæ vanitatis retibus ſequitur, eo latius in illis partibus ipſius ſtudio Chriſtianæ fidei funiculus extendetur, &c. Dat. Viterbii* II. *id. jun. pontif. noſtri anno* XI. Hæc Pontifex, ſed ad Hiſpanias, a quibus defleximus, regrediamur.

XXVIII. Chriſtiana religio in Marrochitano regno amplificata.

(d) Ep. 137.

Epiſcopus novæ illi eccleſiæ præficitur.

Collocabat in propagandis Eccleſiæ limitibus ſtrenuam operam Ferdinandus Caſtellæ ac Legionis Rex, atque in vicinos Sarracenos bellum gerebat: quem ut Gregorius vehementius in impios accenderet, permiſit (e) ut in iis locis, quæ ex Sarracenorum manibus evulſiſſet, eccleſiarum rectores diœceſano epiſcopo præficiendos offerre prima vice poſſet. Præterea ipſi, atque Alphonſo filio cum duabus comitis Pontini filiabus reſciſſo canonico ob ſanguinis conjunctionem impedimento matrimonium inire liceret (f). At dum hujuſmodi beneficia in eos principes ipſorum meritis pellectus conferret Pontifex, juſtiſſimas ipſius iras Portugalliæ Regis frater in ſe concitavit, adeo enim eccleſiaſticam dignitatem attriverat, clerumque oppreſſerat, ut anathemate defigi meruerit, atque ex Eccleſia abigi, cui jugum crudeliſſimum impoſuiſſet: qua de re ad archiepiſcopum Toletanum, ac Legionenſem epiſcopum graviores extant literæ (g).

XXIX.

(e) Ib. ep. 249.

(f) Ep. 214. 215.

(g) Ep. 35.

XXX. Portugalliæ Regis frater ob graviſſima in eccleſiaſticos ſcelera cenſuris defixus.

*Lacrymabilem venerabilis fratris noſtri Egitanienſis epiſc. accepimus quæſtionem, quod nobilis vir F. dictus infans chariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris Portugaliæ Regis germanus domus ſuæ benignitate relicta, ſumptaque inde majori audacia delinquendi, quod in regno Portugaliæ eccleſias, & eccleſiaſticos viros paſſim pro arbitrio ſuo lædit: bona ejus, & ſuorum tam in civitate, quam diœceſi Ulixbonenſi & Egitanienſi, ac ſuos graviſſimo afficiens detrimento: quoſdam quoque clericos ejus in ſacris ordinibus conſtitutos ſcriptores Regis ejuſdem in caſtro Sanctaranenſi, ipſo ibi præſente, crudeliter interfecit: & quaſi hæc non ſufficiant, alia ſibi pericula comminatur, damna damnis adiicere non deſiſtens. Ut igitur idem nobilis percuſſus ad percutientem ſe rediens non differat quærere medicinam, per quam famæ ſuæ conſulat & ſaluti, mandamus quatenus, ſi eſt ita, eum cum prædictis fautoribus, donec Deo & Eccleſiæ ſuæ, ac ſibi ſuper præmiſſis ſatisfecerint competenter, appellatione poſtpoſita excommunicatos publice nuntiantes, loca ad quæ ille devenerit, quamdiu fuerit ibi præſens, interdicto eccleſiaſtico ſupponatis. Dat. Viterbii* III. *kal. maii an.* XI.

XXXI. Tuetur in Galliis jura eccl. Greg. (a) Lib. 10. ep. 332. (b) Lib. 11. ep. 180. 181.

In Galliis quoque adverſus eos, qui eccleſias ac viros eccleſiaſticos opprimebant, Gregorio laborandum fuiſſe oſtendunt plures epiſtolæ pontificiæ, quibus cum Britanniæ comitem (*a*) ab eccleſia Maclovienſi conculcanda abducere; tum Henricum de Ravello (*b*) in aula imperiali præfectum juſtitiæ ab eccleſiæ Arelatenſis lædendis juribus deterrere conatus eſt. Cumque Delphinus vir prænobilis, aliorum ope adjutus, comitatus Melgorienſis Romanæ Eccleſiæ obnoxii partem invadere, ſibique ſubiicere auſus eſſet, ad expiandum tentatum facinus Hieroſolymitanam profectionem ornare, atque in Sarracenos bellicam ſuam virtutem explicare juſſit. (*c*) [1]

(c) Ib. ep. 319.

XXXII. Cum vero nonnullis hæreticis in montis Peſſulani fines ſeſe recipientibus, ad eam delendam infamiam eluendamque conſules populoſque oratorum opera Pontifici expoſuiſſent, ſemper ſe pro fide catholica tuenda ſtrenue geſſiſſe, ac paratos ipſius imperiis illius peſtis reliquias excindere, ſuiſque limitibus procul amandare; iis acceptis Gregorius Viennenſi archiepiſcopo præſcripſit (*d*), eos qui ſponte ad ſinum Eccleſiæ ab impietate transfugerent, admitteret, atque in alios juſtæ ſeveritatis aculeos exereret, ne ſontes & inſontes eadem pœna involveret: *Ex parte conſulum & populi montis Peſſulani fuit propoſitum coram nobis, quod ipſi tanquam viri catholici pro fide potenter & indefeſſe ſteterunt, eam contra pravitatem hæreticam, ſicut ſalutem ſuam & honorem proprium defendentes: unde cum ipſi audierint famam quandam ortam de novo, quod in terra ſua ſunt aliqui ex hæreticis receptati, dolentes exinde graviter, & valde triſtes effecti, ad infamiam hujuſmodi abolendam nobis per ſuos nuncios & literas obtulerunt, terram ipſam ab omni infidelitatis ſpurcitia juxta noſtrum beneplacitum expurgare. Nos ergo de perſonæ tuæ prudentia confidentes mandamus, quatenus perſonaliter accedens ad locum, ſuper hoc ſolita diſcretione procedas, ita quod peſtis illa mortifera impunita non tranſeat, & pœna non teneat innocentes; debent etenim eradicari zizania, & avelli triticum non oportet*. Adiicit apoſtolica monita, ut eos qui ſponte impietatem exuerent, atque ad Eccleſiæ ſinum, antequam de illis quæſtio exerceretur, ſe conferrent, cenſuris, quibus ter in anno feriuntur hæretici, abſolveret, fideliumque cœtui aggregaret. *Dat. Interamne* IV. *kal. mart. ann.* X.

(d) Lib. 10. ep. 384. In hæreticos qui Montem-Peſſulanum infecerant inquiri jubet.

Impoſuit eidem archiepiſcopo S. A. L. provinciam Pontifex, ut ſacræ fidei cenſoribus e Dominicana familia, quos Toloſanus comes tacito in ſe odio imbutos querebatur, ac Francorum Regem interceſſorem apud ſedem Apoſtolicam adhibuerat, ut munere ſubmoverentur, ſi juſta in eos ſuſpicio caderet, inquiſitio- XXXIII.

NOTÆ [1] AD res Gallicanas quod attinet duo hic præterire pigeret. Primo; anno huic aſſignandum eſt concilium, quantum arbitror, provinciale a Juhello archiepiſcopo Turonenſi in urbe Cenomanorum die martis poſt feſtum omnium ſanctorum indictum. Hujus concilii memoria ſervata eſt in duplici epiſtola, quarum altera legitur in tomo VII. collectionis monument. Martenii col. 126. aliam vero exhibet idem Martenius inter acta varia in cauſa Dolenſis epiſcopatus, quæ vulgavit Anecdot. tom. III. col. 955. Illam ſcripſit Gaufridus abbas majoris monaſterii ad eumdem Juhellum; alteram vero dedit ad eumdem VV. archidiaconus Briocenſis, uterque vero excuſat ſeſe, quod rite impeditus concilio intereſſe prohibeatur. Annus concilii hujus in anecdotis reticetur; ſed quæ eſt in collectione epiſtola conſignatur anno 1237. Quid in eo actum ſit ignoratur, ejuſque mentio in collectionibus deeſt.

Alterum, quod animadverſionem noſtram exigit eſt obitus Iſemburgis veteris Gallorum reginæ Philippi II. auguſti nuncupati Gallorum regis relictæ. Nobilis hæc mulier calamitate ſua in eccleſiaſtica hiſtoria celebris eſt: quippe cui tuendæ non ſemel Romani pontificis cenſurarum ſuarum in Galliam gladium exeruerunt; nec antea ab ea defendenda ceſſarunt, quam vir ejus injuſte rejectam tandem receperit; quod poſtremis vitæ ſuæ annis præſtitit. Viro ſublato Aurelianenſem urbem recepit a filio Ludovico VIII. ubi ſe ad mortem uſque continuit. Obiiſſe autem hoc anno diſcimus ex Alberico in chronico ad hunc annum. MANSI



(a) Eod. l. 10. ep. 359. Profectionis Aſiaticæ præfixam Tol. com. diem prorogat.

nis officium abrogaret: qua de re Ludovico Regi literas dedit (*a*) flexuſque ejus precibus invito admodum animo permiſit, ut Raymundo profectionis Aſiaticæ, cui ſe ex inito fœdere obſtrinxerat, tempus in annum alium produceret; ea tamen lege ut remoto omnium excuſationum fuco, ſtato termino expeditionem adornaret. Quæ vero ex ea mora damna pertimeſceret, his graviſſimis verbis expoſuit: *Conſideravimus quæ & quanta pericula, prout etiam non ignorat celſitudo regia, negotio pacis & fidei ex indulta ſibi dilatione hactenus ſunt ſecuta: nam venerabilis frater noſter epiſcopus & clerus Toloſanus, fratres quoque Prædicatores etiam de civitate Toloſæ per eundem comitem ſunt expulſi, & commiſſa alia multa mala, quæ longum eſſet per ſingula recenſere; ita quod in partibus Toloſanis terra velut deſerta luget & languet ſpinis eam replentibus, & urticis variis, videlicet erroribus ipſam involventibus pene totam; propter quod totum negotium quaſi paſſum eſt recidivum, & vehementer timetur, ne fiant ejus noviſſima prioribus graviora. Idem quoque comes tanquam peccator, qui cum venerit in profundum malorum contemnit, nullam videtur recipere, cum percuſſus non doleat, medicinam. Veruntamen ne tuæ videamur petitioni deeſſe, quin potius tuis deſideriis, quantum cum Deo poſſumus, concurrere cupientes, regiæ circumſpectioni committimus, ut recepta ab eo ſufficiente & idonea cautione, quod in proximo paſſagio, videlicet in feſto B. Jo. Baptiſtæ ſequenti poſt proximum, omni occaſione ac excuſatione ceſſantibus, transfretabit, terminum ei uſque ad idem paſſagium, cum conſilio chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ B.. Reginæ Francorum illuſtris matris tuæ, ac prælatorum, quibus ſuper hoc dirigimus ſcripta* (*b*) *noſtra, ſtudeas prorogare. Quod ſi cautionem eandem præſtare noluerit, conſideratis circumſtantiis univerſis, quæ in hoc fuerint attendendæ, diſponas ut utilitati negotii, & neceſſitati terræ ſecundum datam tibi a Deo prudentiam videris expedire, proviſo quod ultra dictum terminum induciæ nullatenus ſibi prorogentur, &c. Dat. Interamne* V. *idus febr. ann.* X.

(b) Ext. ib. poſt eand. ep.

XXXIV. Maſſilienſes in comitem Provin. rebellionem movent.

Produxerat Raymundo Pontifex ineundæ expeditionis tempus, ut majori illam apparatu inſtrueret: at ipſe abjecto illius ornandæ ſtudio, Maſſilienſium, qui excuſſo Berengarii Provinciæ comitis jugo ad ipſum deſciverant, bello ſe implicuit, parteſque illorum contra Berengarium defendendas ſuſcepit. Quo accepto Gregorius tulit graviſſime ipſum arma in fideles ſtrinxiſſe, quæ ad expianda crimina in Sarracenos vertere debebat: maxime cum Jacobus Aragonum Rex Provinciæ comitis fœderatus, qui ſigna contra Sarracenos cruce indutus extulerat, Valentiamque Sarracenorum in Hiſpania urbem obſidione cingere, ac ſubiicere Eccleſiæ, ut ſupra delibavimus, moliebatur, a ſuſcepto conſilio ad Provinciæ comiti ferendam opem retardaretur. Propagandæ igitur Chriſtianæ fidei ſolicitus Pontifex, tum ne comes Toloſanus, qui ſacramento ad Hieroſolymitanam profectionem obſtrictus erat, tempus fruſtra tereret, expectationemque omnium ſummo Chriſtianæ rei damno falleret, Galliarum Regem literis rogavit (*c*) Toloſani comitis conſilia extingueret, atque a Maſſilienſibus defendendis avocaret: cum præſertim eo ſeſe implicaret bello in odium Provincialis comitis, quod olim in bello Albigenſi cum Ludovico Rege ipſius parente ad obſidendam Avenionem copias ſuas conjunxiſſet.

(c) Lib. 11. ep. 101. Inſtat Greg. apud S. Ludov. ut Raymundum a cœptis abducat.

XXXV.

*Gregorius &c. illuſtri Regi Franciæ.*

*Ex parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Jacobi Aragonum Regis illuſtris, & nobilis viri comitis Provinciæ, noſtris eſt auribus intimatum, quod cum civitas Marſiliæ, quæ noſcitur ad ipſius comitis dominium pertinere, eidem comiti rebellis exiſtens, ſe nobili viro comiti Toloſano, non ſine magna perfidia & temeritate, ſubjecerit & ab ipſius comitis Provinciæ juriſdictione proditionaliter ſe ſubtrahere minime dubitarit; idem comes Toloſanus cives Marſiliæ in homines ſuos minus juſte recipiens, non ſolum eos in hac iniquitate defendere, ſed contra præfatum comitem Provinciæ, ac ipſius terram inſurgens, eum multipliciter moleſtare præſumit: contra ipſum, ut creditur, ob illud rancore concepto, quod idem comes Provinciæ dictum comitem Toloſanum olim ad mandatum Eccleſiæ in obſidione Avinionis cum claræ memoriæ Ludovico patre tuo pro defenſione fidei & eccleſiaſticæ libertatis zelo fidei ac devotionis accenſus ſtuduit impugnare. Quare cum dictus Rex ad expugnandos Saracenos & obſidendam civitatem Valentiæ, ſigno crucis aſſumpto, propoſuerit potenter accedere, ac eundem comitem Provinciæ, cui nulla poteſt ratione deeſſe, multis ex cauſis defendere teneatur; idem Rex, ne a tam ſancto propoſito retardetur, & præfatus comes Provinciæ nobis humiliter ſupplicarunt, ut ſuper hoc providere curaremus eidem. Cæterum ad audientiam noſtram venerabili fratre noſtro archiepiſcopo Viennenſi Apoſtolicæ ſedis legato inſinuante pervenit, quod dicto comite Toloſano ſalarium debitum magiſtris Toloſæ regentibus contra juramentum ſuper hoc præſtitum non ſolvente, Toloſanum ſtudium in detrimentum ac ſubverſionem fidei Chriſtianæ, cum ex hoc hæretica pravitas ibi for-*

Significat Jacobum Regem a Valentiæ oppugnatione pro tuendo Provin. comite avocatum iri.

*tius invaleſcat, irreparabiliter diſſipatur. Ipſius quoque bajulus venerabilem fratrem noſtrum Vaſionum epiſcopum confectum ſenio, genere nobilem de domo ſua turpiter eiiciens, caſtrumque ac civitatem eccleſiæ ſuæ ſibi auferens, alia damna gravia multiplicesque injurias irrogavit eidem.*

*Dictus etiam comes deteſtanda ſalinarum pedagia, quæ pater ſuus olim abjuraverat, in terra Venexini de novo inſtituens, ac in multis Dei Eccleſiam & ejus prælatos vexare præſumens, auſu ſacrilego eccleſiarum bona & redditus occupat; nec ſæpe monitus a præfato archiepiſcopo aliquid de his emendare procurat. Propter quæ licet excommunicationis ſententia ſit ligatus, abſolutionem tamen, vel potius claves Eccleſiæ vilipendens, multa his contra Deum, & Eccleſiam præſumit pejora committere, quæ grave eſſet præſentibus explicare.*

XXXVI. *Nos igitur attendentes, quod ſi prædictus Rex contra eoſdem Sarracenos hac retardatus occaſione procedere non valeret, utilitas quam ex hoc Chriſtianæ fidei credimus proventuram, ex mora hoſtibus Chriſti vires ſumentibus fortiores, forſitan deperiret; & ex hoc tanta poſſent guerrarum pericula in Albigenſium ac Provinciæ partibus ſuboriri, quod niſi antequam amplius invaleſcant occurratur eiſdem, vix aut nunquam ex poſtfacto ipſis ſalutari remedio poterit obviari; negotium quoque pacis & fidei, ad quorum obſervationem dictus comes Toloſanus in manu venerabilis fratris noſtri Portuenſis epiſcopi tunc A. S. L. juramento præſtito ſe aſtrinxit, grandi diſcrimini ſubderetur, eo quod durante inibi guerrarum turbine fidem noſtram poſſent hæretici ſecurius expugnare; terræ inſuper ſanctæ ſubſidium, ad quod etiam ipſe comes ſe transferre tenetur, grande, quod abſit, exinde incurreret detrimentum, ob id, quod in præfatis guerris & diſcordiis ipſum comitem expendere oporteret ea, quæ nunc deberet ſuæ transfretationis uſibus reſervare; idemque comes ſemper inveniretur ad transfretandum inhabilis, ſi tempus ſibi conceſſum a nobis non conſervationi licitæ, ſed conſumptioni prohibitæ potius deputaret; ſerenitatem regiam rogandam duximus, & hortandam, &c.* Addit preces, ut Raymundum ſua auctoritate a tuendis Maſſilienſium partibus abducat, ac male ab eo tentata emendare cogat. *Dat. Viterbii* XIII. *kal. junii anno* XI.

Non debere Raymundum eo ſe bello implicare.

XXXVII De eadem re Francorum Reginæ, Toloſano, Britanniæ, & Marchiæ comitibus, ac pluribus aliis literas miſit (*a*). Tum Maſſilienſes & Avenionenſes, qui Toloſano comiti adverſus Provinciæ comitem obtrita ſacramenti religione hæſerant, increpuit, hortatuſque eſt, (*b*) a ſuſceptis diſcederent: de quibus etiam ad Toloſanum comitem atque archiepiſcopum Viennenſem legatum ſuum literas exaravit. Cæterum Raymundum ad apoſtolica imperia fregiſſe animum & oratores ad Pontificem decreviſſe, ut veniam ob libertatem eccleſiaſticam violatam (*c*) poſceret, atque in iis, quæ ad ſanciendam pacem, tuendum fidei ſplendorem, ac nonnullis aliis, ob quæ ipſius fama laborabat, ſedis Apoſtolicæ voluntati ſe accommodaret, indicant literæ ad eundem archiepiſcopum v. kal. aug. hujus anni datæ, quibus vetuit, ne comitem a mittendis ad ſedem Apoſtolicam præſulibus viriſque religioſis prohiberet, cum pontificiarum ſit partium illius clementiam, qui non mortem, ſed ſalutem peccantium optat, imitari.

(*a*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*b*) *Lib.* 11. *ep.* 177. 178.

Raymundus pontificis voluntatibus ſe accommodat.

(*c*) *Ib. ep.* 169.

XXXVIII. His adjungendum videtur Gregorium Othoni Cardinali partes dediſſe, (*d*) ut conciliandæ inter Francorum & Anglorum Reges paci incumberet. Tranſmittebat illum Pontifex in Angliam, ſumma legati Apoſtolici auctoritate inſtructum, ad redintegrandum eccleſiaſticæ dignitatis decus moreſque excolendos; quo argumento extant literæ, ad Angliæ, Walliæ, & Hiberniæ præſules, quibus de impoſito illi a ſede Apoſtolica munere certiores fecit (*e*): *Ecce magnum & honorabile membrum Eccleſiæ amicum Dei dilectum filium noſtrum Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, virum morum honeſtate conſpicuum, præditum ſcientia literarum, & providentia circumſpectum; quem inter cæteros fratres noſtros admodum charum habemus pro ſuorum excellentia meritorum, in Angliam, Vualliam, & Hyberniam, commiſſo ſibi plene legationis officio, de latere noſtro providimus deſtinandum, ut cum in hac hora undecima cultores ſimus in vinea Domini conſtituti, vice noſtra ut diligens cultor evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, prout ipſi Dominus miniſtrabit, de quo utique, cum ei adſit puritas conſcientiæ, & præſto ſit judicium rationis, malitiam odiat, & innocentiam tueatur, ſperamus firmiter quod recta regens, & dirigens indirecta, aſpera convertet in plana, &c.* Præcipit ut ipſum debito honore proſequantur, excipiant imperia, atque ad divinam amplificandam gloriam ſuam illi operam, ac ſtudium præbeant. *Dat. Interamne* II. *idus febr. ann.* X.

(*d*) *Lib.* 11. *ep.* 27.

(*e*) Ep. 368. Otho Card. A. S. L. in Angl. mittitur.

XXXIX. Paruiſſe apoſtolicis juſſis Anglicanos præſules colligitur e Pariſio (*f*), qui legati in Angliam adventum deſcribit, ac refert plures antiſtites ad eum excipiendum, cum e navi in terram exſcenſionem faceret, in littus obviam prodiiſſe, aliquos etiam ſcaphis ſubvectos ad navim, qua vehebatur, acceſſiſſe, ac munera pretioſiſſima ad ejus gratiam colligendam obtuliſſe: quorum partem ait au-

(*f*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.* Honorificentiſſime excipitur a Rege ac præſulibus.

ctor



ctor accepiſſe, ab aliis ita temperaſſe, ut ea ſibi reſervari juberet; quibus ille legati famam carpere Romanæque Eccleſiæ majeſtatem pro ſuo more obſcurare voluit: ac poſt nonnulla interjecta, regreſſus ad Othonem, virtutis illius ſplendore perſtrictus, pugnantia cum iis, quæ ſuperius dixerat, affert; nimirum Othonem ipſum ſua modeſtia, atque in accipiendis muneribus temperantia exulceratos Anglorum animos deliniviſſe. Excepit pariter honorificentiſſime legatum Henricus, cui Gregorius debitam erga illum obſervantiam literis (*a*) commendarat: præſulum enim, ac principum agmine ſtipatum obviam officii cauſa Othoni occurriſſe, ac ſolemni pompa cohoneſtaſſe narrat memoratus auctor (*b*): *Rex autem ei uſque ad confinium maris occurrit, & inclinato ad genua ejus capite uſque ad interiora regni eum deducit officioſe; & adventantes epiſcopi cum abbatibus, & aliis eccleſiarum prælatis, cum omni honore & reverentia, cum proceſſionibus & campanarum claſſico, & pretioſis muneribus, ut decuit & pluſquam decuit, receperunt.*

(*a*) *Greg. l.* 10. *ep.* 369.

(*b*) *Par. hiſt. Angl.*

XL. Cæterum non exercendæ modo in Anglia, Wallia & Hibernia legationis Apoſtolicæ provincia, ſed in Scotia etiam demandata erat. Quo munere illum auxerat Gregorius, poſtquam ab aula pontificia diſceſſerat, cujus ſuſcepti a ſe conſilii rationem in literis (*c*) ad Scotiæ Regem datis expoſuit: *Cum univerſis eccleſiis apoſtolicæ proviſionis ſolicitudine ſuccurrere & reformare, ſi qua in eis præteritis ſunt deformata temporibus, teneamur, dilectum filium noſtrum Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Card. virum expertæ providentiæ, & magna morum præditum honeſtate legatum ex noſtro latere in Angliam duximus deſtinandum. Verum poſtquam diſceſſit a nobis, nos conſultius attendentes quod cum circa regnum Scotiæ eo majorem curam gerere teneamur, quo fortius eccleſia Scoticana Romanam Eccleſiam ſolam matrem & metropolitanam nullo medio recognoſcit, indignum exiſteret, niſi quæ nos ſingularem patrem in ſpiritualibus obtinet, ſpecialem a nobis reciperet conſolationis affectum, eidem Cardinali in dicto regno Scotiæ legationis officium motu proprio duximus committendum, quia relinquere conſcientia ſalva nequivimus, quin eidem Scoticanæ eccleſiæ per dictum legatum apoſtolicæ viſitationis ſolatium mitteremus; ne a nobis affectione materna ſpoliari ſe crederet, ſi nobis eccleſiam viſitantibus Anglicanam regnum Scotiæ ſic in vicino poſitum expers viſitationis apoſtolicæ remaneret. Dat. Viterbii* VI. *idus maii an.* XI.

(*c*) *Lib.* 11. *ep.* 49.



XLI. Hactenus Gregorius, qui aliis literis eundem Regem hortatus eſt, ut pacem cum Henrico, ad quem ſimili argumento ſcripſit, & fœdus faceret (*d*): tum legatum omni ſtudio in conjungenda inter eos principes concordia contendere juſſit (*e*). Illum vero in Anglia proceres diſſentientes in concordiam induſtria ſua adduxiſſe docet Pariſius: (*f*) deinde omnibus Angliæ præſulibus imperaſſe ut octo dierum a B. Martini feſto decurrentium ſpatio, Londonium confluerent, ut tum pontificium diploma, quo ſibi legationis in iis regionibus munus erat demandatum, audirent, tum ad emendandos collapſos mores reſtituendamque diſciplinam ac dignitatem eccleſiaſticam priſtino ſplendori, ſe præſente in concilio ageretur; dein poſt multa interjecta ſubiicit auctor, ut legatus editum, ac magnifice adornatum ſolium, pluribus atque ampliſſimis gradibus ad pompam faſtigiatum in eccleſia S. Pauli memoriæ Londonii ſacra excitari juſſerit, ac præfixo die pontificalibus ornamentis decorus oblongiorique ſyrmate mure pontico ſuffulto indutus, præeuntibus archiepiſcopis Cantuarienſi & Eboracenſi ſolemnis ſupplicationis inſtructo agmine ſolium conſcenderit, atque ipſi ſedenti a dextra Cantuarienſis, a ſiniſtra Eboracenſis adſtiterint; ad quem illuſtrandum ritum hæc ex Pariſio decerpimus: *Et ingreſſus eccleſiam coram majori altari pontificalibus ſe induit, ſcilicet ſuperpellicio, & deſuper cappa chorali pellibus variis furrata, & mithra; & præcedentibus archiepiſcopis Cantuarienſi & Eboracenſi eum cum proceſſione ſolemni, cum cruce & cereis accenſis & cum litania ſedem ſuam aſcendit.* [1]

(*d*) *Ib. ep.* 2. *& reg. poſt eand. ep.*

(*e*) *Ib. ep.* 1.

(*f*) *Par. hiſt. Angl.* Celebrat Londini concilium.

XLII. Cumque non levem Cantuarienſi de loci dignitate Eboracenſis quæſtionem mo-



NOTÆ [1] IN collectione Labbeana to. XIII. colum. 1413. anno huic aſcribuntur conſtitutiones quædam ſynodales anonymi epiſcopi Anglicani, quos Spelmannus in to. II. collectionis ſuæ Anglicanæ vulgavit. Cum tamen ſtatuta illa edita ſint ad promulgandas per Angliam concilii Lateranenſis IV. conſtitutiones, minus appoſite anno huic aſſignantur. Vix enim credimus ultra viginti annos publicationem illam dilatam fuiſſe. Inſuper cum anno 1237. ideſt vigeſimo ſecundo poſt celebratum concilium minus quadrat phraſis illa, quæ in eiſdem conſtitutionibus occurrit: *cum in generali concilio nuper eſſet ſtatutum &c.* Melius ergo reputaremus has conſtitutiones circa idem tempus prodiiſſe, quo Richardus epiſcopus Sarum in Anglia perſimiles edidit. Pertinent illæ ad annum 1222. ſeu 23. quod tempus ad concilii Lateranenſis celebrationem multo propius accedit. Cæterum conſtitutiones illæ innovant, & latius ſtatuta concilii Lateranenſis exponunt. MANSI

*Contentionem de gradu dignitatis inter Cantuar. & Ebor. archiep. argute ſopit.*

veret, legatum lecto primum de more Evangelio, & concione in hæc verba: *Ego ſum paſtor bonus*, habita; tum nonnullis precibus fuſis, ac S. Spiritus numine invocato controverſiam ea oratione ſopire ſategiſſe, in ſigillo pontificio Petrum a dextra crucis exaratæ, Paulum a ſiniſtra adumbrari, nec inter eos ſanctiſſimos Apoſtolos ullam de dignitate ardere contentionem, ſed pari gloria potiri, atque ita ipſos eorum exemplo litem ponere debuiſſe. Secundo vero ab convocato concilio die Regem Angliæ tres viros nobiles & canonicum S. Pauli miſiſſe, qui ipſius nomine legato vetarent, ne quid contra regiam auctoritatem moliretur: aliiſque tribus abeuntibus, canonicum linea veſte criſpata indutum ſubſtitiſſe; tum archidiaconum Cantuarienſem a legato poſtulaſſe, ut injunctæ ſibi auctoritatis, ac muneris diploma explicaret; quo facto flagitante Rege, inquit auctor: *Lectum fuit quoddam privilegium de feſtivitatibus S. Eduardi per totam Angliam celebrandis, & de mandato Papæ de ſanctis Franciſco & Dominico canonizatis*. Hujuſmodi porro de ſacris Eduardi natalitiis in Anglia celebrandis privilegium, apoſtolicas literas (*a*) eſſe arbitramur, quas Gregorius Papa ea de re ad archiepiſcopum Cantuarienſem, ac ſuffraganeos epiſcopos miſit, noſque in annales ſuo loco intulimus (*b*).

(*a*) *Lib* 10. *ep.* 225.
(*b*) *Anno* 1236.

XLIII. *Agitatum de adigendis ad unum tantum ſacerdotium eccleſiaſticis.*

Dumque in eo concilio de ferenda in illos ſententia, qui pluribus eccleſiaſticis ſacerdotiis inſtructi eſſent, agitaretur ut uno contenti alia juberentur dimittere, epiſcopus Wigornienſis in medio cœtu aſſurgens, mitra depoſita, legatum compellavit durum ſibi admodum videri, ac periculi plenum eam ſententiam ferre, cum plures ex iis, qui multa tenerent ſacerdotia, nobilitate conſpicui, jam annis graviores eſſent, reliquam vitam in egeſtate infelici degere cogerentur, qui antea profuſis eleemoſynis atque in piis operibus collocatis opibus omnium amorem collegiſſent: alios vero juventute præferoces omnia potius pericula adituros, quam aliis ſibi ereptis ſacerdotiis unum tantummodo gerere cogerentur: tum demum id pleriſque religioſis viris ſacriſque virginibus graviſſima incommoda, cum omnes id decretum involveret, allaturum: proinde ſummum prius Pontificem in re tanti ponderis conſuleret. Ad quæ legatus ſe tum ea de re daturum literas, ſi reliqui epiſcopi aſſentirentur. Nec ſilentio præterire viſum eſt legatum ipſum in eo concilio ex iis prophetæ verbis: *In medio ſedis, & in circuitu ejus quatuor animalia habentia oculos ante & retro*, orationem auſpicatum in eum ſenſum detorſiſſe, ut præſules tum in Eccleſiæ bonis tuendis, tum rerum cœleſtium contemplatione mentis aciem defigere deberent: demum ſancitos quoſdam a patribus canones adduxit.

XLIV. *De conſecrandis eccleſiis.*

Primus eſt de eccleſiis ab epiſcopis conſecrandis, qui mos ſacer obſoleviſſe in Anglia per ſummam præſulum incuriam videbatur, atque adeo ad illum reſtituendum decretum eſt, ut cathedrales eccleſiæ, conventuales, ac parochiales quarum fabrica perfecta eſſet, intra biennium dicarentur, ac ni fieret, ea loca interdicto ſubiicerentur: cum enim id olim ſervatum eſſet, ut templum, in quo pecudes tantummodo mactarentur, ſolemni ritu dicaretur, quanto potiori jure id in Chriſtianorum eccleſiis religioſe colendum, in quibus ipſe Dei Filius incruente æterno Patri litatur? Eo quoque ſacerdotum avaritia ſeſe abjecerat, ut a fidelibus ob ſacramenta adminiſtranda pecunias corraderent, atque adeo imperatum in iis conferendis cupiditati temperarent. Expreſſus quoque ſacramentorum numerus, in quibus veluti vaſis cœleſtibus ſalutis noſtræ remedia, ac divinæ gratiæ opes continerentur.

XLV. *De cultu divino.*

Pervaſerat ea opinio rudem atque imperitam plebeculam infantibus grave periculum imminere, ſi reſurrectionem dominicam vel pentecoſten præcedente ſabbato baptiſmi undis abluerentur: quare ad eam convellendam promulgatum eſt ad conferendum baptiſmum eos dies habendos ſanctiſſimos, juſſumque diebus dominicis parochos populos inſtruere qua forma id ſacramentum impertiendum eſſet, ut ſi quæ urgeret occaſio, conferre ipſi poſſent. Inter cæteros etiam abuſus nonnulli ſacerdotes pro excipiendis confeſſionibus pecunias extorquebant: ſtatutum propterea, ut qui ea ſe labe contaminarent, ſacerdotio ſuo ab epiſcopis ſubmoverentur.

XLVI. Approbatus eſt ille antiquus mos, ut ab epiſcopo in ſingulis decanatibus viri probi conſtituerentur, qui populi, ac minorum clericorum confeſſiones admitterent: *In eccleſiis vero cathedralibus*, refert auctor *confeſſores inſtitui præcipimus generales*. Ne qui vero ad ſacerdotium tanto munere indigni, vel natalibus infames, vel nullis exculti literis, nullove ornati titulo irreperent, imperatum eſt, ut ſacris initiandos epiſcopi prius ad ſeverum examen evocarent. Ad infringendas etiam nonnullorum verſutias, qui abſente aliquo occaſionem aucupati, ſparſo illius mortis rumore, vel ſibi ceſſiſſe ſacerdotia ementiti, eccleſias invadebant ac legitimis ſacerdotibus ad eccleſias redeuntibus vim inferebant, ſtatutum ut præſules non facile ejuſmodi fraudibus irretiri ſe paterentur, atque in temere intruſos ſeveritatem eccleſiaſticarum legum diſtringerent.

Sta-



XLVII. *De revocandis ad veterem pietatem eccleſiaſticis.*

Statutum etiam eſt, ut gerendæ cuique eccleſiæ vir animarum ſalutis cupidus intereſſet, qui ſacramenta pro dignitate populo adminiſtraret, ac ne eccleſiarum dignitas labefactaretur, quæ ſæpius in plures vicariatus diſciſſæ obſoleſcebant. Quo porro eccleſiarum rectores ad reſidendum compellerentur, promulgatum eos, qui plura ſacerdotia, quibus animarum cura conjuncta floret, graviſſimo animæ ſuæ periculo ac damno, ni ab ſede Apoſtolica facultatem obtinuiſſent, detinere. Compeſcere etiam clericorum luxum viſum eſt, qui abjecto habitu eccleſiaſtico, culti ad delicias, ac phaleratis equis ſubvecti pompatice ſæpius incedebant: quare ſubtractis ipſis ſacerdotiorum redditibus ad modeſtiam revocari ſunt juſſi.

XLVIII. Prolapſa eo erat aliquorum veſania, ut cum matrimonia clandeſtina iniiſſent, eccleſiis regendis ſeſe ingererent, atque pluribus cumulandis ſacerdotiis inhiarent, deinde filiis conſulturi teſtibus & inſtrumentis probari ſatagebant ex vero matrimonio ſuſceptos: quare ad eorum infandas artes eludendas ſancitum, ut omnibus ſacerdotiis exuerentur, de quorum matrimonio conſtaret, iiſque defunctis relictæ opes eccleſiis adſcriberentur, ac ſuſcepti ita filii a quocumque gerendo ſacerdotio arcerentur. Ad excindendum etiam impudicitiæ vitium, quo nonnulli ſeſe contaminarant, decretum ut qui concubinas vel in propriis domibus aliiſve alerent, ni eas a ſuo conſortio amandarent infra menſem dignitate deiicerentur, ac præſules diligenter in eos inquirerent. Ne latrones porro regionem infeſtam habere poſſent, anathematis ſententia in eos lata eſt, qui hujuſmodi publicos graſſatores foverent, vel in ſuas domos reciperent.

XLIX. *Adſtringenda religioſorum diſciplina.*

Convertere præterea patres ſtudium ad regularium adſtringendam diſciplinam, & collaudata abbatum ſacræ D. Benedicti familiæ ardens pietas, qui in publicis ordinis comitiis ad revocandam veterem obſervantiam ſtatuerant, ne carnibus niſi morbo impliciti, illius familiæ viri uterentur: atque adjecere, ut exacto tyrocinii anno vota nuncupari juberentur; nec ad abbatis prioriſve gerendum munus niſi votis religioni obſtricti promoverentur. Quam legem ad regulares canonicos, ac devotas Deo virgines pertinere voluere. Incumberent ſuo muneri obeundo archidiaconi, perluſtrarent eccleſias, ne eas ſumptibus gravarent: providerent ornamentis ac vaſis, ut dignitas ac majeſtas eccleſiaſtica ſervaretur: in dicundo jure juſtitiam colerent, nec ſententias ad emungendas pecunias iniquiores ferrent. Qui in foro eccleſiaſtico juſtitiæ adminiſtrandæ præfecti eſſent, ne captandi quæſtus gratia partium conciliari inter ſe ac tranſigere ex æquo & bono cupientium voluntates diſcuterent, concordiamve diſturbarent.

L. *Excolendis ad ſanctitatem præſulum moribus.*

Archiepiſcopi & epiſcopi in moderandis egregie populis operam defigerent, virtutum exempla in ſubditos transfundere niterentur, incruentum miſſæ ſacrificium ſolemnibus feſtis, ac dominicis in quadrageſima, & adventu in cathedralibus offerrent, circuirent ſuas diœceſes atque excolerent. Utque altius ipſorum animis obeundi pontificii muneris memoria imprimeretur, ſancitum ut ſacramenti forma, quam in conſecrationis celebritate nuncuparant, bis in anno coram ipſis legeretur. Præterea ut juſtitia adminiſtraretur probe, præficerentur judices virtute ac ſcientia præditi, & cauſæ maxime matrimoniales viris perſpectæ pietatis ac doctrinæ committerentur. Adnexa ſunt alia plura capita ad cauſas eccleſiaſtici fori cum integritate tractandas; dicteque procuratoribus, notariis, advocatis, ſigillorum præfectis ſalutares leges, quarum legendarum avidos ad Pariſium remittimus. Iiſque die tertio perfectis, ſubdit auctor legatum ſolemni pompa hymnum, cui initium eſt: *Te Deum laudamus*, aſſurgentibus omnibus concinere cœpiſſe, & antiphonam, quæ ab his verbis inchoatur: *In viam pacis*, decantaſſe; atque ita concilium ſolutum ac dimiſſum fuiſſe.

LI. *Lincoln. ep. apud legatum queritur abbatem creatum præſidem.*

Adiicere hic viſum eſt, cum de ſancitis legibus ad eccleſiaſticam diſciplinam primævo ſanctitatis ſplendori reſtituendam in Anglia agamus, Robertum Lincolnienſem epiſcopum, de quo anno ſuperiori egimus, querelas graves apud Othonem legatum effudiſſe, (*a*) Rollandum Benedictine familiæ abbatem regio juſſu tractandis ſæcularibus cauſis præfectum eſſe; quæ res tum ab religioſo ſtatu maxime abhorrebat, tum pontificias leges ac jura graviſſime infringebat: ſe quidem in caſu ſimili Cantuarienſem archiepiſcopum ſolicitaſſe, ut ad eam rem diſturbandam operam conferret, nec ullum tamen tanto malo ac incommodo remedium adhibitum hactenus fuiſſe. Plures ad ipſum archiepiſcopum Cantuarienſem epiſtolas hoc argumento dediſſe conſtat, e quibus ſequentem (*b*) adducimus, qua incendere ſanctum antiſtitem nititur, ut rei adeo nefariæ diſcutiendæ inſiſtat, eoque urget dilemmate: vel religioſos viros, qui id munus contra canonicas ſanctiones ſuſcipiunt, peccati ſe nexibus implicare, vel a crimine puros eſſe; ſi nullam peccati labem in eo contrahant, rem flocci videri pendendam: ſi vero peccent, eorum crimen in præſules, quibus animarum ſalus incumbit, ni ad eas ex tanto diſcrimine eripiendas

*Urget S. Eadmundum ut rem prohibeat.*

(*a*) *Ext. ea de re Roberti litera in M. S. Dominic. Cajet.*
(*b*) *Extat. ibid.*

ope-

operam ac vires contulerint, redundare. Quanto vero ſcelere ſeſe ii in eo gerendo munere obſtringant, eleganti oratione, adductis in medium canonicis legibus ac divinæ ſcripturæ oraculis, proſequitur: proinde ad eum permovendum, ut ad illud arcendum ſcelus pro ſolicitudine paſtorali nervos omnes intendat, adhortatur.

*Reverendo patri in Chriſto, ac domino Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo totius Angliæ primati ſuus devotus R... permiſſione divina Lincolnienſis eccleſiæ miniſter humilis ſalutem, & quam debitam tam devotam cum omni reverentia obedientiam.*

LII. Datæ eo argum. lit.

*Cum paterna, & paſtorali ſolicitudine animæ meæ proximam geratis curam, in ambiguis animæ meæ ſtatum contingentibus veſtrum potiſſimum non ſolum decet, ſed oportet inquirere conſilium, in imminentibus periculis apud vos tutiſſimum inveni re refugium. Sane ſatis innotuit veſtræ paternitati, qualiter regia poteſtas viros religioſos urget, ut juſtitiariorum itinerantium ad omnia domini Regis placita ſuſcipiant officium; & clericos ut cum impetuntur in actione perſonali laicalis poteſtatis ſubeant judicium. Intentat etiam domini Regis excellentia parvitati meæ non mediocres minas, eo quod auribus regiis intimatum, me talibus quæ, ut credo, vergunt in animarum diſpendium & eccleſiaſticæ libertatis præjudicium, obſtare velle, quaſi in hoc obſtare conarer coronæ & dignitati regiæ. Veſtræ quoque paternitatis diſcretio jam bis mihi ſignavit quod, ſicut viris ſapientibus & diſcretis viſum eſt, in hoc ſuperſedendum ſit, & diſſimulandum uſque ad concilium a vobis celebrandum. Quia igitur in iis, hinc inde vehementer pulſantibus in diverſa, animæ meæ timeo periculum, volens animæ ſaluti, pro qua bonam rationem debetis reddere in diſtricto examine in die judicii, a veſtræ paternitatis ſolicitudine diſtinctius conſuli, quæro a vobis mihi evidenter reſponderi, utrum religioſi gerentes officium juſtitiariæ hujuſmodi, & clerici cum impetuntur in actione perſonali, ſubiicientes ſe judicio laicali peccent, an non? ſi enim in iis non peccant, leviter ferendum eſt quod in hac parte facient: ſi vero in iis peccant, nunquam vos & ego, qui tenemur pro illis animas noſtras ponere, poſſumus ſine peccato eorum peccato non ſtatim occurrere, & eos aliquandiu in fovea peccati dimittere, ut poſtea cum maturiori conſilio eoſdem extrahamus a peccati puteo?*

LIII. Demonſtrat virum religioſum in eo munere gravi ſcelere devinciri.

*Quod autem in hac parte peccant tam religioſi quam clerici, videtur evidenter poſſe monſtrari: cum enim omnes teneamur obedire ſtatutis ſummi Pontificis & ſanctionibus canonicis, juxta illud præceptum Apoſtoli: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ſi contra canonicas ſanctiones manifeſto veniunt, nonne inobedientes ſunt, & quaſi peccatum ariolandi repugnando & ſcelus idololatriæ non acquieſcendo committunt? Secundum canonicas autem ſanctiones factas non* in publicarum rerum nexibus implicatos divinis ſervituros applicare miniſteriis. Nunquid igitur e converſo fas erit religioſos divinis myſteriis non ſolum ſimpliciter, ſed ex voto profeſſionis applicatos publicarum rerum nexibus implicari? Nonne ſecundum vocem ſponſæ expoliaverunt ſe hac veteri tunica? Quomodo igitur rurſum induent illam? Laverunt pedes ſuos ab iis inquinantibus, quomodo iterum inquinabunt illos? Epiſcopus, ut dicit canon, aut ſacerdos aut diaconus nequaquam ſæculi curas aſſumet, ſin aliter, deiiciatur: quid igitur monachus? qui non ſæculi curas, ſed etiam ſeipſum ex voto abnegavit? nonne item Gregorius Romano defenſori diſtrictius præcepit, ut ſtatim Baſilium epiſcopum velut unum de laicis in cauſis ſæcularibus occupatum, & prætoriis inutiliter inſervientem, quem hæc res ipſum vilem reddidit, & reverentiam ſacerdotalem annihilavit, ad revertendum eum diſtricta executione compelleret? nunquid autem eadem res abbatem ſimiliter non reddit vilem, & reverentiam religionis annihilat, aut quod Romano defenſori præceptum diſtrictius, non præcepit ſub conſimili diſtrictione Pontifici? quomodo ergo abbas velut laicus cauſis ſæcularibus occupatus, ac per hoc ſe vilem reddens, & reverentiam religionis annihilans, aut Pontifex eum ad revertendum diſtricta executione* compellens non peccat?*

* licet

* non

LIV. Rem in Lateran. concilio vetitam.

*In concilio quoque Lateranenſi prohibitum eſt, ne quiſquam clericorum præſumat juriſdictiones ſæculares ſub principibus & ſæcularibus viris, & ut juſtitiarius eorum fiat, exercere, & ſi quis adverſus hæc venire tentaverit, ab eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus; diſtrictius vero decernuntur puniendi religioſi, ſi tale aliquid auſi fuerint attentare. Plurima ſunt & alia canonum loca, quæ vos & veſtrum concilium incomparabiliter melius noviſtis quam ego, in quibus evidenter prohibetur non ſolum religioſis, ſed etiam clericis, ne judices ſeu cognitores ſæcularium negotiorum exiſtant, ne aliqua occupatione prorſus mundialis negotii inveniantur perplexi. Quomodo igitur abbates officium juſtitiariæ ſæcularis exercentes ac per hoc canonum inſtitutis inobedientes in hoc a peccato ſint immunes, nequaquam video; quinimmo & clericos quoſcunque infra ſacros ordines conſtitutos in hoc caſu a crimine inobedientiæ excuſare neſcio.* Et infra:

LV.

*Si igitur religioſi peccant ſæculare judicium exercendo, & clerici in actionibus perſonalibus accuſati, ſæculari judicio ſe ſubiiciendo, nunquid & nos, qui curam eorum paſtoralem habemus, non peccabimus etiam ſemel eos hoc modo peccare permittendo? Nunquid ſi hoc vel ſemel permittimus, cum obſtare poſſimus, licet forte non ſine temporali diſpendio, non erimus ſicut murus dirutus & maceria depulſa; non ſuſcipientes prius nec repellentes petrariorum ictus; ſed ad cives occidendos, qui ſub munimine noſtro tuti eſſe deberent lapidibus de petrario proruentibus patentem & liberum dantes progreſſum, nunquid ſic non erimus mercenarii, videntes perſecutionem imminentem quaſi lupum venientem, dimittentes oves & fugientes? Perſecutio enim regiæ poteſtatis, quæ religioſos & clericos ad prædicta compellit, ſi ea faciendo peccent, quid aliud eſt quam lupus morte peccati, ad quod trahit, oves occidens, nos vero ſi perſecutioni non occurramus, ejus impetum prius ſuſtinentes, & ne oves noſtras peccato occidat fortiter obſiſtentes, quid aliud ſumus quam paſtores viſo lupo timide fugientes?*

Præſules non poſſe ſine flagitio illam diſſimulare.

LVI.

*Præterea ſi clerici libertati Eccleſiæ derogant, & ſic matrem Eccleſiam inhonorant, ac per hoc peccant, cum ſæculari judicio ſe ſubmittunt, nos prælati, qui ad mandatum regium compellimus eos ſuper delicto accuſatos in foro laicali reſpondere, non ſolum trepide fugiendo eoſdem a lupo crudeliter occidi damnabiliter permittimus, ſed magis ipſimet, pro quibus fortiter mori debemus, in mortem atrociſſime detrudimus? Abſit hoc procul ab animarum epiſcopis & paſtoribus, quibus ut dilucide noviſtis, & præclare frequenter docuiſtis, magis eligendum eſt non ſolum omnium terrenorum detrimentum facere, ſed etiam mortem acerbiſſimam, & probroſiſſimam ſi poſſent, etiam infinities ſuſtinere, quam vel ſemel peccare. Nec eſt præſulum peccatum in hujuſmodi mediocre, præſertim ſi contra ſtatuta canonum & decretalium epiſtolarum talia permittendo, ſeu faciendo veniant; cum in conſecrationibus ſuis ſolemni voto promiſerint traditiones orthodoxorum patrum, ac decretales ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis conſtitutiones reverenter ſuſcepturos, docturos, atque ſervaturos.*

LVII.

*Quapropter paternitatis veſtræ ſanctitatem obteſtor, & adjuro per tremendum judicium, quatenus evidenter & dilucide mihi reſcribat, ſicut bonam vult reddere rationem pro me in eodem diſtricto examine, utrum religioſi & clerici præſcripta faciendo, & prælati, qui curam eorum gerunt, hæc aliquando permittendo, vel diſſimulando, vel quod magis eſt, ad mandatum regium ad talia compellendo, vel ob timorem inſurgentis adverſitatis correctionem talium, dummodo interim agantur, differendo peccent, vel non.* Et paucis interjectis verbis: *Hic eſtote murus æneus omni perſecutionis impulſui pro noſtra puſillanimitate prius oppoſitus: hic eſtote dux in caſtris Iſrael præliantes prælium Domini cum viro fortiſſimo Juda Machabæo, accipientes armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare ſuccincti lumbos in veritate, induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis; in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi extinguere, & galeam ſalutis aſſumentes & gladium ipſius, quod eſt verbum Dei: ſic enim armati præcedentes ſcapulis veſtris obumbrabitis nobis & ſub pennis veſtris ſperabimus, & cadent a latere veſtro mille & decem millia a dextris veſtris; ad vos autem non appropinquabit laqueus venantium, neque verbum aſperum: quia ſanctiſſimo prædeceſſori veſtro martyri Thomæ invictiſſimo mandavit de vobis, ut coſtudiat vos in omnibus viis veſtris, qui in manibus portabit vos, ne unquam offendatis ad lapidem pedem veſtrum.*

LVIII. Richardi Dunelm. ep. pia mors.

Abſolvamus Anglicanas res allata inſignis geſtarum rerum gloria epiſcopi Dunelmenſis Richardi ſcilicet felici morte, qui ingens ſui deſiderium hoc anno bonis reliquit. Geſſerat ipſe tres eccleſias, ac Dunelmenſem quidem gravi ære alieno oppreſſam liberavit. Cum vero Saresberienſem regeret, ſacras ædes elegantiſſimo opere, ut refert Pariſius (*a*) excitavit, ad quod opus ſuas etiam Rex ac proceres divitias contulere; unde illud diſtichon a poeta quodam confectum:

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

*Rex largitur opes, fert præſul opem, lapicidæ*
*Dant operam. Tribus his eſt opus, ut ſtet opus.*

Sed qui ſancte vixerat extremam periodum illius ſanctiſſime peregit. Cum enim imminere ſibi mortem prævideret, ſacram ad populum habuit concionem; ingraveſcenteque morbo, ſequenti die iterum ad populum peroravit, ut ad pietatem inflammaret: denique compoſitis rebus ſuis cum veſpere completorii preces funderet, inter ea verba: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*, animam exhalavit.

LIX. De vitæ ſanctitate & miraculis Ildegardis inquiri jubet Pont.

Cum antea Pontifex nonnullis viris eccleſiaſticis provinciam commiſiſſet, S. Hildegardis geſta, ac miracula ad examen revocarent, ſeque, ut ſanctorum numero eam referre poſſet, de re tota certiorem facerent; ſed in tabulis ab iis confectis deſiderarentur plura, ut qui debitis circumſtantiis eas non inſtruxiſſent; piis atque eruditis viris eccleſiaſticis præcepit (*b*), ut edita miracula majori dili-

(*b*) *Lib. 11. ep. 63.*

ligentia diſcuterent, atque inſpectis perſonarum, locorum, temporum aliarumque circumſtantiarum notis, ac ſignis teſtibuſque ſacramento adactis, omnia ſcriptis publicis commendata ad ſe tranſmitterent : *Supplicantibus nobis olim dilectis in Chriſto filiabus abbatiſſa & ſororibus monaſterii S. Roberti de Bingia Maguntinenſis diœceſis, ut recolendæ memoriæ Hildegardem abbatiſſam ejuſdem monaſterii, quæ in vita & poſt mortem multis dicitur coruſcaſſe miraculis ſanctorum aſcribere catalogo curaremus, deferri ad nos libros ipſius, quos Sancti ſpiritus revelatione compoſuiſſe creditur, facientes, cum præter pſalterium nullas literas didiciſſet;* Concepiſſe magnam de ipſa adhuc vivente ſanctitatis opinionem Eugenium III. atque ut ſcriptis ea quæ ipſi a Spiritu ſancto ſuggererentur, commendaret, literis apoſtolicis excitatam refert Baronius (*a*); *nos præpoſito majoris eccleſiæ VV... decano & A.. ſcholaſtico S. Petri Maguntini noſtris dedimus literis in mandatis, ut de ipſius vita, converſatione, fama, meritis & miraculis, ac generaliter de omnibus circumſtantiis per teſtes fide dignos inquirerent diligentius veritatem, nobis quod invenirent cum prædictis libris ſub ſigillis ſuis fideliter remittentes. Quorum ad nos inquiſitione remiſſa quoſdam invenimus in illa defectus, cum enim habeatur in depoſitionibus teſtium ad noſtram præſentiam deſtinatis, quod eadem multos curaverat dæmoniacos & infirmos, nec perſonæ, nec loca, nec tempora deſignantur; neque reperitur in eis quid vel quæ magiſtra dixerit, cum tamen dicatur ibidem majorem partem conventus idem quod magiſtra dixiſſe. Præterea cum magiſtra ipſa primo interrogata depoſuerit illam multa ſigna feciſſe, in dictis depoſitionibus invenitur tam dixiſſe idem, quod teſtes alii & conventus. Quocirca mandamus quatenus in inquiſitione præfata diligenter, ac provide juxta formam illis traditam procedentes, quæ inveneritis, ſub ſigillis veſtris diſtincte ac prudenter expoſita uſque ad noſtrum beneplacitum fideliter conſervetis. Dat. Viterbii* II. *non. maii pontificatus noſtri anno* XI.

(a) Baron. tom. XII. an. 1148. n. 32.

LX. De veritate Stigmatum S. Franciſci ad Germanos ſcribit. (b) Ib. ep. 14.

Ardebant tum Germaniæ populi ſingulari in D. Franciſcum pietate, quam eximia ab ipſo edita miracula incenderant; ad quam alendam Pontifex apoſtolicas ad eos literas (*b*) de ſacris ſtigmatibus, quibus vir ſanctiſſimus, dum in humanis ageret, pulcherrimo divini erga eum amoris argumento fuerat inſignitus, exaravit: *Confeſſor Domini glorioſus B. Franciſcus qualis vitæ meritis proceſſerit ad patriam perpetuæ claritatis explicare literis arbitramur fore ſuperfluum, cum id fere pervenerit ad fidelium notitiam ſingulorum. Veruntamen grande ac ſingulare miraculum, quo ipſum ſanctorum ſplendor & gloria Dominus Jeſus Chriſtus mirabiliter decoravit, univerſitati veſtræ tenore præſentium non indigne duximus exprimendum; videlicet quod idem ſanctus, cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter conſummavit, manibus, latere, ac pedibus ſpecie ſtigmatum divinitus extitit inſignitus. Quo ad noſtram & fratrum noſtrorum deducto notitiam, & cum cæteris ejuſdem miraculis per teſtes fide digniſſimos probato ſolemniter, ex ipſo ſpecialem cauſam habuimus, quod confeſſorem eundem de dictorum fratrum, & omnium prælatorum conſilio, qui tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtebant, ſanctorum catalogo duximus aſcribendum, &c. Dat. Viterbii* II. *kal. aprilis.*

(c) Ep. 19. Arguit ep. Olomuc. negantem cum iis ſacris notis delineandum.

Perſtrinxit (*c*) vero graviſſimis verbis Olomucenſem epiſcopum, qui veritati tanti miraculi fidem detrahebat, negabatque ſancti viri imaginem cum ſacris ſtigmatum veſtigiis adumbrandam eſſe: cui Gregorius inculcavit tanto explicito a numine in B. Franciſco miraculo maxime adductum fuiſſe, ut illi ſanctorum cultum decerneret. Qui plura de his velit, Baronium (*d*) conſulat in notis ad martyrolog. Rom. XV. kalend. octob. quo die rei adeo admirandæ memoria in Eccleſia celebratur. Jam nos ex illo divinæ bonitatis illuſtri miraculo ad ſeveritatis illius inſigne prodigium ſermonem traducamus.

(d) Bar. in martyr. Rom.

LXI. Miecislaus dux Polon. divinitus a muribus corroſus.

Formidandum Deus hoc anno juſtitiæ exemplum in Miecislao Poloniæ duce ob direpta orphanorum, & viduarum per ſummam injuſtitiam ac ſcelus bona ſtatuit, cujus hiſtoriam Jo. Longinus deſcribit his verbis (*e*): *Miecislaus propter cæſariem capitis parum ſanam appellatus Koſchisko ducatum Cujavienſem ex patris ſui ducis Maſoviæ Conradi conceſſione inter fratres ſortitus, dum quaſdam viduas & orphanos præter æquitatem & juſtitiam ſpoliaſſet, & vaccis eorum mactatis ſubſtantiiſque occupatis convivium ſplendidum ex illis optimatibus & militibus Cujavienſibus præparaſſet, & in illo opipare * uſurus conſediſſet, inter prandendum & convivandum (juſtiſſimo Deo enormia ſua peccata præſentia & tranſacta vindicante) mures infiniti conveniunt, ipſumque devorare cœperunt. Qui imminens periculum declinaturus, navim conſcendens ad aquas & flumina perrexit quibus nequaquam ſuffragantibus a muribus illum per omnes undas & maria inſectantibus miſerabiliter conſumptus & devoratus eſt; documentum non inutile injuriæ viduis & orphanis inferendæ poſteris præſtiturus.* Eadem Chromerus (*f*) & alii rerum Polonicarum ſcriptores. Similis ultionis divinæ exemplum in viro nobili editum, qui

(e) Long. hiſt. Pol. l. 6.

* eſurus

(f) Chrom. l. 8.



qui cum bona eccleſiæ invaſiſſet, a muribus, quamvis eorum impetus arcere tentaſſet, diſcerptus confectuſque eſt, adducit Card. Baronius in annalibus (*a*).

(a) Baron. to. XI. an. 1011. n. 2.

LXII. Utque ad res Polonicas, a quibus parum deflexit, oratio revocetur, geſſere ſe aliter quam infelix Miecislaus alii Poloniæ duces, Wratiſlaviæ, Cujaviæ, atque Henricus cum barba Sleſiæ, quorum ultimus ingentia bona, nimirum oppidum Cazimiers in majori Polonia, cum ditione ad id ſpectante, aliaque loca duodecim in Lubecenſem eccleſiam liberaliſſime contulit. Boleslaus vero Pudicus Cracovienſis, ac Sandomirienſis dux conſiliis Grizimislavæ duciſſæ matris piiſſimæ feminæ ſolicitatus, evocatis Praga Minoritis pulcherrimo atque eleganti opere eccleſiam, ac monaſterium ipſis excitavit, quamvis ex annis puerilibus nondum exiiſſet, quæ Longinus (*b*) proſequitur.

(b) Long. in hiſt. Pol.

LXIII. In Livonia hoc anno religioſi militiæ Chriſti equites, exercitu crucesignatorum conflato, cum paganis circumjacentibus infeſta ſigna contulere, a quibus, ut tradit Albertus Stadenſis (*c*) ingentem cladem accepere, innuuntque literæ apoſtolicæ; cujus ſtragis occaſione, in qua magiſter crucigerorum, & quinquaginta equites religioſi fortiter, ac glorioſe occubuerunt, flebilibus literis a Pontifice expetiere ut fratres hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum de Hieruſalem, ordini ſuo aggregaret. Quorum precibus flexus Gregorius, illos dicto ordini conjunxit, adeo ut ex duobus unus militaris ordo coaleſceret, eaque de re epiſcopus Rigenſi, Tarbatenſi, & Oſidienſi ſcripſit (*d*): affulgebat enim ſpes præclara, ut hujuſmodi conjunctione Chriſtiana religio latius efflореſcere, neophyti facilius defendi, hoſteſque fidei Chriſtianæ edomari poſſent.

(c) Stad. in chron. an. 1236. Crucigeri equites magna ſtrage ab infidelibus deleti.

(d) Greg. l. 11. ep. 64.

*Gregorius, &c.*

LXIV. Hoſpitalarii S. Mariæ Theuton. illorum ordini aggregati.

*Grato dilecti filii magiſtri & fratrum S. Mariæ Theutonicorum religionis odore ſe per mundi climata diffundente, provenit de gratia Redemptoris, quod eadem eſt & Apoſtolicæ ſedi chara non modicum, & dilecta multitudini fidelium populorum. Inde fit, quod dilectus filius præceptor & fratres militiæ Chriſti de Livonia, ex ſignis evidentibus præſumentes jam dicti hoſpitalis collegium in virtutum amplexibus eſſe multipliciter ſtudioſum, pluries magiſtrum eundem, ut eos ſuo incorporaret ordini, per nuntios & ſpeciales litteras affectuoſe, ſicut accepimus exorarunt; nobis tandem illud idem poſt caſum lugubrem, quem in occaſu magiſtri, & quinquaginta fratrum ejuſdem militiæ, ac peregrinorum plurium paganorum ſæviente perfidia, noviter pertulerunt, una vobiſcum per flebiles literas ſuppliciter poſtulantes, ſpe ſibi propoſita, quod cum præfatus magiſter & fratres ſtrenuam, & famoſam habeant in ſua domo militiam; theſauro pretioſius arbitrantem animam pro illo ponere, qui ſuam pro redemptione fidelium noſcitur poſuiſſe, divina ſuffragante potentia provenire valeat, quod ipſi ad invicem, ſi unum ovile fuerint, cito partem oppoſitam dextera conterent triumphante ibi celebrem reddituri Patris æterni Filium, ubi colentium poteſtates aereas infinita multitudo periit animarum.*

*Nos igitur qui nihil gratius ampliatione catholicæ fidei reputamus, digne volentes ut eorum præceptoris & fratrum pium deſiderium ad effectum perveniat exoptatum; quinimmo plena credulitate tenentes quod fratribus hoſpitalis ejuſdem apponet Dominus in Livonia reperiri magnificos, quos ſua virtute reddidit in Pruſſiæ partibus ad victoriam expeditos; ipſorum ordini memoratos præceptorem & fratrem de fratrum noſtrorum conſilio uniendos duximus cum bonis omnibus eorundem; auctoritate apoſtolica ſtatuentes ut ipſi & cæteri fratres prædicti hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum, qui pro tempore fuerint in Livonia, ſicut, hactenus ſub diœceſanorum, & aliorum prælatorum ſuorum juriſdictione conſiſtant, &c. Dat. Viterbii* II. *idus maii anno* XI.

LXV. Eodem argumento cum ad Willelmum epiſcopum olim Mutinenſem (*e*) pœnitentiarium ſuum, tum ad alios (*f*) literas exaravit, quibus has ad eundem Willelmum addidit (*g*) ut operam ſuam collocaret ad Regem Daniæ dictæ religionis equitibus conciliandum, ne ſi de ea ditione inter ſe diſceptarent, damna Chriſtianæ rei ingentia inferrentur: *Fraternitatem tuam rogamus & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Daciæ per te ſi facultas obtulerit, vel per literas & nuncios ſpeciales ad hoc, juxta ſcientiam tibi deſuper attributam, inducas ſtudio diligenti quod cum præfatis fratribus hoſpitalis, poſtquam ad partes ipſas pervenerint, ſublata cujuſque materia quæſtionis, quæ ſunt pacis & tranquillitatis habeat, & eoſdem devotione perpetua ſibi conſtituat obligatos; præſertim cum ipſi de caſtro Revelut ſub eorum dominio ſemper pacifice teneatur, juxta providentiam tuam parati ſint faciendum aſſumere, quod tam eis quam dicto Regi ſit congruum, & partis utriuſque profectibus opportunum, &c. Datum Viterbii* III. *idus maii anno* XI.

(e) Ib. ep. 65.
(f) Reg. poſt and. ep.
(g) Ep. 66.

Jubet pacem inter ipſos Regemque Daniæ conciliari.

LXVI. Teveſtini a fide deficiunt.

Conjungendi ſane inter ſe fuerunt arctiori fœdere ſeptentrionales Chriſtiani, quo barbari inſitam animis crudelitatem in fideles atrocius effuderunt, ac Teveſtini Chriſtianis antea ſacris initiati abjecta

Crudelitatem exercent in Chriſtianos.

ēta religione ad impietatem deſciverunt, & Chriſtianum cultum funditus delere cæco furore meditati, parvulos cœleſti lavacro expiatos enecare, quoſdam adultæ ætatis, extractis prius evulſiſque barbara immanitate viſceribus, dæmonibus litare, ſacerdotibus eruere oculos, membra crudeliter obtruncare, flammiſque iniicere non perhorruerunt: quorum ſcelere audito Gregorius Upſalenſem archiepiſcopum, ac ſuffraganeos epiſcopos operam diligentiamque adhibere juſſit, (*a*) ut ſacra adverſus impios apoſtatas militia contraheretur.

(*a*) Ep. 311.

*Gregorius, &c.*

Comparari in eos crucesig. acies juſſæ a Gregor.

*Plantavit vineam dextera Domini, eamque ſanguine Filii ſui voluit irrigari, ut ex fluente de Chriſti latere rivulo fœcundata vinum produceret, cujus refectus dulcedine plantator Altiſſimus exultaret. Sed proh dolor! ecce ab apro de ſylva exterminium patitur: ecce ſingularis ferus eandem ſuis paſtibus demolitur, nam ſicut tranſmiſſæ ad nos veſtræ literæ continebant, illorum qui Taveſti dicuntur, natio quæ olim multo labore & ſtudio veſtro & prædeceſſorum veſtrorum ad fidem catholicam converſa extitit, nunc procurantibus inimicis crucis prope poſitis ad antiqui erroris reverſa perfidiam, cum quibuſdam barbaris novellam Eccleſiæ Dei plantationem de Taveſtia funditus diabolo coadjuvante ſubvertunt, parvulos, quibus in Baptiſmo Chriſti lumen illuxit, violenter de hac luce ſubtractos interimunt, quoſdam adultos extractis ab eis primo viſceribus dæmonibus immolant, & alios uſque ad amiſſionem ſpiritus arborem circuire compellunt: ſacerdotes vero quoſdam exoculant, & quibuſdam eorum manibus & cæteris membris crudeliter mutilatis, reliquos in combuſtionem & cibum ignis paleis involutos exponunt: ſicque ipſorum paganorum ſævitiis regnum Svetiorum opprimitur, quod de facili extremam fidei deſolationem incurret, niſi ſibi Dei & Apoſtolicæ ſedis auxilio ſuccurratur. Verum cum tanto libentius contra hujuſmodi apoſtatas & barbaros impugnandos ſit a viris Deum timentibus inſurgendum, quanto majoribus Eccleſiam Dei damnis affligere cupiunt, qui fidem catholicam tam deteſtabili crudelitate confundunt, mandamus quatenus viros catholicos in regno prædicto & vicinis inſulis poſitos, ut contra eoſdem apoſtatas & barbaros crucis ſignaculum aſſumentes, ipſos viriliter & potenter expugnent præceptis ſalutaribus inducatis.* Addit propoſita iis ſacrarum indulgentiarum præmia, qui ad arma adverſus infideles proſilierint. *Dat. Lateran. V. idus decemb. ann.* XI.

LXVII. Vigebat per illa tempora conſuetudo, ut Nidroſienſis in Norvegia archiepiſc. electus ad ſacra pontificalia ſuſcipienda Romam ſe conferre obſtrictus eſſet: ſed cum tenuiores archiepiſcopatus opes, ac redditus eſſent, ingenteſque ſumptus ob vaſta locorum intervalla profundendi forent, conſentientibus ſuffraganeis, quædam illi pecuniæ vis decreta fuit; ad quæ confirmanda a ſummo Pontifice ut ſuam adiiceret auctoritatem, poſtulavit obtinuitque (*b*). Conſuluerat idem archiepiſcopus Gregorium, cum maxima in illis regionibus frumenti vinique inopia eſſet, num vini loco cereviſia, atque ex altera ſpecie quam frumento confectus panis conſecrari ad Chriſti corpus conficiendum poſſet. Ad quæ Gregorius fieri non poſſe reſpondit, (*c*) niſi quod a primis naſcentis Eccleſiæ incunabulis ex apoſtolica traditione perennique conſuetudine tanquam certiſſimum ad nos dimanavit. Solicitus præterea Pontifex, ut idonei præſules ad obeunda ſua munera ſacris præeſſent, alterum Holenſem orbatum oculis, Orcadenſem alterum paralyſi laborantem, epiſcopali munere facto archiepiſcopo imperio ſubmoveri, utque officio diſcederent compelli juſſit (*d*); præterea injunxit (*e*) uti abuſum illum, quo ſacerdotes uxores ducebant, penitus deleret. Hactenus de ſeptentrionalibus rebus, jam ad orientales ſermonem traducimus.

Vetus mos ut Nidroſienſis arch. pro obtinenda conſecratione Romam peteret.

(*b*) Ep. 69.

(*c*) Eod. l. 11. ep. 70.

(*d*) Ib. ep. 74. 75.

(*e*) Ep. 77.

LXVIII. Vatacius Conſtantinop. Imp. in periculum adducit.

Quatiebat gravi bello Conſtantinopolitanum Imperium Vatacius ſchiſmaticus, pluribuſque urbibus in ſuam poteſtatem redactis, Conſtantinopoli ferro flammaque armatus imminebat. Ad quem Gregorii extant literæ (*f*) ut ipſum a cœptis abduceret, atque ad jungenda cum cæteris Chriſtianis adverſus Sarracenos arma flecteret. Sed cum preces apoſtolicas reſpueret, Pontifex quem gravis cura angebat, ne everſo Conſtantinopolitano Imperio Syria, uti contigit extremo exitio ſterneretur, ad conflandas in occidente auxiliares copias nonnullos præſules, ut Burdegalenſem (*g*) archiepiſcopum in Aquitania, Wintonienſem (*h*) in Anglia atque alios, pro concione juventutem Chriſtianam ad induendam crucem incendere juſſit (*i*). Dedere itaque plures ſacræ in Græcos militiæ nomen; inter quos conſpicui nobilitate Burgundiæ dux, ac Matiſconenſis comes (cui Pontifex pecunias, quas profectionis Aſiaticæ voti rei Lugdunenſis, Matiſconenſis & Cabilonenſis urbium, ac diœceſeon legitimo impedimento impliciti ad redimenda itineris incommoda obtulerant, in militum ſtipendia dari præcepit (*k*) ferendis Conſtantinopolitano Imperio auxiliis ſe devovere; indictæque ab ſede apoſtolica ad profectionem aggrediendam kalendæ martiæ ſequentis anni. Quo argumento Pariſienſium Dominicanorum magiſtro literæ, (*l*) ac partes datæ, moneret cruceſignatos, ut ſe ad iter ſtato tempore impigre compararent.

(*f*) Ep. 95.

(*g*) Ep. 289.

(*h*) Ib. ep. 295. 296. 297.

(*i*) Ep. 272.

(*k*) Ep. 264.

(*l*) Ep. 288.



LXIX. Aſanes Bulg. Rex ſe Latinis conjungit.

Ingentia ſimiliter pontificia opera in Ungaria, Blachia, & Bulgaria, e quibus facilius educi exercitus poterat, ad retundendos Græcos auxilia conficiebantur. Aſanes enim, cui nimia Vatacii potentia ſuſpecta eſſe cœperat, ſe ab illius conjunctione divulſerat; ſcriptiſque Rom. Pontifici literis magnum erga ſedem Apoſtolicam ſtudium præ ſe tulit, atque in Bulgariam legatum mitti flagitavit, ut cum eo de tuendo Conſtantinopolitano Imperio conſilia agitaret. Quo nuntio felici lætus Gregorius, ut ſchiſma, quo plures Bulgari infecti erant deleret, atque Aſanis opera aut Vatacium ad catholicæ Eccleſiæ conjunctionem adduceret, vel ejus impetus debilitaret, Peruſinum epiſcopum legati apoſtolici munere auctum in Bulgariam tranſmiſit, deque illi injuncto munere cœptiſque urgendis has literas Aſani (*a*) dedit.

(*a*) Eod. l. 11. ep. 96.

*Nobili viro Aſſano, domino Blachorum & Bulgarorum.*

LXX.

Peruſinus ep. ad ipſum legatus miſſus.

*Nobilitatis tuæ literas benigne recepimus, & quæ continebantur in iis, intelleximus diligenter, devotionem tuam in Domino commendantes, ac proſequentes actionibus gratiarum pro eo quod in humilitatis ſpiritu te Deo, & Eccleſiæ Romanæ prona devotione ſubſternens, magnanimitatem tuam nobis placitam ſatagis exhibere. Cæterum cum, ſicut ex literis ipſis accepimus, perſonam honorabilem & circumſpectam ad tractanda cum ea de ſtatu Imperii, & civitatis Conſtantinopolitanæ de latere noſtro deſideras deſtinari, ecce venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Peruſinum virum utique approbatum, literarum ſcientia præditum & morum honeſtate præclarum, diſcretum, & providum, ac nobis & fratribus noſtris merito ſuæ probitatis acceptum, ad partes eaſdem commiſſo ſibi legationis officio providimus deſtinandum: qui a nobis inſtructus tam de Terræ ſanctæ, & prædictorum Imperii, ac civitatis Conſtantinopolitanæ ſubſidio, quam de aliis univerſis te reddere certiorem, ac tecum de iis plene deliberare poterit, & tractare. In proximo enim, auctore Domino, eiſdem terræ, ac Imperio tam per cruceſignatos, quorum per Dei gratiam maxima eſt multitudo, quam per alios Chriſti fideles, in forti manu & extento brachio ſuccurretur. Ideoque nobilitatem tuam rogandam duximus attentius & monendam mandantes quatenus eundem epiſcopum, cum ad te venerit, immo nos in ipſo verius, benigne recipiens & honeſte pertractans, quæ tibi ex parte noſtra duxerit exponenda, credere ſtudeas & efficaciter adimplere. Interim autem taliter elabores, præſtando chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanni Conſtantinopolitano Imperatori illuſtri conſilium, auxilium & favorem, quod te catholicum principem, & Apoſtolicæ ſedis devotum filium, & fidelem operum exhibitione demonſtres, ac nos ſinceritatis tuæ zelum poſſimus in Domino merito commendare. Dat. Viterbii* XII. *kal. junii anno* XI. Ipſique aliis datis literis (*b*) commendavit, certioremque fecit, contractas ingentes cruceſignatas copias quamprimum affuturas, ſeque illi ad comprimendos Græcos conjuncturas.

(*b*) Ib. ep. 113.



LXXI. Cumque legatus apoſtolicus terras Belæ Ungariæ Regis peragraturus eſſet illum Regi, ut benigne acciperet, commendavit (*c*): cum maxime id conſilium agitaret, ut Imperium Conſtantinopolitanum a Græcorum vi atque invaſione Latinis aſſereretur, quo Terræ ſanctæ recuperandæ facilior aditus muniretur: quas preces aliis literis repetiit (*d*), quibus Boſnenſem olim epiſcopum Peruſino ad legationem obeundam conjunxiſſe ſignificavit: *Serenitatem tuam rogandam duximus in Domino Jeſu Chriſto, te per ipſius crucem & ſanguinem obſecrantes, quatenus prudenter advertens, quod ab aliquo ſubditorum tua gratia non poſſit impetrari facilius, quam quod idem in tuis habeatur obſequiis expeditus, propitiationem Altiſſimi, qui te condidit & redemit, in hoc eo donante mereri ſtudeas, quod ad omnia, per quæ ipſius hereditas erui poſſit de manibus paganorum, invaleſcas, grandi ſtudio juxta magnitudinem tuæ, ac tuorum potentiæ proviſurus, ut cum Romaniæ Imperium continuis anguſtiis fatigatum tanto ſit opportunum Terræ ſanctæ negotio, quanto per ipſum peregrinis via tribuitur, & ſecuritas, ſolatium procuratur, ab imminenti diſcrimine præripi, & commodis ac honore filiorum matris Eccleſiæ valeat conſervari. Verum cum in hoc præcipue facultas proſperitatem hujuſmodi conſequendi conſiſtere videatur, ut nobilis vir Aſſanus ſtudeat Eccleſiæ devotione continua complacere, aut quod Vatacius ad ipſius gremium auctore Domino revertatur, tua ſerenitas quantum in ipſa fuerit, quod utrumque proveniat, & videri ſolicita, & efficax ſtudeat inveniri, honore quo ipſa condecet recepturus; venerabilem fratrem noſtrum Peruſinum & I... quondam Boſnenſem epiſcopos, viros utique ſcientia & honeſtate conſpicuos, quos Deo dilectos, & acceptos nobis, ac fratribus noſtris piæ vitæ ſtudiis & titulo multimodæ probitatis, ad partes ipſas ſuper hujuſmodi negotio deſtinamus, ſpem firmam & ſecuram fiduciam obtinentes, quod per eorum induſtriam & virtutem, tui favoris accedente ſuffragio, optatum ſubſidium eidem negotio producatur, &c. Dat. Viterbii ann.* XI.

(*c*) Ep. 97.

(*d*) Ep. 110.

Commendatur Regi Ungariæ.

LXXII. Tum archiepiſcopo Colocenſi, ac ſuffraganeis præſulibus injunxit (*e*) ut lega-

(*e*) Ep. 112.

Excitati Ungariæ præſules ad conflandas cruceſignatas copias.

gatis juvandis ad cruce indutam militiam comparandam pro defendendo Imperio operam navarent: quibus etiam indulgentias in eos, qui nomen adſcriberent effundendi, laqueiſque anathematis, ſi quibus forte conſtricti eſſent, ni crimen atrociſſimum foret, ſolvendi poteſtatem fecit. Præterea ad archiepiſcopos, epiſcopos, cæteroſque dignitate conſpicuos e Bulgarorum clero ſcripſit (a) tum ut paternum affectum, quo ipſos complecteretur, explicaret, tum ut illorum benevolentiam, operam, atque induſtriam ad promovenda legati conſilia provocaret, ut nimirum Aſanes ad Imperium Conſtantinopolitanum propugnandum conſurgeret, vel Vatacium ab eo invadendo abduceret, atque ad Eccleſiæ gremium revocaret.

(a) Ep. 112.

LXXIII. *Solicite meditantes vos nobis in Chriſto chariſſimos in remotis habere partibus, quo fit ut ſpiritualis collationis alternæ ſolatio perſonaliter refici nequeamus; quinimmo quod plures in hujuſmodi locis exiſtunt, qui prædictæ gremium Eccleſiæ contemnentes, ac turbantes corda fidelium in Romaniæ Imperio poſitorum, nec non quantum in ipſis eſt, repagulum opponentes quod reddi libera non poſſit Hieruſalem civitas glorioſa, digne providimus, ut ad dictas partes venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Peruſinum, virum utique ſcientia & honeſtate conſpicuum Deo dilectum, & acceptum nobis, ac fratribus noſtris, piæ vitæ ſtudiis & evidentia multimodæ probitatis, conceſſo ſibi plenæ legationis officio mitteremus: qui & vobis affectionem, qua vos in Chriſto complectimur, affectuoſe denuntiet, & tandem hilaris in Domino rediturus, nos de vobis perfundat immenſitate lætitiæ ſolitæ patri de filiorum obedientia provenire. Rogamus itaque univerſitatem veſtram, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus eundem epiſcopum immo perſonam noſtram in ipſo admittentes hilariter, & condigna honoris plenitudine proſequentes, verba quæ in ore ſuo poſuimus, ſtudeatis & aure devota ſuſcipere & promptis affectibus adimplere, ei omne quod poteſtis conſilium & auxilium, in favorem creditæ ſibi ſolicitudinis, & ſuper eo potiſſime tribuentes, quod quæ prædiximus divinæ placita majeſtati, quantum in vobis eſt, annuente Chriſto proveniant; & dilectus filius nobilis vir Aſſanus dominus Bulgarorum & Blachorum circa Eccleſiam devotionis augumenta ſuſcipiens in defenſionem Imperii memorati multiplicatis viribus invaleſcat, ab inferendo ſibi diſcrimine deſiſtente Vatacio, utinam per vigilantiæ veſtræ ſtudium ad ſinum Eccleſiæ ſuperna ſuffragante clementia redituro: ſic enim ibidem, & per conſequens in partibus orientis nomen Domini pro voto poterit exaltari, &c. Dat. kal. jun. ann.* XI.

LXXIV. Hactenus Pontifex, ſed nullos exitus ea legatio habuit, cum Bulgarorum inconſtantia brevi pontificias ſpes evertiſſet. Aſanes enim, ut ſcribit Georgius (b) Logotheta, cum arma una cum Latinis conjunxiſſet, irrupiſſetque in Græcos, atque arcem munitiſſimam, cui Tzurulo nomen erat, obſidione cingeret, repentinis uxoris Ungariæ, filii, & epiſcopi Trinobi cumulatis funeribus perculſus in regnum abſceſſit, iterumque ad Græcos defecit. Soli itaque in caſtris relicti Latini, cum eluſos obſeſſorum conſtantia impetus viderent, removere exercitum coacti ſunt. Excepit alia Conſtantinopolitanos calamitas, nimirum Joannis Brenenſis Imp. mors, cujus virtute antea Conſtantinopolis a Vatacio & Aſane ut vidimus, obſeſſa ab imminenti exitio erepta fuerat. Illum porro cœleſtibus viſis admonitum depoſito regio faſtu abjectaque ſæculi pompa, paucis ante diebus quam morbo lethali tentaretur, Minorum ordini, ſummo animi ardore ac pietatis ſenſu delibutum ſeſe aggregaſſe narrat Wadingus (c) remque deſcribit his verbis Jordanus:

(b) Georg. Logoth. hiſt. Conſtantinop.

Tzurulum cum Latinis obſidet.

Solvit obſidionem deſciſcitque ad Græcos.

(c) Wading. in annal. Min. an. 1240.

LXXV. *Vehementer deſideranti* Joanni nimirum, *cognoſcere finem ſuum, & tempore non pauco propter hoc ſupplicanti Altiſſimo, tandem dormienti nocte quadam aſſiſtit ei vir venerabilis alba indutus in manibus ſuis tenens habitum fratrum Minorum cum chorda & ſoleis & ait illi: Joannes de fine tuo ſolicite deſideras ſcire modum. Noveris hoc eſſe voluntatis divinæ te in hoc habitu moriturum. Perhorreſcens ille regalis, ac imperialis faſtigii finem tam deſpectum, exterritus gemebunde clamavit; concurrentibus tamen cubiculariis, rem patefacere noluit. Sequenti nocte apparuere ei duo albati, & tertia tres, eadem repetentes juxta tres honorabiles ejus ſtatus comitis, Regis, & Imperatoris. Excitatus autem vocari jubet fr. Angelum confeſſorem ſuum, qui lacrymanti ait: Habui & ipſe tuæ ſimilem viſionem, cauſam ſcio vocationis. Poſt paucos autem dies tertiana correptus habitum ſumpſit & vitam in ordine feliciter conſummavit; & infirmus ac debilitate gravatus dicebat: O dulciſſime Jeſu Chriſte, utinam ego, qui delitioſe in pompa ſæculi vixi veſtibus pretioſis indutus, ſic poſſem, ſicut affecto, in hoc humili habitu cum ſacco ad collum eleemoſynas petendo oſtiatim, tuæ ſanctæ paupertatis & humilitatis ſequi veſtigia.*

Ea imminente S. Franciſci ordinem ingreſſum ajunt.

LXXVI. Hæc Jordanus, cujus narrationem fictionis ſuſpicione non carere aliquis exiſtimare poterit: ut enim pium mortis genus de piiſſimo principe inficiandum non ſit, ita non parum ab hiſtoriæ veritate aberrant, quæ auctor his præmittit.



tit. Scribit enim abſcedente Joanne Balduinum Conſtantinopoli relictum urbem amiſiſſe; cumque eo triſti caſu torqueretur Joannes, cœleſte illud viſum ipſi objectum fuiſſe: quem errorem, ut omittam auctores cæteros, abunde confutat Georgius Logotheta (a), dum ait Joannem non diu poſt initum a Vatacio & Aſane contra Latinos fœdus arctiſſima confirmatum affinitate, de quo ſuo loco diximus, vixiſſe atque hereditarium Imperium Balduino reliquiſſe, cujus poſtea geſta expugnationemque Conſtantinopolis longe poſt hæc tempora refert.

(a) Georg. Logoth. in hiſt.

LXXVII. Incidiſſe vero in hunc annum Joannis mortem, quamvis non deſint qui eam poſt annum hujus ſæculi quadrageſimum differant, teſtis eſt Richardus (b) illius temporis ſcriptor accuratiſſimus, cui Pariſius (c) conſentit his verbis: *Ipſo quoque anno ſublatus eſt de medio immortalis memoriæ inclytus quondam Rex Hieruſalem Joannes de Breſne jam pene culmen Græcorum nactus imperiale.* Indicatque etiam Pontifex, dum in literis (d) ſequenti anno datis Balduinum Imperii Conſtantinopolitani heredem appellat, quo honoris titulo antea non ornabat. Hic vero diſſimulandum non eſt Pontificem ab hiſtoricis (e), qui Joannem non imperaſſe, ſed tutelam Imperii tantum geſſiſſe ſcribunt, diſſenſiſſe, cum in apoſtolicis literis (f) Joannem Imperatorem, Balduinum vero tantummodo virum nobilem appellare conſueverit. Addimus etiam nuncios, qui ad Germanum patriarcham & Vatacium ab Rom. Pontifice miſſi fuerant & Conſtantinopoli egerant, in geſtæ legationis hiſtoria (g) Joannem Imperatorem nuncupare: e quibus conſequitur illum, qui ſe in ea re pontificiæ ſententiæ accommodaverit, a præſenti anno Imperii Balduini annos numeraturum; qui vero hiſtoricorum dicta ſecutus fuerit, quemadmodum, ut cum pluribus loqueremur, ſine præjudicio hiſtoricæ veritatis egimus, illius Imperii tempora more noſtro conſignaturum. Cæterum Balduinus cum relictas ſibi a Joanne habenas Imperii capeſſiviſſet, tantis ſe periculis cinctum vidit, ut in occidentem ad conflandas adverſus hoſtes copias confugere ſit coactus; de quo anno ſequenti. Nunc ad res Syriacas ſermonem convertamus.

(b) Rich. e S. Georg. in chr. hoc anno.
(c) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Non curator Imperii ſed verus Imperator extiterat.

(d) Rich. in chron. Par. hiſt. Aug. Geor. Logot. hiſt. Conſtant.
(e) Lib. 12. ep. 314.
(f) Lib. 11. ep. 96. & aliis ſupra allatis.
(g) Ext. in lib. cenſ. Vat. bibl.

Ab hoc anno cum Pontifice numerandi Balduini anni. Balduinus in occid. auxilia quæſiturus proficiſcitur.

LXXVIII. In primis igitur Gregorius patriarcham Hieroſolymitanum pontificalibus ſacris ornatum, ac dignitate legationis conjuncta cumulatum miſit, (h) clerumque ac magiſtros militiæ templi hortatus eſt, illius dictis obtemperarent: viriſque prænobilibus, qui cæteris dignitate eminerent, ſimilia injunxit. Patriarchæ eidem, atque epiſcopis Syris imperavit, (i) ne mancipia quæ ex animo cœleſti lavacro expiari cuperent, ſacramento arcerent: qui tamen priſtinæ ſervitutis jugum toleraturi eſſent, ne alii libertatis adipiſcendæ cupiditate illecti baptiſmi ſacra ficte poſtularent. Conflandæ vero ſacræ expeditioni excutiendoque Sarracenicæ ſervitutis jugo ab infelicibus fidelium cervicibus intentus Pontifex, ad Francorum Regem, ex cujus regno potiſſimum auxilia comparanda eſſent, ardentes zelo literas dedit (k): quibus accepta collataque in Eccleſiam ab eo beneficia celebravit. Cæterum cum a cruceſignatis rogatus eſſet, ut alieni æris, quo obſtricti erant, ſolutio proferretur, nec interim pœnas dilatæ ſolutionis ac damna incurrerent, Regem monuit ut publicas utilitates privatis anteferret, atque in ea re cruce indutis faveret.

(h) Lib. 10. ep. 380.
(i) Lib. 11. ep. 173.
(k) Ep. 116.

Solicitati ad expeditionem Aſiaticam Galli.

LXXIX. *Cum ſit homo pulvis & cinis, quid ſuo creatori retribuet: quid ei, de cujus manu ſuſcepit omnia, niſi de Domini promptuario tantum ſolvet? At humana fragilitas, cum non poſſit quod debet efficere, ut tamen efficiat quidquid poteſt, ſe totam & bona ſibi credita Dei & ſibi famulantium obſequiis perpetuis ſtudeat temporibus deputare; ut etſi Deo a nobis nihil dignum pro collata munerum turba rependitur, id non hominis vitio, ſed ipſius impotentiæ potius imputetur. Sed ecce, ſicut pluries meminimus ſcripſiſſe, plantata dextera Domini vinea, & Unigeniti ſui ſanguine irrigata, ab apro de ſilva exterminium patitur & ſingularis ferus eandem ſuis paſtibus demolitur. Ecce mater Sion flet, quia jugo premitur infidelium: ecce peculiaris æterni Patris hereditas luget, quia ipſam impie opprimit impietas paganorum, ad cujus liberationem multi barones & milites, & alii in regno Franciæ a Domino benedicto ipſius contritione contriti, ipſius doloribus & luctibus excitati, crucis ſignaculum ſuſceperunt, parati ſe morti pro Chriſto exponere; parati in Terræ ſanctæ ſubſidio pugnare pro gloria, ut poſſint dante Domino triumphare: in quo jam evidenter colligimus, quod regnum prædictum, cujus miniſterio quinquies Terram ſanctam divina diſpoſitio de manibus paganorum eripuit, & Conſtantinopolitanum Imperium ad obedientiam Eccleſiæ Rom. reducens, Eccleſiam ipſam illius ſtudio a multis interdum periculis liberavit, ſibi quaſi pharetram circa fœmur noſter Redemptor accinxerit, ex qua ſagittas electas extrahens ipſas, ut ſibi gentes & regna ſubiiciat, in arcu brachii potentis emittit, &c.* rogat ne cruceſignatos a creditoribus divexari patiatur. *Dat. Viterbii* VI. *kal. jan. an.* XI. Paucis vero poſt diebus miſſis ad archiepiſcopos ac reliquos Francorum regni præſules aliis literis, ita cruceſignatorum cauſam pro ſolvendo ære alieno contracto defenderent imperavit, (l) ut æqui-

(l) Ep. 117.

æquitatem ac creditorum jura non labefactarent.

LXXX. Urget Fridericum Pont. in Terram S. ducat.

Commoti pietate Chriſtianorum animi, ad Terram ſanctam e Mahumetanorum manibus liberandam proſiliere in arma, ingentibuſque conflatis copiis ſummum Pontificem rogavere, ut Fridericum impelleret, vel ad ferendum ipſis auxilium & commeatus ſuppeditandos, aperiendoſque portus, vel ut ipſe iis ſeſe conjungere, ac ducem præbere dignaretur. Quare Gregorius haſce literas ad illum ad tam pium opus inflammandum, ac virum Ciſtercienſis familiæ pietate præſtantem miſit (*a*).

(a) Eod. l. 11. ep. 284.

*Gregorius, &c. Frederico Imp.*

*Inclinavit cœlos in auxilium noſtrum deſcendens Altiſſimus, zelique gladio potenter accinctus ipſum elimat, & elimatum exacuit, ut terram ſanctam de manibus impiorum eripiat, ac Unigeniti ſui pedibus inimicos ipſius pro ſcabello ſupponat. Porro ipſum, qui etſi principaliter, non tamen ſolus hoc certamen aggreditur, comitum, baronum, militum, & aliorum cruceſignatorum Franciæ, & diverſarum provinciarum innumerabilis exercitus comitatur, vindicare Redemptoris, qui effuſus eſt, ſanguinem, & pro Chriſti injuria paratus ſumere de Chriſti hoſtibus ultionem: qui ne a tam ſalubri propoſito contraria & perverſa poſſent dæmonis, vel hominis ſuggeſtione ſubverti, ſe ad tranſeundum in terram prædictam in feſto B. Jo. Baptiſtæ proximo futuro in neceſſitatem voluntate transfuſa, duplici obligarunt vinculo juramenti: propter quod a nobis inſtanter expoſtulant, ut ad eorum in termino prædicto paſſagium Apoſtolicæ ſedis inclinemus, & tuum precibus inducamus aſſenſum.*

LXXXI.

*Habet autem favorem illorum petitio comitem, & ex ſua parte in ſuum adducit patrocinium rationem, quod quanto magis differtur prædictæ terræ ſubſidium, tanto ipſam periculoſius opprimit, & vires fortiores ſumit impietas paganorum: cruceſignati etiam, quorum quidem poſſeſſiones ſuas pro apparatu ſuo ſunt compulſi diſtrabere, nonnulli vero inopem victum longi temporis in ſuſtentationem tranſmarini itineris effundere ſunt coacti, hujuſmodi apparatum in neceſſariis cogentur vitæ conſumere: ſicque ex hoc ad præfatum ſubſidium reddentur inhabiles, & efficientur ex mora, quæ ſemper paratis nocuit, ad tranſitum impotentes; & ſi nunc oblatum renuimus ordinatione divina ſubſidium, cum iterato invocabitur Dominus, forſan precibus noſtris divina ſubtrahet majeſtas aſſenſum.*

LXXXII.

*Nunquid non merito nobis iraſcitur Dominus, ſi ejus gladium a ſuorum hoſtium ſanguine probibemus? Nunquid ſi ex culpa noſtra dominicus gladius in vaginam revertitur, iterum ſecundum humanæ diſpoſitionis beneplacitum exeretur? Legimus enim quod ſponſa, quæ pulſanti ſponſo peſſulum oſtii non ſtatim aperuit, eo declinante, quæſivit illum poſtmodum, nec invenit. Quocirca ſerenitatem tuam rogandam duximus attentius, & monendam, quatenus id ad examen imperialis providentiæ referens, & proceſſurum ex dilatione diſpendium, & ex proceſſu commodum proventurum, in libra rationis appendens in hac parte cruceſignatis eiſdem aſſentias, & eis in navigiis, portubus, victualibus & aliis ad paſſagium opportunis conſilium, auxilium tribuas & favorem, ut ſicut ejuſdem terræ liberatio tuum, & dilecti filii noſtri nobilis viri Conradi nati tui reſpicit honorem & commodum, ſic te præcipuum in numero ſentiat adjutorem, &c. Dat. Later. IV. non. novemb. ann. XI.*

LXXXIII. b) Ib. ep. 285.

Aliis literis dictum legatum miſſurus a Friderico expetiit (*b*), ut illius ſalubribus conſiliis, ac monitis obtemperaret: ad archiepiſcopum quoque Meſſanenſem atque ad præfectum hoſpitalis Theutonicorum datis literis hortatus eſt (*c*), ut Fridericum Imp. ad ineundam expeditionem, ac ductandum Chriſtianum exercitum, ut Galliarum nobiles continentibus votis, ac precibus expoſcebant, incitarent. Porro ad Senonenſem & Rothomagenſem archiepiſcopos ſcripſit (*d*) ſi Fridericus ad trajectionem inſtruendam adduci non poſſet, Francos cruce inſignitos etiam ſacramento adeundo itineri obſtrictos ad ſequentem annum rem differre juberent. Interea non pauci Templarii aliique bello capti ſub immani Sarracenorum ſervitute, ſquallore confecti ingemiſcebant, cum Gregorius Cypri Regem ac Reginam pluresque alios hortatus eſt (*e*), ut ad eos redimendos permutandoſve, quo ſacrum bellum felicius ſuſcipi ac perfici poſſet, operam ac pecunias conferrent. Cumque res eccleſiaſtica non mediocre damnum non perſolutis decimis in eo regno pateretur, eoſdem monuit (*f*) jura ſua reſtituerent eccleſiis, atque in adigendis ad decimas perſolvendas nobilibus curam ſtudiumque collocarent.

(c) Ep. 286.

(d) Ep. 287.

(e) Ep. 330.

(f) Ep. 300.

LXXXIV. Templarii a barbaris partim cæſi partim capti.

Quod ad Templarios attinet; cum Sarraceni Alepiano agro adjacens oppidum obſiderent, Templarios ſolvere obſidionem coegiſſe, & circumjectas Alepiæ terras vaſtaſſe docet Godefridus (*g*): Sed Sarracenos auctos animis & viribus in eos facto impetu ſigna contuliſſe, ac pluribus ferro cæſis, centum ex iis circiter in ſervitutem abduxiſſe; alios vero ejuſdem ſacræ militiæ equites ſupplicibus literis Fridericum exoraſſe, ut ad eos redimendos auctoritatem ſuam adhiberet: at ipſum nihil eorum precibus permotum rem neglexiſſe. Quare oportuit ut Pontifex principis, in quo Chriſtianæ charitatis ardor refrixerat, vitium ſuo zelo ſarciret, qui proximo etiam anno hujuſmodi epiſtola (*a*) clariſſimis paterni amoris notis aſperſa eorum luctum delinire conatus eſt, pollicitus egregiam ſe operam ad eos e dura barbarorum ſervitute eripiendos navaturum.

(g) Godef. in annal.



(a) Greg. l. 12. ep. 145.

LXXXV. Tentos in vinculis ſolatur Pontifex.

*Ex frumento panis nequaquam conficitur, niſi prius ab ipſo palea flagellis excuſſa illud molæ tunſionibus conteratur; & divini templi ædificium lapides minime recipit, quos prius malleis manus artificis non polivit: quia oportet juſtos per diverſas afflictiones omni vitiorum expurgari rubigine, antequam ad ſupernæ poſſint patriæ gloriam pervenire. Probat hoc quod Iſrael poſt quadraginta annos, & longos deſerti circuitus afflictus penuria in terram promiſſionis inducitur, ut ſic purgaretur a vitiis, & nota fierent quæ in ejus animo vertebantur, quia ſicut vaſa figuli fornax examinat, ſic tribulationis tentatio juſtos probat. Igitur in grandis exultationis tripudium debet vobis aſſurgere, quod digni eſtis habiti pro nomine Jeſu Chriſti contumeliam ſuſtinere, ex quo certum datur vobis probationis indicium, ut jam prædeſtinaverit vos ad vitam cœleſtis palatii, qui vobis conceſſit in ſui nominis gloriam taliter exprobrari. Propter quod filii chariſſimi fames aut gladius, perſecutio aut anguſtia vos a charitate Chriſti non ſeparet, certos quod in vobis immenſa gloria ex modica tribulatione conſurget, quia ſecundum Apoſtolum ad futuram gloriam, quæ in juſtis revelabitur, indignæ paſſiones hujus temporis penitus æſtimantur. Nos enim, licet a vobis longis ſimus locorum ſpatiis ſeparati, ad liberationem tamen veſtram, dante Domino, opem dabimus & operam efficacem. Dat. Lateran. VII. idus jun. ann. XII.*

LXXXVI. (b) Par. hiſt. Angl. an. 1237. W. e Montferrato ſua temeritate mali auctor.

Illam porro Templariorum cladem refert pluribus Pariſius (*b*) qui etiam ejus cauſam in W. de Monteferrato Arvernum Antiochiæ præceptorem coniicit, exigua nimirum ſuccinctum manu cum ingenti hoſtium multitudine manus conſerere auſum, quamvis a Chriſtianis captivis ab inſidiis cavere præmonitus eſſet. Affectus etiam magnis cladibus ab Rege Armeniæ Conſtantinus e Lambrono dynaſta, qui anguſtiis undique preſſus ad ſedis Apoſtolicæ aſylum confugit: cui paternum ſinum aperiens Gregorius, patrocinium ſuum ipſi eſt pollicitus (*c*). Reſpondere promiſſis facta: Regem enim literis monuit hortatuſque eſt cœptis deſiſteret in eaque re apud Armeniæ (*d*) præfectum, Antiochenum principem (*e*) & Cypri Regem (*f*) ſuam adhibuit auctoritatem. [1]

(c) Lib 10. ep 318.

(d) Ib. ep. 320.

(e) Ib. ep. 321.

(f) Reg. poſt eand. ep.

LXXXVII

Hoc interim ſpatio perlati ex oriente felices religionis ſucceſſus omnium animos incredibili gaudio perfudere, atque erexere. Jacobitarum enim patriarcha cœleſti lumine colluſtratus diſcuſſis hæreſeos tenebris, ac damnatis erroribus, catholicorum inſtituta ſectatus eſt: ut veteres ſcriptores Godefridus, (*g*) Matthæus (*h*) Pariſius aliique tradunt. Nos vero rem geſtam a Philippo Dominicanorum in Terra ſancta priore, qui non mediocrem operam in tanto perducendo opere defixit, adductis in medium quas ad Pontificem dedit literis, (*i*) accipiemus.

(g) Godef. in annal.

(h) Par. hiſt. Angl.

(i) Ext. apud Par.

Jacobitarum orient. patriarch. ſancta loca perluſtrat. Rom. Pontificis obſequio ſe ſubiicit.

*Patriarcha Jacobitarum orientalium, vir quidem venerabilis ſcientia, moribus, & ætate, cum maximo comitatu archiepiſcoporum, epiſcoporum, necnon & monachorum ſuæ gentis hoc anno venit adorare in Hieruſalem. Cui verbum catholicæ fidei exponentes, ad tantum divina cooperante gratia pervenimus, ut in ramis palmarum, in proceſſione ſolemni, quæ die illa in deſcenſu montis Oliveti in Hieruſalem fieri conſuevit, obedientiam S. Rom. Eccleſiæ promitteret & juraret, omnem pariter hæreſim abjurando; & confeſſionem ſuam nobis tradidit in literis Chaldæis & Arabicis in teſtimonium ſempiternum. Ad hoc etiam, & habitum noſtrum recepit in receſſu. Ipſe præeſt Chaldæis, Medis, & Perſis, & Armenis; quas terras Tartari pro magna parte jam vaſtaverunt: & in aliis regnis in tantum dilatatur ejus prælatio, quod ſeptuaginta provinciæ ei obediunt, in quibus habitant innumerabiles Chriſtiani; ſervi tamen & tributarii Sarracenis, exceptis monachis, quos liberos dimittunt a tributo. Secundum eandem formam fecerunt duo archiepiſcopi, unus Jacobinus de Ægypto, & alius Neſtorianus in oriente: ſuas tamen prælationes, & ſubditos habent manentes in Syria, & Phœnicia: & nos jam feſtinavimus mittere quatuor fratres in Armeniam ad linguam addiſcendam, eo quod preces Regis & baronum nos urgebant. De alio quoque, qui præeſt omnibus, quos Neſtoriana hæreſis ab Eccleſia ſeparavit, cujus prælatio per In-*

NOTÆ [1] CLadis Templariorum a Saracenis illatæ tempus definit Albericus in chronico ſcribens: *In partibus tranſmarinis poſt feſtum* ( nativitatis ) *S. Joannis Templarii a caſtro peregrino contra prædatores ſuos egreſſi, centum viginti fratres cum magno magiſtro, qui erat Pictavinus, & archariis* ( jaculatoribus ) *& baliſtariis in magna quantitate omnes capti ſunt, aut occiſi, præter novem fratres qui cum magiſtro evaſerunt; quo tempore fuit comes Joppenſis cum quo erant duo filii de Baruth* ( Joannis Ibelini Baruthi principis ) *quorum conſilium ſequi noluerunt fratres ſupradicti.* MANSI

*Indiam majorem, & per regnum ſacerdotis Joannis, & per regna magis proxima orienti dilatatur, jam plures recepimus literas, quod fratri Vuillelmo de Monteferrato, qui cum aliis duobus fratribus linguam illam ſcientibus apud eum aliquandiu commoratus eſt, promiſit quod velit obedire, & redire ad gremium eccleſiaſticæ unitatis. Miſimus etiam fratres in Ægyptum, ad Patriarcham Jacobitarum Ægyptiorum, qui multo amplius errare ſolent quam orientales, aliis erroribus circumciſionem ad modum Sarracenorum addentes: a quo ſimiliter recepimus, quod velit redire ad Eccleſiæ unitatem, & jam multis eliſis erroribus ſuos ſubditos prohibuit circumcidi. Huic ſubdita eſt minor India, Æthiopia, & Libya cum Ægypto: ſed Æthiopes & Libyi non ſunt ſubjecti Sarracenis Maronidæ, qui habitant in Libano, jamdiu eſt quod ad eccleſiaſticam redierunt & perſeverant obedientiam. Et cum omnes prædictæ nationes doctrinæ Trinitatis & prædicationibus noſtris acquieſcant, ſoli Græci in malitia ſua perſeverant, qui ubique aut latenter aut aperte Eccleſiæ contradicunt, omnia ſacramenta noſtra blaſphemant, & omnem ſectam a ſua alienam pravam appellant & hæreticam.*

LXXXVIII. Tam felici nuntio accepto Pontifex, ingenti quo par erat gaudio, ex divina amplificata gloria, delibutus, gratulatorias literas patriarchæ dedit, (*a*) hortatuſque eſt daret operam, ut commiſſi ipſius curæ populi ipſius veſtigia ſecuti ad Eccleſiæ ſinum ſe conferrent.

(*a*) *Greg. l. 11. ep. 172.*

*Gregorius, &c. patriarchæ Jacobitarum orientalium.*

Redeunti ad ſinum Rom. Eccl. gratulatur Pont.

*Digne, immo digniſſime, qui licet immeriti ſedi Apoſtolicæ præſidentes vices Regis æterni tenemus, profuſis in Domino gaudiis exultamus, quod cum tu, ſicut literis & relatu fide dignorum accepimus, comitiva prælatorum & aliorum tuæ provinciæ comitatus in ſanctam civitatem proceſſeris, percepturus ibidem paratam pœnitentibus indulgentiam Redemptoris, ad ſacram exhortationem dilectorum filiorum fratrum ordinis Prædicatorum, per quos Dei ſpiritum locutum fuiſſe confidimus, relicto invio erroris priſtini te ad veritatis & vitæ ſemitam convertiſti, præſtito corporali ſolemniter juramento, quod ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ ſtudebis humiliter cunctis temporibus obedire, ſicut in Chaldæis & Arabicis literis a te ſuper hoc conceſſis contineri dicitur, & dictorum fratrum teſtimonio comprobatur. Quorum aſſertio grata nobis apparuit, quod habitum ipſorum aſſumpſeris, ut poſitus ſub obedientia, cui Petri clavis habetur aſſidue gratioſa, facilius ad patriam dirigaris.*

LXXXIX. *Quid ad iſta? lætetur cœlum, & exultet terra, quod vinea Domini ſabaoth a mari uſque ad mare protenditur, & ſponſæ ſuæ gloria per mundi climata magnifice dilatatur; quod piſcatoris noſtri rete talem piſcem Eccleſiæ ſanctæ protulit, qualem a longis retro temporibus præſentandum in Regis æterni nuptiis appetivit. Utinam frater chariſſime te amodo apoſtolicæ piſcationis officium exercente prædicto piſci conſimiles, vel quicunque alii cœleſtis menſæ deliciis opportuni prædicationis tuæ retibus ad litus catholicæ fidei deducantur, ſine qua ſicut quis ad vitam non proficit, ſic etiam mortis æternæ ſupplicia non evadit. Hæc igitur de ſuperna gratia & Apoſtolicæ ſedis pleno favore confiſus, loquere & exhortare commiſſos tibi populos ſolicitans diligentia vigilanti, ut tui miſericordiam conſecuti veſtigia imitantes feſtinent contra poteſtates aereas ſub vexillo dirigi, quod in ſalutem gentium per orbis latitudinem explicandum vicario ſuo contulit triumphans dextera Crucifixi; ſicque fiat quod dum Eccleſia doctrinæ tuæ ſtudio fœcundior erit in filiis, tu tandem apud Dominum quaſi ſtella in æternitates perpetuas habearis, illius tibi ad hoc obligata manente potentia, cujus arbitrio, ſicut perfidis cœlum juſte clauditur, ſic & fidelibus miſericorditer aperitur. Dat. Viterbii* v. *kal. aug. pontif. noſtri anno* XI.

Prolabitur iterum ad ſchiſma Jac. patriarch.

Verum ſubiicit Pariſius, Jacobitarum patriarcham Tartarorum timore perculſum hæc præſtitiſſe: quorum effuſis ac violentis excurſionibus perterritus, antea ad Sarracenos auxilia petiturus confugerat, repulſamque ab iis paſſum, ad catholicorum ritus, ut ab iis auxilia eliceret, confugiſſe: ſed cum omnia tuta proſpero ſucceſſu ſibi affulgere cerneret, ſuorum nefariis impulſum conſiliis, a fide catholica turpiſſime reſiliiſſe.

XC. De Jacobitis a Vitriaco (*b*) ac Matthæo Pariſio traditur Judaicis ritibus contaminatos filios circumcidiſſe, noxas non ſacerdotibus, ſed Deo ſoli confiteri thure in ignem injecto ſolitos; contra quorum errorem hæc ex ſcripturis ſacris petita. De quibus ſubdit Pariſius (*c*): *Errant miſeri non intelligentes ſcripturas, & pereunt ex defectu doctrinæ, vulnera ſua medicis ſpiritualibus abſcondentes, quorum eſt inter lepram & lepram diſcernere, & peccatorum circumſtantias penſando pœnitentias injungere; & ſecundum claves ſibi traditas ligare & ſolvere, & pro confitentibus ſibi ſpecialiter orare; unde Dominus in evangelio dixit leproſis: Oſtendite vos ſacerdotibus. Item Jacobus: Confitemini alterutrum peccata. Salomon: Fili ne confundaris confiteri peccata tua. Item in veteri teſtamento confitebatur ſacerdos peccata populi ſuper caput hirci emiſſarii. Sed quomodo confitebatur, niſi prius cognita & ſibi confeſſa? Item alibi in novo teſtamento Paulus ad Romanos:*

(*b*) *Jacob. Vitr. hiſt. orient. c. 75. 77.*

(*c*) *Par. hiſt. Angl. an. 1237. & alii.*

Errores Jacobitarum.





*Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem; & de beato Jo. Baptiſta legimus quod baptizabantur ab eo confitentes peccata ſua. Erubeſcentia enim & pudoris anxietas, & confitentis humilitas maxima pars eſt pœnitentiæ: proniores autem ad peccandum efficiuntur, qui turpitudines ſuas hominibus non intimant, revelantes, cum tamen ſcriptum ſit: Qui abſcondit peccata ſua, non dirigetur: qui autem deliquerit, & confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur, &c.* Hactenus Anglus auctor, cujus verba adducere non piguit, ad Angliæ novatorum audaciam infringendam. Præterea e Jacobitis plures infantibus ante baptiſma, candente ferro crucis ſignum in fronte, vel genis, aut temporibus inurebant: ac denique Eutychis de una in Chriſto natura hæreſim ſectabantur. [1] XCI.



NOTÆ

[1] INtegrum hunc paragraphum annales contracti ſuppeditant (*a*): *Hoc anno S. Raymundus Nonnatus ordinis redemptionis de Mercede ita dictus, quod in utero extinctæ matris die integro ſervatus fuiſſet, uteroque diſſecto vivus ac ſeptimeſtris in lucem prodiiſſet; cum Algerii in Africa pro redimendis captivis libertatem oppigneraſſet, ac plures Hebreos Mauroſque ad Chriſtum converteret, fuſtibus immaniter præſidis juſſu contuſus eſt: cumque in prædicando Chriſti nomine perſtaret, cæſus eſt flagris per compita, ejuſque labra, quod ſanctiſſimum Jeſu Chriſti nomen celebrarent, conſuta ferreaque conſtricta ſera, cujus clavim barbarus ſecum detulit juſſo ſancto Chriſti confeſſore onerari vinculis, atque in tenebricoſam carcerem coniici. Lapſo biduo acceſſere carceris cuſtodes, quem in ecſtaſim raptum comperere erecto brachio, atque hæc verba muro inſcripto indicante:* Ne auferas de ore meo verbum veritatis: *Mox, inſpectantibus barbaris,* catenæ, *quibus conſtrictus erat, nec non ſera, qua os obſtrinxerat, in terram cecidere, pioque ardore hæc verba protulit:* In æternum Domine permanet verbum tuum. *Aſcripſere cuſtodes miraculum arti magicæ, ac fuſtibus diverberarunt, ignitis acubus conſuere labra, ſeramque ori indidere: divinum tamen miraculum quamvis premere ſilentio conſtituiſſent evulgarunt: quo nonnulli infideles permoti impietatem deſeruere. Manſit in eo carcere octo menſibus, ita ut recurrente tertio quoque die diſſuerentur ipſi labra, atque ſera ferrea detraheretur, ut ſumpto cibo vitam ſuſtentaret, in quo ſupplicio Chriſti in cruce pendentis cruciatus recolebat.*

*Audita confeſſoris fama Gregorius illum cardinalem diaconum S. Euſtachii creavit: qui redemptus auro, & Barcinonem reverſus magnificentiſſima pompa a civibus exceptus eſt. De cardinalitio honore ei delato meminere plerique ſcriptores (b) ex vetuſtis monumentis necnon Urbanus VIII. in ſacrarum precum formula, quo illius memoriam a ſodalibus S. Mariæ redemptionis captivorum recolendam ſanxit.* MANSI.

(*a*) MS. vetera archivii ord. redemptionis B. Mariæ.

(*b*) Volaterr. Antropogr. lib. 21. Bern. Varg. & alii. Bull. in Urban. VIII. conſt. 52.

I. Conſtantinopolis premitur a Vatacio.

I. ANno Jeſu Chriſti octavo ſupra milleſimum ducenteſimum trigeſimum inдictione undecima, Conſtantinopolitanum Imperium ob Vatacii tyrannidem quotidie majoribus anguſtiis premebatur: non enim modo funeſtas clades urbibus, vaſtitatem agris, populis ſtrages inferebat, verum Conſtantinopolitanos intercluſis commeatibus in ſummam rei frumentariæ inopiam, ac diſcrimen extremum adduxerat. Quibus malis ut occurreret Gregorius, catholici orbis principes, ac populos ad ferenda labanti Latinorum in oriente Imperio auxilia per apoſtolicas epiſtolas & legatos ſuos omni ſtudio incitavit: in primis namque hoc anno ineunte Petrum Britanniæ comitem, qui magnas copias ſuo juſſu coegerat, hortatus eſt (a) recurrente B. Joannis Baptiſtæ feſto die traiiceret.

Britanniæ comes auxilium pro Imperio apparat.

(a) Greg. l. 11. ep. 351.

II. Greg. ad Britanniæ com. literæ.

II. *Gratum gerimus & acceptum, & nobilitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus quod, ſicut tuarum nos tenor literarum edocuit, te in ſubſidium Imperii Conſtantinopolitani cum duobus millibus equitum & decem millibus peditum accinxiſti, illuc in proximo B. Jo. Baptiſtæ paſſagio tranſiturus. Unde cum, ſicut per nuntios a nobis Conſtantinopolim cum ſubſidio tranſmiſſos intelleximus, magna ibidem ſtipendiariorum multitudo conſiſtat, nobilitatem tuam rogandam duximus attente & hortandam per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus te cum mille & quingentis equitibus & ſex millibus peditum dumtaxat accingens ad liberandum prædictum Imperium in prædicto paſſagio tranſire procures, habiturus ex hoc apud homines laudis perpetuæ gloriam, & immarceſſibilem in palatio conſecuturus æterno gloriam. Dat. Later. idus januarii anno* XI.

Ob annonæ gravitatem partem exercitus dimittere juſſus.

III. Præcepit Gregorius Britanniæ minoris comiti copiarum, quas collegerat, partem dimitteret ob annonæ gravitatem, qua adeo laborabat Conſtantinopolis, ut plures Latini ad hoſtem transfugerent; ad quam levandam Pontifex commeatibus ſubmittendis incubuit. Ac ne interim, dum ob itinerum longa intervalla Britanniæ comes tardiora ferret auxilia, Conſtantinopolitana res corrueret, Philippum clericum pontificium in Græciam miſit (b) ut ex omnibus viris eccleſiaſticis Patracenſis, Corinthienſis, Thebani, atque Athenienſis archiepiſcopatuum tertiam vectigalium, ac bonorum mobilium partem in Conſtantinopolitanorum ſubſidium convertendam colligeret: ad mitigandum vero difficile onus ſacrarum indulgentiarum præmia contulit, monuitque cauſam ipſorum ita cum Conſtantinopolitanis eſſe conjunctam, ut ab eorum ſalute ipſorum quoque ſalus penderet; eodemque argumento Cephaloniæ & Zacynthi comiti datis literis (c) militibus & commeatu ſuccurrere imperavit, everſa enim Conſtantinopoli Græcorum impetus mox excepturum.

(b) Ep. 358.

Tertia vectigalium eccleſiaſticorum in Græcia pars attributa Balduino.

(c) Reg. poſt eand. ep.

IV. Cephaloniæ & Zacynth. comes ad ferendam opem Conſtantinop. excitatus.

IV. *Sicut intelleximus præter afflictiones multimodas, quibus eadem civitas a Bathacio Dei & Eccleſiæ inimico affligitur, tanta victualium cariſtia tribulatur, quod jam habitatores ſuos, quos nequit nimia venalium afflicta penuria regere, luget & dolet ad hoſtium caſtra migrare, tremens & dubitans ne de ipſa a ſuo defenſore derelicta ſuum, quod Deus avertat, pars conſequatur adverſa propoſitum, niſi congruum bellatorum & frumenti ſuccurſum in proximo divina cooperante gratia receperit feſtinatum. Verum cum nobilis vir comes Britanniæ de mandato noſtro ad ſuccurrendum Imperio Conſtantinopolitano ſe cum grandi exfortio militum & aliorum bellatorum accinxerit, noſque alias eidem civitati ſubvenire in perſonis & congrua quantitate victualium proponimus; quia tamen grandia intervalla locorum, quæ a partibus illis nos dividunt, deſideratum civitati prædictæ ſubſidium, ſic in brevi tranſmitti, ſicut ipſius neceſſitas expetit, non permittunt, nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam tibi in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus prudenter attendens, quod tua res agitur, ſi paries proximus accendatur, nec tu ipſe aliqua ratione a facie perſequentium ſubſiſtere poteris ſi quod Deus avertat, Græci præfatæ obtinerent dominium civitatis; ob reverentiam Dei, Apoſtolicæ ſedis & noſtram eidem civitati, cum nos venerabiles fratres noſtros archiepiſcopos, epiſcopos, & alios eccleſiarum prælatos Moreæ, quod eidem in tertia parte bonorum mobilium & proventuum ſuorum ſubveniant, compelli mandemus; in victualibus & bellatorum ſubſidio eo plenius & honorabilius ſuccurras, & a nobilibus viris ſubditis tuis ſuccurri facias, ipſos ad id poteſtate tibi tradita compellendo, quo magis id ad utilitatem tuam noſcitur pertinere, &c. Dat. Lateran.* XV. *kalend. feb. an.* XI.

V. Aſanes in Latinos conjurat.

V. Augebat Conſtantinopolitanorum terrorem Vataciique potentiam Aſanes, qui ſolita perfidia relictis Latinorum partibus, quibus ſe conjunxerat, ad Græcos ſchiſmaticos iterum deſciverat. Cujus defectionis occaſionem narrat Georgius Logotheta, illum dum Tzuruli arcem cum Latinis obſidione premeret, ob cumulata ſuorum funera violati Græcis dati jurisjurandi religione perculſum fuiſſe (d). *Dum obſideretur Tzuruli caſtrum Aſſano derepente nunciatur uxorem Ungaram in vivis eſſe deſiiſſe; eodem momento & filiolum ipſius & Trinobi epiſcopum obiiſſe: ideo numinis iram veritus, tormenta igne concremat, & quam citiſſime Trinobum redit. Igitur ſoli Itali cum ad obſidendum caſtrum ex ſe non ſufficerent, quam in Romanos conſtituerant pugnam dirimentes, Conſtantinopolim revertuntur, & arx illa ab hoſtium obſidione liberatur.* Et paulo inferius: *Aſſanus ergo poſt dicta adverſa ac infortunata pie admodum concipiens propter violatum jusjurandum, quod Imperatori Joanni dederat, & filiam a thalami conſorte Theodoro raptam, hæc fieri, pœnitentia ductus caduceatores mittit ad Imperatorem, ſemetipſum ſceleris accuſans, & pacta conventa repoſcens, deprecanſque ſibi veniam flagitiorum. Joannes Imperator Erenaque Imperatrix, tanquam qui in magis pia, ac divina proſpicerent, legatos excipiunt, neque verbis rem protelando rurſum jusjurandum comprobant, ſponſamque Helenam repetunt quæ ad ſocrum & conjugem vadit, & pax iterum inter Romanos & Bulgaros pacta eſt.*

(d) Georg. Logoth. interp. Leon. Allatio.

Qua ſuperſtitione ductus ab iis defecerit.





VI. Pontifex Ungar. Regem in Bulgarum ſollicitat.

VI. Hæc Georgius auctor ſchiſmaticus, quem non mirum eſt rem ad ſuorum laudem detorquere, ac motum pietate & religione Aſanem in redintegrando cum Græcis fœdere inducere. Verum Pontifex Aſanem ob initam cum ſchiſmaticis ſocietatem, laxata hæreticis, qui in Bulgaria Manetis fœdiſſimos errores diſſeminabant, fræna, converſaque in catholicos arma impietatis, ac perfidiæ damnavit: atque ad Conſtantinopolitanum fulciendum Imperium, retundendos Aſanis conatus, tuendam in oriente, quæ periclitabatur, fidem catholicam, Belam Ungariæ Regem permovere ſtuduit (a), ut contra Bulgarum ſigna attolleret: & quo facilius ad id pelliceret, Bulgariam illi ad eam occupandam expoſitam eſſe juſſit, atque indulgentiarum præmia adjecit; & Ungaros præſules majori dignitate ſpectabiles ad eam expeditionem regium animum incitare præcepit.

(a) Eod. l. 11. ep. 373.

*Illuſtri Regi Ungariæ.*

VII. *Supremus opifex, qui fingit corda hominum ſingillatim, & qui non ex præjacente materia, ſed de nihilo creavit omnia ſolo verbo, vas ſibi in gloriam & honorem, prout tenemus, experimento probabili te formavit, ut per te fides catholica propagetur, conſervetur libertas eccleſiaſtica, & defendatur religio Chriſtiana. Tu etiam fili chariſſime ab eo, qui ſolus habet in regno hominum poteſtatem, non ſolum dignitatis regiæ gloriam recognoſcens, ſed etiam quidquid habes, immo quidquid es ei totum attribuens, qui te fecit, illo menti tuæ timorem ſui nominis & amorem miſericorditer inſpirante; te ſibi ſubſternere tota devotione teneris, & ejus beneplacitis prompta fide te offerens & exponens, totis ei debes affectibus complacere: primatum quoque Romanæ Eccleſiæ reverenter advertens, quam non terrena fundavit ſententia, ſed illud Verbum, quo conſtructum eſt cœlum & terra, per quod denique omnia elementa ſunt condita, Jeſus Chriſtus, quam ideo ſupra ſe petram erexit ad beatiſſimum Apoſtolorum principem inquiens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; ut æterni templi ſtructura mirabili munere divinæ gratiæ in Petri ſoliditate conſiſteret, & illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec contra illam portæ inferi prævalerent.*



*Hanc itaque petræ ſacratiſſimam firmitatem Deo ædificante conſtructam, præſumptione nititur nimis impia violare quiſquis poteſtatem ejus tentet infringere, vel ab ejus recedere unitate: quia cum unigenitus Dei Filius æternæ vitæ clavigero, ob fervorem conſtantiſſimæ fidei ligandi & ſolvendi contulerit poteſtatem, ipſo ſibi dicente: Quodcumque ligaveris, &c. & propter meritum ferventiſſimæ charitatis paſcendas ſibi commiſerit oves ſuas dicendo: Simon Jonas diligis me pluſquam his? paſce oves meas; qui eum non receperint in paſtorem, ab ipſius cenſentur ovibus alieni. Tales namque ſunt hæretici & ſchiſmatici, qui a tanto paſtore paſci renuunt, & ejus vicario non intendunt, perfidiores Judæis & crudeliores paganis; nam Judæi ſemel Dominum crucis patibulo affixerunt, hæretici vero in membris ſuis jugiter crucifigunt eundem, opprobriis ipſum & contumeliis lacerantes; & cum illi credant, licet ſub cæcitate peccati, Deum Patrem omnia viſibilia & inviſibilia condidiſſe, iſti a principe tenebrarum viſibilia credunt eſſe condita & creata: pagani quoque furebant in puniendis Chriſtianorum corporibus, & mactandis, iſti fidelium animas latenter Chriſto ſubripiunt & furantur, utrumque hominem perimentes; ſchiſmatici autem tunicam inconſutilem Jeſu Chriſti, quæ diviſis aliis veſtibus, uni ceſſit in ſortem, ut ipſius Eccleſia figurata per tunicam, quam ſicut veſtimentum induit, una eſſet, ſcindere moliuntur: de quorum numero perfidus eſt Aſſanus, qui ab Eccleſiæ unitate recedens, & de Petri ovibus eſſe recuſans, ejus paſci doctrinæ verbo, operationis exemplo, & ſacræ communionis pabulo contradicens receptat in terra ſua hæreticos & defenſat, quibus tota terra ipſa infecta dicitur & repleta.* VIII.

*Cum igitur dignum ſit, ut ſanguis eorum veniat ſuper eos, iniquitate ſua velut Amorrhæi populi conſummanda, venerabilibus fratribus noſtris Strigonienſi & Colocenſi archiepiſcopis, epiſcopo Peruſino A. S. L. & univerſis epiſcopis per Ungariam conſtitutis noſtris damus litteris in* IX.

mandatis, ut contra dictum Aſſanum & terram ſuam prædicent verbum crucis; illam cruceſignatis illuc in perſonis, vel rebus laborantibus indulgentiam concedentes, quæ conceditur tranſeuntibus in ſubſidium Terræ ſanctæ. Quia vero inter cætera pietatis opera, per quæ ſerenitas regia placere valeat Regi regum, iſtud præcipuum reputatur, ſi zelo divinæ legis accenſus accingaris in eos, & in illos exarſerit ira tua, qui antichriſti præcurſores effecti, vel potius antichriſti, fidem noſtram immaniter perſequuntur, excellentiam tuam affectuoſe rogamus, & a te Chriſtianiſſime principum inſtanter expoſcimus, obſecrantes per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti crucifixi, ut exurgas in adjutorium Chriſti tui: exurgas ad contritionem nationis pravæ atque perverſæ, quæ multis inſultat opprobriis nomini Chriſtiano. Accendat te zelus fidei orthodoxæ, & ſic contra eos in forti manu & extento brachio te accingas, ut hujuſmodi peſtilentibus ante faciem tuam velut nubibus aquilone fugatis, illuc ſanctificatos Domini divino comitatus auxilio introducas. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tibi & univerſis vere pœnitentibus & confeſſis, qui tecum laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint & expenſis, plenam peccaminum veniam indulgemus, ac terram eandem exponimus, prout ſtatutum eſt in generali concilio, tibi & aliis catholicis occupandam. Dat. Lat. VI. kal. febr. an. XI.

X. Verum cum Balduinus nonnulla in Bulgariam jura contenderet, nec Ungarus expeditionem eam eſſet ſuſcepturus, niſi cum eo ſocietatem Imperator coiret, Pontifex datis ad Balduinum literis (a) monuit, jura in Bulgariam prætenſa ſedi Apoſtolicæ permitteret, ac ſcripto firmata tranſmitteret, ne Imperio tot hoſtibus circumfuſo promptiſſima auxilia non afferrentur, illius res in ruinam præcipitem laberentur, e qua erigere ſeſe atque emergere vix poſſet: Quia dubitatur a multis, an idem Rex per ea, quæ præmiſimus, niſi conſenſus tuus acceſſerit, ſe velit exponere tot periculis & expenſis, nobilitatem tuam monemus & hortamur attente ac ſuademus in animi puritate, quatenus prudenter attendens, quod niſi eidem Imperio celeriter ſuccurratur, interveniente mora vix ei valeat ſubveniri; & melius eſt ante tempus occurrere, quam remedium poſt cauſam quærere vulneratam, ne ſuccurſum ipſius Imperii per te, quod abſit, impediri contingat; ſi quid juris ad te in terra ipſius Aſſani pertinet, in manu Romanæ Eccleſiæ omni dilatione, & excuſatione ceſſantibus ponere non poſtponas, ut provideamus exinde, prout conſideratis negotii circumſtantiis utilitati & neceſſitati ejuſdem Imperii videbimus expedire, nobis ſuper hoc tuas patentes literas per latorem præſentium omni mora poſtpoſita tranſmittendo. Dat. Later.

(a) Ep. 374.

Admonetur Balduinus ſua in Bulgar. jura dimittere.

XI. Pontificis ergo & aliorum præſulum precibus ſolicitatus Bela ingentibuſque propoſitis præmiis erectus, quamvis cum Aſane ac Vatacio arctioribus affinitatis vinculis irretitus eſſet; ne in tanta re Eccleſiæ Rom. deeſſe videretur, inferendi Aſani belli provinciam nomine Apoſtolicæ ſedis admiſit, ac nonnulla a Pontifice ſibi concedi flagitavit. Primum illud ac gravioris momenti fuit, ut ſibi legationis dignitas exemplo S. Stephani conferretur, atque in Aſanis ditione diœceſeon terminos circumſcribere, epiſcopos imponere, parochias erigere liceret; anathematis ſententia in Ungariæ invaſores, quandiu in expeditione occupatus eſſet, ferretur; atque Ungaria in Apoſtolicæ ſedis clientelam acciperetur.

Ungarus bellum Bulgaro movet.

Ipſius ob id petita a ſede Apoſt.

Sanctiſſimo in Chriſto patri (b) Gregorio Dei gratia ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ ſummo Pontifici Bela eadem gratia Rex Ungariæ tam debitam, quam devotam in omnibus reverentiam.

(b) Ext. hæ Belæ Regis ep. in MS. Vallicellano ſignato B. XII.

XII. Veſtræ ſanctitatis admonitionibus inducti Vatacium Imperatorem Græcorum, ut ſedi Apoſtolicæ obediret, multis exhortationibus monere ſtuduimus; & dum ſuper hoc ſpem habentes diligentius inſtaremus, paternitatis veſtræ literas & venerabilem patrem Peruſinum epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum ſecundo recepimus, qui juxta ſuæ legationis modum penes nos diligenter inſtitit & prudenter, de contingentibus nil omittens, ut terras * Aſſoevi, utpote ſchiſmatici, auctoritate ſedis Apoſtolicæ in remiſſionem peccatorum occupare dignaremur, cum tamen nos amicitiarum & * cognitionis fœdera conjunxerunt: ex inclytæ enim recordationis ſorore noſtra filium habet & heredem, & noſtris juſſionibus ſic in omnibus eſt ſubjectus, ut non tam amicus quam ſubditus videatur: ex cujus impugnatione omnium amicorum & cognatorum, quos hactenus habeamus in partibus Romaniæ, offenſam incurremus. Vatacius enim noſtram neptem ſuo filio duxit in uxorem, & noſtræ chariſſimæ conſortis Reginæ Ungariæ frater extitit, tanta nobis devotione conjunctus, ut & ſe & ſua ad noſtrum beneplacitum exhibere ſit paratus, qui ſe in perſona Aſſoevi reputabit impugnari; pro quo tamen ſi ad noſtram inſtantiam ad ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ non ſolum ſepties, ſed etiam ſeptuageſies ſepties debet ignoſcere delinquenti, converſus fuerit unitatem, veſtræ ſanctitatis clementiam humiliter deprecamur, ut eum ſolita benignitate dignemini recipere.

* Aſanis

* cognationis

XIII. Sane quia nihil debet amori divino, & animarum ſaluti * proponi, ſpe æternæ remunerationis & Apoſtolicæ ſedis devotione, ac ſincera dilectione, quam erga nos vos habere confidimus, provocati aſſumimus ex animo per nos, aut per noſtros, prout expedire videbimus, Bulgariam & alias terras * Aſſoevi occupare & ſedi Apoſtolicæ in ſpiritualibus: in temporalibus vero noſtræ juriſdictioni Deo cooperante ſubjugare niſi, quod abſit, legitimo fuerimus impedimento præpediti. Cum tamen negotium ſit arduum, nec debitum valeat ſortiri effectum, niſi veſtrum auxilium apponatur ad ea, quibus ſpecialiter in hoc facto indigemus, a veſtra ſanctitate poſtulanda venerabilem fratrem Jaurienſem epiſcopum direximus, qui ſi forte propter viarum diſcrimina ſuum ad nos adventum retardaret, ne dilatio difficultatem afferat, præcipue propter inſtantem Gallicorum adventum, qui per terram noſtram tranſire volunt in partes Romaniæ de noſtris petitionibus, ſine quibus tam difficile commode aggredi non poſſemus, citius certiorari cupientes, per præfati legati nuncium præſentes literas noſtrarum petitionum ſeriem continentes ad ſedem Apoſtolicam tranſmiſimus, ut ſine moræ diſpendio ad nos cum veſtræ ſanctitatis beneplacito revertatur.

* præponi



* Aſanis

XIV. Petimus ut officium legationis non alii ſed nobis in terra Aſſoevi committatur, ut habeamus poteſtatem limitandi diœceſes, diſtinguendi parochias, & in hac prima inſtitutione poteſtatem habeamus ibi ponendi epiſcopos de conſilio prælatorum & virorum religioſorum, quia hæc omnia beatæ memoriæ anteceſſori noſtro S. Stephano ſunt conceſſa; illa potiſſimum ratione quia ſi cum legato ſedis Apoſtolicæ partes illas ingreſſi fuerimus, ab univerſis illarum partium incolis præſumetur, quod non nobis ſed Rom. Eccleſiæ eos velimus etiam in temporalibus ſubiicere; quod ipſi tam plurimum abhorrerent, ut quamplurimi, quos ſine pugnæ certamine poſſemus obtinere, uſque ad mortis periculum ſe defendere niterentur: nobis enim & aliis Chriſtianis frequenter improperant, quod Eccleſiæ Rom. ſervi ſimus.

Flagitat Bela ſibi legati Ap. munus demandari.

XV. Præterea cum circa partes Bulgariæ in terra quæ Zemram nominatur, quæ dudum fuerat deſolata, populi multitudo ſupercreverit, qui nondum ſunt ad cujuſquam epiſcopi diœceſim applicati, ut eos alicui epiſcopatui ſecundum noſtrum beneplacitum aſſignare valeamus, a veſtra ſanctitate poteſtatem tribui poſtulamus. Item ut intra Ungariam ſuper terram Aſſoevi procedentes crucem nobis & noſtro exercitui anteferre * in omnes invaſores regni Ungariæ, in infideles & conſpiratores contra noſtrum regnum Ungariæ, donec fuerimus in proſecutione hujus negotii, ne propter hoc ſervitium Dei valeat impediri: quam ſententiam publicari facietis ubique per epiſcopos & fratres Prædicatores & Minores in Ungaria, ac in regnis & terris vicinis Ungariæ. Item petimus ut nulli regnum Ungariæ invadendum, vel occupandum concedatur, niſi cui nos permiſerimus; & nos ac univerſa noſtro ſubjecta * regnum in protectionem ſedis Apoſtolicæ aſſumatis.

* liceat

* regno

XVI. Verum cum nos & noſtros nec honoris ambitio, nec divitiarum cupiditas, quæ nobis divina gratia largiente abundanter ſunt conceſſa, ſed ſalus animarum, ac Apoſtolicæ ſedis devotio ad hæc exequenda pro viribus inducat, excommunicationum ſententias, quas non ſolum inferiores, verum etiam majores ac prælati, ac pene tota Ungaria ex conſtitutionibus & canonibus latæ ſententiæ venerabilis patris Præneſtini epiſcopi tunc A. S. L. incurrerunt & diebus ſingulis inevitabiliter incurrunt, ſuppliciter depoſcimus relaxari: permitioſum enim exiſteret ſe mortis periculo in Dei ſervitio exponentes in excommunicatione, in quam ex levi cauſa inciderunt, detineri; quia licet eundem ſanctitate præeminere pro certo credamus, cum tamen ſtatus Ungariæ ei eſſet incognitus, ſic ſuas conſtitutiones excommunicationum vallavit ſententiis, ut pene omnes in excommunicationem ſe noverint incidiſſe. Unde non ſolum nos, immo tota Ungaria paternitatem veſtram devotiſſime deprecatur, ut omnes conſtitutiones ipſius, quoad pœnam excommunicationis dignemini revocare, & nos a multiplicibus ſacramentis, quæ a nobis pro cauſis levibus accepit, quæ præ multitudine ad memoriam revocare non valemus, abſolvatis, ut nos & regnum noſtrum jure communi & ſanctorum patrum inſtitutionibus regamur, onera gravia & importabilia, quæ nemo poteſt adimplere, non habentes. Dat. in Zolum VII. idus junii anno gratiæ MCCXXXVIII. regni autem noſtri ann. III.

Diſſolvi cenſuras a Jacobo Præneſtino vibratas.

XVII. Acceptis iis literis Gregorius Regem laudibus ob zelum, quem in fidei cauſa propugnanda explicaret, ornavit (a) ejuſque votis facilem ſe præbuit: at negavit legati dignitatem, & munus in terris Aſanis ipſi imponi poſſe, ne rei eccleſiaſticæ damnum aliquot afferret: ſe tamen ipſi committere, ut quem ex ſuis legatum mallet, ad eam dignitatem vocaret, modo ſibi illius nomen, quo ſuas ad eum literas dirigeret, ſignificaret: regnum ipſius in Apoſtolicæ ſedis patrocinium adſcitum, atque anathema in invaſores Ungariæ fulminatum, ac per circumpoſitas regiones promulgandum: omnes qui ad victricia crucis ſigna ſub ipſo duce ſeſe contuliſſent, contractis cenſuris abſolvendos.

(a) Greg. l. 12. ep. 211.

Pontifex legati dignitatem petenti Ungaro conferre abnuit.

Gregorius &c. Regi Ungariæ.

Illam de te fiduciam gerimus, & ſic puritatis tuæ zelum diſcretionis ſpiritu te credimus moderari, quod nihil tibi concedi

*di a nobis velis, per quod Rom. Eccleſia mater tua notam alicujus detractionis incurrat, vel trahi poſſit ab aliis in exemplum. Cum enim inductus forſan conſilio aliquorum a nobis petieris tibi legationis officium in terra Aſſani ſupradicti committi, & concedi etiam poteſtatem limitandi diœceſes, inſtituendi epiſcopos, & diſtinguendi parochias, necnon & terram, quæ Zemram nominatur; in qua dudum deſolata excrevit populi multitudo, qui nondum ſubfuerunt cuiquam epiſcopo, alicui epiſcopatui applicandi; quia ſerenitatem regiam in viſceribus Jeſu Chriſti * ac per hoc negare tibi aliquatenus non valemus, quod cuipiam eſſemus principum conceſſuri; etſi non id, quod ad literam petitur, idem tamen tibi de fratrum noſtrorum conſilio concedimus in effectu: ut videlicet poſſis aſſumere, quemcumque malueris de archiepiſcopis, vel epiſcopis regni tui, qui noſtra fretus auctoritate præmiſſa de tuo conſilio exequatur, cui venerabilis frater noſter epiſcopus Peruſinus A. S. L. de ſpeciali mandato noſtro, quod ei dirigimus, eadem exequendi tribuet poteſtatem. Et quia perſonam quam intendis aſſumere ignoramus, illam nobis regia manſuetudo ſignificet, ut ei ſuper hoc noſtras literas deſtinemus, ad hoc ut ad aſſumpti expeditionem negotii ex aliquorum ſubſidiis, licet non indigeas, per Dei gratiam fortius animeris, univerſis cruceſignatis ejuſdem regni commutandi vota ſua per manus dilecti filii prioris provincialis fratrum Prædicatorum & miniſtri fratrum Minorum provinciæ Strigonienſis, quibus ſuper hoc ſcripta noſtra dirigimus, liberam concedimus facultatem. Ipſis quoque priori & miniſtro per literas noſtras injungimus, ut per ſe ac fratres ſuos contra prædictos hæreticos & ſchiſmaticos prædicent verbum crucis, illam eis qui contra eoſdem ſignum crucis aſſumpſerint, indulgentiam concedentes, quam habent laborantes in ſubſidium Terræ ſanctæ, tibique concedant aliquos ex fratribus, quos in hujuſmodi obſequio Jeſu Chriſti provideris eligendos.*

* gerimus

Permittit illi quem elegerit eam dignitatem collatum iri.

XVIII. Significat datam ſacris concionatoribus promulgandæ in Bulg. cruceſign. expeditionis provinciam.

*Cæterum quia indignum eſſet, ut dum militas Regi regum, aliquod regni tui diſpendium patiaris, in omnes, qui poſtquam te accinxeris ad præfatum negotium exequendum, quamdiu in proſecutione ipſius fueris, regnum ipſum invaſerint, & contra te diabolo conſpiraverint inſtigante, excommunicationis ſententiam promulgamus; quam per archiepiſcopos & epiſcopos Ungariæ ac fratres Prædicatores & Minores per totam Ungariam, ac regna & loca vicina mandamus ex * tunc ſolemniter publicari. Ut igitur inoffenſo pede curratur ad prælium Domini præliandum, nulloque poſſit aſſumptum negotium adverſo obice præpediri, univerſos dicti regni, qui ad collaborandum tecum in eodem negotio aſſumpſerint ſignum crucis, ac alios ab univerſis excommunicationum ſententiis latis a venerabili fratre noſtro epiſcopo Peneſtrino A. S. L. per priorem ac miniſtrum prædictos juxta formam Eccleſiæ mandamus abſolvi. Dat. Anagniæ v. id. aug. ann.* XII. Ad epiſcopum Peruſinum apoſtolicum legatum etiam ſcripſit (*a*) ut quem Rex legatum delegiſſet, ea dignitate ornaret: tum ad Prædicatorum ac Minoritarum familiæ ſpectatiſſimos, ut ſacrum bellum adverſus hæreticos ac ſchiſmaticos pro concione denuntiarent (*b*), fideleſque ad arma in cauſa tam pia capeſſenda inflammarent, vota alia nuncupata in expeditionis ſuſcipiendæ onus commutarent aliquos e ſuis ad ſacramenta militi adminiſtranda in caſtra ſubmitterent; datæ etiam ad Ungarum aliæ literæ (*c*) quibus Bulgariam nulli alii occupandam conceſſum iri ab Apoſtolica ſede, ac Pannoniam ſub ipſius clientela ab hoſtium impetu, atque excurſione vindicandam fore pollicetur (*d*).

* nunc

(a) Ib. ep. 212.

(b) Ib. ep. 213.

(c) Ep. 214.

(d) Ep. 215.

XIX. Concedit ut crux exercitui præferatur.

Poſtularat etiam Ungariæ Rex, ut crux in hoſtem progreſſuro præiret, cujus aſpectu terrorem hoſtibus incutere & ſuis animos addere poſſet: nec pia ejus petita refellit Gregorius (*e*): *In cœlorum Rege fiduciam tuam ponens, illo miſericorditer inſpirante, velut fortis athleta Chriſti proponis in ſplendore fulgoris armorum Domini currere accinctus ad ejus prælium præliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Quapropter prudenter attendens, quod in cruce domini noſtri Jeſu Chriſti te oporteat gloriari, pie deſideras ſalutare crucis ejus vexillum de licentia noſtra in hujuſmodi proſecutione negotii ſublimitati tuæ præmittere, ut ejus armatura munitus poſſis triumphum de hoſtibus divino comitatus auxilio reportare. Nos igitur attendentes, quod nequaquam tibi ſint armaturæ cœleſtis inſignia deneganda, qui contra Chriſti blaſphemos, hæreticos videlicet & ſchiſmaticos laborare proponis certamine inceſſante, ſerenitati tuæ præſentium auctoritate concedimus, ut poſtquam te accinxeris ad præmiſſum negotium proſequendum, ſalutiferæ crucis ſignum tam in eundo, quam morando & redeundo ante te ac hujuſmodi exercitum Domini facias bajulari. Dat. Anagniæ* VI. *id. aug. an.* XII.

(e) Ep. 216.

XX. Indictæ pro ſacrum bellum inituris publicæ preces.

Præterea Ungariæ præſules reliquoſque eccleſiaſticos viros monuit (*f*) uti Regi pro fide glorioſe pugnanti objectaque diſcrimina penetranti, indictis populo ſolemnibus ſupplicationibus, ſuis apud Deum precibus ac ſacrificiis non deeſſent: *Quia in tanto negotio, arduo utique & implicito, tam nos quam ipſe indigemus meritis & orationibus adjuvari, uni-*

(f) Ep. 217.



*verſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attentius, ac per apoſtolica vobis ſcripta mandamus obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto, quatenus eidem Regi in hujuſmodi certamine laboranti charitatis veſtræ ſuffragium impendatis; & poſtquam idem Rex cum exercitu ſuo Aſſani terram intraverit, facientes proceſſionem ſolemnem qualibet ſexta feria ſingulis ſeptimanis devotione ſedula illum, qui ventis & mari imperat, ſuppliciter exoretis, ut per ſuam miſericordiam infinitam ſuper eundem Regem & ſuos illuminans vultum ſuum ipſorum progreſſum dignetur miſericorditer proſperare; ac ſinguli ſacerdotes ſemel qualibet ſeptimana pro felici ſtatu exercitus munda conſcientia, & puris manibus offerant ſacrificium Domino Deo noſtro, & commiſſos ſibi populos ad ſupplicandum Deo pro ipſo exercitu crebris exhortationibus moneant efficaciter & inducant. Et ut fideles Chriſti fortius animentur ad prælium Domini præliandum univerſis archiepiſcopis, & epiſcopis, qui intererunt exercitui ſupradicto, concedimus, ut in ſolemnibus prædicationibus ſuis moderatam aliquot dierum indulgentiam auctoritate noſtra vere pœnitentibus & confeſſis, prout expedire viderint, largiantur. Datum Anagniæ* VI. *idus auguſti anno* XII.

XXI. Aſanes Latinorum metu iterum ad eorum partes ſe contulit. Balduinus in Anglia auxilia quæſiturus ſe confert.

Terruit Aſanem Ungarorum in Bulgariam irrumpere meditantium bellicus apparatus, atque ad Latinorum partes contra Græcos ſe traduxit, Balduinoque cum potentiſſimo exercitu venienti iter per Bulgariam, ut in Græciam penetraret, aperuit, ut inferius ex Georgio Logotheta videbitur. Agit de Balduini in occidentem adventu Pariſius quem in Angliam ad auxilia elicienda hoc anno vere trajeciſſe ait, atque Henricum graviter admodum tuliſſe ipſum regnum ingreſſum: cumque ille ſe excuſaret ad opem exorandam pro defendendo Imperio, non turbandam Angliam veniſſe, honorificentiſſime Londini exceptum. Tradunt pariter Flandriæ (*a*) annales ipſum in Belgio & Campania magnas opes ex vectigalibus boniſque coegiſſe, Namurcenſem comitatum Ludovici Regis auxilio adverſus comitem Viennenſem ſibi aſſeruiſſe, ac ſpineam Domini coronam aliaque noſtræ redemptionis inſignia magno pretio oppigneraſſe Venetis: eo enim extrema rerum anguſtia ipſum compulerat, ut ea catholicis diſtraheret, ne in ſchiſmaticorum poteſtatem una cum Imperio venirent; quæ S. Ludovicus, ut deſcribit Nangius, (*b*) magnis opibus redemit, atque in regia æde ſacra Pariſiis, magnifice extructa ingenti pompa collocavit. [1]

(a) Meyer. in annal. Flan. an. 1237.

Pretioſiſſima dominicæ paſſionis monumenta oppignerat Venetis.

(b) Nang. in vit. S. Lud. ann. ſeq.

XXII. Redimuntur magno pretio a S. Ludov. Gregor. Balduino in comparando exercitu favet.

Nec defuit Balduino Pontifex, immo omnem operam ad concilianda militum ſtipendiorumque ſubſidia contulit; ac Viennenſem in primis archiepiſcopum A. S. L. Lugdunenſem, Biſuntinum, Bituricenſem archiepiſcopos; atque epiſcopos Cameracenſem, Tullenſem, Metenſem, Leodienſem, ac Virdunenſem Chriſtianam juventutem ad induendam in ſchiſmaticos orientales crucem pro concionibus ſacris, propoſitis ampliſſimis indulgentiis, quæ in Terram ſanctam ituris in œcumenico concilio datæ erant, incitare juſſit (*c*): tum ex ſacro ærario, quod pro Terræ ſanctæ ſubſidio collectum erat, partem Balduino ad inſtruendas copias tradidit, de quo ad Viennenſem archiepiſcopum literæ (*d*): ita Richardum Cornubiæ comitem ob Angliæ tumultus Hieroſolymitanæ profectionis voto liberatum, ad ſumptus, quos in ornanda ea expeditione erat facturus, in orientalis Imperii ſubſidium convertendos obſtrinxit (*e*). Cumque S. Ludovicus Francorum Rex ſedem Apoſt. conſuleret quid ſibi ob magnam pecuniæ vim a Judæis exactam, quam ab ipſis a Chriſtianis uſuris maliſque artibus extortam par eſſet credere, ad excutiendam facti religionem agendum incumberet, eas pecunias, quarum domini non invenirentur, ad comparanda auxilia pro Imperio orientali derivandas reſcripſit (*f*).

(c) Lib. 12. ep. 10. & reg. poſt eand. ep.

(d) Ib. ep. 348.

(e) Poſt ep. 311.

(f) Eod. l. 12. ep 6.

XXIII.

Egit (*g*) etiam cum eodem Rege, ut Gallicani præſules trigeſimam Balduino ad annos tres penderent; propoſuitque rem fore numini gratiſſimam, ſi illud Imperium e ſchiſmaticorum potentia eriperetur, qui mox illud variis hæreſibus inquinaturi eſſent, ac barbaris ad opprimendam Syriam viam faciliorem daturi.

(g) Ib. ep. 311.

*Gregorius, &c. Ludovico Francorum Regi.*

Pontificiæ ad Reg. Franc. ut orient. imperio ſuccurrat.

*Inæſtimabilis muneris gratiam inclytæ recordationis progenitoribus tuis Regibus Franciæ in eo cœleſti proviſione collatam, quod ipſos, ut gloriæ fierent æternæ participes, a longis retro temporibus exaltationis Eccleſiæ, & catholicæ fidei magnificos geſtatores ad mentem noſtram grandi exinde concepta lætitia ſæpe reducimus, eamque pluries repetitam noſtris adhuc tibi literis replicamus, credentes ut quo ab ipſis exempla uberiori ab eum manantia rivulo recipit, eo illos, quibus ipſum nobi-*

NOTÆ

(a) Gualth. arch. Sen. apud Franch. Ducheſ. to. 5. hiſt. Franc.

[1] POſt illud: *Collocavit*, adde hanc periocham ex annalibus contractis: *Ducta prius ſacra pompa in qua ut ait Gualterus (a) archiepiſcopus Senonenſis:* Rex nudis pedibus, ſola indutus tunica cum fratre ſuo Roberto comite, humiliato ſimiliter, ſacrum onus humeris ſuis ſuſcepit deportandum. MANSI

*bilitas ſanguinis & regia celſitudo pariſicant, virtutum conetur operibus ſuperare. Illi quidem Eccleſiam Dei expenſis, laboribus, & proprio ſanguini non parcentes a faucibus perſecutorum eripere, extirpare hæreſim, fideique hoſtes comprimere, & quandoque Terram ſanctam de paganorum meruerunt manibus liberare; propter quod ipſorum memoria in compoſitione odoris effecta, & in omni ore quaſi mel ſuaviſſimum indulcata regali excellentiæ ſuggerit, ſuoque ſupplicare videtur honori, ut idem Rex ſedula meditatione conſiderans, quod ex occupatione Conſtantinopolitani Imperii orientalis eccleſia in gravium fruſta ſchiſmatum ſcinditur, Terræ ſanctæ, de qua nonniſi per ipſum ſecurus haberetur reditus, ſubſidium impeditur, ager Dominicus diverſarum hæreſum ſpinis occupatur, & tribulis & omnium Latinorum timetur periculum in partibus habitantium orientis; ad ſubventionem illius dictorum progenitorum ſequendo veſtigia, auxilium & conſilium plena efficacia tribuat, ac exinde ſuo nomini perpetuæ gloriam laudis acquirat.*

XXIV. *Licet enim ad liberationem dicti Imperii, ut Terræ ſanctæ non minus quam ei valeat provideri, apoſtolica ſedes multos labores & expenſas ſubjerit, quia tamen niſi nobis devotorum & fidelium ad id ſuffragetur auxilium, tantum negotium noſtrarum virium metas excedit, te ad perfectionem ipſius, quod & honorem perſonæ tuæ & ſalutem animæ nihilominus continet, duximus invocandum. Verum quia dignum videtur & congruum ut Eccleſia, cujus id reſpicit honorem & commodum, ad hoc auxilium conferat opportunum, celſitudinem regiam rogandam duximus attente & hortandam, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ſecreto & ſingillatim apud prælatos regni tui, & primo apud eos, qui familiaritate ſpeciali ſublimitati regiæ ſunt aſtricti, ut liberaliter & benigne aſſentiant, quod eccleſiæ & clerici ſuarum diœceſum in triceſima reddituum ſuorum uſque ad triennium prædictis Terræ ſanctæ & Imperio provideant, ac dicti prælati ſuper aſſenſu petito nobis literas ſuas patentes tranſmittant, regalis providentia interponat ſic favorabiliter, ſic efficaciter partes ſuas, quod exinde Deum merearis habere propitium, & per ſolicitudinem regalem prædicta terra & Imperium de impiorum manibus liberentur. Dat. Later.* VIII. *kal. decemb. an.* XII.

XXV. Eodem etiam argumento ad Reginam Francorum ſcripſit, (*a*) ut Regem ad tantum opus incitaret ac præſules ad ſuam operam in id conferendam impelleret. Simillimiſque literis ad Angliæ Regem (*b*) exaratis ad auxilia ſubmittenda, ac navandam in ea re divinæ gloriæ operam ſollicitavit: atque earumdem literarum ſervata ex parte ſerie, ad Richardum Cornubiæ comitem ſcripſit (*c*). Cumque plures crueeſignatæ militiæ nomen adſcripſiſſent, ad contractas copias in orientem traducendas, Fridericum rogavit, uti ipſos ad ſuſcepta conſilia perficienda adjuvaret, ac liberum per terras Romani Imperii aditum daret; eoque difficiliorem ſe præbente, inſtitit (*d*) iterum, ne tantam nomini ſuo injuriam labemque imprimeret, ne impedito interclufoque ſubſidio favere ſchiſmaticis videretur.

(*a*) *Poſt eand. ep.*

(*b*) *Poſt eand. ep.*

Hortatur ad idem præſtandum Angliæ Regem.

(*c*) *Poſt eand. ep.*

Pontifex rogat Frid. cruceſignatos juvet.

(*d*) *Lib.* 11. *ep.* 413.

*Gregorius, &c. Frederico Imp.*

Gregorii de ea re literæ.

*Conſiderantes olim quod Græcorum eccleſia ab obedientia matris ſuæ ſedis Apoſtolicæ ſeparata ex eo vitam videbatur amittere catholicæ fidei, quod a capite ſuo, Eccleſia ſcilicet Rom. in qua Dominus fidei & totius ſtatus eccleſiaſtici magiſterium poſuit, non timuit ſegregari; quia nec ramus vivit, qui a radice ſejungitur, nec membrum vitam retinet, quod a corpore ſeparatur; conſiderantes quod cum Eccleſia ſponſa Chriſti ſit unica, quæ in B. Petro Apoſtolorum principe non dubitatur eſſe fundata, quiſquis aliam eccleſiam extra iſtam conſtituit, ſeu credit poſſe conſtitui, certum eſt eum a vita veræ fidei in mortem hæreſis ſeparari; provida deliberatione timuimus, ne dicti Græci, quos ab Eccleſia Dei tranſportavit in ſynagogam ſathanæ alluvio ſchiſmatis, impetu torrentis obruti in abyſſum præcipitarentur hæreticæ pravitatis. Propter quod exemplo ſummi paſtoris ovem perditam ad ovile dominicum propriis cupientes humeris reportare, ad Vatacium,* * *dictum patriarcham Nicenum, prælatos, & clerum ſibi ſubditos fratres Prædicatores & Minores in lege divina plene peritos tranſmiſimus, paternis apud ipſos monitis & precibus inſiſtentes, ut a ſomno mortis exurgerent, & fugientes a ventura ira, illuceſcente illis ſupernæ claritatis lumine, ſe unioni catholicæ reformarent. At ipſi, ſicut ex ipſorum fratrum veridica relatione percepimus, diverſos contra fidem orthodoxam proponentes errores, & obturantes more aſpidis aures ſuas, nullis potuerunt induci monitis, ut in viam redirent eccleſiaſticæ unitatis. Super quo vehementi dolore turbati, ne fruſtra ſit nobis evellendi & plantandi cœlitus collata poteſtas, contra dictum Vatacium ſchiſmaticum & ejus fautores, qui excommunicati a nobis ſemel in annis ſingulis nuntiantur; quia ipſorum vulnera ſanare hujuſmodi non potuit medicina, non tam pro ſubſidio Conſtantinopolitani Imperii, quam pro corroboranda & defendenda fide catholica in partibus orientis, multos principes, barones & milites ſigno crucis fecimus inſigniri; cultoris evangelici ſequentes exemplum,* *qui*

* Germanum



*qui primo circa ficum ſterilem fodiens & mittens ſtercora, illam tempore ſequenti ſuccidit, niſi poma produxerit expectata: quare ſerenitatem tuam apoſtolicis nuntio & ſcripto rogavimus, ut cruceſignatis prædictis per terram tuam tranſitum liberum indulgeres. Verum cum, ſicut intelleximus, precibus noſtris obicem difficultatis opponas, imperialem celſitudinem ſicut iterum ſic attentius rogandam duximus & monendam, quatenus prudenter attendens, quod hujuſmodi denegando tranſitum apud Deum animæ, ac apud homines famæ tuæ, eo quod dictos ſchiſmaticos in ſuo videreris errore fovere, incurreres detrimentum; cruceſignatis Conſtantinopolitanæ civitati ſuccurrentibus per terram præfatam & Imperium tranſitum concedas liberum & ſecurum. Alioquin ſcire te convenit quod Eccleſia non poſſet conniventibus oculis pertranſire, quod in ſubverſionem fidei catholicæ contingeret attentari, &c. Dat. Lat.* XVI. *kal. apr. ann.* XI.

XXVI. Nec ea Pontifici ſufficere viſa, aliis enim literis ipſum ad auxilium cruce inſignitæ militiæ explicandum adducere eſt conatus; (*a*) cum maxime divinæ gloriæ intereſſet non modo ſchiſmate ab Eccleſia abſciſſos, verum etiam pluribus hæreſibus inquinatos a Conſtantinopolitano Imperio ſubmovere, ne Latinorum reliquiæ illis in regionibus penitus delerentur. Ungariæ pariter Regem ſuis literis exoravit (*b*) ne viam ipſis abrumperet, ſed benevolum ſe ac facilem impertiret. Regem etiam Colomanum Belæ Pannoniæ Regis fratrem, ac ducem Sclavoniæ monuit, (*c*) ut Balduinum Imperatorem, qui in occidente collectas copias transferre in orientem meditabatur, aliosque viros principes, qui ſtrenue bello ſacro ſeſe accinxerant, merita benevolentia complecteretur, juvaret conſilio, reſque neceſſarias ſuppeditaret: ipſum eo facto ſummam ab Eccleſia gratiam initurum: *Licet hactenus Conſtantinopolitano Imperio iratus Dominus habitatores ipſius divinæ flagello clementiæ caſtigarit, nunc tamen honorabili militum, & aliorum bellatorum exfortio cœleſti inſpiratione ad inſtans paſſagium martii magnifice ſe ad ipſius ſuccurſum accingentibus, ſicut ſperamus ad illud in miſericordiis revertitur, ut ipſum ſtola luctus & vexationis exuens idem Imperium de longe veniente lætitia & decore perpetui honoris indui largiatur. Quocirca ſerenitatem regiam rogandam duximus attentius, & hortandam, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus nobilem virum Balduinum heredem Imperii Romaniæ, & comitem Namurcenſem ac alios in Imperii prædicti ſubſidium tranſeuntes benigne recipiens ſecurum conductum, efficax conſilium & auxilium impertiri procures. Dat. Later.* VI. *kal. decemb. an.* XII.

(*a*) *Ib. ep.* 447. Gregorii ſtudium pro Eccleſia orientali.

(*b*) *Ib. ep.* 448.

(*c*) *Lib.* 12. *ep.* 314. Greg. Ungarum exorat Balduino redeunti aditum daret.

XXVII. Cæterum Balduinum profectionem ſuam cum aliis in proximum annum diſtuliſſe oſtendunt Gregorii literæ (*d*) ad Peloponneſi & Achajæ archiepiſcopos decimo kalend. februarii inſequentis anni datæ, quibus ſignificat miſſum in Gallias Anagninum epiſcopum, ac ſe brevi in orientem egregias copias directurum, moxque Balduinum cum alio exercitu ſubſecuturum: quare tertiam illius anni eccleſiaſticorum vectigalium partem in Conſtantinopolitani Imperii auxilia convertere juſſit. Id etiam ex aliis ad Balduinum literis hoc anno decembris menſe exaratis colligi videtur. Gregorius enim Balduini precibus conceſſerat (*e*) ut ſi in itinere, quod per Pannoniam facturus erat, ſacramentum aliquod vi extortum, quod Conſtantinopolitani Imperii dignitati detraheret, forte nuncuparet, nulla illius religione teneretur: *Cum ſicut in noſtra propoſuiſti præſentia conſtitutus ad partes Conſtantinopolitanas per regnum Ungariæ, & alia loca te oporteat proficiſci, timeaſque, ne forſan neceſſitate coactum præſtare juramentum aliquod te contingat in animæ tuæ periculum & enormem Conſtantinopolitani Imperii læſionem, cujus jura teneris illibata ſervare, nobis humiliter ſupplicaſti, ut ſuper hoc congruum remedium apponere curaremus. Nos igitur tuis devotis ſupplicationibus inclinati præſentium tibi auctoritate concedimus, ut ſi juramentum hujuſmodi a te fuerit violenter extortum, ad obſervationem illius tanquam illiciti nullatenus tenearis. Datum Lateran.* VI. *idus decembr. pontif. noſtri anno* X.

(*d*) *Lib* 12. *ep.* 370.

(*e*) *Ep.* 322. Greg. ſi quod a Bald. extorqueatur ſacramentum irritum eſſe jubet

XXVIII. Deſcribit illam Balduini expeditionem Georgius Logotheta (*f*) his verbis: *Balduinus ob conflictus erga Romanos, & potiſſimum propter ſui adverſarium Joannem Imperatorem*, Vatacium ſcilicet, quo nomine a Pontifice appellari ſolitum vidimus, *qui in anguſtum dominatum illius contraxerat, diffidens, ac rebus ſuis deſperans ad Francorum Regem ſibi affinitate conjunctum & ejuſdem generis, & Romanis infenſiſſimum, ideoque ſuppetias ferre paratum proficiſcitur, operamque illius nec contemnendam poſcit. Fit voti compos, & intra breve tempus Francorum ſexaginta millia eo nomine, ut in Romanos arma caperent, lecta ſunt; & cum navigiis via difficilis eſſet, majorem enim, quam ipſi poſſent exolvere, mercedem ſimilis navigatio poſtulabat, terreſtri itinere viam ineuntes, ſuperioreſque Gallias traiicientes, percurſaque Italia per radices Alpium Oſtricium proficiſcuntur, & per Ungariam commigrantes Iſtrum tranant, & Bulgaris immiſcentur, omnibus tanquam amicis & affinibus uſi, qui & propter ſemetipſos nec minus in nos odium amiciſſime a locorum dominis excipiebantur.*

(*f*) *Georg. Log. interp. Leone Allat.*

Balduinus terreſtri itinere Conſtantinopolim petit.

XXIX. Jungit ſedera cum Bulgaris.

*Bulgari, fœderibus cum Romanis ſpretis, facultatem Françis feçere per montana ſua tranſeundi, quam per vim atque factionem coacti illam dediſſent. Sic Tzuruli arx a Latinis oppugnantibus Scytharum auxiliaribus copiis rurſum expugnatur. Tunc eam cuſtodiebat Joannes Petraphilas magni chartularii dignitate a Joanne Imperatore decoratus, vir maximis corporis viribus & a puero militaribus negotiis exercitus. Verum Latinarum copiarum exceſſus, & innumera Scytharum vis, tormentorumque ſpiſſum ac validum Italis deditionem paravit. Tradunt nonnulli clam aliquos defectionem meditatos, ideoque improviſum expugnationis pertimuiſſe. Latini itaque Tzurulum cepere, & in ea Romanos comprehenſos cum Petraphila vinculis alligatos & Conſtantinopolim deductos familiaribus vendiderunt.* De hac arce loqui potuit Balduinus in literis ad Regem Anglorum miſſis, quibus ſignificabat ſe penetraſſe in Græciam, ac fortiſſimam urbem Conſtantinopoli non multum diſſitam cinxiſſe obſidione, qua expugnata ſibi facile ad Conſtantinopolim iter pateret, ac circumjecta trium dierum itinere regione potiturum: quam feliçem ſecundarum rerum Balduini famam ſparſam in Anglia anno hujus ſæculi quadrageſimo refert Pariſius (*a*). Pergit Logotheta;

Tzurulum obſidione capit.

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*

XXX. *Dum obſideretur ab Italis Tzurulus Joannes Imp. melioribus triremibus fabricatis & exercitu non exiguo ſecum conducto Italos aggrediebatur a Nicomedia diſcedens; & Characem prætergreſſus Daciſyzam præter expectatum oppugnatam occupavit. Præterea & Niceſtrati caſtellum in ſuam poteſtatem redegit: infortunatus nihilominus in triremibus fuit, cum qui in illis confligebant belli eſſent inexpertes, & Iſphræus Armenus claſſi præeſſet circa res militares, ultra quam par erat, ſegnior. Ante eum Manuel Conſophræus vir manu potens, terra marique martem ſpirans triremium erat gubernator: ſed cum ante paucos dies de claſſe audacior illius cum Imperatore congreſſio fuiſſet; namque dixerat Italicis triremibus nunquam noſtras, liçet multo plures fuiſſent, cum ipſe ambarum facultates optime noſceret, obviare vel obſiſtere poſſe, præfectura ſpoliatus eſt, quam in ſe Iſphræus receperat; valde miranda victoria ſuperatus eſt: cum enim triginta triremes conduceret, a tredecim debellatus eſt, totque de ſuis quot erant hoſtium amiſit, ſingulæ enim ſingulas cum ipſis hominibus & armis ſpolium retulerunt.* Hactenus Georgius Logotheta, ex quo iſta, quamvis poſt hunc annum geſta cœptæ hiſtoriæ ſeriem abſcinderem, excerpſi; addit vero auctor Vatacium infidum Aſanem iterum a Latinis ad ſuas partes confirmandas abduxiſſe.

Navali prælio Græci vincuntur a Latinis.

XXXI. Subornarat etiam antea Vatacius, in alliciendis ſibi militibus admodum ſolers, Hoſpitalarios, quibus in ſua ditione vectigalia, ac terras attribuerat, ut eorum opera in Latinos uteretur. Quo audito ſcelere Gregorius ad Hoſpitalarios ab eo fœdere abducendos incubuit. At non illi modo impia illa ſchiſmaticorum ſocietate ſed immaniſſimis aliis flagitiis contaminari ferebantur, parſque illorum calcata omni religione in voluptatum cœno volutabatur, ac latrociniis, cædibus, rapinis graſſabatur, teſtamenta adulterabat, atque ad malorum cumulum hæreſeos ſeſe labe contaminarat, ut mirum non ſit Chriſtianos Terram ſanctam amiſiſſe, quam ipſi, qui religioſa inſtituta profitebantur, tot ſceleribus inquinarunt. Supremum itaque illorum magiſtrum Pontifex acerbe perſtrinxit, objectaque ſcelera in ſuis citius emendare, priſtinumque pietatis ſplendorem revocare juſſit (*b*).

Horrenda fratrum Hoſp. Hieroſolym. ſcelera.

(*b*) *Lib.* 11. *ep.* 449.

XXXII. Pontificis ad ea emendanda ſtudium.

*Dolemus & turbati referimus quod, ſicut intelleximus, vos meretrices in veſtris caſalibus ſub certis appactionibus retinentes incontinenter vivitis, & proprium præſumentes improprie poſſidere eorum, qui confratariam veſtram aſſumunt, datis in anno quatuor aut pluribus denariis defenſores vos facitis, ac latrones & interfectores peregrinorum, & hæreticos in veſtris domibus & caſalibus receptatis; Vatacio Dei & Eccleſiæ inimico in equis & armis, terris propter hoc & caſalibus ab ipſo receptis, præbere contra Latinos auxilium non veremini; conſuetas pauperum eleemoſynas diminuitis, teſtamenta & alias ultimas voluntates in hoſpitali veſtro decedentium non ſine falſitatis vitio immutatis, ac infirmantes ibidem aliis ſacerdotibus quam fratribus veſtris & capellanis conductitiis, quos habetis, non permittitis ſine veſtra ſpeciali licentia confiteri, alia plura committentes enormia, per quæ Deus offenditur, & ſcandalum in populo generatur. Cæterum plures ex fratribus veſtris de hæreſi probabili haberi dicuntur ratione ſuſpecti: propter quod quia ex modico fermento multa maſſa corrumpitur, ne peſtis hæc latius ſerpat in alios, non immerito formidatur. Ideoque mandamus quatenus infra tres menſes a receptione præſentium vitam veſtram in melius reformantes præmiſſa & alia quæ in eodem hoſpitali fuerunt corrigenda, ſecundum Deum & veſtri ordinis inſtituta corrigere penitus, & emendare curetis; alioquin venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Tyrenſi noſtris damus literis in mandatis, ut ex tunc, niſi ei de hujuſmodi correctione legitime conſtiterit, perſonaliter accedens ad locum, & habens præ oculis ſolum Deum inquiſita ſuper præmiſſis & aliis plenius veritate, corrigat & re-*



*& reformet ibidem tam in capite quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio noverit indigere. Dat. Later.* III. *idus mart. pontif. noſtri ann.* XI.

XXXIII. Cum eorumdem Hoſpitalariorum tum etiam Templariorum, ac Theutonicorum equitum domus, quæ eccleſiaſtica immunitate potiebantur, ſceleratis hominibus cædium impune patrandarum occaſionem darent, hæc decrevit Pontifex miſſis Patriarchæ Hieroſolymitano, ac ſuffraganeis literis (*a*): *Mandamus quatenus ne confugientes ad loca religioſorum regni Hieroſolymitani, niſi ſint conventualia, vel Eccleſiæ, ullam immunitatem debeant reportare, nec ad illam confugientes recipiantur in ipſis, ſi dolo vel inſidiis homicidia perpetrantur, auctoritate apoſtolica ſinguli in propriis diœceſibus publice interdicere procuretis. Datum Later.* VII. *idus martii anno* XI. Impoſuit eidem patriarchæ provinciam, ut canonicos ſepulcri Hieroſolymitani, qui avaritia perciti ad corradendas a ſimplicioribus pecunias miracula, ac nonnulla alia aſperſa religioni (*b*) graviori labe confingebant, coerceret: *Intelleximus*, inquit, *quod canonici ſepulcri Hieroſolymitani ignem in idem ſepulcrum de cœlo in vigilia Paſchæ deſcendere, & Redemptorem noſtrum Dominum Jeſum Chriſtum inibi incarceratum fuiſſe dicentes, locum conficti carceris ſub certo pretio non ſine ignominia divini nominis venalem exponunt. Verum quia Dominus, ut pro ipſo loquamur, mendacio noſtro non indiget, mandamus quatenus præſumptiones hujuſmodi de cætero ibidem auctoritate noſtra probibeas attentari, &c. Dat. Lateran.* VII. *idus martii anno* XI. Præterea tum ipſi tum Antiocheno patriarchæ præcepit (*c*) ut cruceſignatos qui abjurata hæreſi in Eccleſiæ gratiam admiſſi fuerant, atque in pœnam criminis arma in Sarracenos ad illud eluendum juſſi erant, ſignum quo ab aliis cruceſignatis diſcernerentur, circumferre juberent; præterea curarent (*d*) ut Sarraceni in vinculis tenti ab audiendis concionibus, amplectendiſque ſacris Chriſtianis non arcerentur.

(*a*) *Ib. ep.* 441.

Canonicorum S. Sepulcri impoſturæ repreſſæ a Pontifice.

(*b*) *Ep.* 444.

Qui in pœna criminis crucem induere juſſi ſigno ab aliis diſtincti.

(*c*) *Ep.* 439.

(*d*) *Ep.* 440.

XXXIV. Graves porro querelas apud ſedem Apoſtolicam Antiochenus patriarcha adverſus Armeniæ Catholicum ſuæ obnoxium auctoritati attulit: illum præter morem ab Antiocheni patriarchatus obſequio ſe divulſiſſe; propterea Gregorius ad illum ad officium revocandum, Apamienſem & Manceſtanum archiepiſcopos, ut eum ad præſtandam obedientiam pellicerent, ſcripſit (*e*): *Venerabilis frater noſter patriarcha Antiochenus propoſuit coram nobis, quod licet tota Armenia in patriarchatu Antiocheno conſiſtat, Armenorum tamen prælatus, qui Catholicos vulgariter appellatur ſubeſſe contemnens, debitam ei & eccleſiæ Antiochenæ obedientiam & reverentiam denegat exhibere; quare nobis humiliter ſupplicavit, ut procedi contra eundem Armenum ſecundum ſtatuta generalis concilii mandaremus. Cum igitur in uno eodemque patriarchatu duo capita eſſe non debeant, quaſi monſtrum, mandamus quatenus ad eundem Catholicon perſonaliter accedentes, ipſum moneatis attentius & efficaciter inducatis, ut eiſdem patriarchæ, & eccleſiæ, ut tenetur, obediat humiliter & intendat. Quod ſi monitis veſtris acquieſcere forte noluerit, quicquid duxerit proponendum, quare ad id ſe aſſerit non teneri, veſtris nobis literis fideliter intimetis, ut ſuper hoc auctore Domino congruum remedium apponamus. Dat. Later.* VI. *kal. julii anno* XII.

Armeniæ catholicus ſe a patriarchatu Antioch. ſegregat.

(*e*) *Lib.* 12. *ep.* 198.



XXXV. Subducebant etiam ſeſe patriarchatui Antiocheno abbates & clerici plures, Græci, Armeni, Georgiani; quos Gregorius admonitos Antiocheno ut patri, ac paſtori morem gerere juſſit (*f*): cum maxime nullius privilegii vi ab eo diſtrahere ſe poſſent. Gravi quoque patriarcham Antiochenus princeps injuria affecerat: cum enim ipſius prædeceſſores, tradito ſibi vexillo ab eo principatu indui, fideique ſacramentum edere conſueviſſent, non ille modo fidem ſuam patriarchæ adſtringere, ſeſeque ſubmittere recuſarat, verum etiam graviora ad infringenda ipſius jura & labefactandam auctoritatem pertentarat. Ad quam aſſerendam Gregorius Tyrenſi archiepiſcopo atque Acconenſi & Anteradenſi præſulibus munus impoſuit, (*g*) patriarchæ dignitatem a principis injuriis vindicarent: *Gravem venerabilis fratris noſtri patriarchæ Antiocheni recepimus quæſtionem, quod cum princeps Antiochenus exiſtens pro tempore, prius quam recipiat principatus honorem, & pro principe habeatur, debeat a patriarcha Antiocheno inveſtituram de principatu recipere per vexillum, & juramentum fidelitatis ſibi & eccleſiæ Antiochenæ præſtare; ac in hac poſſeſſione vel quaſi eccleſia ſupradicta conſiſtat; utpote quæ a claræ memoriæ progenitoribus nobilis viri B... principis Antiocheni recepit hujuſmodi juramentum, & ipſi inveſtituram de principatu ab eadem eccleſia receperunt, idem nobilis a veſtigiis prædeceſſorum ſuorum pro ſua voluntate recedens, non ſolum inveſtituram eandem, prout debet & moris eſt, ab eo recipere, ac fidelitatis præſtare voluit juramentum; ſed etiam adverſus matrem ſuam Antiochenam eccleſiam ſe extollens ad gravamina ipſius, & injurias extendit illicite manus ſuas.* Partes iis imponit, ut cenſurarum incuſſa religione principem ad officium atque ad ſarciendas injurias adducant. *Dat. Anagniæ* 2. *kalend. auguſt. ann.* XII. Ac ne-

In reducendis ſchiſmaticis ſtudium Pontificis.

(*f*) *Ib. ep.* 199.

Princeps Antioch. a patriarcha accipere principatus jura abnuit.

(*g*) *Ib. ep.* 203.

(a) Greg. l.11. ep. 204.
Compreſſus Antioch. princeps ab divinorum uſurpanda auctoritate.
(b) Ib. ep. 205.
(c) Ep. 206.
(d) Par. hiſt. Angl. hoc an.
Patriarchæ Græci Antiocheni temeritas.
(e) Lib.11. ep.443.

ne hujuſmodi diſcordia ad rei Chriſtianæ perniciem ſerperet, eos antiſtites hortatus eſt (a) ad eas ſopiendas diſſenſiones, animumque principis patriarchæ conciliandum ſuam operam conferrent: præterea eorum beneficio principem, ne ſacræ auctoritatis jura invaderet, ſibique arrogaret, deterruit, (b) ſtudiumque adhibere juſſit, (c) decimæ in Antiocheno patriarchatu, quas plures ſubripere erant ſoliti, perſolverent; de Antiocheno archipræſule ſcripſit Matthæus Pariſius (d) eo audaciæ Germano Græcorum patriarcha ipſi favente prorupiſſe, ut in Pontificem, ac Romanam Eccleſiam ſuperbe aſſurgere, atque impie anathema vibrare niſus ſit. Verum hæc non de patriarcha Latinorum Antiocheno, quem Pontifex habebat obſequentem, & in ejus gratiam plures epiſtolas dedit, (e) ſed de Græcorum ſchiſmatico intelligendum videtur.

XXXVI. Sultanus Ægypti a Chriſtianis non alienus moritur. Secuta ex illius morte inter Sarrac. bella civilia.
(f) Jord. MS.Vatic. ſignat. n. 1960.

Adjungimus Aſiaticis rebus quod refert Pariſius, Sarracenorum ſultanum præpotentem ampliſſima bona Chriſtianorum xenodochio moriturum reliquiſſe, omnia mancipia Chriſtiana donaſſe libertate: quem egregie erga religionem affectum, atque etiam Friderico Imperatori Chriſtiana ſacra ſe amplexurum ſignificaſſe refert; illum vero Ægyptium fuiſſe ex Jordano colligitur, qui ingentia inde inter Sarracenos bella exorta narrat (f): *MCCXVIII. ſoldanus Ægypti Lechemel moritur & ſucceſſit ei filius Hedel, quia major Salath aberat: pater enim in vita terram orientalem ſibi dederat, feceratque ſoldanum. Jobet vero Saladini nepos abſentibus Lechemel filiis in Damaſco ſoldanus receptus eſt, cui Salath de oriente veniens regnum abſtulit, & dum procederet in Ægyptum contra fratrem ſuum Hedel, ab Anazar filio Coradini, qui puer de dominio Damaſci fugatus, eſt capitur & carceratur licet conſanguineus.* [1] Ut vero Chriſtiani gerendæ rei occaſione prætermiſſa inter ſe diſciſſi animis & contrarias Sarracenorum partes amplexi in ſe mutuo arma diſtrinxerint, ſuo loco dicetur. Prætermittere vero hic non poſſumus, Fridericum, cujus intererat Hieroſolymitani regni limites amplificare, ambitione ſubiiciendæ ſibi Italiæ æſtuantem obſtitiſſe, ne Galli hoc anno expeditionem ornarent, hiſque literis Pontificis pia ſtudia deluſiſſe (g).

(g) Apud Greg. l.11. ep 360.
XXXVII. Fridericus cruceſignatos ab expeditione Aſiatica retardat.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri domino Gregorio S. Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Fredericus eadem gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Hieruſalem & Siciliæ Rex ſalutem, & reverentiam filialem.*

*Paternitati veſtræ volumus eſſe notum, quod quia cruceſignati in regno Franciæ ad preces & monita celſitudinis noſtræ uſque ad præfinitum tempus treugarum, videlicet a primo venturo B. Joannis uſque ad ſequentis anni feſtum prædictum ipſorum paſſagium diſtulerunt; ideo nos ob reverentiam etiam crucifixi, cujus obſequio corda ſua & corpora deputarunt, promiſimus cruceſignatis eiſdem, quod ipſos non rogabimus de prorogatione paſſagii eorum ultra triennium ſupradictum, nec rogari aliquatenus patiemur; quin potius in omni conſilio & auxilio efficaci, ſicut ſpecialiter negotii meritum nos aſtringit, adeſſe intendimus tranſituris: ita quod ſi qui eorum per regnum noſtrum tranſire noluerint, nos ſpecialem in ſubſidium tranſitus eorumdem invenient adjutorem: & ut ipſis cautum eſſe debeat de prædictis, literas noſtras aurea bulla typario noſtræ majeſtatis impreſſas eis duximus indulgendas per ſpecialem noſtrum nuntium tranſmittentes, & hoc idem vobis per præſentes noſtræ ſerenitatis apices ſimiliter aurea bulla munitas duximus deſcribendum. Dat. Cremonæ* VII. *decemb.* XI. *indict.*

Defixus eſt ſequenti anno anathemate Fridericus, cum non modo aggrediendi belli ſpem fefelliſſet, verum etiam pia aliorum conſilia diſturbaſſet. Præſcripſit interea Gregorius cruceſignatis certum ineundæ in orientem trajectionis tempus, ne in portus infidelium coniicerentur, vel ne temere periculis ſe exponerent. Tum Regem Francorum cohortatus, (h) inducias initas cum Henrico Anglorum Rege, quæ brevi ſolvendæ erant, ad quinquennium prorogaret, ut ex utroque regno juventus Chriſtiana in Syriam ad debellandos Sarracenos ſe conferre poſſet; eodemque argumento ad Henricum Regem Angliæ, atque Iſabellam ipſius matrem olim Reginam Angliæ, tumque Marchiæ comitiſſam (ducto enim ſecundis nuptiis viro comite ex priſtino regio ſtatu defecerat) ſcripſit, (a) ut facilem producendis induciis animum accomodarent. XXXVIII

(h) Lib.11. ep.271.
Pontifex Gallos Angloſque ad inducias invitat.

NOTÆ

[1] NOn unum, ſed tres Sultanos circa hunc annum deceſſiſſe narrat, qui per hæc tempora florebat, Albericus; ſcribit enim ad hunc annum: *Nunciatur mors magni Soldani Babyloniæ* (Ægypti) *nec non & Soldani Ichunii, & illius de Halapia* (Alepi) Jordanus vero ab annaliſta hic laudatus unius tantummodo Soldani Babyloniæ hic meminit, cui nomen fuiſſe Lechemel, notat etiam Bernardus theſaurarius in hiſtoria Gallica edita ſub nomine continuationis ad hiſtoriam Tyrii Vet. Monum. to. VI. col. 718. ſucceſſoris nomen ita exprimit idem Bernardus *Melec Eladel*, ejuſque fratrem natu majorem vocat Melec Elſalh. Quæ vero hic ex Pariſio ſubdit annaliſta de Soldani hoc anno defuncti prona in chriſtianam religionem voluntate, quam Friderico imperatori ſignificaverit, tunc forte contigerunt, cum legationem, & munera tranſmiſit quod anno 1232. Godefridus aſſignat. MANSI



(a) Reg. poſt eand. ep.

XXXIX. Prodigæ donationes Reg. Angliæ a Pontifice revocatæ.
(b) Lib.11. ep.398.

Defluxit ad res occidentales oratio, utque ab Anglicis, in quas incurrimus, auſpicemur. Cum Angliæ Rex nimia liberalitate bona profudiſſet, ac plura ſummo dignitatis regiæ Eccleſiæque detrimento diſtraxiſſet, Pontifex reſciſſis datis juramentis, omnia quæ facta erant, nullius eſſe auctoritatis decrevit, (b) ut apoſtolicæ ad eum exaratæ literæ abunde comprobare poſſunt, quinetiam Othonem Cardinalem legatum, atque Anglicanæ eccleſiæ præſules in id incumbere, ac Regem impellere juſſit (c): quanquam poſt eidem Cardinali in revocandis alienatis in Anglia Eccleſiæ juribus prudenter ſe gerere monuit. Interea Regis precibus adductus Gregorius (d) Simonem Montfortium, qui copias in Anglia ad auxilium Terræ ſanctæ ducturus coegerat, ad tuendum regnum expeditionem differre imperavit (e); Romamque venienti ac Richardo etiam Cornubiæ comiti cruce inſignitis in Anglia ad ſopiendos imminentes bellorum motus manere præcepit (f). Cæterum Angliæ proceres graviſſimos eo tempore adverſus Regem tumultus excitaſſe docet Matthæus Pariſius (g); qui etiam de nuptiis ab Rege Simonem Montfortium inter ac Alienoram ipſius ſororem conciliatis ait, ob id Angliæ principes magnam in eum ſeditionem conflaſſe, quod ejuſmodi matrimonium irritum contenderent, eoque ad ſedem Apoſtolicam ſe conferente, Pontificem robur illi ſua auctoritate addidiſſe. Extant Gregorii literæ (h) ad Alienoram Regis Angliæ ſororem hoc anno miſſæ, quibus contractum ab ipſa cum Simone Montfortio Leiceſtriæ comite matrimonium labefactari vetuit.

(c) Reg. poſt eand. ep.
(d) Ibid. ep. 400.
Montfortius profectionem in Syriam differt.
(e) Ep. 399.
(f) Lib.12. ep. 41.
(g) Par. hiſt. Angl. hoc ann.
Principum Angliæ in Reg. rebellionis cauſa.
(h) Ep.84.
Matrimonium Montfortii cum Alienora a Pont. confirmatum.

XL. Privilegium Eccleſiæ Cantuar. corroboratum.
(i) Lib.11. ep. 365.

Vigebat in Eccleſia Cantuarienſi a B. Eadmundo illius antiſtite corroboratum privilegium, ut nullus ſuffraganeus epiſcopus ſacris pontificalibus præterquam in ipſa inungi inſignirique poſſet: quod etiam Pontifex ad ornandam B. Thomæ martyris memoriam ratum, ac firmum eſſe juſſit (i). Eadmundum porro ſanctorum albo poſtea adſcitum hoc anno ex pontificia aula, in quam ad tractanda eccleſiæ ſuæ negotia ſe contulerat, in Angliam rediiſſe docet Pariſius; additque ſecutam poſtea inter ipſum & Cantuarienſes monachos ingentem diſcordiam, qui eo prorupere audaciæ, ut apoſtolicum diploma adulterarent, ac poſtea flammis, ne convincerentur criminis, inlicerent: ob quod facinus defixi anathemate fuere. Refert etiam juſſum a Pontifice Othonem Cardinalem legatum, ex concilii œcumenici præſcripto clericos pluribus ſacerdotiis onuſtos, ut uno contenti, reliqua dimitterent, compellebat, cœptis ſuperſedere: cum plures parentum potentia freti ſeditiones graviſſimas conflaturi eſſent, nec res ad optatum finem ſine multo effuſo humano ſanguine perduci poſſet; licet enim nunquam liceat malum pro conciliando bono ulliuſve periculi terrore patrare, bonum tamen differre exequi ad graviora mala declinanda licere. Tranſmiſiſſe præterea ipſi Pontificem nonnullas vitæ religioſæ leges ex D. Benedicti diſciplina, conciliis, ac ſanctionibus canonicis decerptas, ut excitis Benedictinæ familiæ abbatibus ſervandas proponeret, inter quas ea erat, ut nullus niſi anno ætatis vigeſimo ad nuncupanda religionis vota, nec ad tyrocinium niſi decimonono admitteretur.

Otho cœpta abiicit de clericis ad unum ſacerdotium redigendis

Ad Grandimontenſes pariter in Galliis ad regularem diſciplinam revocandos, Ciſtercienſes & Carthuſianos nonnullos incumbere juſſit Gregorius (k): Humiliatos qui jurejurando abſtinere ex ipſorum diſciplina vetabantur, ea lege abſolvit (l) ne amplius ob id bonorum jacturam incurrerent: Corbejenſis monaſterii, atque abbatis privilegia confirmavit (m) atque in ſedis Apoſtolicæ, a qua tantummodo jura peterent, clientelam adſcivit vectigaliſque nomine unciam auri annis ſingulis pendere juſſit. Neque hoc loco ſilendum eſt Guillelmum cui a Calviniaco nomen erat, caſtri Rodulphi dominum ſacramento Pontifici ſeſe adſtrinxiſſe (n) Eccleſiæ dignitatem defenſurum, ac maxime Dolam, cujus cuſtodiam ab Eccleſia ſibi demandatam profitetur, in ſedis Apoſtolicæ fide retenturum: *Ego Guillelmus filius quondam Andreæ de Calviniaco dominus caſtri Rodulphi ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro, domino meo Papæ Gregorio & ſucceſſoribus ejus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ.* Et infra: *Patrimonium & alia regalia B. Petri, quæ nunc habet, vel in antea acquiſierit; & ſpecialiter burgum Dolenſe, cujus cuſtodiam ab Eccleſia Romana teneo, adjutor eis ero & abbati Dolenſi, qui pro tempore fuerit, quoad burgi cuſtodiam ad defendendum, quæ non habet ad recuperandum, recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Legatos & nuncios Eccleſiæ Romanæ honorifice ſuſcipiam, & benigne tractabo; & per totam terram meam & alicubi, ubicumque per me aut per meos potero, ſecurum eis pro meo poſſe præſtabo conductum. Hæc omnia obſervabo bona fide ſine fraude & malo ingenio, ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia.* XLI.

(k) Lib. 12. ep. 171.
(l) Ib. ep. 273.
(m) Ep. 174.
G. de Calviniaco ſed. Apoſt. beneficiarius conſtitutus.
(n) Lib.11. ep. 369. & lib. cenſ. MS. Vat. bibl.

His conjungenda ſunt, quæ ad tuendam in Francorum regno libertatem eccleſiaſticam Pontifex egerit. Pariſienſem in XLII.

Ep. Pariſienſ. a Pontif. increpitus ob neglecta Eccleſiæ ſuæ jura.

in primis epiſcopum acriter perſtrinxit (*a*) illata eccleſiæ ſuæ damna inerti animo toleraſſe; Regemque monuit (*b*) compeſceret regios præfectos, qui eam eccleſiam opprimebant, & in provincia Narbonenſi eccleſiaſtica jura invaſerant. Spectabant tum in aula regia nonnullorum ſtudia ad evertendam libertatem eccleſiaſticam, deterioraque forte conſilia conflanda; ac ſive ut gloriam aucuparentur, ſive ut aliorum facta in invidiam vocarent, variiſque adulationibus S. Regis animum devincirent ſibi, atque irretirent, Bellovacenſis epiſcopi cauſæ a Pontifice ſuſceptæ occaſione, crebris detractionibus aures illius aſperare, eximiumque erga Eccleſiam animum abalienare ſtudebant. Quare ad ſerpens malum, ne gravius invaleſceret, comprimendum diligentem Gregorius operam defixit: mox enim ad Ludovicum omni amoris ſignificatione plenas literas ſcripſit (*c*) ubi poſt commendata collata ipſi a Deo munera, quibus cæteris Regibus præcelleret, monuit ne faciles aures prædictorum ſuſurris daret.

(*a*) *Lib.* 11. *ep.* 343.
(*b*) *Ib. ep.* 344. 473. 474. 475.

Perverſi conſiliarii D. Lud. aures obſident.

(*c*) *Lib.* 11. *ep.* 180.

XLIII. Pontificia ad eum monita.

*Licet interdum immiſſiones per angelos malos fiant, qui ut operas ſuas ingerant, & actus extollant, famam quantum in eis eſt aggravant aliorum & etiam benefacta depravant, dicentes bonum malum & malum bonum, ac lucem tenebras & tenebras lucem, prava interpretatione ponentes; nos tamen qui ſathanæ non ignoramus aſtutias, pro certo credimus, immo probabili præſumptione tenemus, quod ſerenitas regia hujuſmodi detractionibus, velut nubibus aquilone fugatis, illius ſeduci ſe fallaciis non permittet, quia fides tua ſupra petræ poſita firmamentum nec convelli poteſt ventorum detractionum incurſibus, nec matris tuæ charitas, quam habet ad te tanquam ad ſpecialem filium, vulnerari. Nam ſi in ſpeculo rationis facta perſpicias aliorum, in eo conſiderare poteris evidenter, quod ii qui exultant cum male fecerint, & in rebus peſſimis gloriantur, affectionum ſuarum quærunt habere conſortes, & deſideriorum ſocios iniquorum. Si etiam ejuſdem matris tuæ puritatem attendas, invenies quod in ejus actibus non dubiæ præſumptionis eſt locus, ſed experientiæ certitudo. Nec eſt de illius intentione quærendum, qui nihil agit in tenebris, ſed in luce ut ejus ſint opera manifeſta: arbor enim a fructu cognoſcitur, & charitas ab affectu. Tu ergo fili chariſſime a devotione ſedis Apoſtolicæ matris tuæ, quicquid ſuggeratur ab aliquo, nullo unquam turberis impulſu; ſed eam quæ te ſincero cordis affectu diligit & honorat, tu quoque filialis devotionis gratitudine proſequaris.* Addit ſe ipſius gratia, quem ſingulari præ cæteris Regibus amore complecteretur, templa in Bellovacenſi provincia aperire juſſiſſe, donec de redintegrandis illius eccleſiæ juribus ageretur. *Dat. Lateran.* VII. *kal. junii an.* XII. De quibus etiam Rothomagenſi archiepiſcopo ſcriptis literis, cum Senonenſi, ac Rhemenſi & Claramontano præſulibus conferre juſſit (*d*) ut prava illorum conſilia quantocyus everterent: abalienare enim piiſſimi regis animum politici prudentia carnis, non ea, quæ ex cœlo eſt, inſtructi nitebantur: quæ cum ad grave eccleſiaſticæ dignitatis damnum, ni mature eliſa eſſent, eruptura viderentur omni opera regium animum conciliare, ac Reginam matrem admonere ſtuduit Gregorius, ut ſiniſtras ſuſpiciones a malevolis afflatas deponerent. Sanctum vero Ludovicum pontificiis monitis morem geſſiſſe, atque improborum reſpuiſſe conſilia par eſt credere.

(*d*) *Ib. ep.* 111.

Gregorii ſtudium in calumniis e Regis animo detergendis

XLIV. Structæ a Frid. S. Regi inſidiæ ejuſque prudentia diſcuſſæ.

Illum etiam ſuis irretire fraudibus pertentavit Fridericus, qui ad Gallias ſibi ſubiiciendas inſidias moliebatur. Sed hæ S. Regis prudentia evanuere: quippe ut Regem ad ſe bona fide venientem caperet, rogarat ad Vallem Coloris colloquium de maximis rebus ad Chriſtiani nominis decus ſpectantibus cum ipſo habiturus ſeſe conferret: at ille duo equitum millia ex delibato Gallicæ nobilitatis flore, atque innumeram peditum multitudinem egregie armis inſtructam comparavit adduxitque; quo Fridericus cognito, ſe nec ſtato loco nec dicto die poſſe accedere ſignificavit. Atque ita quod Galliis a perfido verſutoque principe imminebat periculum divina providentia diſcuſſum eſt, de quibus Nangius (*e*) aliique; jam ex iis ad Hiſpanicas res nos convertamus.

(*e*) *Nang. de geſt. S. Lud.*

XLV. Propagata in Hiſpania religio.

Triumphavit hoc anno in Hiſpania Chriſtiana religio defixo in Valentina urbe barbarorum regia glorioſo crucis vexillo, de qua dicturis victoria nonnulla nobis altius petenda ſunt. Attriti fuerant ſuperioribus annis Valentini Mauri non ſine inſigni miraculo maxima clade a Bernardo Guillelmo Jacobi Regis avunculo: cum enim tuendæ arci, cui Podium D. Mariæ nomen eſt impoſitum, ac limiti contra barbarorum excurſiones defendendo præfectus eſſet, Zaenus Valentinus Rex quadraginta millibus barbarorum ſtipatus, præter egregium equitatum, arcem obſidione cinxit, jamque in extremum diſcrimen adduxerat: ſed Bernardus confirmatis animis, in circumfuſam multitudinem adeo ſtrenue erupit ut perruptis hoſtilibus globis, partim Mauros ceciderit, partim in turpem fugam effuderit, creditumque eſt D. Georgio duce tantum triumphum de hoſte fuiſſe reportatum; mox agitatum de Valentino regno excindendo, quod tandem Aragonum Regis virtute everſum concidit.

Parta a Bernardo Guillelmo celeberrima victoria.



Valentia obſidione cincta. Auxilia African. propulſata. Urbs deditione capitur.

Cum enim Jacobus ſuorum atque Gallorum & Anglorum auxiliaribus copiis, qui induta cruce a Gregorio promulgari juſſa ad tantæ expeditionis famam confluxerant, ſuccinctus regiam urbem Valentiam obſidione cinxiſſet, propulſatis ſæpius magna ſtrage, quoties erumperent, hoſtibus claſſeque Tunetana, quæ barbaris opem latura appulerat, profligata, eo Zaenum Regem compulit, ut urbem inopia commeatuum laborantem dederet, Aragoniique arbitrio permitteret. Diſceſſere quinquaginta barbarorum millia, urbique expiatis Chriſtiano ritu templis & impoſito epiſcopo, novi incolæ Chriſtiani ſucceſſere. Eam victoriam delibat Pariſius (*a*), Mariana (*b*) vero fuſius deſcribit, qui etiam victoriam a Bernardo antea partam recenſet. Tanti vero triumphi fama ſequenti ineunte anno ad ſedem Apoſtolicam dimanavit, ex quo felici nuncio ingenti gaudio perfuſus, ut par erat, Gregorius amplificandæ rei Chriſtianæ ſtudio, atque ad defendendum ac retinendum Valentinum regnum Catalanos, Gallos & Ligures, ut eo ſe conferrent propoſitis indulgentiarum præmiis incitavit (*c*).

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*
(*b*) *Marian. de reb. Hiſp. l.* 12. *c.* 19.
(*c*) *Greg. lib.* 12. *ep.* 363.

*Univerſis Chriſti fidelibus per Arelatenſem, Aquenſem, Narbonenſem, Terraconenſem, Januenſem, & Auxitanam provincias conſtitutis.*

XLVI. Gratulatoriæ de ea re Greg. lit.

*Congratulamini nobis omnes, qui ſuper oppreſſione doletis catholicæ fidei, & præſentis gaudii ubera ſugite, qui divina cupitis conſolatione repleri, quod iis diebus reducta eſt ad ovile dominicum ovis Chriſti, quæ longo tempore aberraverat per deſertum. Congratulamini nobis omnes qui diligitis Dominum, qui ineſtimabilis gloriæ præmium expectatis æternum, quia drachmam reinvenimus perditam theſauris cœleſtibus congerendam. Congratulamini nobis quod Eccleſia Dei dilatat ſic loca tentorii, eique ſpatia metitur grandia funiculo longiori, ut alienigenas ab hereditate dominica procul eiiciens filios ſuos de longe venientes lætis excipiat brachiis, eiſque velut pulchritudinis veſtimenta ornata tota laudibus reſonet omnium Creatoris. Olim enim regnum Valentiæ habitatoribus ſuis, qui terram ejus multa, ſicut creditur, peccatorum abominatione repleverant, a teſtamento ſancto receſſerant, & oculos majeſtatis excelſæ multis contra ſe criminibus provocaverant, datis in captivitatem & gladium, meruit exterum effici, & ferrea Pharaonis ſervitute compreſſum jugo ſubjectum fuit ſeminis peregrini, ut per pœnitentiæ fletum ſibi Dominum placabilem redderet, & a ſuis quieſcens exceſſibus ſabbatha celebraret. Diebus autem noſtris in ira memor miſericordiæ Dominus extitit, & ad ſalvandum dictum regnum chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Aragonium excitavit, qui ad commonitionem noſtram cum multis viris catholicis accenſis zelo fidei, & crucis ſignaculo inſignitis in pluribus laboribus & expenſis dictum regnum de manibus paganorum eripuit, illudque multo Chriſtianorum ſanguine fuſo, habens de cœlo auxilium, ad cultum fidei Chriſtianæ reduxit.*

XLVII.

*Quis ergo laudes & gratias ſuo creatori non referet? Quis duri cordis in hæc gaudia lætus, & tripudians non exurget,* * *quæ in liberatione Valentianæ eccleſiæ toti mundo magna dignatus eſt Dominus pietate conferre? Verum quia etſi ille, qui merita ſupplicum excedens & vota ſua, quæ nullo poſſunt ſtudio comparari, nonnunquam immeritis conferat gratiam; quia tamen omnino intendi ſolicitudo debet humana ad eam pro viribus conſervandam, dicta eccleſia Valentiana zelatoribus fidei clamore valido ſupplicat, ut qui ad liberationem ipſius ſuum præbuerunt auxilium, ſibi ſubſidium conferant, ne inſidiantium ei religetur iterum compedibus paganorum. Quocirca univerſitatem veſtram monemus, rogamus, attente & obſecramus in domino Jeſu Chriſto per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus attendentes, quod labor tanti ſudoris & ſanguinis non ſolum redderetur inutilis, ſi eccleſiæ præfatæ brachia iterato catena conſtringeret priſtinæ ſervitutis, ſed ex hoc, quod abſit, opprobrium incurreret Chriſti populus ſempiternum, ad defendendum & retinendum regnum prædictum contra hoſtes fidei potenter & viriliter procedatis. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ac ea quam nobis conceſſit auctoritate confiſi, omnibus, qui ob id ad prædictum regnum acceſſerint, illam indulgentiam concedimus peccatorum, ipſoſque ea volumus immunitate gaudere, quæ cruceſignatis in Terræ ſanctæ ſubſidium in generali concilio ſunt conceſſæ. Datum Lateran.* VI. *idus januar. ann.* XII.

* attendens.

Excitantur fideles ad ferendam Jacobo auxilia ad parta retinenda.

Conditæ a Jac. in Valentino regno Eccleſiæ.

Cumulavit nova gloria partæ victoriæ decus Jacobus: in eccleſiis enim excitandis in iis terris quæ tandiu ſuperſtitione Mahumetana inquinatæ luxerant, ſtudium contulit; illique gratiam relaturus pro navata eccleſiæ egregia opera, Gregorius jus patronatus in eas confirmavit, (*d*) Jolæque Reginæ quæ muliebrem ſexum virtutibus ſuperabat, conceſſit, (*e*) ut nullus ipſam niſi data ab Apoſtolica ſede ſpeciali facultate ferire anathemate ac divinis arcere poſſet: antea vero cum Aragonii proceres quædam inter ſe fœdera coiiſſent, quibus ſe ad mutuam defenſionem ſacramento obſtrinxerant, Gregorius ad tuendam Jacobi dignitatem, tum ne fidei cauſa quidquam detrimenti pateretur, ſi Rex ad eam diſſolvendam ſocietatem arma converteret, Oſcenſi electo par-

(*d*) *Ib. ep.* 365.
(*e*) *Ib. ep.* 364.

(a) Lib. 11. ep. 382.

partes dedit, (a) ut proceres moneret officii atque iniqua juramenta reſcinderet.

XLVIII. Pontifex vetat ne quis Reg. Luſit. abſolvere audeat. (b) Lib. 11. ep. 388. Jubet eccleſiaſticos ejus familiaritate abſtinere.

Ad erigendam interea in Luſitania jacentem eccleſiaſticam libertatem, quam Rex ille admodum attriverat, induſtriam collaturus Gregorius archiepiſcopo Bracharenſi aliiſque ejus regni præſulibus ſcripſit, (b) ne quis in tantam projectus audaciam eſſet, ut juſtiſſimis anathematis vinculis conſtrictum Regem, niſi impertita ab ſede Apoſtolica facultate abſolvere tentaret. Verum cum aliqui Luſitani eccleſiaſtici viri ſuæ obliti dignitatis, cum Rege anathemate defixo communicare auderent, Aurienſi epiſcopo munus impoſuit, (c) ut ne cum illo niſi in licitis communicarent, interdiceret. Quinetiam ad pervicacem Regis animum edomandum præcepit, (d) ut Prædicatores, Minoritæ, aliique exempti religioſi in iis locis, ad quæ Rex accederet, interdictum ſervarent, ut ea ſeveritate perculſus Rex ad officium rediret. Verum iis perculſus cenſuris non modo non reſipuerat, ſed etiam ſpernebat atque eludebat: quare Pontifex ad ipſius reprimendam pertinaciam aculeatas literas dedit, (e) quibus ipſi violatam per ſummum ſcelus eccleſiæ majeſtatem ob oculos propoſuit; ad eam videlicet miſeræ ſervitutis infamiam redactos viros eccleſiaſticos, ut de nocte in ipſorum domos irrumperetur, & quamvis ab omni puri crimine invenirentur, ne ipſis per calumniam aliqua ignominiæ labes aſpergeretur, pecunias ſolvere cogerentur, ac ſi ſcelerati aliqui eccleſiaſtici, ab archiepiſcopo Bracharenſi puniendi forent, ipſos a juſta pœna datis pecuniis ab rege vindicari canonumque eludere ſeveritatem: quinetiam præſules arma capeſſere, laicorum onera ſubire, trahi ad ſæcularium tribunalia, monaſteriorum res expilari, indignos in eccleſiæ munera per vim intrudi, eccleſiarum bona occupari, e cœtu fidelium ſubmotos a Rege in familiaritatem admitti. Quæ omnia ut emendaret quantocyus graviſſime Regem admonuit: ac niſi certo tempore in integrum forent reſtituta, in eum anathema ferri juſſit; & ſi in pervicacia perſtaret, gravi remedio fœdiſſimo malo Romanam Eccleſiam conſulturam eſt comminatus.

(c) Lib. 12. ep. 22.

(d) Ib. ep. 24.

(e) Ep. 76.

Illatæ a Luſitano Rege eccleſiaſticæ dignitati injuriæ.

XLIX. *Saluti tuæ conſulere & eccleſiarum perſonarum eccleſiaſticarum indemnitatibus, ſicut tenemur, præcavere volentes, ſerenitatem tuam auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne per te vel officiales, aut vaſallos tuos perſonas eccleſiaſticas infamare, vel domos infringere, ſeu bona ipſarum diripere prædicto vel alio conſimili modo præſumas. Si vero archiepiſcopus vel ejus vicarii contra eccleſiaſticos viros proceſſerint, eis de facta juſtitia, vel etiam facienda te nullatenus intromittas, nec alias ipſius archiepiſcopi vel officialium ſuorum juriſdictionem impedias, vel impediri permittas; cum non ſit fas te talibus immiſceri: archiepiſcopatus quoque Bracharenſis vel majoris aut aliarum eccleſiarum, ſeu monaſteriorum bona in toto non occupes vel in parte, ſtudens excommunicatos arctius evitare; nec per te, nec per tuos compellas perſonas eccleſiaſticas in ſæculari foro de cauſis criminalibus vel civilibus reſpondere. Viros etiam eccleſiaſticos ab iis quæ tenent & poſſident, non removeas, dummodo parati ſint ſuper illis coram ſuo judice de ſe conquerentibus exhibere juſtitiæ complementum. Præterea in eccleſiis aliquos non intrudas, nec ab eiſdem amoveas inſtitutos. Caveas ne archiepiſcopum & perſonas eccleſiaſticas in expeditione tua proficiſci ſeu banna & ſtatuta tua baronum & officialium tuorum ſervire, maxime de poſſeſſionibus liberis ab eccleſiis vel perſonis eccleſiaſticis minime acquirendis ſive angarias vel perangarias aut alia onera inhoneſta ſubire compellas, ab ejuſdem archiepiſcopi perſonarum, monaſteriorum & eccleſiarum gravaminibus, injuriis, & moleſtiis expreſſis ſuperius penitus deſiſtendo, &c.* Significat conceſſam archiepiſcopo auctoritatem, ut cenſuras in eos, qui adverſati fuerint apoſtolicis imperiis, ferat, ipſumque, ſi parere detrectet, defigat anathemate, ac Luſitaniam interdicto eccleſiaſtico percellat. *Dat. Later.* XVIII. *kal. maii ann.* XII. Hæc Pontifex qui etiam ea de re ad archiepiſcopum Bracharenſem ſcripſit (f). Subduxerat quoque Rex eccleſiæ Bracharenſi decimas, quas ipſius pater perſolverat: quocirca Pontifex ipſum monuit (g) eas reſtitueret; ni præſtaret, anathema ab Aurienſi præſule vibrari, ac loca, in quibus ageret, interdicto ſupponi imperavit.

(f) Reg. poſt eand. ep.

(g) Lib. 12. ep. 81.

L. Luſitaniæ Rex electum Ulyſſipp. perſequitur.

Præterita novis ſceleribus cumularat Luſitanus: decani enim Ulyſſipponenſis in epiſcopum ejus eccleſiæ electi ſua jura contra Gomeſium proſequentis, bona expilari juſſerat, alioſque affinitate ipſi conjunctos in exilium pelli. Cumque nonnulli, qui decano adhærebant, bona in eccleſia condidiſſent, & Chriſtiani ſacrilegii crimine contaminare ſeſe recuſarent, Regis frater Sarracenos tecto irrumpere imperarat, qui cruces fregere, calcavere altaria, ſacrum chriſma, atque euchariſtiam pedibus protrivere. Quo audito Pontifex injuriam ac bonorum jacturam paſſis miſertus, archiepiſcopum Toletanum decano cæteriſque conſulere juſſit. (h) Aliis vero literis paterne Regem admonuit, (i) ut ab Eccleſia affligenda deſiſteret, decanum alioſque injuſte oppreſſos in patriam revocaret, inflicta iis ſarciret damna: cum ipſius dignitatis foret divini numinis ſervos, a quo in regiæ majeſtatis faſtigium evectus eſſet, colere & obſervare; graviſſimam ſuo nomini ac gloriæ labem inureret, ſi quam ipſis injuriam inferret: *Si tua ſublimitas prudenter attenderet, ut deceret, quod terrarum principes ad vindictam malorum, laudem vero bonorum poteſtatem ſunt divinitus aſſecuti, eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, in quarum honore Dominus honoratur, & contemnitur in contemptu ſecundum evangelicam veritatem, quæ dicit: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit; perſequi non auderet, ſed curaret propenſius honorare: Si conſiderares etiam diligenter, quod illatam familiaribus noſtris injuriam illius exemplo qui quod uni ex minimis ſuis fit, ſibi factum aſſerit, propriam reputemus, non ſolum manus tuas & tuorum ab ipſorum oppreſſionibus cohiberes, ſed etiam contra omnes alios poteſtate tibi a Domino tradita defenſares.* Arguit verbis graviſſimis regii oblitum officii hæc non animadvertere, ſed parentis pravis exemplis corruptum adoleſcentiæ florem in flagitiis atque eccleſiaſticorum injuriis contaminaſſe: quæ quidem ſcelera iiſdem pene verbis ipſi ob oculos ponit, quibus ea in ſuperioribus ad Toletanum archiepiſcopum literis deſcripſerat, demum adiicit:

(h) Ib. ep. 87.

(i) Ep. 143.



LI. *Sperantes igitur quod adhuc quid ſaluti, quid famæ, & quid honori tuo magis expediat recognoſcas, & intelligas plenius quod nil prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ ſuſtineat detrimentum, ſerenitatem regiam monemus & hortamur attente, quatenus ab eccleſiarum & clericorum gravaminibus penitus conquieſcens, & præfatum decanum, ac ſuos recipiens in gratiam & favorem illos, reſtitutis primitus bonis ſuis, redire ad loca ſua & ſecure ibidem morari permittas, & ipſos moleſtari ab aliquo tibi ſubjecto nullatenus patiaris, ita quod Dominum exinde propitium tibi ſtatuas, non offenſum; noſque facias de tua correctione lætari, qui parati ſumus ad gratiam ubi tamen ſcimus juſtitiam non perire. Alioquin tibi habes quod imputes, ſi præſens monitio te non ſine paterna comminatione præmunit: cum diſſimulare ulterius non poſſimus, quin ſecundum Dominum & juſtitiam procedentes & medicinalem in te Petri gladium exeramus, & contra te potentiam ſæcularis auxilii nihilominus invocemus. Dat. Later.* II. *non. jun. an.* XII. Paruit pontificiis imperiis Luſitanus Rex, atque ipſius frater Ferrandus ad ſedem Apoſtolicam crimina expiaturus acceſſit, ut anno inſequenti dicetur.

Proceres Navarræ in regiam injuriam fœdera inter ſe ineunt. Jubentur a Pontifice ea diſſolvere.

In Navarra conflarant viri nobiles quædam inter ſe fœdera, quæ non parum regiæ dignitati detrahebant: cumque immineret periculum, ne ſi Theobaldus, qui Aſiatico in Sarracenos bello ſe devoverat, arma ad eam coitionem diſſipandam corriperet, propagandæ fidei maximus obex opponeretur, Pontifex abduci a cœptis proceres, ac mutua juramenta diſſolvi juſſit (a) atque anathematis ſententiam, ſi in ea mente perſtarent, a præſulibus intorqueri. Similia fœdera adverſus Jacobum in Aragonia magno illius damno inita fuerant, ad quæ convellenda Pontifex operam ſuam contulit, atque epiſcopos anathematis ſententiam adverſus fœderatos renovare juſſit (b): ne porro in eo regno atque Navarræ hæreſeos lues ſerperet, Oſcenſi electo, (c) ac Minoritarum in Navarra miniſtro in iis regnis adverſus hæreticos inquirendi provinciam injunxit (d).

(a) Lib. 12. ep. 54.

(b) Lib. 11. ep. 382.

(c) Ib. ep. 338.

Inquiſitio in Navarra contra hæreticos inſtituta.

(d) Lib. 12. ep. 55.

LII. Animadverſum in eos igne ferroque in Galliis.

Cum ad apoſtolicam in delendis hæreticis ſolicitudinem defluxerit oratio, nonnulla eo ſpectantia a nobis, dum Gallicas res exponeremus, dedita opera prætermiſſa opportune congerenda videntur. Exercebat ea tempeſtate in Belgio, ac Francorum regno acerbiſſimam quæſtionem Robertus ordinis Prædicatorum ſacræ fidei cenſor, vir auſteri ſpiritus, quem S. Ludovicus impietatis odio, regia auctoritate fulciebat, ac plures ea labe inquinatos flammis iniici juſſit. Sed cum poſtea Robertus mutato in furorem zelo inſontes ſonteſque pari pœna percelleret, munere inquiſitoris deturbatum perpetuoque carceri pontificio juſſu mancipatum refert Pariſius (e). Ad hujuſmodi etiam evellenda zizania Soranus epiſcopus A. S. L. ſtudium contulit, quem Pontifex magna diligentia incumbere atque obſervare præcepit, (f) ne epiſcopi juſta hæreſis ſuſpicione inuſti eccleſiis præficerentur. Cumque Raymundus comes Toloſanus varias ob cauſas tum ob exhibitum hæreticis ſtudium anathematis cenſura defixus veniam ſupplex flagitaret, adactum jurejurando præterita emendatum iri, in gratiam Eccleſiæ admittere (g) imperavit.

(e) Par. hiſt. Angl.

(f) Ep. 223.

(g) Ep. 224.

LIII. Boſnenſes hæretici a Colomano exagitati

In Boſna, ubi Albigenſium hæreſis plures ſuo veneno infecerat, Colomanus Ruthenorum Rex, Sclavoniæque dux eximiam in extinguenda ea peſte operam collocavit, cujus ardentem pietatem meritis laudibus extulit Gregorius, ac paternis literis hortatus (h) eſt cœpta feliciter perſequeretur: *De ſuperni Regis provenire gratia gratulamur, quod agnoſcens humiliter te ad ipſius imaginem ac ſimilitudinem eſſe conditum, & ejuſdem ſanguine pretioſo redemptum ſibi retribuere vigilas, ut de Boſnæ partibus deletis pravitatis hæreticæ maculis ibidem fulgeat lumen catholicæ puritatis. Super hoc ſiquidem,*

(h) Lib. 12. ep. 353.

*benedicte fili, tibi affectionis paternæ gratias referentes ſerenitatem tuam ſicut attentius poſſumus, exhortamur & in remiſſionem injungimus peccaminum, quatenus in hoc potiſſime te arbitrando magnificum, quod Dei ſapientia providiſſe dignoſcitur, ut ipſius nomen tuo miniſterio reddatur in prædictis partibus glorioſum, ad hoc ſicut olim, ſic & in poſterum fervens habearis & ſedulus; ut qui Chriſtum toto corde diligis, de terra tua opprobrium abſtuliſſe perfidiæ comproberis, &c. Datum Later.* XI. *kal. jan. ann.* XII.

LIV. Revocatam ſuorum armorum potentia ad veræ religionis cultum Boſnam fuiſſe ſcripſerat Colomanus Gregorio, qui ut fidem magnis laboribus in iis regionibus ſatam excoleret, Cumanorum antiſtiti

(a) Ep. 53. præcepit (*a*) novum epiſcopum Boſnenſi eccleſiæ præficere, qui ſua diligentia gregem dominicum ſervaret & augeret. Cumque tanto muneri pares virtutes afferre Ponſa e Prædicatorum ordine vir religioſus videretur, illum quamvis obluctantem ejus eccleſiæ gubernacula capeſſere apoſtolica auctoritate compelleret: *Cum ſumme ſit neceſſarium, ut plantata ibi de novo Chriſtiana religio ſub idonei paſtoris regimine in divini timore ac amore nominis ſuſcipiat incrementum; & dilectus filius frater Ponſa de ordine Prædicatorum, qui virtutes diligere, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectionis gratiam dicitur obtinere, ad hoc potiſſime competere proponatur, mandamus quatenus ipſum dictæ terræ, ſi aliquod canonicum non obſiſtat, provideas auctoritate noſtra in epiſcopum & paſtorem adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus ſibi committens, & faciens eidem a clero & populo debitam obedientiam & reverentiam exhiberi. Si vero idem frater in hac tibi parte parere neglexerit, eum ad id monitione præmiſſa ſpirituali diſtrictione compellas, procurans ſibi, poſtquam hujuſmodi curam receperit, beneficium conſecrationis impendi, recepto ab eo poſtmodum pro nobis & Eccleſia Romana fidelitatis ſolitæ juramento juxta formam quam tibi ſub bulla noſtra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipſe præſtabit, de verbo ad verbum nobis per ejus patentes literas ſuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocyus deſtinare procures. Præterea ſibi, quem ſoli Apoſt. ſedi uſque ad beneplacitum noſtrum volumus haberi ſubjectum, injungas, ut de terra Cholim per ejuſdem Regis miniſterium a pravitate conſimili nutu divinæ potentiæ depurata, diligentem curam in ſpiritualibus habeat, quouſque de illa per Romanam Eccleſiam quod opportunum fuerit diſponatur, &c. Dat. Literan.* VI. *kal. maii pontif. noſtri anno* XII.

Obeundæ præterea in illis regionibus apoſtolicæ legationis novo epiſcopo munus impoſuit (*b*) præcepitque Pannoniæ Chriſti fideles ad ſacræ nomen militiæ adſcribendum ſuis cohortationibus permoveret, ut hæreticos, qui Boſnæ inſederant, atque in ſcelere obfirmati perſtabant, excinderent: cæterum eos, qui arma in ipſos gererent, in ſedis Apoſtolicæ clientelam ſuſcipiendos atque ampliſſimas indulgentias ſibi comparaturos. Archiepiſcopum vero Strigonienſem, ac ſuffraganeos epiſcopos opibus ſuis inopiam Boſnenſis epiſcopi legationis apoſtolicæ dignitate aucti levare juſſit (*c*) quo Eccleſiæ ſplendorem in Boſnia ab hæreticis obſcuratum reſtitueret, ſuum ipſi in ea re augendæ illuſtrandæque fidei ſtudium oſtenderent. Hactenus de rebus Boſnenſibus, nunc ad Polonicas ſermonem convertamus. LV.

(*b*) Ib. ep. 352. Boſnæ ep. legatus creatur. Petuntur bello a cruceſignatis Ungar. Boſnenſes hæretici. Ungari præſules Boſnenſi ep. ſuis opibus adeſſe juſſi. (*c*) Ep. 354.

Fatiſcebat ſub effrænata principum illorum potentia Eccleſia: ad quam priſtinæ libertati aſſerendam Gregorius, Conradum (*d*) Mazoviæ & Lancitiæ, Henricum (*e*) Zleſiæ & Cracoviæ duces alioſque proceres graviſſimis literis ab eccleſiis opprimendis ſibi temperare juſſit: aliiſque repetitis literis eundem S. Hedwigis filium hortatus eſt (*f*) divino timori aſſueſceret mature: virtutes animo infereret felici ſobole in ſecuturos annos propagandas: agnoſceret a ſummo numine, cujus miniſtros colere & obſervare debet, ampliſſimam illam dignitatem in ſe derivatam: farciret a patre illata eccleſiæ Gneſnenſi damna: ni faciat, ipſius patris ob ea anathemate percuſſi corpus ex cœmeterio eccleſiæ refoſſum, atque ejectum iri minatus eſt. LVII.

(*d*) Lib. 12. ep. 4. (*e*) Lib. 11. ep. 372. Depreſſa a principibus Polon. libertas eccleſiaſtica. (*f*) Lib. 11. ep. 127. Gregorii in ea tuenda ſtudium. Hortatur Zleſ. & Cracov. ducem illata ab Henr. patre damna eccleſiis refarciat.

*Gregorius, &c. nobili viro Henrico duci Zleſiæ & Cracoviæ.*

*Olim non abſque mentis amaritudine intellecto quod nobiles viri duces Poloniæ homines cathedralium, & aliarum eccleſiarum Gneſnenſis provinciæ angariis, perangariis, & vectigalibus graviter affligendo ipſos ut venatores eorum in domibus ſuis reciperent, ac eis procurationes indebitas exhiberent nec non in expeditionibus ſuis propriis militarent ſtipendiis, ac eorumdem munitionibus, & domibus conſtruendis inſiſterent, contra juſtitiam coarctabant & alias per eos tam enormiter gravabantur, quod nec ſuis poterant vacare negotiis nec præfatis, ut tenentur, eccleſiis deſervire; nihilominus ab eis, & ipſorum officialibus indifferenter, tanquam proprii ſervi eorumdem, compellebantur, obſequiis & judiciis ſubjacere; venerabili fratri noſtro epiſcopo quondam Mutinenſi pœnitentiario noſtro A S. L. literas noſtras direximus continentes, ut aliqua conſuetudine, quæ corruptela dicenda eſt poſitus, non obſtante præfatos duces ab hujuſmodi moleſtiis*

Is anathemate ob declinatum eccl. judicium percuſſus fuerat.



*leſtis dictorum hominum coerceret: cumque dictus epiſcopus ad inſtantiam venerabilis fratris noſtri Gneſnenſis archiepiſcopi, prout idem in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus, quondam Henricum ducem Sleſiæ & Cracoviæ patrem tuum ſuper hujuſmodi oppreſſionibus pluries, ac peremptorie ad ſuam præſentiam citaviſſet, quia nec per ſe, nec per procuratorem idoneum coram eo voluit comparere, ad frivolæ appellationis diffugium ſe convertens, in eum exigente ipſius contumacia excommunicationis ſententiam promulgavit.*

LVII. *Eodem igitur archiepiſcopo, & prædicto patris tui procuratoribus apud ſedem Apoſtolicam conſtitutis dilectum filium noſtrum E... ſanctorum Coſmæ & Damiani diaconum Cardinalem eis conceſſimus auditorem, coram quo aliquandiu litigato, nos volentes eidem patri tuo ſine juris læſione deferre, ipſum per abbatem de Stragon & collegas ſuos ad cautelam abſolvi mandavimus, & citari coram nobis per ſe, vel per procuratorem idoneum certo termino compareret, ſuper principali facturus & recepturus, quod juſtitia ſuaderet. Sed ipſi formam mandati apoſtolici non ſervantes, licet ipſum juxta formam eis traditam citaviſſent, certo ei termino aſſignato; per alium tamen ipſum de facto, cum de jure non poſſent, abſolvi fecerunt perperam ad cautelam. Cum autem in præfixo termino nullus pro eo etiam poſt terminum expectato, niſi dumtaxat ad impetrandum & contradicendum, comparuerit procurator dilectus filius noſter S... tituli S. Mariæ tranſtyberim presbyter Cardinalis ſuper hoc a nobis deputatus auditor, ipſum merito reputans contumacem, eumdem in expenſis legitimis, quas dictus archiepiſcopus a tempore citationis emiſſæ fecerat, condemnavit. Tandem vero quidam qui pro procuratoribus ſe gerebant, mandatum ſufficiens exhibentes recepto ab archiepiſcopo ſupradicto libello tam ſuper exactionibus, & gravaminibus antedictis, quam damnis in villis, poſſeſſionibus, hominibus, ac rebus aliis ſibi & Gneſnenſi eccleſiæ irrogatis; necnon & expenſis factis a tempore motæ litis ſuper ipſo coram eodem Cardinali aliquandiu ad invicem litigarunt: ſed antequam rumor de dicti patris tui obitu ad noſtram notitiam perveniſſet, ad litis conteſtationem non potuit perveniri.*

Non rite poſtea abſolutus.

Antequam Eccleſiæ Gneſn. feciſſet ſatis e vivis ſublatus.

LVIII. Comminatur illius filio Greg. paternum corpus e ſepulcro refoſſum iri ni damna ab eo illata farciat.

*Ut ergo ejuſdem patris tui exceſſus hujuſmodi tam deteſtabiles & enormes diſplicere tibi operum exhibitione demonſtres, nobilitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attentius per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus de gratia in gratiam & de virtute proficiens in virtutem, de illatis eiſdem archiepiſcopo & eccleſiæ damnis & injuriis irrogatis plenam ſatiſfactionem impendens, ab ipſorum oppreſſionibus & moleſtiis penitus conquieſcas; ita quod eidem archiepiſcopo nulla contra te juſtæ querelæ materia relinquatur, & nos devotionem tuam poſſimus merito commendare. Alioquin non immerito poteris formidare, ut jam dictum patrem tuum, qui ob hujuſmodi oppreſſiones vinculo fuit excommunicationis aſtrictus, exhumari de cœmeterio eccleſiæ faciamus, & ſententias quas archiepiſcopus memoratus & ſuffraganei ſui ob defenſionem jurium eccleſiarum ſuarum & eccleſiaſticæ libertatis in te, ac terram tuam rite duxerint promulgandas, inviolabiliter obſervari. Alias contra te ſpiritualiter & temporaliter juxta tuorum meritorum exigentiam nihilominus proceſſura. Dat. Lat.* VIII. *kal. jun. ann.* XII.

Henricus cum barba iſtius Henrici pater, ad quem Pontifex ſcripſit, hoc anno extremum vitæ diem clauſit, cujus piam mortem a Longino (*a*) deſcriptam afferemus; cæterum ſi aſperſa aliqua ipſius nomini labes ob eccleſiam Gneſnenſem afflictam videtur, hac excuſatione detergi poteſt, in ea opinione, verſatum, ut jus ſuum juſte perſequi arbitraretur; vel miniſtros illius nomine (quod ſæpius colligendæ principum gratiæ, ac derivandi ad ſe alicujus quæſtus cauſa facere ſolent) eccleſiam illam oppreſſiſſe. Ipſum enim Longinus, ut virum ſummæ modeſtiæ laudat, qui ſæculi faſtu protrito non gemmis, auro, ſericiſve veſtibus radiare ambiret, ſed laneo veſtitu contentus, conculcatiſque delitiis humilitatem Chriſtianam coleret: audito vero ejus obitu S. Hedwigem tantam præ ſe tuliſſe conſtantiam animi, ut omnibus aliis in lacrymas ſolutis ſiccos oculos teneret, utpote cujus voluntas in omnibus cum divina conſentiret. De quibus laudatus auctor: LIX.

(*a*) *Long. hiſt. Pol. l. 6. & alii poſt eum* Henrici geſta in Eccleſiam Gneſnen. excuſantur.

*Dux Henricus ad partes inferiores ducatuum ſuorum Croſnam, prope terminos Bohemiæ ſitam deſcendens, languere graviter cœpit: & quamvis de languore ſuo conſors ſua beata Hedvigis per celerem nuncium certior facta fuiſſet, viſitare tamen illum, quamvis precibus viri multipliciter rogaretur, intermittit, ne quam ſcintillam cunjugalis mœroris viſo ægro marito contraxiſſet, quem infra annos triginta, quibus uterque cælibem agebat vitam, rariſſime & non niſi in neceſſitate inevitabili, quando pro neceſſitatibus egenorum, viduarum, pupillorum, monaſteriorum, eccleſiarum & miſerabilium, aut aliquam oppreſſionem vel calamitatem patientium intercedendum erat, adibat. Ingraveſcente itaque infirmitate, omnibus eccleſiaſticis ſacramentis rite & religioſe perfunctus, ſex luſtris in cælibatu, ut præmiſimus (conſorte in ſororem commutata) exactis* XIV. *kal. aprilis in oppido ſuo*

LX. Pia illius vita & mors.

Unde barbati nomen traxerit.

*ſuo Croma feliciter, expiravit. Qui ob id Henricus cum barba appellationem ſortitus eſt quoniam a tempore, quo cælibem vitam ad inſtigationem conſortis ſuæ B. Hedvigis agere cœpit, barbam in converſorum morem tondi prætermiſit; ſplendidiſque induviis auro & oſtro nitentibus abjectis, laneo & humili amictu utebatur. Cujus funus cum ad monaſterium Trzebnicenſe per ipſum fundatum, & liberaliter dotatum (in quo beata femina Hedvigis arctiſſimam agebat inter ſanctimoniales Ciſtercienſes vitam) illic ſepeliendum ductum fuiſſet, omnibus monialibus & pluribus aliis tam nobilibus quam ruſticanis hominibus utriuſque ſexus, qui ad cohoneſtandas funebrias ſuas ex majori Polonia & Sleſia ducatibus in maxima multitudine obviam corpori mortuo convenerant, effuſis, ſola femina B. Hedvigis in monaſterio Trzebnicenſi ſubſtitit, & honorem illum impendere corpori mariti neglexit. Sed ſanctimonialibus cæteriſque tam viris quam matronis, mortem Henrici ducis viri ſui magno ejulatu, magniſque lamentis vociferatione inconditæ deflentibus, hæc ſola ſiccos tenuit oculos neque in omnium fletu viſa eſt lacrymaſſe: ſed & nonnullas ſanctimoniales obitum Henrici ducis præfati tam ingenti mœrore, ut pene mortuæ viderentur, proſequentes corripuit, aſſerens iniquum & ſceleſtum eſſe tam inconvenienti & immoderato mœrore voluntati divinæ & ejus beneplacito adverſari.* Narrat S. Hedvigis vitæ auctor ipſam imminentem viri mortem præſagiiſſe, divinoque afflatam ſpiritu prædixiſſe, ſi e Legnicenſi oppido diſcederet, e vita quoque diſceſſurum, qui periculi metu tribus annis ſe continuit: cumque ad oppidum, cui Seſines nomen inditum, ſe contuliſſet, brevi correptum morbo ſublatum extinctumque fuiſſe.

S. Hedvigis in funere conſtantia.

Ut ipſi mortem præſagiiſſet.

LXI. Poſtremo quod ad Polonicas res pertinet hoc anno Gregorius archiepiſcopum Gneſnenſem ea prærogativa auxit (*a*) ut vexillum crucis præferri ſibi juberet, cum ſedis Apoſtolicæ legatus in Polonia non verſaretur: *Conſiderans diligenter quod in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti te oporteat gloriari, pie deſideras ſalutiferæ crucis vexillum ante te facere de noſtra licentia bajulari, qui crucis mortificationem jugiter in tuo corpore debes pro divini nominis amore portare. Nos igitur attendentes quod non ſunt tibi armaturæ cœleſtis inſignia deneganda, qui contra ſuæ perſecutores Eccleſiæ certamine fere inceſſanter labores, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut per tuam provinciam ante te deferri facias crucis ſignum, niſi cum Apoſtolicæ ſedis legatus in Polonia fuerit conſtitutus, ut in hoc ei deferas tanquam a noſtro latere deſtinato, &c. Dat. Later.* II. *non. junii anno* XII.

(*a*) *Lib.* 12. *ep.* 136. Data Gneſn. archiep. crucis præferendæ auctoritas.

LXII. Eodem anno ſummus Pontifex Daniæ etiam Regem apoſtolicis beneficiis eſt proſecutus, conceſſitque (*b*) ut e ſingulis regni eccleſiis cathedralibus canonicum ad ſua ipſi obſequia officiaque vel regno impendenda poſſet retinere, uti neceſſitas flagitaret. Cumque Rex ad conciliandam Danos inter, ac Pomeranos concordiam conjungendæ matrimonio Pomerano duci neptis ſuæ quarto illum conſanguinitatis gradu attingentis poteſtatem ſibi a ſede Apoſtolica conferri flagitaſſet, Gregorius primum archiepiſcopo Lundenſi, atque epiſcopo Roſchildenſi imperavit (*c*) certiorem ſe de ea re facerent atque inſtruerent, ac regiis poſtea petitis morem geſſit (*d*). Amplificandæ etiam Chriſti gloriæ, ac fidei proferendæ cupidiſſimus Pontifex Willelmum epiſcopum olim Mutinenſem tum ſedis Apoſtolicæ legatum dare operam juſſit (*e*) ut ſervi qui ſacro baptiſmatis fonte abluerentur, liberalius tantæ acceptæ dignitatis intuitu tractarentur, nonnihil ſervilis oneris remitteretur, diviniſque intereſſe facultas tribueretur; quem etiam pridie ejus diei monuerat, (*f*) ne liberos homines, qui numero Chriſtianorum ſeſe aggregarent, ab hoſpitalariis S. Mariæ Theutonicorum aliiſve ſub jugo ſervitutis redigi pateretur.

(*b*) *Lib.* 11. *ep.* 38. Sopitum Danos inter & Pomeranos bellum.

(*c*) *Ib. ep.* 380.

(*d*) *Lib.* 12. *ep.* 249.

(*e*) *Lib.* 11. *ep.* 427. Servi Chriſtiani honeſtius haberi juſſi. Neophyti in ſervitutem abduci vetiti.

(*f*) *Ib. ep.* 428.

LXIII. Per id tempus Brunonis Herbipolenſis epiſcopi ſanctitatis fama longe lateque increbreſcebat, pluraque cœleſtia prodigia ad ejus ſepulcrum edebantur: quibus illius urbis epiſcopus, clerus, populuſque permoti ſupplices literas ad Pontificem maximum miſere poſtulatum, uti de admirandis ejus rebus teſtium dicta in tabulas publicas referri præciperet. Ad quorum vota, ac preces flexus Gregorius hæc duobus abbatibus Ciſtercienſis familiæ Herbipolenſis diœceſis Dominicanorum & Herbipolenſium priori mandavit (*g*): *Sicut venerabilis frater noſter epiſcopus, & dilectus filius decanus & capitulum, ac populus Herbipolenſis nobis per nuntios ſuos & literas intimarunt, Dominus tantam piæ memoriæ Brunoni epiſcopo Herbipolenſi contulit gloriam, quod ſepulcrum ejus tot & tantis dat coruſcare miraculis, ut inter alios ſanctos ejus non invocari ſuffragia ſit indignum: quare nobis humiliter ſupplicarunt, ut ſuper miraculis, quæ per eum Dominus operatur, teſtimonia recipi faceremus. Verum quia in tam ſancto negotio non eſt niſi maturitate & gravitate prævia procedendum, de circumſpectione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus aſcitis vobis viris religioſis, & Dominum timentibus, de virtute morum & veritate ſignorum, operibus videlicet, & miraculis diligentiſſime inquirentes depoſitiones teſtium*

*rece-*

Bruno ep. Herbipol. miraculis coruſcat.

(*g*) *Lib.* 12. *ep.* 56.

De illo ſanctorum catalogo adſcribendo inſtituta quæſtio.



*receptorum ſub ſigillis veſtris incluſas uſque ad noſtrum beneplacitum fideliter conſervetis, quod ſi non omnes, &c. Datum Later.* XI. *kal. maii anno* XII. [1]

LXIV. Illuſtratam etiam per hæc tempora ferunt Germaniam inſigni pietate Wolvandi Prædicatorum Argentinenſium prioris, qui cum pectori crucis ſignum frequentiſſime imprimere ſoleret, magno miraculo crucem in oſſe pectoris pulcherrime efformatam geſtaſſe poſt mortem apparuit, de quo Cantipratenſis oculatus teſtis hæc prodidit (*a*): *De fratre Volvando priore ordinis fratrum Prædicatorum in Argentina civitate Theutoniæ rem præcipue mirabilem, & devotam propriis oculis vidi. Hic, ut fratres mihi teſtatiſſima veritate narraverunt, ſemper fere ſive gradiens, ſive ſedens pollice ſignum crucis in pectore depingebat. Contigit autem, ut Maguntiam veniens infirmitate decumberet, & ingraveſcente morbo, cum mira alacritate ſpiritus moreretur, & apud fratres Minores ibidem ſepeliretur: nondum enim fratres Prædicatores in eadem civitate locum habebant. Quo audito fratres Prædicatores Argentinenſes duos fratres pro prioris ſui defuncti corpore Maguntiam direxerunt, ſed fruſtra quia fratres Minores ſepultum reddere noluerunt. Contigit autem poſt annos paucos, ut fratribus Minoribus ad locum alium tranſeuntibus, fratres iterum Prædicatores de Argentina duos fratres in Maguntiam pro dicti prioris corpore deſtinarent: qui ſine contradictione aſſumptis oſſibus in Argentinam proſpere redierunt. Quid plura? oſſa fratres diligentius abluentes, os pectoris, cui ex utraque parte inhærent coſtæ, ſuperius inſignitum cruce operoſiſſima repererunt, & hoc quaſi ſcutum cordis interius. Erat autem crux (ut ipſe ad hanc videndum quadraginta milliaribus laboravi & lætis vidi oculis meis) in oſſis medio ex ſubſtantia oſſea ad ſpiſſitudinem evidentiſſimam elevata, tribus ſuperioribus brachiis æqualis longitudinis, & inferiori brachio decentiſſime: longiori extremitates vero trium brachiorum ſuperiorum inſtar repandi lilii recurvatas, & brachium inferius, quaſi trunco deberet infigi, exacutum habebat. Quid igitur in ſigno corporeæ crucis in oſſe pectoris, niſi mortis Chriſti in mente prius habita ſtigmata paſſionis? & quid in foliis repandi lilii in crucis extremitatibus deſignatur, niſi mundiſſimæ caſtitatis inſigne, quod cum memoria mortis Chriſti fundatiſſime fixum gerebat in carne?*

Inſigne in viro religioſo crucis amantiſſimo miraculum.

(*a*) *Thom. Cantip. l.* 1. *c* 25. *n.* 6.

Os ſterni in crucem efformatum poſt mortem conſpectum eſt.

LXV. Florebat tum Prædicatorum ordo viris ſanctitate, ac virtutibus inſignis, cujus adminiſtrationem ſupremam ſanctiſſimus vir Raymundus Peniafortius per hoc tempus ſuſcepit atque doctrinæ & miraculorum ſplendore in Dei Eccleſia emicuit. Fulſiſſe præterea in Anglia Robertum eremitam apud Knareburgum magna miraculorum gloria ſcribit Pariſius, (*b*) atque ex ejus ſepulcro oleum ad ſanandos morbos divinitus emanaſſe: quod regnum etiam B. Eadmundi de quo nobis ſuperius ſermo fuit, ſanctitate colluſtrabatur: ex viris hiſce ſanctiſſimis ad Gregorium virtutum omnium, & pietatis notis illuſtrem digrediamur.

Robertus eremita in Angl. miraculis clarus.

(*b*) *Par. hiſt. Angl.*

LXVI. Explicuit Vercellenſibus Eccleſiæ ſinum hoc anno, quos ob latas iniquiores adverſus eccleſiaſticos leges anathemate inuſtos, facti pœnitentes a Novarienſi epiſc. cenſurarum religione abſolvi juſſit; (*c*) utque in ſupplices clementia, ita in pervicaces rigore uſus eſt. Diſtrinxit (*d*) enim pontificiæ ſeveritatis aculeos in ſceleſtiſſimum Bonacurſum Lucenſem civem, ingentium malorum auctorem, ejuſque criminum ſocios ac ſatellites, quorum viribus fultus in tantum ſcelus proruperat, ut præfecturam Viterbii ſibi arrogaret, plures ſtrages edidiſſet, ipſas eccleſias fuſo occiſorum ſanguine funeſtaſſet, agros etiam nonnullos vaſtaſſet; atque adeo tam ipſum quam furoris miniſtros anathemate ſolemni ritu percuſſit, utque pœna in ejus poſteros dimanaret, ad tertiam progeniem omnem illis adipiſcendi alicujus ſacerdotii jus poteſtatem-

que

Reconciliati Eccl. Vercellenſes.

(*c*) *Lib.* 11. *ep.* 392. 393. 394. 396. 397.

(*d*) *Lib.* 12. *ep.* 31. Expeditæ in Bonacurſum tyrann. Viterb. cenſuræ.

NOTÆ [1] ANno iſto die feſta S. Matthei apoſtoli Treviris coiverunt in concilium Theodoricus archiepiſcopus cum tribus epiſcopis ſuffraganeis, Rodulpho Virdunenſi, Johanne Metenſi, Rogero Tullenſi, edideruntque canones 45. quorum priores ſacrilegos rerum ſacrarum raptores puniunt, nonnulli diſciplinam interdicti tempore ſervandam ſtatuunt, alii clericorum mores inſtruunt; tum cauſas eccleſiaſticas ſtatuunt, ac denique omne a clericis avaritiæ vitium eliminant. Canon 45. ita conceptus eſt. *Annum Domini gratia propter multas ejus abuſiones revocamus &c.* Annus gratiæ in diœceſi Colonienſi & Trevirenſi nuncupatur annus ab obitu canonici alicujus, eo quod anni illius proventus in damnum ſucceſſoris retinebantur. Hujus concilii, & canonis de revocatione anni gratiæ mentio fit in concilio Trevirenſi anni 1310. cujus canon XXX. ea in revocatione confirmanda, promovenda, publicanda totus verſatur, atque ea occaſione planius exponitur quid ſit annus gratiæ. Porro concilium anni MCCXXXVIII. in nova Labbeanæ collectionis editione Veneta adjectum eſt ex Martenii tom. 4. anecdotorum, ſed ibi nonniſi canones IX. leguntur. Cum vero poſtmodum idem Martenius ex MS. S. Victoris auctiorem eorumdem canonum collectionem deduxerit, illam vulgavit in tom. VII. collectionis vet. monum. col. 126. atque acceſſio iſta canonum Trevirenſium in nullam adhuc conciliorum collectionem aſſumpta eſt. MANSI

que ademit, quo cenſurarum acerbitate ab occupandis eccleſiæ juribus impios deterreret. Perſtitere in pervicacia Viterbienſes, ac demum accenſo inter Fridericum & Pontificem bello hoſtem portis excepere, ut ſuo loco dicetur.

LXVII. Miſſus in Sardiniam legatus.

(a) Ib. ep. 193.

(b) Reg. poſt eand. ep.

Cenſus in Sardinia ſolutus Rom. Eccl.

(c) Ep. 190.

(d) Ep. 191.

(e) Ep. 68.

Ad tuenda etiam Romanæ Eccleſiæ jura in Sardinia, Rolando ſubdiacono & capellano ſuo legationis onus commiſit (*a*) omnibuſque in ea inſula auguſtiore eccleſiaſtica, & laica dignitate conſpicuis, ac populis, quo eum debito honore proſequerentur, ſcripſit; (*b*) legatoque in mandatis dedit quædam oppida præfecturæ Calaritanæ, ſibi tradi juberet (*c*) & cenſum Romanæ Eccleſiæ perſolvendum colligeret (*d*). Antea vero cum ditionis Turritanæ dominæ Agnetis maritus e vivis ſublatus viduam reliquiſſet, illius luctum Pontifex conſolatoriis literis delinire dignatus (*e*) eſt; idque maxime ſolatium adhibuit, virum ipſius in bona, ut ait, contritione ac devota confeſſione obiiſſe. Ne vero ſeditiones aliave graviora mala in ea præfectura emergerent, ſi viri præſidio deſtituta eſſet, Guelphum e Porcharia prænobilem, Apoſtolicæ ſedis ſtudioſum ipſi in ſponſum providiſſe (*f*); proinde procuratorem citius mitteret, ut matrimonium contraheretur: atque Arborenſi archiepiſcopo imperavit (*g*) ut Piſanos vicecomites ab inferenda Agneti moleſtia Gallurienſique occupanda provincia abduceret

(f) Ep. 121.

(g) Ep. 70.

LXVIII.

(h) Rich. e S. Germ. in chron.

Entius Sardinia potitur.

Verum extincto Ubaldo junctaque ſibi Adelaſia Entius Friderici filius nothus, quem Richardus (*h*) Henricum vocat, ac ſub menſe octobris uxorem in Sardinia duxiſſe ait: Galluræ & Turrium principatum arripuit, ac brevi Sardiniam Eccleſiæ obſequio Imperii fiduciarium ſe profeſſus ſubduxit, ſed demum in pœnam ſceleris regium ſolium ſquallore carceris commutavit, ut ſuo loco dicetur. Quo vero colore Fridericus Sardiniæ invadendæ inhiarit, refert Pariſius (*i*): *Imperator ipſam ad Imperium ſpectare ab antiquo aſſeruit, & per occupationes eam ad corpus Imperii revocaſſe: Ego vero juravi, ait, ut jam novit mundus, diſperſa Imperii revocare, quod non ſegniter adimplere procurabo*. Quibus ipſum non ſpoliare modo ſuis juribus Eccleſiam, ſed alia etiam regna evertere animo meditatum patet.

(i) Par. hiſt. Angl. an. ſeq.

Inani colore ſupremum illius dominium Eccleſiæ eripit Frid.

LXIX. Mediolanenſes Friderici gratiam ambiunt.

(k) Monach. Pat. chr. l. 1. hoc anno.

Ut conſilia perduceret, Inſubriam primum ad ſua obſequia frangere conſtituit; eoque elata eſt ipſius arrogantia, ut cum illi excipere ipſius imperia honeſtis legibus parati eſſent, oblatas omnes conditiones repulerit, ut diſerte monachus Patavinus (*k*) narrat: *Cum Mediolanenſes pacem habere cum Imperatore conditionaliter poſtularent, Imperator noluit eos recipere niſi omni conditione remota, & hac de cauſa in contumacia permanſerunt*. Ampliora Pariſius, qui honorificentiſſimas a Mediolanenſibus oblatas leges affert, ac Fridericum in eis reſpuendis procaciæ arguit: *In illius temporis diebus Mediolanenſes Imperialem majeſtatem formidantes*, ac jure, præter enim præpotentem exercitum, quo Fridericus ſuccinctus erat atque ſuperiori anno victoriam ingentem retulerat, Conradus Rex principibus ſtipatus e Germania menſe julio hujus anni magnas copias cum patre conjunxiſſe refert Richardus, *miſerunt ad dominum ſuum Imperatorem ſub omni qua potuerunt inſtantia poſtulantes, ut ipſe quem verum dominum & naturalem palam proteſtati ſunt, ſuam ab eis averteret indignationem; & ceſſans expugnare eos quaſi ſuos fideles fovere, & protegeret ſub alis ſuæ magnificæ protectionis: ipſi autem ex tunc in antea ipſi quaſi Imperatori & domino cum debita ſervirent reverentia; in cujus obedientiæ teſtimonio, ut in brachiis ſuæ dilectionis tutarentur, & priſtinæ rebellionis non recordaretur, omnem quam habebant in argento & auro ſubſtantiam ipſi liberaliter conferrent: inſuper omnia vexilla ſua ante pedes imperiales collata in ſignum ſubjectionis & obedientiæ, & imperialis victoriæ concremarent. Cæterum eidem in obſequio crucis in Terra ſancta militanti invenirent per annum decem millia armatorum ad promotionem Eccleſiæ & ſui honorem ea conditione, ut ipſos cives ſine ſimultate diligeret, & ſalvus permaneat ſtatus civium & civitatis. Sed hæc omnia dominus Imperator procaciter refutavit, exigens irrefragabiliter, ut cives communiter cum ſua civitate & bonis omnibus ſe ſuaque abſolute ſuæ manciparent voluntati. Cujus tyrannidi cives communiter reſponderunt, quod hoc nullo modo facerent, dicentes: Timemus tuam edocti experimento feritatem. Malumus ſub clypeis, gladio vel lancea mori, vel ſpiculis; quam laqueo, fame vel incendiis*. Addit plures a Friderico abalienatos ob repudiatos Mediolanenſes, cum in tyrannum inexorabilem deſciviſſe conſpicerent.

Ampliſſimas conditiones offerunt.

Repudiat illas Frid. ac res ſuas veſana arrogantia evertit.

Conſentit etiam Gregorii vitæ auctor Mediolanenſes in Friderici obſequium procumbere paratos repulſos eſſe, ac legatum ſedis Apoſtolicæ pacis leges olim cum ipſius patre Henrico Imperatore, & Mediolanenſibus Conſtantiæ percuſſas obtuliſſe: *Idem Imperator nobilis urbis Brixiæ longa obſidione diſtractus, quam nec furor Theutonicus, nec Appula commovit aſtutia, Lombardorum*, plures enim Inſubriæ urbes, ac principes viri ſe Friderico conjunxerant, *ac de diverſis regionibus multitudine congregata, pace quam pater ejus apud Conſtantiam cum Mediolano fecerat, oblata ſibi per legatum ſedis Apoſtolicæ non contentus, Mediolanum aggreditur*. De ampliſſimis pacis conditionibus ab Oſtienſi epiſcopo, & Thoma tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali oblatis Friderico meminit Gregorius in apologeticis contra Friderici calumnias literis (*a*). LXX.



(a) Greg. l. 13. pag. 150. ext. apud Par. hiſt. Angl.

LXXI. Brixiam obſidione cingit conatu irrito.

Quod ad Brixiæ obſidionem ſpectat, quam magno pudore ſolvere coactus eſt Fridericus; ait monachus Patavinus illum, ultionem in Mediolanenſes meditantem, prius Brixienſes ipſorum fœderatos aggreſſum a menſe julio uſque ad diem S. Michaeli ſacrum apud Brixiam caſtrametatum: cui Richardus conſentit, additque Conradum Regem in patris caſtris verſatum, ſolutaque obſidione in circumjacentes agros hoſtilem furorem convertiſſe Fridericum, ac diſſoluto exercitu filium in Germaniam dimiſiſſe, ipſum vero in Inſubria hæſiſſe. Subjungit idem auctor Imperatorem menſe auguſto ex Inſubria ad Pontificem, agentem Anagniæ, Panormitanum archiepiſcopum, epiſcopum Rheginum, judicem Tadæum e Sueſſa & Rogerium Porcaſtellam oratores miſiſſe, ut de concordia inter Eccleſiam, & Imperium concilianda agitarent: cum iis vero pontificio nomine archiepiſcopum Meſſanenſem, ut Friderico pontificias voluntates exponeret, diſceſſiſſe. At verſutus princeps dum pacis oſculum Chriſti vicario porrigeret, Romanos largitionibus ſubornabat, ut proditionem in Gregorium conflaret, de quo hæc vitæ auctor de pontificia Anagniana profectione prælocutus.

LXXII. *Anno poſtmodum duodecimo pontificatus ſui Anagniam properans ſuſpecti aeris declinavit inſultus. Porro tortuoſus ille coluber Cæſar in pacis & natorum reconciliatione commotus, concepta venena, quæ prius ſub ſquammarum tegebat velamine, interdum punctionibus occultis immiſſa jam aperta læſione revelans, Bobacienſem & Ægidium Brethi, & quoſdam de Urbe potentes, foro venalitatis expoſitos plus offerentis arbitrio applicandos, pecunia propitiante corrupit, & auri ſacra fames publico proclamata præcone impudicos filios de ubere matris ſic avulſit, ut contra Chriſti vicarium ſe potenter armarent muniti charactere antichriſti. Quorum ſolvit colligationes iniquas manus erudita Pontificis, & per devotum Joannis de Judice tunc ſenatoris obſequium turres hoſtium, & operoſo marmore tabulata palatia, nobile veſtigium prioris ætatis, in opprobrium ruinæ redegit. Tum Cæſaris ceſſere præconia non auro, non aſtutia revelata.*

LXXIII. Pontifex Romam revertitur.

Deferbuerat æſtas, atque clementior aura afflabat cum Pontifex Romam regreſſus ingentia dona in eccleſias contulit, piaſque preces in honorem B. Virginis decantari præcepit, quæ anonymus vitæ ſcriptor monumentis propagavit: *Jam quidem æſtivis ſuſpicione cedente ad Urbem ſummus Pontifex regreditur grandi veneratione ſuſceptus. Qui licet innumeris vexatus anguſtiis, erat tamen in divini nominis contemplatione robuſtior, & prædeceſſorum ſolicitudinem devincens & actus, electiſſimi ſerici tinctura mirabilia indumenta multiplicia pontificalis officii, auro & gemmis pretioſis contexta, in opus ſacerdotale diſtribuit, ea juxta varietatem colorum ſolemnitatibus temporum allegorica conſideratione conformans, ad altaris ornatum in auro & nitore gemmarum: * quarum nobilibus cum ſmaltis aureis pomorum quantitate conformibus gemmis electioribus & auro contextum mille librarum æſtimatione probatur; & operis diſtinctione multimoda velamina pretioſa conceſſit. Crucem auream triginta ſex auri marchis appenſam opere interraſili gemmarum varietate diſtinctam, quod * pretium æſtimationem non capit grandem pretioſi ligni vivificæ Crucis quantitatem ingenio nobilis artificis contegentem, ejuſdem deputavit obſequio: cujus pes argenteus aurea ſuperinductione contectus, & capſa multæ ſoliditatis argentea viginti marcharum publico pondere appendunt: ſicque totius operis æſtimatio præter inæſtimabile ſignum crucis mille marcharum argenti puriſſimi conſideratione malleatoris excedit. Libros contulit electioris litteræ, ac pictura decoros. Hic conſtituit ut ſemper in ſexta feria in veſperis completo ſolito curſu cantetur: Salve Regina miſericordiæ mater; & in nocte antiphona: B. Dei genitrix Maria; ſecuta oratione: Deus qui de B. Mariæ &c. & quod ante corpus Domini, & cum idem conficitur campana pulſetur*. Inſtitutas has in Eccleſia ſacras preces anno ſequenti ferunt nonnulli recentiores ad divinum contra Fridericianam perſecutionem auxilium implorandum, potuitque etiam hoc anno fieri, cum non ambiguus futuri periculi terror impenderet.

* quorum nobilius.

* pretii.

Sacer hymnus: Salve Regina decantari cœptus.

Interea flagitarat Venetorum dux ut Gregorius ipſum, ac rempublicam in B. Petri clientelam acciperet, quod Pontifex collaudato in Romanam Eccleſiam commendatoque ſtudio præſtitit (*b*). *Sacroſancta Romana Eccleſia, quæ piæ matris affectu in charitatis viſceribus Chriſti fideles amplectitur univerſos, prærogativa gratiæ ſpecialis confovere debet, ac defenſare devotos, ut & ii ſinceritatis ſuæ digna præmia conſequantur, & alii eorum exemplo ad devotionem ſedis Apoſtolicæ provocentur. Cum igitur civitas Venetorum erga Romanam Eccleſiam matrem ſuam, ſicut certo rerum experimento probatur, reverentiam, devotionem & fidem ſemper habuerit & habeat ſpecialem, nos* LXXIV.

Veneti in clientelam ſedis Ap. admiſſi.

(b) Lib. 12. ep. 325.

tuis

*tuis ſupplicationibus, quas libenter admittimus, inclinati perſonam tuam & civitatem eandem in devotionem ſedis Apoſtolicæ perſiſtentes ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Dat. Later. non. decemb. ann.* XII. [1]

Con-

NOTÆ [1] Cum pro rebus tranſmarinis graves, & pernicioſæ diſcordiæ inter Genuenſes, & Venetos jam dudum excitæ nondum quieviſſent, viſum fuit pontifici utrumque populum rogare ut miſſis ad ſe nunciis cum poteſtate componendæ paci operam daret. Pax igitur ſeu induciæ ad annos novem pontifice conciliante inter utroſque coaluit, atque tunc demum pontifex utramque Rempublicam in patrocinium S. Sedis aſſumpſit, quod de Venetis ex literis pontificiis in annalibus hic proditur; de Genuenſibus vero id aſſerit coævus continuator annalium Genuenſium Caffari Rer. Italic. to. VI. col. 479. MANSI



I. Fridericus anathemate a Greg. percellitur.

Concitata eſt gravior anno a Virginis partu milleſimo trigeſimo nono indictione duodecima in Romanam Eccleſiam perſecutionis tempeſtas, quam Fridericus a Gregorio juſtiſſime anathemate percuſſus conflavit. Monuerat ante paterne contumacem principem Pontifex, ut commiſſa ſcelera emendaret: cumque ille ſuaviſſima monita, ac preces eluderet, veteraque crimina novis cumularet, tandem adactus eo eſt Gregorius, ut ſeveriorem in eum eccleſiaſticam cenſuram expediret, Imperii exueret dignitate, loca in quibus ageret, interdicto ſubiiceret. Quæ omnia monumentis plures veteres ſcriptores commendarunt, inter quos hæc ipſius geſtorum auctor: *Interim corrupta nequitia, quod inditia manifeſta monſtrabant, in graviora prioribus erumpere nocumenta: in ejus ulcera, quæ monitionum fomenta non ſenſerant, remedium ferri medicinalis appoſuit, membrum Eccleſiæ putridum, per excommunicationis ſententiam a fidelium communione præſcindens, abſolutis eis, qui ſibi juramento vel fidelitatis debito tenebantur, loca etiam ad quæ pervenerat, ſupponens eccleſiaſtico interdicto.* Latæ porro ſententiæ forma in regeſto pontificio, tum apud Albertum Stadenſem, (a) Matthæum Pariſium alioſque jacet.

(a) Alber. Stad. in chron. Par. hiſt. Angl. Sigon. de regn. Ital. l. 18.

II. Concepta fulminatæ in Frid. ſententiæ forma & ob quas cauſas lata. Ob affectatum urbis dominatum.

*Excommunicamus & anathematizamus auctoritate Patris & Filii & Spiritus ſancti, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & noſtra Fredericum dictum Imperatorem pro eo quod contra Romanam Eccleſiam ſeditionem movit in Urbe, per quod intendit Pontificem, & fratres a ſua ſede repellere contra privilegia dignitatis & honoris Apoſtolicæ ſedis; contra libertatem eccleſiaſticam, contra juramentum, quo ſuper hoc tenetur Eccleſiæ, temere veniendo. Item pro eo quod venerabilem fratrem noſtrum Prœneſtinum epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum, ne in ſua legatione procederet, quam in Albigenſium partibus pro corroboratione catholicæ fidei ſibi commiſimus, per quoſdam fideles ſuos impediri mandavit.* Arſiſſe ea ambitione Fridericum, ut Romam ſibi ſubiiceret, ſuaque Pontificem ditione exueret, ipſe in ſuis literis (b) quibus Italiam ſuam hereditatem eſſe jactabat, tum in aliis ad Romanos, quibus Romam ſui Imperii caput, a qua Romani Imperatoris nomen traheret, ſeque Urbis auctorem, ac benefactorem populi Romani appellat, tenerique ad Romanorum honorem defendendum, viciſſimque ipſos ad Romani Imperatoris nomen tuendum devinctos ait; tum in familiari ſermone, unde plures ab ipſo alienatos ſcribit monachus Patavinus, non (c) obſcure indicabat: ſed illuſtrius non ambiguis conatibus, ac pluribus in Urbe ſeditionibus concitatis in lucem ſuperba conſilia prodebat; unde graviſſime jam antea illi exprobrarat (d) Gregorius a veterum Imperatorum pietate deſciviſſe, qui collatum ab iis Chriſti vicario principatum invadere molitur, ac poſtea queſtus eſt in apologeticis contra Friderici calumnias literis (e): *Idem illatis Eccleſiæ non contentus injuriis, data quibuſdam rebellibus noſtris non modica ſumma pecuniæ ſeditionem contra nos in Urbe molitus eſt pluries commovere, ut nobis & fratribus noſtris a ſede noſtra repulſis & concuſſo capite fidei, quod ſuperædificavit Dominus, impulſu ejuſdem Friderici rueret leviori.* Et quidem ex auctore vitæ Gregorii vidimus ſuperius corruptum ab ipſo Centium (f) ſenatorem ingreſſu Urbis Gregorium prohibere pertentaſſe; ac ſuperiori anno Ægidium (g) Brethi, Bobacium alioſque proceres Romanos Friderici ſigna in Urbe adverſus Eccleſiam extuliſſe; teſtantur eadem acta Jacobum Cardinalem legatum ab adeunda legationis ſuæ provincia a Friderico prohibitum: *Venerabilem patrem Præneſtinum epiſcopum, quem in Provinciam pro pace patriæ ſedes Apoſtolica decreverat deſtinandum*, Maſſilienſes enim in Raymundum Berengarium inſurrexiſſe, atque Toloſano comiti ſe addixiſſe vidimus ſuperius (h), *gravibus interjectis obſtaculis impedivit verenda de principe manifeſta ſuſpicio, ut inter fideles Eccleſiæ, quos ipſius dominii limes non colligit, pacis patiatur acceſſum, qui Chriſti hoſtibus Saracenis nimirum, adverſum paratam expeditionem diſcuſſit, quietis tempora iniqua conſideratione procurat.* Sed non minus gravia quæ addit Gregorius.

(b) Ann. 1236. n. 3. 4. 5. Ext. apud Sigon. l. 18. de regn. Ital. Ext. apud Petr. e Vin. MS. Vallic. bibl. p. 3.

(c) Monach. Pad. chr. l. 2. anno 1242.

(d) Greg. l. 10. ep. 253.

(e) Greg. l. 13. pag. 150.

(f) Ann. 1227. n. 12.

(g) Ann. 1238. n. 72.

Ob intercluſum legato Card. iter in Provinc.

(h) Ann. 1227. n. 36.

*Item pro eo quod non permittit quaſdam cathedrales eccleſias & alias vacantes eccleſias in regno reparari, & hac occaſione periclitatur libertas Eccleſiæ, perit fides, quia non eſt, qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas deficiente paſtore. Item quod in regno clerici capiuntur, incarcerantur, proſcribuntur & occiduntur.* [1] Devinxiſſe ſe eo crimine avaritia obcœcatum Fridericum refert vitæ

Viduatas paſtoribus eccleſias.



Gre-

NOTÆ [1] Non eſt cur prætereamus ea, quæ Jacobus Præneſtinus in occidentem perrecturus Genua pertranſiens geſſit. Ita enim de illo Bartholomeus ſcriba, qui non procul ab his temporibus annales Genuenſes Caffari continuabat: *Eodem anno dominus Jacobus Praneſtinus cardinalis apoſtolica ſedis legatus venit Januam, & de Janua ivit ad partes ultramontanas, & ſicut*

Prohibitas ſacras conciones. Oppreſſos viros eccleſiaſticos.

Gregorii auctor, ut eccleſiarum opes expilaret : *Nec his contentus moleſtiis, proventus eccleſiarum vacantium & earum, quas ſubtili procurat ingenio paſtorum carere præſentia, quoſdam in proprios convertit abuſus, alios in ædificiis caſtrorum expendit, Chriſti miniſtros in lutea cæmenta commutans*. Et infra : *Regnum quærens & Sacerdotium vendicare, vacantibus ipſius regni eccleſiis paſtorum non patitur præſidio ſubveniri, tot animarum occiſor, quot per paſtorum abſentiam tranſeunt in corruptionem.*

IV.

De Sicula vero eccleſia graviſſima tyrannide a Friderico attrita objectas graves fuiſſe antea querelas Friderico in pontificiis literis ſuperius vidimus : at non emendaſſe ſcelera, immo novis cumulaſſe ac Neroniana immanitate in præſules, eccleſiaſticos viros, religioſos, alioſque adverſus Eccleſiam egregie affectos ſæviiſſe deſcribit anonymus vitæ Gregorii auctor his verbis: *Satis in ejus*, nimirum Friderici, *pœnam præter culpæ gravioris exceſſum, miſeri regni Siciliæ continuata moleſtia ſufficere poterat, utinam non in ſalutis diſpendium ab Eccleſia tolerata, cujus nutritus & provectus uberibus ipſa tandem ubera dentium laceratione quaſſavit : & ut a ſanctuario manus ſævientis inciperet, & in domeſticos peregrina inhumanitate ſæviret, Cathanienſem epiſcopum regni Siciliæ cancellarium, ex cujus ubere gratis obſequiis prima ciborum rudimenta ſuſcepit, crevit & profecit impenſis ſub ejus tutelæ præſidio jam adultus; inter ſuæ ſenectutis extrema proſcripſit exilio & ea paupertate damnavit, ut viventem vita repelleret, & mortuo mors ipſa funeris denegaret impenſas*. Fridericum ab epiſcopo Cathanienſi regni cancellario ſumma fide & cura educatum Innocentii III. epiſtolæ atque ejus vitæ geſta ſuperioribus annis allata oſtendunt; pergunt Gregorii acta. *Archiepiſcopum Tarentinum, & Calaphaludenſem epiſcopum illa ſibi familiaritate conjunctos, ut idem cyphus & fere manus eadem communiter alimenta præberet, nec eſſet ei præter ipſorum notitiam ſingulare ſecretum, miniſterio privavit & gratia, & hominibus eorum datis in prædam, extra regni limites iniqua temeritate proſcripſit. Aliphanum epiſcopum a propriis laribus exulem cum captivis fratribus miſerabilis vitæ curſum compulit exilii paupertate finire. Calmenſem epiſcopum a regno ejectum grandi oppreſſit inopia, fratre ipſius laqueo ſuſpenſionis addicto. Soranus epiſcopus ipſius furoris non expers quærere cogitur limites alienos*. De epiſcopo Sorano legationis munere in Galliis perfuncto meminimus ſupra, ad quem plures Gregorius literas hoc anno dedit (a): *Nafranus epiſcopus mortis amaritudinem in exilii paupertate bibit. Minores fratres, quorum vitam ipſi paganorum duritia veneratur, hic pagano durior flammarum atrocitate damnavit. Militenſem decanum in maris fluctibus levi ſuſpicione demerſit. Neapolitanum archiepiſcopum Montorium & Thomam cantorem Meſſanenſem longa maceratione carceris interemit. Magiſtrum Nicolaum ſubdiaconum Meſſanenſem ignis acerbitate combuſſit. Magiſtrum Bernardum domini Papæ notarium, & Salernitanum diaconum, & alios innumeros clericos ablatis ſpoliis exilio deputavit : & ſic multis miniſtris Eccleſiæ tum exilio, tum morte damnatis, nec ſanguine ſatiatus innoxio, propinquiores ipſorum pœnæ non reliquit extorres ipſius, & ſanguinis & ſpolii inſatiabilis appetitus*. Pergit anathematis forma :

(a) Greg. l. 12. ep. 221. 223. 224.

V. Prophanata numinis templa.

*Item quod in regno eccleſiæ Domino conſecratæ deſtruuntur & prophanantur. Item quod non permittit Soranas eccleſias reparari*. De everſis a Friderico ac prophanatis templis ita vitæ Greg. auctor queritur. *In civitate Nuceriæ, in qua ejectis Chriſti cultoribus cultores intulit Mahumeti, opere regio conſtruxit palatium, in cujus parte cathedralis eccleſiæ ipſo mediante deſtructa, ubi titulus altaris extiterat, ille Chriſtianiſſimus Fredericus palatii purgamenta ſubſtituit, & ubi Filius Dei mactabatur in ara labes hominis purgaturus, filius hominis in contumeliam Creatoris ventris immunditiam poſiturus accedit. Illius quidem civitatis antiſtes de tot millibus hominum, quos Chriſtiana religio congregavit, ibidem duodecim Chriſticolas habere permiſſus, dum invito populo fidelium caret conſortio, alienigenarum*

NOTÆ *& ſicut a domino papa habuerat in mandatis reſpectu communis Januæ, & ex ſumma gratia eccleſiam Nauli* ( Noli urbs in ora Liguſtica occidentali ) *epiſcopavit, & eam univit eccleſiæ Brimati*. Brugnettum urbs eſt ad Varum in ditione Genuenſi, quam Innocentius II. in epiſcopalem erexit, eidemque poſtmodum, hoc nempe anno, Jacobus Præneſtinus erectam in epiſcopatum urbem Naulum conjunxit. Sed unio illa brevi permanſit; nam Innocentius IV. anno 1245. utrumque epiſcopatum diſtinxit, ut ex Ughellio to. IV. pag. 1373. veteris editionis planum eſt. Eccleſia vero Nauli primo quidem a Plebano regebatur, & Savonenſi epiſcopo parebat. Cum vero Genuenſes inter & Savonenſes odia eſſent, ſimultates & bella, a pontifice impetrarunt Genuenſes, ut illa ab epiſcopo, cui parebat, ſubtraheretur, quod anno præcedenti 1238. præſtitum notat Bartholomeus ſcriba in continuatione Caffari. Dein poſt annum in epiſcopalem ſedem erecta Naulum ex Vico in urbem crevit, unde verſus apud eundem Bartholomeum. *Urbs meruit dici mutato nomine Vici*. MANSI.



*rum contubernia circuire compellitur, & linguæ nativæ officium in Arabum convertere idioma; olim opulenta poſſeſſione fœcundus, nunc pauper ſerviens ſub tributo, ut pane famelicus ſaturetur, manna Aſſyriis dare cogitur & Ægypto. Eſt etiam quod cauſam non minoris doloris adiiciat, dum Sarraceni avidi Chriſtiani ſanguinis effuſores impune perimunt Chriſtianos; & ſi defenſionis præſidio, vel inopinatis eventibus occiditur Sarracenus, qui cauſam dedit damnatur ad mortem, & nullis de ipſo inventis præſumptionis inditiis illi gravi pœna mulctantur, in quorum confinio invenitur occiſus. Quis non turbetur in prænuncio antichriſti? Quis Pilati non defleat ſucceſſorem, immo majori Pilato crudelitate notandum, cum ille manus laverit, hic infigat : ille ſaltem occidi permiſerit, hic extinguat, ille furorem populi curaverit evertere, hic errantem populum peccare compellat*. Quod vero ad exciſa Soræ templa, nec refici permiſſa attinet; Soram ferro flammiſque ob ſuſceptas contra ipſum pontificias partes in eo bello, quo ducum opera Eccleſiam laceſſiverat, dum in oriente verſabatur, ſuo loco diximus, Pontificiſque odio eam inſtaurari non eſt paſſus, de quo hæc anonymus auctor (a): *Civitatem Soranam contra pacis formam ſpreta juramenti religione combuſſit, nec permittit eccleſias reparari crudeli ſententia cum corporibus ſanctorum exuſtas.*

Soranas eccleſias non permiſſas inſtaurari.

(a) MS. Vallic. bibl. geſt. Greg.

VI.

*Item pro eo quod nepotem Regis Tuniſi venientem ad Romanam Eccleſiam pro ſuſcipiendo baptiſmatis ſacramento detinet, nec venire permittit. Item pro eo quod Petrum Sarracenum civem Romanum ex parte Regis Angliæ ad ſedem Apoſtolicam venientem cepit & detinet carceri mancipatum*. De capto nepote Regis Tunetani magno religionis Chriſtianæ opprobrio ſupra dictum eſt; (b) quod autem ad Petrum Sarracenum attinet : conjecerat illum in vincula Fridericus, cum ſuſpicaretur ab Anglorum Rege ad conflandam cum Pontifice adverſus ipſum coitionem miſſum, ad quem ex injuſto carcere liberandum Gregorius Florentinum epiſcopum miſerat, (c) literiſque Fridericum rogarat, ut ipſum in libertatem aſſereret. Agit de eodem Petro Sarraceno Pariſius (d) aitque Othonem Cardinalem conatum Henricum in Imperatorem propoſita illi ob oculos accepta injuria concitare : ſed ipſum molliore animo injuriam tuliſſe.

(b) Ann. 1236. n. 22.

(c) Lib. 12. ep. 129.

Oratorem Regis Angl. conjectum in vincula.

(d) Par. hiſt. Angl.

VII. Ditionis pontificiæ loca occupata.

*Item pro eo quod terras Eccleſiæ occupavit contra juramentum, quo ſuper hoc tenetur Eccleſiæ temere veniendo*. Quæ fuerint illa ditionis pontificiæ a Friderico erepta Eccleſiæ, explicat in literis (e) aliis encyclicis ac geſta Gregorii exprimunt: *Ut autem majori pœnæ ſe reddat obnoxium, quo culpam in terminos laxiores immittit ad Eccleſiæ terras & eccleſiarum bona ſacrilegas manus extendens, Ferrariam, Pigonogam, Bondenum, Maſſam Lunenſis diœceſis & terram Sardiniæ contra juramentum ſuper his conſervandis præſtitum occupavit*; ac ſane Fridericum occupata Ferraria, quam Salinguerra olim ab Innocentio III. jure fiduciario acceptam violato ſacramento prodiderat, Pontificem miſſis oratoribus deludere tentaſſe, ac dum verba inania daret, Sardiniam ac Maſſam eripuiſſe queritur Gregorius in ſua contra calumnias Friderici apologia (f): *Ferrariam & quaſdam alias terras Eccleſiæ in Lombardiam contra juramentum præſtitum temere veniens occupavit; ſuper quo & aliis credens detinere in manibus verbis dictos Panormitanum archiepiſcopum, & alios nuncios ſuos cum literis de credentia ad noſtram duxit præſentiam deſtinandos, quibus offerentibus nobis ſatisfactionem ſuper præmiſſarum offenſarum emendatione venerabilem ante, & poſt ipſorum a curia noſtra receſſum, terram Sardiniæ & Maſſam Lunenſis diœceſis occupare ad Romanam Eccleſiam pertinentes non omittens ipſo facto, ne ultra ejus expectaremus correctionem, edocuit; ac non debere fidem ſibi vel ſuis nunciis adhiberi operis evidentia demonſtravit*. Subdit ſe toties vanis illius pollicitationibus circumventum anathemate ferire perfidum differre non potuiſſe, quibus conſentit Pariſius, (g) maxime eo flagitio exaſperatum Gregorium, ut in Fridericum eccleſiaſticum fulmen jacularetur.

(e) Lib. 13. pag. 149.

(f) Lib. 13. pag. 150.

(g) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

VIII. Siculorum laicorum & eccleſiaſticorum bona direpta.

*Item pro eo quod terras quorundam nobilium de regno, quas Eccleſia tenebat, ad manus ſuas occupavit & devaſtavit. Item pro eo quod quaſdam eccleſias cathedrales fere bonis omnibus ſpoliavit. Item pro eo quod multæ eccleſiæ cathedrales & aliæ eccleſiæ, ac monaſteria de regno pro iniqua inquiſitione fuerunt fere bonis omnibus ſpoliatæ*. Adducitur in Gregorii geſtis locorum, arcium & oppidorum ſeries, quæ Fridericus eripuit eccleſiis, atque in ſuam poteſtatem redegit: *Juriſdictionem quam idem*, de Caſſinenſi monaſterio loquitur, *in S. Germano loco utique populoſo, & multa commoditate dotato longa traditione poſſederat; caſtrum etiam Attini, roccam Bantræ roccam Guillelmi in ejus confinio, in Calabria caſtrum Malueti & poſſeſſiones non modicas ſuo dominio in Rom. Eccl. injuriam & B. Benedicti applicavit &c.* Pergit auctor aliorum locorum, ac poſſeſſionum nomina recenſere, quæ Fridericus per ſummam tyrannidem eccleſiis, ac piis locis eripuerat.

IX.

*Item pro eo quod Templarii & Hoſpitalarii in regno mobilibus & immobilibus ſpoliati non ſunt juxta tenorem pacis integre reſtituti. Item pro eo quod exactiones*

Templarios viroſque religioſos injuſtis oneribus obrutos.

(a) Ann. 1231. n. 2.

*nes contra formam pacis ab eccleſiis & monaſteriis per ipſum extorquentur in regno. Item pro eo quod in regno prælati eccleſiarum & abbates Ciſtercienſes & aliorum ordinum compelluntur dare ſummam pecuniæ per ſingulos menſes pro conſtructione caſtrorum* (*a*). Religioſorum equeſtrium ordinum bona a Friderico direpta fuiſſe, atque ipſorum xenodochium Barolitanum tam impie everſum quam pie fuerat excitatum refert geſtorum Gregorii ſcriptor his verbis: *Hoſpitalariis & Templariis, quorum ſanguine Terra ſancta defenditur, cum deberet adeſſe præſidio, adeo moleſtus occurrit, quod terras eorum, quas eleemoſynaria devotio contulit, ambitioſa manus extorqueat indevoti, ut homo vivat in adipe, Chriſtus in paupere moriatur, nobiles domos ipſorum apud Barolum pia fidelium erogatione conſtructas in crucis evertit injuriam adverſarius crucifixi.* Addit ad impietatis cumulum rudera illius xenodochii ad Nucerinum palatium extruendum tranſlata deploratque eccleſiaſticos, ac religioſos turpiſſimæ ſubjectos ſervituti: *Clericos in Domini ſortem aſſumptos & religioſos ſingulos, in quibus ſuæ potentiæ fræna laxantur, duriſſimis afflixit angariis; & quos utriuſque teſtamenti pagina libertate dotavit, hic innovator ſæculi nova ſervitute condemnat.* Sed reliquas jacti anathematis cauſas afferamus.

X. Pontificiarum partium ſtudioſos contra pacis leges proſcriptos.

(b) Ann. 1230. n. 17. an. 1231. n. 2. an. 1233. n. 32. 33.

*Item pro eo quod contra tenorem pacis hi, qui adhæſerunt Eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliati exulare coguntur tanquam proſcripti, uxoribus & liberis captivatis.* Objurgatum ſæpius (*b*) a Gregorio vidimus Fridericum, conceptum in eos odium effundere; quem vindictæ cupiditate adverſus innocentes ferocientem ita deſcribit anonymus auctor: *Et ut nec ſexus, nec conditio ſub tyranno reſpiret, comites & barones, quibus tota florebat Apulia, & Sicilia præmunita gaudebat; quorum obſequio ſicut ex homagio tenebantur, colla rebellantum ſedes Apoſtolica comprimebat, alios damnavit exilio, alios peremit ferro: quoſdam famis conſumpſit inedia, quoſdam carcer tenebroſus exhauſit; hos laqueus, illos gladius interemit: nonnullos mare abſorbuit: multos ignis acerbus crudeli damnatione decoxit: talibus hos Chriſti milites princeps Chriſtianus honorat, talibus recompenſat ſtipendiis obſequia miniſtrorum.* Et paucis interjectis verbis de crudeliſſimis ejus exactionibus hæc ſubiicit: *Patres capiuntur ac nati: ac ſi non eſt unde pacari valeat, ex tortoris inſtantia exanimat ſuſpendio feminas, ut pœnis extorqueat, quod in terræ viſceribus callida credit opinione ſepultum: molle genus hominum feminas, nec Cæſaris ira dignum, non culpæ qualitas, ſed avaritia tortoris affligit; non præſumptæ ſuſpitionis opinio, ſed libido excruciat ſæviendi; rationale animal irrationali crudelius in eas pœnarum exercet aculeos, cum quibus ſua lenocinia frequentavit; amator plus pecuniæ quam ſalutis eis, in quarum complexibus ponit animam illectus pecunia non indulget: hoc licet immerito crudelius quod maſculus ſævit in maſculum, ſed feminis crudeli lenimento blanditur: id autem, non ſubſtantia, non pecunia, non ſanguinis effuſione quietus, ut nullus injuriæ inveniatur immunis, afflictas virgines, & adhuc parentum recenti ſanguine cruentatas, in conſolationis remedium Rex pius in proſtitutionis ſibi conjungit, abuſum; & emiſſarius indefeſſus in feminas non conjugatis, non ſolutis indulgens aggreditur viribus quas non permittit aſſenſus; & quas oculus venator obtulerat.* Addit auctor aliud Friderici facinus nefarium ipſum pyratæ crudelis inſtar, virginum piſcatum naufragia Sarracenis pudicitiam puellarum, quas Chriſtianus character impreſſerat, expoſuiſſe.

XI. Impedita recuperandæ Terræ S. retinendoque Imp. Conſtantinop. auxilia.

(c) Ext. hæ Friderici lit. apud Gregor. l. 10. ep. 252.

*Item pro eo quod ipſe impedivit negotium Terræ ſanctæ & recuperationem Imperii Romaniæ.* Increpuerat diu ante Fridericum Pontifex ob prohibitos ſacros concionatores, ne publice de Deo verba facerent, ac populos ad induendam contra ſchiſmaticos & Sarracenos crucem incenderent, ad quod tegendum flagitium hanc apologiam texuerat (*c*): *Abominamur & punire decrevimus proceſſum illorum, qui prædicationem catholicæ fidei, in qua nos ipſi ſancto propoſito vivere peroptamus & mori, & de ſubſidio Terræ ſanctæ, quod noſtris eſt humeris ſpecialius deputatum, præpedire præſumunt. In utroque tamen, quia ſub prætextu liciti frequenter illicitum agitur, futura nobis & regno diſpendia præcavemus: illorum etenim exempla nos terrent, qui occaſione prædicationis huiuſmodi in detractionem noſtri nominis linguas exacuunt, catervas hominum congregant ſub vexillis: qui dum ſe diſcordantium arbitros faciunt, dum caveri ſibi ſub Eccleſiæ nomine poſtulant, a ſuſpectis in fide bona fidelium noſtrorum villas & caſtra pro ſecuritate ſibi aſſignari procurant: ſic frater Joannes in marchia Veronenſi caſtris acceptis ſe ducem Veronæ & rectorem perpetuum in ſuis literis propriis appellabat: ſic in Apulia quidam frater, aſſumens a puerorum ſimplicitate primordium, jam multos ibidem ſub vexillo proprio congregarat. Hoc etſi boni forte ſit zelus, quia tamen mali ſpeciem non evitat, proculdubio juſſimus inhiberi.* Hæc Fridericus, quem perſtitiſſe in ſuſcepto ſcelere queritur Gregorius in literis ad Rhemenſem archiepiſcopum datis (*d*): *Populis undique collectis Crucifixi fidem & nomen publice prædicari in eodem regno prohibuit: recuperationem Terræ ſanctæ & negotium impediens ad ejus conſummationem de bonis fidelium conferri interdixit.*

(d) Lib. 13. pag. 150.



XII. Vocatur in jus ob vectigale regnum male geſtum.

Adductis itaque omnibus iis cauſis, ob quas juſtiſſime anathemate defixus erat, Pontifex omnes Friderici ſubditos officii ac ſacramenti, quo illi devincti erant, religione abſolvit; promulgavitque de geſto male vectigali regno ipſum in jus vocaturum: *Omnes autem* (inquit) *qui juramento fidelitatis ei tenentur aſtricti, ab ejuſdem juramenti obſervatione decrevimus abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſervent diſtrictius inhibentes, quamdiu fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus. Super oppreſſionibus vero & gravaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum, & aliorum de regno, pro quibus idem Fredericus juravit ſtare mandatis Eccleſiæ, ipſum intendimus admonere, & in ipſo negotio dante Domino procedemus ſicut fuerit procedendum.* Impoſuiſſe illum Siculis graviſſimum ſervitutis jugum, atque adeo omnis conditionis homines gravaſſe, ut merito beneficiario regno exui mereretur, proſequitur eleganter memoratus geſtorum Gregorii auctor: *Nec in his avertitur furor ejus, ſed adhuc manus ſævientis extenſa: nam præter illas exactionum ſpecies quas perſonale procurat edictum, novus monetæ falſarius dum cudit diverſo charactere, argenti tenui ſuperinducta cuticula, exponit occultus mercator venalia, nec quartam partem pretii valitura, ſalis & ferri, ac eorum omnium, quæ uſibus debentur humanis, commercia interdicit, ut nulli emere vel vendere liceat, niſi prius novi juris, vel injuriæ ſua portio deducatur. Pharaone crudelior, qui ſi ſubtractis paleis lateres duplicaſſet, commercii ſaltem non privaverat libertate. Hic eſt Rex religionis amator, ſic indicens ſæcularibus obſervantias regulares, ut dum omnia ſibi communicanda decernit, nihil eos proprium patiatur habere. Si talia Rex unctus debuit, ſi hæc imperatoriæ competunt majeſtati, judex diſtrictus examinet, & vindicet dominus ultionum. Quod ſi ſalutis prodigus ſententiam ſuperioris eludat, videat ne de feudi conditione ſuccumbat, qui limam correptionis evitans contra juramenti debitum tot perverſis modis ac motibus deliquit in feudum. Beneventanam utique civitatem non minus fide quam dignitate præclaram; quam poſt alta Urbis & admiranda faſtigia cunctis induſtriorem urbibus, & prima ſuorum mœnium fundamenta, & privilegia libertatis antiquæ omni exceptione majora teſtantur, devotione præcipuam, conſtantia ſingularem, amœnitate conſpicuam, rebus & virtutibus opulentam, quam in regni centro ſedes Apoſtolica ſuo judicio in ſignum dominii reſervavit, illis premit & anguſtat doloribus, ut adhibitis in veſtibulo portæ cuſtodibus intrare, vel exire volentes nova ſolvere pedagia compellantur; terras excolere niſi data redemptionis pecunia non permiſſis, eiſdem in regni finibus commerciis interdictis; nec ad matris licet recurrere gremium, niſi quia manus evaſerunt inſequentium tali obſidione concluſis. Hoc ſolum adeſſe videretur auxilium, ut in manus devolverentur hoſtiles, niſi præſtaret probata fides obſtaculum, quæ moleſtias alleviat paſſionum.*

XIII.

(a) Ext. apud Petr. e Vineis Matt. Par. hiſt. Angl.

(b) Lib. 13. pag. 149.

Præſentiens Frid. in ſe anathema latum iri comminatorias literas mittit.

Præſenſerat Fridericus urente criminum conſcientia a Gregorio anathema, cujus minæ graviſſimæ intentatæ, ni commiſſa improbe in Eccleſiam emendaret, incuſſum iri; literaſque ad Cardinales irarum plenas decima die martii undecima indictione Podonii conſignatas antea ſcripſerat, (*a*) cum Stadenſis diem cœnæ Domini, qua vibratum anathema eſt in IX. kal. april. incidiſſe dicat, quæ quidem literæ poſt jaculatas cenſuras Cardinalibus delatæ, quarum Pontifex in ſuis encyclicis partem affert, (*b*) ut ex earum lectione præſules crudelem tyranni animum ab Eccleſia omnino alienum agnoſcerent: *Quia*, inquit, *terroris ſonitus ſemper eſt in auribus impiorum, & etiam quando pax eſt, inſidias ſuſpicantur, eo quod turbata conſcientia ſemper ſæva præſumit; idem Fredericus priuſquam ſententia excommunicationis lata eſſet in ipſum, quaſdam fratribus noſtris decrevit literas tranſmittendas pro parte inferius annotatas, quæ poſt eandem latam ſententiam ipſis præſentatæ ad noſtram & eorumdem notitiam pervenerunt. Unde quia voluit Dominus occulta cordis ejus detegere, qui manifeſtat abſcondita tenebrarum & cordium ſecreta revelat; ex ipſarum tenore literarum poteſt colligi quam gerat devotionem ad Rom. Eccleſiam matrem ſuam; quam ad ſummum Pontificem & fratres ejus, ac ſedem Apoſtolicam reverentiam habeat, cujus ratione regni vaſſallus exiſtit: contra nos enim & ipſos conſpiraſſe videtur, ex quo quantum & quale crimen incurrerit, ſatis patet. Inter cætera vero, quæ ſua continebat epiſtola, hæc habebantur inſerta: Propter quod non indigne dolemus, ſi pater Apoſtolicus offendere tam graviter nos intendat, ut dum in conſtantem virum tam vehemens cadit injuria, & ſi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittit, quin ad ultiones, quibus Cæſares uti ſolent, facti violentia nos impellat. Verumtamen dum conſideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offenſoris, ſi ex æquo liceret privatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem ſcandalum venit, & in ſui participes ſanguinis compenſare poſſemus, ut in ipſum & ſuos attentata noſtræ ſedis injuria redundaret, tolerabilius du-*

Jactatæ crudeles ab eo in Pontificem minæ.

*duceremus. Sed cum nec ipſe, nec tota propter hoc ſua paſſura progenies tanti forent, ut culmen Imperii zelaret ultionem ipſorum; cumque ſedis auctoritas audaciæ ſibi fræna relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur, angit nos altiori mente turbatio, quod dum nos intendimus a perſequente defendere, oporteat nos defendendo gravius offendere reſiſtentes. In præmiſſis autem negotium Eccleſiæ vobis duximus attentius commendandum, ut tanquam proprium ipſum aſſumentes efficaciter ad fidei catholicæ robur conſervationem eccleſiaſticæ libertatis & totius populi Chriſtiani quietem efficaciter intendatis. Dat. Lat.* VII. *id. apr. an.* XIII.

XIV. Non terruere Gregorium crudeles tyranni minæ, ſed quam ſacro Palmarum die ſententiam tulerat in Lateranenſi baſilica, die cœnæ Domini renovavit, ut ſuperbe queritur in ſuis ad Richardum Cornubiæ comitem literis (*a*) Fridericus; ex quo conciliari poſſunt auctores, qui de promulgatæ ſententiæ die diſſentire inter ſe videntur, dum alii die cœnæ Domini, ut Stadenſis & Richardus, (*b*) alii, ut Pariſius, (*c*) & monachus Patavinus die Palmarum depulſum e cœtu fidelium Fridericum docent: lapſiſque nonnullis diebus univerſos orbis Chriſtiani præſules ſententiam in Fridericum latam promulgare encyclicis literis (*d*) juſſit, in quibus, ubi poſt collocata in luce ingentia beneficia, quæ Fridericus a Romanis Pontificibus acceperat, atrocia ſcelera ſuperius in concepta anathematis forma recenſita adduxit, ſubiicit:

*(a) Ext. apud Petr. e Vineis & Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
*(b) Rich. in chr. Stad. in chron.*
*(c) Par. hiſt. Angl. mon. Pat. chr. l. 1.*
*(d) Lib. 13. pag.* 149.

XV. Promulgari illam toto orbe jubet Greg.

*Quia vero ſuper iis & quampluribus aliis exceſſibus pluries a nobis monitus correctionis medelam non ſentiens, cum ſuarum ſint ulcera indurata culparum, quotidie deteriora committere non veretur; nos hæc abſque Chriſti offenſa præterire ſub diſſimulatione ulterius non valentes, de fratrum noſtrorum conſilio ex parte Dei omnipotentis, cujus vicem in terris gerimus licet immeriti, & auctoritate beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ac noſtra in eum & omnes illos, qui in præmiſſis vel alias contra Romanam Eccleſiam ſibi præſtiterint conſilium, auxilium, vel favorem, excommunicationis & anathematis ſententiam duximus promulgandam, tradentes ipſum ſathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus in die Domini ſalvus fiat; omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab obſervatione juramenti hujuſmodi abſolutos; & firmiter prohibendo, ne ſibi fidelitatem obſervent, donec fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus. Ad hæc civitates, caſtella, villas, & alia loca, ad quæ ipſe pervenerit, quandiu ibi fuerit, eccleſiaſtico ſubiicimus interdicto; ita quod publice vel ſecreto nullum ibi divinum officium celebretur, indulgentia vel privilegio quolibet non obſtante: omneſque qui eidem præſumpſerint celebrare, vel potius prophanare divina, pœnæ depoſitionis perpetuo decernimus ſubjacere, univerſis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, abbatibus etiam & aliis eccleſiarum prælatis diſtrictius inhibentes, ne vocati ad eum vadant, nec cum ipſo morentur; alioquin debitam non effugient ultionem.*

*Quocirca univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandantes, quatenus nullum ſibi præſtantes conſilium, auxilium, vel favorem prædictam excommunicationis & anathematis ſententiam ſingulis diebus dominicis, & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, ac generaliter alia omnia, quæ præſentibus continentur, ſolemniter publicare ac nuntiare curetis, & faciatis ſimili modo per veſtras civitates & diœceſes publicare & etiam nunciare; mandatum noſtrum taliter impleturi, quod de negligentia redargui aliquatenus non poſſitis, & nos contra vos alias procedere non cogamur. Cæterum cum præfatus Fridericus de aliis magnis & gravibus ſit plurimum infamatus, nos dante Domino ſuper iis ſuo loco & tempore procedemus, prout in talibus negotii natura requiret.* XVI.

Et infra: *In præmiſſis autem negotium Eccleſiæ vobis duximus attentius commendandum, ut tanquam proprium ipſum aſſumentes efficaciter ad fidei catholicæ robur, conſervationem eccleſiaſticæ libertatis, & totius populi Chriſtiani efficaciter intendatis. Dat. Lat. idus april. ann.* XIII. Inſcriptæ ſunt hæ literæ in regeſto pontificio Rhotomagenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis: poſt quam adjectum eſt ad omnes archiepiſcopos, Reges, duces comites ac viros potentia & nobilitate florentes immutatis conſentaneis ſententiis miſſas eſſe; quæ etiam apud Pariſium Othoni Cardinali in Anglia legato datæ extant, ſed in quibus nonnulla a nobis allata deſunt.

Correptus pontificiis cenſuris Fridericus arrogantem animum ad flagitandam criminum veniam non fregit, cujus immanem furorem deſcribit vitæ Gregorii auctor: *Tunc Cæſar ipſe cæſus levioribus citra meritum delinquentis non ſub Chriſti humiliatus vicario, ſed ſuper omne id quod Deus dicitur, ac colitur, elevatus, correptionis divinæ medelam in ſuæ nequitiæ recordatione non ſentiens elatus, ex verbo Fredericus frendens & fremens abſorbet iram, nec latæ ſententiæ reputat ſonare clangorem: factus ceraſtes in ſemita, ungulam equi dentibus detractionis aggreditur, ut famam deiiciat aſcenſoris: palliat culpam, proponit calumniam, innocentiam ſub verborum colore mentitur.* Valebat ipſe eloquentia, cujus fucis & coloribus flagitia ſubornare præſidebat: ac Petri e Vineis ea laude præſtantis operam etiam adhibuit: e veteribus enim monumentis refert Sigonius (*a*) illum, dum in celebri S. Juſtinæ monaſterio Patavii ageret, accepto vibrati in ſe anathematis nuntio, præcipitem concionem convocaſſe: cumque imperiale ſolium conſcendiſſet, adverſus Gregorium querelas effundere cœpiſſe, ſeque injuſte fidelium cœtu depulſum: tum illius juſſu Petrum e Vineis ab illo poetæ carmine prophanæ orationis exordium petiiſſe.

XVII. Ingentes adverſus Pontificem iras concipit Fridericus.

*(a) Sigon. de regn. Ital. l.* 18. *aliique.*



*Leniter ex merito quidquid patiare ferendum eſt,*
*Quæ venit indigne pœna dolenda venit.*

Eaque ſententia rei ſuæ accomodata Friderici querelas expoſuiſſe, Imperio præclare geſto indigne tractari: ſi aliquo crimine foret irretitus, eccleſiaſticas omnes cenſuras æquo animo paſſurum: verum ab omni ſcelere purum eſſe palam illuſtraturum. [1]

XVIII. In eum effundit calumnias. Fingit inanes latæ in ſe ſententiæ cauſas.

Mirum ſane Fridericum poſt tot graves antea adductas cauſas jactare ſolitum ſine cauſa ab Romano Pontifice anathematis nota inuſtum, ſparſiſſeque literas refertas calumniis, de quibus auctor vitæ Gregorii: *Quadam falſa literarum congerie per Urbem & orbis terminos matris pudicitiam lacerat filius abortivus.* Fuere eæ calumniæ diverſi generis, quas, ut ſuggerebat aſtutia, varie concinnabat; ſpargebat quidem Gregorium in ſe ob repudiatas de conciliando nothi filii cum Pontificis nepte matrimonio preces concitatum. Quam calumniam detergit egregie memoratus auctor anonymus: *In literarum ſuarum ſerie adjecit venerandum Pontificem illam cauſam commotionis habere, quod Cæſar requiſitus ab ipſo filium ſpurium ejus nepti legitime noluit copulare: qui ſi quidem conſcientiæ teſtis fidelis exiſtat, ſi deponat officium detractoris, hoc inveniet frequenter ſua petitione porrectum, & ipſius Patris reſponſione negatum, ſicut venerabilium Meſſanenſis & Panormitani archiepiſcoporum, Theutonicorum magiſtri, Petri de Vinea judicis, & aliorum, quibus hoc proſequendum injunxerat, aſſertio veridica manifeſtat. Nec veriſimile videretur, ut ſummus Pater, ſi circa ſanguinis proximos inclinaret affectum, homo nobilis de Comitum genere neptem ſuam ſpurio copularet, cujus progenitores præter ſummi præſulatus officium nobilioribus Urbis & Campaniæ linea propinquitatis fuere conjuncti.* At quæ cauſa Fridericum impuliſſet, ut Pontificis affinitatem affectaret declarat Gregorius in apologetico (*b*); ut nimirum corrupta apoſtolica integritate liberius in eccleſias graſſaretur, ſceleraque impune exerceret. *Non eſt dolor*, inquit, *quod ſic profundo gladio ejus feriat animum, ſicut dum terminos tranſgreditur Regum, nec poteſt aggredi officia ſacerdotum: propter quod idem qui pro auri fame dictum regnum Siciliæ jam redegit in cinerem, credens, ſe qui omni tempore vitæ ſuæ paucis pure, pluribus vero juſtitiam pretii venalitate corruptus exhibuit, quod in perſona ſua reſuſcitans magum Simonem luto temporalium maculare poſſit Eccleſiæ puritatem, ut ſic in ſpiritualibus graſſari & in ſuis permittere tur ſordibus remanere; murum integritatis eccleſiæ multis & ſpecialiter oblatione caſtrorum, ac parentela inter ſuos & noſtros contrahenda, pro qua nos per quoſdam magnos prælatos & nuncios ſuos pluries requiſivit, tentavit infringere: nunc vero quia id nulla inſtantia nulloque ingenio, ſicut eſt in curia noſtra quaſi notorium, a nobis potuit obtinere; quin potius ſe cum ſuis perditioni relictum, artium ſuarum fallaciis in pejus proficere jam agnoſcit, quia neſcit ultra quid faciat, ſeipſum mendacio ſuo in aliorum detractione deturpat, more meretricis Ægyptia-*

Infenſum ſibi Greg. ob repudiatam ejus affinitatem. Refellitur ea calumnia.

*(b) Ext. l.* 13. *pag.* 150.

NOTÆ [1] QUæ hic narrat annaliſta ex Sigonio, petita ſunt ex Rolandini Patavini hiſtoria de rebus Marchiæ Triviſanæ. Coævi hujus authoris verba exſcribere hic juvat, ut annalium fides ex ipſo primævi authoris teſtimonio conſtet. *Cum inſonuiſſet*, ſcribit ille lib. 4. cap. X. *per Paduam quod imperator erat excommunicatus per papam, tunc iſte fecit protinus convocari magnam concionem in palatio Paduæ, & dum illic in ſua majeſtate ſederit, ſurrexit judex imperialis Petrus de Vinea* (Appulus Friderico a ſecretis) *fundatus multa litteratura divina & humana & Poetarum: propoſuit autem illam authoritatem Ovidii:*

*Leniter ex merito quidquid patiare ferendum eſt,*
*Quæ venit indigne pœna, dolenda venit*

*Et aptata ſapienter authoritate edocuit populum, quod cum dominus imperator foret adeo benignus & juſtus, digne poterat de ſanctæ matris eccleſiæ rectoribus conqueri. Ipſe enim non dedignabatur coram omni populo proteſtari, quod ſi juſte lata foret excommunicationis ſententia contra ipſum, paratus erat modis omnibus exponere ſe cunctis eccleſiæ capitulis, & mandatis. Sed quia hæc pœna indigna venit, non miretur aliquis ſi venit & dolenda. Mirabatur ergo de miniſtris apoſtolicæ ſanctitatis, quod eorum ſententia in tantum præcipitium corruerat ſic incaute, quod illic ubi nullum peccatum præceſſerat, pœna ſic enormiter ſit adnexa.* MANSI

*ptiacæ, quæ Joſeph invitavit ad ſtuprum, & ab ipſo contempta apud virum ſuum volens accuſavit invitum.*

XIX. Alia ejuſdem calumnia Mediolanenſium ſtudio id egiſſe. (a) Ext. apud Petr. e Vin. & Matth. Par. Confutatur.

Præterea calumnia illa in pluribus epiſtolis aſperſit Gregorium, ſolo Mediolanenſium ſtudio in ipſum concitatum. Quam calumniam in literis (*a*) ad Anglorum Regem aliter ſubornabat, ideo exaſperatum Pontificem, quod jura Imperii ſedis Apoſtolicæ arbitrio permittere detrectaſſet. Verum in Mediolanenſium cauſa jura Imperii Gregorium aſſerere conatum dicta annis ſuperioribus illuſtrant: imo magis tuendo Imperio quam Fridericum ſtuduiſſe rei exitus docuit, cum Inſubres fœderatos ad obſequium adduceret: Fridericus vero intolerabili ſuperbia venientes repulerit, ut ipſi objecit Pontifex in apologeticis literis (*b*):

(b) Lib. 13. pag. 150. ext. apud Par. hiſt. Angl. Aſſerente Greg. jura Imperii ea evertit Frid.

*Idem blaſphemus intelligat ſibi ad infamiam merito reputari, quod cum ad ipſius & nunciorum ſuorum inſtantiam venerabilem fratrem noſtrum Oſtienſem epiſcopum, & dilectum filium noſtrum T.. tituli S. Sabinæ presbyterum Cardinalem pro pace juxta formam ab eiſdem nunciis inter Lombardos & Imperium reformanda ad partes miſiſſemus eaſdem, idem dictis legatis petita & ampliora adimplere paratis, & deluſis nobis reformationem pacis per ipſos noluit acceptare. Ecce nunc, intelligite qualiter Imperii jura conculcavimus. Ex præmiſſis advertite qualiter a nobis hic fuerit impeditus, qui longo & inani labore ſuos & ſuorum humeros decrevit potius conteri, quam paſſus extiterit per nos jura Imperii reformari.* At ſi demum Inſubrum partes defendendas ſuſceperit Romanus Pontifex, ad id coegit Friderici ambitio, cum ditionem pontificiam occuparet; factique æquitatem ita oſtendit Gregorius: *Ipſius potentiam habentes juxta ratione ſuſpectam, cum melius ſit ante tempus occurrere, quam poſt inflicta vulnera remedium invenire, ad avertendas ſuorum progreſſuum ſemitas officium legationis dicto notario*, nimirum Gregorio e Monte longo, *commiſimus: qui nequaquam juxta ipſius ſuſpicionem id fecimus, ſed ut per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obviare poſſemus.*

XX. Mendaciis obſcurare Pontificis famam molitur. (c) Ext. apud Petr. e Vineis.

Evomuit ineptam aliam in Pontificem calumniam, ipſum gloriæ ſuæ invidiſſe: in literis (*c*) enim tum ab eo ſparſis, ubi jactavit collata a ſe ingentia beneficia, ſuſceptos immenſos labores, adita maris pericula, propagatam defenſamque fidem, compreſſos Sarracenos, partas pro Eccleſiæ honore victorias injuriis compenſari: Papam invidia ſuffuſum, quod laici laboribus Eccleſia in eam majeſtatem aſſurrexiſſet: conjurationem in eum conflaſſe, ut geſtorum gloriam extingueret, ac deleret; cumulandis illum opibus, non augendæ divinæ gloriæ inhiaſſe: Joannem Brennenſem olim Regem Hieroſolymitanum in eum armaſſe, extortiſque a præſulibus pecuniis auxiſſe: ſe eo cognito conceptoque dolore ſuppreſſo inducias pepigiſſe cum Sarracenis, reditumque præcipitaſſe: ditionem ſuam a pontificiis vaſtatam occupatamque reperiſſe; ac juſte in illos commotum, qui ejus pro amplificanda Chriſti gloria conſilia diſturbaſſent, animadvertiſſe, omniaque in priſtinum ſtatum reſtituiſſe: illum eſſe odiorum fomitem, e quo tantum incendium erupiſſet. Sed quot & quantis mendaciis hæc impudenter ſubornata quis non videat, ſi modo quæ ſuperius inſinuavimus, ſecum animo agitarit? Scilicet ob amplificatam Eccleſiæ gloriam invidia afflatus Pontifex in eum conſurrexit, cum ille Eccleſiæ Chriſtique gloriam deſerta ejus cauſa obtriviſſet, Sarracenicæ ſuperſtitioni templum Domini ſacrilege proſtituiſſet, Chriſtianæ rei exitiales inducias pepigiſſet, ob quas a patriarcha meruerat cenſuris percelli.

XXI. Proſcindit conviciis.

Nec minus abhorrent a veritate, quæ variis fucis colorata ſcripſit in iis literis, quibus Chriſtianos principes ab Eccleſiæ obſequiis abducere meditatus eſt. Carpebat illum, ob adeptam pontificiam dignitatem ſuperbia elatum, ex amico in hoſtem deſciviſſe: ſibi innumeras inſidias conflaſſe: morbo laboranti profectionis differendæ moram immaniter denegaſſe; ſuſceptaque expeditione literas ad ſoldanum, ne ereptas terras reſtitueret, ſcripſiſſe: decimas corradere, non ad ferendam Terræ ſanctæ opem, ſed ut in ſuos uſus eas converteret: Inſubribus Imperii, perduellibus ſemper faviſſe: quoties ipſius judicio res Imperii, ſuaſque injurias permiſiſſet, toties circumventum fuiſſe: maximi denique principum intereſſe, ut non æquo animo inuſtam ſummo Chriſtianorum principi injuriam tolerarent, cum ipſorum dignitas in ejus cauſa laboraret: ac facile Reges & principes a Pontifice obtritum iri, ſi Imperatorem ſuæ mancipaſſet ſervituti.

XXII. Scribit adverſus calumnias Frid. apologiam Gregor.

Cum principis protervi facinus audiſſet Gregorius, ut calumnias refelleret, tum ut adverſus ſparſum virus antidotum pararet, ſupremam enim Pontifici in ſacra auctoritatem & conceſſum Petro clavium jus carpſerat; literas alias ad univerſos principes exaravit, quibus Friderici in Eccleſiam, a qua educatus fuerat, a qua contra hoſtes ferociſſimos materna ſolicitudine defenſus fuerat, a qua regnum Siciliæ fiduciario jure receperat, a qua Imperium fuerat eblanditus; ingratum animum, commiſſa ſcelera, illatas eccleſiaſticis injurias, præſules ſuis ſedibus pulſos, impoſita populis immania onera ac tributa, Sarracenos apud ipſum florere gratia, eccleſiarum bona direpta, expeditionem ſacram pravis artibus diſturbatam, auxilia Imperio Conſtantinopolitano intercluſa, deſertam Terræ ſanctæ defenſionem, occupata eccleſiaſtica jura, ereptam Ferrariam, Sardiniam invaſam, excitatam ſubornatis Romanis contra ſe perſecutionem, aliaque facinora ante omnium oculos poſuit (*a*) quæ vero Fridericus contra Gregorii dignitatem, ut eam obſcuraret, temere jactaverat, ita demiſſione Chriſtiana refregit:

(a) Lib. 13. pag. 150.

*Fatemur nos defectu meritorum noſtrorum indigne Chriſti eſſe vicarium: fatemur nos oneri tanto inſufficientes exiſtere, quod humana conditio non poteſt abſque divino ſuffragio ſupportare; nihilominus tamen vices nobis commiſſas, prout melius noſtra permittit fragilitas, exequentes ſecundum quod locorum, temporum, perſonarum & negotiorum qualitas & natura requirunt diſponenda diſponimus, & cum excellentibus perſonis pure & ſecundum Deum, cum neceſſitas, id expoſcit, de noſtræ poteſtatis plenitudine diſpenſamus.*

XXIII. Comminatur Frid. Rom. Eccleſ. evertere.

Adjunxit calumniis Fridericus atroces minas, quas auctor vitæ Gregorii eleganter deſcribit: *Interim autem ebulliens ſerpentis aſtutia venena prodebat in publicum in Chriſti vicarium, & fratres venerabiles Cardinales, ac ejus ſanguinis proximos eorum ſanguinis effuſionem ſuſpirans, ſicut ipſius literæ atteſtabantur eiſdem Cardinalibus & populo Romano tranſmiſſæ; quæ præter comminata ſupplicia, & grave famæ diſpendium, & perſonarum ſedis Apoſtolicæ diſſidium ſapiebant, ſi tamen contra famam patris laudabilis filius admittatur infamis.* Et infra: *Et quidem terroribus terrores innectit, vias quærit, conſilia diſcutit, congeſtis undique ſumptibus præmunitur, ut dominam gentium Chriſti ſponſam conſtitutam ſuper gentes & regna ſuis detrahat conatibus in ruinam, confundat proſtitutionis injuria, & ponat ſervitutis opprobrio deſolatam. Comminatur aperte ſanctum dare canibus;* id eſt Sarracenis, quorum ingentes copias furoris ſtrenuos adminiſtros ſibi allegerat, *& venerandam principis Apoſtolorum baſilicam in præſepe deducere jumentorum; ſacroſanctum altare ſupra corpus Apoſtoli mirifice collocatum equorum uſibus poſiturus.*

Sacra omnia prophanare.

XXIV. Chriſti vicarium ad extremam egeſtatem & ignominiam redigere.

*Quin etiam Eccleſiæ Principem in illam immergere gloriatur egeſtatis injuriam, ut cinerem pro corona ſuſcipiat, ſpicas pro pane vellicet, & pro equorum candidata gloria cogatur quærere ſubjugale; in illum nihilominus eas producturus vindictas, quibus in primos erumpentis Eccleſiæ filios gentilitatis tempore Cæſares uti ſolent. Qui ſi beneficia recepta recoleret, ſi matris affectum appenderet in ſtatera, quæ ipſius propitiata profectibus terram ſibi pacabat & maria, nec emergebat obſtaculum, quod non Eccleſiæ ſubſidio tolleretur; nec unquam repulſam gratiæ pertulit ejuſdem petitio, quæ comitem juſtitiam habuiſſet, ac poſtmodum pupillum de quærentium manibus provida tutrix eripiens, Siciliæ regnum a multorum tyrannide præſertim Othonis Imperatoris potentiſſimi aggreſſione ſervavit, quo ipſius intuitu per legatum ſedis Apoſtolicæ ejecto cum laboribus atque impenſis innumeris ad Imperii provexit faſtigium jam adultum: cui tandem de plenitudine gratiæ feliciſſimum regnum Hieroſolymitanum adjecit, ea intentione dumtaxat, ut regnum integraretur in ipſo, & idem magnificentior effectus in regno, eo devotior cum gratiæ & retributionis obſequio redderetur, quo de ſola ſedis Apoſtolicæ dextera majora ſuſceperat incrementa: ſed ſic conſcius erumpens in regulum, & idem magnificentior effectus, cumulatis viribus properat vexare foventem: hujuſmodi fructus mortiferos cultoris operoſis laboribus planta venenata producit: ſic nutritus ſerpens in gremio recompenſat, hæc matri filius, hæc pupillus retribuit pro tutela; minus prudenter examinans, quod Cham pudenda patris fecere maledictionis heredem, & Abſalonem in patris ſolium aſpirantem vindex quercus ſuſpendio vili peremit. Videat igitur ſubditus: attendat amicus: hic parvulus inſtruatur & magnus. Quid de tali ſperari debeat, de quo mater cogitur deſperare? Quid ab illo fidei, quid retributionis alienus expectet, qui Deo fidem, fidelitatem Domino non attendens affectum patri promotori vicem tam triſti viciſſitudine recompenſat?*

Ingratus illius erga ſedem Ap. animus.

XXV. Comminiſcitur hæreſes.

Superioribus calumniis, ac minis atrocibus ad evertendam auctoritatem pontificiam impia dogmata adjecit. Negavit in primis ea Romanum Pontificem valere auctoritate, ut ipſum ab Eccleſia poſſet depellere; atque in eam audaciam prorupit, ut ſacramenta magno ſacrilegio ſibi anathemate defixo ad impietatis oſtentationem porrigi juberet; de quo hæc graviſſime memoratus auctor in eum intorſit: *Quis non dicat hæreticum ſedis Apoſtolicæ ſubverſorem?. Cum enim ſacroſanctæ ſedis antiſtitem ſanctum aſſerant ſacratiſſimæ ſanctiones, pœnam meretur ſacrilegii de tantæ ſedis potentia diſputare.* Et infra: *Eccleſiæ claves quas Chriſti ſucceſſoribus in Petro conceſſit, ſic ille temerarius Fredericus infringit, ut excommunicatione contempta, ſacratiſſimum Chriſti corpus, quod nec ſano devotio, nec ægro neceſſitas ſuadebat, nunc de corpore præciſus Eccleſiæ aſſumit, ſacrilegus, & divina myſteria, quæ prius, ut non vocem incantantis audiret, concluſis auribus fugiebat, probibitus frequentare præſumit ore polluto, proteſtans nullam ligandi atque ſolvendi datam poteſtatem Chriſti vicario.*

Convellit pontificiam auctoritatem.

XXVI. Cum hæc & alia ad quæ Chriſtianæ aures horrent tam adverſus Chriſti vicarium quam Dominum majeſtatis Fridericus evomeret, Pontifex ut adverſus venena antidotum pararet ſcriptis ad omnes præſules, Reges ac principes Chriſtianos literis (*a*) execrandas illius hæreſes in lucem produxit, ut citius eliderentur.

(*a*) *Lib* 13. *pag.* 150. *& ſeq. extant apud Pariſ.*

*Gregorius, &c.*

*Unum eſt de quo, etſi pro homine perdito ſit dolendum, lætari non modicum, & Deo regratiari debetis, quod volente Domino, qui diutius occultari non patitur umbram mortis, iſte qui gaudet ſe nominari præambulum antichriſti, non expectans propinquum ſuæ confuſioni judicium, manibus propriis effoſſo ſuarum abominationum pariete per dictas literas ejus ſuarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis conſtanter proponens, quod per nos tanquam Chriſti vicarium vinculo excommunicationis aſtringi non potuit. Sicque affirmans non eſſe apud Eccleſiam a Domino beato Petro, & ejus ſucceſſoribus ligandi, atque ſolvendi traditam poteſtatem, dum hæreſim aſſerit, proprio ſibi argumento concludit, conſequenter oſtendens, quod male ſentiat de cæteris fidei orthodoxæ articulis, dum Eccleſiæ, ſuper quam fides fundata conſiſtit, auferre nititur conceſſum verbo Dei privilegium poteſtatis.*

Horrendas blaſphemas voces in Chriſtianam fidem effutit.

*Sed quia minus bene ab aliquibus credi poſſet, quod ſe verbis illaqueaverit oris ſui, probationes in fidei victoriam ſunt paratæ, quod iſte Rex peſtilentiæ, a tribus baratatoribus, ut ejus verbis utamur, ſcilicet Chriſto Jeſu, Moyſe, & Mahometo totum mundum fuiſſe deceptum, & duobus eorum in gloria mortuis, ipſum Jeſum in ligno ſuſpenſum manifeſte proponens. Inſuper dilucida voce affirmari, vel potius mentiri præſumpſit, quod omnes fatui ſunt, qui credunt naſci de Virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia potuiſſe; hanc hæreſim illo errore confirmans, quod nullus naſci potuit, cujus conceptum viri & mulieris conjunctio non præceſſit: & homo nihil debet aliud credere, niſi quod poteſt vi & ratione naturæ probare.*

Meditatur in eum Pontifex inquiſitionem exercere.

*Hæc & alia multa, quibus verbis & factis catholicam fidem impugnavit & impugnat, ſuo loco & tempore, ſicut decet & expedit, manifeſte poterunt comprobari. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente in virtute obedientiæ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo, quatenus ne dictus Fridericus corda fidelium fallacibus verbis ſubvertere, vel contagione ſua poſſit quomodolibet gregem Dominicum maculare, clero & populo vobis ſubditis ſupradicta plene, ac fideliter exponatis. Dat. Later. kal. julii pont. noſtri an.* XIII. Blaſphemas illas Friderici voces ac nefandam hæreſim indicare videtur hiſtoriæ Lantgraviorum Thuringiæ auctor, (*b*) dum in conventu Francofordienſi, in quo Conradus Rex Romanorum ſalutatus eſt, dæmonis inſtinctu afflatum blaſphema in Deum atque Eccleſiam evomuiſſe ait, quibus ingenti horrore principum aſtantium perfuſi animi fuerunt: quamvis auctor in ſerie temporum aſſignanda non parum hallucinetur.

(*b*) *Hiſt. Lantgr. Thur. c.* 50.

XXVII. Divinæ exemplum juſtitiæ in magiſt. Pariſ. qui ſimilia ac Frid. evomuerat.

At ſi æternum numen illam injuriam ab impio principe ob arcana ſed juſta conſilia, quæ homines latent, clementia ſua diſſimulare aliquandiu viſus ſit, non ita doctorem Pariſienſem ſimiles blaſphemas voces impune effundere paſſus eſt. Cum enim ille in publico conſeſſu auditoribus ſuis conceptum animi virus afflaret, repentino morbo percuſſus terræ alliſus eſt, ac poſt tres dies, pœnitentiæ ſigno nullo dato, impuram animam efflavit. Rem geſtam narrat Thomas Cantipratenſis (*c*): *Quam vera & quam efficax ſit illa ſententia Iſaiæ: Confundentur omnes plectentes & texentes ſubtilia; exemplo evidentiſſimo ſub noſtro fere tempore videamus (d). Magiſter Simon de Tornaco Pariſiis in theologia regebat & erat excellens ille ſuo tempore: ſed contra decentiam talis officii ſupra modum incontinens & ſuperbus: hic cum ſuper omnes doctores civitatis auditores haberet, & in ſchola coram omnibus de humilitate altiſſimæ doctrinæ Chriſti quæſtionem, diſputatione præhabita, terminaret, in fine tandem datus in reprobum ſenſum in execranda contra Chriſtum blaſphemiæ verba prorupit. Tres ſunt, inquit, qui mundum ſectis ſuis & dogmatibus ſubjugarant; Moyſes, Jeſus, & Mahometus: Moyſes primo Judaicum populum infatuavit. Secundo Jeſus Chriſtus a ſuo nomine Chriſtianos. Tertio Gentilem populum Mahometus. Nec mora everſis oculis pro humana voce mugitum emiſit, & epilepſia ſtatim eliſus in terram die tertio ejuſdem morbi vindictam accepit. Plaga ergo inſanabili eum percuſſit Omnipotens, & omni ſcientia uſque ad prima literarum elementa privavit, & graviori quidem in anima cum hac plaga percuſſus eſt: cum uſque in diem mortis ſuæ quaſi mutus comparatus eſt jumentis inſipientibus, & in luxuriæ fœditate permanſit. Et vide ſupremæ admirationis miraculum, Aleydem fornicariam concubinam ſuam nominare poterat & ſciebat, Boethium vero de Trinitate, qui juxta eum ad ſpectaculum ponebatur; quem olim corde tenus ſcierat, poſt inditam plagam nec nominare noverat, nec valebat.*

(*c*) *Cantip. l.*2. *c.*48. *n.*5.

(*d*) *Iſai. c.* 19.

XXVIII. A quibus hauſerit ea venena Frid.

Deteſtandam porro illam hæreſim a ſchiſmaticis & Sarracenis, quos in intimam familiaritatem admiſerat, hauſiſſe Fridericum ſcribit vitæ Gregorii auctor: *Hoc quidem ipſe de Græcorum atque Arabum converſatione ſuſcepit, qui cuncta ejus*





*applicanda dominio ex conſtellationibus mentientes in illum immerſere gentilitatis errorem, ut homo reprobatus a Domino jam ſe Deum in hominis ſpecie ſuſpicetur, aperta aſſertione proponens tres truffatores in eluſionem hominum proceſſiſſe.* Blaſphemas voces, quas a Friderico jactatas ex Pontifice accepimus, refert ſubditque: *Cum eos*, de Chriſto domino, propheta Moyſe, & impio Mahometo loquitur, *genere, prudentia, & viribus & honore præcedere proteſtatur publice, qui nationes varias deceptionibus traxere diverſis, facile reputat novis ritibus eos ſuperare, alteram in cumulum erroris adiiciens Apoſtolicæ ſedis, truſam ab hominibus mundi ſimplicibus toleratam ſua ſuperſtitione demere. His munimentis defenſor fidei fidem impugnaturus armatur: his Chriſtianus princeps principiis dogmatizat.*

Illius adulatores ſpargunt futilia oracula.

Corruptum ſane adeo aſſentatorum blanditiis, adeo inanibus ariolorum & aſtrologorum præſagiis irretiri ſe paſſum, ut univerſum orbem ſe domiturum Imperium Romanum priſtinæ reſtituturum amplitudini ac dignitati, Urbem Pontifice ſubacto everſurum crederet: indicant tum temporis ſparſa plura falſa vaticinia atque inania oracula a Frederici adulatoribus conficta, inter quæ hoc impium epigramma, ut ferunt auctores, (*a*) in pontificium cubiculum injectum eſt.

(*a*) *Par. hiſt. Angl. aliique.* Confictum jactantia plenum epigramma.

*Fata docent, ſtellæque monent, aviumque volatus*
*Totius mundi malleus unus erit.*
*Roma diu titubans variis erroribus acta*
*Totius mundi deſinet eſſe caput.*

Quibus Pontifex lectis, ad retundendam vani principis audaciam, hoc graviſſimum diſtichon retorſit.

Retorquetur gravi diſticho a Pontifice.

*Fama refert, ſcripturæ docet, peccata loquuntur,*
*Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.*

XXIX. Divinæ vindictæ exemplum in nonnullos Fridericianos.

Nec impietate Friderico ceſſere veſani nonnulli illius ſectatores, qui in gentilium errores prolapſi divinitatem terreni Imperatoris majeſtate metiri videbantur: quorum nonnulli Romæ reperti ea labe inquinati; ſed brevi divinum in eos numen cœleſtem vindictam exercuit. Cum enim in feſti aſſumptæ in cœlum Virginis pervigilio Salvatoris imago per Urbem ex antiquo more circumlata eſſet, atque in atrio eccleſiæ S. Mariæ reponeretur, Fridericianis quaſi nullum alium ſervatorem quam Imperatorem adorarent, blaſphemas voces evomentibus, ſubito illa turris, cujus ſe præſidio fultos putabant atque in Eccleſiam tyrannidem exercere moliebantur, concuſſa corruit, ac blaſphemos ſua mole attrivit. Tantum prodigium divinæ ultionis anonymus vitæ Gregorii ſcriptor enarrat: *Adhuc autem ſpirans minarum & cædis*, nimirum Fridericus, *turrim dicti Petri frangibilis Frangipanis, cujus potentia Petri credebat humiliare primatum, ſumptibus propriis refici procuravit. Verum cum ſummum Pontificem apud Anagniam æſtate media clementior aura ſuſciperet, Romanus populus in aſſumptionis glorioſæ Virginis vigilia Salvatoris imaginem per Urbis vicos ex antiqua conſuetudine deduxit: quæ dum in atrio poneretur eccleſiæ, quæ S. Maria nova vocatur, quaſi quietis beneficium receptura, blaſphemis quibuſdam conductis Friderici prædicti ſacrilega voce clamantibus: Ecce ſalvator, veniat Imperator; turris in ignominiam ſponſæ Chriſti de ſanguine pauperum & lacrymis viduarum e vicinio erecta, mox everſa funditus blaſphemantium multitudinem judicio divinæ ultionis oppreſſit, ut quaſi non ſuſtinens Salvatoris injuriam inſenſibilis creatura, creatori de hoſtium vindicta ſerviret, & elementa muta cognoſcerent, quem rationale animal non cognovit; ac injuriam in ſuo ſuſceptam vicario Salvator ipſe tranſire non videretur inultam.*

Frangipania turris ſubito everſa blaſphemos obruit.

XXX. Excitata a Frid. in Eccleſiaſt. & religioſos perſecutio.

Edidit aliud numen juſtitiæ ſuæ in nefarium Friderici ſatellitem exemplum: namque cum tyrannus in omnes eccleſiaſticos, ac religioſos viros regni Siciliæ, quos partim exilio, partim vectigalibus mulctabat, ac depellebat eccleſiis, quas expilabat & prophanabat, crudeliſſimam perſecutionem excitaſſet, Caſſinenſe monaſterium, ejectis pene omnibus viris religioſis, facinoroſorum hominum præſidio occupatum eſt, quorum unus, cum poſt patrata multa ſacrilegia monachum tranſeuntem urina proluiſſet: mox horrenda lepra percuſſus eſt: *Nobile monaſterium Caſſinenſe; quod Eccleſiæ Romanæ nullo mediante ſubjectum, ut ipſius fundatio & Apoſtolicæ ſedis oſtendit archivium; cujus etiam ſunt ædificia per Victorem ſedis Apoſtolicæ Pontificem opere decoro conſtructa, in quo venerabile corpus beatiſſimi Benedicti quieſcit: in illum caſum ignobilitatis adduxit, ut caſtris, vaſſallis & poſſeſſionibus ſpoliatum contra munifica ſedis Apoſtolicæ privilegia, & multorum Imperatorum indulta ſingulari præeminentia libertate, taliter vendicare præſumens; ipſum monaſterium inter monaſteria cætera dignitate ac immunitate ſublimius, venerando monachorum depulſo collegio, prædonum contagiis deputavit; per quod felix illa religio, quam legione depulſa dæmonum pater beatus ibidem inſtituit, in ordinis contumeliam relegata in ſæculares abuſus commutare cogitur obſervantias regulares: aurea vero & argentea vaſa lo-*

Caſſinenſe monaſterium ab eo occupatum.

Patrata in illo immania ſacrilegia.

*ci ejuſdem miniſterio altaris addicta in vaſa ventris officium procurantia conflavit manu ſacrilega, ſacra veſtimenta prædatus. Ejuſdem quoque ſatanæ ſatellites & principis execrandi miniſtri tantæ verecundiæ templum inquinamentis variis prophanantes, pro ſolitis aromatibus incenſorum ibidem offerunt fœtida lenocinia mulierum ſanctum Dei proſtibulum ſtatuentes; matutinas & laudes in præconia Cæſaris & hymnum evangelicum in laſciviæ canticum commutando. Quorum unus excubiis murorum inſiſtens, ſpiritu nequiori correptus, monachum quendam ibidem quaſi racemum poſt vindemiam derelictum, ſub ipſius cuſtodis habitu impræviſis paſſibus incedentem, urinæ profluvio impudice perfudit: qui ſtatim poſt monachi lacrymas, & Benedicti præſidium imploratum, ille toto corpore gravi lepra percutitur, ut corporis miſerabilis membra veluti elimato percuſſa gladio profundatis ulceribus conſcinderentur in fruſta, ſic quod vix multorum vehiculo apponi potuit conſortio leproſorum.*

Impius miles ob effuſam in virum religioſum urinam lepra percuſſus divinitus.

XXXI. (a) Rich. in chr. hoc ann. Tyrannicæ Frid. leges in odium Pontificis latæ.

De Caſſinenſibus monachis aliis poſt alios depulſis agit Richardus (a) qui de miſera eccleſiaſticorum conditione, ac ſervitute, ſub qua tunc luxere, hæc habet: *Eodem tempore*, nimirum menſe junii hujus anni, *ſubſcripta capitula edita ſunt in regno, quæ pro parte imperiali obſervari jubentur: in primis ut fratres Prædicatores & Minores, qui ſunt oriundi de terris infidelium Lombardiæ expellantur de regno, & ab aliis habeatur cautela, quod non offendant Imperatorem: idem fiat de aliis perſonis religioſis.* Et infra: *Item a cathedralibus eccleſiis per ſe exigatur, & imponatur pro imperiali curia adjutorium ſecundum modum & potentiam divitiarum ſuarum: nihilominus & a canonicis earum diœceſum ſibi ſubditis, presbyteris & clericis ſecundum facultates eorum illud idem exigatur ab abbatibus nigris & albis. Item quod hi qui ſunt in Romana curia, præter excluſos & ſuſpectos, revertantur in regnum: ſin autem eorum bona infiſcentur, nec permittantur poſt citationem reverti. Excipiuntur qui ſunt cum Cardinali Thoma & cum Joanne de Capua notario Papæ. Item illorum clericorum, qui de regno non ſunt, bona & beneficia quæ habent in regno, infiſcanda ſunt. Item quod nulli permittatur ad Romanam Eccleſiam accedere ſine ſpeciali mandato magiſtri juſticiarii, & qui acceſſerint, non permittantur exire ſine mandato curiæ.*

XXXII. Crudelitas Friderici. (b) Ext. apud Bullar. in Greg. IX.

Inflicta ſunt eccleſiis innumera mala iniquarum legum prætextu: nec eo ſe Fridericianus furor continuit; ſed viros principes, qui ipſius nefarios nutus non ſequerentur, proſcripſit, quam nefandam tyrannidem ita deſcribit (b) Gregorius: *Decorem ipſius Imperii & honorem principum Imperii lege contempta & principum privilegio cancellato, quoſdam de ipſorum majoribus, quod actibus ſuis illicitis conſentire renuunt, incarcerando, proſcribendo, & proditoriæ necis gladio feriendo, ac paganorum, qui aſſaſſini vocantur (quod inauditum eſt de quolibet principe Chriſtiano) gladiis exponendo deturpat. Nonnullos epiſcopos præcones Chriſti, rectores fidei, paſtores ovium, medicos languentium animarum, ſpoliatis bonis eccleſiaſticis & mundanis de regno, quod eſt B. Petri patrimonium ſpeciale, aliiſque terris Imperio Romano ſubjectis, proſcriptione damnabili exulare compellit: ſacroſanctas eccleſias ſacrilega temeritate prophanans, religioſos quorum unum de ordine fratrum Minorum abſque juris ordine & debita cauſæ cognitione horribili crudelitate combuſſit; pupillos, orphanos, pauperes, & viduas tegmine vili nudatos quaſi ſublatis deſuper carnibus exoſſavit.*

In principes Imperii eccleſ. ſtudioſos. In præſules.

In Minoritam ira præcipiti exuri juſſum. Rapinæ in omnes.

XXXIII. Bellum Gregorio movet.

Ita ille divitum opes diripiebat, præſidio deſtitutos ſpoliabat, pauperum ſudores ac ſanguinem exſugebat, eccleſias expilabat, ut infideles ſtipendiorum magnitudine ad eccleſiarum principem quatiendam allicerentur; de quo hæc graviter vitæ Gregorii anonymus auctor: *Occupare patrimonium tentat*, de Friderico loquitur, *quod tenetur defendere juramento, aurum ſolvit, appendit argentum, nationes invitat, ut petram evertant Eccleſiæ, quam Dominus poſuit;* hæc ille. Immiſiſſe vero menſe ſeptembri in Picenum Entium filium cum exercitu tradit Richardus his verbis: *Henricus Rex Gallureæ naturalis filius Imperatoris in marchiam Anconitanam venit, contra quem mittitur a Gregorio Papa Joannes de Columna Card.* Addit auctor Gregorium Anagnia Romam reverſum magnificentiſſimeque exceptum a Romanis in octavis B. Martini: Entium & omnes ipſius partibus implicitos ob factam in ditionem pontificiam irruptionem anathemate percuſiſſe.

Patrimonium occupare tentat.

Entium in Marchiam immittit. Jo. Colum. Car. illi cum exerc. oppoſitus. Greg. Entium ferit anathemate.

XXXIV. Quæ geſſerit in Long. Frid. Flammis delet Crepacorium.

Deſcribit idem auctor alia Friderici bella contra Inſubres: cepiſſe menſe julio in epiſcopatu Bononienſi Plumacium flammiſque deleviſſe, ac pervigilio aſſumptionis Deiparæ in eodem epiſcopatu oppidum, cui Crepacor nomen eſt, exuſſiſſe revocatumque ab Inſubriæ præfectis & urbibus, quæ partibus ipſius ſtudebant, in Mediolanenſem agrum irrupiſſe: ſed Mediolanenſes inſtructis agminibus ipſi obvios factos ejus conatus retardaſſe, ac menſe ſeptembri & octobri non modica vaſtitate illata ad populandum pontem Placentiæ procurriſſe. Cumque inde diſceſſiſſet, Bononienſes, qui in Mutinenſes Fridericianarum partium duxerant, ab Simone comite Theatino & Parmenſibus fuſos fugatoſque, nonnullis eorum cæſis aut præterfluenti amne ſubmerſis: quam etiam Bononienſium cladem fuſius deſcribit Pariſius (a). Sed non ita Fridericum damna intuliſſe hoſtibus, ut viciſſim magna non acceperit, ex Gregorii geſtorum auctore (b) colligitur, qui Mediolanenſes ad duodecim milliaria extra civitatis mœnia erupiſſe, ac de legati præſidio, Gregorii nimirum e monte Longo, de quo plurimum Fridericus in literis (c), Inſubres ab ipſo confirmatos; cumque antea nuncii titulo affectus eſſet, legati dignitate auctum fuiſſe queritur, favorem juſtitiæ conſecutos ait, ſubditque de Friderico a Mediolanenſibus propulſato: *Pontem Placentiæ aſcendit, ubi tandem fluminis creſcentis alluvio Placentinorum artificio præparata; & ponti tutelam & fugam præbuit hoſtibus non abſque gravi exercitus incommodo & perſonarum excidio. Sicque conſumptis opibus, exhauſtis loculis, & non paucis ex omni natione amicis fatigatis juramento, quod in Lombardiam rediret ſequenti majo, non ſervato, in ſua confuſus ſuperbia terga præbuit hoſtibus, Tuſciam quaſi fugitivus ingreſſus eſt; & ad Piſanam civitatem ſe curſu valentiſſimo conferens, in die nativitatis Dominicæ in civitate ipſa cum ex ſui præſentia, tum ex cauſis aliis ſuppoſita interdicto, civibus de tanta præſumptione ſtupentibus in majori eccleſia per ſuos apoſtatas publice fecit prophanari divina in Eccleſiæ ſacroſanctæ convitium, ſua retexens eloquia imperiali modeſtia reformata.*

Bononienſes fundit.

(a) Par. hiſt. Angl.

(b) Greg. vit. auct. anonym. Propulſatur a Mediolanen. (c) Ext. apud Petr. e Vin. & Par. hiſt. Angl. Placentini derivant in illius caſtra flumen.

Confert ſe in Hetruriam.

Piſis feſto Nat. Domini die prophanat divina.

XXXV. (d) Ext. ejus literæ in Bullar. Latæ in eum ob interdictum violatum pœnæ. (e) Ext. aliæ ejus lit. ibid.

Diſtrinxerat (d) in Fridericum VIII. kalend. octob. ob violatum interdictum eccleſiaſticæ ſeveritatis Gregorius, ac principum & populorum officiis indignum cenſuerat: quos etiam ſub debito fidei Chriſtianæ, quo tenebantur domino Jeſu Chriſto, conſilio vel opera ipſi adeſſe vetuerat; ac præſulibus Germanis partes impoſuerat eos, qui illi ſtuderent, anathemate percellerent. Quam ſententiam IX. kal. decemb. renovavit, (e) atque Alberto archidiacono Patavienſi & Philippo Aſſinati nuntio Apoſtolico in Germania munus commiſit, ut archiepiſcopos atque epiſcopos ad promulgandam latam in Fridericum ſententiam, ejuſque ſtudioſos anathemate comprimendos adigerent. Verum epiſcopos Theutonicos parere Pontifici diſtuliſſe, contendiſſeque precibus, ne ad vibratas in Fridericum cenſuras promulgandas cogerentur, refert Stadenſis. (f) Ex quibus patriarcha Aquilejenſis ab officii religione turpiſſime deflexit, quem adeo perſtrinxit Gregorius non modo latam ab Apoſtolica ſede in Fridericum anathematis ſententiam in publica hominum frequentia, ut juſſus fuerat, non propoſuiſſe, (g) verum clavium B. Petri contempto jure tum in divinis, tum in oſculo, ac menſa illum in communionem admiſiſſe (h): eam tamen illi gratiam pro ſummo, quo Belam & Colomanum Reges ipſius nepotes ſtudio proſequebatur, eſt impertitus, ut cum primum iter ad ſedem Apoſtolicam arripere inſtituiſſet, a Caſtellano epiſcopo, cui ea de re mittebat literas, cœtui fidelium reſtitui poſſet.

(f) Stad. in chron.

Negligunt Ger. præſules cenſuras in Frider. promulgare. (g) Lib. 13. ep. 18. Aquilejen. patriarch. cum Frid. communicat. (h) Ib. ep. 180.

XXXVI. Corripitur a Pontifice (i) Ep. 74. Arguit Theutonicos equites Hoſp. ſtudere Friderico. Helias Minorit. exauctoratus Pontificis odio deficit ad Frid. (k) Rich. in chr.

Ad revocandos pariter ad officium religioſos equites domus S. Mariæ Theutonicorum, qui Friderici partes erant amplexi, juſtiſſimas illis minas incuſſit (i) ſi in tyranni obſequio perſtarent, omnia privilegia iis conceſſa reſciſſurum. Turpiſſimum ſane Eccleſiam tum eos adverſarios paſſam, qui ingentibus ab ea beneficiis erant affecti; atque ob pietatis, cui ſe manciparant, publicam profeſſionem illius defendendo honori addictiſſimi eſſe debuiſſent: quam fœdiſſimam maculam ſuſcepit Helias ſupremus Minoritarum magiſter, vir ambitione tumidus, atque ab inſtituta a S. Franciſco diſciplina abhorrens; de quo hæc Richardus (k): *Frater Helias qui in eccleſia S. Franciſci apud Aſſiſium magiſter ordinis fratrum Minorum extiterat, pro eo quod apud Gregorium Papam delatus a fratribus, quod male adminiſtraſſet, eum Papa ab adminiſtratione removit, in odium Papæ Imperatori adhæſit.*

XXXVII (l) Monach. Pad. chr. l. 1. Ravenna a Venetis erepta. Tarviſium ab Alberico e Rom. occupatum.

Defecere (l) contra alii ab Friderico, ut Ravennates, [1] quorum urbem Veneti præſidiario milite munitam defendendam ſuſceperunt: tum Guecillus e Camino, atque Albericus e Romano coitione facta Tarviſium, depulſo Jacobo e Mora Friderici præfecto, occuparunt; ob quam defectionem Ezelinus Alberici frater, cujus conſilia Fridericum in omnibus ſecutum ait monachus Patavinus, atque Alberici filiam in fidei pignus ſuadente ipſo accepiſſe exæſtuans ira, & avaritia Tarviſinæ eccleſiæ ditionem & arces invaſit: qua de re epiſcopus cum apud ſedem Apoſtolicam queſtus eſſet, Gregorius hæc ad Caſtellanum epiſcopum ſcripſit: *Sicut venerabilis frater noſter epiſcopus Tarviſinus ſua nobis * conqueſtione Ezelinus de Romano Dei & Eccleſiæ inimicus Aſyli & mon-*

Ezelinus Tarviſinæ eccl. ditionem invadit.

* Inſinuavit

NOTÆ [1] QUamquam Ravennates hoc anno a Friderico deſciverunt, ut in annalibus hic traditur, ſequenti tamen anno recipere ejus imperium coacti ſunt. Teſte enim Pariſio de Cereta authore Veronenſis chronici anno 1240. menſe auguſti: *Imperator obſedit civitatem Ravennæ, & XXII. auguſti ipſam civitatem obtinuit.* MANSI

Jubetur cenſuris ni ea reſtituerit defigi.

*montis Belunenſis caſtra, arcem Braidem, roccamque Cornutæ, necnon villas, curias, poſſeſſiones, & alia jura eccleſiæ Terviſinenſis ſpreto fidelitatis juramento, quo tenetur eidem, per violentiam occupavit, & ea occupata detinet, ac reſtituere contradicit: quocirca mandamus quatenus, &c.* Partes imponit, ut Ezelinum ſi ablata reſtituere detrectet anathemate feriat. *Dat. Later.* XII. *kal. decemb. anno* XIII. Ut tyrannum novarum pœnarum acerbitate percelleret, illum vectigalibus, agris, ac ditione, quam fiduciario jure a Tarviſino epiſcopo acceperat, apoſtolica ſententia mulctavit (*a*). Sprevit Ezelinus pontificia imperia, atque Italiam diuturnis cladibus attrivit: de quo plura ſuis locis dicenda erunt.

(*a*) *Lib.* 13. *ep.* 149. 150.

XXXVIII. Jacobus Card. mutato habitu in Gallias ad implorãda auxilia evadit.

Accenſo igitur bello in Italia inteſtino cum majorum terror impenderet, Pontifex ad elicienda ex occidente auxilia Jacobum epiſcopum Præneſtinum legatum miſit, qui ut Friderici tyrannidem, a quo antea itinere prohibitus fuerat, dum illi in Provincia adverſus Albigenſium reliquias legatio demandata erat, declinaret, peregrini cultum induit; de quo hæc Richardus (*b*): *Præneſtinus epiſc. legatus a Papa ad principes mittitur occidentis, qui ſpecie peregrini cum uno tantum ſocio per terram uſque Januam vadit, & in navigio transfretavit.* Meminit ejuſdem legationis Nangius (*c*) ac miſſum ait ut latum a Pontifice in Fridericum anathema in Galliis promulgaret, e rei exitu illius conſilium interpretatus. Solicitaſſe vero Gallos, ut in arma adverſus Fridericum proſilirent, nec obtinere potuiſſe ſcripſit (*d*) anno ſequenti ad Fridericum S. Ludovicus. [1]

(*b*) *Rich. in chron. hoc anno.*

(*c*) *Nangius in geſt. S. Lud.*

(*d*) *Ext. ea lit. apud Petr. e Vineis*

XXXIX. Promiſſum Roberto comiti Atreb. imperium ſi Gall. armis fultus Fridericum deiiceret.

Refert quoque Matthæus Pariſius (*e*) Pontificem ſcriptis literis Regi Francorum, ac regni proceribus ſignificaſſe Fridericum ob impia facinora e culmine Imperii dejectum, eamque dignitatem in Robertum comitem Regis fratrem ab Eccleſia transfuſum iri: proinde non ſegniter tantum opus ſuſciperet, cum non modo Romana, ſed etiam univerſalis Eccleſia ad id perficiendum ſtrenuam operam viresque ſuas eſſet collocatura: ſed Francos habitis comitiis publicis Friderici potentiam veritos, cum quo etiam fœdere conjunctiſſimi fuerant, tanto bello involvere ſe noluiſſe. [2] Hic Pariſius, aut ut veriſimile eſt quiſquis ille ſit, qui hæreſeos veneno imbutus pro innato contra Eccleſiam odio Pariſii opera corrupit, carpendi Pontificis occaſionem nactus, Francis, quos tum maxime ſedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimos ſub rege ſancto fuiſſe conſtat, contumelioſa in Pontificem verba affinxit: nec probabile eſt ipſos oblati Imperii honore cumulatos injurias rependiſſe; nec caret etiam fictionis ſuſpicione quod ſubdit jactaſſe ipſos Francorum Regem, quem ſanguinis claritas ſplendorque originis ad ſceptra Francorum efferret, cuivis Imperatori præcellere, quem libera electio ad ſolium proveheret, proinde Roberto ad omnium honorum cumulum tanti Regis fratrem eſſe ſufficere debere. Cum vero Fridericus ut horrenda infamis hæreſi, de qua ſuperius dictum eſt, traduceretur, Gallos explorandæ rei, ac tuendæ fidei zelo miſiſſe ad eum oratores, qui ipſi bellum denuntiarent, ſi hæreſeos nota, ut ferebatur, inuſtus eſſet, deque ipſius fide ac religione certiores fierent: at

(*e*) *Par. hiſt. Angl.*

Superbum reſponſum Gallis affictum a Pariſio.

NOTÆ [1] PRæter concilia hujus anni ex collectionibus nota, Turonenſe, cujus canones XIII. de diſciplina clericorum & monachorum habentur, & Sanquintinenſe, in quo violatoribus eccleſiaſticæ immunitatis a ſuffraganeis eccleſiæ Remenſis die XXVIII. novembris indictæ ſunt; præter hæc, inquam, alia etiam duo ignota collectoribus addenda ſunt nempe Tarraconenſe, de quo inferius ad A. 1256. & Moguntinum, de quo hæc prodiit coævus author chronici Erfordienſis: *Hoc anno VI. nonas julii in civitate Moguntina celebratum eſt concilium præſidente Cunrado rege imperatoris filio, ac ejuſdem ſedis archiepiſcopo cum IX. cæteris epiſcopis, in quo Epiſcopus Eiſtatenſis querelando miſerabiles exhibuit literas, in quibus continebatur, quoniam ſui miniſteriales ac cives Eiſtatenſes, jam fere per annum in excommunicatione manentes, diabolica atque hæretica præſumptione ipſum epiſcopum cum clero ſibi favente crudeliter expellendo abjeciſſent, & laicas perſonas in epiſcopum, præpoſitum, ac decanum elegiſſent, ac ejuſdem matricis eccleſiæ ſacriſtiam infringendo ſpoliaverint, & ipſorum errorem magnates & potentes quidam foventes, pernicioſe in malitia confortaverint, ac qualiter ſuos fautores, ſi deceſſerint, cum muſicis inſtrumentis ad ſepulturam conducendo, lætantes ſepeliant.* Si quis contenderit concilium iſtud ad ſequentem annum pertinere, ille facile me aſſentientem habebit, cum chronicon Erfordienſe per hos annos in notis chronologicis turbatum ſit, & dies VI. nonas Junii anno ſequenti inciderit in feriam II. qua plerumque concilia exordiebantur, hoc vero in ſabbatum, quæ dies raro conciliorum exordio aſſignabatur. MANSI

[2] QUæ hic in annalibus narrantur de imperio Roberto comiti oblato lucem accipiunt ex iis quæ narrat Albericus coævus hiſtoricus ad annum 1241. cujus verba in nota ad numerum 89. ejuſdem anni dabimus. Eo vero authore narrante diſcimus imperium primo quidem oblatum fuiſſe Abelii Valdemari II. regis Daniæ filio, quo recuſante tentatus fuit Otto dux Brunſvicenſis imperatoris Ottonis ex fratre nepos; eodemque demum ſe ſubducente, res declinavit in Robertum comitem, qui ab iis conſiliis opera, & ſuaſionibus matris revocatus fuit. MANSI



at Fridericum pium ſe finxiſſe & criminis labe, quo ſeſe nunquam inquinaſſet, ex odio a Gregorio aſpergi conqueſtum, iras evomere atque exercere in eum crudelius cœpiſſe.

XL. Suppeditata a Gallis Angliſque nonnulla Pont. auxilia.

Cæterum Gallicos præſules Jacobi legati opera magna e vectigalibus eccleſiaſticis ſtipendia Pontifici ad tolerandos in Fridericum belli ſumptus ſuppeditaſſe ſcribit, pariterque in Anglia clerum Othonis legati induſtria ac Regis conſiliis incitatum ingentia pro Gregorio ſubſidia coegiſſe, de quo etiam Fridericus plurimum in literis (*a*) ad Henricum queſtus eſt. Hiſpaniarum vero Reges quamvis eximie erga Romanam Eccleſiam affecti eſſent, continuis tamen Sarracenorum bellis impliciti ſtudia ſua epiſtolis tantum explicare potuerunt: e quibus Ferdinandus Caſtellæ Rex accepta Eccleſiæ & Imperii ex pontificiis literis diſſenſione, magno ſe dolore affectum ſignificavit Gregorio, atque oratorem ſolertem tranſmiſit, ut de redintegranda concordia ageret cum Friderico; ac literas amoris & obſervantiæ notis inſignes exaravit, (*b*) quæ licet in regeſto pontificio anni decimi quarti extent, non levibus tamen argumentis ad hunc annum ſpectare colliguntur.

(*a*) *Ext. apud Petr. e Vin. & Par.*

Ferd. Rex Caſtel. oratorem mittit pro redintegranda inter Pont. & Frid. concordia.

(*b*) *Ext. apud Greg. reg.* 14. *ep.* 38.

XLI. *Sanctiſſimo patri ac domino Gregorio, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, Ferdinandus Dei gratia Rex Caſtellæ, Toleti, Legionis, Galitiæ, & Cordubæ cum debito famulatu pedum oſcula beatorum.*

Inſignes obſervantiæ & amoris notis ad Pont. ejuſdem lit.

*Novit ille qui nihil ignorat, qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum, quod ſinceræ mentis deſiderio non minus devoto quam debito cor noſtrum ad honorem veſtrum æſtuat, & ad exaltationem aſpirat. Nec mirum quem conſtat in terris vicarium Jeſu Chriſti, & vices gerere veri Dei incrementum & gloriam ſedis Apoſtolicæ, progenitorum noſtrorum ſequendo veſtigia, quantum ſufficimus affectantes, quæ cunctis per orbem fidelibus ſacratiſſimum fidei pabulum abundanter erogat & ſapienter miniſtrat; per quam nos & univerſi Chriſti fideles, tam Reges quam alii, cœleſtis ſpei propinari nobis & credimus & deſideramus augumentum. Pro qua fide pugnamus & ſtamus adverſus inimicos ejuſdem hæreſes extirpando, & nos cæterorum inimicorum, qui errores ſuos armis contendunt defendere, inſultibus & conflictibus, non abſque gravi periculo corporaliter opponendo. Hæc igitur & quamplurima alia duriora, quæ non duximus literis committenda; tum quia longum eſſet, & ſuperfluum enarrare, tum etiam ne laudem propriam quærere videamur; pro Chriſti nomine dignum duximus ſuſtinenda, ut funiculus hereditatis Domini dilatetur, & honor piæ matris ſedis Apoſtolicæ per miniſterium noſtrum, etſi non optatum, vel debitum ſaltem aliquantulum ſuſcipiat incrementum. Nam ſi ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, quæ nos ſemper dilexit & fovit in viſceribus charitatis, & requiſita non ſolum propitiam, ſed promptam ſe exhibuit circa promotionem noſtram ſpecialium exuberantia gratiarum quamtumcunque ſincere diligimus, mercedem non credimus nos habere: immo etiam modicum reputamus, ſi eidem in ſuis neceſſitatibus aſſiſtamus & pro ea & perſonam & regna quibuſcunque diſcriminibus exponamus.*

*Sane multorum relatione didicimus, quod nobis poſtmodum papalis litera demonſtravit, Imperatorem in ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, quæ cum curioſa nutrivit & mirabiliter exaltavit, multipliciter deliquiſſe, & eam adeo ad iracundiam provocaſſe, quod opus fuit ut manu Domini tangeretur. Nunquid pati poteſt pia mater, & non compatitur filius? Nunquid dolet ſedes Apoſtolica, & exultare poteſt fidelis? Nunquid turbato capite membra vigere noſcuntur? Attamen quia non obliviſcitur miſereri Dominus, nec in ira miſericordiam continebit, ex quo ſemel cœpimus, loquemur parum ad Dominum de dubiis negotiorum eventibus magis anxii, quam de facto Imperatoris, quem quantum cum Domino poſſumus, multipliciter tenemur diligere; obtenta prius venia, & conceſſa licentia, ut manſuetudo patris pœnitentem recuperet filium, & Eccleſia ſuo non careret athleta, partes noſtras interponere curaremus.* XLII.

*Ad hoc autem competentius exequendum venerabilem, ac dilectum Vv. abbatem S. Facundi virum circumſpectæ providentiæ, & honeſtum, de quo propter ſuæ prærogativam honeſtatis plene confidimus; quem cum eſſet cauſa viſitandi Romanam Eccleſiam in itinere conſtitutus, ad nos revocavimus, deliberatione habita ad vos propter hoc & alia duximus deſtinandum, ut ſecuri de ejus honeſtate & induſtria eundem confidenter ad Imp. ex parte noſtra, ſi expedire videritis, vel ad nos etiam remittatis cum veſtræ in omnibus & per omnia beneplacito voluntatis: ipſe enim quod a ſanctitate veſtra injunctum ſibi fuerit, ſicut novimus & ſumus in pluribus jam experti, devote ac fideliter exequetur. Dat. Burgis* IV. *die decemb.*

Non minus pietatem ſingularem ſpirant Reginæ Berengariæ Ferdinandi matris literæ (*c*), quas ſingulari religionis ſenſu delibuta, ut ſuæ erga ſedem Apoſtolicam obſervantiæ indices ad Gregorium tranſmiſit. XLIII. Piæ ad Greg. Reginæ Berengariæ lit.

(*c*) *Ext. ib. ep.* 40.

*Sanctiſſimo patri ac domino Gregorio divina providentia ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ ſummo Pontifici Berengaria Dei gratia Regina Caſtellæ & Toleti, pedum oſcula beatorum cum reverentia filiali tam debita, quam devota.*

Pro

*Pro multiplici gratia, quam ex multa veſtræ exuberantia bonitatis ego & filius meus a ſanctitate veſtra tam ſæpe recepimus, nec petita multoties, ſed oblata, dignum ducens ad gratiarum ſaltem actiones aſſurgere, condigne nequeo, dum erga me & meos veſtram dignationem attendo; dum penſo veſtræ promptitudinem pietatis: quod quidem gratius mihi foret rebus efficere, quam verbis, aut literis declarare. Sed quia ad præſens, quod volo non valeo, non propter aliquem cordis defectum, aut rerum indigentiam mundanarum; ſed expectando potius veſtræ beneplacitum voluntatis, pro tot beneficiis grates interim reddo veſtræ magnitudini quantas poſſum, majeſtatem veſtram totis mentis affectibus implorando, ut juxta devotionis affectum, quam ego & filius meus erga vos ſemper habuimus & habemus, aliquid mihi dignetur innuere, quod veſtræ voluntati ſedeat: immo quicquid veſtræ placuerit ſanctitati, juxta veſtrum beneplacitum per omnia & in omnibus exequendum.*

XLIV. Illius erga Rom. Pont. obſervantia.

*Hoc autem apud benignitatem veſtram reticendum non credo, quod quia vobis non ſcribo frequentius, non ex minori devotione provenit, ſed propter verecundiam, quam contraxit ſexus femineus a natura, & reverentiam quæ debetur vicario Jeſu Chriſti; novit enim Dominus, quod dum mentis oculis papalis claritate intueor puritatis, mentis intuitum quaſi quidam fulgor reverberat ad ſcribendi deſiderium retardandum; & ſtupore comprehenſa quodammodo præſumptionem reputo attentare ſaltem veſtri tangere fimbriam veſtimenti. Verumtamen quanto frequentius veſtras literas reciperem, aut mandatum, tanto gratius foret mihi, & tanto plenius meæ ſatisfieret voluntati. Nunc autem grates Domino refero, quia opportunitatem habeo per venerabilem ac dilectum Vv. abbatem S. Facundi virum providum & diſcretum, qui alias erat ad veſtram præſentiam acceſſurus, quædam quæ literis commendare nolui, ſecure ac fiducialiter declarandi, qui ea licentius vobis exponere, & voluntatem noſtram latius poterit aperire. Datum Burgis die v. decembr.*

XLV. Ferdinandi filius ad Frid. mittitur pro materna hereditate repoſcenda. De ea re ad Greg. Reg. Caſt. lit.

Acceſſit ad ſedem Apoſtolicam S. Facundi abbas, ut inter cætera quæ ipſius prudentiæ commiſſa fuere, Caſtellæ Regis filium, quem Ferdinandus in Italiam ad Fridericum mittere meditabatur, ac ſequentis anni menſe aprili apud Fogiam veniſſe ſcribit Richardus (a) Pontificis fidei commendaret, qua de re extant ad Gregorium regiæ literæ, quibus ab eo ſupplex contendit, ut illi ad recuperandam maternam hereditatem, quam Imperator detinebat, operam auxiliumque porrigeret: ſe vero filio incurrendæ paternæ inimicitiæ intentata pœna imperaſſe, ut obſequentem ſe Pontifici, atque honori Eccleſiæ tuendi cupidiſſimum oſtenderet: *A ſanctitatis veſtræ memoria non credimus excidiſſe, quod cum tempore dulcis memoriæ Reginæ Beatricis filiolæ veſtræ bona, quæ ſibi jure ſucceſſionis competebant, ab Imperatore, qui ea detinebat pro Fr. filio noſtro, ſæpe ſæpius petiſſemus, quia ipſe reddere recuſabat, ad paternitatem veſtram recurſum habuimus, veſtrum ſuper hoc conſilium, & auxilium implorantes. Ad quod ſicut patrem decet juſtitiæ & Jeſu Chriſti vicarium, ſolitæ benignitatis clementia reſpondiſtis, quod veſtrum nobis non deeſſet conſilium; promittendo nihilominus, quod faceretis exhiberi nobis juſtitiæ complementum. Verum cum idem Imperator ſaniori ductus conſilio poſtmodum nobis ſæpe ſignificandum duxerit, quod bona petita paratus erat reddere ſi eundem Fredericum, quem mater etiam ſua in extremis poſita ſub quadam obteſtatione illuc deſtinandum juſſerat, ſibi mittere curaremus; nos attendentes quod nocuit differre paratis, tum propter maternam hereditatem obtinendam, quam ad ſervitium Rom. Eccleſiæ eum habere volumus, tum propter alias cauſas urgentiſſimas, quas venerabilis abbas & religioſus vir dilectus noſter abbas S. Facundi magnificentiæ veſtræ plenius exprimet, de prudentium virorum conſilio eundem duximus deſtinandum, viva voce firmiter præcipientes eidem, & ſub pœna paternæ gratiæ injungentes, quatenus more progenitorum ſuorum Regum & Imperatorum Hiſpaniæ, honorem & exaltationem Eccleſiæ Romanæ procuret & diligat, & ei ſemper ſit obediens & devotus. Sane ſi eidem Imperator, quod non credimus, eandem hereditatem ſibi reddere contradicat, aut differat, paternitati veſtræ affectuoſas preces porrigimus, petentes humiliter & devote, quatenus cum ſub defenſione veſtra, cui ipſum committimus, protegentes, veſtrum eidem dignemini impertiri auxilium & favorem. Dat. Burgis IV. die decemb.*

XLVI. Salmantica academia inſtituta a Ferdinando.

Prætereundum hic non videtur Ferdinandi ſtudio, qui animum ad pacis artes converterat, Salmanticenſem academiam effloreſcere hoc anno cœpiſſe (b), cum eam ab Alphonſo avo Palentiæ conſtitutam in eam urbem traduxiſſet, cujus amœnitas literarum cupidos eo facile pellectura videretur. Nec minus agitandis in Mauros belli conſiliis Regem ipſum incubuiſſe refert Mariana (c) qui egregium virtutis exemplum ab Alvari ducis uxore editum narrat. Cum enim Alhamar Rex barbarus Turcorum arcem obſidione cinxiſſet præfecto ac præſidiariis militibus, qui prædatum abierant, abſentibus, illa correptis armis feminas juſtique præſidii ſpeciem referre hoſtemque propulſare mœnibus juſſit, dum alii in cuneum conglobati medios hoſtes per-

Egregium matronæ ad repellendum hoſtem facinus.

(a) Rich. in chron. an. ſeq.

(b) Mar. l. 13. de reb. Hiſp. c. 1.

(c) Id. ib.





rupere ac recepti arce barbaros caſtra removere coegerunt.

XLVII. Confirmata a Greg. vetera Tolet. arch. privilegia.

Flagitavit hoc anno a Pontifice maximo archiep. Toletanus ad ſedis ſuæ tuendum ſplendorem, ut conceſſa Toletanæ eccleſiæ privilegia, ne oblivione ac vetuſtate delerentur, renovaret. Cujus votis annuit Gregorius (a) contentaſque in regeſtis Pontificum literas, quibus primatus Hiſpaniarum dignitas illi confirmabatur, exſcriptas ſua auctoritate corroboravit. E quibus nos nonnulla monumenta, quæ ad illuſtrandum illius eccleſiæ decus pertinere viſa ſunt delibabimus: *Supplicaſti nobis frater archiepiſcope, ut cum in regeſtis Romanorum Pontificum quædam contineantur munimenta eccleſiæ Toletanæ, illa conſcribi & tibi tradi ſub bullæ noſtræ munimine faceremus, ne regeſtis ipſis perditis caſu fortuito aut vetuſtate conſumptis, jus ipſius eccleſiæ contingat cum pereuntibus deperire. Nos igitur tuæ ſolicitudinis providentiam commendantes, præſentium ſignificatione teſtamur, quod in regeſtis felic. recordationis Urbani II. prædeceſſoris noſtri ſcriptum eſt de bonæ memoriæ Bernardo Toletano archiepiſcopo in hæc verba: Hoc tempore Toletanus archiepiſcopus Bernardus Romam ad dominum Urbanum Papam veniens, ei pro epiſcoporum more juravit, & pallium & privilegium accepit regnique Hiſpaniarum primas inſtitutus eſt. Tunc etiam in Gallicia omnis diœceſis S. Jacobi ab omni eſt officio excommunicata divino, quia S. Jacobi epiſcopus in regis carcere depoſitus fuerat; unde & hæc Regi Ildefonſo epiſtola miſſa eſt.*

XLVIII. Urbani II. lit. ad Alfon. Reg. Gallec.

*Idem Regi Ildefonſo Galleciæ. Duo ſunt Rex Ildefonſe, quibus principaliter mundus hic regitur, ſacerdotalis dignitas, & regalis poteſtas. Sed ſacerdotalis dignitas, fili chariſſime, tanto poteſtatem regiam antecedit, ut de ipſis regibus omnium rationem poſituri ſumus Regi univerſorum. Quapropter paſtoralis nos cura compellit, non ſolum de minorum, ſed de majorum quoque ſalute pro viribus providere, quam paſtori vero ſuas oves illæſas reſtituere, quæ nobis commiſſæ ſunt, valeamus, tuæ præcipue debemus ſaluti proſpicere, quem Chriſtianæ fidei propugnatorem Eccleſiæ Chriſtus effecit. Memento ergo, memento fili mi amantiſſime quantam tibi gloriam divinæ contulit gratia majeſtatis, & ſicut ipſe tuum præ cæteris regnum nobilitavit, ita tu ei ſtudeas præ cæteris devotius, ac familiarius deſervire. Dicit enim ipſe Dominus per prophetam: Honorificantes me honorificabo: qui autem me contemnunt erunt ignobiles. Gratias itaque Domino, & laboribus tuis agimus, quod de Sarracenorum jure Toletana eſt eccleſia liberata.*

XLIX. Toleto Sarracenis erepto illius antiſtes primas Hiſpaniarum recognitus.

*Fratrem autem venerabilem Bernardum ejuſdem urbis præſulem tuis exhortationibus invitati, digne ac reverenter excepimus, & ei pallium contradentes, privilegium quoque Toletanæ eccleſiæ antiquæ majeſtatis indulſimus. Ipſum enim in totis Hiſpaniarum regnis primatem ſtatuimus, & quicquid Toletana eccleſia antiquitus noſcitur habuiſſe, nunc quoque ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate in poſterum habere cenſuimus. Tu illum ut patrem chariſſimum exaudias, & quæque tibi ex Domino nuntiaverit, obedire curato; & eccleſiam ejus temporalibus non deſiſtas auxiliis, ac beneficiis exaltare. Inter cætera vero laudum tuarum præconia pervenit ad aures noſtras, quod ſine gravi dolore audire nequivimus, epiſcopum ſcilicet S. Jacobi a te captum, & in captione ab epiſcopali dignitate depoſitum, quod canonibus noveris omnino contrarium, & catholicis auribus non ferendum, quod tanto nos amplius contriſtavit, quanto te ampliori affectione complectimur. Nunc tibi Rex glorioſiſſime Ildefonſe Dei & Apoſtolorum vice mandamus orantes, quatenus eundem epiſcopum ſuæ integre reſtituas per Toletanum archiepiſcopum dignitati: neque id per Ricc. Cardinalem ſedis Apoſtolicæ factum excuſaveris; quia & canonibus eſt omnino contrarium & Ricc. tunc legatione ſedis Apoſtolicæ minime fungebatur. Quod ergo ille tunc geſſit quem Victor Papa ſanctæ memoriæ tertius legatione privaverat, nos irritum judicamus. In remiſſionem igitur peccatorum & ſedis Apoſtolicæ obedientiam ſuæ dignitati epiſcopo reſtituto, & ad noſtram præſentiam cum legatis tuis ipſe perveniat canonice judicandus: ſin autem, facere nos erga dilectionem tuam compelleres invitos, quod nos quoque feciſſe nollemus. Memento religioſi principis Conſtantini, qui ſacerdotum judicia nec audire voluit, indignum judicans dictos ab hominibus judicari. Audi ergo in nobis Dominum & Apoſtolos ejus, ſi te ab ipſis velis, & a nobis in iis, quæ poſtulaveris, exaudiri. Rex regum Dominus cor tuum gratiæ ſuæ fulgore illuſtret, victorias tibi tribuat, regnum tuum exaltet, itaque te ſemper vivere concedat, ut & temporali regno perfruaris feliciter, & æterno perenniter gratuleris. Amen.*

L. Ejuſd. ad Hiſp. archiep. lit. ut pareant Toletano ut primati.

*Idem Terraconenſi & cæteris Hiſpaniarum archiepiſcopis. Quiſquis voluntatem gerit, ut ſibi alii ſubiiciantur, dedignari non debet, ut ipſe quoque aliis ſit ſubjectus. Hic enim ordo regiminis atque prælationis non ſolum in terreſtri, ſed inſuper cœleſti quoque Eccleſia obſervatur rege omnium diſponente, ut ſe omnium principe alii aliis principentur. Toletanum ſiquidem archiepiſcopum privilegii noſtri auctoritate primatem in totis Hiſpaniarum regnis fore decrevimus, ſalva ſedis Apoſtolicæ auctoritate, & metropolitanorum privilegiis ſingulorum. Si quid igitur inter*

(a) Lib. 13. ep. 201.

*vos grave contigerit, quia ab Apoſtolica ſede procul eſtis, ad eum velut ad primatem veſtrum omnium recurretis, ejuſque judicio quæ vobis ſunt gravia terminabitis. Quod ſi quid forte ipſius quoque judicio nequiverit definiri, ad Apoſtolicam ſedem, ut dignum eſt, velut ſedium omnium principem referetur. Qui autem veſtrum ſine metropolitanis propriis ſunt, ipſi interim velut proprio ſubeſſe debebunt. Valete.*

LI. De eodem ad Terrac. arch. repetitæ lit.

*Idem Urbanus B.. Terraconenſi archiepiſcopo. Novit dilectio tua frater in Chriſto venerabilis, quo tenore, qua conditione pallium tibi, privilegiumque conceſſerimus: quomodo nobis & tu in fide tua, & comprovinciales primates per ſcriptum promiſeritis vos in reſtitutionem Terraconenſis eccleſiæ omnimodis inſtituros: nunc autem frequenti fama audimus veſtram illam induſtriam, veſtrum ſtudium jam ceſſare, & Terraconen. reſtitutionem jam pene deficere. Te igitur literis præſentibus admonemus, ut hujus boni operis perfectionis ſedulus operator exiſtas. Memineris tamen ita te archiepiſcopum inſtitutum, ut tam tu, quam univerſi provinciæ Terraconenſis epiſcopi Toletano tanquam primati debeatis eſſe ſubjecti. Sic enim a vobis in Toletanæ eccleſiæ privilegio conſtitutum eſt, quod nos omnino ratum volumus permanere. Nunc autem multo amplius quia ei noſtræ ſolicitudinis vices in Hiſpania univerſa, & in Narbonenſi provincia miniſtrandas injunximus. Datum* VII. *kal. maii.*

LII. Terracon. arch. juſſus Narbonenſem Metropolitanum agnoſcere Toletanum vero primatem.

*Idem Rainerio Cardinali presbytero. Veniens ad nos cum Barchinonenſi fratre noſtro venerabili epiſcopo reverendiſſimus frater noſter Narbonenſis archiepiſcopus, quem jamdudum vita & religione ſpectatum habemus, &c. inter cætera præjudicium ſibi factum de Terraconenſium epiſcoporum ſubjectione per Romanam Eccleſiam ſuppliciter intimavit, cum eos Narbonenſis metropolis per annos quadringentos ſine alterius reclamatione poſſederit. Noſtra igitur vice in illis partibus fungens Terraconenſibus epiſcopis noſtra auctoritate præcipito, ut interim Narbonenſi tanquam proprio metropolitano obediant, donec præſtante Domino Tarraconenſis reſtauretur eccleſia; Toletano autem ſicut primati reverentiam exhibeant, donec Narbonenſis archiepiſcopus ſe eorum primatem fuiſſe certa poſſit auctoritate monſtrare. Novit ſiquidem tua fraternitas primatem a nobis Toletanum ſic inſtitutum, ut ſalva ſint metropolitanorum privilegia cæterorum, &c.* His adiicit Gregorius diem, qua ea privilegia recognovit. *Dat. Later.* VII. *kal. junii pontif. noſtri ann.* XII. Adducit etiam in aliis literis (*a*) ex Romanorum Pontificum Adriani IV. Anaſtaſii IV. & Alexandri III. diplomata, in quibus Toletanæ eccleſiæ dignitas amplius illuſtratur, quorum primum Adriani IV. occurrit.

(a) Ep. 202.

LIII. Adriani IV. lit. ad Brach. archiep. ut Toletano tanquam primati pareat.

*Adrianus Bracharenſi archiepiſcopo. Si quanta ſit obedientiæ virtus debita vigilantia cogitares, & quantum ipſa utilitatis afferat intenta curares ſolicitudine circumſpicere, venerabili fratri noſtro I.. Toletano archiepiſcopo ita ſtuderes debitam reverentiam exhibere, quod tuæ devotionis ſinceritas tam in conſpectu Dei, quam in oculis hominum commendabilis appareret. Cæterum in hoc videris & humilitatis amiſiſſe conſtantiam, & a juſtitiæ tramite deviaſſe, quod ei, neſcimus quo ſupercilio, negligis & deſpicis obedire. Ne igitur præſumptionis aut contumaciæ ulterius arguaris, mandamus, quatenus prædicto fratri noſtro Toletano archiepiſcopo, cui in toto Hiſpaniarum regno confirmavimus apoſtolica auctoritate primatum, debitam reverentiam tanquam primati tuo, & omnimodam ſubjectionem impendas. Alioquin ſuſpenſionis ſententiam, quam dilectus filius noſter Hyacinthus diaconus Cardinalis A. S. L. in te noſcitur promulgaſſe, ratam & firmam habemus, & eam robur firmitatis perpetuæ ſtatuimus obtinere. Nos enim prædeceſſorum noſtrorum fel. mem. Eugenii & Anaſtaſii Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ſententiam memorati filii noſtri Hyacinthi Cardinalis niſi ad præfatum archiepiſcopum cum omni humilitate acceſſeris, & ei de cætero curaveris obedire, ab omni pontificali officio te jubemus eſſe ſuſpenſum, & omnes ſuffraganeos tuos ob obedientia perſonæ tuæ abſolvimus. Datum Beneventi* XIV. *kalen. febr.*

LIV. Anaſtaſius II. arguit Brac. archiepiſcopum ob negatum Toletano obſequium.

*Anaſtaſius Bracharenſi epiſcopo. Quanti criminis habeatur Apoſtolicæ ſedis contemptus, ex propheticis verbis oſtenditur, ubi ſcriptum eſt: Peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Item B. Gregorius de inobedientibus & Apoſtolicæ ſedis mandatis dura cervice reſiſtentibus ait: Suæ ruinæ debet dolore proſterni quiſquis apoſtolicis noluerit obedire mandatis; nec locum inter ſacerdotes habeat; ſed extors a ſancto miniſterio fiat. Quam frequenter, & quam diſtricte a prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Papa Eugenio fueris monitus, ut Toletano archiepiſcopo tanquam primati tuo debitam reverentiam & obedientiam exhiberes, & qualiter ei obedieris; unde etiam prius quam mandatis ipſius obtemperares pro tua inobedientia, & cervicoſitate ſecundo ſuſpenſionis ſententiam incurriſti, a tua memoria non debuit excidiſſe. Sed ſicut venerabilis fratris noſtri I.. nunc Toletani archiepiſcopi conqueſtione accepimus, poſtquam de obitu ejuſdem prædeceſſoris noſtri certus fuiſti, obedientiam, quam R.. prædeceſſori ejuſdem archiepiſcopi exhibueras, ſibi deferre nulla-*



*tenus voluiſti, non attendens, quod unius morte apoſtolicæ petræ ſoliditas nec frangitur, nec mutatur. Quocirca per præſentia tibi ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad prædictum fratrem noſtrum I.. Toletanum archiepiſcopum ſepoſita excuſatione accedas, & tanquam primati obedientiam debitam ſibi exhibeas. Quod ſi infra triginta dies poſt harum acceptionem adimplere neglexeris, ex tunc a pontificali officio te noveris eſſe ſuſpenſum. Dat. Lat.* VI. *id. apr.*

LV. Compoſtellanus arch. ab eod. Pont. Toletano parere juſſus.

Subiicit alias ejuſdem Pontificis ad eundem Bracharenſem & Tarraconenſem archiepiſcopos, quibus graviſſime arguit, ſe a Toletani archiepiſcopi Hiſpaniarum primatis auctoritate ſubduxiſſe: tum ad Hyacinthum diaconum Card. in Hiſpania legatum de iis archiepiſcopis, qui Toletano ut primati parere detrectabant, ad officium revocandis. De Compoſtellano vero hæc Anaſtaſius IV. Hyacintho Cardinali: *Quoniam fratri noſtro Compoſtellano mandavimus, ut vel ei tanquam primati ſuo obediat, vel ſub tuo judicio ipſi exhibeat juſtitiæ complementum, nihilominus charitati tuæ mandamus, ut ſi idem frater noſter ambiguitatem noluerit ſubire judicii, utramque partem ante tuam præſentiam advoces, & rationibus utriuſque partis plenarie auditis & cognitis, quod æquitati & rationi congruat inde cenſeas obſervandum: alias enim eum ſicut primati ſuo illi facias humiliter obedire* [1].

Alexand. III. primatis dignitatem Toletano arch confirmat.

Anaſtaſii IV. diplomatibus adjungit Pontifex alias Alexandri III. ad Joannem Toletanum archiepiſcopum literas, quibus primatis Hiſpaniarum dignitatem confirmat.

LVI.

*Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Joanni Toletano archiepiſcopo & Hiſpaniarum primati, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Per præſentis privilegii paginam primatus dignitatem per Hiſpaniarum regna tibi, & eccleſiæ Toletanæ auctoritate apoſtolica confirmamus. Pallio itaque a ſede Apoſtolica tuæ charitati conceſſo in miſſarum celebrationibus uti debebis tantum in præcipuis feſtivitatibus, tribus videlicet diebus in natali Domini, in Epiphania, Hypapante, cœna Domini, ſabbato ſancto, tribus diebus in Paſcha, in Aſcenſione, Pentecoſte, in ſolemnitatibus ſanctæ Mariæ, ſancti quoque Michaelis, & S. Jo. Baptiſtæ, in omnibus natalitiis Apoſtolorum & eorum martyrum, quorum pignora in veſtra eccleſia requieſcunt, ſancti quoque Martini & Ildefonſi confeſſorum, & omnium commemoratione ſanctorum, in conſecrationibus eccleſiarum, epiſcoporum, & clericorum; in annuo conſecrationis tuæ die, & in natali etiam S. Iſidori & Leandri. Primatem te præſules Hiſpaniarum recipient, & ad te ſi quid inter eos quæſtione dignum exortum fuerit, referent, ſalva tamen in omnibus Apoſtolicæ ſedis auctoritate. Verum perſonam tuam in manu noſtra propenſiori gratia retinentes cenſemus, ut ſolius Rom. Pontificis judicio ejus cauſa ſi qua fuerit decidatur, &c.* Hæc Alexander III. quæ Gregorius ita conſignat. *Dat. Lat.* V. *kal. jul. pont. noſt. an.* XIII.

LVII. Veteres Impp. & pontifi cum prærogativæ Valentinæ Eccl. conceſſæ corroboratæ a Greg.

Corroboravit præterea Gregorius Valentinæ eccleſiæ, quæ poſt diuturnam ſervitutem barbarorum, anno ſuperiore Jacobi Regis virtute erepta liberas cœlo manus tollere cœperat, privilegia a veteribus Pontificibus Chriſtianiſque Imperatoribus conceſſa, cum id beneficium electus Valentinus apud ſedem Apoſtolicam tunc præſens popoſciſſet: *In noſtra*, inquit, *propoſuiſti præſentia conſtitutus, quod quidam Imperatores Romani conceſſerunt eccleſiæ Valentinæ civitatem Valentinam cum ſubſidiis ſuis & territorio, & quid-*



NOTÆ [1] HOc anno Tarraconæ in Hiſpaniis coiverunt in concilium Barchinonenſis cum ſex aliis epiſcopis ejuſdem Tarraconenſis provinciæ, ſanxeruntque, ut conſtitutiones latæ a Johanne Sabinenſi, qui ſedis apoſtolicæ in Hiſpanias legatione anno 1229. fungebatur promulgarentur, ac confirmarentur. Illis tamen nova quædam patres adjeciſſe certum eſt, cum in canone VI. injungantur celebrari feſta B. Franciſci, & B. Dominici, quorum poſtremus in ſanctorum album, nonniſi obita jam a Sabinenſi Hiſpanica legatione, anno videlicet 1234. relatus fuit. Concilii hujus, quod cœpit hoc anno die XIV. Kalendas maii, canones XVI. eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſi debent diligentiæ PP. Martenii, & Durand. tom. VII. collect. veter. monum. col. 132. In collectionibus conciliorum concilii hujus canones deſiderantur. Porro in canonibus illis nihil novi occurrit, niſi quod in canone VIII. ſtatutum eſt, *quod ſacerdos in propria perſona hoſtias faciat ad conficiendum corpus Chriſti de pulchra, & nitida farina frumenti, & non apponatur ibi ſal neque fermentum*. Vix credo hoc poſtremum caveri diſertis verbis potuiſſe, niſi tunc in Hiſpania mos, ſeu abuſus aliquis, ſaltem rarus, obtinuiſſet, ut in Euchariſtia conficienda azymi, & fermentati uſus promiſcuus perſeveraret. Denique animadvertere juvat nonnullos concilii hujus canones nempe V. legi in collectione canonum eccleſiæ Tarraconenſis, quam confecit, & publicavit in Tarraconenſi concilio anno 1329. Joannes patriarcha Alexandrinus, & Tarraconenſis eccleſiæ adminiſtrator. Lati ſunt illi contra clericos in pluribus ſimul eccleſiis canonicos, & illos, qui ſe negociis ſæcularibus immiſcent, ac denique de monachis quædam edicunt. Extant canones iſti in Anecdotis Martenii t. IV. col. 285. MANSI

*quidquid infra ejus ambitum & extra in toto epiſcopatu Valentino continetur; comitatum videlicet, forum, mercatum, monetam, ſtratas, naulos, telonia, caſtra, caſtella, villas, vicos, areas, ſervos, ancillas, tributarios, foreſta, ſylvas, venationes, furnos, molas, molendina, aquas, aquarum decurſus, campos, prata, paſcua, terras cultas & incultas, & commune forum agentium & ſuſtinentium cauſas tam civiliter quam criminaliter, ita quod epiſcopus vel electus, qui pro tempore ibi fuerit in civitate & ſuburbiis, caſtris & villis propriis ipſius eccleſiæ ordinariam juriſdictionem, in aliis vero locis epiſcopatus ipſius per appellationem vel in defectum dominorum ipſam valeat exercere. Nos itaque tuis devotis ſupplicationibus inclinati conceſſiones ſuper iis & aliis a dictis Imperatoribus pie, ac provide factis eccleſiæ memoratæ, ſicut in eorum privilegiis plenius continetur; nec non libertates & immunitates tam a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, quam ab Imperatoribus, Regibus, ac aliis Chriſti fidelibus rationabiliter indultas eidem auctoritate apoſtolica confirmamus, &c. Dat. Anagniæ non. julii ann.* XIII.

LVIII. Compoſtellano arch. traditum pallium.

Obtinuit etiam a Gregorio Joannes electus Compoſtellanus oratorum opera pallium e ſacro B. Petri ſepulcro acceptum, dataque Aurienſi epiſcopo provincia eſt, ut eo novum archiepiſcopum in verba Pontificis ſacramento adactum ornaret. Quem vero ritum in illo conferendo ſervaturus eſſet, ita præſcripſit Pontifex (*a*): *Forma dandi pallium hæc eſt: Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & domini Papæ Gregorii & Romanæ Eccleſiæ, necnon eccleſiæ tibi commiſſæ tradimus tibi pallium de corpore beati Petri ſumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut utaris eo intra eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apoſtolica ei ſede conceſſis. Forma vero juramenti eſt talis: Ego Joannes Compoſtellanus archiepiſcopus ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro & ejus ſucceſſoribus, &c.* illam prætermittimus, cum antea a nobis allata fuerit, cum de B. Eadmundo archiepiſc. Cantuarienſi creato ageremus. *Dat. Later.* IX. *kal. julii ann.* XIII.

(*a*) *Ib. ep.* 92.

Forma illius dandi.

LIX. Refloruit in Luſitania ſplendor eccleſiaſticæ dignitatis, quam ſuperiori anno Regis & Fernandi ipſius fratris effrænata licentia admodum obſcuratam ac labefactam vidimus. Joannes enim decanus Ulyſſipponenſis tantis affectus ab iis injuriis illius eccleſiæ libera gubernacula capeſſivit, juſſique (*b*) a Gregorio Rex, clerus, ac populus debita obſervantia colere & complecti novum epiſcopum: cui ad ſarcienda damna graviſſima ipſi antea inflicta ea ſacerdotia, quibus ante adeptum epiſcopatum potiebatur, retinendi poteſtatem fecit (*c*). At Ferrandus e Serpa Alphonſi olim Regis Luſitani filius, qui immani in Joannem tunc electum furore percitus, maximis ſeſe ſceleribus contaminarat, illius affines patrio ſolo exegerat, bona eccleſiaſtica expilarat, prophanarat altaria, clericorum ſanguinem fuderat, alios verberibus, vulneribus alios, aliiſque graviſſimis injuriis affecerat, divino ſpiritu afflatus, ob tot commiſſa flagitia urente conſcientia Romam acceſſit, ut veniam criminum ad Pontificis pedes abjectus ſupplex flagitaret, atque anathematis vinculis, quibus erat irretitus, abſolveretur. Cujus ſcelera Gregorius venia delevit, ea tamen lege, ut ad damna illata reſarcienda, ac pœnitentiam ſeveriorem peragendam adſtringeret, quæ literis epiſcopo Oxomenſi miſſis inſinuavit (*d*).

(*b*) *Lib.* 13. *ep.* 184. *& reg. poſt eand. ep.*

(*c*) *Ib. ep.* 185.

Ferrandus e Serpa flagitiorum veniam a Pont. poſtulat.

(*d*) *Lib.* 13. *ep.* 183.

*Gregorius &c. epiſcopo Oxomenſi.*

LX. Jubetur a Pontifice rite abſolvi.

*Ad inſtantiam dicti epiſcopi Ulixbonenſis, & Roolis fratris ſui præfatum (nimirum Ferrandum e Serpa) ab eo quod ſuper præmiſſis omnibus mandato apoſtolico pareat, juramento recepto ab excommunicationis vinculis, quibus pro prædictis tenebatur adſtrictus, per venerabiles fratres noſtros Tuſculanum & Oſtienſem epiſcopos juxta formam Eccleſiæ facientes abſolvi ei ſub præſtito juramento duximus injungendum, ut omnia quæ eccleſiæ Ulixbonenſi & ejus canonicis abſtulit, integre quam cito poterit reſtituat; & tam eis quam aliis monaſteriis & eccleſiis de damnis & injuriis irrogatis ſecundum poſſe ſuum, & voluntatem prælatorum & capitulorum ipſorum ſatisfactionem curet debitam exhibere: epiſcopum, decanum, & capitulum Ulixbonenſe, qui pro tempore fuerint, fratres, conſanguineos, familiares & alios amicos prædicti epiſcopi in perſonis & rebus per ſe vel per alium de cætero non offendat, & pro poſſe ſuo ab alio non permittat offendi: eccleſiam & eundem epiſcopum Ulixbonenſem & alios ſupradictos, res ſuas & ſuorum & eorum jura contra omnem hominem eo amplius manuteneat & defendat, quo fortius eos noſcitur offendiſſe: de cætero nullum clericum ſæcularem, vel religioſam perſonam interficiat; nec in eos modo alio manus iniiciat, niſi quatenus jura permittunt: ſed potius eccleſiis, quarum clericos interfecit, & parentibus eorumdem pro poſſe ſuo ſatisfacere non omittat: eccleſias, monaſteria, res eccleſiaſticas perſonarum eccleſiaſticarum nullo tempore violenter invadat; nec non perſonas ad eccleſias vel monaſteria, ſeu cœmeteria confugientes eorum nequaquam inde cætero extrahat, aut extrahi per alium non procuret.*

LXI. *Cæterum per totam quadrageſimam cum ad*



Quæ pœnæ ad expiandum crimen illi impoſitæ.

*terram ſuam primo devenerit, barbam non radat, caput non abluat, indumento de ſerico, vel ſcarlato, aut aurifrigiata non portet: nec intret eccleſiam; ſed ante fores ipſius uſque ad diem cœnæ Domini divina cum poterit audiens, tunc juxta formam Eccleſiæ per manus epiſcopi vel ſacerdotis ſe faciet in eccleſiam introduci; eo die decem pauperibus pedes abluat, & eis de ſimili panno indumenta concedat. Per totam eandem quadrageſimam ad menſam ſuam quinque pauperes omni die reficiat, & omnibus ſextis feriis ejuſdem in terra ſolus comedet uno pulmento & uno ſervitore contentus. Quod ſi de pluribus cibariis comedere voluerit totidem pauperes eo die reficere procurabit. In Paraſceve per omnes eccleſias civitatis, vel caſtri, in quo fuerit, diſcalciatus ambulet, & die ſabbati ſubſequentis caput ablui & barbam faciat ſibi radi. Per ſeptem annos ſextas ferias, quatuor tempora, litanias, omnes B. Virginis, & omnium Apoſtolorum & aliorum ſanctorum vigilias ab Eccleſia conſtitutas jejunet.*

LXII. *Omni tempore vitæ ſuæ in die ſabbati carnes non comedat, niſi forte natale Domini in eo die interveniat, vel ipſum gravis neceſſitas ad id cogat. Apud Sanctaren. ubi clericos præcepit interfici, a monaſterio fratrum Prædicatorum per hoſpitale S. Joannis ad eccleſiam S. Mariæ de Alcaceva ejuſdem caſtri in tunica, & ſupertunicali cum corrigia ad collum pedibus nudis incedens in oſtio hujuſmodi eccleſiarum ab aliquo ſacerdote, dum cantabitur; Miſerere mei Deus, infra octo dies poſtquam ad illud caſtrum perveniet, ſe faciat verberari. Viginti Chriſtianos a Sarracenorum captivitate infra triennium redimat, & ad Sarracenos contra Chriſtianos nunquam ſe transferens eis conſilium vel auxilium non impendat: quin potius per tres annos in manu forti pro modo ſuarum virium Sarracenos in Hiſpania & ſpecialiter in frontaria regni Portugaliæ expugnare procuret. Dat. Later.* XIII. *kal. januar. ann.* XIII.

LXIII. Sacramento adigitur ad tuenda pontificia in Luſitania jura.

Accepit etiam a Ferrando Gregorius fidei ſacramentum, quo ille ſeſe Romanis Pontificibus ad eccleſiæ jura in regno Luſitano tuenda defendendaque, atque ad obſervandum & colendum ſedis Apoſtolicæ legatum obligavit (*a*). Ad meliorem itaque vitam reverſum apoſtolicis beneficiis complexus Gregorius ſuam illi clientelam impertiit (*b*): cumque inter eas pœnas, quas ipſi ad expianda patrata ſcelera impoſuerat, hoc dediſſet imperium, ut tribus annis in Sarracenos bellum gereret; iis qui ſub illius ſignis adverſus Sarracenos meruiſſent, ſeu eleemoſynas in tam pium opus contuliſſent, indulgentias eſt elargitus (*c*): Luſitanis præterea epiſcopis poteſtatem fecit (*d*) cenſuris ob injectas eccleſiaſticis viris manus irretitos ſolvendi, qui in arma adverſus infideles proſilirent: archiepiſcopo Compoſtellano mandavit, (*e*) uti Luſitaniæ præſules alioſque eccleſiaſticos adhibito omni ſtudio impelleret, ut Ferrandum Sarracenis bellum inferentem opibus ſuis juvarent. Ferrando quoque permiſit, (*f*) ut quas e Sarracenorum terris, dum in eas excurreret, prædas abduxiſſet, atque etiam nonnulla bona ſua, exceptis tantum ferro, equis, armis, ac ligno ad conficiendas triremes apto, quibus Chriſtianos poſſent lædere, Sarracenis diſtrahere ad redimendos captivos; ſuamque arcem cui Septæ nomen erat inditum, vendere poſſet. Ita ille potentiam, quam antea ad inſectandos Chriſti miniſtros effuderat, ad expiandum crimen fortiter in illius hoſtes convertit.

(*a*) *Ibid. ep.* 173.

(*b*) *Ep.* 155.

(*c*) *Ep.* 157. 161.

(*d*) *Ep.* 158.

(*e*) *Ep.* 159.

(*f*) *Ib.* 177.

LXIV. Lantgravius Thuringiæ pium vitæ genus ſectatur.

Huic regio pœnitenti præpotentem alium principem, nimirum Lantgravium Thuringiæ conjungamus; extant Gregorii literæ ad Ildeſemenſem ac Merſeburgenſem epiſcopos, atque abbatem e Porta Ciſtercienſis familiæ exaratæ quibus (*g*) ſuſceptum ab illo aliiſque nonnullis conſilium collaudavit, qui proſcripta præterita ſolutiori vita, Deo ſeſe ſingulari ratione addicere, piis inſiſtere operibus, fratrumque, quibus a pœnitentia nomen eſt, egregia exempla imitari decreverant, quo cœlo liberiorem mentem transfunderent, atque in rerum divinarum contemplatione vitam collocarent, iiſque præſulibus mandavit, ut qui Lantgravium alioſque exagitarent, cenſuris compeſcerent: *Gaudemus in Domino, quod, ſicut accepimus, eo miſericorditer inſpirante dilectus filius nobilis vir Lantgravius Turingiæ & quidam alii terræ ſuæ a noxiis retrahi, & dirigi ad ſalutaria cupientes adinſtar fratrum, qui dicuntur de pœnitentia, elegerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis crucifigere carnem ſuam, ut ſub temporalis vitæ compendio Regi militantes æterno ab eo cœleſtis beatitudinis ſtipendia conſequantur. Dignum igitur reputantes, ut tales prærogativa gaudeant gratiæ ſpecialis, mandamus quatenus eis favorabiliter aſſiſtentes, non permittatis ipſos contra pium eorum propoſitum ab aliquibus temere moleſtari, ne in tam digno Domini famulatu valeant impediri. Dat. Anagniæ* VII. *kal. aug. ann.* XIII.

(*g*) *Ep.* 101.

In clientelam apoſt. accipitur.

LXV. Expetierat etiam Lantgravius a Pontifice, ut ſibi religioſum aliquem ſacerdotem concederet, apud quem conſcientiæ maculas expiaret. Cujus piis deſideriis Gregorius morem geſſit, cum Minoritarum in Saxonia miniſtrum alicui e ſuis idoneo id munus committere juſſit, (*h*) qui a cenſuris pro manibus violentis in clericos injectis, excitatis incendiis, rapinis exercitis abſolveret; ſi vero crimina

(*h*) *Ep.* 102.

na immaniora viderentur, ad ſedem Apoſtolicam abſolvendum mitteret.

LXVI. (a) Ep. 108. Permiſſum Lundenſi arch. ut pallio utatur in Regum Sueciæ inunctionis celebritate.

Tum Lundenſi archiepiſcopo permiſit (a) ut quo die ſolemni Succiæ Rex corona redimiretur, pallio uti poſſet: *Metropolitanus in coronatione Regis, benedictionibus abbatum, ſeu regalium nuptiarum in miſſarum celebratione ab eo die, quam in eccleſiæ ſuæ privilegio ſit expreſſum, nequaquam pallio uti debet: veruntamen fraternitati tuæ vel ſi forſan Regem coronare contingat, eo die pallio uti poſſis, præſentibus indulgemus, dum tamen evidens utilitas vel neceſſitas id expoſcat.*

LXVII. Inſtat Greg. apud Regem Dan. ut tollat improbas conſuetudines. (b) Ep. 109.

Solicitus etiam Pontifex tuendæ in Dania eccleſiaſticæ dignitatis ne ab impiis ejus gloria obſcuraretur, infringerenturque jura, Roſchildenſis epiſcopi monitis impulſus, Regem monuit (b) nefarias conſuetudines deleret, quibus extremæ defunctorum voluntates ſæpius reſcinderentur, dum quævis inſtrumenta omnibus circumſtantiis & conditionibus inſtructa irritarentur, ſi duodecim teſtes contrarium adſtricti jurejurando aſſererent; præterea populos cogeret, ut ex inveterato omnium gentium more decimas ſolverent: *Sua nobis venerabilis frater noſter epiſcopus Roſchildenſis petitione* * ...... *quod cum contingat interdum aliquos in ſux diœceſi commiſſa ſibi exequi teſtamenta in pios uſus, & certis perſonis bona decedentium erogando juxta diſpoſitionem ultimam teſtatoris, non ſolum ſucceſſores defuncti, verum etiam alii extranei vires teſtamentorum ipſorum, & poteſtatem executorum enervare, ne bona defunctorum ad prædictos uſus pervenire valeant, propria temeritate conantes, ſequuntur in hoc pravam terræ conſuetudinem, quæ abuſus potius dici poteſt; videlicet quod ſi duodecim teſtes, qui nominati dicuntur, negativam aſſerentes juramento affirmaverint, quod decedens aliquid in teſtamento nulli dimiſerit, decedentis diſpoſitio infirmatur, quamquam contraria affirmativa per autenticas probetur literas, & teſtes omni exceptione majores: ſicque teſtamentorum ipſorum executio impeditur, & tam eccleſiæ, quam alii per aſſertionem hujuſmodi negativam ſuis juribus defraudantur.* Et infra: *Cum igitur ad regiæ ſpectat dignitatis honorem eccleſiaſtica jura tueri, ſerenitatem tuam monendam duximus attentius & rogandam, quatenus eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum ſtatum in ſolita liberalitate, tanquam catholicus princeps ſolito more conſervans, prædictam deteſtabilem conſuetudinem de regno tuo penitus aboleri, & inſuper ubique per regnum prohibere ſtudeas, ut de cætero inibi hujuſmodi conſuetudo nullatenus obſervetur. Contra detentores vero decimarum ipſarum ſic eidem epiſcopo auxilium & regium favorem impendas, quod te ſuffragante ipſe ac eccleſiæ ſibi commiſſæ ſuis juribus non fraudentur; noſque celſitudinem regiam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Anagniæ* x. *kal. ſept. anno* XIII.

* *inſinuavit*

LXVIII. Boleſlaus uxoris exemplo virginitatem colit.

In Polonia Boleſlaus Pudicus Cracoviæ dux hoc anno, ut tradunt annales Polonici uxorem duxit Kingam ſive Kunegundem Belæ Regis Ungariæ filiam inſignem ſanctitate, formæ pulchritudine, ac morum elegantia conſpicuam virginem, quæ virum ad colendam pudicitiam exemplo ſuo pellexit, unde Pudici glorioſum nomen ſibi peperit. Non caruere miraculo ſanctæ illius virginis vitæ primordia, ut notat Longinus (c) qui præclariſſimum hoc de illa prodigium narrat: *Futuram optimam indolem ipſa etiam crepundia præmonſtrarunt. Quamprimum ſiquidem anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCV. apud Pannonias matris alvo in primis, quibus in lucem infantula edebatur, horis non ab ejulatu & lacrymis, ut cæteri infantes, ſed a Gabrielica denunciatione ſuos auſpicata eſt ortus. Claram enim, articulatam & ſonoram: Ave Regina cælorum; in idiomate Ungarico edidit vocem. Quartis inſuper & ſextis feriis ſemel tantummodo ſugere ubera contenta, præſulem beatum Nicolaum in ipſa infantia æmulabatur. Deducta eſt autem præfata virgo Kinga cum magno apparatu, ferens ſecum amplam, quadraginta videlicet millium marcarum dotem, Cracoviam: ubi & ſolemnitas nuptiarum diebus duodecim acta eſt. Ex eo autem tempore & deinceps, Kunegundis ducіſſa præfata, celſitudinis ſuæ nomen & meritum ea celebritate, per pietatis opera apud regiones Polonicas diffundebat, ut non ſecus quam altera egregiæ virtutis beata Hedvigis Trzebnicenſis duciſſa (cujus & ipſa Kunegundis neptis ex ſorore germana fuerat) in Polonico populo videretur ſurrexiſſe; & ab omnibus mundanis abhorrens officiis & ab omni ambitu averſa, hoc unum concupiſcens, nil præter cæleſtia deſiderare. Feruntur autem ambo in ævum virgines permanſiſſe, & primo nuptiarum die, primum quidem ad unum annum, quo lapſo ad alterum, & deinde in tertium; quo effluxo; felici Kinga operante & inſtigante in omne ævum Domino cæli cælibatum ſpontanee voluiſſe & ſervaſſe. Ex quo Boleſlaus dux Pudicus meruit appellari.*

(c) Long. l. 6.

Kinga primum in lucem editam Virginem ſalutat.

LXIX. Conciliatam illorum puriſſimorum conjugum ſocietatem Salomeæ Regis Colomani uxoris opera ſcribit Longinus (d) ut quæ virtutes Kunegundis eximias exploratas haberet: ipſam vero Salomeam Reginam pariter cum viro Colomano coluiſſe virginitatem ſcribunt nonnulli (e) quam laudem pium principem egregio aſſerendæ in ſuum ſplendorem fidei zelo

(d) Long. ubi ſup.

(e) Chron. l. 9.



Gratulatur Colomano Regi hæreſim in Boſnia deleviſſe.

zelo cumulaſſe docent pontificiæ literæ, quibus Gregorius cum diligentem illius operam didiciſſet, quam in excindendis e Boſnia delendiſque hæreticis, fide catholica amplificanda, divini numinis augenda gloria collocaret, dignis eum encomiis ornavit, incitavitque ut bene cœpta felicius proſequeretur (a): *Sicut etrum tenore percepimus, extirpare hæreſes & fidem ſtudes catholicam propagare, exaltationem procuras Eccleſiæ, & ad expugnandum impugnatores ipſius ejus te exponendo beneplacitis, beneficia, quæ a poteſtate recepiſti divina, verbo & opere recognoſcis. Super quo ſeren. regiam dignis in Domino laudibus commendantes celſitudinem tuam attente exhortamur, quatenus in devotione Dei & Eccleſiæ continuis excreſcere procures augumentis, & de virtute in virtutem aſcendens in cælis meritorum cumulum indefeſſis tibi ſtudeas humeris ampliare. Dat. Later. non. decemb. ann.* XIII. Ut pio etiam tanti Regis in fide amplificanda ſtudio obſecundaret, Prædicatorum in Ungaria priorem e ſuis aliquos, qui operam ad confutandam hæreſim excolendoſque catholicos ſtudioſe navarent, in Boſniam mittere imperavit.

(a) Lib. 13. ep. 176.

LXX. Excurrit quoque in Gallias aſſerendæ contra hæreticorum conatus fidei Gregorii zelus. Jacobum enim Præneſtinum epiſcopum, de quo ſuperius a nobis mentio edita eſt, non ad comparanda modo auxilia, verum etiam ad rem Albigenſem componendam miſit: nec enim ita malum profligatum, ut non interdum recrudeſceret; atque hoc anno hæreticos adeo ſe efferre auſos ſcribit Nangius (b), ut etiam munitiones, quas obtinebant Franci, obſidione pertentarent. Ad quos debellandos miſſum ait Joannem e Bellomonte egregio ſuccinctum exercitu, illumque arcem muniтiſſimam, cui mons Regalis nomen erat, obſidione cepiſſe, moxque loca alia hæreticorum magna celeritate ac fortitudine in ſuam poteſtatem redegiſſe. Cum vero Guido Caſtilionæus comes S. Pauli, dum egregie catholicam fidem defenderet, Albigenſium inſidiis appetitus occubuiſſet, illius filios Gregorius in ſedis Apoſtolicæ clientelam adſcivit, nonnullorumque inſignium dignitate præſulum curæ ac fidei creditos & commendatos eſſe juſſit (c).

(b) Nang. in vit. S. Lud.

Compreſſæ in Galliis nonnullæ Albigenſium reliquiæ.

(c) Lib. 13. ep. 106.

LXXI. Tolоſanus comes cenſuris abſolvi nonnullaque alia poſtulat.

Flagitante porro Raymundo Toloſano comite cenſurarum religione, quibus ob ſuſtentatas tacite hæreticorum partes devinctus erat, abſolvi, eoque oratores ad ſedem Apoſtolicam decernere meditante, Pontifex Toloſano epiſcopo & ſacræ fidei cenſoribus præcepit, uti ſententias in Raymundi clientes latas remitterent ad tempus: a Præneſtino enim epiſcopo quamprimum eo profecturo de re tota edoctum iri (d). Præfecti tum erant exercendæ inquiſitioni e Prædicatorum familia viri religioſi, quos adverſus juris tum civilis, tum pontificii ordinem inquirere oratores graviſſime queſti ſunt, & a ſede Apoſtolica contendere, ut eo munere deturbarentur, eaque provincia in poſterum in epiſcopos transfunderetur. Poſtulabat etiam Raymundus, (e) ut parentis defuncti corpus ſepulturæ mandaretur, cum teſtibus ab epiſcopo Albienſi & S. Saturnini ac Grandis ſylvæ abbatibus receptis pœnitentiæ ſigna in morte edidiſſe probaret: popoſcit præterea, ut cenſuras, quibus a judicibus ab Apoſt. ſede conſtitutis percuſſus fuerat, diſſolveret. Urgebat pariter Pontificem, Regiſque Galliarum ad id obtinendum auctoritatem & gratiam, qua florebat, adhibuerat, ut ſacramento profectionis in Terram ſanctam inſtruendæ, gerendorumque triennio contra Sarracenos armorum onere liberaretur ne coactus, ſed ſponte reliquorum Chriſtianorum more tantos labores ſuſcepiſſe videretur.

(d) Lib. 12. pag. 74.

(e) Ibid. pag. 73.

LXXII. Admiſit Pontifex poſteriora duo poſtulata, legato enim epiſcopo Præneſtino provinciam impoſuit, (f) uti comitem eccleſiaſticis cenſuris, quibus erat irretitus, abſolveret; tum ſacramento ſuſcipiendæ Aſiaticæ profectionis liberaret. Qua de re has Jacobo legato literas dedit, quæ licet anno ſuperiori exaratæ, cum iter in Gallias adornaret; quia tamen itinere a Friderico prohibitus, hoc tantum anno eo contendit, in hunc locum cum ſuperius allatis conferendæ viſæ ſunt.

A Præneſtino ep. abſolvitur nonnullis adjectis legibus.

(f) Pag. 74.

*Epiſcopo Præneſtino A. S. L.*

*Nobilis vir comes Toloſanus per nuncios ſuos & literas nobis humiliter ſupplicavit, ut cum gerat in votis depoſito crucis vexillo, quam de manu venerabilis fratris noſtri Portuenſis epiſcopi tunc Apoſtolicæ ſedis legati recepit, & remiſſo ſibi quinquennii tempore, quo de mandato ipſius epiſcopi moram tenetur in partibus tranſmarinis, ipſam cum devotione, ac humilitate aſſumere, ut videatur illam gerere ſpontaneus non coactus, prout ipſam gerunt alii catholici, qui ad Terræ ſanctæ ſubſidium voluntarie ſe accingunt, ad partes illas cum aliis nobilibus magnanimiter in generali paſſagio tranſiturus, ac moraturus ibidem, ſicut ei Dominus inſpirabit, ejus in hac parte deſiderio annuere curaremus: chariſſimus quoque filius noſter Rex Francorum illuſtris pro eodem comite nobis per venerabilem fratrem noſtrum Claromontenſem epiſcopum fecit nihilominus ſupplicari, ut ipſum haberemus in ſuis juſtis petitionibus commendatum.*

LXXIII. *Licet igitur eidem Regi, quem inter cæteros orbis principes ſinceritatis brachiis amplexamur in iis quæ a nobis juſte duxe-*

*xerit poſtulanda, favorem velimus apoſtolicum quantum cum Deo poſſumus impertiri; quia tamen idem comes Dominum, Eccleſiam, & eccleſiaſticas perſonas, ac eccleſiaſticam libertatem multoties & in multis noſcitur graviter offendiſſe; propter quod multiplici excommunicationis vinculo eſt aſtrictus; ſic tam Regis quam comitis prædictorum ſupplicationibus annuere nos oportet, ne diſſolvatur omnino nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ, ideoque mandamus quatenus ſi dictus comes noſtris, & Eccleſiæ Romanæ beneplacitis taliter ſe coaptet, & in eo ſigna devotionis appareant adeo manifeſta, quod ſe Apoſtolicæ ſedis gratia merito dignum reddat, ſicut per eoſdem nuncios obtulit ſe facturum; poſtquam per te, cui abſolutionem ipſius committimus juxta formam tibi traditam fuerit abſolutus, recepta per eundem Regem de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum Senonenſis & Rothomagenſis archiepiſcoporum, quibus ſuper hoc ſcripta noſtra dirigimus, præter juratoriam ſufficienti & idonea cautione, quod in proximo generali paſſagio cum aliis ultramontanis juxta ſuæ nobilitatis potentiam transfretabit in obſequio dictæ Terræ per triennium moraturus, redeundi ex tunc licentiam præſentium ſibi auctoritate concedas, ita videlicet quod ſi contra præmiſſa venerit, in nullo ſibi conceſſa licentia ſuffragetur ſed pro inconceſſa potius habeatur. Dat. Lat.* v. *id. jun. ann.* XII. De quibus etiam ad S. Ludovicum Francorum Regem binas literas exaravit: (*a*) præterea archiepiſcopis, epiſcopis, ac principibus eorum locorum viris legatum ſuum honorifice exciperent imperavit.

Jubetur expeditionem Aſiaticam aggredi.

(*a*) Pag. 74. 75.

LXXIV.

Adjunxit (*b*) cæteris Præneſtino legato datis imperiis Pontifex, ut Magalonenſem epiſcopum, ob comitatum Melgorii & Motisferrandi fiduciario jure Romanæ Eccleſiæ annuo cenſu impoſito obſtrictum, a præpotentium virorum tyrannide, in quos cenſuras juſſit diſtringere, defenderet; Bitterrenſique epiſcopo, ut eundem præſulem a prædonum inſidiis vindicaret, provinciam dedit: quo argumento, ac de comprimendis ejus hoſtibus plures ſequenti anno litteræ exaratæ (*c*). Contulit etiam apoſtolicum ſtudium Gregorius ad tuenda præſulum minoris Britanniæ jura: cum enim interceſſiſſet antea controverſia inter comitem cruce inſignitum Provinciæque epiſcopos quæ ſummi Pontificis edita ſanctione ſopita fuerat, Joannes Britanniæ comes, qui Petro comiti, quem anno ſuperiori expeditionem in orientale Imperium ſuſcepiſſe vidimus, ſucceſſerat illius conditionibus ſtare denegabat; quare ad ſedem Apoſtolicam ad eam dirimendam provocatum eſt, ſummuſque Pontifex decano & magiſtro ſcholarum Cœnomanenſium ad obſervanda ea decreta comitem adigere juſſit, (*d*) ac Nannetenſem epiſcopum & alios provinciæ illius præſules ea ſententia involvendum declaravit; de quibus vero excitata ea controverſia fuerit, e literis pontificiis colligitur.

(*b*) Lib. 13. ep. 196. & 170.

Tuetur Pont. Magalon. ep. jura.

(*c*) Ep. 172. & l. 14. ep. 32. 33. 34. 35.

(*d*) Lib. 13. ep. 76.

LXXV. Et præſulum Britanniæ.

*Olim inter venerabiles fratres noſtros Redonenſem, Maclovienſem, Briocenſem, Dolenſem, Venetenſem, Frecolenſem, & Leonenſem epiſcopos ex parte una, & dilectum filium nobilem virum P.. tunc Britanniæ comitem crceſignatum ex altera, ſuper diverſis articulis exorta gravis materiæ quæſtione, multæ ſuper ipſa fuerunt a nobis impetratæ literæ, continentes qualiter in partibus illis per eundem comitem libertas eccleſiaſtica enormitate multiplici lædebatur: & tandem ſuper vitandis & compellendis excommunicatis, ac de ipſis ad agendum, teſtificandum, & alios actus legitimos nullatenus admittendis, quandiu in excommunicatione perdurant, & libertatibus Eccleſiæ conſervandis ab ipſo comite, tam ſuper tertia judicii defunctorum, quam decimis & legatis; tam de terris gentilibus, quam ſervilibus faciendis ſecundum terræ conſuetudinem approbatam, & eccleſiaſticarum defenſionibus perſonarum; nec non ſuper uſuris, violatione fidei, & aliis cauſis in foro tantum eccleſiaſtico agitandis, & ſervanda conſuetudine, qua tamen quibuſdam locis comitatus ipſius excommunicati cogendi ſunt Eccleſiæ parere mandatis; a nobis certa proviſio emanavit, quam nobilis vir I... comes Britanniæ, qui de novo comitatum hujuſmodi eſt adeptus, quia in ea de ſucceſſoribus mentio non habetur, expiraſſe reputat, & renuit obſervare: quare nobis ex parte ipſorum fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem ſuper iis curaremus de benignitate ſedis Apoſtolicæ providere. Cum igitur intentionis noſtræ fuerit, quod hujuſmodi proviſio robur firmitatis perpetuæ obtineret, ac juſtum ſit, ut eandem provide factam & a partibus ſponte receptam præfatus P... ac idem comes obſervent, cum in onere ſucceſſerit & honore, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſos ad illius obſervantiam quoad prædictos articulos univerſos & ſingulos efficaciter inducatis, &c. Dat. Lat.* v. *kal. maii ann.* XIII.

Conſcripſerat etiam idem Joannes comes nonnulla edicta, quæ dignitatem eccleſiaſticam labefactare videbantur, ſubmoti e fidelium cœtu contra veterem morem ad judicia admittebantur, unde non levis eccleſiaſticæ poteſtati injuria inferebatur, improbique audacia creſcebant; tum ut ſacerdotes parochi contra antiquam conſuetudinem nihil ex bonis mobilibus ſine filiis atque uxore decedentium acciperent, niſi teſtamento legatum ipſis foret: quæ decreta Pontifex reſcindi penitus imperavit (*e*).

(*e*) Ib. ep. 77.

Con-



LXXVI. Rhemenſes in archiep. rebellionem movent.

Conflata eſt Rhemis in Galliis eo tempore gravis ſeditio adverſus civitatis archiepiſcopum, qui illa ditione potiebatur, non enim modo ipſius miniſtros proſcindere injuriis, verberibus afficere, urbis portas archiepiſcopi amicis occludere; verum rebellione inſigni illius domum balliſtis quatere aggreſſi ſunt, novaque tribunalia ad jus dicendum in civitate erexere: quare tot injuriis laceſſitus archiepiſcopus anathematis ſententiam in perduelles tulerat, & eccleſiaſtico ſuppoſuerat interdicto, reque ad Pontificem relata, ne in majorem audaciam prorumperent Rhemenſes, eos ritu ſolemni per circumpoſita loca percelli anathemate, atque ad eccleſiaſticum tribunal evocari imperavit (*a*): *Ne præſumptores hujuſmodi de ſua malitia glorientur, ſi debitæ correctionis non ſenſerint diſciplinam, & exinde detur eis major audacia delinquendi, cupientes ut ipſi retrahantur a noxiis, & memoratus archiepiſcopus debitam ſatisfactionem habeat de præmiſſis, mandamus quatenus ſi eſt ita, appellatione non obſtante prædicta, cum appellationis remedium non in favorem malignantium, ſed in oppreſſorum ſubſidium ſit inventum, præmiſſas ſententias rationabiliter promulgatas ſingulis diebus dominicis & feſtivis pulſatis campanis, & candelis accenſis ſolemniter publicetis, & faciatis per Rhemenſem & vicinas diœceſes, ac alia loca, in quibus expedire videritis, publicari. Quod ſi nec ſic dicti cives ad mandatum ipſius archiepiſcopi curaverint prona mente redire faciatis redditus, ac debita & alia bona ipſorum in nundinis & ubicunque reperta fuerint, quamdiu in excommunicatione perſtiterint, ut ipſis intellectum vexatio tribuat, detineri juramento ſeu interpoſitione fidei, ſi qua forte debitores pro debitis ſolvendis tenentur. Dat. Later.* III. *idus junii ann.* XIII.

(*a*) Ib. ep. 78.

Urgentur cenſuris a Greg.

LXXVII Data eidem arch. provincia ut jura Balduin. in Galliis & Imperio defendat.

Ut apoſtolicum patrocinium Gregorius Rhemenſi archiepiſcopo ad tuenda illius jura eſt impertitus, ita ipſi ut Balduini jura ac bona, quæ in Germania & Galliis obtinebat ampliſſima, ſedis Apoſtolicæ nomine defenderet, provinciam dedit (*b*) cum in ſpem adduceretur ipſum in defendendo Conſtantinopolitano Imperio tanto majori ardore ad Redemptoris gloriam deſudaturum, quanto majora ab Romana Eccleſia beneficia accepiſſet; quo etiam munere Leodienſem epiſcopum, archiepiſcopum Senonenſem & Pariſienſem archidiaconum oneravit (*c*).

(*b*) Lib. 13. ep. 134.

(*c*) Ib. ep. 138. 141. 208.

LXXVIII. Geminam Galli in Græciam & Syriam expeditionem ſuſcipiunt.

Circumſonabant hoc tempore Galliæ ingenti crceſignatorum fremitu, quorum alii ad Conſtantinopolitanum Imperium contra ſchiſmaticos, alii in Syriam adverſus Sarracenos iter corripiebant: ſed cum Gregorius ob ingraveſcentem ſchiſmaticorum potentiam promptiora Conſtantinopoli auxilia ſubmittenda arbitraretur, hujus anni initio perficiendæ expeditioni maximo ſtudio incubuit (*d*), ac nonnullos, qui ſe expeditioni Syriacæ devoverant, ut Achajæ principem iiſdem propoſitis indulgentiarum præmiis adverſus Vatacium arma vertere juſſit (*e*); tum nonnulla pecuniarum ſubſidia, quæ crceſignatis in Syriam profecturis addicta in ſtipendia fuerant, ad Balduinum derivari: quæ res ingrata admodum Theobaldo Regi Navarræ ſacræ expeditionis duci aliiſque proceribus ejus ſigna ſecuturis accidit, unde illi apud Pontificem graviſſime ſunt conqueſti, videri Terræ ſanctæ curas abjeciſſe, dum opes quæ ad id conferendæ erant, alio averteret. Quibus Gregorius eam ſiniſtræ opinionis nubeculam ex eorum animis deterſit, ſe videlicet ad tuendum Conſtantinopolitanum Imperium propterea incumbere, quod amiſſo eo Imperio ſacrorum locorum laborantium periculis facile conſuli non poſſet: eoſque demum ad ſuſcepta conſilia ſtrenue perficienda, collocandamque Chriſto operam incitavit (*f*).

(*d*) Lib. 12. ep. 370.

(*e*) Ib. ep. 168.

Queritur Rex Navarræ rem Syriacam ſegnius agi a Pont.

(*f*) Ib. ep. 309

LXXIX.

*Regi Navarræ, & nob. viris duci Burgundiæ, Barri & Montisforti & Vindocinenſi comitibus, ac aliis crceſignatis per regnum Franciæ conſtitutis.*

*Literis veſtris quo debuimus affectu receptis, ex earum tenore collegimus tam crceſignatos, quam alios admiratione duci non modica ex eo, quod negocium crucis prorogationis diſpendio poſtpoſuiſſe videmur. Iis etiam tenor adjecit, quod legata & alio modo Terræ ſanctæ conceſſa, quæ hactenus vobis conferre mandavimus, pro parte ſubtrahere intendamus, propter quod animos veſtros nebula turbationis involvit. Verum cum terræ prædictæ negocium, tanquam ſedis Apoſtolicæ ſpecialis præcipue pectori noſtro reſideat, firma debet credulitate teneri, nec eſt aliud præſumptione contraria ſentiendum, quod illud toto mentis affectu proſequimur, promotioni ejus vigilanter intendimus, ad hoc noſtrum impendimus ſtudium, damus quam poſſumus operam, aliorum opem nihilominus poſtulantes. Et quidem cum non patiamur, quantum in nobis eſt, aliorum negocia prorogari, veriſimile non videtur, quod in cauſa Chriſti dilationis pericula non vitemus; cum circa cauſas alias ſolvamus ſolitæ ſolicitudinis debitum, recedit a vero, quod crucifixi negotium poſt terga ponamus. Porro quia in proximo Imperii Romaniæ imminere videtur excidium in quo Terræ ſanctæ omnimode ſubſidium impeditur, ſuccurſui ejus ſolerter intendere cogimur: & eo magis ad hoc ſuſcepti regiminis nos cura ſolicitat, quo magis Eccleſiæ membro tam nobili adverſantium enſe ſucciſo corpus debilitaretur ipſius. Si enim ipſum mater Eccleſia ſic amiſ-*

Excuſat Greg. promptiora magis periclitanti Conſtantinop. afferenda auxilia.



*ſioni*

*ſioni proximum deſtitueret, negligentiæ relinquendo, cujus patrocinium expectaretur, ſi ejus non compateretur anguſtiis, quis ipſius adverſitatibus condoleret? Si deſolato conſolationis ſupprimeret ubera, cujus ſuffragio juvaretur?*

LXXX. *Huic itaque inſtanti periculo celeri remedio volentes occurrere, habito fratrum noſtrorum conſilio de ſubſidio terræ deputato prædictæ, Imperio eidem cogimur providere, quia cum unum ſine altero nequeat in catholica fide ſubſiſtere, juvando alterum, reliquo vi rationis compellimur ſubvenire. Unde quia præfatæ terræ profectum diligitis, ratio nulla permittit, quod Imperii negotium non ametis. Non igitur debent hæc eſſe cauſa commotionis in vobis, quia dum circa idem Imperium curam gerimus defenſoris, in crucis negocio procuratoris diligentia non caremus: quinimmo eidem potiſſime auxilii porrigimus dexteram, cum ad illud manum extendimus adjutricem. Quocirca devotionem veſtram monemus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus in tam ſancto propoſito perſiſtentes ad generale paſſagium vos paretis, quod in inſtanti feſto B. Joannis Baptiſtæ fieri debere publice denunciari mandamus. Dat. Lat.* VII. *idus martii an.* XII. [1]

Ductaſſe præſenti anno florentiſſimum exercitum in orientem Balduinum in ſuperioris anni hiſtoria a nobis inſinuatum eſt. Theobaldum pariter Maſſilia cum aliis validiſſimis copiis ſolviſſe hoc anno ac vela in Syriam feciſſe docet Richardus: *Menſe auguſto Rex Navarræ cum copioſo cruceſignatorum exercitu de Marſilia in Terram ſanctam tranſfretat.* Illum vero diſceſſurum prudenter regno providiſſe docent pontificiæ literæ, quibus probavit (*a*) ut tres auctoritate & gratia apud ipſum pollentes, cuſtodiendæ tuendæque illius ditioni imponeret, quibus eorumque bonis patrocinium apoſtolicum pollicitus eſt (*b*). Ipſum vero Regem, terraſque illi obnoxias apoſtolicæ tutelæ beneficio ſe complexurum promiſit, quo etiam aliiſque beneficiis ornavit Richardum Cornubiæ comitem, (*c*) qui in loca ſancta profectionem meditabatur, ſed illum anno tantum ſequenti in Syriam e Maſſilienſi portu trajeciſſe docet Pariſius (*d*). Ut vero res Chriſtiana male geſta a proceribus nonnullis, qui cum Theobaldo transfretarant, ab Richardo fuerit reſtituta, ſuo loco dicetur: nunc aliqua ad Armenos ſpectantia adiiciamus.

LXXXI. Theobaldus Rex Navar. cum aliis cruceſignatis Maſſilia ſolvit.

(*a*) *Lib.* 13. *ep.* 89.

(*b*) *Ib. ep.* 90.

(*c*) *Ib. ep.* 143. 144. 145.

(*d*) *Par. hiſt. Angl.*

Affe-

NOTÆ

[1] TOtum hunc paragraphum ita dilatant & ornant annales contracti. *Maturare reditum in orientem coactum Balduinum ob auditam Joannis Brennenſis imperatoris mortem, narrat Gualterus Cornutus (a) archiepiſcopus Senonenſis, qui Balduini familiaritate uſus eſt hiſce verbis:* Dum in partibus Gallicanis moram faceret, hereditatis propriæ, *nempe comitatus Namurcenſis, & Curbineti*, & in petendo ſubſidio ſolicitus plurimum eſſet intentus, de partibus Romaniæ ſuſcepit nuntium, qui aures ejus, & animum ſubitis rumoribus perculit, & turbavit; nunciavit enim, prout res erat, virum illuſtrem Joannem imperatorem ſocerum ſuum juxta naturæ debitum ſubtractum vitæ mortali: ſtatum etiam Conſtantinopolitanæ civitatis, & terræ alterius, ſi quem extra muros ejuſdem urbis habebat, ita per incurſus hoſtium arctatum penitus & oppreſſum, quod vix ad campos pateret aditus. *Porro Joannem Brennenſem imperatorem, ac duorum imperatorum orientis, atque occidentis ſocerum multa proſpera, & adverſa paſſum, cœleſtibus viſis admonitum, ut depoſito imperatorio faſtu minorum ordini ſe aggregaret, purpuramque imperialem cum Franciſcana veſte commutaret, Jordanus narrat, confirmatque VVaddinghus: in extremo vero eo morbo pia hæc verba repetiiſſe, idem Jordanus (b) refert:* O dulciſſime Jeſu Chriſte, utinam ego, qui delitioſe in pompa ſæculi vixi veſtibus pretioſis indutus, ſic poſſem, ſicut affecto, in hoc humili habitu cum ſacco ad collum eleemoſynas petendo oſtiatim tuæ ſanctæ paupertatis, & humilitatis ſequi veſtigia.

*Geſſiſſe illum revera imperatorios apices certiſſime conſtat non modo ex ſupradictis, ſed etiam ex Gregorio pontifice (c) qui illum imperatorem, & Balduinum virum nobilem eodem orationis contextu in literis dicere ſolitus fuit: conſtat quoque ex internuntiis apoſtolicis, qui ad Vatacium, & Germanum patriarcham miſſi in ſuæ legationis geſtæ hiſtoria (d) Joannem ſimiliter imperatorem appellant: conſtat demum ex ipſo Balduino, qui in diplomatibus imperii ſui annos a morte Joannis Brennenſis, nimirum ab hoc anno tantum conſignat: ſi qui vero contraria ſcribunt hiſtorici, vel ii errore lapſi ſunt ex rumore falſo, vel ex inſito in Joannem odio ſcripſere, ut Georgius Logotheta, qui Joannis dignitatem ac res ab illo præclare geſtas ductus livore extenuat, ut alibi demonſtratum eſt.*

*Ductus porro eſt hoc anno a Balduino II. imperatore florentiſſimus exercitus, quem Georgius Logotheta refert ex Gallia eduxiſſe, ſexaginta bellatorum millia, perque Germaniam, ac Pannoniam, & Bulgariam irrupiſſe in Græciam, conjunctiſque ſibi Bulgaris Tzurulum expugnaſſe; præterea Joannis Vatacii claſſem navali prælio a Latina profligatam fuiſſe, licet enim græca claſſis triginta triremibus egregie inſtructis comparata eſſet, tamen tredecim Latinorum triremes tredecim alias Græcas conſerto prælio cum viris & armamentis cepiſſe impetu, aliaſque fugaſſe. Addit demum author, Joannem Vatacium arte uſum Aſanem Bulgarorum regem iterum a Latinis partibus ad ſuas abduxiſſe, ex cujus defectione Conſtantinopolitanæ res labefactatæ fuerunt. Adducta quoque erat in diſcrimen a Saracenis Jeroſolymitana res, ad quam reſtituendam Theobaldus Navarræ rex cum validiſſimis copiis e Maſſilienſi portu hoc anno ſolvit, ut refert Richardus de S. Germano.* MANSI

(*a*) Gualter. arch. Senonen. in hiſt. 10.

(*b*) Jord. MS. bibl. Vatic. Wadding. in annal. minor. an. 1240.

(*c*) Greg. l. 11. ep. 96. & l. 12. ep. 314.

(*d*) Ext. in lib. cenſ. vat. biblioth.



LXXXII Affecit ea prærogativa Gregorius Armenorum Regem, & Reginam, (*a*) ut ſi quando de matrimonio aliave re pontificiis literis in loco vel minime tuto vel jure ſuſpecto poſtulati judicio eſſent, ſiſtere ſe non cogerentur, utque laudabiles veteres conſuetudines, quæ a ſanctorum patrum regulis non abhorrerent, nec ſacris canonibus adverſabantur, ratæ ac firmæ eſſent (*b*): *Veſtris ſupplicationibus inclinati rationabiles conſuetudines veſtras in regno Armeniæ a tempore felicis recordationis beati Silveſtri Papæ prædeceſſoris noſtri, & ſancti Gregorii Catholicis ejuſdem regni, qui comtemporanei extitiſſe dicuntur, obtentas, inviolabiter obſervatas, quæ ſanctorum patrum regulis minime contradicunt, & canonicis non obviant inſtitutis, vobis & per vos eidem regno auctoritate apoſtolica confirmamus.* Alioque diplomate ipſis Regi, ac Reginæ conceſſo, ampliſſimam noxarum veniam iis, qui in prælio contra Sarracenos mortem oppeterent, attribuit (*c*).

Confirmat Greg. probas in Armen. conſuetudines.

(*a*) *Lib.* 12. *ep.* 391.

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*c*) *Lib.* 12. *ep.* 394.

LXXXIII Poſtremo Armenorum archipræſuli Catholico nuncupato, novum pallium, & alia pontificalia ornamenta apoſtolicæ charitatis ac gratiæ, ejuſque pii erga Romanam Eccleſiam ſtudii ſigna & argumenta miſit (*d*): *Ut ſacroſanctam Romanam Eccleſiam utpote caput omnium Chriſti fidelium & magiſtram tanquam matrem filius reverenter amplectens beato Petro & nobis, qui eidem Eccleſiæ diſpoſitione divina, licet inſufficientibus meritis, præſidemus noſtriſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis obediens, ſemper fidelis & devotus exiſtas quibuſdam petitionibus per nuncios tuos ex parte tua nobis exhibitis ad gratiam exauditionis admiſſis petitum a te pallium, tuo quod olim anteceſſoribus tuis fuit ab Apoſtolica ſede conceſſum, jam quaſi præ nimia vetuſtate conſumpto, ſicut iidem nuntii exponere curaverunt, nec non mitram, ſtolam & annulum in ſignum apoſtolicæ dilectionis & gratiæ, ac tuæ devotionis indicium fraternitati tuæ per nuncios mittimus antedictos; alias tibi velut honorabili membro Eccleſiæ prænotatis, in quibus cum Domino poterimus, propitii & favorabiles aſſuturi. Dat. Lat.* VI. *idus martii ann.* XII.

Armen. Cathol. pallium tranſmittit.

(*d*) *Ep.* 398.

I. EXoritur Chriſtianæ ſalutis annus quadrageſimus ſupra milleſimum ducenteſimum, indictione tertia decima, quo Fridericus in majora ſcelera proruit, ac Romanæ Eccleſiæ ditionem vaſtare atque invadere aggreſſus, infeſta ſigna ad Viterbium uſque circumtulit. Cujus animadverſa audacia Gregorius Papa ut illius furorem comprimeret, iterum ad præſules ſcribere coactus eſt, Fridericum vinculis anathematis irretitum, omneſque fidei ſacramento ſubditos abſolutos promulgarent, ut cum ille populos ſibi obnoxios deſciſcere videret, Apoſtolicam ſedem opprimere deſineret. Verum ſcribit Stadenſis archiepiſc. & epiſcopos Theutonicos ſe apud Pontificem, ne id facerent, excuſaſſe, utque ad pacem cum principe conciliandam deſcenderet poſtulaſſe: in Galliis tamen ac Dania ſolemni ritu anathematis defixum ſententia denuntiatum. Addit Pariſius illam etiam in Anglia ſententiam publice lectam fuiſſe, ac Fridericum eo audito miſſis legatis ac literis (*a*) querelas multiplices apud Regem effudiſſe, ſpretis affinitatis vinculis nomen ſuum adeo fœde laniari ac publice traduci paſſum eſſe, atque etiam inconſulte theſauros ad mittenda capitali ſuo hoſti ſubſidia exhauſiſſe; cum maxime ipſius cauſa ageretur, ne Pontifex principibus ac Regibus ſervitutis jugum imponeret. At Henricus pernicioſis iis conſiliis ſubornari ſe non paſſus, coacto ſuorum conſilio, ita ejus querelas retudit. Sibi præ cæteris orbis principibus ad capeſſenda alacrius Pontificis, cui fiduciario jure obſtrictus eſſet, imperia onus incumbere.

Detrectant Germ. præſules latam in Frid. ſententiam promulgare. In Dania Gallia, Anglia, ſolemni ritu lecta.

(*a*)*Recitat eas Pariſ. hiſt. Angl.*

Queritur Frid. de Henr. Angl. Rege Pontificias partes efferre.

II. Porro Gregorius cum adverſus ſe intolerabili pervicacia ferocientem Fridericum, ac nova in dies Eccleſiæ conflare pericula videret, illum ſolio deturbare Imperiumque in alium principem, ſcriptis ad electores literis ut novum ſibi Imperatorem præficerent, transfundere eſt conatus, ne ſub illius tyrannide Chriſtiana reſpublica diutius ingemiſceret. Verum e principibus aliquos Papæ reſcripſiſſe Stadenſis ait, non eſſe pontificiarum partium Imperatorem adepta exuere dignitate, ſed tantummodo electum a principibus imperialibus ornamentis inſignire. Qua in re illi pontificia jura parum æqua lance librarunt: cum non modo ratio, verum exemplis pluribus, quæ ex Baronio peti poſſint, teſtetur antiquitas ſummum Pontificem ea poteſtate pollere, ut principes tyrannos e culmine imperatoriæ regiæve dignitatis deiicere poſſit, cum ingens aliquod animarum ſaluti ex eorum pravo regimine diſcrimen incumbit, vel illi datam in ſolemni inaugurationis pompa fidem, ac ſanctiſſime tactis altaribus nuncupata ſacramenta inſigni perfidia corruperunt. Quæ omnia in Friderico concurriſſe liquet, cum innumeras ille clades Chriſtianis moribus, eccleſiarum libertati, pontificiiſque juribus intuliſſet; foveret Sarracenos, Crucifixi bona raperet, clericos innoxios trucidaret, ditionem pontificiam invaderet, nefanda hæreſi ſeſe inquinaret, fidem frangeret, ſacramenta toties edita violaret, atque a Chriſto inſtitutam poteſtatem Petroque collatam evertere niteretur, ut illorum temporum hiſtoria fidem facit.

Greg. ſcribit ad principes electores novum ſibi Imp. præficiant. Reſpondent nonnulli non eſſe Pontificis electum exuere imperio, ſed ornamentis imp. induere. Refellitur ea ſententia.

III. Interea Fridericus populos, qua promiſſis corrumpere, qua metu percellere, atque in ſuas partes contra Pontificem pellicere ſtudebat, utque fert humana conditio, alii ipſius fraudibus ſuccubuere, alii egregio animi robore induti, ſeſe omnibus periculis pro Eccleſiæ dignitate objecere, adverſus quos Fridericus laxatis iræ omnibus habenis ſuum virus effudit. Quæ Gregorii vitæ auctor complectitur ab iis initium auſpicatus, quæ Fridericus, poſtquam Piſas ſe contuliſſet, aggreſſus eſt: *Cum eſſet in Apuliam paratis navibus profecturus, de Florentinis diu quæſita fidelitate deſperans, cum in Senenſi bello populus fœminea compoſitione inoleſcens, non armis, ſed crinibus colendis addictus, quem bellicoſa Florentia hoſtili perſecutione vexabat, multa ſupplicationis inſtantia in ſui præſidium advocavit, ſibi præſtito vaſſallagii juramento. Tandem Aretini non voluntarie, ſed coacte, ſed Peruſinorum odio potius exceperunt.*

Senenſes a Florentinis divexati Fridericum in auxilium evocant.

Se illius devovent ſervituti Trahuntur in partes Frid. Aretini.

IV. At epiſcopus Aretinus raptim collectis copiis fortiter reſtitit tyrannidi Friderici, qui odio iraque in eum accenſus, bonis ſpoliavit. Cujus ſummus Pontifex arrepto patrocinio Aretinum clerum neceſſaria ipſi ſuppeditare juſſit (*b*): atque etiam, ut magis eum ornaret, quam hoſtis depreſſerat, marchiæ illum Anconitanæ præfecit, ac populos datis apoſtolicis literis ipſius juſſis parere imperavit (*c*). Graſſabatur tum in marchia Hentius, qui anno ſuperiore in eam provinciam, ut vidimus, irruperat, cujus immittendi eam cauſam prætendiſſe Fridericum, ſparſiſſeque ait Gregorii vitæ auctor, Pontificem ſibi ne jura Imperii recuperaret, in Inſubria obſiſtere; nonnulla vero loca infami proditione occupata ab Hentio, alia in Pontificis fide ſe continuere.

Epiſcopus Aret. ſtrenue pontificias partes tuetur.

(*b*) *Greg. l. 14. ep. 184.*

Ejectus ab hoſte præficitur Marchiæ.

(*c*) *Ib. ep. 181.*

Jactati a Frid. invadendæ Marchiæ prætextus. Nonnulla loca ab Hentio proditione occupata.

V. Inter alios Piceni populos in officio ac fide Romanæ Eccleſiæ Recanatenſes conſtantes perſtitere, quos ideo Gregorius magna amoris ſignificatione beneficiiſque



eſt proſecutus, (*a*) atque inter alia epiſcopalem Auximatum ſedem, ut meritis pœnis perduelles, qui ad Fridericum defecerant, percelleret, Recanatum tranſtulit; teſtes hoc anno ea de re exaratæ ad Recanatenſes pontificiæ literæ (*b*): *Dilecti in Domino filii, prout convenit, attendentes quod in devotione Eccleſiæ illam ſtuduiſtis obſervare conſtantiam, quod nec damna rerum vobis per Fridericum dictum Imperatorem Dei & Eccleſiæ inimicum illata, nec pericula corporum vos a fidelitate ſedis Apoſtolicæ avertere potuerunt; & congruum æſtimantes, ut caſtrum Recanatenſe, quod de cætero eſſe civitatem ſtatuimus, grata honorificentia extollamus; de communi fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu terræ veſtræ, quam a juriſdictione eccleſiæ Humanatenſis eximimus, concedimus dignitatem, a maledictionis filiis populo Auximano, qui dicto Friderico Dei Eccleſiam perſequenti, divino timore poſtpoſito, damnabiliter adhæſerunt; ad eccleſiam S. Flaviani de Recanato, quam de cætero cathedralem eſſe decernimus, Auximanam ſedem cum omnibus juribus ſuis dignitatibus & honoribus transferentes: ita tamen, ut cum expedire viderimus, Humanatenſi eccleſiæ in recompenſatione ſpiritualium & temporalium jurium, quæ in dicto caſtro & territorio ejus obtinuit, aſſignare aliquam partem Auximanæ diœceſis valeamus. Dat. Later.* XI. *kal. januar. ann.* XIV.

Recanatenſes ob fidem epiſcopali ſede decorati.

(*a*)*Lib.13. ep.235.*

(*b*)*Lib 14. ep.189.*

Auximates ob defectionem illius dignitate exuti.

VI. Collatum in ſe beneficium gratiſſimo animo viſi ſunt excepiſſe, cum ultro quinque millia librarum communis monetæ ad ornandam redditibus eccleſiam cathedralem obtulerunt, atque epiſcopo & canonicis ædes excitaturos ſe ſpopondere. Extant de his literæ (*c*) ad Sinibaldum tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum Card. Piceni præfectum, qui poſtea in pontificatu Innocentii IV. nomen geſſit. Illum etiam dare operam juſſit, ut ad epiſcopum & canonicos honeſte ſuſtentandos redditus contribuerent: cum præſertim ardente Fridericiano bello Auximatis eccleſiæ poſſeſſiones Recanatum facile derivari non poſſent. Beneficium vero a Sinibaldo Card. pie ac prudenter in benemeritos conjectum, quibus nonnulla ad Rom. Eccleſiam ſpectantia contulerat, apoſtolica auctoritate communivit (*d*).

Attribuunt epiſcopo & clero vectigalia Recanatenſes.

(*c*) *Ib. ep. 109.*

(*d*) *Ib. ep. 189.*

VII. Non ita Fulginates Recanatenſium exemplo pulcherrimo inſtructi in Eccleſiæ fide permanſere, quos Gregorii geſta graviter perſtringunt: *Ipſe vero a Fulginatibus invitatus, cum eſſet in partibus Lombardiæ, potentiam Peruſinæ civitatis evitans, quam nec terroribus inflectere potuit, nec promiſſis; licet per partes illas ſibi compendioſius iter eſſet, longiori via per civitatem Caſtellæ, Eugubium, & Noceriam, ejus protinus mandato parentes, devenit in Fulginium populo lætante ſuſceptus: quorum informis fides, intentio fallax, perjura manus, vulgata proditio, dirupto fidei fœdere, quod Romanæ Eccleſiæ juramentis firmaverant iteratis, recidivo perjurio Cæſaris dominium elegerunt, rem ex nomine poſſeſſuri, ut Fulginates famæ nigredinem de fuligine ſumerent, & fidei corruptelam. Utinam miſericordes matris Eccleſiæ caſus non ſentiant proprios in decoctione natorum, quibus crudelius fuit parcere quam ſævire. Tunc Trevani Spoletanorum prius vaſtati potentia, caſtro diruto & ablatis ſpoliis, Eccleſiæ beneficio ad lares proprios multo labore reducti.* Et infra: *Aſſiſinates autem, quos & generis claritas & fides inconcuſſa decorat, uſque ad muros pro ſedis Apoſtolicæ nomine Imperatoris furore vaſtati, & vexatione pulſati continua, inter ipſas vexationes propoſitia in devotione creverunt; Peruſinis, Tudertinis, & Spoletinis fidei conſtantiam eandem proſecutis.*

Fulginates deficiunt ad Fridericum.

Plures alii populi eorum perfidiam imitati.

Aſſiſinates ſtrenue mœnia tuentur. Peruſ. Tudert. Spol. fortiter eccleſiæ adhærent.

VIII. Laudibus etiam extulit Gregorius Spoletanorum erga Romanam Eccleſiam ſtudium egregiamque conſtantiam, ut quos nullæ adverſæ res ab ejus fide divellere potuerint, proque ejus tuenda dignitate bonorum jacturam eximio virtutis exemplo tolerarint. Gratiam ergo benemeritis repoſiturus Pontifex, ſuam erga eos benevolentiam hoc diplomate illuſtravit (*e*): *Gaudemus in Domino, quod vos in devotione Eccleſiæ matris veſtræ firmos ſicut columna immobilis perſiſtentes nulla perſecutio, nulla adverſitas ab ipſius fidelitate & obſequio potuit ſeparare, rapinam & incendia bonorum veſtrorum pro conſervando ipſius honore æquanimiter ſuſtinentes: ex quo vobis apud Dominum æternæ retributionis præmium, & apud homines perpetuæ laudis titulum comparatis; & nos quia id nec debet nec poteſt ab oculis Apoſtolicæ ſedis excidere, tantæ devotionis affectum condignæ retributionis effectu recompenſare proponimus, & ad exaltationem civitatis veſtræ prompto & perpetuo deſiderio aſpiramus. Verum quia gratiam quam poſſumus ad præſens eidem facere cupimus civitati, ut devotiores efficiamini ex devotis, vobis in devotione Eccleſiæ perſiſtentibus redditus, quos in diœceſi Spoletana Eccleſia Romana obtinet, exceptis redditibus ad noſtrarum munitionum cuſtodiam deputatis, uſque ad noſtræ beneplacitum voluntatis duximus concedendos. Dat. apud Cryptam Ferratam kal. ſeptemb. anno* XIV.

Spoletani ob fidei conſtantiam commendati.

(*e*) *Ep. 556.*

IX. At ſi Spoletani eas laudes juſtiſſime promeruere, non minore infamia Viterbienſes prodita Pontificis cauſa ſeſe aſperſere, qui Fridericum jam Fulginio in Apuliam ſubducere meditantem ſummo Eccleſiæ damno nec minore injuria excivere: *Prædicta vero Fulginatenſis civitas*

Viterbienſes Frid. fugam meditantem mœnibus excipiunt.

*tas indigna vocabulo, brevibus concluſa limitibus, vicinæ manus ſubventione ſubjecta jam ad meritum non modica penuria arctabatur. Propter quod principem ipſum jam in partes Apuliæ fugere diſponentem Viterbienſes ſemen nequam, filii ſcelerati, & fidei ſuæ crudeles & famæ, nullo timore cogente, ſed propria perfidia ducti, vocaverunt maternæ benedictionis obliti, qua propter grandia beneficia devotionis debito non indigna illum inſignem eis contulit, epiſcopalis dignitatis honorem, ut civitas de caſtro jam facta prius ſervituti ſubjectionis obnoxia gauderet libertate prælata. Pro quorum vexatione tollenda, quam eis urbs ſanguinem inferebat, quodammodo ſæviens in ſeipſam, non verita propriæ ſedis auxilium, Romanos ſpeciales Eccleſiæ filios jure primogenituræ majores * Viterbienſes ipſos infeſtos paulo prius, congeſtis undique viribus, hoſtili perſecutione contriverat & ſententia adverſa damnarat.*

* *Viterbienſibus ipſis*

X. Ingratus illorum erga Pontificem animus.

*Imperatorem etiam ſupradictum ſummus Pontifex in partibus illis menſibus tribus detinuit in multitudine bellatorum laboribus gravibus & impenſis, circa quadraginta marcharum millia pro ipſis expendens; ſuam eiſdem nihilominus præſentiam in non modico exhibendo, per quod ipſorum inopiæ conſuluit, & tutelæ. Qui tandem alienati ab utero ſuſceptam de ubere materno dulcedinem in amaritudinem felleam commutantes, ingratitudinis expuentes humores, in matris eruperunt excidium filii parricidæ, Chriſti hoſtes, patris & patriæ delatores, proditores domini, & rei majeſtatis offenſæ. Nec de radice diſſimili tam nocivi ſeminum fructus prodere creduntur, ut in plantario hæreſis, agro ſanguinis, ſpelunca latronum, adulterii domo creſcentes, infidelitatis rigati profluvio non alium reddere ſaporem poterant quam amarum: ſic enim Viterbienſes viam tenentes hæreſis, & culpæ propriæ relinquuntur & pœnæ, per quod Ortani, Tuſcanellani, Cornetani, homines Montisflaſconis, & Mantisalti eorum exemplo corrupti ſimili errore convolvuntur.*

Hæreſis perfidiam ſuaſerat.

XI. Sequuti Viterbienſium exemplum plures populi

Viterbienſes etiam ad ſe defeciſſe, in literis ad Anglorum Regem Viterbii ſcriptis, quarum exordium eſt: *Triplex doloris aculeus*, gloriatur Fridericus; eas Pariſius (*a*) in hiſtoriam ſuam ad annum ſuperiorem conjecit, quamvis hoc datæ eſſe videantur, ut elicitur ex geſtis Gregorii & Richardo, qui earum urbium defectionem menſe februario hujus anni conſignat (*b*): *Menſe februario Imperator venit Fulignum, ubi magnifice a civibus receptus eſt. Appellum & Coccojon venerunt ad ſuum mandatum. Recepit tunc etiam Viterbium eodem menſe februarii, Ortam, civitatem Caſtellanam, Cornetum, Sutrum, Montemflaſconem, & Tuſcanellam.* Ex iis ergo ſucceſſibus in ſuis ad Henricum literis Fridericus tanto terrore jactat percuſſum Pontificem, ut pene in deſperationem actus, cum maxima Romanorum pars ad ſe ab illo transfugeret, induendam crucem pro concione indixerit, quam gregarii tantum quidam milites, mendiculi, ac ruſticuli ſenes veſtibus aſſuiſſent; quaſi Imperator ad Romanæ Eccleſiæ vaſtitatem inferendam provolaret. His conſonant quæ Gregorii vitæ auctor propagavit hiſtoriæ, dum ait ſummum Pontificem cinctum undique periculis, ac Fridericiano exercitu circumfuſum ad divina auxilia confugiſſe; & ſolemni indicta ſupplicatione, principum Apoſtolorum capita per Urbem circumtuliſſe, ſacraque pietate accendiſſe, ut proſcriptis tyranni partibus triumphali crucis ſigno ſeſe inſignirent. Quocirca Fridericus furore percitus in eos omnes, qui crucis ſignum induiſſent, crudele edictum promulgavit; indeque factum, ut plerique immaniſſima ſupplicia pro ſervando crucis ſigno conſtanter tulerint. Inter quos ſacerdotes aliqui, qui ſacræ crucis militiæ nomen adſcripſerant, hauriri flammis, quam ſignum crucis aſſutum veſtibus abiicere atque exuere maluerunt, & inter medios flammarum globos ſacrum canticum: *Te Deum laudamus*, conſtanti ac victrice voce cecinerunt feliceſque animas cum illum verſiculum; *Te martyrum candidatus laudat exercitus*, decantarent, collecta martyri palma cœlo transfuderunt, de quibus hæc vitæ Gregorii auctor.

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*
(*b*) *Rich. e S. Germ.*

Frid. in ſpem potiundæ Romæ elatus urbi imminet cum exercitu.

*Jam ſathanæ furentis nequitia in Chriſti ſponſam potenter armata, illud grande movit in Urbe diſſidium, ut fere utriuſque ſexus & cujuſlibet ætatis ſententia, pari voto & propoſito ſimili aſſertionibus publicis caſum Eccleſiæ diffiniret incredibili errore concepto, per quem in patrum ſanguinem natorum inhiabat immanitas, in cubile maternum inducere ſatagens * alienam ruinam generalis Eccleſiæ proſequentem. Sed non defuit ſponſæ Chriſti ſponſi præſidium, & fluctuanti vicario adjutrix Domini dextera non defecit; cujus beneficio Petri ſucceſſor erectus ad divina ſe conferens munimenta, lignum crucis vivificæ, ac reverenda beatorum Petri & Pauli capita, exultantibus populis, ad ipſius principis Apoſtolorum baſilicam Cardinalium venerabilium & prælatorum comitatus veſtigio, quo decuit honore portavit. Ubi blaſphemantium, quæ convenerat, multitudo cenſu corrupta cæſareo, facunda exhortatione ſermonis, & negotii novitate converſa triumphum matris Eccleſiæ proclamabat in ſui conductoris injuriam, crucis munita præſidio, charactere depoſito antichriſti, Romanis cujuſque conditionis & ſexus pro tutela eccleſiaſticæ libertatis aſſumentibus protinus ſignum crucis erexit.* XII.

* alienigenam

Greg. inſtructa ſolemni ſupplicatione capita Petri & Pauli App. per Urbem geſtat. Ad crucem induendam Romanos excitat. Romani plures a Friderico antea corrupti repente animis mutati arma corripiunt.



XIII. Vetat Frid. intentata mortis pœna crucem geſtari.

*Ex hoc furentis immanitas propoſito deſperationis accenſa: fit Deo contrarius, & in Redemptoris injuriam armatur: horrendum procedit de prætorio crudelitatis edictum, per quod crucis geſtantes characterem pœnis ſubiiciuntur atrocibus: alii candentis ferri ſtigmate ad modum crucis in fronte conſignati: alii membrorum facta mutilatione deformes: quidam amputantur coronis ſacri ordinis * in proprium redditi: multi exuſti flammarum incendiis: nonnulli vero in loco crucis clavis crudeliter perforati, in grande infidelitatis indicium, ac publicam contumeliam crucifixi. Sacerdotes quidam vexillo crucis venerandæ muniti in alto palearum * culmo ligati expoſiti crucis ſuave jugum recuſantes deponere, ſuppoſito igne concremantur, qui ſupra modum conditionis humanæ intrepidi: Te Deum laudamus, voce valida & conſtantia invicta decantantes, ipſius hymni ſequentia uſque ad: Te martyrum candidatus laudat exercitus; proſecuti undique jam flammis crebreſcentibus obſiti inter ipſius verſiculi verba animam ſanctiſſimam Chriſto reddiderunt, pro cujus nomine tyranni ſævitiam & ignis incendia non expaverunt.* Cum porro Fridericus Romanos cruce inſignitos adverſus ſuam tyrannidem in arma proſiliiſſe conſpiceret, Urbis potiundæ ſpe abjecta in regnum Neapolitanum ſe contulit, quam rem ita conſignat Richardus: *Menſe martio Imperator relicto capitaneo apud Viterbium comite Simone Theatino cum exercitu ſuo, & in Marchia naturali filio ſuo Henrico Rege Galluræ cum his, qui de regno ſecum in Lombardia fuerant, rediit in regnum.* Addit auctor ingentem illum pecuniarum vim ab eccleſiaſticis Siculis abraſiſſe, ut Eccleſiam oppugnaret, comparatiſque novis copiis Beneventanos aggreſſum: *Menſe maii Imperator congregato exercitu ſuo de Apulia venit Capuam & ipſo mandante Beneventum in exterioribus devaſtatur.* Pertentaſſe etiam eam civitatem ſcribit geſtorum Gregorii ſcriptor: & ipſum a civibus, quos in fide & Romanæ Eccleſiæ amore conſtantes reperit, non ſine clade propulſatum: *Ingreſſus Apuliam*, de Friderico loquitur, *Beneventanam undique civitatem longo concepto furore vaſtavit: qui ſi rerum defatigati diſpendiis, fidei tamen detrimenta non paſſi, quin potius ex moleſtia robuſtiores effecti, plures de imperiali exercitu congreſſu audaciſſimo peremerunt.*

* *in improperium*

Horrenda Frid. crudelitas in eos qui ſe crucem conſignant.

* *cumulo*

Sacerdotes in mediis flammis quibus ob geſtatam crucem erant injecti Deo laudes concinunt.

Frid. in regn. Neapol. ſe recipit.

Benevent. agrum vaſtat.

XV. Extrema æſtate Beneventum jubet obſidione cingi.

At quamquam Fridericus irrito conatu exercitum inde tunc removit, menſe tamen auguſto fatigatos ob agrorum vaſtitatem, quæ vere illata fuerat, arctiori obſidione a Siculis cingi juſſiſſe Richardus paulo ante memoratus teſtatur. Nec minus illi impigre ad ſuſtinendos hoſtium impetus ſe accinxere: quorum conſtantiam pro tuenda Romanæ Eccleſiæ adverſus Fridericum libertate cum certa fama accepiſſet Pontifex, literas ad eos exaravit (*a*) quibus commendato invicti animi robore, quo immanes tyranni impetus pertuliſſent, ipſorum edictum adverſus proditores, qui Fridericum in urbem inducere conati erant, confirmavit, ne eorum heredes civitate donari boniſve fiſco addictis potiri poſſent: *Utinam affectus noſtros optatus ſequeretur effectus, & non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum annueret Dominus votis noſtris: quia nec vos afflictiones & preſſuras pati diutius, nec nos vobis ſuper iis compati longius cogeremur. Veruntamen quod nondum in hoc eſt noſtris & veſtris deſideriis ſatisfactum, præter arcanum providentiæ divinæ conſilium, quod comprehendere mortalium nemo poteſt, certum eſt vobis indicium, quod adhuc vos probare diſponat, ut fidei veſtræ probatio multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem. Vos ergo ſicut viri virtutis & gratiæ conſiderato, prout convenit, diligenter quam grande quamque ſolemne apud omnes gentes factum ſit conſtantiæ veſtræ nomen, quantumve virtutis & gloriæ veſtræ accreverit civitati, accingimini & eſtote filii potentes civitatem ipſam & vos ipſos viriliter defendendo, ac loca tutiora ſervantes illa, in quibus poſſet eſſe periculum, cautius evitetis, ſecuri quod in proximo actore Domino reportabitis glorioſum de lugubri calamitate ſucceſſum.*

(*a*) *Lib 14. ep. 167.*

Hortatur ad conſtantiam Beneventanos Greg.

XVI. Latas ab ipſis in proditores pœnas confirmat.

*Cæterum cum quidam de civitate prædicta, ſicut non abſque multa turbatione didicimus, peſtilentes ſpiritu diabolico concitati ad civitatis ejuſdem exterminium intendentes, ipſam in manus hoſtium prodere niterentur, quia proditione, Domino faciente, detecta fugæ præſidium de manibus veſtris eripuit proditores, vos communicato conſilio ſtatuiſtis, ut proditorum ipſorum bonis omnibus confiſcatis, tam ipſi quam eorum heredes nunquam ad regreſſum civitatis jam dictæ in perpetuum admittantur; nos proditionem & proditores, ſicut convenit, deteſtantes ſtatutum hujuſmodi provide factum auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Dat. Later. idib. octob. ann. XIV.*

XVII. (*b*) *Rich. in chron. ann. 1241.*

Conſcripto potenti exercitu Frid. Campaniam fruſtra tentat.

At cum ea civitas undique hoſtibus cincta eſſet, nec ullæ auxiliares copiæ ad ſolvendam obſidionem ſubmiſſæ, ſequentis anni menſe aprili ad deditionem compulſam ſcribit Richardus (*b*). Hujus vero anni inclinante vere Fridericus, ut conſilia ſua Beneventanorum fide, atque in Eccleſiam conſtanti animo eluſa vidit, infeſta ſigna conflato ex diverſis nationibus exercitu in Campaniam traduxit, & qua

vi

vi qua fraudibus graſſari cœpit; quos metu concutere non poſſet, promiſſis ingentibus delinire. Verum id fruſtra, cum & viribus bellicis & conſtantia atque integritate munitos reperiſſet; quare mox in Picenum movit, ut incautos eos populos laceſſeret bello, atque opprimeret: *Demum potentiæ ſuæ*, inquit, auctor vitæ Gregorii, *vires examinans regni Siciliæ & diverſarum nationum multitudine congregata, & frænum furoris relaxans Campaniæ fines aggreditur, & exterminium patriæ comminatur, quæ fide præclara, nobilitate perſpicua, divitiis opulenta, clara ſpectabili militia, ſtrenua liberalitate dotata, patrum relinquere leges non potuit præſcriptione fidei & devotionis ſingularitate probata. Cujus immobile fidei fundamentum antiqua patrum ſoliditate firmatum, nulla tribulatione commotum, non callidæ artis aſtutia, non auri fulgentis infeſta promiſſio, non hoſtiles corrupere conatus; qui armorum & fidei tutela muniti promptiſſimum Eccleſiæ præſtiterunt ſubſidium. Quare Cæſar patriam relinquens, ingruentium atque reſiſtentium hoſtium vires concitus declinavit, incautos Marchiæ filios petiturus.* Hiſque auctor hiſtoriæ ſuæ finem impoſuit, qui collatis pontificiis litteris, & ſcriptorum probatiſſimæ fidei monumentis comparatis, veritatis amantiſſimus fuiſſe reperitur. Non ille tamen extremam manum cœpto operi admovit: forte enim illi elaborando incumbentem mors intempeſtiva oppreſſit.

In marchiam excurrit.

XVIII. Cæterum dictis ab ipſo conſentientia de hac in Campaniam meditata irruptione tradit Richardus (*a*): *Menſe junio Imperator cum exercitu ſuo, quem de regno collegerat, venit ad S. Germanum, ubi per ſex dies moram pertrahens e veſtigio per Agnum tranſitum faciens, & ſecum ducens Pandulphum dominum Agni apud inſulam pontis Salarati poſuit caſtra ſua Campaniam intrare diſponens; quam non intravit uſus conſilio ſaniori: ſed per Soram & Marſiam direxit in Anconæ marchiam greſſus ſuos.* Quæ porro tyrannus evertendæ Romanæ Eccleſiæ inhians geſſerit, perſtringit Richardus ipſum, ubi per Picenum ſigna circumtuliſſet, irrupiſſe in Romaniolam ac Faventiam menſe auguſto obſidione cinxiſſe, quam ſequenti anno cepiſſe ſcribit.

(*a*) Rich. in chr.

Irrumpit in Romaniolam. Faventiam obſidet.

XIX. Temperarunt ſecundos Friderici ſucceſſus nonnulli adverſi caſus. Gregorius enim e Monte Longo S. A. L. fœderatorum Inſubrum ac Venetorum auxiliis ſuccinctus Ferrariam recuperavit; meminit illius obſidionis Richardus quam menſe aprili hujus anni defixam ait: Patavinus (*b*) vero monachus poſt menſium quatuor ſpatium expugnatam ſcribit. At Salinguerra, victoris arbitrio ſe permittere coactus, a Jacobo Teupulo Venetorum duce abductus in Vincula ægritudine animi ſenioque octogenarius poſtea exaruit. [1] His addit Hieronymus (*c*) Rubeus tractatum ideo aſperius, quod cum vectigalis Eccleſiæ Romanæ eſſet, violato ſacramento promiſſis Friderici elatus ad illius partes lubricam fidem detorſiſſet, quod ipſi improperatum a Paulo Traverſaria Ravennæ principe, atque in os objectum; ac mox a ſcriba publico ex ſcripto recitatum refert, cujus ſacramenti conceptam formam nos ſuo loco, (*d*) cum ſe Innocentio III. devinxit, collocavimus. Illata etiam a Venetorum claſſe non levia damna Friderici terris maritimis refert Richardus: *Menſe ſeptembri*, inquit, *galeæ Venetiæ diſcurrentes per regnum in odium Imperatoris Termulas, Veſtam, & quaſdam alias Apuliæ terras capientes deſtruxerunt, & bonis omnibus ſpoliarunt. Apud Brunduſium euntes prædictæ galeæ navem quandam redeuntem ab Hieroſolymis, cum non poſſent capere vi, igne cremarunt.* Corripuiſſe porro in Fridericum arma Venetos ad frangendam illius tyrannidem, cum ſub jugum eos mittere meditaretur, e Friderici literis colligitur, in quibus ipſos perduelles appellat (*e*).

Ferraria obſidione a legato ap. capitur.

(*b*) Mon. Pad. chr. l. 1.

(*c*) Hier. Rub. hiſt. Ravenn. l. 6.

Sicilia a Venetorum claſſe infeſtata.

(*d*) An. chr. 1215.

(*e*) Extat apud Matth. Par. hiſt. Angl.

XX. Extulere præterea ſe adverſus Fridericum nonnulli Imperii principes, qui defendendas partes pontificias ſuſcepere, inter quos Provinciæ comes Arelatenſiſque archiepiſcopus civium ſtudiis fultus Friderico apertum bellum indixere, quos Pontifex ad tuendam Eccleſiæ libertatem a Præneſtino epiſcopo legato collectis in iis provinciis pecuniis juvari juſſit (*f*). Alexandrini pariter pontificias (*g*) partes ſunt ſecuti, quorum urbem olim ab Alexandro Papa epiſcopalis ſedis ornamento ad Apoſtolorum honorem principis, cujus nomini erat ſacra, decoratam exutamque ea dignitate ab Innocentio, priſtino ſplendori reſtituit.

Provinciæ comes & Arel. arch. deficiunt a Frid.

(*f*) Lib. 13. ep. 228.

(*g*) Lib. 14. ep. 36.

Alexandrini ad pont. partes ſe transferunt.

XXI. *Cum*, inquit, *Innocentius Papa pro eo, quod vos tunc temporis inimicis Eccleſiæ adhæſiſtis ad ipſius redire mandatum temere contemnentes, civitatem veſtram epiſcopali deſtituerit dignitatis honore; nos tandem attendentes, quod diebus iſtis, quibus per Fridericum dictum Imperatorem & divina majeſtas offenditur, & fides catholica damnabiliter impugnatur, in devotione Eccleſiæ inconcuſſi & ſtabiles perſtitiſtis; ac in affectu veſtro geritur, ut ipſa ſemper in vobis gratos reperire filios gratuletur, de fratrum noſtrorum conſilio dignitatem eandem civitati veſtræ reſtituendam duximus, de gratia ſpeciali vobis auctoritate præſentium concedentes, ut ipſa ſecundum dicti formam privilegii perpetuis futuris temporibus gaudeatis. Dat. Later.* VI. *idus maii ann.* XIV. Cum vero Aquenſes Friderici partibus irretiti non leviora damna Alexandrinis inferrent, Pontifex nullam impoſterum Alexandrino populo vel ob ſedem epiſcopalem in illorum urbe excitatam, injuriam infligere atque irrogare vetuit (*a*): cum maxime Alexandria Apoſtolicæ ſedis fidei credita eſſet: ni parerent redirentque ad Eccleſiam, ipſorum facinoribus impulſum ſedis epiſcopalis decus urbi adempturum. [1] Ut demum ferociente magis magiſque Friderico Gregorius tum ad comprimendam illius tyrannidem, tum ad afferendum innumeris malis, quæ orbem Chriſtianum premebant, remedium, œcumenicum concilium indixerit, dicemus inferius: nunc ex funeſto Fridericiano bello ad nonnullos piiſſimos viros, de quibus ſanctorum catalogo apponendis agitatum eſt, orationem traducamus.

Ob eximium in Eccl. ſtudium epiſcopali ſede inſigniti.

(*a*) Ib. ep. 37.

XXII. Illuſtrabat Italiam hoc tempore miraculorum ſplendore Ambroſius Minorita, atque adeo ingentes populorum concurſus ad colendum ejus ſepulcrum celebrabantur: ut Urbevetani coacto concilio ſummum Pontificem rogandum duxerint, ut illum in cœlitum albo collocaret, cujus ſanctitatis tot præclara ſigna affulgerent; quare Pontifex rem tanti momenti ad examen vocandam cenſuit, (*b*) ac priori S. Joannis e Platæa Urbevetani ordinis S. Auguſtini provinciam contulit, ut quæ a ſancto viro patrata prodigia dicerentur, diſcuteret atque ad examen revocaret. Aliis vero literis inquirendi formam omnium circumſtantiarum cujuſque editi miraculi explorandarum rationem præſcripſit (*c*): *Teſtes legitimos quos ſuper vita, converſatione, ac miraculis recolendæ memoriæ fratris Ambroſii debetis recipere, prius ab eis præſtito juramento diligenter examinare curetis, & de omnibus quæ dixerint, interrogetis eoſdem, quomodo ſciunt, quo tempore, quo menſe, quo die, quibus præſentibus, quo loco, ad cujus invocationem, & quibus verbis interpoſitis, & de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur; & ſi eos antea cognoſcebant, & quot diebus antea viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi, & quanto tempore viſi ſunt ſani, & de quo loco ſunt oriundi; & interrogentur, de omnibus circumſtantiis diligenter, & circa ſingula capitula fiant, ut expedit quæſtiones præmiſſæ, & ſeries teſtimonii & verba teſtium fideliter redigantur in ſcriptis.* Ceterum refert R. P. Lucas Wadingus (*d*) ex Piſano certiſſimis argumentis compertum fuiſſe ab iis, quibus exercendi hujus examinis provincia erat impoſita, maxima miracula B. Ambroſii opera divinitus patrata, quæ auctor perćenſet.

Ambroſius Minorita miraculis clarus.

(*b*) Ib. ep. 41.

(*c*) Ep. 42.

De illorum veritate accuratiſſime inquiri jubet Greg.

(*d*) Vvading. annal. Minor. hoc ann. n. 8.

XXIII. Conjungendus ſancto Minoritæ Carthuſiani ordinis religioſus vir, vitæ ſanctitate inſignis Oddo nomine, viſus eſt, qui cum jamdiu ante ſanctiſſime obiiſſet, Marſiam per hæc lugubria tempora maximis miraculis colluſtravit, de quo hæc Richardus (*e*): *Menſe majo in Marſia apud Taliacotium, quidam ſanctus Oddo revelatur, qui miraculis multis claruit.* Hæc ille; tradunt vero B. Oddonis geſta ſumma fide conſcripta decerptaque ex publicis tabulis ab iis confectis, quibus a Pontifice ea provincia demandata erat, illum Novaria oriundum Taliacotii in Marſia in cellula conjuncta monaſterio SS. Coſmæ & Damiani, quo in loco ut degeret, abbatiſſa a Clem. III. obtinuerat, vitam aſperrimam duxiſſe, (*f*) ut qui perpetuo jejunio & cilicio carnem maceraret, ac pro lecto ſarmentorum congeſta ſtrue uteretur; ætate jam provectiorem & centum annos emenſum pridie, quam e vivis diſcederet, diem & horam obitus prædixiſſe: ac de pio illius mortis genere hæc afferunt: *Pridie quam moreretur, diem & horam ſui obitus prænunciavit; cumque in lecto jam moribundus decumberet, hæc verba dicens auditus eſt: Expecta me, inquit, Domine, ecce ad te venio. Interrogatus autem a quodam ex aſtantibus quemnam alloqueretur: Jam enim, inquit, regem meum video, jam in conſpectu ejus aſſiſto. Mox de ſtrato erectus elevatis & extenſis in crucis formam manibus eſpiravit die* XIV. *januarii, ut plurimi teſtium aſſeruerunt, tametſi in feſtivitate ſancti Mauri* (*quæ ſe-*

(*e*) Rich. in chron. an. 1239.

(*f*) Ext. ejus acta apud nos.

Pia illius mors.



NOTÆ [1] Quid actum fuerit de Salinguerra, de quo hic in annalibus, inter ſcriptores non ſatis convenit. Licet enim monachus Patavinus hæc de illo ſcribit, quæ leguntur in annalibus, Rolandinus tamen coævus ſcriptor de rebus Marchiæ Tarviſinæ lib. V. cap. I. teſtatur de illo: *Miſſus eſt Venetias curiali modo* (ideſt honeſto) *& digna reverentia cuſtoditus, ubi poſt aliquot annos debita natura perſolvit, & eidem in ejus morte omnes majores & nobiles de Venetiis magnam fecerunt reverentiam & honorem.* MANSI

NOTÆ [1] In fide Romanæ eccleſiæ brevi perſeveraſſe Alexandrinos arbitror, cum Bartholomeus ſcriba, qui circa hæc tempora continuationem ſuam ad annales Genuenſes mandabat literis, ad hunc annum notet: *Eodem anno Alexandrini, omiſſa Dei reverentia, & Romana eccleſia, & ſpreto juramento quod fecerant ſocietati Lombardorum, eccleſiæ fidelium mandata Manfredi Marchionis Lanciæ vicarii Friderici imperatoris temere juraverunt, ipſum quoque in regimine civitatis ejuſdem voluntarie procreantes.* MANSI

*ſequenti die celebratur* ) *unus illum obiiſſe contendit*. Nec minus admiratione ac memoria celebrandum, dum ſepulcro condendus eſſet, illud contigit, ut alterius in eo quondam humati oſſa ſponte defixis ſtupore ſpectantibus, quaſi locum darent in angulum ſeſe ſubduxerint. Cum vero Deus Oddonis ſanctitatem illuſtrare vellet, illius anima tribus noctibus ſplendore circumfuſa in ſomnis archipresbytero loci Oderiſio ſeſe objecit, juſſitque abbatiſſam monaſterii monere ipſius corpus in loco honorificentiore reponeret; adornataque ad ejus reliquias transferendas ſolemni pompa, anno MCCXXXIX. ipſius corpus omnis corruptionis expers inventum, ſuaviſſimum odorem exhalavit: ac tum innumera ejus beneficio miracula edita omnium morborum affecti genere valetudini reſtituti, ejecti e corporibus dæmones aliaque divinæ potentiæ ſigna ejus reliquiis populorum venerationem conciliarunt, ac Gregorium ut de eo ſanctis annumerando agitaret, atque exeunte ſuperiore anno abbati e Turano ac Petro Minoritarum magiſtro partes conferret, (*a*) ut in illius vitam atque edita miracula inquirerent impulerunt: *Ad audientiam noſtram fide dignorum relatione pervenit, quod per merita quondam Oddonis monachi Carthuſienſis, cujus corpus in monaſterio ſanctorum Coſmæ & Damiani de Taliacozo Marſicanæ diœceſis requieſcit, Dominus Jeſus Chriſtus multa & magna operatus hactenus miracula extitit, & etiam nuper oſtendere in ſui eſt corporis tranſlatione dignatus. Unde cum viri tanti memoria non debeat apud homines deperire, nos ſuper hoc plenius certificari volentes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus habentes præ oculis ſolum Deum inquiratis de vita ipſius & ſuper præmiſſis diligentius veritatem; & quæ inveneritis fideliter in ſcriptis omnia redigentes, ſub ſigillis veſtris apud aliquem religioſum locum eadem deponatis, ad ſedem Apoſtolicam nullatenus tranſmiſſuri, niſi ſuper hoc a nobis mandatum receperitis ſpeciale. Dat. Later.* IV. *idus decemb. pont. noſtri ann.* XIII.

Ejus corpus corruptionis expers inventum.

Patrata ab eo miracula.

(*a*) *Ex tab. litera apud nos in MS. Vallicell. biblioth.*

XXIV. Non prætereunda ſilentio hic viſa ſunt nonnulla privilegia, quæ hoc anno Gregorius pro eximio illo ſuo in viros religioſos ſtudio contulit. Corbejenſem in primis abbatem Benedictinæ familiæ ſubiecta in diplomate apoſtolico prærogativa ornavit (*b*): *Cum, ſicut aſſeris, abbati qui pro tempore in monaſterio tuo fuerit, liceat mitra & annulo, tunica quoque ac dalmatica ex conceſſione Apoſtolicæ ſedis uti, nos pium arbitrantes & decens, ut monaſterium idem cum ad Rom. Eccleſiam nullo pertineat mediante, per nos conſequi ſe gaudeat gratiam ampliorem, devotis tuis ſupplicationibus inclinati tibi & ſucceſſoribus tuis, ut cum eiſdem inſigniis in miſſarum ſolemniis chirothecis uti, & ſandaliis valeatis auctoritate præſentium indulgemus. Dat. Later.* II. *idus maii pont. noſtri anno* XIV. Huic prærogativæ aliam (*c*) non contemnendam adjecit: *Tibi ac ipſis*, de ſucceſſoribus loquitur, *quod ſacerdotales veſtes, altaris pallas & corporalia in monaſterio Corbejenſi & eccleſiis eidem pleno jure ſubiectis benedicere valeatis, auctoritate præſentium de ſpeciali gratia concedimus facultatem.*

(*b*) *Lib.* 14. *ep.* 68.
Conceſſa Corbejenſi abbati privilegia.

(*c*) *Ib. ep.* 72.

XXV. Ad tuenda etiam abbatis monaſterii Romani olim a S. Gregorio magnis vectigalibus aucti jura, confirmavit (*d*) pervetuſtum diploma, quod in ipſorum gratiam ſanctus Pontifex in accepti beneficii memoriam, cum in iis piis ædibus religioſum habitum ſumpſiſſet, ediderat, jamque nimia vetuſtas pene deleverat, proinde literis apoſtolicis contra temporum injuriam recens deſcriptum inſinuavit (*e*). Complexus etiam eſt apoſtolico ſtudio religioſos equites Calatravanos ordinis Ciſtercienſis, qui cum finitimis Sarracenis in Toletana regione crebris per id tempus præliis, cum pugnandi urgebat occaſio, congrediebantur: quorum exemplo incitati multi fideles ſub eorum vexillis media penetrabant pericula fortiterque pro fide occumbebant. Ad incendendam itaque magis eorum pietatem ac ſpe æternitatis ad vitam pro Chriſto exponendam periculis, ampliſſimam ipſis Gregorius peccatorum veniam largitus eſt (*f*).

(*d*) Ep. 174.

(*e*) Ep. 174.
Calatravis equit. aliiſque eorum ſigna ſecuturis propoſitæ indulgentiæ.

(*f*) *Ep.* 180.

XXVI. Auctam admodum in Hiſpania rem Chriſtianam hoc anno refert Mariana, (*g*) atque Hudielem Regem Murciæ Alhamaris metu, cui ſe imparem ſentiebat, in Ferdinandi Regis fidem ſe recepiſſe, Murciæque arcem ab Alphonſo Ferdinandi filio, præſidiis magna feſtinatione occupatam, ne, ut anceps barbarorum eſt fides, ad alia conſilia deflecterent. In Valentino etiam regno præclare a Chriſtianis certatum eſt, qui cum arcem Chium obſidione cinxiſſent, concurrentibus mox eo infidelibus tanta multitudine, ut noſtros numero longe ſuperarent, divino præſidio muniti glorioſiſſimam victoriam pepererunt. Cœleſtis vero auxilii ipſis porrecti Chriſtique in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento præſentiæ illuſtre ſignum a numine editum. Cum enim ſacerdos divina perageret myſteria, atque ſex numero hoſtias conſecraſſet, ut totidem ducibus exercitus, qui intererant, & euchariſtia refici, antequam inirent prælium, peroptabant, porrigeret, elato ad capienda in hoſtem irrumpentem arma clamore, omnibuſque ad pugnam provolantibus, corporalibus divinas hoſtias involutas recondidiſſet; partaque victoria ſanctiſſimas hoſtias venerabundus inſpexiſſet, corporalia puriſſimo ſanguine delibuta, atque hærentes illis hoſtias ſuſpexit, quæ Datocam in Aragonia, ubi venerationi fidelium ſunt expoſita, tranſlata fuere: de quo celeberrimo miraculo nonnulla manuſcripta apud nos extant.

Murciæ arx Regi Caſtellæ a barbaris tradita.
(*g*) *Mariana de rebus Hiſp. l.* 13. *c.* 2.
Deleti divinitus ad Chium arcem Sarraceni.





Inſigne de veritate ſacramenti euch. miraculum.

XXVII. His addit (*a*) Surita Zaenum Regem Jacobo Alicantis arcem obtuliſſe, modo ipſi Minoricam jure fiduciario tribueret, remque ab ipſo refutatam, cum ex initi cum Regibus Caſtellæ fœderis legibus illius regionis tractus in Regum Caſtellæ ditionem concedendus eſſet. Fuiſſe vero Minoricam a Sarracenis, qui facta e navibus excenſione plures in eam impetus imprimebant, infeſtatam e literis (*b*) pontificiis colligitur, quibus Chriſtianos ad eam ſtrenue defendendam, ac propulſandos Mauros excitat Gregorius (*c*). Ad augendum etiam in Majorica divinum cultum conceſſit epiſcopo Pontifex, ut canonicorum ſæcularium collegium inſtitueret, inſtruxitque (*d*) auctoritate, ut hæreticos, qui ſponte impietatem exuerent, fidelium communioni aggregaret. Quæ porro ad diſciplinam eccleſiaſticam in priſtinum robur revocandam geſta ſint, proſequamur.

(*a*) *Surith. l.* 3. *c.* 37.

(*b*) *Lib.* 13. *ep.* 226.
(*c*) *Ib. ep.* 220.

(*d*) *Ep.* 222.

XXVIII. Diſtrinxit Gregorius (*e*) ſeveritatem eccleſiaſticam in Vigintimilienſem epiſcopum, illumque divinis peragendis myſteriis ac munere pontificali interdixit, cum partam flagitio dignitatem ſceleratius gereret. Cujus immania crimina, vitæ impuritatem, avaritiam, injuſtitiam, ſacrilegia, jactatumque ab ipſo improbe permiſſum ſibi a ſede Apoſt. tenere concubinam, nec majori Romanum Pontificem ad concedendas indulgentias quam ſimplicem ſacerdotem valere auctoritate, aliaque ſcelera in literis ad Nicienſem epiſcopum deſcribit, quem tantorum flagitiorum veritatem indagare juſſit. Tum ad nonnullos etiam abuſus, qui in variis Chriſtiani orbis partibus excreverant, evertendos, curas pontificias convertit Gregorius: & quidem in Norvicenſi diœceſi turpiſſimus mos inoleverat, ut ſacerdotiis ceſſuri plerique ea certis conditionibus conferrent, quas avaritia commenta erat, ut in filios, nepotes, aliosque affinitate ſibi conjunctos transfunderent: quare Gregorius eos, qui ita ad ſacerdotia ſubreperent, gradu pelli ac ſacerdotiis ſubmoveri, dato ad epiſcopum Norvicenſem diplomate, imperavit. (*f*)

(*e*) *Lib.* 14. *ep.* 102.
Vigintimilien. ep. ſcelera & hæreſis.

In eum inquirit Greg.

Pravæ nonnullæ conſuetudines a Greg. extingui juſſæ.

(*f*) *Ib. ep.* 85.

XXIX. Nec minus exitialis error in Lugdunenſi Gallia nonnullos perditiſſimos homines infecerat, qui avaritia perciti, cum ingentia dona a fidelibus in eccleſiam S. Antonii Viennæ ab iis conſtructam, qui ejus apud numen precibus ſacro igne fuerant liberati, conferri intuerentur, obibant provincias, urbes & oppida, ejus ſancti honoris ergo cogebant pecunias, infeſta latronibus itinera ementiebantur, ut pecunias a piis hominibus extorquerent; apoſtolicas literas adulterinas proferebant, quibus ſe peccatorum veniam impertiri fingebant: quodque ſceleratius eſt, erutis collectiſque ex cœmeterio incerto oſſibus, ea pro D. Antonii reliquiis colenda, ac ſacro igne peruſtis hominibus religioſo ſupercilio oſculanda porrigebant, proponebantque. Tantum ergo ſcelus inultum non paſſus Gregorius, in hujuſmodi hominum colluvionem cenſuras eccleſiaſticas expedivit, atque hæc regionum illarum præſulibus imperia dedit (*g*): *Univerſitati veſtræ diſtrictius præcipiendo mandamus, quatenus ſinguli veſtrum faciatis per veſtras diœceſes, & parochias annis ſingulis publice nuntiari, ne quis eleemoſynas ſuas eroget quæſtoribus hujuſmodi nomine B. Antonii, ſed eos, maxime qui ſe a nobis remiſſionis habere literas mentiuntur, tanquam falſarios perſequatur. Ea vero quæ talibus quæſtoribus hactenus eſſe collata noveritis, eis a quibus extorta fuerunt, reſtitui, ſi commode fieri poterit, faciatis. Alioquin quilibet veſtrum in uſus pauperum ſuæ diœceſis, quæ a parochianis ſuis conſtiterit exacta, convertat. Dat. apud Cryptam Ferratam* VI. *kal. ſept. an.* XIV. Hæc ad nefarios impoſtores coercendos Gregorius.

Impoſtores qui prophana oſſa pro ſacris reliquiis oſtentabant coerciti.

(*g*) *Ep.* 143.

XXX. Non ſilendum pontificii, in ſervandis canonicis legibus, rigoris in Philippi olim Regis Franciæ notho filio exemplum ſtatuit, quem a Noviomenſibus canonicis epiſcopum electum, ac mox diaconatu inſignitum, ſcriptis ad archiepiſcopum Rhemenſem literis, ea dignitate exui præcepit (*b*): quamvis enim juſtorum natalium dignitate donatus ad eccleſiaſtica officia adipiſcenda fuiſſet; id tamen ad epiſcopale munus, cujus mentio expreſſa nulla fieret, non ſe porrexiſſe ſignificavit. [1]

(*b*) *Ep.* 115.



NOTÆ [1] SI vera prodit Albericus, qui ad annum ſequentem perductam hiſtoriam in Galliis tunc ſcribebat, Petrus hoc anno in Noviomenſem non renunciatus tantummodo, ſed & conſecratus fuit epiſcopus. Ita enim de illo ſcribit ad hunc annum: *Epiſcopus Noviomenſis Nicolaus moritur,* ( die XIV. februarii hujus anni, ut ex authoribus Galliæ chriſtianæ liquet ) *pro quo electus eſt dominus Carolus regis patruus, qui proprio nomine dictus eſt Petrus.* Vix hæc aliter intelliguntur quam de conſecratione epiſcopali. Hanc forte conſecrationem cum ſerius facta eſſet, ignorabat Gregorius, quo tempore literas dedit ad archiepiſcopum Remenſem,

*Achiepiſcopo Rhemenſi.*

*Noviomenſi eccleſia paſtore vacante, ipſius eccleſiæ canonici P... natum claræ memoriæ Regis Franciæ* (*nimirum Philippi Auguſti avi S. Ludovici*) *ſubdiaconum noſtrum in ſuum epiſcopum elegerunt: cujus electionem tu non, ut decuit, diligenter advertens jura canonica, confirmaſti. Cum enim Rex ipſe uxorem habens legitimam dictum P.. ſuſceperit de ſoluta, in epiſcopum idem P.. eligi minime potuit, nec ſua debuit electio confirmari; nec ex eo quod ſecum diſpenſaſſe dicimur, ut defectus natalium in nullis ſpiritualibus ſibi obſit, quin ad honores & dignitates libere poſſit aſſumi, quod licite ad epiſcopatum eligi valeat, intelligimus indulſiſſe; ſed ſolum ad minores dignitates & inferiores honores. Diſpenſationes enim & indulgentiæ, quæ defectum natalium patientibus ſuper dignitatibus & honoribus generaliter conceduntur, non extenduntur ad epiſcopatus, niſi de ipſis ſpecialiter exprimatur in eis; nec ſub dignitatum & honorum eccleſiaſticorum nomine, cum de illis in genere loquitur Lateranenſe concilium, felicis memoriæ Innocentius Papa prædeceſſor noſter voluit epiſcopalem dignitatem includi. Ad minores etiam dignitates & perſonatus conſtitutio noſtra extenditur, qua mandantur filii ſacerdotum, & alii non legitime geniti a dignitatibus & perſonatibus ſine diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ habitis amoveri; & cum oporteat ſecundum Lateranenſis ſtatuta concilii, quod promovendus in epiſcopum de legitimo ſit matrimonio procreatus, non ſufficit tali, quod legitimatus exiſtat, niſi ei poſſe in epiſcopum promoveri beneficio apoſtolicæ diſpenſationis concedatur expreſſe.*

Conceſſum ſpuriis ad dignitates adipiſcendas jus ad epiſcopalem non porrigitur.

XXXI. *Decernimus itaque de fratrum noſtrorum conſilio irritum, & inane quod ſuper electione præfati ſubdiaconi & confirmatione taliter eſt præſumptum; necnon eum ab executione ordinis diaconatus, quem recepiſſe dicitur, volumus manere ſuſpenſum, cum non potuerit ad illum ſine noſtra ſpeciali licentia promoveri. Verum licet illos, qui ſcienter non legitime natos eligunt, canon Lateranenſis concilii decernat eligendi poteſtate illa vice privatos, & per triennium ab eccleſiaſticis beneficiis fore ſuſpenſos; ac juxta ſtatuta concilii generalis non ſolum deiiciendus ſit indigne promotus, verum etiam indigne promovens puniendus, ut ſi eum in hoc per negligentiam deliquiſſe conſtiterit, non tantum confirmandi primum ſucceſſorem illius careat poteſtate, ſed etiam ne aliquo caſu pœnam effugiat, a perceptione proprii beneficii ſuſpendatur; ſi vero convictus fuerit per malitiam exceſſiſſe, graviori ſubjaceat ultioni; nos tamen ſuper iis ſuo loco & tempore providere curabimus, & actore Domino ſicut melius expedire viderimus, procedemus. Dat. Later.* III. *non. julii anno* XIV. Quo etiam argumento ad Jacobum Præneſtinum epiſcopum Apoſtolicæ ſedis in Galliis legatum ſcripſit: ipſumque perſtrinxit eundem Philippum in diaconum promoviſſe: *Miramur, nec immerito, quod ſicut te inſinuante didicimus P... natum claræ memoriæ Regis Franciæ ſubdiaconum noſtrum in epiſcopum Noviomenſem electum in diaconum ad titulum Noviomenſis eccleſiæ, ſuper hoc a nobis licentia non habita nec etiam poſtulata, quod tibi non licuit, promoviſti, &c.* Verum remiſit poſtea de ea ſeveritate Gregorii Innocentius IV. anno hujus ſæculi quadrageſimo tertio atque in gratiam S. Ludovici illum Noviomenſi eccleſiæ epiſcopum præfecit (*a*); ſed ad Gregorium redeamus. [1]

(*a*) *Inn. IV. l. 1. ep. 254. 262.*

Non

NOTÆ ſem, in quibus ordinis tantummodo diaconatus ab eo recepti meminit. Nec ſane tota ejus cauſa cum epiſtola illa pontificis deſiit; ad annum enim ſequentem ſcribit idem Albericus: *epiſcopus Noviomenſis dominus Carolus a papa ſuſpenſus eſt, & coram ſe citatus, & ſine mora ab eo depoſitus eſt, eo quod eſſet ſubdiaconus domini papæ, non ab alio, ut dicitur, quam a domino papa debuerat conſecrari, & ſi petiiſſet miſericordiam, ut dicitur, non judicium, ſtatim fuiſſet reſtitutus; ſed quia judicio ſe obtulit, judicem non evadit.* Hæc pontificis ad tribunal ſuum evocatio in epiſtola in annalibus producta non legitur, ex quo deducimus proceſſum ulterius in ea cauſa fuiſſe, ac forte Petrus neglecta, vel non expectata pontificis inhibitione, accepto diaconatu, dein ad ſacerdotium, & conſecrationem epiſcopalem feſtinavit. Ex quo commotus pontifex illum ad cauſam ſuam dicendam provocavit. Poſtrema vero Alberici verba ſatis demonſtrant D. Fleury in hiſtoria eccleſiaſtica iniquiori, quam pro merito, cenſura Gregorium carpſiſſe, cum ejus ſeveritatem in patruum regis ab exaſperato pontificis in S. Ludovicum animo proveniſſe arbitratur; eo quod rex auxilium poſcenti Gregorio in Fridericum ſuppetias ferre recuſaverit. Non enim alia de cauſa epiſcopum rejecit, niſi quod jus æquum dicere ab eo coactus fuit. MANSI

[1] CElebrata hoc anno in Gallia concilia ſunt tria, Meldenſe, in quo Jacobus Præneſtinus cardinalis legatus apoſtolicus Gallicanos præſules ad concilium Romam a Gregorio indictum invitavit. Silvanectenſe, in quo idem Jacobus Præneſtinus vigeſimam omnium eccleſiaſticorum proventuum impetravit, ut laboranti pontifici in ſubſidium cederet. Ambo hæc concilia in collectione Labbeana ſuum obtinent locum; quanquam Silvanectenſe nonniſi ex Meyeri annalibus Flandricis petitum eſt. Sed antiquiorem aſſertorem habet Joannem Iperium in chronico S. Bertini ad annum 1241. Deſinit hoc Johannis chronicon in annum 1244. Tertium concilium a collectoribus huc uſque omiſſum in Bituricis convocatum fuit, cui & cardinalis Præneſtinus adfuit, ubi de armis in Albigenſes caput iterum extollentes ferendis, deliberatum.

Con-



XXXII. Non ita ille in Zwerinenſem præpoſitum virum quidem virtutibus inſignem, ſed quem impurorum natalium nota inquinabat, ſeverum ſe præbuit, cujus diſcrepantis facti ea eſſe ratio potuit, cum hic ex ſoluto & ſoluta parentibus natus leviori labe quam alter, qui ex adulterio procreatus erat, aſperſus eſſet; vocatus enim ad Zwerinenſis ſedis dignitatem miſſis ad ſedem Apoſtolicam oratoribus, diploma pontificium obtinuit, quo archiepiſcopo Bremenſi Verdenſique epiſcopo, ut Theodoricum electum præficerent illi eccleſiæ, provinciam injunctam refert Stadenſis (*a*), cujus nobilis hiſtorici cum mentio ſæpe occurrat, non præterimus taciti ita literis perpolitum fuiſſe, ut longe pietate cultior & ornatior videretur: abbatis ille dignitatem Stadii in S. Benedicti monaſterio geſſit, omnemque operam, ac diligentiam in monachorum moribus obſoletioribus emendandis & expoliendis adhibuit; Romamque profectus, diploma apoſtolicum pro revocanda veteri diſciplina inducendiſque Ciſtercienſibus, quorum ſanctitatis opinio late Chriſtianum orbem tum pervagata erat, obtinuit; ac ſummis laboribus triennio & eo amplius in id opus fruſtra conſumptis, divinique judicii ob illa regulæ verba: *Qui eam ſervare tenetur & non ſervaverit, ſciat ſe a Deo damnari quem irridet;* terrore perfuſus, ad Minoritarum inſtitutum tum temporis pietatis fama eſfloreſcens ſe traduxit.

(*a*) *Stad. in chron. hoc ann.* Albertus Stadenſis ex abbate fit Minorita.

Quæ cauſa ad id permoverit.

XXXIII. Adjungere libet ſuperioribus, cum in Germanicis rebus verſetur oratio, Daniæ Regem, cum labefactata admodum atque imminuta regia jura majorum inertia vel incuria videret, qui importunis precibus fatigati pleraque diſtraxiſſent, atque a regio imperio divulſiſſent; quamvis ſacramento ſolemni in regiæ conſecrationis pompa, pro tuendis regiis juribus ſe ſe devincire mos eſſet; a Pontifice flagitaſſe ut perperam alienata revocare liceret. Cujus votis ita Gregorius, dato ad Auruſienſem & Wiburgenſem epiſcopos diplomate, morem geſſit (*b*), ut quæ eccleſiis piiſve locis tradita eſſent, firma ac rata haberentur.

Facta Regi Daniæ alienata revocandi poteſtas.

(*b*) *Lib. 14. ep. 178.*

XXXIV. Conſulturus etiam Gregorius Eſtoniæ neophytis, qui cum proſcripta dæmonum ſuperſtitione ad veræ religionis cultum ſe contuliſſent, a circumvicinis populis adhuc fœdiſſima merſis caligine bello imperiti non leves illorum excurſionibus clades acceperant; archiepiſcopo Lundenſi ac ſuffraganeis ſacri canendi claſſici, cogendarumque cruceſignatarum copiarum ad retundendos impiorum impetus, propoſitis indulgentiarum æternæque adipiſcendæ gloriæ præmiis, provinciam demandavit (*c*): *Cum ii qui in Eſtoniæ partibus per Dei gratiam ad fidem Chriſtiani nominis ſunt converſi, a barbaris circumſtantibus multipliciter moleſtentur, ac per hoc petant ſibi a Chriſti fidelibus ſubveniri, fraternitatem veſtram monemus, & hortamur in Domino, ac in remiſſionem veſtrorum injungimus peccatorum, quatenus ſubjectos vobis populos moneatis attentius, & efficaciter inducatis, ut ad tantæ felicitatis bravium properantes, & ponentes cum Moyſe gladium ſupra femur, contra hujuſmodi gentes idololatras, & populum murmurantem currant, in ſplendorem armorum Domini accincti, ad ejus prælium præliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, tam cruceſignatis veſtrarum diœceſum pro ſuccurſu Terræ ſanctæ volentibus vota ſua in hujuſmodi ſubſidium commutare, quam aliis earumdem diœceſum, qui contra fidei noſtræ hoſtes ad partes illas acceſſerint, ibidem ſaltem per annum in hujuſmodi Jeſu Chriſti ſervitio moraturi, illam indulgentiam elargimur, quæ tranſeuntibus in Terræ ſanctæ ſubſidium eſt conceſſa. Dat. Later.* XIX. *kal. januar. anno* XIV.

Promulgata adverſus infideles Eſtoniam infeſtantes ſacra expeditio.

(*c*) *ib. ep. 185.*

XXXV. Ut vero adverſus fidei hoſtes, neophytos Gregorius defendendos ſuſcepit, ita epiſcopi Pruſſiæ clientelam, qui a barbaris captus ſub duræ ſervitutis jugo ingemiſcebat, ejuſque eccleſiæ patrocinium admiſit: maximeque gravioribus ejus querelis contra Theutonicos equites religioſos, qui nefariis ſceleribus, ſummo fidei detrimento, ſeſe contaminarant, permotus eſt: accuſati enim illi fuere Pruthenos a fide Chriſtiana amplectenda abducere, quo durius in eos imperium exercerent, neophytos qua intentatis minis, qua inflictis pœnis in ſua obſequia adigere;

Epiſcopum Pruſſiæ contra equites Theuton. defendit Greg.

NOTÆ Concilium iſtud innotuit nobis ex Alberico, qui cum anno ſequenti hiſtoriam ſuam clauſit.

Denique concilium quoddam provinciale Valentiæ in Hiſpania a Petro Tarraconenſi archiepiſcopo celebratum anno iſto diſcimus ex Baluzio March. Hiſp. lib. 4. qui die VIII. id. maii coactum affirmat. Eſt autem hæc ſecunda provincialis Synodus ab eodem Petro habita, cujus fit mentio in collectione canonum pro eccleſia Tarraconenſi, quam Johannes Alexandrinus patriarcha, & eccleſiæ Tarraconenſis adminiſtrator in ſua ſynodo Tarraconenſi anni 1329. vulgavit, in qua e Valentina hac, quæ ibi mendoſe habita dicitur anno 1248. canones IV. protulit, quibus juri eccleſiæ Tarraconenſis conſulitur. Hujus ſynodi mentionem ſuo loco exhibere omiſerunt nuperi collectionis conciliorum Veneto-Labbeanæ editores. MANSI

gere;

gere; unde illi tanta crudelitate a fide amplexanda deterriti, ad priſtinam ſuperſtitionem deſciſcebant, adverſus Pruſſiæ epiſcopum ingratos ſe admodum geſſiſſe; poſt enim accepta plura beneficia, ac poſſeſſiones ingentes cum ad jura epiſcopatus tuenda ſacramento ſe devinxiſſent, ea jam impugnare atque invadere non vereri: nonnullos nobiles Prutenos bello captos, quos cum epiſcopo permutare poterant, liberos dimiſiſſe: neophytum inſignem nobilitate antea epiſcopo in obſidem datum, quod pecunias ipſis nollet tradere, per ſummum ſcelus enecaſſe; vectigalia eccleſiæ atque epiſcopi occupaſſe. Tanta ergo ſcelera non æque ferens Pontifex, ſcriptis Mindenſi epiſcopo literis, ut cœpta emendarent, irrogataque ſarcirent damna, operam navare pro imperio apoſtolico juſſit (*a*).

(a) Ib. ep. 17.

XXXVI. Dux Lancitiæ patrati criminis pœnitentiam agit.

Dux etiam Lancitiæ immaniſſimo flagitio ſeſe devinxerat interempto per ſummam ſævitiam Joanne eccleſiarum Plocenſis ac Wratiſlavienſis ſcholaſtico, quem præcipiti iracundiæ æſtu abreptus ſuſpendio damnaverat: cujus flagitii cauſa a Petro archiepiſcopo Gneſnenſi anathemate perculſus publice fuerat ejuſque ditio interdicto ſuppoſita; a quo cum graviora metueret, ad pœnitentiæ aſylum confugiens, in ſacro indicto conventu crimen rite expiaturum ſumma animi demiſſione ſpopondit. Cui in perpetrati criminis pœnam injunctum eſt oppidum Lovix aliaſque poſſeſſiones ad id ſpectantes Gneſnenſi eccleſiæ traderet, ita tamen ut nummum aureum duci in ſupremi dominii ſignum annis ſingulis perſolveret eccleſiiſque Wratiſlavienſi, Plocenſi, & Cujavienſi certa jura ac bona conferret; præterea abſolutionem impertitam a ſummo Pontifice confirmandam ſupplex depoſceret. Quibus imperiis cum paruiſſet, a Gregorio flagitavit, abſolutionem firmam ac ratam haberet, cum dux ob impendentis ab ethnicis terrorem periculi, qui ipſius terris imminebant, ac longa viarum intervalla Romam conferre ſeſe non poſſet, Pontifex Wratiſlavienſi epiſcopo, & Gerardo Cracovienſi canonico partes commiſit, (*b*) pro criminis immanitate pœnas dignas infligerent.

(b) Ep. 152.

XXXVII *Fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum præfatus dux propter guerram paganorum habitantium in terra ſua & viarum diſcrimina, non poſſit ſine Chriſtianorum periculo terram ipſam deſerere, ac Apoſtolicam ſedem adire abſolutionis beneficium petiturus, non obſtante quod eum propter multam utilitatem eccleſiarum ipſarum de facto idem archiepiſcopus dicitur abſolviſſe; abſolutionem ejus vobis committere curaremus. Ideoque mandamus quatenus dicto duce prædictis & aliis eccleſiis, villis & hominibus offenſis ab eo exhibente ſatisfactionem ſuper illatis damnis & injuriis, ſicut illius piacularis flagitii magnitudo depoſcit, ac idoneam cautionem de ſervanda hujuſmodi libertate præſtante, ipſi juxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impendentes illud humiliter poſtulanti, & talem pro modo culpæ pœnitentiam injungentes eidem, quod tam ipſe quam alii metu pœnæ a ſimilibus arceantur, eum ad obſervandam libertatem eandem per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis; eum ſi contravenire præſumpſerit in excommunicationem priſtinam reducentes. Dat. apud Cryptam ferratam non. aug. pont. noſtri an.* XIV. Ipſos vero reſciſſa priore novam abſolutionem contuliſſe, ac ducis filios ad donationes factas a patre confirmandas adſtrinxiſſe, probat Conradi diploma a Longino (*c*) qui hæc fuſius eſt proſecutus, adductum.

(c) Long. hiſt. pol. l. 6.

XXXVIII. Georgia a Tartaris infeſtata.

Verum ſi pœnitentis principis lacrymæ Pontifici gratæ extitere, non minori gaudio Regis ac Reginæ Georgianorum, Romanæ Eccleſiæ ſeſe conjungere cupientium literæ illius animum lætitia perfuderunt. Fuit enim divinæ providentiæ inſigne exemplum, ut eo tempore, quo plerique Friderícianæ perſecutionis impetu abrepti in Italia ac Germania funeſto ſchiſmate ab Eccleſia Romana ſe divellerent, tum principes ac populi ignoti totque intervallis locorum ſubmoti ad ſacrum illius gremium convolarent. Georgiana enim Regina Ruſudes per hæc tempora Eccleſiæ ſe imperiis ſubmiſit, atque auxilium a Pontifice contra Tartarorum impetus expetiit, qui primum victores funeſtas clades ac vaſtitatem immanem Georgiæ intulere; ſed tandem victi pœnas fuſi Chriſtiani ſanguinis luerunt. Eo igitur nuntio mixtis mœrore gaudiis accepto reſpondit Gregorius, cruceſignatas copias in Georgiam mittendas conflari non poſſe, cum in Eccleſiam Fridericus gravem procellam concitaſſet, Chriſtianoſque in mutua bella aſperaſſet: ferendi auxilii occaſionem ob tanta locorum intervalla effluere, antequam Tartaricæ irruptionis rumor perveniſſet: ſi e Syria in Georgiam auxilia ſubmitti cogitaret, interjectos Sarracenos obicem poſituros; demum Eccleſiam in Syria ab Sarracenis, in Hiſpania a Mauris, in Italia ac Germania a pſeudochriſtianis impugnari: quod vero de conjungenda Romanæ Georgianorum eccleſia attineret; ſe ad id perficiendum aliquos e Prædicatorum familia pietate ac literis conſpicuos viros mittere, atque ad eos populos in ſuſcepta mente confirmandos, & Romanæ Eccleſiæ in eorum oculis collocandam majeſtatem, cui omnes Chriſtianos ad ſalutem adipiſcendam ſubeſſe par eſſet, fortiſſimis argumentis Petri primatum oſtendit (*d*).

Regina Ruſudes auxilia a Gregorio poſcit.

(d) Lib. 1. & 198.

Gre-



*Gregorius, &c. Ruſudæ Reginæ & David nato ejus Georgianorum Regi illuſtribus.*

XXXIX. Georgiani a prima naſcente Eccleſia Chriſtiani.

*Gaudemus pro vobis filiis, pro vobis lætitia ſumma gaudemus, quod charitati veſtræ Dei verbum innotuit, quod in partibus veſtris fides, ut ſcribitis, a tempore naſcentis Eccleſiæ firma & ſine ruga permanſit. Gaudemus & iterum quia Dei Filius, inclinatis miſericordiæ ſuæ cœlis, vos duxit in ſui notitiam nominis, ut ſic vobis omni plenum gloria ſuæ largiretur participium bonitatis. Quis ergo hinc Dominum non veneretur & diligat; qui hominem non pro ſe, ſed ut eum gloriæ ſuæ conſortem faceret, de terræ limo conſtituit, qui ut hominem de catena ſervitutis erigeret, Filium ſuum ſub forma ſervi miſſum in terram ſubire crucis opprobrium, & periculum mortis juſſit? Quis ergo hinc Dominum non veneretur & diligat, qui hoc ſolum requirit ab homine, ut judicium, miſericordiam, & alia ſalutis opera faciat; ut Dominum toto ipſum corde diligens timeat, & cum eo ambulare ſolicitus non deſiſtat? congratulamini etiam & vos nobis & aliis, ad quos fides Chriſti pervenit, dum Dominum a nobis debita reverentia excoli, & nos in ejus fide vitam gaudetis perpetuam promereri, ſicque ad nos veſtris venientibus & ad vos noſtris recurrentibus literis gaudia viciſſim alterna ſuſcipimus: cumque vos in nobis & nos in vobis fidem Chriſti exaltari conſpicimus, mutua pietatis lætitia exultamus.*

XL. Poſt acceptas nonnullas clades Tartaros profligant.

*Illud quoque in veſtris contentum literis, quod Tartari hoſtes catholicæ fidei veſtrum regnum intraverunt, conceptam lætitiam minuit, & quod vobis damna gravia intulerunt, acquiſitum nobis gaudium vulneravit. Verumtamen in hoc exultationem reſumpſimus, quod etſi prædictis hoſtibus terga dederitis, victi tamen finalis palmam victoriæ de victoribus reportaſtis; graviſque illos afflixit damni periculum, qui arma in veſtrum ſumere præſumpſerant detrimentum. Decet autem & vos nobis compati, qui multas perſecutiones ab hoſtibus fidei hoc tempore patimur, quo præter Sarracenos, qui in Hiſpaniæ & Syriæ partibus fidem impugnant catholicam, nonnulli alii a fide Chriſti apoſtatantes & Eccleſiam Dei, quibus poſſunt impugnantibus viribus, novam perditionis ſectam inducere, & fidem ſalutis & redemptionis de terra exterminare conantur. Sed forſan divina voluntas nos iis tentationibus ingerit, quæ nonnunquam bonos per improbos tribulari permittit, ut conſtantiam & eorum fortitudinem ſicut in fornace aurum examinet, & omnem de corde juſti peccati rubiginem per hujuſmodi tribulationem expurget: quia divini templi ædificium lapides minime recipit, quos manus artificis multis tribulationibus non polivit: & ex frumento panis nequaquam conficitur, niſi prius flagello a paleis expurgetur. Sic enim juſti expurgati præmia æterna recipiunt: ſic probati ad æternæ delicias vitæ procedunt. Nam populus Iſrael non prius terram promiſſionis ingreditur, quam poſt longi deſerti circuitum, & multorum victorias hoſtium dignus ejuſdem terræ introitu cenſeatur. Veruntamen ſperamus quod Redemptor noſter poſt hanc tempeſtatem tranquillum faciet, & adverſarios Apoſtolicæ ſedis ſub pedibus ſuis conterere non omittet.*

XLI. Excuſat ſe Greg. ſi nulla auxilia ſubmittat.

*Igitur filii deſinite admirari, ſi contra dictos Tartaros Eccleſiæ Romanæ exercitus in veſtrum non venit auxilium, quia id interpoſitorum Sarracenorum, quos in dicta Syria expugnari mandavimus, prohibuiſſet improbitas; & interjacentium, quæ vix iſtos permiſerunt ad nos venire rumores, non permiſiſſent intervalla terrarum nos, quod in ſuccurſum veſtrum inſufficientes extitimus, qui ad defenſionem fidei Chriſtianæ in Italia, & dictis Syriæ & Hiſpaniæ partibus ſine intermiſſione totis viribus laboramus. Ideoque dum vobis aliter ſuccurriſſe nequivimus, noſtras ſinceritati veſtræ duximus literas deſtinandas, ut qui noſtrum ad vos affectum expectatis ſcire non poteratis auxiliis, ſaltem ex ſcriptura vobis noſtræ, quam ad vos gerimus, innoteſceret indicium charitatis. Super eo vero quod domum veſtram noſtræ uniri poſtulatis & petitis, tanto digniori in Domino laude magnitudinem veſtram efferimus, quanto iſtud, ſi quid forſan ad perfectionem ſalutis veſtræ hactenus omiſſum extitit, ſalutem ipſam & noſtrum de vobis gaudium juxta menſuram bene confertam & coagitatam fortius adimplebit: una eſt enim Eccleſia catholica Chriſti ſponſa, qui B. Petro Apoſtolorum principi ligandi & ſolvendi poteſtatem committens, & Petrum oſtendens: Super hanc, inquit, petram ædificabo Eccleſiam meam; ut oſtenderet ſolum Petrum, & ſingularem Eccleſiam diceret, plures Eccleſias eſſe & diverſos Eccleſiæ præponi paſtores apertius prohiberet. Propter quod ſoli Petro, ut ejus oves paſceret, perpetuo edicto præcipiens, & converſionem gentium futuram eſſe prædicens, ſe illas Eccleſiæ primitivæ de Judæis exortæ aggregaturum fore prædixit, apertius Imperans, ut ex iis unum ovile fieret, & Eccleſiæ de Judæis & gentibus aggregandæ paſtor unicus præſideret.*

XLII. Commendat illi erga Eccl. Rom. obſequium.

*Iſtud idem Ezechiel propheta in ſpiritu prævidens, palam inquit, quod Dominus omnes filios Iſraelis, per quos converſos ad Deum intelligimus, ita gentem unam efficeret, quod in duo regna non dividerentur ulterius, & rex unus eis omnibus imperaret; ex quo patenter plures Eccle-*

*ſias*

*ſias eſſe prohibuit & plures Eccleſiæ præfici univerſali paſtores penitus interdixit: quia plura unius eſſe capita corporis, & uni diverſa conjungi corpora capiti non permittit ratio naturalis. Licet enim plures populi in cultum ſint catholicæ fidei congregati, omnes tamen una cenſentur Eccleſia, dum uni capiti Chriſti vicario, & B. Petri ſucceſſori cervice reverentiam exhibent inclinata. Reliqui vero qui ejuſdem capitis ſe non membra conſtituunt, quaſi monſtra ſine capite in viam perditionis abſcedunt, quia ſicut nec Chriſtus dividitur, nec in ſe deitas ſeparatur, ſic etiam Chriſtus aſcendens in cœlum unum reliquit in terris vicarium; ſic neceſſe eſt, ut ei omnium, qui Chriſti eſſe cupiunt, ſubdantur capita populorum. Sed nec ex hoc fratribus & epiſcopis noſtris debitum honorem ſubtrahimus, quos a B. Petro & ejus ſucceſſoribus in partem ſolicitudinis evocatos vices Dei, & Apoſtolicæ ſedis gerere minime dubitamus. Quare oportet filii chariſſimi, ut & vos & cæteri veſtræ juriſdictioni ſubjecti Romanum Pontificem B. Petri ſucceſſorem, & Chriſti vicarium patrem & caput fidei noſtræ humiliter agnoſcentes & dolentes, quod id bonum præteritis temporibus non feciſtis; ei & Eccleſiæ Romanæ uniri & in iis, quæ ad ſalutem animarum veſtrarum, quam & nihil aliud poſtulamus a vobis obedire curetis: cum enim ſolum ab homine requiramus, ut Deum timeat, & ex tota ipſum mente diligens in ejus juſtificatione procedat, non videtur ſani ſpiritum habere conſilii, qui ſuam in hoc negat nobis obedientiam impertiri. In hac quidem obedientia nullius quantumcumque potentis imperium, nullius honor Regis minuitur: ſed ex hac omnium poteſtas & libertas augetur; quia illi digne populorum præſunt regimini, qui ſicut ipſi alios præcellere cupiunt, ſic divinæ ſtudent excellentiæ famulari.*

**XLIII.** Reges non ſuæ detrahunt dignitati cum ſe Roman. Pontifici ſubmittunt.

*Hinc eſt quod celſitudinem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, obſecrantes per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, quatenus Romanam Eccleſiam matrem recognoſcere, & ipſius Pontifici obedire, ac ad Apoſtolicæ ſedis obedientiam ſubditos veſtros efficaciter inducere ſtudeatis, ita quod ex hoc vobis corona duplicetur in cœlis, dum ſtudio veſtro oriens & occidens in unum corpus convenerint eccleſiaſticæ unitatis. Scitis enim quod, ſicut præmiſimus, ſoli Petro a Domino cœlorum clavium poteſtas conceditur: ex quo ſequitur, quod janua paradiſi non niſi ab eo, vel ejus ſucceſſoribus, ſeu conſtitutis ab ipſis credentibus aperitur: quinimo nec alii ad ipſam eis permittuntur clavigeris ingredi, qui illorum veſtigia ſub humili renuunt obedientia imitari. Ad hoc dilectos filios fratres Huguicionem, Jacobum, Beneventum, Rubinum, Petrum, Bernardum, Lambertum, & Guizardum ordinis fratrum Prædicatorum potentes in opere ac ſermone, in quibus vivificat vita doctrinam, & doctrina vitam informat, dum hoc in eorum moribus legitur, quod ſermonibus explicatur, ad veſtram præſentiam venientes; imo Chriſtum in ipſis benigne recipere, & eorum ſalubria monita exaudire curetis. Dat. Lat. idib. jan. an.* XIII.

Tranſmiſſi in Georgiam Prædicatores.

**XLIV.** Nicoſienſis archiep. Græcos ad Rom. Eccl. obſequium adigit.

Cæterum ut in Georgianis ad catholicam Eccleſiam venientibus amplectendis ſummum amorem, ac benevolentiam, ita in revocandis Græcis perduellibuſque edomandis curas collocavit Archiepiſcopus Nicoſienſis apoſtolico juſſu, ut Græcum clerum in Cypro ad hæreſim omnem evomendam, atque ad ſedis Apoſtolicæ accipienda imperia compelleret, egregiam operam navaret, reluctantibuſque anathema intentarat. At Græci clerici petito ad deliberandum ſpatio magna ex parte expilatis eccleſiarum ſuarum, ac monaſteriorum opibus, in Armeniam profugerant, atque anathema in eos intorſerant, qui Latino archiepiſcopo parerent. Qua de re admonitus Nicoſienſis archiepiſcopus Romanum Pontificem quid facto opus eſſet, conſuluit: qui illi ut viduis eccleſiis idoneos paſtores præficeret imperavit (a).

(a) Lib. 14. ep. 19.

**XLV.** Græci ſpoliatis eccleſiis e Cypro fugiunt in Armeniam.

*Ex parte tua fuit noſtro apoſtolatui reſeratum, quod cum tu quondam mandatum apoſtolicum recepiſſes ut omnibus epiſcopis tibi ſubjectis præciperes, quod ipſi in ſuis diœceſibus nullum ſacerdotem Græcum, niſi prius obedientiam Eccleſiæ Romanæ in ſuorum præſentia ſubditorum juraret, & abjuraret omnem hæreſim, & maxime illam, qua Latinos pro eo quod in azymis celebrant, hæreticos mentiuntur; non permitterent aliquatenus celebrare, contradictores, aut contemptores, ſi qui mandati noſtri exiſterent, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo; tu mandati ejuſdem diligens executor archiepiſcop. & epiſcopos Græcos tuæ provinciæ congregans mandatum hujuſmodi oſtendiſti, ac legi feciſti eis diligentius & exponi. Sed licet illi ad ſuæ iniquitatis præſidium multas iniquitates prætenderent, & proceſſum tuum ſuper hoc moliti fuerint impedire; quia tamen de ſua confidere non poterant vanitate, petita & obtenta jam dicti mandati noſtri copia, concedendi ſibi ad deliberandum inducias poſtularunt, quas cum tu aſſereres non eſſe in hoc articulo concedendas, eas ad convincendum ſuperbiam & ſuperſtitionem erroris ipſorum ipſis poſtmodum conceſſiſti: qui infra diem præfixum eiſdem cum abbatibus, monachis & preſbyteris majoribus Græcis nudatis monaſteriis & eccleſiis, in quibus morabantur, omnibus bonis ſuis, latenter exiverunt provinciæ tuæ fines, & ad partes Armeniæ ſe tranſtuliſſe dicuntur, reliquis abbatibus, monachis, & presbyteris Græcis in eadem provincia remanentibus; ſi obtemperarent mandato apoſtolico, dicto Græco archiepiſcopo excommunicationis ſententiam comminante: ſuper quibus apoſtolicum duxiſti conſilium requirendum a nobis humiliter poſtulans & devote, ut ſalubre ſuper hoc adhibere remedium curaremus. Nolentes igitur quod archiepiſcopus, epiſcopus, & Græci alii ſupradicti in contumacia & malitia ſua prævaleant; ſed in ipſis potius confundantur, mandamus quatenus finibus expellere non omittas ipſos, & prædictorum fugitivorum eccleſias & monaſteria de Latinis ſacerdotibus & aliis miniſtris idoneis, prout ſecundum utilitatem eorum expedire videris, ordinare procures, &c. Dat. Later. id. aprilis ann.* XIV.



Jubet Pont. Latinos ſacerdotes iis Eccleſiis præfici.

**XLVI.** Interea cum jam ſedes Apoſtolica matrimonii inter Ph.. e Monteforti & Mariam Rupini Armenorum olim Regis filiam ineundi impedimentum in quarto conſanguinitatis gradu ſacris canonibus vetiti removiſſet; dubium vero apud ipſos ſubortum eſſet, num eo beneficio uti poſſent, cum alter tertio, alter quarto a communi ſtipite gradu diſtaret conſultus Pontifex id ipſis reſponſi dedit (a): *Cum ſecundum regulam approbatam, qua dicitur: quoto gradu remotior differt a ſtipite & a quolibet per aliam lineam deſcendentium, ex eodem manifeſte appareat, quod inter vos quartus gradus conſanguinitatis exiſtat, tenore præſentium declaramus, quod per diſpenſationem obtentam libera vobis licentia competit contrahendi. Dat. Later.* II. *non. julii anno* XIV.

(a) Ib. ep. 113.

**XLVII.** Nannetenſis epiſc. ad patr. Hieroſ. tranſlatus.

Hoc anno Gregorius epiſcopum Nannetenſem conſpicuæ virtutis, ſpectatæque doctrinæ virum eccleſiæ Hieroſolymitanæ a ſe præfectum cum apoſtolicis litteris (b) ad patriarchatus illius archiepiſcopos cæteroſque præſules datis miſit: *Vacante dudum Hieroſolymitana eccleſia dilect. fil. capitulum ipſius eccleſiæ bonæ memoriæ Tuſculanum epiſcopum ad ipſius regimen poſtularunt. Sed cum epiſcopi ejuſdem præſentia non ſolum Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ generali apud ſedem Apoſtolicam utilis haberetur, eum ipſorum poſtulationi merito non duximus concedendum. Cumque proceſſu temporis ad nos fuiſſet præfatæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ proviſio devoluta, volentes ſibi, ne diutinæ vacationis deprimeretur diſpendiis, per ſubſtitutionem pontificis ſubvenire, venerabilem fratrem noſtrum patriarcham Hieroſolymitanum tunc epiſcopum Nannetenſem, virum literatum, probatæ vitæ, & converſationis honeſtæ, cujus ſolicitudo diligens eccleſiis cathedralibus jam impenſa duabus ſpem firmam exhibet, quod circa tertiam digniorem, ad cujus regimen priores aſcenſum ſibi ſuæ probitatis experimento pararunt, curam dante Domino vigilem & debitam adhibebit, eidem providimus in paſtorem, &c.* Monet debita ipſum obſervantia proſequantur. *Datum Later.* II. *id. maii an.* XIV. Tum obeundæ in Hieroſolymitana provincia, atque in exercitu Chriſtiano legationis munus impoſuit (c): ea tamen lege (d) ut ſi legatus e Pontificis latere in illa loca mitti contigiſſet, quandiu ibi ageret, injuncti officii munere ob reverentiam erga ſedem Apoſtolicam ſuperſederet. [1]

(b) Ep. 54.

(c) Ep. 94.
(d) Ep. 98.

**XLVIII.** Confluxerant plures ex occidente in Syriam copiæ, quas extremo ſuperiori anno Theobaldus Navarræ Rex ductarat, ac præclara rei gerendæ affulgebat ſpes, ſi inanis gloriæ cupido Chriſtianos principes non disjunxiſſet. Scribit enim Nangius (e) Britanniæ comitem alioſque miſſis exploratoribus in circumjecta Damaſco loca excurriſſe, prædamque ingentem in caſtra avexiſſe: at Amalricum, Henricum comitem e Barro, Richardum e Cal-

(e) Nang. de geſt. S. Lud. Reg. ann. præced.



NOTÆ

[1] NAmnetenſem epiſcopum, qui hoc anno ad patriarchatum Hieroſolymitanum promotus fuit Guidonem appellat Albericus, qui ejus tranſlationem anno ſequenti 1241. aſſignat, contra fidem literarum Gregorii, e quibus eruitur hoc anno 1240. pridie idus maii Jeroſolymitanam cathedram jam tenuiſſe. Cur Albericus anno uno ſerius epocham hanc conſignaverit, cauſam eruiſſe mihi videor ex continuatore Caffari annal. Genuenſ. aſſerit enim hoc anno Genuam perveniſſe Hieroſolymorum novum patriarcham, ibique *per plures menſes* ſubſtitiſſe. Igitur nonniſi anno ſequenti Genua ſolvit; profecto menſe majo ſequentis anni nondum Genua diſceſſerat, ut probant literæ Gregorii in annalibus ad eundem annum num. 53. recitatæ. Hinc cauſa errandi Alberico facta, qui tunc cepiſſe munus illud cenſuit, cum Hieroſolymam perrexit. Sunt qui credant patriarcham hunc alio nomine Albertum appellatum fuiſſe, nec ſane negari poteſt anno 1247. Albertum quemdam Hieroſolymitanis ſacris præfuiſſe, cujus expreſſo nomine extat epiſtola eo anno data, & a Dandulo in chronico recitata. Sed quid vetat quominus Albertum Guidonis ſucceſſorem conſtituamus? forte enim Guidoni cito decedenti ſucceſſit Albertus. Quo anno deſierit Guido certo definiri non poteſt; ſed ſi conjectura valeat, forte ſequenti anno obiit, cum in diplomatico codice Melitenſi num. CXVIII. extet charta Alberici patriarchæ Antiocheni, ſignata anno 1241. die 18. novembris, in qua patriarcha ille legati apoſtolici ſe titulo honeſtat. Cum vero Guido, quo ſimul tempore patriarchalem dignitatem obtinuit; legatus pariter S. Sedis dictus fuerit; hinc non inani conjectura colligimus, exeunte anno 1241. Guidonem hunc jam obiiſſe, vacantemque ejus deceſſu legati apoſtolici dignitatem in Albertum tranſiſſe. MANSI

Britanniæ comes plura e Sarrac. ſpolia avehit. Alii Principes ejus gloriæ æmuli irrumpunt in Sarrac. terras atque extrema clade fuſi.

e Calvo monte, & Anſelmum de Inſula, bellica laude præclaros, partæ a Britanno gloriæ æmulos, ſtimuliſque invidiæ agitatos, cum ex aliena victoria ac laude ſuo nomini dedecus aſpergi putarent, ni ſimilia ſpolia ab hoſte retuliſſent, non communicato cum Britanniæ comite conſilio, in Gazenſem agrum irrupiſſe; ſed hoſte in eos erumpente, cæſos ac deletos, parcitum tantummodo nonnullis nobilioribus, qui in ſervitutem abducti ſub jugo Sarracenorum luxere, de quibus Nangius: *Igitur quia vanis laudibus temporalis militiæ inhiantes, ſicut mos eſt hodie militibus noſtris, non attenderunt, ut deceret, congrue commodum Terræ ſanctæ, a communi conſilio recedentes, juſto Dei judicio ceciderunt; & quia non habuerunt ſapientiam, propter ſuam inſipientiam perierunt.*

XLIX. Perculſi eo adverſo caſu Chriſtiani fluctuabant, cum Richardus Cornubiæ comes florentiſſimo cinctus exercitu, quem ex Anglia eduxerat, appulit (a) & jacentes omnium animos excitavit. Agitatum mox de aſſerendis in libertatem Chriſtianis aut redintegrando in Sarracenos bello, qui demum ad incertos illius eventus declinandos in eam concordiæ legem deſcendere, ut captivos priſtinæ reſtituerent libertati. Adducit Pariſius Richardi comitis literas ad Deveniæ comitem alioſque proceres datas, quibus in miſerando rerum ſtatu jacentem Terram ſanctam reperiſſe ait. Chriſtianos mutuis inter ſe odiis diſſidere, ac nonnullos principes ſuperbia tumidos in perniciem Terræ ſanctæ vires convertere, quas adverſus Sarracenos impendere debuiſſent: Navarræ Regem ac Britanniæ comitem imminente ipſius adventu abſceſſiſſe, ac fucatas inducias cum Nazer pepigiſſe: erigendis proinde Terræ ſanctæ collapſis rebus dare operam difficillimum fuiſſe, cum aliorum auxilio deſtitutus eſſet: ſe tamen honeſtas inducias cum ſoldano Babyloniæ contraxiſſe, ſolutos vinculis viros nobiles, omneſque in geſto a Francis bello utrinque libertati reſtitutos: nonnullas Chriſtianis terras redditas in muniendis, inſtaurandiſque oppidis defixam operam, ac ſe proximam Aſcaloni arcem eleganti, ac firmiſſimo opere duplici cinctam muro excitaſſe; quæ maximo Chriſtianis uſui tum ad erumpendum in hoſtium terras, tum ad Chriſtianorum defendendas futura erat; conſcenſoque rebus perfectis mari poſt multa tædia tolerata ad Siciliam appuliſſe, & ingenti mœrore perfuſum fuiſſe, dum diſcordiam ardere, ac nonnullos Anglos præſules captos audiſſet: ſe vero Romam contendere, ut paci conciliandæ ac liberandis captis incumbat. Quæ omnia licet hoc anno geſta non ſint, congerere tamen ex occaſione voluimus. Jam ad ſuperiora redeamus.

(a) *Par. hiſt. Angl.*

Richardus Cornubiæ comes in Terram S. appellit. Ejus res geſtæ.

L. Pervaſerat in occidentem cladis acceptæ fama, ac Fridericus ut exiſtimationem colligeret, literas ad ſoldanos Damaſci & Babylonis dedit, quibus edixit humaniter captivos haberent ac præcipue nobilitate ſpectabiles: ni facerent, graves incuſſit minas, ſe contra ipſos totius Imperii vires adducturum. Quamobrem Romanorum benevolentiam, ac plurium, qui in ejus fide fluctuabant, conciliavit atque adverſus Pontificem irritavit. Verum concuſſa tot adverſis Syria reſpirare tandem, atque illi ſpes affulgere cœpit. Hermanni enim militiæ Templi præfecti litteræ allatæ a Pariſio fidem faciunt, Damaſci ſoldanum omnes terras ultra Jordanem ſitas Chriſtianis reſtituiſſe, atque arctiſſimum cum iis fœdus adverſus Babylonii impetus ſtrinxiſſe, ne pacem cum Babylonio inirent, ni Damaſcenus conſentiret; nec viceverſa Damaſcenus contraheret, ni Chriſtianus approbaret: id porro fœdus illum exoptaſſe non terrore Chriſtianorum, ſed divino inſtinctu adductum; tum etiam ſpem injeciſſe fore, ut abjecta Mahometica ſuperſtitione Chriſtianæ religioni nomen daret.

Sultanus Damaſc. cum Chriſtian. adverſus Babylon. fœdus init.

LI. Cum ad Terram ſanctam e manibus impiorum vindicandam teneri a Latinis Conſtantinopolitanum Imperium maximi intereſſe probe noſſet Pontifex, ad ſubmittendas illius ſubſidio copias intentus, ut nutanti Imperio contra Vatacii tyranni impetus, qui Græcorum opibus & armis fultus plures jam civitates in ſuam redegerat poteſtatem, opportune ſuccurreret, provincialem ordinis Prædicatorum literis admonuit (b), ut tum ipſe tum ſui, qui in divino verbo promulgando eloquentia pollerent, Ungaros ad ferendum rei Conſtantinopolitanæ auxilium concitarent; & eorum vota, qui ad petendam Terram ſanctam ſeſe adſtrinxiſſent, cum altera expeditione commutarent, cum Imperio illo corruente Syria ruinæ proxima videretur.

Solicitati Ungari ad bellum ſchiſmaticis Græcis inferendum.

(b) *Ep.* 2.

Perculſus Ungarorum potentia Vatacius, ut ſervire tempori atque artes aſtruere, ubi arma non valebant, noverat, pietatem finxit; ac ſignificavit Belæ ſacro ſe trahendæ in Romani Pontificis obſequium Græcorum eccleſiæ deſiderio teneri; quo lætus nuntio Gregorius ſequenti ineunte anno reſcripſit (c) eidem Regi diſpiceret quid Græci, ut in fide contineri poſſent, pollicerentur.

Vatacius præ ſe fert Rom. Eccleſiæ conjunctionem ambire.

(c) *Lib.* 14. *ep.* 221.

*Belæ Regi Ungariæ illuſtri.*

*Conſuetæ benignitatis affectu recepimus literas, quas nobis tua ſublimitas deſtinavit; & quæ continebantur in eis, perſpicaciter intellectis, regiæ celſitudini dignas gratiarum referimus actiones, quod tu*

*tan-*



*tanquam princeps catholicus ſupra fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Jeſus, fidei tuæ conſtantia radicata, prudenter attendens quod, diviſis aliis veſtibus, Crucifixi tunica inconſutilis in ſortem militum uni ceſſit; per quod dabatur intelligi, quod ipſius Eccleſia futura in gentibus, quam ſicut veſtimentum induit, una eſſet, cui Dominus unum B. Petrum videlicet, caput conſtituit & magiſtrum, ut quaſi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in diluvio ſubmerguntur, in uno cubito conſummaret, oves, quæ tanquam errabundæ poſt gregem ſodalium evagantur, ut ad ovile Domini redeant efficaciter elaboras. Cum enim ſicut per eaſdem nobis literas intimaſti, Græcorum populum quaſi caliginoſum montem gratiæ ſuæ radiis Dominus videatur adeo illuſtrare, ut tuo ſtudio mediante nobilis vir Batacius cum terris ſuis & populis, cleris & eccleſiis univerſis, qui ut Effraim quæ dudum velut columba ſeducta invocavit Ægyptum, extra unitatem Romanæ Eccleſiæ permanſiſſe dignoſcitur, ad eam quaſi ad caput & matrem omnium ſano quamvis ſero, uſus conſilio deſideret cum humilitate redire; nos qui de adverſo doluimus, de reverſo gaudentes ipſius reditum, qui omnium ſalutem zelamur, libenter exquirimus, & cum deſiderio expectamus imo thus orationum noſtrarum pro ejus & aliorum errantium converſione Domino ſuaviter adolemus, immolantes pro eis labiorum noſtrorum vitulos, & animam noſtram coram Domino effundentes, ut de abundantia pietatis ſuæ, qua merita ſupplicum excedit & vota, eos ad viam ab invio, & ad veritatem revocet ab errore. Cæterum quia de prædictorum nobilis, eccleſiarum & clericorum, terrarum quoque & populorum reditu, videlicet qualiter redire deſiderent, quid intendant, qualiterve de ipſorum perſeverantia in poſterum caveatur, nihil plene in eiſdem litteris expreſſiſti; ſerenitatem regiam rogamus & monemus attentius, quatenus de iis & aliis circumſtantiis univerſis, quæ præſens negotium tangere dignoſcuntur, reſcribas nobis plenius veritatem, ut ex tua relatione ſufficienter inſtructi procedamus exinde, prout honori Eccleſiæ ac animarum ipſorum ſaluti viderimus expedire. Dat. Lat.* IV. *idus febr. ann.* XIV. At Vatacii optimum conſilium in opus non erupiſſe argumento ſunt aliæ Gregorii literæ poſtea ad Bernardum ſubdiaconum ſuum XV. kal. aug. ſequentis anni exaratæ (a) in quibus illum Dei Eccleſiæque hoſtem appellat.

(a) *Lib.* 15. *ep.* 103.

LII. Cæterum revocandorum ad Romanæ Eccleſiæ conjunctionem Græcorum cura, cum jam ſæpius de eo agitatum eſſet, una ex illis arduis rebus eſſe potuit, ad quas explicandas concilium œcumenicum extrema hujus anni æſtate indixit Gregorius. Devinctus præterea cenſuris ob excitatam in Eccleſiam perſecutionem Fridericus ad Chriſtianos Reges, ac præſules provocarat, quos ſuæ cauſæ judices admiſſurum præ ſe ferebat. Urgebant alia etiam Eccleſiam mala ingentia, & graviorum metus impendebat, cum Tartari deletis infidelibus populis ad Chriſtianos excindendos ſe accingerent, ac plures jam clades intuliſſent Georgianis: verſabat denique Pontifex ad divinam augendam gloriam plura conſilia, ad quæ perducenda ſynodum cogendam cenſuit: utque præſules ex omnibus regnis atque provinciis accedere facilius poſſent, Fridericum de induciis interpellavit, qui iis aſſentire recuſavit, niſi a cogenda ſynodo abſiſteret, atque inſuper ab iiſdem Inſubres excluderentur, ut literis ſuis Henrico Anglorum Regi ſignificavit. Iis enim oppreſſis verſutus princeps ſperabat facilius deſtitutam illorum auxilio Eccleſiam in ſervitutem redacturum. Ex quibus refellitur Pariſius, qui puerilem fabulam multis in Gregorium aſperſam dicteriis concinnat, initas a Pontifice cum Friderico inducias; ſed accepto a Jacobo legato in Galliis nuntio ingentes ad ſuſtinendos belli ſumptus opes congregatas Cardinalem Columnam accerſiviſſe ac præcepiſſe, ut inducias diſſolveret; eoque negante præcipiti iracundia adjeciſſe, ni faceret, ipſum ut Cardinalem non habiturum; alterumque aculeato reſponſo dictum retorſiſſe, ſe neque Gregorium ut Papam agniturum. Quæ non modo mendacii ex Friderici literis arguuntur, verum etiam ex ipſius geſtis qui ad occupandam Eccleſiæ ditionem toto anno, ut vidimus, omnes conatus convertit atque menſe auguſti, quo indictum primo concilium eſt, Beneventum ac Faventiam obſidione cinxerit.

Greg. concilium œcumenicum indicit.

LIII. Refellit denique vanum hominem illuſtre & conſpicuum Gregorii conſilium, cum ſumma contentione ſynodum cogere optaret, nec ad eam celebrandam gratius ipſi accidere poſſet, quam ut induciarum beneficio armorum fragor quieſceret. Encyclicis ergo ille literis omnes Chriſtiani orbis præſules proxima Chriſti reſurgentis celebritate ad ſe accedere juſſit, quæ in regeſto pontificio archiepiſcopo Senonenſi ita inſcriptæ ſunt.

*Archiepiſcopo Senonenſi.*

*Æterna providentia conditoris ſanctam & immaculatam Eccleſiam a ſuæ fundationis exordio eo voluit ordine gubernari, ut uni paſtori poteſtatis plenitudinem obtinenti cæteri partem ſolicitudinis aſſumentes, tanquam membra capiti communicatis alterutrum emergentibus caſibus, unione indiſſolubili cohærerent, per quam*

Apoſt. ad Senon. archiep ea de re lit.

*tis conſenſibus mutuis ſolidatis caput famulantibus membris vigorem aſſumeret, & membrorum conditio de ſui principii robore firmaretur. Quia igitur grandes Apoſtolicæ ſedis eventus & cauſas te ignorare non convenit, tanquam neceſſarium matris Eccleſiæ munimentum, propter quæ neceſſitate urgente tuam & aliorum videmus præſentiam plurimum opportunam, fraternitatem tuam rogamus & hortamur attentius, per apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus uſque ad proximum feſtum reſurrectionis Dominicæ ad noſtram præſentiam perſonaliter venire procures omni occaſione ceſſante, ut habeat Eccleſia mater in filio ſperatum in tua viſitatione ſolatium & gratum providi conſilii fulcimentum; proviſo ut in perſonarum & evectionum moderato numero venias, ne nimis Eccleſiæ tuæ oneroſus exiſtas. Præterea volumus & mandamus, ut ſuffraganeorum tuorum capitulis, abbatibus & prælatis aliis tuæ provinciæ, qui ſpecialiter non vocantur, auctoritate noſtra injungas, ut ſuper iis eodem termino ad ſedem Apoſtolicam fideles & providos nuntios mittere non poſtponant. Dat. apud Cryptam ferratam v. idus aug. ann.* XIV. Subiicitur prolixior præſulum catalogus, ad quos hæ literæ tranſmiſſæ; tum etiam Reges principeſque, ut ad concilium accederent ipſi, vel mitterent oratores, invitati, inter quos S. Ludovico Galliarum Regi has literas dedit Gregorius, quæ immutatis conſentaneis verbis ad alios principes exaratæ ſunt.

*Illuſtri Regi Francorum.*

LIV. Rogat S. Lud. Pont ut oratores tranſmittat.

*Super baſes aureas ad locum ſanctificationis ornandum animalium tria genera, Cherubim ſcilicet, leonis, & bovis; ac æneum mare deſuper ſapientia Salomonis extruxit, hoc in Eccleſia ſecutura demonſtrans, ut in exordium charitatis exurgens amaris conſperſa fluctibus, & turbinibus agitata de prælatis & ſubditis ac principibus orbis præſidium dexteræ ſublevantis expectet. Cum igitur mater Eccleſia inter turbines ſæculi gravibus occupata negociis Reges terræ, Eccleſiæ prælatos & ſubditos, ac alios mundi principes decreverit advocare, ut eorum varietate veſtita & munita conſiliis gravia, quæ ſucceſſerunt negotia, valeat felicius expedire, te fili chariſſime, quem ipſa de regenerationis gratia reddit filium, & ſinceritatis prærogativa dilectum, de fratrum noſtrorum conſilio ad hoc fiducialiter invitamus; ſerenitatem tuam rogantes & monentes attentius, quatenus uſque ad proximum feſtum reſurrectionis Dominicæ ad nos fideles & providos nuntios tua celſitudo tranſmittat, qui ſuper expediendis cauſis univerſalis Eccleſiæ utile nobis conſilium vice regia largiantur, ut habeat in te Chriſtiana religio devotionis ſolitæ filium & promptum profectus eccleſiaſtici zelatorem, tuis utilitatibus retributionem debitam impenſura. Dat. ut ſupra.*

LV. Fridericus concilium terroribus diſcutere nititur.

Percrebuerat indictæ ſynodi fama populoſque ſui expectatione commoverat; ſed maxime Fridericum non mediocri metu perfudit: ardente enim admiſſorum in Eccleſiam ſcelerum conſcientia, in futuro concilio exutum iri Imperio arbitrabatur. Quare ad diſcutiendam ſynodum intentus, quæ non modo ad juſto ſupplicio percellenda ejus crimina, verum ad Eccleſiæ quoque emarceſcentem morum pulchritudinem revocandam, ad abuſus delendos, ad excindendas hæreſeon reliquias, ad parandam contra Sarracenos expeditionem, ad Tartarorum impetus propulſandos cogi juſtiſſime poterat: ſparſis per orbem Chriſtianum literis terrores ac minas in eos, qui ſe itineri accingerent, circumtulit; infeſta venientibus futura itinera, cum in ea ſynodo conflanda adverſus ipſum conjuratio eſſet, ac non de concilianda pace, ſed bello inferendo tractandum diceret quod ex ipſa pontificiarum literarum ſerie ſe elicere jactabat, cum ea nimirum obſcuris verbis cogendæ ſynodi cauſa afferretur ut in rebus arduis dubiiſque conſilia certiora expediri poſſent.

LVI. Præterea in miſſis ad Henricum Angliæ regem literis, eam addit ad concilium principes Imperii perduelles, vel pontificia pecunia ſubornatos, ut Provinciæ comitem, Venetorum ducem, marchionem Eſtenſem, comitem S. Bonifacii, Albericum de Romano, Guglinum de Camino, Paulum Traverſarium vocari, cum tamen ipſius Angliæ Regis oratores pacem conciliare meditantes Pontifex repudiaſſet: jam ſe, connivente Rege, in ejus regno laceratum probris, cœtuque fidelium ſummo dedecore ejectum, effuſam a præſulibus in legati ſinum ingentem pecuniæ vim ad bellum adverſus ipſum adornandum, atque adeo nolle ſe, quos infeſtos ſenſiſſet hoſtes, judices experiri: ſe quidem inducias ad proximum reſurrectionis dominicæ inſequentis anni feſtum in perniciem ſuam ex ineundæ pacis amore indulſiſſe, cum hoſtis interea recreatis viribus acrius in ipſum proſilire meditaretur: at ardente Pontificatum inter & Imperium contentione concilium non permiſſurum, cum res ſua in ſuſpecto foro ageretur; proinde licet ob inſitum in Angliæ Regem amorem atque obſervantiam Anglos ſingulari affectu proſequeretur, ſe tamen eorum audaciam, qui ſpretis hiſce monitis ad ſeſe hoſti ſuo conjungendos pergerent, æquo animo non paſſurum: propterea Anglum orat ut publico programmate denuntiet prælatos tutum ac ſecurum iter non habituros. Adiicit alios prætextus, Pontificem ex præſulibus





Galliarum Angliæque ingentes pecunias in ſumptus bellicos ex concilio hujuſmodi coacturum: præterea præſules omnes ac maxime Anglos, Regemque Angliæ ſolemni parendi pontificiis imperiis ſacramento devinctos, atque adeo rem ſuam in ancipiti diſcrimine verſari, ſi concilium hujuſmodi permitteret, in quo Papa ipſius ſalutis ac dignitatis hoſtis præeſſet, omniumque, quos ſibi videret obnoxios, voluntates ad ſuam facile pellecturus eſſet. Adſcripta eſt dictis Friderici literis dies XIII. ſeptemb. indictione XIV. in obſidione Faventiæ.

LVII. Deterrebant plures a ſuſcipiendo itinere graviores Friderici minæ, quæ ſequenti anno longe majori furore in præſules, quos mari cepit, ſeſe effuderunt: ſed Gregorius, quem rei triſtis exitus latebat, ne tyranni minis ignave cedere videretur, ad confirmandos ad conſtantiam præſules paulo poſt alias literas dedit (a), ne ob graviora pericula, quibus Eccleſia jactabatur, Friderici minis frangi ſe paterentur, ſed ancipites potius diſcriminum æſtus penetrarent.

(a) Lib. 14 pag. 49.

*Archiepiſcopo Senonenſi.*

Addit animos præſulibus Pont. ne Frid. minis a ſuſcipiendo itinere deterreantur.

*Petri navicula matris Eccleſiæ ſinus negotiorum operta fluctibus & quæſtionum urgentium agitata procellis, dexteram Jeſu ſublevantis implorat. Ea quidem flatibus aquilonis impulſa, dormire videtur Dominus, nutant diſcipuli, nautæ quaſi naufragii verentur eventum, populi trepidant, clamat Petrus, utinam tepeſcentibus cæteris ſaltem porrigerent filii opem conſilii ſalutaris, ne ipſam fluctus involvat; aut pirata crudelis abducat. Porro fœdere naturalis pactionis irrupto fides quatitur, charitas refrigeſcit, tepeſcit devotio, creſcit & invaleſcit iniquitas in Dominum & proximum commiſſura: ex quibus fidei Chriſtianæ profectibus evidens præſtatur obſtaculum, ſequuntur ſalutis diſpendia & plebs devota fidelium beneficio quietis excluſo, variis moleſtiis fatigatur, quæ communis ſtatera judicii apoſtolicæ dignitatis auctoritas juſtæ diſcuſſionis examine prudenter appendens, ut omnium generalis & una mater utilitati provideat ſingulorum, manus fortium, regum videlicet, prælatorum, principum & aliorum fidelium non indigne advocare decrevit, ut multiplicatis clamoribus Dominum ſuſcitet dormientem, & plurium adjuta conſiliis prementia faciat onera leviora expeditionis optatæ portum feliciter petitura. Verum ſicut pro certo didicimus, ſingularis ille dudum Eccleſiæ filius apoſtolico provectus & defenſus auxilio, de puero tunc omni deſtituto ſuffragio ad Imperii culmen humero materno tranſlatus, ea non contentus injuria, qua mercede recompenſans iniqua, patris irrumpit ſolium, matris exponere pudicitiam, & vendicare ſanctuarium indevotus intentat; aſtutis adhuc in ipſam armatur inſidiis, prælatis vocatis a nobis acceſſum ſuis terroribus interdicens ut nullius expers calumniæ illam quam gravibus infeſtat moleſtiis, nec in filiorum patiatur ſolatio reſpirare.*

LVIII. *Cum igitur tam ſanctum generalis utilitatis propoſitum ſub fiducia divini favoris aſſumptum humanis non debeat verſutiis retardari, fraternitatem tuam rogamus & monemus attentius, per apoſtolica tibi ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus Dominum præferens homini, & difficultatibus obedientiæ meritum anteponens, uſque ad proximum venturum feſtum reſurrectionis Dominicæ ad ſedem Apoſtolicam accedere perſonaliter non omittas; ut mater filiorum roborata præſentia, hoſtis & adverſantis obſtaculo providentia divina ſublato piæ intentionis exordia felici conſummatione concludat. Nos enim ſuper omnibus, quæ ad tantum negotium exequendum expediunt, annuente Domino, curabimus providere, prout tibi lator præſentium plenius intimabit. Præterea volumus & mandamus, ut ſuffraganeis tuis & eorum capitulis, abbatibus & prælatis aliis tuæ provinciæ, qui ſpecialiter non vocantur, auctoritate noſtra injungas, ut ſuper iis eodem termino ad ſedem Apoſtolicam fideles & providos nuncios mittere non poſtponant. Dat. Later. idibus octobr. ann.* XIV.

LIX. B. Eadmundus voluntario exilio Gallias petit.

Revocatum ex Anglia Othonem legatum Cardinalem, ut ſynodo cum præſulum egregio numero intereſſet, ſcribit Pariſius, (b) qui de B. Eadmundo archiepiſcopo Cantuarienſi addit, cum per ea tempora eccleſias ſpoliari, ac libertatem proteri lugeret, atque etiam in Regis odium adductus eſſet, voluntarium exilium elegiſſe, profectumque in Gallias animum in cœleſtium rerum contemplatione liberius quam antea, omnibus aliis curis exutum in Pontiniacenſi monaſterio, in quo olim S. Thomas martyr Cantuarien. commoratus tot palmas collegerat, defixiſſe: ubi jam corpore ſpontanea ſui maceratione attritus, conſumptus vigiliis, exinanitus jejuniis, debilitatus fundendarum precum vehementi contentione, piiſque aliis laboribus, cum ad ſalubriorem excipiendam auram medicorum juſſu ad villam Soyſſy delatus, ac dyſentiria correptus, purum ab hujus mundi labe ac contagione animum cœlo tranſmiſit, de cujus funere hæc idem auctor hiſtoriæ mandavit.

(b) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

LX. Pie moritur.

*Tranſiit igitur ex hoc mundo dictus archipræſul Edmundus* XVI. *kal. decemb. infra ſcilicet octavas B. Martini, ipſi confeſſori confeſſor in multis aſſimilatus, abſolutis de conventu Cantuarienſi monachis pœnitentibus. Obiit autem apud Soyſy domum canonicorum regularium. Et dum ad-*

*huc ſoſpes ibi viveret, & crederent monachi, quod ab eis recederet, ait prior loci, qui fuit ei ſpecialiſſimus: Domine, ut quid recedis? ut quid nos deſeris? vexaberis itinerando, quieſce nobiſcum. Et reſpondit archiepiſcopus: Cor meum vobiſcum remanebit; & non intellexerunt verbum. Sed infirmatus illic obiit, & facta anatomia de corpore ſuo, ibidem ſepulta ſunt ejus viſcera cum corde. Diſtat locus ille a Pontiniaco viginti leucis, id eſt, duabus dietis: & tunc demum aperti ſunt oculi eorum, ut verbum intelligerent, quod dixerat archiepiſcopus. Fecerunt igitur clerici & miniſtri ipſius ſanctum corpuſculum pontificalibus, ut moris eſt, indutum ſuper ligneum vehiculum ad Pontiniacum ſepeliendum tranſportari. Dum enim adhuc viveret, videns ſe de hoc mundo cito migraturum, cauſam ſuam Deo & B. Thomæ commendando, qui ibidem ob ſimilem cauſam exulans invenit refugium, Pontiniacenſi eccleſiæ corpus ſuum legavit.*

LXI. Miraculis inclareſcit. *Contigit autem inter itinerandum, dum ſacrum corpus portaretur, propter famam ſanctitatis ipſius, ut illuc confluerent ægrotantes, ſanitatem a Chriſto ipſius precibus fideliter poſtulantes, & factum eſt quod eundem una die ter dignatus eſt Dominus manifeſte meritis ipſius ſancti exigentibus, miraculis præclaris, & titulo ſanctitatis inſignire. Pro quibus ſolemniter hymnus Angelorum, ſcilicet:* Te Deum laudamus, *ter veneranter, & devote cantabatur. Meruit igitur Pontiniacum corpore confeſſoris,* * *quod cum tumularetur, inventum eſt vermiculis & cilicio rudi corroſum, & genua ob frequentiam genuflectionum calloſa, feliciter venuſtari; quod fuerat aliquando B. Thomæ tuitionis refugium & aſylum, & hoc idem martyr Thomas aperte prædixerat.* Extat perutilis Edmundi commentarius, cui ſpeculum Eccleſiæ titulus inſcriptus, atque in bibliotheca patrum inſertus eſt. [1] LXII.

* decorati

Ape-

NOTÆ

[1] TOtum hunc paragraphum addunt annales contracti in hanc ſententiam: *Hoc anno S. Raymundus (a) Nonnatus cardinalis S. Euſtachii cum a Gregorio IX. Romam vocaretur ad affines Cardonæ comites profectus correptuſque lethali febri cum a parocho Euchariſtiæ ſacramentum poſceret iſque longiores moras interponeret, ab Angelis religioſam pompam agentibus ritu eccleſiaſtico procuratus eſt ſacro viatico, mirantibus cunctis agmen illud religioſum cum diſcederet vicinum flumen ſicco pede calcaſſe: ſanctiſſimam deinde efflavit animam inter ſacras preces. Inclaruit poſt mortem maximis miraculis, ob quæ ſervato ordine judiciario in ſanctorum albo a Petro de Luna antipapa eſt collocatus, ac poſtmodum ab Urbano VIII. ut ſanctus confeſſor cardinalis coli juſſus eſt, ac demum ab Alexandro VII. martyrologio Romano adſcriptus.* MANSI

(a) Vitæ S. Raymundi auct. ex vetuſtis monum.



I. Tartarorum horrendæ excurſiones. APerit ſeſe poſt Chriſtum natum annus quadrageſimus primus, a milleſimo duceteſimo, indictione quartadecima, inſignis graviſſima clade Polonis Ungariſque a Tartaris ſæviſſimis illata, & acerbo Pontificis ſummi interitu toti orbi Chriſtiano lugubris. Laceſſiverant cœleſte numen ſuis criminibus ſeptentrionales populi, ad quæ punienda, ſacro providentiæ arcano, ab ultimis terrarum oris excitæ gentes moribus inconditæ, barbarie immanes, fœdiſſimæ aſpectu, legibus impolitæ, repentina eruptione ſeſe effudere, victoriis immenſa locorum intervalla peragrarunt, ac vaſtitatem, ferrum, flammam, excidium incredibileſque calamitates circumtulere, de quibus hæc Nangius: *Per unum de principibus ſuis nomine Batho vaſtaverunt Poloniam, & Ungariam & juxta mare Ponticum Ruſſiam & Gazariam cum aliis triginta regnis, & uſque ad fines Germaniæ pervenerunt.* Tartarorum ſeu Tatarorum nomen illis erat, ſive a fluvio ejus nominis derivatum, quo ea Scythiæ Aſiaticæ extrema pars ad orientem longe ſubmota alluitur; ſive a multitudine, quæ apud eos Tartar appellatur, nomen traxerint: immani enim armatorum numero vaſtiſſimas oras inundarunt. Monguli etiam vocitati ducto a regione nomine, in qua ex debilibus initiis in immenſam potentiam eorum Imperium conſurrexit: quanquam erupiſſe ex Indiis atque in ſeptentrionem protendiſſe victorias in ſuis literis Fridericus aſſerat.

II. Chingis primus Imperii ipſorum conditor. Primum Imperii conditorem Chingem fuiſſe perhibent, qui duriſſimo Indorum Regis excuſſo jugo populiſque ingentibus promiſſis ad libertatem pellectis in arma proſilivit, ac graſſantis incendii inſtar omnes circumquaque regiones, quæ illius imperia reſpuerent, bello abſumpſit; continuis victoriis præferoces ejus populi in eam ſuperbiam aſſurrexerant, ut univerſum orbem ſuæ ditioni ſubiicere, omneſque cæteras gentes quæ jugum accipere recuſarent, delere ferro meditarentur. Nulla genti religio, nulla certa ſedes, plauſtriſque tectis, corio pro domibus utebatur; adeo barbara ut humanæ carnis ſaginam in delitiis haberet, cujus mores inconditos ac formam in ſuis literis Fridericus (a) ita deſcribit.

(a) Ext. apud Pariſ. Hiſt. Angl.

III. *Egreſſa dudum ex ultimis mundi finibus de regione auſtrali, quæ diu ſole ſub horrida zona toſta latuerat, quæ poſtea verſus boreales occupatis violenter regionibus diu manens ut bruchus multiplicatur: gens barbaræ nationis & vitæ, quo neſcimus a loco vel origine Tartari nuncupata, non abſque præviſo Dei judicio ad ſui populi correptionem, & correctionem non utinam ad totius Chriſtianitatis diſpendium, ad hæc noviſſima tempora reſervatur.* Et infra: *Hæc gens eſt feralis & exlex, humanitatis ignara: ſequitur tamen & dominum habet, quem obedienter colit & veneratur, & nuncupat deum terræ: homines parvæ ac brevis ſtaturæ ſunt, quantum ad longitudinem, ſed ſolidi, lati & propaginati, rigidi, ac fortes, & animoſi ad nutum ſui ducis ad quælibet ambigua proruentes; vultus amplos, aſpectus torvos, clamores horribiles habent cordibus conſonantes: cruda geſtant coria bovina, aſinina, vel equina: inſutis laminis ferreis pro armis muniuntur, quibus hactenus uſi ſunt: ſed quod non ſine ſuſpiriis dicere poſſumus, jam jam de victorum ſpoliis Chriſtianorum armis decentioribus elegantius muniuntur, ut propriis armis irato Deo turpius & anxius trucidaremur. Inſuper equis melioribus inſtaurantur, epulis lautioribus reficiuntur, veſtibus pulchrioribus adornantur. Ipſi autem Tartari, ſagittarii incomparabiles, utres ferunt artificialiter factos, quibus flumina tranſmeant indemnes rapaciſſima & paludes: deficiente vero cibo corticibus arborum & foliis & herbarum radicibus dicuntur eſſe contenti equi eorum, quos adducunt: quos tamen velociſſimos inveniunt & fortiſſimos in articulo neceſſitatis.*

Ingreſſa igitur gens effera in Ruſſiam (b) Rhutenorum metropolim Kion urbem ampliſſimam funditus delevit, totaque Ruſſia direpta cæſiſque principibus opulentiſſimam prædam abduxere, ut tuto eam loco conderent: reverſique præcipites Sandomiriam expugnant, ac viros religioſos & magnum utriuſque ſexus nobilium, atque ignobilium numerum, qui eo confugerant, trucidarunt. Dum onuſti ſpoliis redirent in Ruſſiam Waradimirus Cracovienſis Palatinus in eos impetum fortiſſimum fecit. Fuſi initio Tartari captivorumque multitudo in propinquas ſylvas fuga ſe recepit: ſed ubi exiguas Polonorum copias advertere, reſtituto in gradum exercitu, Polonos numero oppreſſere; ingenti tamen ſuorum ſtrage perculſi in Ruſſiam receſſere, & novis collectis copiis Poloniam iterum aggreſſi, eam vaſtavere. Adverſus hoſtem Waradimirus copias raptim comparat, & cum nobilitatis Cracovienſis lectiſſimo flore ac Sandomirienſium reliquiis Tartaris occurrit: prima barbarorum acies ardenti illa impreſſione fracta pedem retulit: inde conglobatis turmis irruunt barbari, feſſoſque jam noſtros partim cæcidere, partim in fugam vertere; ex qua clade tantus terror Polonos invaſit; ut

in

IV. (b) Par. hiſt. Angl. Nang. in geſtis S. Lud. Stero in Annal. apud Caniſ. antiq. lect. to. 1. p. 266. Longin. hiſt. Pol. l. 7. Bonfin. rerum Ung. dec. 2. l. 8. Matth. de Sarmat. l. 1. Chrom. l. 8.

Ruſſiam & Poloniam vaſtant.

Waradimirus fuſus.

Secundo prælio iterum profligatus.

Boleſlaus Pudicus fuga ſibi conſulit. Cracovia incenſa.

in alias regiones & abditiſſima loca fugerent; ac Boleſlaus Pudicus Cracoviæ ac Sandomiriæ dux cum matre & conjuge primum Pannoniam verſus, inde in Moraviam ad monaſterium Ciſterciense fugerit. Interea Tartari Cracoviam progreſſi, & civibus vacuam repertam diripiunt incenduntque.

V. Wratislavia Czeſlai ope divinitus liberata.

Contendere mox Wratiſlaviam populis, atque opibus refertam: ſed Poloni pretioſis omnibus & commeatu in arcem exportatis, urbi flammas iniiciunt, ne hoſtis illi inſideret: jamque cincta obſidione arx in periculum adducta erat, cum Czeſlao viro ſanctiſſimo Dominicanæ familiæ ad preces demiſſo, columna ignea e cœlo lapſa & ipſius capiti imminente, tantus ſplendor in circumjectas late regiones evibratus, ut omnium oculos perſtringeret, percuſſoſque terrore barbaros fugam capeſſere cogeret. Wratiſlavia profugi in Legnicam infeſta ſigna extulere, quo plures populos confluxiſſe didicerant.

VI. Henricus dux in Tartaros ducit.

Interea S. Hedwiges deſerto monaſterio, in quo religioſam vitam excolebat, cum virginibus Deo devotis, tuto loco ſe recepit, ipſiuſque filius e Polonia majore, ac Szleſia copias contrahebat. Concurrere ad illum plures proceres, & alii cruce inſigniti: jam enim contra Tartaros apoſtolica auctoritate velut contra communes Chriſtianorum hoſtes crucis ſigna explicabantur, ac ſacri concionatores fideles in arma incitabant. Addebat filio animos S. Hedwiges, quæ licet divino ſpiritu edocta, filium in acie mortem oppetiturum ſciret, & Chriſtianum exercitum deletum iri, quod ſanctæ cuidam ac fidiſſimæ virgini prædixit; non tamen vultus ſerenitatem dejecit; ſed immota & conſtans ſuam voluntatem divinæ providentiæ arcanis conſiliis adæquabat. Imo Henricum ut animoſe Chriſtiani populi defendendi gratia in Tartarum proſiliret, ſpe æternæ comparandæ gloriæ inflammabat. Succinctus ergo Chriſtiano exercitu religioſiſſimus princeps, a matris virtute non degener, ſuburbana oppidi Legnicenſis prætergreſſus quatuor vel, ut tradunt alii, quinque acies inſtruxit: in tot enim agmina diviſi Tartari, ſed longe majori numero, ut unum eorum agmen omnibus Chriſtianis copiis multitudine præſtaret. Hoſtium tamen numerus generoſos Polonos non terruit: jamque prima noſtrorum acies magno impetu cum hoſte congreſſa, primos Tartarorum ordines haſtis confecerat, & gladiis cominus agi cœptum eſt: tumque barbarorum ſagittarii Chriſtianos circumegere, ac tantum telorum imbrem effudere, ut reliquæ Polonorum copiæ ſine magno diſcrimine auxilio ire non poſſent. Proinde confixi ſagittis primi cecidere, nonnulli ad reliquum Polonorum exercitum confugere: inde duo Chriſtianorum agmina cum tribus barbarorum concurrere, magnamque illorum ſtragem ediderunt.

Illius clades a S. Hedwige ipſius matre prædicitur.

Primo impetu hoſtes fracti.

VII. Bellicum Tartarorum ſtratagema.

Terga dantibus Tartaris ex illorum acie quidam erupit, qui hinc inde celerrimo curſu inter utrumque exercitum diſcurrens terribili voce, Polonica lingua intonuit: *Fugite*, *fugite*: Tartarica vero Tartaros ad pugnam conſtantiamque incendebat: qua voce perterritus Mieczſlaus Opolienſis dux tertio agmini præfectus non hoſtem ſed amicum ex pietate eſſe vociferatum arbitratus, deſerto prælio magnam militum manum, eorum maxime qui ipſi parebant, in fugam avertit. Qua re viſa oculis, ac perlata, Henricus dux ingemuit atque in lugubres has voces erupit: Proh dolor! magna nobis calamitas inflicta eſt: non fregit tamen egregios ipſius animos ignava aliorum fuga, ſed quartam aciem, quam ipſe ductabat, in tres Tartarorum acies a prioribus Polonis impulſas & concuſſas intulit, eaſque terga dare coegit.

Conſtantia Henrici.

VIII. Magicas artes adhibent Tartari.

At quartum hoſtium agmen omnium maximum laborantibus Tartaris ſuccurrit, atque in Polonos formidabili impetu irrupit. Verum Chriſtianis fortiter ipſos excipientibus atrox pugna exarſit, in qua Tartarorum audaciſſimis cæſis parum aberat, quin Poloni victoriam reportarent: jam enim ad fugam ſpectabant barbari; cum ex hoſtibus quidam maximum præferens vexillum, in quo depicta erat Græca litera X, atque in haſtilis acie ſumma præfixum erat caput teterrimum, e cujus mento hiſpida atque horrida barba pendebat, cœpit fortius ſignum adhibitis incantationibus quatere; atque illico dæmonis opera ſulphureus vapor erumpere, fœtidiſſima nebula noſtris offundi, ſtupere Chriſtiani, omnis illorum virtus emarceſcere, languere animi; rigere ſemianimes, arma abiicere, vel ignave tractare. Contra Tartarus antea fractus redintegrata acie, collectiſque viribus in noſtros dæmonum arte faſcinatos irruere, ſævire ferro ac cædem horrendam edere. Inter alios Boleſlaus marchionis Moraviæ filius, & Pompo Heſternus cruciferorum e Pruſſia generalis magiſter mortem oppetiere; Henricus dux ſtrenuiſſime dimicans haſta confoſſus, plureſque alii nobiles Poloni fortiſſime occubuere.

IX. Arcano numinis conſilio vincuntur ope dæmonis Chriſtiani.

Quis non lugeat vel miretur Chriſtianos ſub ethnicorum crudelitate, dæmonum arte ſuccubuiſſe; & cœleſte numen æquis oculis paſſum eſſe, ut magicæ in eos artes graſſarentur. Non id tamen ſine altiſſimo ipſius providentiæ conſilio permiſſum: ſi enim vinci ab hoſte viſi ſunt, longe nobiliorem victoriam profuſo



ſo pro fide & Chriſti cauſa ſanguine retulerunt; nec immerito Henricus dux præclaris illis vocibus ad gloriam nominis Chriſtiani defendendam ſuos accendebat, ut refert Longinus (*a*): *In quamcumque partem eventus futuri certaminis recideret, ſe tam ſpe & animo, quam voce & ſonora in omnes declamatione portendebat: pluris eam victoriam majoriſque celebritatis & majoris muneris exiſtimans debere per quam occidi in corpore, triumphare in anima contingeret.* Pulcherrima illa documenta a ſanctiſſima matre hauſerat, atque in eam contra ſortilegos pugnam veluti ad non dubii martyrii gloriam provolarat. At præſtat hoc loco ea inſerere, quæ in vita S. Hedvvigis Poloniæ duciſſæ ejus matris refert auctor (*b*) ſummæ fidei apud Surium (*c*), qui ea ex geſtis ſanctæ diligentiſſime conſcriptis, atque in Trebnicenſi monaſterio aſſervatis, olimque oblatis Pontifici decerpſit.

(*a*) *Longin. hiſt. Pol. l.* 7.

Egregiæ Henrici ducis voces.

(*b*) *Vit. S. Hedu. c.* 3.

(*c*) *Sur. to.* 5. *die* 15. *octob.*

X. S. Hedwigis in ferenda filii morte invictus animus.

*Ubi comperit filium ſuum Henricum ducem a Tartaris in prælio occiſum, ſine ullis lacrymis, atque ſine ullo doloris ſigno filiam ſuam abbatiſſam Trebnicenſem, & nurum ſuam ejus Henrici conjugem præ nimio dolore prope exanimatas his verbis conſolabatur: Voluntas Dei eſt, & nobis gratum eſſe debet quidquid vult Deus & illi placet. Eadem hora exultante ſpiritu ejus in Domino in cœlum ſublatis oculis & manibus: Gratias, inquit, tibi ago Domine, quod talem mihi dediſti filium, qui me dum vixit ſemper amavit, & magnam mihi præſtitit reverentiam; nec unquam mihi ulla in re moleſtus fuit: & quamvis libenter admodum vellem eum habere ſuperſtitem, attamen multo gratulor ei, quod profuſo ſanguine tibi creatori ſuo jam eſt conjunctus in cœlis. Ego ejus animam tibi Domine Deus accurate commendo.* Refert idem auctor (*d*), ut triennio ante quam hac clade Henricus dux deleretur ipſius cædem prædixerit, atque antequam cædis ejus nuntius pervenire ad ipſam potuiſſet, cœlitus cognoverit.

(*d*) *Ib. c.* 8.

XI. Moraviam Tartari populantur.

Peſſumdederant Poloniam Tartari, cum ad agendas novas prædas in Moraviam ſigna convertere, graſſatique ſunt libere ferro, cædibus, rapinis, incendiis, cum nullus eorum furori occurreret. Wenceſlaus enim Bohemiæ Rex ſuis diffiſus viribus in tutis ac munitiſſimis locis ſe continebat, ſcriptiſque ad finitimos principes literis eos hortatus eſt, ut hoſti furenti brevi ad ipſos penetraturo, ni auxilium ferrent, contractis validiſſimis copiis ſeſe opponerent. [1] Inter eos Saxoniæ Palatinus in auxilium accitus Brabantiæ ducem ſocerum miſſis hiſce literis (*e*) rogavit, ut copias conflaret, & citiſſime ad ferendam opem proſiliret.

(*e*) *Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc an.*

XII. Rex Bohemiæ eorum furori cedit.

*Dilecto ac ſemper diligendo Domino & ſocero ſuo illuſtri principi duci Brabantiæ H. . . Dei gratia Longrathungriæ comes Palatinus Saxonum, paratam ad beneplacita ſerviendi voluntatem. Pericula antiquitus in ſcripturis ſanctis prædicta, peccatis noſtris exigentibus, nunc pullulant & erumpunt. Quædam enim gens crudelis & innumerabilis, exlex & efferа vicinos nobis terminos invadit & occupat, & jam uſque ad terram Polonorum pervenit, terris multis aliis peragratis & populis exterminatis: ſuper quibus tam per nuntios proprios, quam per Regis Bohemiæ dilecti conſanguinei noſtri plenius certificati & vocati ſumus, ut in ipſius ſuccurſum, & fidelium defenſionem feſtinanter accingamur. Veraciter enim & plene nobis conſtat, quod eadem gens Tartarorum circiter octavas paſchæ terras Bohemorum crudeliter & impetuoſe invadet; quibus ſi non ſubveniatur tempeſtive, ſtragem facient inauditam* (Irruptionem in Bohemiam molitos, ſed a Rege magna clade propulſatos refert in ſuis literis (*f*) Fridericus) *Et quia jam paries nobis proximus ſuccenditur, & terra vicina patet vaſtationi, & aliquæ jam vaſtantur, auxilium & conſilium Dei & fratrum vicinorum pro univerſali Eccleſia anxie & flebiliter invocantes poſtulamus.* Addit indictas a præſulum conventu ſolemnes ad Deum ſupplicationes, tum a viris religioſis cum res crucifixi agatur, cruceſignatam expeditionem promulgari. *His etiam adiicimus, quod magna pars ejuſdem deteſtabilis gentis cum exercitu alio illis adjecto Ungariam vaſtat inaudita tyrannide, adeo quod Rex dicitur ſibi partem modicam aſſervaſſe.* (de Ungaria vaſtata a Tartaris fuſius dicetur inferius) *Et ut multa paucis perſtringamus, adeo opprimitur & tantis & tot preſſuris coanguſtatur eccleſia & populus borealis & ſeptentrio-*

Aliorum principum auxilia implorat. Propulſat Bohemia.

(*f*) *Ext. in MS. cod. lit. ipſius Vallic. bibl.*



NOTÆ [1] CL. Schannat in vindemiis to. I. pag. 204. vulgavit epiſtolam Wenceſlai regis Bohemiæ ad ignotum aliquem principem ſcriptam, in qua Tartarorum irruptionem in Hungariam memorat; tum ſubdit: *Pars autem exercitus venit in Poloniam duce, & nobilibus terræ plurimis interfectis, ad partes Moraviæ terræ noſtræ iter convertit, & horribiliter eam devaſtat.* Narrat inſuper quo tempore Henricus dux Poloniæ cum Tartaris pugnam commiſit, cum copiis ſuis accurriſſe ſeſe, at ducem ſe non expectato, immo & irrequiſito manum conferere auſum fuiſſe eo infelici exitu, de quo in annalibus. Victores vero Tartaros ulterius in Bohemiam penetrare minime auſos affirmat, cum regni ſui fines qua parte Poloniam tangunt ipſe cum exercitu defenderet; ideo, ait, declinarunt in Moraviam. MANSI

*trionalis, quod talibus nunquam ab initio mundi fuerit unquam flagellatus. Datum anno gratiæ* MCCXLI. *die qua cantatur: Lætare Hieruſalem*. Quas literas cum Brabantiæ dux recepiſſet, ad Pariſienſem epiſcopum tranſmiſit. Similes etiam Colonienſis archiepiſcopus ad Anglorum Regem exaravit.

XIII. Placare precibus Deum nituntur Chriſtiani

Jam furoris Tartarici fama Chriſtianum orbem repleverat, metuque mentes perfuderat; quare ad placandum numen indicta ubique jejunia, ſolemnes ſupplicationes celebratæ, effuſæ preces, crucis ſigna explicata, incitatique ad defendendum Chriſtianum nomen in arma populi. Et ſane inſignis fuit omnium ætatum memoria celebranda S. Ludovici vox, quam ſuis annalibus inſeruit Pariſius. Perculſa nuntii terrore Regina Blanca, inter abſciſſa ſuſpiria, imminens Tartarorum periculum filio aperuerat, conſiliumque in re difficillima repoſcebat; cui ſanctiſſimus Rex conſtantia humana auguſtiore exaggeratus metum omnem excuſſit, confirmavitque animos graviſſimis verbis, quæ ex auctore ob rei dignitatem decerpimus: *Hujus igitur dominici furoris flagellum formidabile cum immineret populis, certificata ait mater Regis Francorum venerabilis ac Deo dilecta matrona Regina Blanca: Ubi es fili mi Rex Ludovice? At ipſe accedens, ait: Quid hoc mater? at ipſa profunda trahens ſuſpiria, in lacrymas prorupit uberes: & licet mulier non tamen muliebriter hæc imminentia librans pericula, dixit: Quid agendum, fili chariſſime, ſuper tam lugubri eventu, cujus rumor terrificus fines noſtros pervolavit? Imminet noſtrum omnium & ſacroſanctæ Eccleſiæ noſtris temporibus excidium generale ex impetuoſo ſuper nos adventu Tartarorum. Quo audito Rex voce flebili, ſed non ſine divino ſpiramine, reſpondit: Erigat nos, mater, cæleſte ſolatium, quia ſi perveniant ipſi, vel nos ipſos, quos vocamus Tartaros, ad ſuas Tartareas ſedes, unde exierunt, retrudemus, vel ipſi nos omnes ad cœlum ſubvehent. Ac ſi diceret vel ipſos repellemus, vel ſi contingat nos vinci, Chriſti confeſſores, vel martyres ad Deum migrabimus, & hoc verbum notabile atque laudabile non tantum Francorum nobilitatem, ſed adjacentium finium habitatores erexit & animavit.*

Egregiæ S. Ludovici de repellendis Tartaris voces.

XIV. Tartari in Ungar. irrupturi dæmones conſulunt.

Quod ad Tartarorum immanem in Ungariam irruptionem factam attinet; ſcribit Nangius (*a*) præferoces illos populos, quamvis præteritarum victoriarum ſucceſſibus elatos, Ungarorum veritos potentiam, dæmonum oracula, antequam ſigna inferrent, conſuluiſſe: qui, cœleſti numine ita Ungaros pœnis meritis percellere meditante, hoc reſponſum dederunt, quod refert auctor: *Cum Ungaros timentes reſponſum quærerent dæmonibus immolantes, utrum in Ungariam tranſire deberent, reſponſum eſt eis: Ite ſecuri, quia ſpiritus diſcordiæ & incredulitatis vos præcedent, quia turbati Ungari vobis non prævalebunt; ſicque factum eſt: ante introitum enim ipſorum Rex & principes, clerus & populus invicem diſſidebant, & ideo parare ſe noluerunt unde pavore concuſſi hinc inde fugientes multa millia occiſi ſunt.*

(*a*) *Nang. in geſt. S. Lud.*

Ab iis ad vaſtandam Ungar. confirmati.

XV. Vera Ungaricæ excidionis cauſa populi ſcelera.

Laxatas a divina juſtitia eo tempore malignis ſpiritibus habenas ad plectenda Chriſtianorum crimina ex iis colligitur. Ac ſane ſi quis vaſtatæ Ungariæ cauſas altius perſcrutetur, non Cumanos, ut Ungari, non Ungarorum diſcordiam, non Palatini imprudentiam, non ignaviam Belæ, ſed potius Ungarici populi ſcelera accuſabit: quæ in omnes inundaſſe viſa, cum ipſi viri religioſi nefando ſe vitio contaminarent. Extant enim Gregorii literæ (*b*), quibus ante cladem Belæ precibus ſolicitatus archiepiſcopo Strigonienſi provinciam injunxerat, ut monaſteria Benedictinæ familiæ luſtraret ac monachos, qui tanquam ſcurræ vagabantur ac flagitia, ad quæ mens ipſa horret, in ſe admittebant, coerceret: & paulo poſt divini furoris virga Ungariam percuſſit.

(*b*) *Ib. ep.* 217.

Quantis & quam nefandis contaminata eſſet Ungaria.

XVI.

Diviſos in tres formidandos exercitus Tartaros fuiſſe ſcribit in ſuis ad Regem Angliæ literis (*c*) Fridericus: *Sicut innotuit, & præambula fama geſtorum proclamat, indeterminatus exercitus eorum in tres partes infelices ex indultu Domini damnandus conſultu diviſus proceſſit. Nam una per * Pruthenos tranſmiſſa, & ingrediente Poloniam, princeps & dux terræ illius ab eorum inſequenti exterminio ceciderunt, & dein tota fuit per eos illa regio devaſtata: ſecunda Bohemiæ fines ingreſſa eſt & aggreſſa ſubſtitit, Rege illius terræ cum ſuis conatibus viriliter occurrente: tertia percurrit Ungariam Auſtriæ finibus vicinanda.* Ducebat illud agmen Bathy Tartarorum princeps immenſa armatorum manu ſtipatus (ſunt qui eorum numerum ad quinquies centum millia aſcendiſſe aſſerant) Ungariam torrentis effuſi inſtar inundavit.

(*c*) *Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Irrumpit in eam tertius Tartarorum exercitus.

* *Ruthenos*

Bathy hoſtium dux

XVII. Palatinum comitem delet.

Et ſane antea cum Tartarorum rumor increbreſceret, vaſtata Ruthenia hoſtis limiti immineret, Bela conflatis maximis copiis comitem Palatinum miſerat, ut montium clauſtra inſideret, aditumque hoſti præcluderet, plures falſo jactatum rumorem, uti ſæpe evenerat, putabant: alii de induſtria ſparſum, ut epiſcopi ad concilium a Pontifice exciti a ſuſcipiendo itinere abducerentur: Budam ſe Rex Bela contulit, indictiſque regni comitiis decretum, ut omnes ad propulſandum hoſtem ſtrenue ſeſe compararent. Interim irrumpit hoſtis id. martii,



In ingreſſu vaſtitate abſtinet.

In receſſu omnia ferro flammaque delet.

tii, & Palatinum reſiſtentem fundit fugatque, ac per Pannoniam victor excurrens nullam quinque dierum itinere infert vaſtitatem, ne commeatuum inopia in reditu laboraret, inde nullo ſexus, ætatis, conditionis diſcrimine ſtrages immenſas edunt; quoties Ungari manus cum ipſis conſeruere, toties profligati.

XVIII. Allato primæ cladis nuntio Greg. indulgentias crucem in Tartaros accepturis promulgat.

Cum irruptionis in Ungariam Tartaricæ, ac primæ illius cladis nuntius ad ſedem Apoſt. perveniſſet, Gregorius magno dolore perfuſus Regem Belam hortatus eſt fortiter pro Chriſtiano nomine dimicaret: indulgentiarum præmia ad bellum profecturis tribuit, quæ in Terram ſanctam ituri adipiſcerentur; atque ad ſequenda crucis ſigna populos excitari, quod non Stadenſis (*a*) modo, ſed literæ etiam pontificiæ (*b*) teſtantur.

(*a*) *Stad. in chr. an.* 1241.

(*b*) *Lib.* 15. *ep.* 79.

*Gregorius, &c. Belæ Regi Ungariæ.*

*Vocem in excelſo lamentationis & fletus audivimus, & nos multis amaricati doloribus deploramus, quod jaculatum de cœlo judicium jam depopulatur undique populum Chriſtianum, quod fidelium gladius in fideles reciproca cæde convertitur & in Chriſticolas paganorum mucro crudeliter debacchatur. Clamor enim ſcelerum humani generis multiplicatus aſcendens in aures omnium conditoris, ipſum qui quaſi non videns hucuſque tacuit, qui correctionem populi ſui velut patiens expectavit, ultorem iniquitatum gladium coegit exerere, & ab oculis patientiæ ſuæ abominationes emendare flagitiorum, expetita gravi de peccatoribus ultione. Propter quod omnes quorum corda timor Domini tetigit opertos ciliciis, & aſperſos cinere in ſuſpirio & lacrymis divinam convenit miſericordiam implorare, ut qui ſemper ad ignoſcendum multus extitit, qui præſtabilis ſuper malitia omni eſſe tempore conſuevit, exemptum gladium ad vaginam jubeat regredi, & iram in gentes, quæ illum non noverunt, effundens, dignetur populo Filii ſui inſignito charactere miſereri. Speramus autem quod etſi Deus noſter nos dura increpatione redarguere cœperit, regna tamen, quæ ipſius nomen invocant, a facie ſua diſperdere non intendit: quinimo a pœna perpetua peccatores curat eripere, quibus temporalis ſtudet ultionis beneficium ad caſtigationem noſtri generis adhibere: quia etſi filios Iſrael tentatio mortis in eremo quandoque tetigerit, in eis tamen ira Domini diutius non permanſit. Verum etſi graviter de omnium fidelium oppreſſione turbemur, ſuper afflictione tamen regni Ungariæ, quod a Tartaris invaſum, & occupatum pro magna parte in lectione literarum tuarum non ſine multarum lacrymarum effuſione didicimus, eo ſpecialior & major triſtitia cor noſtrum implevit, quo in ipſo purioris erga Deum & Apoſt. ſedem ſigna devotionis invenimus, quo claræ memoriæ progenitores tuos, & excellentiam regiam in exequendis Eccleſiæ beneplacitis eſſe novimus promptiores.*



XIX. Addit Belæ animos ad Tartaros propulſandos.

*Firmam igitur ſpem in illo ponentes, qui etſi Regi Aſſyriorum Senacherib liberum in terram Iſrael ingreſſum exhibuit, ſuper Ezechiæ tamen contritione commotus adverſariorum multitudinem nocte una delevit, ſerenitatem tuam monemus & hortamur attentius, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, quatenus in eo confidens, qui ſalvum facit populum humilem, & oculum humiliat arrogantem, ad defenſionem regni prædicti & catholicæ fidei, quæ ab eiſdem barbaris ſpecialiter noſcuntur expugnari, potenter & viriliter, ſicut decet regalem magnitudinem, te accingens in illorum expugnatione eo ſtudioſior & ferventior cures exiſtere, quo in hoc exaltationem tui nominis & honoris fortius dignoſceris procurare. Nos enim tibi & regno prædicto, quibus in tantæ neceſſitatis articulo deeſſe non poſſumus nec debemus, efficax curabimus auxilium & conſilium annuente Domino impertiri; ac perſonam & familiam tuam ſub protectione ſedis Apoſtolicæ recipientes & noſtra, tibi & omnibus, qui aſſumpto crucis ſignaculo contra Tartaros eoſdem ad defenſionem regni prædicti proceſſerint, illam immunitatem concedimus, eamque indulgentiam elargimur, quæ Terræ ſanctæ ſuccurrentibus in generali concilio conceduntur. Dat. Later.* XVI. *kal. julii ann.* XV. Similia ad Regem Colomanum ſcripſit (*c*). Wacienſem (*d*) vero epiſcopum crucem promulgare, indulgentias proponere, cenſuris irretitos ſolvere præcepit, totius orbis Chriſtiani archiepiſcopos, epiſcopos, cæteroſque aliqua dignitate eccleſiaſtica ornatos excitavit, populos ad induendam crucem incenderent, cum jam regni Ungariæ parte occupata, hoſtes non modo reliquam profligare, verum univerſum etiam orbem Chriſtianum evertere molirentur; juſſitque ſi Rex ad ipſos diverteret, vel apud eos moraretur, ſummo honore acciperent, opem ferrent, atque ab improborum hominum injuriis vindicarent. Quas literas encyclicas ad Reges, principes, comites, cæteroſque nobiles viros, & civitatum aliorumque locorum præfectos exaravit.

Colomanum ad ſacrum bellum incendit.

(*c*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*d*) *Id. ib.*

XX. Bela & Colomanus prælio a Tartaris profligati.

Interea Bela & Calomanus, collectis raptim validiſſimis copiis, ad coercendos hoſtium progreſſus Tartaris occurrerant: ſed cum ingentem exercitum anguſtiore loco compreſſiſſent, inito cum hoſte certamine in fugam acti ſunt, & exercitus internecione deletus; atque inter cæteros Colomanus Rhutenorum Rex idemque Sclavoniæ dux, maximarum virtutum princeps, ſingulari in excindendis hæreticis zelo præditus, quique perpe-

Colomanus in acie cæſus.

(a) Stad. in chron. (b) Long. in hiſt. Pol.

Occumbunt plures antiſtites.

tuam cum uxore Regina Salomea virginitatem coluerat, occulto divinæ providentiæ judicio cæſus, ut tradit Stadenſis (a), atque indicat Longinus (b). Occubuere pariter in prælio plures antiſtites, inter quos archiepiſcopi Strigonienſis & Colocenſis, atque epiſcopi Jaurienſis, Tranſylvanus, ac Nitrienſis pro ovibus animas fortiſſime effuderunt: qui per pagos ad templa confugerant, flammis exuſti: duorum dierum itinere conſtrata cadaveribus terra cruoreque imbuta cernebatur. [1]

XXI. Cumani ob Cutenem principem ab Ungaris occiſum crudeliſſime ſæviunt.

Dedere tantæ cladi non levem cauſam Cumani, qui cum a Tartaris ſedibus pulſi, ab Ungaris perhumaniter excepti fuiſſent, irrumpentibus poſtea in Regnum Tartaris Ungari Cumanos accuſarunt hoſtem in Ungariam traxiſſe, eo argumento adducti, quod plures Cumani in Tartarorum exercitu viderentur; coortaque ſeditione Cumanorum princeps Cutenes obtruncatus cecidit. Inde in alios Cumanos verſus furor, qui mox cum Tartaris percuſſo fœdere, in Ungaros conceptum furorem evomuere, adeo ut quoties Ungarum confoderent, ulciſcendæ principis ſui cædis avidi, his vocibus infremerent: *Hoc tibi Cutenes vulnus infligit.*

XXII. Cladis cauſa tribuit Frid. Belæ imprudentiæ.

(c) Ext. apud Mat. Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Tribuit porro Fridericus in ſuis literis Ungariæ excidium Belæ inertiæ, qui regni munitiſſima clauſtra defendere neglexiſſet, atque ubi primum Cumanos a Tartaris devictos, dein Rhutenos ſimili incendio correptos propoſuit, ut Ungari inani ſecuritate deluſi perierint, deſcribit (c): *Ad repentinos impetus, & illius barbaricæ gentis aggreſſus, quæ velut ira Dei & fulgur ſe rapiim jaculatur, expugnata & capta ejuſdem regni*, Rhutenorum ſcilicet, *Cleva civitatum maxima totum illud nobile regnum cæſis ſuis habitatoribus in deſolationem cecidit devaſtatum. Quod cum contermino regno Ungarorum dediſſe debuit ad cautelam robur & munimen, ſprevit negligenter. Quorum Rex deſes & nimis ſecurus per Tartarorum nuncios & literas requiſitus, ut ſi ſuam vitam cuperet & ſuorum, per ſuam & regni ſui deditionem eorum gratiam feſtinus præveniret; nec ſic perterritus aut edoctus ſuis vel aliis præſtitit documentum ut & ipſe & ſui ſe maturius ad eorum protecti præmunirentur incurſus: ſed hoſtium contemptores elati, vel neſcii dum inimico vicinante ſegnes dormitarent loci nativo munimine confidentes, ipſi more turbinis intrantes eos undique circumdabant repentini.*

Solicitatus ad deditionem faciendam Tartaris ad comparandum ſe tardior extitit.

XXIII. *At Ungari ante expectatum circumdati & oppreſſi velut imparati ipſis obiicere caſtra contenderunt, & cum diſtarent quinque tantum milliaribus hinc exercitus Tartarorum, inde Ungarorum, irruerunt raptim in auroræ crepuſculo Tartarorum præambuli; & ſubito caſtris Ungarorum circumdatis, interfectis primo prælatis & majoribus de regno, qui ſe objecerant, cæſis, infinitam Ungarorum multitudinem gens inimica trucidavit, ſtragem faciens inauditam, cui ex antiquiſſimi lapſu temporis in uno belli conflictu vix recolitur fuiſſe conſimilis. Ex fuga igitur Rex vix elapſus eſt equo raptus velociſſimo, qui raro ſatellite ſtipatus aſſociato, ad fraternam Hyllici * regni ſortem, ut ſaltem ibidem protegeretur, fugitivus avolavit. Victores igitur caſtris & ſpoliis victorum inſederunt exultantes, jam jamque majorem & nobiliorem Ungariæ partem ultra Danubium fluvium & incolas ejus ferro & flamma feraliter vaſtantes, cætera confundere minantur procaciter.* Prout per venerabilem Vatienſem epiſcopum dicti Ungariæ Regis legatum ad noſtram curiam, & poſtea ad Romanam didicimus deſtinatum. Hic per nos tranſitum faciens, his teſtimonium perhibuit, quæ vidit.

* Illyrici

XXIV. Dum Ungaria ſub excidio barbarorum lugeret, eximium hoc Chriſtianæ charitatis exemplum vir religioſus edidit, qui ut eos ſolaretur, qui fuga ſaluti ſuæ conſulere non poterant, barbarico furori ſeſe objecit: *Dux quidam (d) in Ungaria potentiſſimus, relictis in principatu filiis, ordinem Prædicatorum intravit: erat autem ſufficienter literis inſtructus & factus eſt egregius ac devotiſſimus prædicator. Irruentibus ergo Tartaris, & priore domus cum fratribus fugiente, petivit*

(d) Cantipr. l.2. c. 44. n.2.

Egregium prænobilis viri religioſi facinus vitam pro aliis exponentis.

NOTÆ

(a) Thom. arch. Spalithin. in chron. Salonitan. epiſ.

[1] POſt illa verba *cruoreque imbuta cernebantur*, addunt annales contracti: *Vaſtitatem hanc a Tartaris effectam deſcribit lugubri ſtilo Thomas (a) archiepiſcopus Spalatinus, obſervatque Hungaros deliciis ac vitiis fuiſſe prius victos, quam a Tartaris vincerentur; additque præter cruentas ſtrages editas a Tartaris, partem maximam exercitus palude merſam. Parta victoria Tartari oppidanos & urbium cives, qui deditionem faciebant exutos veſtibus ne macularentur perfoſſo corde necabant, feminas ad obſequia idoneas ſervabant, quas tamen Tartaræ, vel ob inſignem oris venuſtatem zelotypia perculſæ trucidabant, vel naſo mutilabant, & auribus; pueros vero crudelitati puerorum Tartarorum laniandos exponebant, ut ſævire, ac ſitire chriſtianum ſanguinem diſcerent: clerus, ſacro agmine inſtructo miſericordiam poſcere auſus, obtruncatus eſt. Bela vero rex una cum uxore, ac Stephano filio præcipiti fuga in maritimas regiones ſe ſubduxit. Cum tantam cladem lugeret religioſus vir accepit divinitus eam ob populi & cleri, ac trium præcipue præſulum ſcelera a Deo vindice permiſſam fuiſſe.* MANSI



A Tartaris obtruncatur.

*tivit idem frater, quondam dux, ut in ſolatium dimitteretur debilium populorum, dicens ſe confectum ſenio, & etiamſi non occideretur a Tartaris, in proximo tamen moriturum. Permiſſus ergo remanſit in domo fratrum, & admonitione dulciſſima pauperibus & debilibus, qui fugam inire non poterant, ad patientiam confortans, ipſe uſque ad irruptionem barbarorum pronus in oratione & lacrymis in eccleſia in modum crucis extenſus ante altare jacebat, & ſic ab impiis eſt occiſus.*

XXV. Commurmurantem ob illius cædem de divina providentia corripit.

*Recedentibus ergo Tartaris ad domum fratres reverſi ſunt, & fratrem quondam ducem lanceis terebratis pedibus & manibus, atque confoſſis omnibus membris, & cerebro excuſſo de capite, coram altari, ut dictum eſt, invenerunt: quo piaculo cum cuncti fratres nimium ad lacrymas moverentur, quidam præ cæteris horrens ingemuit, dicens: Tu Domine Deus quare tantum virum tam iniqua morte & peſſima paſſus es interire? Cumque in luctu, lacrymis, & redargutione judiciorum Dei, tribus diebus & noctibus fere jejunus & ſine ſomno penitus permaneret, tandem in exceſſu mentis raptus, vidit occiſum, quem fleverat, dicentem ſibi: Nunquid oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam? Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Et hæc dicens diſparuit: fratrique querulanti divina judicia, quæ inſcrutabilia ſunt verborum brevitate & auctoritate ſatisfecit.* Hæc Cantipratenſis.

XXVI. Magni ac repentini Tartarorum progreſſus.

(a) Stad. in chr. an. 1240.

Hoc porro temporis ſpatio incredibile eſt quanta excidia Pannoniis crudelis gens intulerit, quantumque humani ſanguinis fuderit: conſumptis eorum furore populis Bela in Dalmatiam confugit, ac denique in inſulas proximas trajecit, tutumque ibi ſolummodo a Tartarorum irruptione locum reperit: de quibus Stadenſis Germanus ſcriptor (a) hæc hiſtoriæ conſignavit: *Eodem anno cœperunt magis atque magis horrendi rumores de populis barbarorum, qui dicti ſunt Tartari, ſuccreſcere: qui pertranſeuntes innumerabili multitudine & manu valida Ruſſiam, & Poloniam, & alia plurima regna, nulli pepercerunt; ſed omnes quos attingere poterant, cujuſcumque eſſent profeſſionis, ſexus vel ætatis crudelitate nimia peremerunt: venienteſque Ungariam inopinatiſſimo eventu, factaque infinita ſtrage hominum, Regem, occiſo fratre ejus in pugna, de ſuo regno in Græciam expulerunt.*

Bela ad maritima Sclavoniæ fuga ſe recipit.

XXVII. Condolet illius cladi Greg.

(b) Lib. 15. ep. 108.

Tantarum cladium nuntius Pontificem acerbiſſimo dolore affecit: & ad mitigandum Regis Ungariæ ex amiſſo regno mœrorem, conſolatorias literas dedit (b), quibus jacentem ipſius animum erigere eſt conatus, promiſitque ſi Fridericus redire ad Eccleſiam vellet, ſe ad pacem admittendam paratiſſimum; ac tum operam ad ipſum regno reſtituendum converſurum.

*Belæ illuſtri Regi Ungariæ.*

*Cum ad arcana pectoris faciem mentis convertimus, inter alia, quæ de Chriſti fidelibus ſub diverſitate temporum elegimus commendanda memoriæ, immaculata tuorum progenitorum fides, & ſincera devotio nobis occurrunt dignis laudibus ſpecialiter recolendæ; præſertim cum progenitoribus ipſis non ſolum derivatione ſanguinis, ſed illorum propagatione ſuccedens, eo crebrius in nobis illorum memoriam refrices, quo eorundem imitatus veſtigia ipſos frequentius repræſentas: tua quoque ſerenitas ſic ſemper circa Eccleſiam affectione pura, & inconcuſſa conſtantia claruit, ut ſuis obſequiis opportunitatis tempore ſe offerens reverenter honorem ejus inter cæteros orbis principes ferventer optarit, eumque ſtuduerit, expoſito ad hoc potentiæ brachio, indefeſſa ſolicitudine procurare. Digne itaque, tuis dictorumque progenitorum exigentibus meritis, Rom. Eccleſia te tantæ devotionis titulo inſignitum intra clauſtra cordis affectione præcipua bajulans, & infra mentis ubera brachiis ſinceritatis aſtringens, illo tuam privilegiat amore perſonam, ut eam inter reges alios favoris & gratiæ prærogativa efferat ſpecialis: maxime cum in te derivata tuorum probitate parentum fœcundiores virtutum fructus ex ea colligat in propagine filii, quam de radice paterna provenirent. Et quidem ſic honoris regii zelatores exiſtimus, ſic regni tui commodum plenis deſideriis affectamus quod ad ea vigili ſtudio aſſidue intendentes, quaſi ſucceſſuum tuorum participes lætamur plurimum de tuæ proſperitatis augumento, & graviter de adverſitatis detrimento triſtamur.*

XXVIII. *Nuper autem audito, quod gens Tartarorum ad regnum Ungariæ manus depopulatrices extendens adeo in ipſum deſolatrix inſævit, ut gladio ejus habitatorum illius ſanguine continuata cæde madente, diro illud exterminio devaſtarit, gravis doloris extitimus ſagitta perculſi, tantæque amaritudinis potati abſynthio, ut oculi protinus copioſis exprimerent lacrymis cordis triſtitiam vehementem. Et eo majoris turbationis nube reſpergimur, quo te nobili Eccleſiæ membro tanta tuorum ſtrage fidelium tam crudeliter vulnerato Eccleſiam ipſam ſauciatam gravius deploramus. Verum quantumcumque ſit caſus iſte damnoſus, & gemendum Chriſtianorum excidium illius gentis feritate patratum, ad eum tamen oculos mentis elevans, & in ipſo totius ſpei ordiens fundamentum, qui etſi quandoque in populum ejus flagellum jaculet ultionis immanitate ſcelerum in-*

*intolerabili expetitum, miſericordiæ tamen memor poſt diſciplinæ rigorem lenitatem adhibet pietatis, & poſt correptionis virgam manum conſolationis extendit; illo ardore fidei contra ejuſdem gentis perfidiam accendaris, eaque conſtantia cordis adverſus conatus muniaris, illius invocato undecunque potes auxilio, ut ejus tyrannidi valeat tibi dextera potentiæ aſſiſtente reſiſti, ſuuſque proceſſus ab aliarum regionum exterminio prohiberi. Nos enim ſuper iis diligenti ſolicitudine vigilantes excellentiæ tuæ in tantæ neceſſitatis articulo conſilium & auxilium, prout potuerimus, efficax impendemus, te ſemper tanquam chariſſimum ſedis Apoſtolicæ filium opportunis favoribus proſequendo. Ad hæc ſi Fridericus dictus Imperator corde contrito, & humili aſſumpto pœnitudinis ſpiritu rediret ad mandatum matris Eccleſiæ reverenter, parata eſſet pacem reformare cum ipſo, quæ ad honorem Dei, augumentum catholicæ fidei, ac eccleſiaſticæ libertatis & quietem Chriſtiani populi redundaret, ut ex ea etiam tibi poſſet liberius & utilius ſubveniri. Datum Later. kal. julii anno xv.*

Promittit admiſſurum in gratiam Fridericum ſi redire ad officium velit.

XXIX. Redintegrandæ præterea cum Friderico concordiæ maximo teneri deſiderio ſignificavit (a) Gregorius Charinthiæ duci, quo ad reſtituendum Regem Ungariæ, ac propulſandos Tartaros omnium arma verterentur, modo Fridericus læſæ Eccleſiæ facere ſatis non detrectaret. At ille felicibus ſucceſſibus elatus opprimendæ Eccleſiæ, ac ditionis pontificiæ in ſuam poteſtatem redigendæ occaſionem ſibi porrectam arbitratus, dum Tartari fines Chriſtianorum populabantur, majori furore Pontificem perſecutus eſt, literiſque Gregorium ut Tartaricæ irruptionis cauſam in invidiam apud omnes vocabat: *Multi*, inquit, (b) *opinantur quod fama diſſenſionis hujuſmodi non modicam Tartaris præſtat audaciam, ut in ſeipſum fidei noſtræ regnum facilius deſoletur*. Quam porro falſo diſcordiæ cauſam & crimen a ſe in Pontificem derivaret, ſuperius a nobis probatum eſt. Immo, ut refert Pariſius (c) communis fama increbuit Tartaros a Friderico in perniciem Chriſtianorum efferatos, ſive ut eorum ope Eccleſiam everteret, vel ut immiſſo crudeliſſimo hoſte Pontifex deturbandi ex Imperio ipſius conſilia abiiceret, cum non diſſolvendæ ſed potius ad repellendos barbaros fidelium omnium vires conjungendæ eſſent vel ne Ungari, quos Pontifex datis II. idus feb. literis (d) ad crucem adverſus Fridericum induendam excitari propoſitis indulgentiarum præmiis juſſerat, Tartarico bello impliciti arma in ipſum movere poſſent.

(a) Ib. ep. 91.

Detrectat pacem Fridericus. Pontificem ut cauſam diſcordiæ in invidiam vocat.

(b) Ext. ejus epiſt. in MS. Vall.

(c) Par. hiſt. Angl.

Exciviſſe Tartaros ad Chriſtianorum excidium creditus.

(d) Lib. 14. ep. 217.

XXX. Dabat ſiniſtræ de Friderico ſuſpicioni locum nota ipſius impietas, tum quod imminente Germaniæ extremo exitio ſigna in barbaros attollere detrectaret. Quamvis enim literis ſuis Chriſtianos principes ad corripienda in Tartaros arma hortaretur, ſeque iis in tam præclaro bello ducem futurum polliceretur, verbis adverſus infideles pugnare contentus, ipſe ad clientes Rom. Eccleſiæ obterendos Tartaricum furorem exercebat. Extant hujuſmodi literæ, quibus omnium expectationem ſolitis eloquentiæ fucis deludebat, in quibus hæc inter cætera ad pompam jactat (e):

Spem falſam inicit in eos ducturum.

(e) Ext. apud Pariſ. hiſt. Angl.

XXXI. *Speramus in Domino Jeſu Chriſto, quo duce, quo prævio hactenus ab inimicis noſtris liberati triumphavimus, ut & ii, qui de Tartareis ſedibus proruperunt, faſtu depoſito expertis occidentis viribus, quas ſibi ſentiunt adverſantes, ad ſua tartara Tartari detrudentur; nec gloriabuntur impune tot peragraſſe provincias, tot populos deviciſſe, tot facinora perpetraſſe, cum ad victrices aquilas præpotentis imperialis Europæ ſors incauta, immo ſathan ipſos traxerit morituros. Ubi ultro furens ac fervens ad arma Germania, ſtrenuæ militiæ genitrix, & alumna Francia, bellicoſa & audax Hiſpania, virtuoſa viris & claſſe munita fertilis Anglia, impetuoſis bellatoribus referta Alemannia, navalis Dacia, indomita Italia, pacis ignara Burgundia, inquieta Apulia, cum maris Græci, Adriatici, & Tyrrheni inſulis piraticis & invictis Creta, Cypro, Sicilia cum oceano conterminis inſulis & regionibus, cruenta Hybernia cum agili Vuallia, paluſtris Scotia, glacialis Norvvegia, & quæcumque jacet nobilis & famoſa ſub occiduo cardine regio ſuam electam militiam, prævio vivificæ crucis vexillo, quod non tantum homines rebelles, immo dæmones adverſantes reformidant, alacriter deſtinabunt. Dat. in receſſu poſt deditionem & depopulationem Faventiæ tertio die julii.* Hæc Fridericus, qui jactatis inanibus verborum lenociniis oratorem, quam rapto contra Tartaros exercitu Chriſtianum Imperatorem agere malebat. Quæ enim poſt tot ampullata verba facinora verſis non in barbaros, ſed in Chriſti vicarium armis ediderit, deſcribit Richardus (f): *Imperator diſcedens a Faventia venit Fanum, quam circumpoſita obſidione cum flectere ad ſua vota non poſſet, in exterioribus vaſtat, & diſcedens invadit Spoletum, quod recipit ad mandatum ſuum. Aſſiſii civitatem ſibi renitentem ſimiliter vaſtat exterius.*

(f) Rich. de S. Germ. in chron. hoc ann.

XXXII. Subiicit nonnullis interjectis auctor: *Ipſe Rex Ungariæ ſignificavit eidem Imperatori per Vatienſem epiſcopum legatum ſuum, & per literas ſuas, per quas ſe ipſum & regnum ſuum Ungariæ ſuæ promittit ſubiicere ditioni, dummodo per ipſum Im-*



*Imperatorem ab ipſis Tartaris protectionis ſuæ munimine defendatur.* Inſignem tum præ ſe tulit vecordiam Fridericus, qui cum arrepta Regis Belæ contra Tartaros clientela ampliſſimi regni ſupremum dominium ſibi comparare poſſet, dum in perſequendo Gregorio & occupandis aliquot illius urbibus ac locis tempus male collocat ſpoliandæque ſua ditione Eccleſiæ ſpe inſoleſcit, idoneam propagandi juſte Imperii occaſionem elabi paſſus eſt.

Bela ſupremum Ungariæ dominium pollicetur Friderico ſi ab eo regno reſtitutus ſit. Inſignis Friderici vecordia bellum juſtiſſimum non ſuſcipientis.

XXXIII. Meminit ille oblati ſibi a Bela retento jure fiduciario Ungarici regni in literis (a) ad principes datis, quibus ſignificat ſe audito Vatienſi epiſcopo Regis Ungariæ contra Tartaros Imperii auxilia implorantis oratore, Romam ad conciliandam cum Gregorio pacem, quo tantum opus facilius ſuſciperet, accedere: *Verſus Romam dirigimus greſſus noſtros in devotione, nec minus potentia noſtra de vicino conſpectu. Si apud ſummum Pontificem quæ ſunt pacis invenerit filius, ac apud ſedem Apoſtolicam pro tanta fidei neceſſitate conſilium nullatenus dubitabit, nec retardabit Romanus Auguſtus catholicus Imperator, ac rebellium inclytus dominator pro tanta fidei neceſſitate communi exponere & totius potentiæ ſuæ vires conferre.*

(a) Ext. in MS. Vallic. bibl.

Ementitur ſe pacem ambire dum atrocius Pontificem inſectatur.

XXXIV. At ipſe revera Romam non pacis ſtudio, ſed Urbis invadendæ cupiditate contendit, ut indicat Richardus, qui ubi menſe julio plura ab eo ditionis pontificiæ loca capta aut vaſtatos illorum agros deſcripſit, addit ab Joanne Columna Card. occupandæ Urbis ſpe excitum eo infeſta ſigna vertiſſe: ille enim fœderis modus erat, quem cum Rom. Pontifice inire jactabat, ſi omnibus eum bonis exuiſſet; ſubdit in ſuis literis Fridericus: *Vos denique patres conſcripti quibus eſt potius ipſius fama clarior, quam cauſa vicinior nobis perſequentibus Imperii noſtri cauſam; quia dum patria & avita regna repetimus, non aliena per injuriam uſurpamus, vias omnes inveniatis & modos, qualiter una nobiſcum & cum aliis terræ principibus, quos ad hoc per literas noſtras & nuncios excitamus pro tantæ neceſſitatis articulo ad deſtructionem communium hoſtium occurrere valeatis; præſertim cum divina potentia non tam tueri velit Romanum Imperium, quam augere. Ecce enim Rex Ungariæ regnum noſtræ ditioni ſubjecit, dummodo defenſionis noſtræ clypeo protegatur.*

XXXV. Solicitarunt ardentiſſimis precibus Fridericum Germaniæ principes, ut ex Italia cum exercitu ad retundendos hoſtes Chriſtiani nominis & Imperii procurreret. At princeps perfidus quaſi eum extrema imminens Germaniæ pernicies non tangeret, varias cauſas ſubornabat, ne ex Italia ſe moveret, quas obtrudebat Germanis principibus; ac modo fingebat ſe redacta in ſuam poteſtatem Italia univerſa fortiorem in Tartaros ſigna directurum: *Circa fertilis*, inquit, (b) *Italiæ partes direximus greſſus noſtros, vires noſtras adducimus & noſtrorum, ut pacatis undique dominii noſtri partibus, & rebellibus omnibus ad mandata noſtra ſubjectis, tanto velocius tantoque ſecurius ad extremum tempeſtatis Tartaricæ dextera imperialis conſurgeret;* fingebat modo hærere adhuc in Italia, ne ſi re imperfecta abſcederet, partas victorias effunderet.

Solicitatus a principibus Imperii, ut in Germaniam contra Tartaros procurrat procraſtinat.

Quas morarum cauſas obtenderit.

(b) Ext. hæ lit. ib.

XXXVI. *Quia pridem auditis rumoribus nationis barbaræ Tartarorum, quod regnum Ungariæ ſubitis aggreſſibus invaſiſſent, cogitavimus proximo ardente pariete rebus noſtris conſultius ſuccurrendum, ad hoc prompta expoſiti voluntate, velut qui tam proprio ſuadente negotiorum totius Chriſtianitatis conſilio, quam tuitione catholicæ fidei requirente; ad quam tuendam ex commiſſa nobis imperialis officii diſpenſatione tenemur, debemus inimicis fidei Chriſtianæ totis viribus obviare; ſed ſumma neceſſitas neceſſariæ cauſam dilationis indixit, ut rem tam arduam Imperii nos ſpecialiter & principaliter principes contingentem, bellicis tot armorum laboribus in effuſione Germanici ſanguinis exhauſtam, ad finem proximum Germanicis caſibus jam deductam, non debemus amittere per breviſſimam moram temporis imperfectam ve, quod eſſet deterius & facile contigiſſet, Italicis gentibus in abſentia dominorum ſuorum utentibus more ſuo tantus labor & effuſiones divitiarum in irritum recidiſſent, negotia graviora nobis & Imperio iterata pericula remanerent.*

Subacta Italia fortiorem contra Tartaros futurum.

Brevi Italicum bellum confectum iri.

XXXVII. Adjecit aliam non ſuſceptæ in Tartaros expeditionis cauſam, qua Pontificem in odium adduxit, ne ſi in barbaros ſigna converteret, a Gregorio, dum eo bello implicitus eſſet, infeſtis armis peteretur. *Aliud etiam urgens & evidens impedimentum occurrit, quod intercedente inter nos & Rom. Pontif. ab olim aborto diſſidio, experientia præteriti temporis ſuggerit venturo tremorem, cum inſtat timor, qui cadere valeat in conſtantem, certe moveat gentem noſtram, ne nobis venientibus ad confuſionem hoſtium barbarorum, familiaris & domeſticus hoſtis, velut quondam nobis partes ultramarinas adeuntibus pro ſervitio Jeſu Chriſti, cum quibuſdam rebellibus noſtris in armis prædonibus, qui libenter occaſionem abſentiæ noſtræ captarant, invaderent regnum noſtrum, cum familiaris peſtis ſit levior ad nocendum.*

In ſe abſentem verſurum arma Pontificem ſi moverit in Tartaros.

XXXVIII. At quam temere hæc in Rom. Eccleſiam effutierit, quæ pluribus aliis literis ſparſit, ex dictis cum de illius Aſiatica profectione ageremus conſtat: Pontifex enim ab ipſius ducibus ultro armis laceſſitus, dum ignavum fœdus Fridericus cum Sar-

Refelluntur ejus calumniæ.

Sarracenis pangebat, ad divellendum e ditione pontificia hoſtem bellum in Siciliam transferre coactus fuerat, metuſque hujuſmodi cauſa omnis aberat, ſi in Tartaros ſigna converſurus cum Pontifice ad pacem, ſi præterita ſcelera expiaret, paratiſſimo, ut crebræ ejus literæ ad Belam Regem, ad ducem Charinthiæ, ad captos præſules demonſtrant, concordiam iniiſſet. Cum vero Chriſti fideles omnes jure de Friderici fama detraherent, quod in extremo rei Chriſtianæ diſcrimine ad poſcendam præteritorum veniam pertinaciam non frangeret, ut a bello Italico expeditus in Tartaros duceret, hæc in ſua apologia ſcripſit.

XXXIX. *Propter quod de nobis, ac cæteris principibus non abſque admiratione publica totius loquitur mundi lingua, quod audito & cognito infauſto adventu infidelium Tartarorum, qui ad exterminium publicum Eccleſiæ & Imperii & totius Chriſtianitatis aſpirant, prævиſa deliberatione principum ad ſedem Apoſtolicam nuncios non miſerimus ſpeciales, ſupplicaturi ſummo Pontifici ut tot impedimenta, quæ verbis & opere nobis oppoſuit, & opponere non deſiſtit, inſpecta neceſſitate occidentalis provinciæ revocaret, & nos ad publicæ fidei & Chriſtianorum defenſionem venire permittat etiam inoffenſos, ut moram noſtram quam juſte cauſaris, tu vel alii principes arguere non poſſitis ſi pro diuturnis guerris, ac humiliatione rebellium exhauſtis theſauris noſtris & viribus, tot armatorum laboribus fatigatis, tam per eos tuemur, quam ab inimici hominis inſidiis præcavemus.* Hæc Fridericus, qui nullis rationibus non famæ ſuæ & exiſtimationis periculo, non imminentis Germaniæ diſcriminis terrore, non principum precibus, non ſupremi Ungariæ regni adipiſcendi juris certiſſima ſpe adduci potuit, ut in Tartaros bellum traduceret. Cæterum quæ & quanta mala Eccleſiæ intulerit, ob quorum magnitudinem oppreſſus mœrore Chriſti vicarius obierit, dicetur inferius, ubi primum ab eo geſta delibaverimus.

Texit apologiam ſi graſſantibus Tartaris bellum gerere cum Pontifice pergat.

XL. Permiſit Gregorius Gaufrido Conſtantinopolitani Imperii magiſtro equitum, quem Vatacius omnibus terris, excepta arce, cui Aſquili nomen inditum, magnique erat momenti ad ſervandam Conſtantinopolim exuerat, ut cum opibus ad ſuſtinendos præſidii ſumptus non valeret, ipſique ad ineundam bonorum ſibi a fratre relictorum poſſeſſionem iter in Gallias ſuſcipiendum eſſet, vectigalium eccleſiaſticorum pars, quæ tuendo Imperio addicta fuerant, ad illius arcis defenſionem derivaretur: qua de re ad Bernardum ſubdiaconum pontificium extant literæ (*a*). Incubuit etiam liberando Amalrico comiti e Monteforti, qui re male geſta in Terra ſancta abductus in ſervitutem fuerat, atque Willelmo pœnitentiario ſuo partes injunxit (*b*), ut ad redimendum ipſum ex hoſtium manibus e bonis pro terræ ſubſidio relictis ad quinque millia marcharum argenti converteret. [1]

Nonnulla Gregorii geſta. Conſulit Conſt. Imperio. Pro liberando e Sarr. Amalrico Montf. redemptionem confici jubet.

(*a*) *Lib.* 15. *ep.* 103.

(*b*) *Lib.* 14. *ep.* 209.

XLI. Cum vero Norwegiæ Rex, qui profectionis Aſiaticæ voti reus teneretur, ob longa locorum intervalla, populi egeſtatem, interiacentium nationum linguæ inſcitiam, non ſine maximo incommodo votum perficere poſſet, Gregorius illius votum in ſacram ſeptentrionalium ethnicorum expeditionem convertit, atque etiam clientela apoſtolica eſt proſecutus (*c*). Capeſſiverat, ut videtur, recenter regni Norvvegiæ habenas, cum Nidroſienſis archiepiſcopus atque alii antiſtites tum temporis flagitarint a Gregorio, uti Norvvegiæ Rex, quamvis illegitimis natalibus procreatus, regiis inſignibus patrio more ornari poſſet: at in re graviſſima Pontifex nonnullos religioſos viros de patriæ conſuetudine inquirere, ſeque certiorem facere juſſit (*d*). Aquinus enim Rex, quem ex conjugio juſto ſuſceperat, ſive correptus mania, ſive adoleſcentis crimine aliquo laceſſitus, ut refert Crantzius, e medio ſuſtulerat, regnumque naturali filio reliquerat.

Regis Norweg. votum permutat.

(*c*) *Ib. ep.*

Rogatur ut regem licet ex impuris natalibus ortum regiis inſignibus redimiri jubeat. Inquiri de patriæ conſuetudine præcipit.

(*d*) *Lib.* 15. *ep* 111.

Florebat tum in Norvvegia Auguſtini olim Nidroſienſis archiepiſcopi ſanctitatis fama, maximiſque miraculis illuſtrata Re-

gem

Flagitant a Gregorio Norwegiæ præſules ut Auguſt. Nidr. arch. SS. numero aſcribatur.

NOTÆ [1] HOc anno Vatacius inducias firmavit cum Conſtantinopolitanis die feſta S. Johannis ad biennium, quas pariter jurarunt Anſanus rex Bulgarorum ejusque filius. Porro Anſanus circa idem feſtum S. Johannis diem clauſit extremum. Hæc omnia, quibus tradita hic in annalibus illuſtrantur, notat Albericus monachus Ciſtercienſis in monaſterio Trium fontium diœceſis Catalaunenſis, qui cum hoc anno chronicon ſuum claudit. Opus illud contexuit ex hiſtoricis plurimis partim editis, partim adhuc ineditis, quorum verba diligenter exſcribens author utilis eſt interdum reſtituendis pluribus ſcriptorum locis in editionibus fœde corruptis. Annum incipit a Natali Domini more inter hiſtoricos Gallos ejus ætatis fere ſingulari. Diligentiſſimum eſſe éclypſium adnotatorem viris eruditis jam dudum animadverſum eſt; ſed chronologia non ſatis accurata utitur, qua in re dum tempora ab ætate ſua remota perſequitur ſæpe, in rebus vero quæ ad ætatem ſuam accedunt propius interdum peccat. Cæterum multa narrat, quæ fruſtra alio quærantur. Typis prodiit opera Cl. Leibnitii in to. II. acceſſionum hiſtoric. Lipſiæ anno 1698. ſed ante illum notus erat hiſtoricus, eodemque primus omnium, quos noverim, uſus fuit Gerhardus Mercator in ſua chronologia edita anno 1569. MANSI



gem ac præſules Norvvegos excitarat, ut a Gregorio ſanctorum catalogo apponi expeterent, qui ut in re tanti ponderis mature deliberaret, abbatibus Taurienſi, Ciſtercienſi & Holmenſi S. Benedicti & fratrum Prædicatorum Nidroſienſium priori provinciam demandavit, ſancti miracula ad eccleſiaſticum examen revocarent, ſeque de re tota facerent (*a*) certiorem.

(*a*) *Ib. ep.* 32.

XLII. *Dignas Domino referimus gratias quod, ſicut venerabilis frater Nidroſienſis archiepiſcopus & ejus ſuffraganei, ac chariſſimus in Chriſto filius noſter Norvvegiæ Rex illuſtris ſuis nobis literis intimarunt, recolendæ memoriæ Auguſtinum Nidroſienſem archiepiſcopum, cum pie vixiſſet in hoc ſæculo, viam ſalutis docendo verbis pariter & exemplis, tandem præſentis vitæ curſu feliciter conſummato, multis miraculis Omnipotens decoravit: unde cum non deceat eum apud homines ſine veneratione relinqui, quem merita & miracula ſanctum oſtendunt, nobis humiliter ſupplicarunt, ut ipſum aſcribere ſanctorum catalogo curaremus. Quia vero nobis non conſtat de præmiſſis, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de vita & miraculis ipſis diligenter ac ſolicite inquirentes, quæ inveneritis nobis per veſtras literas fideliter intimetis. Dat. Later.* XII. *kal. maii ann.* XV. Quod ad archiepiſcopum Nidroſienſem attinet; Apoſtolicam ſedem literis ſuis conſuluerat, num cerviſia ob aquæ penuriam in baptiſmo conferendo adhiberi poſſet, cui Gregorius eos qui cerviſia abluti fuerant, baptiſmum rite non ſuſcepiſſe reſpondit: (*b*) *Cum, ſicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquæ penuriam infantes terræ tuæ contingat in cerviſia baptizari, tibi tenore præſentium reſpondemus, quod cum ſecundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua & Spiritu ſancto renaſci, non debent reputari rite baptizati, qui in cerviſia baptizantur. Dat. Later.* VIII. *id. jul. ann.* XV.

Inquiri de illius miraculis jubet.

Conſulenti Nidroſ. arch. reſpondet cerviſia baptiſmum conferri non poſſe.

(*b*) *Ep.* 111.

XLIII. In Hiſpania cum Luſitaniæ Rex, conflata ingenti claſſe ac pedeſtri comparato exercitu, armorum terrorem ad Chriſtiani nominis adverſarios laceſſendos converteret, egregio illius ſtudio collaudato Gregorius Luſitanos apoſtolicis literis ſolicitavit, (*c*) ut ſpe æternæ adipiſcendæ gloriæ, operam ſuam in inſtruenda illa expeditione conferrent, in qua ampliſſimas indulgentias certiſſime erant conſecuturi: *Cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Portugalliæ Rex illuſtris, ſicut ſua nobis inſinuavit monitione, cum nobilibus terræ ſuæ contra inimicos crucis Chriſti tam per mare, quam terram procedere in manu potenti proponat, & dignum ſit, ut viri catholici, qui ſunt ſanguine Ieſu Chriſti redempti, ad ipſius ſervitium, & dilatationem fidei catholicæ viriliter ſe accingant, univerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus conſultius attendentes, quod omne opus hominis in fine deſtruitur, eo dumtaxat excepto, quod in Dei ſervitio operamur, cum dicto Rege vel eo, quem ad id deputaverit, ad expugnationem hoſtium fidei ſorti & prompto animo procedatis, in modico & temporali labore immarceſſibilem æternæ quietis gloriam lucraturi. Nos enim omnibus, qui laborem iſtum ſaltem per annum in propriis perſonis aſſumpſerint, aut ad hoc de bonis ſuis juxta facultates proprias erogarint, illam concedimus indulgentiam peccatorum, quæ talibus pro Terræ ſanctæ ſubſidio in generali concilio eſt conceſſa. Datum Laterani* XII. *kalendas mart. ann.* XIV. Navabat etiam egregie operam Caurienſis epiſcopus in retundendis Sarracenis, ac nomine Chriſtiano defendendo; cujus epiſcopatus cum perfidorum limiti conjunctus eſſet, facta ſæpius ab hoſtibus excurſione vaſtabatur, ſæpius viciſſim in eorum terras ipſe irrumpere cogebatur; atque adeo ut plurium operam in gerendo eo ſacro bello ſibi conciliaret Pontifex conceſſit (*d*) ſolemnes indulgentias iis, qui in piiſſimo certamine mortem oppeterent, tribueret; alios vero meritis etiam ſacris præmiis afficeret.

Rex Luſitaniæ bellum in Sarracen. parat.

(*c*) *Lib.* 14. *ep.* 222.

Indulgentiæ ſacræ illius ſigna ſequuturis propoſitæ

(*d*) *Lib.* 15. *ep.* 15.

XLIV. Excitarat tum acerbiorem Sarracenica in Dei Eccleſiam perſecutionem Fridericus: ad cujus frangendum furorem adductus eſt Pontifex, (*e*) eorum vota, qui ſacræ in Sarracenos expeditioni addixerant, cum gerendo in Fridericum bello commutare: *Tanto enim,* inquit, *ſalubrius eſt Apoſtolicæ ſedi in hoc neceſſitatis articulo ſubvenire, quanto ipſa mater & caput fidei in gravius Chriſtiani nominis periculum impugnatur.* Damnarunt porro nonnulli impias Friderici partes, quos ab Aretino epiſcopo Piceni præfecto Pontifex abſolvi juſſit (*f*), ac pariter Gregorio e Montelongo ſubdiacono & notario ſuo Apoſtolicæ ſedis legato reſtituendi Eccleſiæ patriarchæ Aquilejenſis eadem de cauſa cœtu fidelium depulſi poteſtatem fecit (*g*): *Cum patriarcha Aquilejenſis pro eo quod Friderico dicto Imperatore Dei, & Eccleſiæ inimico, juſte a nobis multis ex cauſis culpis ſuis exigentibus vinculo excommunicationis aſtricto communicare præſumpſit tam in divinis officiis, quam in oſculo & in menſa; & quia eundem excommunicare publice prætermiſit, prout a nobis receperat in mandatis, quanquam hoc coram pluribus duxerit exequendum; ad noſtram etiam præſentiam, ſicut ſibi ex parte noſtra mandatum fuerat, protinus non accedens, auctoritate noſtra fuerit excommunicationis ſententia innodatus;*

(*e*) *Lib.* 14. *ep.* 217.

(*f*) *Ib. ep.* 198.

(*g*) *Ep.* 212.

Patriarcham Aquil. a Greg. e Montelongo reconciliari præcipit Pontif.

*quia perſonas chariſſimorum filiorum noſtrorum Belæ Ungariæ, ac Colomani Ruthenorum Regum illuſtrium nepotum ipſius patriarchæ ſupplicantium pro eodem ſpeciali quadam prærogativa dilectionis & gratiæ amplexamur, eorum ſupplicationibus annuentes, mandamus quatenus poſtpoſitis omnibus perſonaliter accedens Venetias, vel Torcellas eidem patriarchæ poſtquam ad præſentiam noſtram iter arripuerit veniendi auctoritate noſtra juxta formam Eccleſiæ munus abſolutionis impendas humiliter poſtulanti. Dat. Later. v. kal. febr. ann.* XIV. Aliiſque literis præcepit, (*a*) ſi Lombardica res pateretur, ad ſe accederet, ut de rerum ſtatu faceret certiorem.

(*a*) Ep. 252.

XLV. Epiſcopalis ſedes Auximo Recanatum traducta.

(*b*) Ep. 203.

Traduxerat ſuperiori anno Recanatum epiſcopalem ſedem (*b*) ad percellendos Auximates, qui Friderici partibus irretiti, indignam ſede epiſcopali urbem ſuam reddiderant; ornandoſque Recanatenſes, qui in fide Romanæ Eccleſiæ conſtantiæ exemplum inſigne præbuerant: quare ad cœpta ſtabilienda Auximano epiſc. imperavit, ut quam primum ad ſuſcipienda illius eccleſiæ gubernacula Recanatum ſe conferret: *Cum, attendentes fidelitatem & devotionem dilecti filii cleri, & populi Recanatenſis ad ſedem Apoſtolicam habitam inconcuſſe, ac æſtimantes dignum, ut benemeritis retributio grata ſuccedat, terram ipſorum quondam caſtrum ſtatuerimus eſſe de cætero civitatem, epiſcopalem dignitatem concedentes eidem, a maledictionis filiis populo Auximano exigente infidelitate ipſorum ad eccleſiam ſancti Flaviani Recanatenſis, quam deinceps eſſe decrevimus cathedralem Auximan. ſedem cum omnibus juribus ſuis, dignitatibus & honoribus transferendo, cleri & populi terræ ipſius, ejuſque diœceſis olim Auximanæ cura tibi commiſſa; mandamus quatenus ad prædictam civitatem Recanatenſem accedens, de clero & populo ejus & dicta diœceſi geras tanquam ipſorum epiſcopus ſolicitudinem diligentem. Dat. Later.* XVI. *kalend. febr. ann.* XIV. Quod placitum apoſtolicum poſtea Alexander IV. dato ad clerum populumque diplomate, ſuum robur obtinere juſſit (*c*). Aſculanum etiam populum hac prærogativa affecit, quam ſequentes literæ illuſtrant (*d*): *Præſentium vobis auctoritate concedimus, ut contra malefactores, qui in civitate ac diſtrictu veſtro conſiſtunt, poſſitis ſecundum juris ordinem, & aliarum civitatum Marchiæ antiquam & approbatam conſuetudinem juſtitiæ debitum exercere. Dat. Lat.* IV. *id. maii ann.* XV.

(*c*) Alex. IV. l. 1. ep. 301.
(*d*) Greg. l. 15. ep. 46.

XLVI. Beneventum a Frid. ducibus expugnatum.

Percurrendæ jam nobis ſuperſunt clades, quas hoc anno intulit Fridericus; ſubegit menſe aprili ducum opera Beneventum: eodemque ferme tempore ipſe Faventiam longa obſidione maceratam commeatuum inopia ad deditionem compulit, de quibus hæc Richardus (*e*): *Menſe aprili civitas Beneventana, quæ Rom. Eccleſiæ ſuberat, arctata, & neceſſitate compulſa, Imperatori ſe reddit; cujus mœnia Imperatoris juſſu funditus evertuntur, & turres civitatis ejuſdem uſque ad ſolum, arma hominum civitatis ipſius ad opus recipiuntur Imperatoris. Eodem menſe Faventia per annum obſeſſa & arctata ab Imp. venit ad mandatum ipſius, ſalvis perſonis & rebus hominum civitatis ejuſdem: in qua poſtea Imperator ipſe fieri munitionem mandat.* Eadem pluribus proſequitur Matthæus Pariſius, (*f*) qui Friderici ea de re ad Henricum Angliæ Regem triumphales literas affert, illius urbis obſidionem annum tenuiſſe ſcribit Ricordanus, (*g*) atque adeo victorem ſumptibus exhauſiſſe, ut in extremas anguſtias jam ærario exinanito conjectus, e corio monetam conflari, ſignarique juſſerit, quam ſe poſtea redempturum refuſa alia legitima pollicitus eſt, cum præfecto ærarii repræſentata eſſet: quamquam non deſunt, qui rem in Parmenſi obſidione geſtam aſſerant.

(*e*) Rich. è S. Germ. in chron.

Faventia poſt longam obſidionem capta.

(*f*) Par. hiſt. Angl.

(*g*) Ricord. Malaſpin. c. 130.

Exhauſtus opibus auguſtales e corio conficit.

XLVII. Ærarium rapinis & ſacrilegiis reficit.

Ut vero gravem inopiam raptis eccleſiarum theſauris ſacrilegus princeps depulerit, ſignificat Richardus: *Menſe junio prælati de regno vocati ab Andrea de Cicala capitaneo & magiſtro juſtitiario apud Melphiam apud eum vadunt, a quibus theſauri eccleſiarum ſuarum tam in auro & argento, quam veſtibus ſericis & lapidibus pretioſis in commodato pro principe exiguntur.* Ea nimirum commodati ratio latrocinandi prætextus fuit, & infra menſe julio conſignata hæc addit de eodem præfecto juſtitiæ vel potius injuſtitiæ & rapinarum adminiſtro: *Vocatus ad Imper. vadit, a quo rediens per totum regnum certum exigit numerum militum ſervientium, & omnes theſauros eccleſiarum ſuæ juriſdictionis apud S. Germanum congregari jubet.* Ex quo ſacras opes a cæteris provinciarum præſidibus pariter expilatas conjectura elicitur, quod paulo inferius menſe auguſto geſtum explicatius refert his verbis:

XLVIII.

*Theſauri omnes eccleſiarum regni juſſu Andreæ de Cicala a portu Roſeti uſque ad fines regni capiuntur: ii apud S. Germanum in eccleſia S. Mariæ terræ ejuſdem congregantur & reponuntur, quorum cuſtodiæ deputati ſunt duodecim de ditioribus & melioribus hominibus ipſius terræ, quando altare B. Benedicti adornatum* * *& altera tabula argentea altaris B. Mariæ, & icona cum ſmaltis, quæ ſuper altare fuerat B. Benedicti, & omnis alius theſaurus ipſius monaſterii in auro, argento, pannis ſericis, lapidibus pretioſis, nec non & aliarum eccleſiarum terræ ipſius monaſterii ad S. Germanum in prædicta eccleſia S. Mariæ portatur & deponitur; cujus theſauri capti ab eccleſiis regni pars pretio redimitur, & pars reliqua apud S. Mariam de Crypta ferrata ad principem deportatur.*

* *auro tectum*



Nonnulliſque interjectis proſequitur auctor, ut Fridericus e prædone in mercatorem mutatus menſe octobri omnes præſules ad redimenda pecuniis ſacra ornamenta ab eccleſiis direpta adegerit: *Eodem menſe*, ſcilicet octobri, *theſauri eccleſiarum apud Fogiam per eos de S. Germano, qui eorum fuerant cuſtodiæ deputati, mandante Cæſare deferuntur, excepta tabula altaris S. Benedicti; & ut redimi debeant a prælatis ſingulis & eccleſiis, quarum erant, pro certa pecuniæ quantitate ab Imperatore mandatur.*

Hæc Richardus horum omnium ſpectator, e quibus Friderici impietas illuſtratur, qui ob Siculam eccleſiam injuſte oppreſſam conſortio fidelium depulſus non modo non emendarit præterita, ſed tot rapinas ac ſacrilegia exercuerit. Non ceſſit illius avaritiæ crudelitas, majore enim ſcelere aliorum præſulum, quos e pluribus regnis Chriſti vicarius ad ſynodum evocabat, ſanguinem effudit, quam Siculorum præſulum opes exhauſerat. De qua illata clade antequam agamus, nonnulla nobis ad rei hiſtoriam illuſtrandam præmittenda ſunt.

De vocata a Greg. ſynodo.

Defixus a Gregorio anathemate Fridericus, ad illius ſeveritatem eludendam, ut antea inſinuatum eſt, magno Pontificis contemptu ad futuram ſynodum provocarat, de quo hæc ad plures principes ſcripſit, ne omnino ab Eccleſiæ obſequio diſceſſiſſe videretur (*a*): *Nos qui proceſſum hujuſmodi temeritate plenum & juſtitia vacuum habebamus, ad fratres ſuos literas, & legatos tranſmiſimus, generale petentes concilium convocari, in quo judices corrupti nequitiam, ac Imperii noſtri juſtitiam, & innocentiam noſtram argumentis arguere luce clarioribus ſpondebamus. Super quo nedum juſtitiæ noſtræ delata ratio fuit.* Hæc Fridericus cui ut inanem pertinaciæ prætextum Gregorius eriperet, tum & plura ad divinam gloriam ſpectantia in generali patrum conventu agitaret, concilium indixit (*b*). At mox tyrannus Eccleſiæ patribus ſe ſubmittere dedignatus, mutato oppugnandi Pontificis modo, ad diſturbandum concilium conatus omnes adduxit, cauſatus alienum advocandæ ſynodi tempus ſibi videri.

(*a*) Ext. apud Par. an. 1239.

Ut Fridericus ad eam provocarit initio. Recuſarit poſtea congregari.

(*b*) Ext. apud Par. hiſt. Angl. an. 1240.

XLIX. Jubet Pont. Ungar. præſules ad concilium accedere.

Cenſuerat pontificia conſtantia indignum Gregorius tyranni minis cedere: ſed ad vim vi repellendam ſe compararat; ac primum ut Ungariæ aliarumque finitimarum provinciarum præſules Fridericianorum inſidiis irretiri non poſſent, ita rem compoſuit, ut Friderici terræ ſedem Apoſtolicam adituris paragrandæ non eſſent; atque adeo cum Ungari antiſtites terroribus tyranni fracti a Rege Bela contendiſſent, ut excuſatoriis literis ab Pontifice obtineret, ne ad eam ſynodum conferre ſe cogerentur infeſtis enim itineribus atque ab Friderici ſatellitibus obſeſſis ſumma diſcrimina adituros, Pontifex reſcripſit Belæ (*c*) non peragrandas Friderici terras hortatuſque eſt, ne ab illo priſtino erga Eccleſiam amore, cujus ſe filium amantiſſimum ſemper præbuiſſet, deſciſceret; ne laboranti deeſſet, manumque auxiliatricem ſubduceret, ac ſui regni præſules ad iter nullis periculis infeſtum ſuſcipiendum incitaret.

Bela pro ipſis ne veniant deprecator intercedit.

(*c*) Greg. l. 14. pag. 51.

*Illuſtri Regi Ungariæ.*

L. Urget Belam Greg. ipſos ad iter adigat.

*Si filius es Eccleſiæ, immo quia ejus es filius ſpecialis, ſicut ineffabili argumento tenemus, non poteſt te non comedere zelus ejus, nec opprobria ulla exprobrantium & uſurpantium jura ejus æquanimiter ſuſtinere; uſque adeo enim in timore divini nominis & eccleſiaſticæ dignitatis reverentia te credimus radicatum, ut nihil a charitate, ac devotione ipſius te valeat ſeparare. Cum igitur cujus ſit cauſa, quæ ad præſens matri tuæ Rom. Eccleſiæ imminere dignoſcitur, celſitudo regia non ignoret, cum ſit proprie propria non tam ſponſæ Eccleſiæ quam ſponſi ejus videlicet Jeſu Chriſti, cujus nomen, ſine quo nullum nomen aliud eſt ſub cœlo, in quo ſalvari oporteat, hoſtes ejus extinguere moliuntur; propter quod tanto fortius quilibet princeps catholicus in adjutorium ejus deberet aſſurgere, quanto fidei ſuæ munimina in fundamento, & fundatore Eccleſiæ ſtabilita cernit apertius vitiari, & nos non tam pro quiete Romanæ Eccleſiæ, quam pro tranquillo ſtatu cunctorum fidelium Jeſu Chriſti concilium providerimus evocandum; non credebamus, nec adhuc credere volumus, ab aliquo filiorum Eccleſiæ & præſertim a te, quem inter cæteros Reges catholicos ſinceritatis brachiis amplexamur, difficultatem aliquam ingerendam, ſed per te tepidos, ſi qui eſſent, fortius ad hoc potius accendendos.*

LI.

*Licet autem pro excuſatione prælatorum regni Ungariæ preces & literas nobis duxeris deſtinandas; & nos, quia tibi & eis expedire non vidimus, magnificentiæ regiæ prout decuit duxerimus reſpondendum, ſi tamen ad te noſtræ literæ pervenerunt: quia tamen eadem nuper per alias literas tuas, quas benigne recepimus noſtris auribus inculcaſti, quaſdam difficultates & viarum pericula in eiſdem literis exprimendo, regalem excellentiam rogamus, monemus & hortamur attente, quatenus quid ſaluti, quid famæ, quid honori tuo expediat, prudenter attendens, ægre non feras, ſi contra honorem tam noſtrum, quam tuum nequimus annuere poſtulatis, cum jam per Dei gratiam ita de via, qua tute ad ſedem Apoſtolicam accedere valeant, congrue ſit proviſum, quod per loca diſcriminis ſeu terras inimicorum Eccleſiæ ipſos ha-*

Pollicetur itinerum ſecuritati proviſum.

*habere tranſitum nullatenus oportebit, ſuper quo per nuntios noſtros plene poterunt edoceri. Dat. Lat.* IV. *kal. mart. pontif. noſtri anno* XIV.

LII. Imperat Strig. arch. ut veniat.

Hæc ad Belam Gregorius, qui Strigonienſem archiepiſcopum difficilem ſe mandatis pontificiis præbentem, viarumque adducentem diſcrimina non leviter perſtrinxit, ipſum Rom. Eccleſiam adeo egregie de ipſo meritam, a qua in illius dignitatis apicem evectus eſſet, deſerere: generoſos potius indueret animos: daret ſe itineri, cum illud liberum eſſet nulliſque periculis implicitum, ut a legato ſuo facile diſcere poſſet (*a*): *Virum ſecundum cor noſtrum te inveniſſe credentes, ac lætari poſſe in te tanquam in Rom. Eccleſiæ filio ſpeciali, Strigonienſem eccleſiam, nobile quidem Eccleſiæ Dei membrum, tibi fiducialiter duximus committendam, ſperantes quod in partem ſolicitudinis evocatus, ſic nobiſcum ingruente neceſſitate onera partireris, quod gloriari poſſemus nos vineæ Domini ſabaoth præfeciſſe cultorem utilem & nobis adjutorem idoneum aſſumpſiſſe. Sed, quod non ſine turbatione referimus, vulnus ab hoſte non expectato ferentes in inſtantis neceſſitatis articulo eidem Eccleſiæ matri tuæ obſequium tuæ devotionis ſubducis, a cujus charitate perſecutio nulla vel gladius, præſentia vel futura te deberent aliquatenus ſeparare, &c.* Addit preces & imperia ut ad ſedem Apoſt. una cum cæteris ſe conferat, cum apoſt. providentia itinera facilia & expedita forent.

(*a*) *Ibid.*

Ung. præſules ob Tartar. adventum ad concilium non accedunt.

At non potuit apoſtolicis imperiis parere archiepiſcopus ob repentinam Tartarorum in Ungariam irruptionem, in quos dum fortiter dimicaret, cæſum diximus ſuperius cæterique pariter illarum partium antiſtites ab itinere ſunt revocati, nec res ceſſit felicius aliis præſulibus, qui ex occidentalibus regnis evocabantur.

LIII. Ad deducendos occid. regnorum præſules claſſem Januæ confici jubet. Gregorio e Romania legato ea provincia impoſita.

Non latebant Pontificem nefaria Friderici conſilia illum omnes conatus ad intercipiendos præſules converſurum; propterea ad eludendos frangendoſque tyranni impetus Gregorio e Romania legato partes dederat, ut florentiſſimam claſſem Januæ ad præſules, qui ex Hiſpania, Anglia, Galliis, aliiſque partibus ad concilium conventuri erant, evehendos conduceret, atque omnibus ad propulſandos hoſtes neceſſariis adornandam curaret. Extant plures eo argumento in pontificio regeſto literæ (*b*) tum ad legatum ſedis Apoſtolicæ, tum ad Januenſium magiſtratus, atque alios exaratæ viciſſimque ad Pontificem datæ, inter quas hæ ad Gregorium e Romania ſcriptæ de majori triremium & navium numero inſtruendo: *Quia ſexdecim galeas & totidem taridas ad deferendum prælatos, & eorum familias ac alios ad concilium acceſſuros cum rebus ſibi neceſſariis minus ſufficere arbitramur, mandamus quatenus ne prædictorum adventum propter defectum vaſorum impediri contingat, cum ſit melioris cautelæ in præſenti neceſſitatis articulo in navigio abundare, adhuc cum conſilio venerabilis fratris noſtri patriarchæ Hieroſolymitani, ac aliorum, qui ſunt apud Januam, Eccleſiæ devotorum de ea quantitate vaſorum, quæ plene ſufficiunt pro prælatis omnibus aliis deferendis ſolicite ſtudeas providere. Dat. Later. idus martii pontif. noſtri anno* XIV.

(*b*) *Lib.* 14. *pag.* 56. 57 58. 59.

Præmonet ipſum parari venientibus a Frid. inſidias. Jubet claſſem augeri.

Cum vero Fridericus prævalidam claſſem ex Siculis & Piſanis ad intercipiendos mari præſules conficeret, cui Entium dictum Sardiniæ Regem præfecerat, Pontifex legatum Januæ agentem conflatarum a Friderico virium monuit (*c*) ut præpotentem adeo claſſem, cui ſuſtinendæ par non eſſet hoſtis, appararet: ſed ille, ut queſtus poſtea eſt Gregorius, ſalubri conſilio uſus non eſt.

(*c*) *Lib* 14. *pag.* 55.

LIV. Præſules qui pervenerant Januam invitantur a Frid. ad ipſum accedant.

Pervenerant Januam A. S. Legati, atque ingens prælatorum numerus confluxerat: quo audito Fridericus, ut erat artibus inſtructus, ipſos rogavit ut per ſuas terras iter haberent: ſumma ſe cupiditate ipſos coram alloquendi teneri ad proponendam cauſæ ſuæ æquitatem, omnibuſque eos officiis proſecuturum. Sed quas fraudes pectore premeret, paulo poſt aperuit, cum omnes conatus ad eos intercipiendos defixit.

Promiſſis tyranni diffiſi maritimo itinere tendunt.

Metuentes igitur præſules promiſſis Friderici eludi, atque ad colligendos animos pontificiis literis recreati, Januenſium inſtructæ claſſi, quam legatorum opera magnis ſumptibus Papa conduxerat, ſeſe impoſuere.

Imp. Frider. Entio ipſos capiat perdatve.

At Fridericus cum eluſas artes, nec blandimenta videret profuiſſe, Entio filio notho rei maritimæ præfecto præceperat, ut comparata quamprimum validiſſima claſſe Siculorum & Piſanorum opera, legatos ac præſules caperet, cæderet, fluctibus mergeret. De illius claſſi apparatu ait Richardus juſſu Imperatoris tota Siciliæ utriuſque ora maritima menſe februario triremes adornatas, ac menſe martio Piſas verſus velis remiſque contendiſſe. Venienti ergo Januenſium claſſi Fridericiani occurrere, ac maximo in eam impetu proſilierunt. Conſurgit initio prælium atrox: tres Piſanorum captæ triremes; dein ingraveſcente pugna fuſi Januenſes, nonnulli præſules cæſi undiſque merſi.

Navali pugna Januenſes ab Entio vincuntur.

Cum enim imbellis antiſtitum imperita armorum turba naves Januenſium premeret, contra adverſa audaciſſimis militibus inſtructa eſſe, tandem ſuccubuere, ac pluſquam viginti tri-

remes



remes amiſere, quæ Richardus (*a*) hiſce verbis hiſtoriæ ſuæ commendavit. [1]

(*a*) *Rich. e S. Germ. in chron.*

LV. Legati ap. & præſules partim capti partim mari merſi.

*Menſe majo in feſto inventionis S. Crucis, galeæ imperiales cum galeis Januenſium conflictum habentes, nonnullos prælatos occidentales, qui erant in eis, habita victoria de Januenſibus, ceperunt & duxerunt apud Piſas captivos, cum duobus legatis, Præneſtino ſcilicet epiſcopo, & Oddone S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinalibus, de quorum mandato veniebant ad Papam: inter quos fuerunt Ciſtercienſis & Claravallenſis abbates, nec non Rothomagenſis archiepiſcopus, & alii. De galeis quoque Januenſium captæ ſunt ultra viginti, & nonnulli Januenſium in eis, & quamplures ſunt ſponte ob metus cauſam in mari ſubmerſi, qui omnes poſtea Imperatore mandante, tam prælati, quam alii cum legatis ipſis in regnum apud Neapolim per mare in captionem ducti ſunt, & in cuſtodiam per regni caſtella tranſmiſſi.*

LVI.

De captis legatis alii agunt etiam: ex antiquioribus Albertus Stadenſis (*b*) monachus Patavinus (*c*) ac recentiores innumeri.

(*b*) *Stad. in chron.* (*c*) *Monach. Pad. chr. l.* 2. (*d*) *Ptol. Lucen. in annal. an.* 1242. *& alii.*

Divina in Piſanos Entium & Frid. ultio.

Dignum vero memoria eſt quod Ptolomæus Lucenſis (*d*) aliique advertunt, Piſanos, qui Friderico ad præſules capiendos cædendoſve ſtrenuam operam navarant, in eodem loco, ad Meloram ſcilicet, poſtea a Januenſibus ingenti clade fuſos: demumque accidit concitata in eorum caput divina ira, ut florens ea reſpublica continuis malis & cladibus ex eo tempore attrita everſa tandem conciderit: ſenſerit etiam divinæ ultionis virgam in carceris ſitu Entius; nec pariter divinam juſtitiam Fridericus declinarit, qui eo ſucceſſu proſpero elatus, illi ſimillimus quem Propheta (*e*) arguit: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* triumphales literas ad Anglorum Regem, alioſque principes miſit (*f*), atque ex relata victoria cauſæ ſuæ æquitatem probare niſus eſt: quaſi in præliis virtus furori, æquitas ſceleri ſæpe non ſuccumbat; eventuſque rerum felices ad majus improborum ſupplicium divina providentia non permittat.

(*e*) *Pſ.* 51.

(*f*) *Ext. in MS. bibl. Vallic. & apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

LVII. Triumphat de tanto ſcelere Frideric. Ejuſdem de parta victoria lit.

*Præpotens Dominus, qui de alto videt & judicat æquitatem, viam eorum & excogitatam malitiam meditatur in viribus, & potentia noſtra, quam effugere terra marique non poterant, Domino faciente, legatos ſimul tradidit & prælatos; & tribus eorum galeis immerſis in mari, ac omnibus, quæ vehebantur in eis ſine ſpe recuperationis amiſſis, viginti & duæ galeæ, non ſine magna cæde navigantium, cum perſonis & rebus victæ ſunt a galeis noſtris & triumphaliter captivatæ. In quibus prædicti tres legati cum archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & multis aliis prælatis, nunciis & prælatorum procuratoribus & ultra centum ambaſſiatores civitatum rebellium Lombardorum, qui ad præfixum venire concilium properabant, ac quatuor millia Januenſium exceptis ſpecialibus & electis perſonis de Janua, qui galeis præerant & comitatui prælatorum pro ducendis eis Romam & Januam reducendis, ſicut infortunate inter eos conventum extiterat, ad manus noſtras pervenere ligati.*

LVIII. Præſules qui e clade effugerant triſtem nuntium ſignificant Gregorio.

Effugere ex Fridericianorum crudeliſſimis manibus nonnulli præſules, qui funeſtæ cladis nuncium literis ſuis Pontifici tranſmiſere (*g*).

(*g*) *Ext. apud Gregor. l.* 15. *ep.* 55.

*Sanctiſſimo patri, & domino Gregorio Dei gratia ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ ſummo Pontifici I.. Arelatenſis & P.. Terraconenſis archiepiſcopi, N.. Aſtoricenſis, L.. Aurienſis, M.. Salamantinenſis, P.. Portugalenſis, & E.. Placentinus epiſcopi pedum oſcula beatorum.*

*Dolentes referimus, & referendo nimium condolemus, quod cum nos & venerabiles in Chriſto patres Rotomagenſis, Burdegalenſis, Auxitanus, Biſuntinus archiepiſcopi, Carcaſſonenſis, Agathenſis, Neumaſenſis, Terdonenſis, Aſtenſis, & Papienſis epiſcopi, & nobilis Romæus procurator & nuntius illuſtris comitis Provinciæ, ac quamplures alii prælati, & procuratores noſtrarum & aliarum diœceſum, ac provinciarum, cum venerabilibus patribus at-*

que

NOTÆ [1] AUthor continuationis ad Caffari annales Genuenſes fuſe perſequitur hiſtoriam captorum præſulum, de qua hic in annalibus ſermo eſt. Narrat ille navigia Genuenſium XVI. miſſa fuiſſe Niciam Provinciæ urbem, ut collectos ibi præſules Genuam tranſveherent; ſed ex illis plures cauſantes minora eſſe navigia pro numero præſulum remearunt ad propria; at vero plures commiſerunt ſe mari, portumque Genuæ tenuerunt, ubi alios plures epiſcopos nacti ſunt. E Genuenſi portu die feſta S. Marci, nempe XXV. aprilis ſolverunt & cum mare Piſanum ingreſſi nondum Zigum tranſierunt, obviam habentes imperatoris claſſem, cui ducis ſeu admirati munere præerat Andreolus filius Anſaldi de Mari Genuenſis civis, qui Friderico militabat, prælio commiſſo fuſi fugatique ſunt Genuenſes, quorum navigia XXII. perierunt, quinque reliquis evadentibus. Tunc capti ſunt illi omnes epiſcopi de quibus annaliſta hic. Dein Fridericus hoſtilem in Genuenſes animum gerens, armavit in illos naves XL. quas Genuenſes, majori apparatu obviam procurrentes, ne tentata quidem re fugarunt. Nec magis valuit terreſtris exercitus, quem imperator in eos immiſit; nam invicti ubique mari terraque Genuenſes ab iis ſe difficultatibus feliciſſimè expedierunt. Valent hæc omnia ad ea illuſtranda quæ in annalibus num. 80. tanguntur. MANSI

que dominis Jacobo epiſcopo Peneſtrino, Othone Cardinali & Gregorio de Romania Apoſtolicæ ſedis legatis ad veſtræ ſanctitatis præſentiam in obedientia & devotione accedere juxta veſtrarum continentiam literarum, ſpretis, ſive poſtpoſitis quibuslibet difficultatibus, terroribus, & periculis niteremur, die tertia menſis maii navigium Piſanorum, & Siculorum, & quorumdam aliorum de juriſdictione Friderici dicti Imperatoris, & de mandato ejuſdem nobis ſe oppoſuit ex adverſo, qui nos tam potenter, & viriliter culpis noſtris exigentibus expugnarunt, quod nobis exceptis, & Romæo præfato, & domino Compoſtellano, qui apud portum Veneris Januenſis diœceſis impeditus nondum venerat Januam, & quibuſdam aliis prælatis Bracharenſi archiepiſcopo videlicet, & Anicienſi epiſcopo, & paucis aliis de procuratoribus & familiis prælatorum, quos de iniquorum manibus Jeſu Chriſti miſericordia liberavit, quibuſdam etiam gladio & ſubmerſione peremptis, ſecum cæteros deduxerunt, ſicut fertur & credimus, vinculis mancipatos.

LIX. Exquirunt in tam triſti caſu juſſa Gregorii.

Cum igitur mundus ſit poſitus ultra quam excogitari valeat in maligno, & univerſalis Eccleſia in tribulatione maxima videatur, niſi Dominus noſtri debeat extento brachio miſereri, attendat veſtra ſanctitas & deliberet, qualiter ſit in tantæ neceſſitatis articulo procedendum, & nobis præcipiat quod ſibi placuerit; quia adverſitate aliqua non obſtante, quæ cum bonis votis obiicitur dilectionis veræ probatio, non reprobationis indicium eſſe debet, in omni conſtantia, ac firmitate nos noverit permanſuros. Et licet propter multa & gravia, quæ hactenus in Deum, & Eccleſiam ſanctam commiſerat, contra ipſum tyrannum eſſet aſperius procedendum, ex atrocitate tamen tanti facinoris audemus ſuggerere, quod contra eundem ratione prævia juxta qualitatem criminis procedatur: ſub ipſius enim Imperio nunquam Eccleſia pace vel tranquillitate gauderet: præſertim cum principes univerſi exemplum & audaciam in hac parte reciperent ab eodem. De poteſtate autem & civibus Januenſibus veſtræ ſanctitati exponimus, quod quantum audivimus & cognovimus, fideliores & ferventiores in facto Eccleſiæ ſe oſtendent, quam ſe oſtenderint uſque modo. Dat. Januæ x. die maii.

LX. (a) Ext. cor. lit. ib. ep. 56. Januenſes mittunt conſolatorias literas Pontifici.

Cladis acceptæ ſeriem Januenſes etiam ſcripſere (a) Gregorio, ejuſque dolorem conati ſunt delinire: paratiſſimos ad ſuam Eccleſiæ devovendam operam præ ſe tulere; animos etiam addidere ne ob adverſos rei eventus a concilio convocando deſiſteret, immo generoſius adverſus tyrannum conſurgeret, in quo ob præclarum erga Eccleſiam ſtudium laude æterna digniſſimos ſeſe oſtenderunt.

Sanctiſſimo, &c. Guillelmus Surdus, poteſtas, concilium, & commune Januenſe ſanctorum pedum oſculum cum promptiſſimo famulatu.

Tacti ſumus dolore cordis intrinſecus, & uſque ad animam ipſius doloris gladius pertranſivit, quod dum venerabiles & ſancti patres epiſcopus Peneſtrinus, dominus Otho tituli S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis, & dominus G.. de Romania capellanus veſter Apoſtolicæ ſedis legati, aliique prælati de partibus occidentis & etiam Lombardiæ, & nobiles viri ambaxatores Mediolanenſium, Brixiæ, Placentiæ, Januæ ad veſtrum concilium evocati in galeis, taridis, & ſagiteis noſtris tam ſecuriter quam lætanter venirent; comitantibus eos viris nobilibus & honoratis Januenſibus civibus in honorabili quantitate; irruerunt in eos Dei & hominum inimici viri Piſani & Siculi de regno undique congregati die veneris tertia menſis maii. Noſtri vero Januenſes Dei auxilio confidentes, ipſis piratis mirabiliter reſiſtentes, atque potenter tres galeas inimicorum, quæ in prælio anteceſſerunt, victorioſa manu ceperunt, & decapitatis bellatoribus ipſarum tam galeas quam homines ipſarum in maris demerſerunt profundum. Cumque inceptum prælium diu duraſſet, multis hinc inde mortuis & vulneratis, manus inimicorum Domino permittente prævaluit: qui Dei timore & naturali lege, & honore Crucifixi, & ſponſæ ſuæ piæ matris penitus vilipenſis, in contemptum & ignominiam Jeſu Chriſti, tanquam carnifices & tyranni ſanctorum patrum innocentem, & aliorum conducentium eos ſanguinem effuderunt, corpora ipſorum tam in mari, quam in lignis more tyrannico trucidantes, raptis ab eis theſauris, quos ferebant.

LXI.

Licet autem perſidiam, & iniquitatem tantam perfecerint adverſus inſontes, & innocentes Domino permittente, per gratiam tandem Domini Jeſu Chriſti barchæ & ligna minuta, quæ cum noſtris erant, & galeæ ſeptem cum magna quantitate noſtrorum hominum, & etiam pluribus prælatorum, qui ad concilium veniebant, videlicet archiepiſcopo S. Jacobi, archiepiſc. Arelatenſi, archiepiſcopo Terraconenſi, archiepiſc. Bracharenſi, epiſcopis Placentino, Anicienſi, Aurienſi, Aſtoricenſi, ad partes noſtras incolumes redierunt. Dominus autem Romedeus procurator & nuntius illuſtris & magnifici viri comitis Provinciæ cum galea & hominibus ſuis ad propria ſine læſione redivit, navim inimicorum rebus pretioſis onuſtam quam in ipſo conflictu cepit, ſecum ducendo; cum quo Ro.. venerabilis & ſanctus pater epiſcopus Peneſtrinus, ſicut accepimus, incolumis redivit. Aliæ quidem noſtræ galeæ in ipſo prælio expugnatæ plures, ſicut audivimus in pela-



lagus navigantes hoſtiles manus evaſerunt, quas quotidie reverſuras expectamus: quatuor aut circa illam quantitatem exceptis, quas crucis & noſtri hoſtes Piſani detinent captas cum quibuſdam prælatorum & ambaxatorum, ac aliorum venientium ad concilium nominatum (verum e dictis ſuperius Januenſes falſa expectatione deluſos colligitur) in amiſſione quoque perſonarum & rerum Januenſium, licet non modica non tantum dolemus atque triſtamur, quantum in ignominia nominis Jeſu Chriſti, ipſi & ejus fidelibus a Friderico dicto Imperatore de ipſius fautoribus tam pertinaciter illata; & detrimento prælatorum, ac ſuarum rerum, qui ad concilium in virtute obedientiæ lætanter veniebant, ſanctitati veſtræ ſalutare & juſtum conſilium præſtituri.

LXII. Suam ad expetendam ultionem operam Pontifici deferunt.

Ad ulciſcendum quidem tantum facinus & tam atrox, & defendendum fidem & Eccleſiam ſanctam Dei, & omnem populum ſibi adhærentem, zelo fidei & amoris ac devotionis charitate accenſi, a majori uſque ad minorem immutabiliter propoſuimus perſonas & res noſtras univerſaliter operari, nullam requiem aſſumentes die ac nocte, donec rebellium conculcata nequitia innocentium vulnera, cædes & injurias ulciſcamur ad honorem & gloriam nominis Jeſu Chriſti & ſanctiſſimæ perſonæ veſtræ, ac fratrum veſtrorum, & Eccleſiæ univerſalis, atque totius fidelis populi Chriſtiani: pro quorum effectu noverit indubitanter ſanctitas veſtra, quod cives Januenſes majores & minores damnum eis in prædicto conflictu illatum pro nullo ſive modico reputantes, omiſſis cauſis, curis & negotiis univerſis, conſtructioni & munitioni navium & galearum inceſſanter vigilant, efficaciter laborant, ita quod eis tanquam victoribus ſubiicientur more ſolito inimici, quod in brevi futurum eſſe ſperamus Domino concedente; & quod Eccleſia Dei in perditionis filium, virum flagitioſum, apoſtatam Fridericum dictum Imperatorem, & ipſius complices virtutis ſuæ poterit magnificentiam operari, ſicut oportet. Ecce enim ſcelera & iniquitates, quas eo volente, mandante, & deliberato conſilio procurante, & ſequentes ejus viri infideles Dei, & hominum perſecutores exercuerunt in piiſſimos patres ad veſtram curiam publico itinere per mare venientes, capiendo, ſpoliando, cædendo, vulnerando & occidendo eos, & alios qui comitabantur eoſdem nulla juſta cauſa interveniente, patentes ſunt & publicæ, quarum horror in conſpectu Domini Dei ſabaoth cognoſcetur aſcendiſſe, clamans ad depoſitionem & æternam damnationem ipſius, ut ſub illius indigno Imperio Eccleſia Dei nullatenus conteratur, & fidelis populus Chriſtianus ulterius non crucietur per eum. Aſcendiſſe quippe in altum videtur, ut exaltatus altius mergatur, & præcipitetur in profundum abyſſi & puteum æterni pudoris.

LXIII. Hortantur ne a cœptis abſiſtat.

Supplicamus igitur ſanctitati veſtræ flexis genibus per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, cujus vicem geritis in terris, humiliter exorando quatenus infortunium antedictum, ut non deceat non curantes ab incœpto propoſito tam felici deſiſtere non velitis; ſed fortius animati ad effectum ejus potentiam veſtram magnam extendere non tardetis, ut Petri navicula, quam piiſſime gubernatis, fluctuum agitata procellis, & adhærentes eidem non in æquore propter tumultus & tempeſtates perire, ſed ad portum valeant pervenire gaudii & ſalutis, gubernante illam ſumma prudentia veſtra, cujus ſplendore illuminantur omnes catholici & fideles Chriſtiani. Venire autem perſonaliter ſi veſtræ placet clementiæ, aut aliquem legatum veſtrum, virum utique providum & diſcretum mittere dignemini ad civitatem & homines veſtros Januenſes, qui cum perſonis & rebus omnibus veſtræ paternitati ſubjecti ſunt, & eſſe in perpetuum volunt, veſtris omnibus beneplacitis & mandatis obedire fideliter, & devote voluntarii & parati; procuraturum & facturum ibidem quæcunque Deo & Eccleſiæ, & omni populo Chriſtiano grata fuerint & accepta; ſcientes pro certo quod univerſitas Januenſis bene in fide & devotione Eccleſiæ unanimis eſt, & conſtans, magiſque ferventior, quam fuerit unquam: quod verum eſſe præſentia opera teſtificantur, & clarius teſtificabuntur.

LXIV.

Perlato ad ſedem Apoſtolicam triſti nuntio, Gregorius ſcriptis populorum catholicorum mœrorem permulcere literis ſtuduit; utque in fide Rom. Eccleſiæ conſtantes periſtarent hortatus eſt, ne ob ferocientis tempeſtatis minas concuti ſe paterentur. Extant ejus ad Venetos, Inſubres, Bononienſes, & alios literæ (a) in quibus inconſtantiam Friderici traducit, qui cum initio concilium cogi flagitaſſet, mutata mente primum literis, dein armis conſcientiæ improbæ terrore actus, diſturbare aggreſſus ſit, ac præſules in ſervitutem abduxerit.

(a) Eod. l. 15. ep. 48.

Ea de re ad Venetos literæ.

Nobili viro duci & poteſtati Venetorum.

Exiſtens in mari huius mundi Petri navicula contrariis interdum ventis impellitur, & nonnunquam ictibus colliditur procellarum; ſed tandem, Domino flatibus imperante, quietem, & turbinum impetus prohibente, ſuccedit tempeſtati tranquillitas, & eidem naviculæ placati æquoris ſulcanti planitiem undæ cedunt: quia inopinatis aliquando impulſa fluctibus etſi jactetur, non mergitur; & undis repercuſſa frementibus ſi quatitur, non quaſſatur. Eccleſia quidem ſupra fidei petram erecta, frequenter ab æmulis Chriſtianæ religionis impetitur, & impugnatur ſæpe ab eccleſiaſticæ perſecutoribus libertatis: ſed demum Altiſſimo ad eam clementiæ oculos inclinante, ſuæque potentiæ dexteram extendente tutri-

*tricem, detractores fidei fræno arcentur ſilentii, & perſequentium manus in jura Eccleſiæ laxatæ regreſſis viribus contrahuntur; ſicque poſt turbationis nubilum ſerenum pacis ſubſequitur, & Eccleſiæ ipſi, gubernante Domino, præſentis ſæculi mare ſubſternitur, colliſo impetu inſurgentium procellarum.*

LXV. *Si ergo fideles ejuſdem Eccleſiæ juxta mutabilitatem temporis ſiniſtris aliquando exaſperentur eventibus, & mulceantur quandoque votivis, non eos ſucceſſus adverſitatis deprimat, nec tamen occurſus proſperitatis extollat; ſed in eo ſpes tota ponatur omniſque fiducia, qui ſperantibus in ſe miſericordiæ ſinum aperit, & poſt tribulationis patientiam in adverſis, remedium in proſperis conſolationis impendit. Fridericus namque dictus Imperator, Eccleſiæ perſecutor, directis olim fratribus noſtris & eccleſiarum prælatis, ac principibus orbis literis, petiit convocari concilium, ut ibi de meritis cognoſceretur ipſius; noſque tandem de fratrum eorundem conſilio prælatos, & Regum ac principum nuntios ad ſedem Apoſtolicam duximus convocandos. Sed idem hoc intellecto, quia terroris ſonitus impiorum auribus ſemper ineſt, eo quod læſa conſcientia ſæva præſumit, ſubſequenter alias literas contrarias deſtinavit, & nequiter ſe humilians examen concilii requirendo interiora ſua plena dolo ſcripturæ varietate detexit.*

LXVI. *Accedentibus itaque ad ſedem eandem prælatis aliquibus, & pluribus eorum propter maris timorem ad propria redeuntibus, ipſe audito vicino reliquorum adventu eos, poſitis inſidiis, fecit cum venerabili fratre epiſcopo Peneſtrino, ac dilecto filio noſtro O.. ſancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. legatis ſedis Apoſtolicæ detineri; quaſi non ſufficeret ſibi, quod Eccleſiam multipliciter læſerat, niſi & alias eidem inæſtimabilem irrogaret offenſam. Verum etſi hæc turbationem mentibus fidelium inferant, non tamen ſuorum cordium eſt immutanda conſtantia, nec eorum ſunt animi ſinceri flectendi: ſed tanto debent ipſi Eccleſiæ contra perſecutorem eundem favorabiliores adeſſe, quanto eum ex iis graviorem ipſis injuriam in illa ſentiunt intuliſſe. Ideoque univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attentius, mandantes quatenus in Eccleſiæ devotione conſtantiſſime perſiſtentes, & confidentes in Domino, & in potentia virtutis ipſius inimicis ejus tanquam Chriſti fortiſſimi bellatores potenter, & viriliter reſiſtatis. Nec repentini caſus iniquitas corda veſtra ſtupore conſternat, ſed ad defenſionem ipſius Eccleſiæ accendat ea potius zelus Dei. Nos enim ſuper iis taliter providere, Deo actore, ſtudebimus auxilii ſui dexteram nobis adeſſe ſperantes, quod impiorum depreſſis conatibus honor erit Altiſſimo, catholicæ fidei robur & eccleſiaſticæ libertatis augumentum provenient, ac veſtra & aliorum fidelium utilitas ſubſequetur. Dat. Later.* XV. *kal. junii pontif. noſtri ann.* XV.

LXVII. Friderici crudelitas in præſules quos mari cœperat.

Cæterum Cardinales legatos alioſque præſules captos Friderici Neapolim perductos; multis attritos incommodis in carcerem duriſſimum detruſos, nulloque tantorum patrum dignitatis habito diſcrimine, quaſi viliſſima capita conſtrictos vinculis invicemque conglobatos fame, ſiti, ſquallore, æſtu, aliiſque malis innumeris maxima ex parte emarcuiſſe tradit Pariſius, (*a*) qui poſt intortam in Fridericum hanc poetæ ſententiam.

(a) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

*Gloria peccati non repetenda ſui eſt;*

Subdit: *Juſſu igitur imperiali ducti ſunt per mare curſu diuturno per ſpatium circiter trium hebdomadarum, donec venirent Neapolim in Apulia, & in caſtro quod eſt vicinum civitati, & mari circumdatum, tutelæ certiſſimæ mancipantur. Sed non omnes æqua damnabat calamitas carceralis: Præneſtini enim miſerrima erat conditio, & omnes jam vel morbus, vel lethalis invaſerat imbecillitas: cum enim diu navigaverant ſedentes glomeratim vincti & oppreſſi, ceciderat que ſuper eos æſtus intolerabilis, muſcis circumvolantibus & more ſcorpionum pungentibus, fame & ſiti cruciati, & ad arbitrium nequiſſimorum nautarum, immo hoſtilium piratarum, laceſſiti & objurgati longum martyrium protraxerunt. quod pro obedientia ſubierunt. Videbitur igitur carcer requies, licet requie caruiſſet. Tabuerunt ergo præcipue delicatiores, & variis infirmitatibus languerunt; unde quidam religioſi & multi alii animas afflictas exhalantes, ex miſeria hujus mundi ad Dominum, non ſine palma martyrii, migraverunt:* Addit Richardus Andream Cicalam bellicis rebus præfectum, imperante Friderico, dictos legatos ac præſules Neapoli tentos in vinculis Salernum Richardi e Monte Campaniæ Felicis præſidis opera traduxiſſe. Hic vero lectorem animadvertere cupio, Pariſium licet pontificiarum partium infenſiſſimum hoſtem, vi veritatis adactum faſſum eſſe eos præſules martyrii corona redimitos, cum tyranni immanitas adverſus Chriſtos Domini adeo barbare & impie ſæviiſſet. Nec ſane revocari in dubium poteſt, eos martyribus annumerandos, quos ob Chriſti vicarii pro totius Eccleſiæ conſulendis utilitatibus captata imperia, tyrannus lento ſupplicii genere confecit.

LXVIII. Vinctos præſules ſolatur Pontifex.

Cæterum Pontifex vinctis Eccleſiæ cauſa præſulibus, quantum dolorem ex ipſorum ſervitute hauſiſſet, ſignificavit literis ſuis, eorum mœrorem lenire hortari-





que ad conſtantiam ſtuduit. Coniicit etiam ejus calamitatis culpam in Gregorium e Romania, qui cum de hoſtis potentia literis ſuis eſſet admonitus, non tantam claſſem inſtrui juſſiſſet, quæ elidendis hoſtium conatibus ſuperior extitiſſet. De miſerando etiam ipſos Eccleſiæ ſtatu certiores fecit, quæ immani cujuſdam feralis gentis irruptione graviſſimis cladibus affecta in nonnullis partibus lugebat; quibus funeſtas Tartarorum excurſiones indicavit (*a*).

(a) *Lib. 15. ep. 85.*

*Gregorius, &c. epiſcopo Peneſtrino, Othoni S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. Auxitano, Burdegalenſi & Rothomagenſi archiepiſcopis; Neumaſenſi, Carcaſſonenſi, Agathenſi, Papienſi, Aſtenſi, & Terdonenſi epiſcopis; Cluniacenſi, Ciſtercienſi, Clarevallenſi, de pietate Dei, & Fiſcanenſi abbatibus, Gregorio de Romania ſubdiacono & capellano noſtro, decanis, præpoſitis, cæteriſque vinctis in Domino.*

LXIX. *Vix diebus iſtis de vobis aliqua potuiſſet contigiſſe proſperitas, quæ ſi fuiſſet grata ſingulis vel acceptabilis univerſis, quin plures varia de ipſa dicerent, & diverſa ſentirent. Conſequens eſt igitur, ut de adverſitate lugubri, quæ permiſſione divina vobis nuper accidiſſe dignoſcitur, multiformis opinionis & tractatus materia juxta varietates affectuum apud aliquos habeatur, ſuper quo nec admiratio vobis incumbere, nec veſtra debet turbari ſinceritas aut moveri conſtantia: cum licet, ut ſcitis, ſic diſpoſita ſit humani natura generis, quod cunctis ſermo tribuitur & paucis animi ſapientia indulgetur, ſit nobis & intelligentium menti perſpicuum, quod vos Dei, & Apoſtolicæ ſedis honorem, ac ſalutem univerſalis Eccleſiæ, nec non obedientiæ meritum, ſub qua omnium conſiſtit ſumma virtutum, habendo præ oculis de veniendo propere cum adjuncta vobis multitudine devotorum ad ſinum matris Eccleſiæ, omni diligentia deſudaſtis; quanquam id fuiſſe poſtpoſitum digne poſſit, & debeat deplorari, quod G.. de Romania informatus per literas noſtras de partis adverſæ potentia tot, cum potuerit, juxta mandatum noſtrum galeas non habuit, quod hoſtium eliſis inſultibus tranſitus veſter, Chriſto prævio, ab omni diſcrimine fieret expeditus.*

Queritur de Greg. e Romania potentiorem claſſem ut juſſus erat non confeciſſe.

LXX. *Cum itaque fratres venerabiles veſtrarum lucerna virtutum non ſub modio lateat, ſed ſuper candelabrum coram omnibus reluceſcat, vos in contemptum, vanitatem & falſas inſanias obloquentium deducentes, ac reſpirantes in illo, qui corde mitis & humilis circa ſuos afflictioni deditos affectum gerit continuæ pietatis, de nobis & fratribus noſtris illam credulitatem geratis aſſidue, quod etſi a vobis ſitu loci differamus, & vinculis, ſic tamen reddimur pœnæ participes, quod in ſuſpiria ſæpe diffundimur, & lacrymis multotiens madidamur: licet in eo nobis ſicut & vobis conſolatio multa proveniat, quod de ineffabili clementia Redemptoris fiduciam gerimus, ut qui ſuo ſanguine plantavit Eccleſiam, & eam in altum per electorum ſuorum tribulationem ſuſtulit, ſuper ipſam benignitatis ſuæ faciem per mundi latitudinem illuſtrabit; nobis interim & eiſdem fratribus vos ſicut compaſſionis affectibus, ſic & orationum ſubſidiis proſequentibus, ut pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis vobis pro ſuo nomine patientibus captivitatis opprobrium, glorioſæ Virginis & beatorum Apoſtolorum meritis ſe in miſerationis affluentia tribuat gratioſum; detque nobis ut circa tranquillitatem Eccleſiæ & orbis pacem, juxta quod pie ac laudabiliter per veſtras literas ſuaſiſtis, ita providere poſſimus, ut poſt triſtitiæ turbinem ſerenum lætitiæ ſubſequi valeat, & catholica fides, quæ prout ex literis & relatu fide dignorum accepimus, per incurſum gentis horridæ (quibus immanes illæ Tartarorum, quorum antea nomen ac furor occidentales latuerat, irruptiones indicantur) ultra quam credi poſſet impetitur, ad majeſtatis ſupernæ gloriam & ſalutem fidelium inviolabiliter conſervetur. Cæterum cum vos nobis in Chriſto chariſſimos geramus aſſidue in viſceribus charitatis, ac vix diem præterire poſſimus, quin ſtatum veſtrum nobis cum fletibus imaginaria viſio repræſentet, in vobis ſuper eo admiratio locum non habeat, quod nec ſcripta vel nuntium ſinceritati veſtræ direximus, nec dolor veſter fuit in aliquo proviſionis noſtræ remedio mitigatus; præſertim cum ſicut novit ſcrutator omnium, id non prætextu occupationis vel negligentiæ poſtpoſitum fuerit, ſed ex eo potiſſime, quia probabilis nobis timor inerat, quod ſuper hujuſmodi viſitationis debito noſtrum deſiderium ſortiri nequiter effectum. Datum Later.* XVIII. *Kal. julii ann.* XV.

Significat quantum dolorem ex eorum vinculis hauſerit.

LXXI. Audita quam in eos tyrannus exercebat ſævitia ad conſtanſtiam hortatur.

Acceperat Gregorius, quam duræ ſervitutis jugum præſulum cervicibus impoſuiſſet Fridericus, quam aſpere & inhumaniter tractaret: quare aliis literis eorum mitigare ærumnas, ac levare mœrorem ſtuduit (*b*); provocavit eorum conſtantiam ad exempla Apoſtolorum, qui tot labores tuliſſent, renovata jam antiqua perſecutorum tempora: proponerent ſibi ob oculos imbelles etiam mulieres pro Chriſto carnificum iras, ac ſupplicia imperterrito animo viciſſe; ſpopondit etiam ſe ad ineundam pacem ipſoſque carcere liberandos operam omnem diligentiamque collocaturum.

(b) *Ib. ep. 109.*

*Gregorius, &c. Peneſtrino epiſcopo, Rothomagenſi, Burdegalenſi, & Auxitano archiepiſcopis; Neumaſenſi, Carcaſſonenſi,*

*Agathenſi, Papienſi, Aſtenſi, & Terdonenſi, epiſcopis; & O.. ſancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali; Cluniacenſi, Ciſtercienſi, Claravallenſi abbatibus, & Gregorio de Romania ſubdiacono & capellano noſtro; decanis, præpoſitis, archidiaconis, & aliis exulantibus pro eccleſiaſtica libertate.*

LXXII. *Dolenda novi caſus adverſitas, infelicibus emergens eventibus, nuper filios uteri dolentes involvit, quæ ſuorum conſideratione geſtorum, & novitatis præſumptæ nequitia, generalis Eccleſiæ pectus urens, noſtris adaucta doloribus triſtes ingeminat gemitus, & cauſas mœroris apponit; ac præter enormem Apoſtolicæ ſedis offenſam, & illam exempli perniciem, quam vulgus oppido venatur in clerum, patris animum filiorum injuria vulnerat, non levem imprimit preſſuram malitia, & angit anguſtia vigilem diligentis affectum. Nam veriſimilitudo non tolerat, ut patientibus membris caput non langueat, aut expers doloris exiſtat de palmite percuſſo colonus. Quis igitur orbati patris capiti dabit aquam, & oculis fontem tribuat lacrymarum? Nam Joſeph non ſupereſt, Simeon tenetur in vinculis, Beniamin junior eſt ſublatus, filii Sion inclyti eccleſiarum principes reverendi auro primo amicti, cum in manus devolvuntur hoſtiles, velut vaſa teſtea reputantur.*

LXXIII. *Quis patris lenire dolorem aut remediis poterit congruis fratrum triſtitiam temperare, dum pro mundi pace properantes ad matris cunabula, filios ſathan inſidiator expetiit; ſic ſubito rapuit una dies, quos regio mortis Apula ſuſcepit; Ægyptus infeſtus, carcer Pharaonis includit patres conſcriptos, & alienæ libertatis auctores aliorum ſubiciuntur arbitrio, legibus neceſſitatis addicti coguntur ſecularium parere judicio ſeculi judices & Apoſtolorum legitimi ſucceſſores?*

LXXIV. *Porro chariſſimi, quos iterum parturimus, donec Chriſtus formetur in vobis, nos & fratres noſtri doloris pane vobiſcum, teſte conſcientia, paſcimur; mœroris potamur calice, ac triſtes manipulos metimus in veſtrarum ſeminibus lacrymarum. Adeſt nobis in defectu veſtræ libertatis angaria, in penuria fames, in terrore ſupplicium, & in exaſperatione tormentum; triſte quod loquimur, flebile quod ſentimus: dies feſti convertuntur in luctum: in ſalicibus ſuſpendimus organa, dum ſedetis ſuper flumina Babylonis obedientes Ægyptiis, expoſiti judicio Pharaonis. Utinam Moyſis manus accederet, cujus obſequio ſuo Iſraelis arbitrio redderetur ad ſolita ſacrificiorum libamina votivis mentibus offerenda. Cæterum recolere libeat Eccleſiæ ſurgentis exordium, quid pro patriis legibus patrum conſtantia pertulit; quid apoſtolicus labor, quid martyrum triumphus exceperit. Nec prudentum fœminarum, quibus naturæ mollities negavit audaciam, tranſeatis exempla, quæ ſatis roborare genua debilia poterunt, & potabilem reddere calicem paſſionis ingenio prudenti recognita, & Domini digito in cordis tabulis exarata.*

*Quocirca ſinceritatem veſtram rogamus & hortamur in Domino, quatenus Eccleſiæ cauſam, Apoſtolicæ ſedis injuriam, quæ contra fas, & debitum variis vexatur moleſtiis & laceſſitur offenſis, ſolita devotione penſantes, piæ matris, quæ vos recepit ad ubera ſuper benigna genua blandiendo, eis quas toleratis, anguſtiis præponatis affectum, ut probatio veſtræ fidei, quæ ſatis auro pretioſior invenitur, habeat cum tentatione proventum; nec aliquid tyrannus inveniat, quod ſiniſtra interpretatione notabile, aut dignum exiſtimet ſuis diffamationibus inſerendum, certæ ſpei fiduciam habituri, quod pro liberatione veſtra, quinimo noſtra confuſione tollenda, vias quærimus, remedia cogitamus, impenſam ſolicitudinem noſtris deſideriis coæquantes ſic, quod nec de negligentia mordendi digne concurrimus, nec de filiorum oblivione notandi, niſi forte viſitandi raritas calumniam habeat, quæ nobis invitis de viarum difficultate procedens, votis noſtris & veſtris obvia, juſta poteſt excuſatione defendi: nec enim a laboribus corpora, nec manus ab auxiliis deducemus, donec in veſtris conſolemur aſpectibus exulantibus filiis patris deſideriis reſtitutis. Utinam & ſuæ legis, & gentis miſerator Dominus cujus eſt greſſus dirigere, miſericorditer recordetur. Dat. Later. II. kal. aug. ann. XV.* LXXV.

Adhibuiſſe ſuam ad liberandos vinculis Gallicanos patres auctoritatem S. Ludovicum refert Nangius (*a*) atque oratores ad tyrannum miſiſſe; qui cum illius preces reſpuiſſet, literis (*b*) graviſſimis Gallicorum armorum, ni præſules vinculis eriperet, terrorem incuſſit: *Tenuit indubitanter hactenus noſtra fiducia, quod inter Imperium & regnum noſtrum, longo tractu temporis mutua dilectione firmata, nulla poſſet exoriri materia odium vel ſcandalum paritura; cum prædeceſſores noſtri felicis memoriæ Reges Franciæ univerſi uſque ad tempora noſtra honorem Imperii, & ſublimitatem zelaverint. Nos qui poſt ipſos, Deo volente, regnamus in eodem propoſito tenebamur; nec non antiqui Imperatores Romani, & noſtri proximi unum & idem regnum & Imperium æſtimantes, vel exiſtimantes unitatis pacem & concordiæ ſervaverunt, & inter eos alterius diſſenſionis ſcintillula non illuxit. Verum admirari cogimur vehementer, & non ſine ratione turbari, quod nulla offenſionis cauſa vel materia præcedente prælati regni noſtri ad ſedem Apoſtolicam accedentes, cui tam ex fide quam obedientia tenebantur, nec ejus poterant recuſare mandata, in mari capi feciſtis, & eos ſub cuſtodia detinetis: quod magis moleſte ferimus, quam majeſtatis veſtræ credulitas forte credat. Nam ſicut eorum literis manifeſte didicimus, nihil contra imperialem celſitudinem excogitaverunt; etſi ſummus Pontifex fuiſſet ad aliqua minus debita proceſſurus.*

LXXVI. Inſtata apud Fred. S. Ludov. ut Gallos præſules liberet.

(a) Nang. in Geſtis S. Lud.

(b) Ext. in MS. Vallicel. Ejuſd. de ea re lit.

LXXVII. *Unde cum in eis nulla detentionis cauſa inveniatur, deceret celſitudinem veſtram prælatos regni noſtri debitæ reſtituere libertati: in quo nos vobis pacatos reddetis, qui detentionem ipſam injuriam reputamus; & Regi ſublimi multa fieret detractio, ſi ſuper talibus taceremus. Quod ſi prædicta ad veſtræ mentis oculos nolitis reflectere, Peneſtrinum epiſcopum & alios legatos Eccleſiæ in præjudicium veſtrum volentes ſubſidium implorare maniſeſtiſſime repulimus; nec in regno noſtro contra majeſtatem veſtram potuerunt aliquid obtinere. Provideat igitur imperialis providentia & ponat in ſtatera judicii ea, quæ dicimus, nec velit trahere locum a potentia vel voluntate, nam regnum Franciæ non eſt adeo debilitatum viribus, quod ſe veſtris permittat calcaribus perurgeri.*

Comminatur non ita Gallorum ferrum hebeſcere ut impune injuriam patiantur.

LXXVIII. Subjectæ ſunt huic S. Ludovici epiſtolæ aliæ Friderici literæ, quarum initium eſt: *Regiæ ſerenitatis literas imperialis excellentia intellexit*, atque ubi multa in Pontificem effutiit, ſubdit: *Noviſſime autem ad ſupplantationem noſtram aſpirans, ut adverſus David currum conſtrueret, prælatos quotquot potuit ad particulare concilium evocavit, orientem ponere cupiens aquiloni. Verum mirabilis Dei providentia, per quem vivimus & regnamus, hujuſmodi perverſitatis ipſius conſpiciendo propoſitum, ac ipſius cogitationes vertens in nihilum, Cardinales & prælatos tam regni Franciæ, quam aliarum provinciarum concluſit in manibus noſtris, quos omnes tanquam noſtros hoſtes & adverſarios detinemus: nam ubi non deficiebat perſecutor, deeſſe non debebat defenſor; præſertim cum Imperium tranſcendens hominem & leonis veſtigia animalia quæque pertimeſcant. Non igitur miretur regia celſitudo, ſi prælatos Franciæ in anguſto tenet Auguſtus, qui ad Cæſaris anguſtias nitebantur.* Hæc ad S. Ludovicum Francorum Regem Fridericus, cujus ultima verba refert Nangius, atque iis acceptis S. Regem abbatem Cluniacenſem ad tyrannum miſiſſe cum prioribus literis, quibus viſis ait Fridericum percitum metu, ne in ſe Gallorum arma verteret, fregiſſe arrogantiam, ac præſules Gallicanos e vinculis dimiſiſſe.

Friderici ad S. Lud. reſponſum.

Novi belli metu liberat Gallos præſules.

LXXIX. Quantum vero e diſſipata Januenſium claſſe, captiſque præſulibus Fridericus in ſuperbiam elatus ad opprimendam Eccleſiam creverit animis ipſe in ſuis indicat literis (*a*) in quibus exaggerata victoria, addit: *Quibus novis ad noſtram audientiam grata relatione perlatis, quia negotii qualitas expetebat, & rei ſuccedentis eventus majora nobis felicitatis auſpicia ſuadebat, conſilium eundi Bononiam revocantes propenſiori conſilio verſus Romam victricia caſtra noſtra convertimus, ubi ſub vexillis potentiæ noſtræ nos acclamat fortuna felicior, per quam reliquiæ, ſi quæ ſunt, noſtrorum rebellium conſternantur.*

(a) Ext. ubi ſupr.

Ut Frid. parta de Januen. victoria Romam oppugnare cogitarit.

LXXX. Subdit partam a ſuis novam victoriam, qui cum e Ticino aliiſque urbibus copias ad infeſtandam terra Januam, quæ mari proſtrata fuerat, eduxiſſent, eo cognito Mediolanenſes infeſta in Ticinum ſigna duce Gregorio e Monte longo extuliſſe; ſuos vero mox greſſum reflexiſſe, gravique pugna Mediolanenſes, in qua cæſi plures ac trecenti & quinquaginta abducti in ſervitutem, fuſos fugatoſque fuiſſe. Deſcribit reliquos Friderici ſucceſſus ac geſta Richardus; oppreſſum Spoletum, Interamnam occupatam, Fanenſium, Aſſiſinatium, Narnienſium, Reatinorum agros ob ſervatam fidei conſtantiam populatos: Quod ad conceptam ab illo jactatamque Romæ in ſuam poteſtatem redigendæ ſpem attinet; quamvis rem ſæpius hoc anno pertentarit tyrannus, toties a cœptis abſiſtere eſt coactus. Scribit Richardus primum menſe junio redintegrandæ pacis cum Pontifice ſpecie, accepto Tartaricæ irruptionis nuncio eo contendiſſe; dein menſe julio a Joanne Columna excitum ſigna in Urbem direxiſſe, demum menſe auguſto, cum Tybur in ſuam poteſtatem redegiſſet, flammis Albam deleviſſet, Burgum novum vaſtaſſet, Cryptam ferratam fortiſſimo præſidio occupaſſet, in circumjectos Urbis agros populabundum excurriſſe.

Fridericiani Januam terra invadere parant.

Mediolanenſes ipſos a conſilio diſtrahunt.

Levi prælio vincuntur.

Occupatæ aliquot ditionis pontif. urbes a Frid.

Romam fruſtra tentat.

Tybur. Albam. Cryptam ferr. ſubigit.

LXXXI. Quod porro ad Joannem Columnam tit. S. Praxedis Cardinalem ſpectat; Fridericianis jam ante partibus non obſcure irretitum ſupra indicatum eſt, atque hoc anno aperte ad Fridericum deſciviſſe tradit memoratus Richardus (*b*): *Menſe januario*, & paucis interjectis verbis: *Joannes de Columna Cardinalis diſcors factus cum Gregorio, in poteſtatem cedit Imperatoris & Laguſtam in Urbe, & extra Urbem alia caſtra ſua firmari jubet.* Et infra: *Joannes de Columna Cardinalis diſcors a Papa diſcedit, ſeque confert in Prœneſtum: Monticellum, & Pontem Lucanum contra Romanos recipit in odium Papæ, ad quem Imperator milites & ſervientes de regno mittit.* Subjungit auctor, ut Matthæus Ruſſus a Gregorio ſenator renunciatus Romanas acies eduxerit ac Laguſtam, quam Joannes Cardinalis præſidio firmiſſimo munierat, obſidione cinctam poſt Gregorii mortem expugnarit.

Joann. e Columna. Card.

(b) Rich. in chron.

Laguſta quam munierat a Romanis expugnata.

LXXXII. *Gregorius ſenio & adverſorum ſucceſſuum dolore moritur.*

LXXXII. Defluxit ad Gregorii mortem oratio, qui cum pene toto ſuo pontificatu adverſis ſucceſſibus conflictatus fuiſſet, demum poſt deploratas maximas Eccleſiæ calamitates, florentiſſima Ungariæ & Poloniæ regna exciſa a Tartaris, necatos aut in vincula abductos, quos ad ſynodum exciverat, patres; maximam ditionis pontificiæ partem a Friderico occupatam, conſpectam ſuis oculis victricem illius impietatem, ferrum flammaſque ad Urbis terrorem obtentis vicinis arcibus circumferre; curis gravioribus feſſus, ac ſenectute, in qua vividæ juventutis robur & conſtantiam ſervarat, jam confectus e vivis diſceſſit, ut tradunt Stadenſis, (*a*) Pariſius, (*b*) Richardus, (*c*) Patavinus (*d*) monachus aliique quorum nomina recenſere ſupervacaneum foret. Proxime annos centum attigiſſe Pariſius ac Weſtmonaſterienſis (*e*) teſtantur. Pontificatum tenuit annis quatuordecim, menſibus quinque: creatus enim fuit, anno ſalutis Chriſtianæ MCCXXVII. XIII. kalen. april. (*f*) vel proximis diebus ut alii: obiit vero XII. kalend. ſeptemb. ut teſtatur Richardus ejus temporis auctor Italus, cujus verba infra adducemus, & Albertus Stadenſis, qui pariter iis temporibus chronicon conſcribebat: conſentiuntque Friderici literæ, quas ad Regem Angliæ alioſque Reges & principes exaravit.

(*a*) *Stad. in chron.* (*b*) *Par. hiſt. Angl.* (*c*) *Rich. ubi ſup.* (*d*) *Monac. Pad. in chr. l. 1.* (*e*) *Vveſt. Mon. flor. hiſt. hoc ann.* (*f*) *Bern. in chr. & cum pluribus Baron. in notis MS.*

LXXXIII. *Frid. de illius morte exultat.*

*Victorioſo exercitu noſtro Romanis finibus inſidente, ad quos aviditate componendæ pacis & voto gravis diſſidii ſpecialiter celſitudo noſtra pervenit, publicus ad caſtra noſtra rumor exivit, quod die ... præſentis menſis auguſti Gregorius Papa noviter eſt rebus humanis exemptus, ut qui pacem & tractatum pacis recipere denegabat, ad univerſalem diſſenſionem aſpirans, vix ulterioris auguſti metas excederet, qui Auguſtum offendere nitebatur. Revera mortuus eſt, per quem pax deerat, vigebat diſſidium & quamplures in mortis periculum incidebant.* Jactata hæc a Friderico in Gregorium calumnia non ex dictis modo refellitur, ſed ex dicendis magis refelletur, cum erepto e vivis Gregorio, quem diſcordiæ auctorem accuſabat, Rom. Eccleſiæ ditionem ferro flammaque delere perrexerit, atque Innocentio IV. poſtmodum ſtructis inſidiis bellum longe acrius concitaverit. Subiicit ſperandum de divina clementia, ut Pontificem Eccleſiæ ſuæ provideat, ſub cujus auſpiciis Eccleſiam ab hoſtium conatibus tueri poſſit.

*Ejus memoriam lacerat.*

*Refellitur.*

LXXXIV *Præſertim*, inquit, *cum ex occidentalibus partibus barbarorum hoſtis adveniat, qui deſtructis per quæcumque tranſitum regnis habuerunt, & diverſarum multitudine gentium conculcata & copia populorum abolere funditus ſatagit tam nomen quam cultores fidei Chriſtianæ, cui de providentia novi patris Romani ſubſtituendi Pontificis, aſſiſtente nobis potentia Regum & principum orbis terræ, magnifice diſponimus obviare, aſſumentes fiducialiter cauſam Dei, qui noſtros aufert de medio inimicos, ut expoſitas ad ejus ſervitium impedire nequeant vias noſtras. Vos igitur divinæ proviſioni, ac noſtris affectibus devoti, & hilares aſſurgentes, tam veſtrorum propoſita cordium præparetis ad pacem quam armis neceſſariis corda muniatis ad conterendam una nobiſcum hoſtium advenientium ſuperbiam Tartarorum.* Hæc ille, quæ inaniter jactata, cum ab ipſius verbis opera abhorrerent.

*Fallacia tyranni promiſſa.*

LXXXV. [1] Perſolutis juſtis Pontifici de ſucceſſore deligendo inter Cardinales agitatum, de quibus Richardus: *Et tunc*, nimirum Fridericus dum Cryptæ ferratæ metatus caſtra adjacentia Romæ loca vaſtabat, *de Gregorio Papa, quod obierit Romæ* XXI. *auguſti, pro certo accepit, de cujus licentia Cardinales omnes qui extra Urbem fuerant, pro electione Papæ facienda ad Urbem redeunt.* Et infra: *Cardinales, qui in Urbe ad Papæ electionem convenerant, per ſenatorem & Romanos apud Septiſolium includuntur ut ad creandum Papam inviti procedant.* Cum vero dicat auctor Cardinales omnes, qui extra Urbem morabantur, facta ab eo poteſtate Romam ad eligendum Pontificem reverſos, indicare videtur, quod expreſſe affirmat Pariſius de Jacobo Præneſtino epiſcopo & Othone diacono Cardinalibus, dum ſacra comitia deſcribit, Cardinales numero pauciores duos ad Fridericum legatos miſiſſe, qui ab ipſo flagitarent, ut Præneſtinum epiſcopum & Othonem laxaret vinculis, atque ad eligendum Pontificem Romam accedere permitteret: qui precibus Richardi Cornubiæ comitis flexus, ea lege permiſit, ut poſt electum Pontificem ad carcerem redirent, ni Otho Pontifex ſalutaretur, cumque apud ſeptem ſolia conveniſſent, decem tantum numero fuiſſe, atque in ancipites contrariaſque ſententias diſtractos, quinque ex ipſis Galfridum Mediolanenſem elegiſſe, tres vero Romanum ſalutaſſe: cumque apoſtolica ferret conſtitutio habendum eum legitimum, in quem duæ partes confluxiſſent, diſſenſionem conflatam; Fridericum vero Galfridi partibus adhæſiſſe. Cæterum ſub hæc tempora Robertum Card. apud ſeptem ſolia non ſine veneni ſuſpicione extinctum, Cardinalem vero Columnam a Romanis, quod faveret Imperatori, captum, carcerique mancipatum, ejuſque arces & loca funditus everſa; meminit de eodem Weſtmonaſterienſis (*a*) qui diſcordiæ inter Pontificem & Imperatorem ſatorem fuiſſe ait, ejuſque mortem an. MCCXLIV. collocat.

*Frid. vinctos Cardinales relaxat.*

*Exorta in conclavi de creando Pontifice diſſenſio.*

(*a*) *Vveſtm. flor. hiſt. an. 1244.*

LXXXVI Cum vero Cardinales in eligendo ſummo Pontifice diſſiderent, Otho ad carcerem eſt reverſus, ne dati Friderico obſides male haberentur, cujus fidem & conſtantiam laudaſſe Fridericum ait Pariſius, carceri tamen, cujus ſuſpiciebat virtutem, tradidiſſe: non enim leviter exulcerato infenſoque in eum erat animo, quod ipſum in Anglia anathemate defixiſſet. Non placent aliquibus quæ de Cardinalibus laxatis vinculis a Friderico, ut ad eligendum ſummum Pontificem cum aliis agitarent, ac poſtea re e ſententia non ſuccedente ad carcerem reverſis retulimus, atque ut inanem fabellam traducunt, quod rem ita inſignem ex antiquioribus eorum temporum hiſtoricis unus tantummodo hiſtoriæ commendarit. Et quidem ii qui Pariſium ut commentitia afferentem reſpuunt, mox alia non minus a veri ſimilitudine aliena ſcriptoris non ita antiqui auctoritate fulti tradidere: tunc ſane errandi ac ridicula ſcribendi periculum eſt, cum recentiorum hiſtoriis nullius antiquioris teſtimonio comprobatis volumina farciuntur, quod quidem nec Baronio nec mihi placere unquam potuit. Cæterum quæ a Pariſio ſupra adducta, Cardinales comitiorum ſacrorum cauſa a Friderico acceptis obſidibus carcere relaxatos, Richardus antiquus & probatiſſimus auctor videtur innuere, dum ait Jacobum Præneſtinum & Othonem Cardinales cum magiſtro Joanne Toleto ſub ducatu cujuſdam Tiboldi Tybur perductos: non enim ob *aliam rationem e Neapolitano regno Tybur adducti videntur*, quam ut Romam petere ad creandum Pontificem permitterentur.

*Refelluntur qui dimiſſos Othonem & Jacobum ut rem commentitiam traducant.*

LXXXVII. Ut vero Cardinales poſt diutinas diſſenſiones junctis tandem divina ope animis in eligendo Galfrido Mediolanenſi concurrerint, quem integerrimi mores ac ſcientia cumulata ad Apoſtolicam ſedem conſcendendam dignum reddidere, Stadenſis, (*b*) ac Pariſius (*c*) referunt, quorum poſterior ob effœtam ſenectutem intra ſexdecim dies emarcuiſſe, & communem famam veneno propinatum circum-

*Galfridus Mediol. creatur Pont. & Cæleſtinus appellatur.*

(*b*) *Stad. in chron.* (*c*) *Par. hiſt. Angl.*

---

NOTÆ

[1] Obiit hoc anno Gregorius, ut coævi omnes ſcriptores teſtantur. Nec minus de menſe, & die emortuali conſtat, quem Richardus, qui tunc in Italia ſcribebat, in diem XXI. auguſti refert; nec ab eo abludit Rolandinus, qui per ſingulos hos annos res geſtas in Marchia Tarviſana notabat. Ille enim obiiſſe Gregorium circa feſtum Aſſumptionis affirmat. Sed majori negocio dies, & menſis, quo Cæleſtinus electus fuit definiretur. Menſem quidem & diem Ciaconius ex Panvino adnotat, nempe IX. vel X. Kal. octobris. Sed facile erroris convincitur ex Richardo, & ex Rolandino, qui ambo menſe octobris aſſumptum affirmant: quin & quaſi *in fine menſis* electionem illam contigiſſe idem Rolandinus adjecit. Forte tamen die a Panvino deſignata prior Cæleſtini electio a quinque cardinalibus præſtita eſt; ſed cum minus legitima haberetur, ut in annalibus narratur, idem electus ſponte renunciavit; nec collatæ dignitati acquievit, niſi poſt quam plenis ſuffragiis poſt longam concertationem pontifex iterum renunciaretur. Hujus vero ſecundæ, & legitimæ electionis diem nemo ex antiquis deſignat, nec erui certi quidquam poteſt ex die obitus & ſedis tempore. Licet enim obiiſſe poſt dies XVI. vel XVII. ab aſſumptione ſua veteres omnes docent, qua potiſſimum die obierit non aſſignant. Unus, quem legerim Nicolaus Trivettus, qui annales ſuos cum hoc ſæculo claudit, interpontificium inter Gregorium, & Cæleſtinum ad *menſes duos, & dies ſex* ſupputat. Id ſi admiſerimus Cæleſtini electio die XXVII. octobris ſtatuenda erit, quod a vero non abludit. Ciaconius deceſſiſſe illum ante coronationem ſuam affirmat; quod a nullo veteri ſcriptore memoriæ fuiſſe proditum Papebrochius in catalogo pontificum ad to. V. actuum SS. menſis maii animadvertit. Sed veterem rei hujus aſſertorem damus Nicolaum de Curbio, authorem pene coævum, in vita Innocentii IV. qui de Cæleſtino ſcribit: *morte præventus, pallium non ſuſcepit more papali, munus conſecrationis non habuit, neque bullam &c.* Verum huic plane contrarius apparet Rolandinus, qui pariter circa hæc tempora res geſtas in Marchia Tarviſina ſcribebat. Ille enim lib. 5. cap. VI. de Cæleſtino ſcribit: *miſſam ſolemniter celebraſſe in feſto omnium Sanctorum in Laterano, ibique cardinales quoſdam & epiſcopos conſecraſſe*, quæ verba innuere videntur ſolemnem ejus coronationem. Addit Rolandinus: *& poſt circa dies XX. deceſſit.* Quæ verba latius accipienda ſunt; ſi enim dies tantummodo XXIII. cum monacho Patavino aliiſque regnaſſe illum admiſerimus, ſupputatione accepta ab ejus coronatione, quam cum menſis exordio illigamus, diem ejus emortualem diei XVII. vel XVIII. adſignemus oportet. Porro Cæleſtinus ante pontificatum inter Ciſtercienſes diu aſceticam exercuit, unde eductus presbyter cardinalis S. Marci renunciatus fuit a Gregorio, a quo pariter & Sabinenſem epiſcopatum obtinuit. Cancellarium fuiſſe S. Romanæ eccleſiæ ex Rolandino diſcimus, idemque author virum in theologia peritum nuncupat. Pias quaſdam precandi formulas ſcripſiſſe, dum adhuc monachum ageret Guido Claravallenſis affirmat, ſicut & Nigrinus in elogio Caſtillioneæ familiæ epiſtolas ejus nonnullas ſupereſſe affirmat; quin & in anecdotis Martenii extat ejuſdem pontificis bulla ad archiepiſcopum Senonenſem pro monaſterio Charitatis in Burgundia, ſed in ejus ſubſcriptionem mendum irrepſit, cum data legatur *VIII. Id. auguſti pontificatus Cæleſtini anno I.* neque enim auguſto menſe Cæleſtinus pontificatum tenuit. MANSI

*Paulo poſt moritur.*

cumtuliſſe ait; ex cujus morte univerſa Eccleſia, quæ tot malis recreari cœperat, in priſtinos luctus conjecta eſt. Cæterum veriſimile non videtur adeo frequenter in Pontifices & Cardinales veneno graſſatum eſſe, ſed vulgus rumores illos, ut fieri ſolet, temere ſparſiſſe. At monachus Patavinus (*a*) auctor etiam antiquus, Stero (*b*) & alii, decem & octo dies Cæleſtini pontificatui tribuunt, Bernardus & ejus M. S. vitæ (*c*) auctor XVII. Richardus (*d*) vero hæc de Cæleſtino prodit: *Menſe octobris Goffridus Mediolanenſis in Cæleſtinum Papam eligitur. Menſe novembris Cæleſtinus Papa Romæ apud S. Petrum obiit* (In cujus baſilica etiam ſepultum fuiſſe legitur in laudata ejus M. S. vita, confirmatque Bernardus *e*) *Et de Cardinalibus quidem eo inſepulto de Urbe fugerunt & contulerunt ſe Anagniam.*

(*a*) *Mon. Patav. in chron. l. 2.*
(*b*) *Stero in annal.*
(*c*) *Ext inter alia geſta Rom. Pont. apud nos.*
(*d*) *Rich. de S. Ger. in chr.*

*Sepelitur apud S. Petrum. Card. Anagniam ſe conferunt.*

Hæc Richardus, qui de Imperatrice menſe decembri apud Fogiam defuncta & Andriæ mandata ſepulturæ ſubiicit. Erat hæc Iſabella Anglorum Regis ſoror, quem Fridericus literis ſuis eadem de re certiorem fecit; recitat ipſas Pariſius (*f*) atque partus fundendi difficultati ſuccubuiſſe tradit. Neque hic modo uxoris & filii triſtis caſus Fridericum afflixit, verum Ptolemaidis regni Hieroſolymorum urbis celeberrimæ jactura exultantis de cladibus Eccleſiæ gaudia mœrore temperavit; ac demum regnum illud florentiſſimum amiſit, iique ambitionis ipſius Eccleſiam ſuis poſſeſſionibus exuere ſtudentis fructus extitere, ut dum pro occupandis aliquot oppidis orbem turbat, provincias ac regna amitteret. Sed ab impio homine ad ſanctorum miracula orationem traducamus.

(*e*) *Bern. chr. Rom. Pont.*

*Iſabellæ Imp. mors*

(*f*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

*Ptolemais a Frid. deficit.*

*Inſignia ad reliquias S. Edmundi patrata miracula.*

Per hæc tempora tanta Deus prodigia ad ſacra B. Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi lipſana edere cœpit, ut paria quodammodo iis fierent, quæ Apoſtolorum temporibus patrabantur: unde populorum commota pietas celeberrimo concurſu Pontiniacum confluebat, ac Rex Henricus loculum ex auro elegantiſſimo opere conflari juſſit, in quo ſacrum pignus collocaretur.

LXXXVIII. In Galliis hoc anno S. Willelmus epiſcopus Brioceniſis in cœlum emigravit, cujus (*g*) res præclare geſtas monumentis conſignavit Godefridus Calvus Bituricenſis archiepiſcopus, atque ea ſe ſcriptis tradidiſſe teſtatur, quæ partim ipſe hauſerat oculis, partim a fide dignis acceperat. Cæterum ex ipſis actis (*h*) de ejus felici obitu & corpore invento poſt biennium omnis corruptionis experte atque odorem ſuaviſſimum efflante hæc pauca decerpere contenti erimus: *Et quamvis gregis ſui curam præponeret omni negotio temporali, fabricam tamen Briocenſis eccleſiæ cathedralis, ſi poſſet in pace vivere, proponebat conſummare jam inceptam. Circa quod opus cum die quadam vigilantius cogitaret, ſpiritu prophetico repletus dixit: Certe vivus, vel mortuus ædificium hujus eccleſiæ conſummabo. Dominus autem ipſius prophetiam proceſſu temporis adimplevit. Nam cum ipſe vivens feliciter victurus in perpetuum præſentis vitæ curſum feliciter conſummaſſet, corpus ejus ſanctiſſimum in eccleſia cathedrali digna fuit cum reverentia tumulatum. Quod cum ibidem duobus annis antequam coruſcaret miraculis, tanquam lapis prætioſus latuiſſet, Philippus epiſcopus ſucceſſor ejus ſtuduit nihilominus fideliter ipſius propoſiti circa fabricam eccleſiæ fieri proſecutor. Oportebat autem pro fundamento quærendo, ſecundum diſpoſitionem operis, corpus B. VVillelmi de loco, in quo poſitum fuerat, transferri: factum eſt autem, cum ad effodiendum theſaurum illum clerici cum populo conveniſſent, ipſum corpus cum omnium membrorum integritate mirabiliter eſt repertum, & quaſi precioſiſſimis fuiſſet aromatibus conditum, optimo odore eos, qui aderant, adimplevit.* Eo munere ſanctiſſimum corpus divina providentia decoravit, ob ſervatam virginei candoris illibatam puritatem, refert enim laudatus auctor ipſum morti proximum ſacerdotem, qui ipſi a confeſſionibus erat, ita compellaſſe: *Frater age gratias pro me Deo, qui me uſque hodie Deo mundum peccato carnis per ſuam gratiam cuſtodivit.* Ut vero ſanctorum catalogo ab Innocentio IV. appoſitus fuerit, ſuo loco dicetur. [1]

(*g*) *Bar. in notis ad 29. jul.*

*Felix S. Willel. Briocen. ep. mors.*

(*h*) *Ext. apud Sur. tom. 4. die 29. jul.*

*De illius integritate.*

LXXXIX. Longe diſpari mortis genere eodem anno Bernardus Convenarum comes infelix Albigenſium defenſor, qui in Eccleſiam arma tulerat, dum opipare pranderet,

*Convenarum & Fuxi comites repentina morte extincti.*

NOTÆ [1] De anno emortuali S. Villelmi epiſcopi Broicenſis non ſatis conſtat inter ſcriptores; alii enim aſſignant annum 1234. alii vero annum 1237. Gratis utrique; nihil enim certi erui poteſt ex authore rerum ab eo geſtarum, qui Godefridus Calvus in eorumdem actorum titulo appellatur. An vero Godefridus iſte archiep. Bituricenſem egerit putant quidam plane ignotum quin & in catalogo epiſcoporum Bituricenſium nemo ejus nominis per hæc tempora occurrit, nec ipſe ſibi author archiepiſcopi, vel paſtoris titulum uſurpat. Nullo temporis charactere res geſtas ab eodem S. Pontifice diſtinguit, ideoque ejus chronologiam alio querere oportet. Narrat tamen virum hunc ſanctum exulare e Britannia a principe tunc rerum potiente coactum fuiſſe, deſignaturque his Petrus Britanniæ Armoricæ dux, a quo actos in exilium Rhedonenſem, Brio-



ret, e menſa ad divinum tribunal raptus eſt (*a*) ut repentino improviſoque mortis genere hæreticorum fautor Raymundus ſenior olim occubuerat: tum etiam Rogerius Bernardi comes Fuxenſis Eccleſiæ hoſtis hoc anno periit, ut qui ſimul conjunctis armis animiſque crudeliſſime in catholicos fuerant debacchati, eodem tempore æterno judici ſe ſiſterent.

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont.*

*Waldemari Regis Dan. mors.*

Defunctum eodem tempore Waldemarum Daniæ Regem, [1] Ericumque filium ſucceſſiſſe ſcribit Albertus Stadenſis (*b*) cui Pariſius (*c*) conſentit; Crantzius (*d*) vero ejus obitum ad ſequentem annum retulit. Armorum gloria effloruit, quæ adverſus ethnicos in Scythia, Friſia, & Ruſcia geſſerat, ſeptem epiſcopatuum terras totidem epiſcopis inſtitui juſſis, bello ereptas ſibi pepererat: non eadem tamen felicitate armorum jam ſenex uſus. Quo extincto Angli magno periculi ab eo imminentis terrore liberati, Danique, quorum virtus bellica in ingens decus ſeſe extulerat, mutuis inter ſe bellis attriti depreſſique ſunt. Cum enim Waldemari primogenitus non diu patri ſuperfuiſſet, ſucceſſit Ericus, cui frater Abel nomine ætate minor bellum crudele movit, ac multis annis concuſſa fœde ac ſuorum manibus laniata Dania luxit. [2] An-

(*b*) *Stad. in chron.*
(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(*d*) *Crantz. hiſt. Dan. l. 7.*

*Præclara illius geſta.*

NOTÆ Briocenſem, & Trecorenſem epiſcopos narrat Gregorius in epiſtola ſcripta ad Cenomanenſem epiſcopum, data Aſſiſii IV. Kal. Junii pontificatus ejus anno II. ideſt anno 1228. quas literas vulgavit Martenius anecdotorum to. I. col. 947. Ex his conſtat de anno, quo exilium vir ſanctus ſuſtinuit. Poſt redditam Britanniæ pacem remeavit ad propria. Epiſcopatum reſumpſerat anno 1234. quo Juhellus Turonenſis archiepiſcopus, de conſenſu ejuſdem Villelmi, diœceſim illam viſitavit, & nonnullas conſtitutiones pro eccleſia illa dedit vulgatas in collectione Veneto-Labbeana to. XIII. col. 1305. Quantum conjectura aſſequi poſſumus ex actis ſupra laudatis, poſt reditum ad eccleſiam ſuam vitam propagaſſe diu vix credimus, cum ſub ipſo reditu cathedralis eccleſiæ fabricam ſumpſerit, & antea vitam, quam ædificium abſolverit. Hinc potiorem credimus eorum ſententiam, qui annum mortis ejus cum anno 1234. illigant. MANSI

[1] OBiit hoc anno Valdemarus Daniæ rex, ut chronologi Danici apud Ludevvig reliquiarum tom. 9. affirmant, quibus fidem adſtruit Albericus, qui cum hoc anno chronicon ſuum claudit. Menſem & diem iidem chronologi ſicuti & Albericus adnotant, deceſſiſſe enim affirmant in cœna Domini, ſeu ut chronologus alius apud eundem Ludevvig, in *vigilia* Cœnæ Domini, nempe die XXVII. aut XXVIII. martii. Filios reliquit Henricum, quem *anno MCCXXXII. coronari* fecit in regem per Offonem archiepiſcopum Lundenſem die Pentecoſtes, ait chronologus quidam apud eundem Ludevvig, & Abelem *filium ſuum tertium, quem conſtituit ducem Jutiæ*, ait idem chronologus, *& comitem Chriſtophorum*. De hoc Abele notat Albericus ad hunc annum: *iſtum voluit aliquando papa regem Alemanniæ contra imperatorem conſtituere, quo recuſante, quod non haberet tot & tanta quo ſe imperatori opponeret, Duce etiam Ottone de Brunſvich ſimiliter recuſante, & dicente quod nollet mori ſimili morte, qua patruus ſuus imperator Oddo fuit mortuus; tandem res iſta de mandato papæ delata fuit ad dominum Robertum fratrem regis Franciæ, ſed de conſilio & prudentia matris opus intactum remanſit.* MANSI

[2] HIſpanicas res eccleſiaſticas anni hujus omittit Raynaldus, nos vero eas ſupplemus, uno tantum verbo indicantes celebratam tunc fuiſſe Barchinonæ ſynodum die feſta S. Lucæ ab archiepiſcopo Tarraconenſi, (qui tunc erat Petrus Albalatius teſte Baluzio Marc. Hiſpan. lib. 4.) conſtitutum in ea fuit nequis in jejuniis *Quatuor temporum*, ut vocant, alio quam quadrageſimali cibo veſceretur. Viciſſim autem in diebus *Letaniarum* fas eſſe ovis uti, excepta aſcenſionis vigilia. Denique edictum fuit ſacerdotibus ut populos monerent diſcere *ſalutationes beatæ Mariæ, Pater noſter, & Credo in Deum*. Conſtitutiones iſtæ relatæ ſunt in ſynodo Diœceſana Valentina anni 1225. apud Labbeum to. XIV. col. 208. edit. Venet. Clauduntur vero hoc epilogo: *Iſta mandavit dominus archiepiſcopus Tarraconenſis in ſynodo per eum celebrata in ſede Barchinonenſi, ſede vacante anno domini MCCLI in die S. Lucæ.* Tarraconenſibus ſacris præerat tunc Petrus Albalatius, quem octo provincialia concilia celebraſſe diſcimus ex actis concilii Tarraconenſis ſub Joanne patriarcha Alexandrino, ejuſdem eccleſiæ adminiſtratore, habiti anno 1329. quæ extant in to. XV. collectionis Veneto-Labbeanæ col 350. Cum vero concilia illa, quæ ſuo ordine ibidem notantur, *primum, ſecundum, tertium &c.* nullum locum relinquant concilio huic Barchinonenſi, quod collocandum eſt inter ſecundum Valentiæ habitum anno 1240. VIII. idus maii, & tertium Tarraconæ celebratum anno 1242. ut aſſerit Baluzius Marc. Hiſpan. lib. 4. & ſi ita collocaretur jam Tarraconenſe anni 1242. non tertium, ut in actis concilii anni 1329. appellatur; ſed quartum nuncupandum eſſet; hinc ſuſpicor Barchinonenſe hoc concilium ideo in ordinem conciliorum provincialium non veniſſe, quod Diœceſanum tantummodo fuerit, & ad providendum Barchinonenſis tantummodo eccleſiæ rebus diſpoſitum.

Cæterum hoc primum eſt concilium, in quo peculiare jejunium a reliquis per annum quin & a jejuniis Litaniarum diverſum, in pervigilio aſcenſionis ſtatuitur. Sicut & hic primum jejunium ſine ovis extra quadrageſimam occurrit. Hujus concilii nulla mentio in collectionibus. MANSI

I. Annus Chriſti milleſimus ducenteſimus quadrageſimus ſecundus, quintadecima indictione, Romanæ Eccleſiæ orbatæ Pontifice luctuoſus extitit; cum Fridericus hoſtis illius infenſiſſimus, Cardinales aliquot carcere incluſos teneret, alios quos adverſari ſibi arbitrabatur, minis percelleret, alios in fugam ageret, alios promiſſis allectos ſuis partibus irretiiſſet, & ad novi Pontificis electionem diſcutiendam, ſacrilegos conatus adhiberet. At quæ de his Stadenſis hujus temporis ſcriptor tradat, adducamus: (a) *Anno Domini MCCXLII. duobus annis ſedes papalis vacavit, Cardinalibus inter ſe diſcordantibus, & quibuſdam Romam intrare non audentibus: unde contigit, ut ſe invicem frequentius vocarent ad electionem, & etiam ipſi tam inter ſe quam ab aliis multas controverſias & inſolentias ſuſtinerent.* Sane veriſimile eſt nonnullos Cardinales ſtudioſos Friderici tumultus ingentes concitaſſe, ac principem ſucceſſu rerum tumidum eorum opera aliquem ſuarum partium ſedi Apoſtolicæ præficere conatum fuiſſe. Et quidem Pariſius (b) refert Romanæ aulæ dignitatem ac ſplendorem adeo defloruiſſe, ut pontificia ſede vacante vix ſex ſeptemve Cardinales Romæ remanerent, aliis e medio ſublatis, aliis adverſa valetudine implicitis, aliis in remotioribus partibus inter amicos ac parentes deliteſcentibus, ac tum locorum intervallis, tum animis disjunctos & diſcrepantes ſententiis fuiſſe. [1]

(a) *Stad. in chron.*

Diſſident inter ſe de eligendo PP. Cardinales.

(b) *Par. hiſt. Angl. an. 1242.*

II. Interea Fridericus contumelioſas ad Cardinales literas exaravit (c): *Ad vos eſt hoc verbum filii Effrem male tendentes arcum, & pennis emittentes ſagittas turpiter in die belli quaſi retrorſum. Ad vos eſt hoc verbum filii Belial, diſperſionis oves. Ad vos eſt hoc verbum .... capita non habentia magni judicis aſſeſſores. Ad vos eſt hoc verbum Cardinales obligati, quibus male volvitur orbis. Ad vos eſt hoc verbum, pro quibus totus mundus obloquitur, nec ego poſſum loqui quin obloquar, quia de mundo ſum licet immundus; propter quod oportet me ſentire cum ipſo tanquam pars ſuo toti nec diſſona, nec adverſa. Scribentes itaque attendite de dura & inepta manu rudem epiſtolam exordii dignitate privatam: lingua mea compreſſa prius prorupit in verba quam concipiens ei ſpiritus delegaſſet: & ſic non expectato ſuperioris imperio minus plene concepta edere feſtinavit. Habet hoc enim animus perturbatus, quia plerumque ſermonem inconcinnum parit, aliquando abortivum: communis namque animorum exiſtit conceptio & ſermo vulgaris, quod non mediator Dei & hominum Jeſus Chriſtus de ſummo cœlo, qui venit ponere pacem in finibus terræ, Apoſtolorum magiſter & Dominus, ſed diviſus in ſe ſathanas princeps ille varius ſit in medio veſtrum tanquam qui miniſtrat; ille perſuaſor diſcordiæ ſpiritus tenebroſus, qui poſuit linguas veſtras in diviſiones, & in partialitatis articulos veſtram diſgregare compulit unitatem, dum nec vobis, nec mundo conſulitis, qui tot periculis propulſatur, & Petri navicula, quæ per maris altitudines ventorum flatibus rapitur remis & remige deſtituta, non eſt aliquatenus vobis curæ: quæ quamvis in ſe ſubverſionem non timeat, in ſuis tamen multa & varia patitur naufragia tempeſtatum.*

(c) *Ext. apud Petr. de Vineis MS. Vall.*

Arrogantes ad eos & convitiis plenæ Frid. lit.

III. *Sane ſi diligenter attenditis qualiter nationes & gentes, quas judicare ſoletis, contra vos deriſorie moveant capita ſua, in ſe unuſquiſque palleret, & ad tam publicum & deteſtandum opprobrium propulſandum nunquam inveniri poſſet neceſſarium argumentum: quia dum quilibet veſtrum aſpirat ad cathedram, unus non conſentit in alium; & dum alter in alterum non conſentit, nullus erigitur, cathedralis dignitas evaneſcit, & ſic ex diſconvenientia veſtra conveniens Eccleſiæ ſtatus confunditur, & fidei, qua vivitis, deperit rectitudo, &c.* Pergit Fridericus onerare ipſos convitiis, quem zeli ſpecie ſuperbe conceptum in Cardinales virus evomuiſſe certiſſimum eſt.

IV. Miſiſſe illum menſe februario ad Cardinales oratores, qui de pace cum Eccleſia ineunda agitarent, ſcribit Richardus. *Ad Romanam curiam magiſtrum Theutonicorum creatum noviter archiepiſcopum Barenſem, & magiſtrum Rogerium Porcaſtellam pro pace legatos mittit.* Cum vero conciliata concordia non fuerit, ac Fridericus armorum potentiam ad reli-

Mittit oratores ad Cardd. pro tractanda pace.

quam

NOTÆ [1] Hoc anno provincia Tarraconenſis ad concilium convenit die III. id. maii Petro archiepiſcopo præſidente, aliiſque III. ejuſdem provinciæ epiſcopis aſſidentibus. In Veneto-Labbeana conciliorum collectione to. XIII. ex Baluzio concilii hujus fit mentio; ſed canones deſiderantur, quorum nonnullos dat nobis collectio canonum eccleſiæ Tarraconenſis vulgata in Tarraconenſi ſynodo anni 1329. In ea collectione dantur canones VI. ex concilio III. Tarraconenſi ſub Petro archiepiſcopo. Verſantur illi in ſacramento extremæ unctionis gratis miniſtrando; in feſtis diebus percenſendis; in celebratione plurium miſſarum eadem die tollenda: ut epiſcopi jus æquum dicant, ad concilium veniant invitati, quod pariter & reliquis clericis injungitur. MANSI



quam ditionem pontificiam invadendam effuderit, colligitur hujuſmodi pacis leges propoſuiſſe, ut Eccleſiam Rom. ſuæ ſervituti ſubiicere meditaretur. Ut porro illam bello acerrime fuerit inſectatus, ſignificat Richardus: *Menſe maii Andreas de Cicala regni capitaneus juſſu Cæſaris congregato exercitu, tam militum quam ſervientium de regno ſuper Reate vadit, quam exterius totam devaſtat. Dux Spoleti pro parte Imperatoris ſuper Narniam vadit, & quam poteſt facit in exterioribus vaſtitatem.* Et paucis interjectis: *Eodem menſe exercitus imperialis de Marchia vadit ſuper Aſculum, & ipſam civitatem obſidet exterius & devaſtat.* Potitum vero ea arce ſubiicit inferius: *Menſe junio Aſculum ſe reddit & venit ad mandatum Imperatoris.*

Tractatus pacis diſſolvitur.

Ditionem Eccl. vaſtat.

Aſculum ad deditionem compellit.

V. Subjungit ut tyrannus eo elatus ſucceſſu Romam, cujus invadendæ ſumma cupidine ardebat, obſidione pertentarit: *Menſe julii congregato exercitu copioſo ſuper Urbem vadit, hoſtilem faciens in exterioribus vaſtationem; menſe auguſto in regnum reverſus eſt.* Addit auctor veſanum Friderici facinus, qui ad ornandam Nuceriam Sarracenorum urbem nonnulla præclara antiquitatis monumenta ad ineundam chariſſimorum ſibi hominum gratiam e Crypta ferrata direpta, antequam caſtra ab Urbe removeret, eo traduxit.

Romam irrito conatu oppugnat.

VI. Cæterum quanto Chriſtiani orbis bono ac rerum ſuarum incremento arma in Tartaros cum ampliſſima propagandi latius Rom. Imperii limitis ſpe convertiſſet, niſi illum cæca opprimendæ eccleſiæ rabies egiſſet, ut omnium Germanorum & Ungarorum vota eo ipſum vocabant! Ad quem incitandum magis, ut ſupremum Ungariæ dominium, ſervato Regi Belæ fiduciario jure, capeſſeret Tartaroſque e regno innumeris cladibus, ac malis attrito depelleret patriarcham Aquilejenſem Belæ Regis avunculum acceſſiſſe ineunte anno indicat Richardus (a): *Patriarcha Aquilejenſis pro facto Tartarorum*, de quo nimirum anno ſuperiori locutus fuerat, *ad eum venit*. Sed patriarchæ æque, ac Vatienſis epiſcopi ob id antea, ut vidimus, miſſi preces irritæ ceciderunt, atque ita menſe junio cum nil quam cavillationes referret, abſcedere re infecta eſt coactus. Patuit tum quam injuſte Gregorium in odium & invidiam adduceret Fridericus, illum ſibi obſiſtere, ne in Tartaros Romanas aquilas conferret, cum eo ad feliciorem vitam jam traducto Eccleſiam opprimere omni conatu non deſtiterit, ſpeſque ampliſſimas ut vires in Chriſtiani nominis hoſtes verteret, ſpreverit.

Solicitatur a patr. Aquilei. ut arma in Tartaros traducat.

(a) *Rich. in chron. hoc anno.*

Spernit patriarchæ preces.

VII. Quantis vero hoc anno malis barbarorum feritate oppreſſa Ungaria ingemuerit, deſcribit Longinus; Bathy duce ſupremo Tartarorum cum parte exercitus in Strigonienſibus campis amœniſſimis caſtra metante, Caydanum correpta exercitus parte Strigonium obſidione cinxiſſe, & urbe atque arce potitum furorem effuſo Chriſtiano ſanguine ſatiaſſe, opimaque ſpolia retuliſſe: deinde impetus in Albam Regalem convertiſſe, ſed præſidiariorum militum civiumque virtute propulſatum, alio divertiſſe: Belam vero Regem Ungaris principibus, ac præſulibus cinctum ſe illius furori ſubduxiſſe, quem cum Tartarus aſſequi non poſſet, penetrato Illyrico inermem Ungarorum turmam in planitiem æquatam adductam inſana rabie trucidavit; & irruptione in Croatiam facta Spalathum pervenit, circumjectiſque agris ferro ac flamma deletis, cum Spalathenſes ad conſtantiam præſente mortis terrore obfirmatos cerneret, parum moratum, Belam Tragurium uſque inſecutum, cum ab ea urbe virilibus animis repulſus eſſet, Boſniam juncto cum Bathy exercitu perrupiſſe: dein receptui ſigno dato Serviam & Bulgariam ingreſſum mancipiis Chriſtianis crudeli fraude edixiſſe, ut in patriam reverterentur. Qui cum doli neſcii ſpe adeptæ libertatis exultantes redirent, a Tartaris immiſſo equitatu immani ſtrage deleti fuerunt.

Strigonium a Caydano expugnatum direptumque.

Belam inſequuntur Tartari quacumque pergit.

Inermem Ung. multitudinem trucidant.

Irrumpunt in Croatiam.

In Serviam & Bulgariam ſigna convertunt.

Chriſtiana mancipia immani ſtrage pereunt.

VIII. At Bela cognito exploratorum opera Tartarorum receſſu collectis animis amiſſum regnum recuperare paulatim cœpit. Quo tempore tanta fames, ut ſcribit Nangius (b), ſæviit, ut ſuperſtites mortuorum cadavera edere non perhorreſcerent; immundaque animalia, canes, feles aliaque hujuſmodi ad tolerandam famem quærerentur: nec minus feras cadaverum humanorum, quæ deguſtarant, illecebris illectas in vivos graſſatas, abſumptiſque ad colendos agros jumentis, homines boum inſtar ad proſcindendam terram aratrum ducere coactos refert Longinus (c).

Bela regnum paulatim recuperat.

(b) *Nangius in geſtis S. Lud.*

Horrenda fame laborant Ungarorum reliquiæ.

(c) *Longin. l. 7.*

IX. Dum Ungaria tantis malis oppreſſa lugeret, nonnulli per hæc tempora viri proceres in Colonienſi principatu, inſana levitate abrepti eo calamitoſiſſimo tempore, quo flectenda precibus & lacrymis divina ira ac barbaricæ acies penetrandæ erant, ludicris certaminibus indulgere non erubuerunt: ſed nec divina juſtitia ſcelus impune tulit, ut narrat Cantipratenſis (d): *Anno circiter ab incarnatione Domini MCCXLIII. juxta Nuſſiam ſuper Rhenum, oppidum nobile, ad torneamentum multi nobiles, duces, barones, ac milites congregati ſunt. Supervenit quidam frater Bernardus de ordine Prædicatorum cum ſocio, rogavit ſuppliciter & quaſi cum lacrymis, ut ſibi parcerent & ab i-*

(d) *Lib. 2. c. 49. n. 4.*

Divinæ in eos exemplum juſtitiæ qui haſtiludia eo tempore celebrarunt.

*nani propoſito deſiſterent compaterenturque Chriſtianitati, & afflictæ matri Eccleſiæ, quæ illo tempore in Ungaria, Quionia, & Polonia a Tartaris miſerabiliter vaſtabatur. At cum multi eſſent qui ad preces ejus libentius deſtitiſſent, quidam comes de Caſtris dictus, ſubſannavit fratrem & conſentientes eidem, turmiſque militum congregatis ferale illud torneamentum infeliciſſimus inchoavit.*

X. *Mane autem ejuſdem diei, ut a pluribus ferebatur, quaſi gleba ingens & lata ſuper aera videbatur, & circa glebam ac ſupra quaſi corvini generis volucres crocitando diutius volitare: nec credo aliud quam dæmones has fuiſſe, qui futuri mali prodigium hoc dederunt. Nec mora: cum torneamentum hoc fieret, milites ac ſatellites in tanta ſtrage & in tanta multitudine plurimi in mortem, nonnulli in veſaniam, plerique etiam in languores perpetuos ceciderunt, ut nullus ambigeret ludum hunc non tantum hominum, ſed veriſſime ultione divina, dæmonum extitiſſe; omnes vero mortui uſque ad trecentos ſexaginta ſeptem computati ſunt. Inter quos etiam primus mortuus dicitur comes ille de Caſtris, qui dicto fratri Prædicatori contumaciter contradixit: Sed eadem nocte quo die hæc facta ſunt, in ſpeciebus militum armatorum juxta villam Brabantiæ, quæ Iiska major dicitur congregationes fieri a dæmonibus presbytero villæ teſte cognovimus: & hoc credo in ſignum lætitiæ tanti mali.*

Varia dæmonum exultantium de malis Chriſtianorum ludibria.

XI. Laxaſſe tum divinam juſtitiam malignis ſpiritibus fræna ad plectenda hominum ſcelera ex iis conſtat. Cæterum non Ungari modo, ut emendarentur, virga divini furoris percuſſi, ſed plures alii populi ad ſeptentrionem ſubmoti cœleſtis ultionis acerbitatem ſenſerunt; Jordanus (*a*) enim hæc ſuis annalibus inſerit: *MCCXLII. in partibus aquilonis Tartari vaſtant Ruſſiam, Caſſariam, Scudaniam, Gotiam, Ziquiam, Alaniam, Poloniam, & cætera regna uſque ad* XXX. *& uſque ad fines Theutoniæ proſiliunt*. Et quidem Longinus ipſos ex Ungaria irrupiſſe in Poloniam, improviſoque adventu Cracovienſes oppreſſiſſe, ſcribit; majoreſque quam anno ſuperiore cædes edidiſſe. Nec Chriſtiani modo hac divini furoris virga percuſſi, ſed infideles etiam, atque inter eos Turcas magnis cladibus attritos refert Nangius, (*b*) qui non prætereundum ſilentio egregium duorum Chriſtianorum facinus, (*c*) quos Tartari in Turcarum urbe, cui Arſanga nomen eſt, ceperant, adducit: cum enim omnes cives violato fœdere, quibus ſalvam vitam erant polliciti, trucidaſſent, duos Francos Chriſtianos vitæ reſervarunt; cumque nonnullos, qui bellicam Francorum virtutem pugnandique genus admodum commendari acceperant, cupido inceſſiſſet, ut illos inter ſe gladiatorum more pugnantes intuerentur, e procerum Tartarorum conſilio viſum eſt, ut egregie armis inſtructi equeſtri pugna inter ſe dimicare juberentur. Sed illi communicato inter ſe conſilio crudelem barbarorum expectationem fefellere: mox enim ubi equis impoſiti, armiſque muniti fuere, concitatis equis in Tartaros impetum fecere, quorum quindecim, ſauciatis aliis triginta, peremerunt, antequam ab iis undique circumfuſi interfici poſſent; de Tartaris hactenus, jam ad res Gallicas digrediamur. [1]

(*a*) *Jord. MS. Vat. ſign. n.* 1960.

Vaſtata a Tartaris plura regna.

(*b*) *Nang. in geſtis S. Lud.*

(*c*) *Id. ib.*

Egregium duorum Chriſtianorum facinus quos inter ſe Tartari dimicare juſſerant.

XII. Dum Romana Eccleſia diutius rectore careret, cujus auctoritate Franci, Anglique ne in mutuas cædes proſilirent, contineri ſolebant, bellum inter eos atrox ſævumque exarſit. Juſſerat anno ſuperiori S. Ludovicus Hugoni Marchiæ comiti, ut Alphonſo ſuo fratri novo Pictaviæ comiti ejus ditionis gratia, quam in Pictavia obtinebat, clientelaris officii ſponſionem agnitionemque deferret: quippe Joanna comitis Toloſani filia, fratri nuptui tradita, ipſi Arverniam, Pictaviam, aliaque de Albigenſibus parta loci contulerat. At comes Marchiæ, conſiliis uxoris ſuæ Regis Anglorum matris olimque Reginæ ſubornatus, ac fretus Anglorum potentia & armis, facta imperia detrectabat, eamque rem ſuæ contrariam dignitati arbitrabatur. Sed brevi Ludovici armorum vim ſenſit, ejuſque potentiæ ſuccubuit. Et ſane Nangius, qui S. Regis geſta conſcripſit, prodit Iſabellam alteram Jezabelem, frementem ira quod maritus Francorum armis reſiſtere non poſſet, jamque pluribus arcibus exutus eſſet, ingens ſcelus muliebri furore meditatam, ac plures ſuis onuſtos muneribus quaſi ad Regis colligendam gratiam ad ipſius aulam miſiſſe venenoque inſtruxiſſe, ut Regem ac fratres tollerent: at Deum tantum ſcelus eliſiſſe, eoſque cum veneno deprehenſos duriſſimo carceri mancipatos.

Exortæ in Galliis turbæ.

Detrectat Marchiæ comes Alphonſo Pictaviæ comiti fidem obligare.

Bellum illi infert S. Lud. Iſabella Regina ſanctum Regem ac fratres veneno tollere molitur.



NOTÆ [1] TArtari, qui hoc & ſuperiori anno Hungariam vicinaque regna excurrerunt, ducem expeditionis ſuæ habebant Baidonem, Hoccotæ Cham filium alterum, cui pater Tartarorum imperator ſecundus copiarum partem aſſignaverat. Exercitum hunc duxit ille primo in Cumanos, nationem Tartariæ finitimam, & ſeptentrionalem; his ſubactis, pari felicitate regnum Caſſiæ occupavit: tum penetravit ad Bulgaros; dein in Hungariam Poloniamque, ac tandem in Germaniam uſque pervaſiſſe teſtatur Haito Armenus in ſua Orientali hiſtoria, quam ſequenti ſæculo ſcripſit cap. XXI. Demum meditans Baido Danubii tranſitum, & duce Auſtriæ pontem defendente impeditus, ipſe ſe flumini commiſit, ſed aquarum impetu victus demerſus ipſe eodemque fato maxima copiarum pars aborta periit. Hæc Haito, qui dein notat nunquam deinceps Tartaros auſos fuiſſe in Germaniam irrumpere. MANSI



XIII. Scribunt etiam (*a*) Regem Anglorum ſubſidio comiti Marchiæ cum exercitu advolaſſe, atque apud Santonas hoſtiles exercitus concurriſſe; magno utrinque animorum ardore, magnaque pertinacia commiſſum prælium, in quo tandem, cum diu anceps fluctuaſſet victoria, attriti Angli, atque eorum Rex in fugam verſus triumphantis S. Ludovici impetum ſuſtinere non potuit. Receperat ſeſe una cum comite in Santonas: ſed cum tutum ſe inſequente victore non putaret, abſceſſit noctu, cives deditione facta, impoſitum ab Rege Francorum præſidium firmiſſimum admiſere.

Evocat in auxilium viri Henricum Regem. Angli a Francis fuſi. Santones ſe Regi Ludovico dedunt.

(*a*) *Nang. ubi ſup. Jonvill. hiſt. S. Lud. p.* 2. *& alii.*

XIV. Tantam adeptus victoriam D. Ludovicus non elatus eſt ſuperbia, quod malum victoribus familiare, ſed armis comparata jam maxima comitis rebellis ditionis parte, egregium clementiæ exemplum explicuit. Cum enim rebellem comitem toto comitatu deturbare poſſet, ad pacem, quam Hugo primogenitus petiturus acceſſerat, animos flexit; iiſque legibus inita concordia, (*b*) ut quæ eo bello armis parta eſſent, Alphonſus Regis frater obtineret; tribus arcibus comitis Marchiæ munitiſſimis Francorum præſidium imponeretur, ne defectionem amplius cogitaret. Subdit auctor, ut Hugo jam fractis rebus ſuis ſumma demiſſione cum Iſabella ad veniam implorandam acceſſerit. [1]

Hugo comes veniam a S. Ludovico efflagitat. Quibus legibus inita concordia.

(*b*) *Nang. de geſt. S. Lud.*

XV. *Comes quidem illuſtriſſimi Regis Francorum clementiam, & cordis pietatem eximiam non ignorans, in craſtino una cum uxore ſua ad Regem deveniens cum lacrymis, ſuſpiriis, ſingultibus genuflexo præſente Hugone filio ſuo primogenito & duobus aliis filiis, quos de novo Rex Angliæ fecerat milites, cœpit coram Rege humiliter proclamare: Depone domine mi Rex clementiſſime iram tuam, & ne amplius contra me movearis. Deſinat Rex dulciſſime jam indignatio tua, & miſerere mei. Cognoſco domine culpam meam, quam inique & ſuperbe egi adverſum te; tu mihi ſecundum multitudinem miſerationis tuæ dimitte iniquitatem. Ad hæc Rex, ſicut manſuetiſſimus, & ineffabili pietate, miſericordia motus, quibus totus ſemper in viſceribus erga miſeros & humiles affluebat * tam non valens in ira ſua miſericordiam continere, non potuit prædicti comitis illico non miſereri: immo quidquid erga ipſum idem comes deliquerat, humilitatem ejus conſiderans, ipſi miſericorditer condonavit: munitiones vero & caſtella, quæ ſuper ipſum Rex acquiſierat, quitavit comes Marchiæ in continenti comiti Pictavenſi.*

* *jam*

XVI. Pergit auctor, ut plures proceres potentia & armorum S. Ludovici terrore compulſi, ad illius obſequium procubuerint; cumque in Vaſconiam infeſta ſigna ad eam in ſuam poteſtatem redigendam inferre pararet, Henricum Angliæ Regem metuentem ſibi ne eas terras beneficiarias amitteret, magnis precibus inducias eblanditum, quas demum ad pietatem flexus S. Ludovicus, licet victorias circumferre latius poſſet, ad quinquennium conceſſit. Eadem de edomito Marchiæ comite tradunt Jonvillæus & Bernardus (*c*) auctor vitæ D. Ludovici apud Surium (*d*) aliique recentiores. De his Pariſius (*e*) fuſiſſime; & cui, ut ille ait, libido eſt male loqui, ſanctiſſimi Regis famam venenato dente carpere audet. At iis miſſi egregiam D. Ludovici vocem commendare annalibus viſum eſt. Laborabat apud plures Anglorum Regis exiſtimatio, atque etiam præſente Rege in contemptum ac ludibrium ob res male geſtas adducebatur, quibus D. Ludovicus: *Nolite ipſius famam laceſſere, vel iis ludibriis me in ipſius odium vocare: ipſius eleemoſynæ ac divina ſacrificia omnium periculorum terrore, hominumque contemptu illum vindicabunt.*

Henricus inducias quinquen. ægre obtinet.

(*c*) *Jonvill. ubi ſup. Bern. chr. Rom. Pont. & Reg. Franc. an.* 1242.

(*d*) *Sur. to.* 4. *die* 25 *aug.*

(*e*) *Par. hiſt. Angl. hoc an.*

XVII. Geſto feliciter eo bello S. Ludovicum expeditionem in Raymundum Toloſanum comitem meditatum a conventu præſulum eccleſiaſticorum vectigalium, vigeſimam ad delendas Albigenſium reliquias, cum hæc peſtis ſæpius recrudeſceret ad virorum religioſorum cæſorum ab hæreticis necem vindicandam obtinuiſſe refert Pariſius (*f*): quo tempore Raymundum comitem ad Fridericum Amalphim ſe contuliſſe ſcribit Richardus. Qua porro conſtantia Chriſti martyres illatam ſibi ab hæreticis necem exceperint, & inter carnificum fremitus Deo laudes decantarint, deſcribit Bernardus: (*g*) *Anno Domini MCCXLII.* IV. *kalen. junii in nocte aſſumptionis Domini frater Gui-*

Detrahentes nonnullos de Henr. Rege reprimit S. Lud. commendatis Henr. eleemoſynis.

(*f*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(*g*) *Bern. chr. Rom. Pont.*

* *aſcenſionis*



NOTÆ [1] IN collectione Martenii to. I. col. 1271. vulgata eſt charta Hugonis comitis Marchiæ, & Iſabellæ ejus uxoris, qua hominem ligium ſe præbent regi, & comiti Pictavienſi, additis conditionibus, quibus pax utrimque firmatur. Potiſſima eſt ut arces tres comitis Marchiæ dentur in pignus ſecuritatis regi Galliarum per quadriennium. Hic autem annorum terminus pro binis tantummodo arcibus aſſignatus eſt: quæ ſupererat tertia octo integris annis regi ſervanda erat. Signatur charta illa anno 1242. die feſta inventionis S. Stephani, ideſt die 3. aug. ex quibus intelligimus quonam potiſſimum menſe pax illa compoſita fuerit. MANSI

* *contra hæreticos*

Viri religioſi ab Albigenſibus interfecti. Illorum conſtantia.

*Guillelmus Arnaldi vir diſcretus, devotus, conſtans, atque invictiſſimus * hæreticorum cum duobus fratribus ſuis ſociis ordinis fratrum Prædicatorum, & frater Stephanus collega inquiſitoris cum ſocio ſuo ordinis fratrum Minorum, & Raymundus ſcriptor archidiaconus Lazatenſis Eccleſiæ Toloſanæ, & prior Avinioneti monachus de Cluſa, & Petrus Arnaldi notarius inquiſitionis, cum aliiis tribus apud Avinionetum Toloſanæ diœceſis contra hæreticos fidei perſecutores in aula ipſius comitis ab inimicis Dei & fidei hæreticorum credentibus fuerunt pro fide atrociter interfecti, cantantes: Te Deum laudamus, de mandato bajuli dicti comitis, qui eos illuc duxerat;* & nonnullis interjectis verbis: *Glorificavit autem tunc miraculis martyres ſuos Dominus, quæ alibi ſcripta habentur, & amplius glorificaſſet: ſed incredulitas illorum a quibus & inter quos paſſi ſunt, ſicut probabiliter creditur, impedivit.*

Miraculis poſt mortem coruſcant.

XVIII. Conjungimus his martyribus inſontis adoleſcentis clerici necem, qui cum, ut ſcribit Thomas Cantipratenſis, (*a*) ob ſolutiores mores in carcerem conjectus eſſet, ut pœnitentiam ageret, ab inimico nocte intempeſta occiſus eſt: cujus anima expiato ſcelere, cœleſti gloria donata, non aliam vindictam de homicida repopoſcit, quam ut criminis in ſe perpetrati pœniteret, ut ejus eccleſiæ viro pio cœlitus objecto viſo oſtenſum eſt: *Cum in Theutoniæ partibus circa annum Domini MCCXIII. adoleſcens quidam nobilis in lubricitate corporis exceſſiſſet, a ſenibus canonicis, & decano ab ingreſſu eccleſiæ arctatus eſt, & infra ſepta monaſterii, quaſi pro agenda pœnitentia, in loco ad hoc deputato recluſus. Qui humiliter valde pœnam ſuſcipiens flagellabatur interim a decano, & gravibus convitiis culpabatur. Eo autem adhuc in pœnitentia exiſtente, contigit eum a concanonico ſuo innocenter de nocte & latenter occidi. Uno ergo eadem nocte ex concanonicis viro ſancto poſt matutinas orante ſuppliciter in ſecreto, vidit ſubito totam eccleſiam illuſtrari, & apparente multo comitatu ſanctorum, glorioſam Virginem matrem Chriſti in medio omnium velut magiſtram & dominam conſidere, & ſuper diverſis negotiis univerſalis Eccleſiæ tractatum habere.*

(*a*) *Cantipr. l.1. c. 17. n.5.*

Cæleſte viſum viro pio objectum.

XIX. *His finem datis, patronus ejuſdem eccleſiæ exorſus eſt, dicens: Et qui ex vobis miſerebitur mei canonici, ut præſentem Domini noſtri Matrem pariter rogitemus, ut ſuper piaculo ejus ſolita pietate flectatur? Et mox ſupplicantibus ſanctis illata eſt anima, & omnibus dicitur: Quia locus iſte ſpecialiter diſciplina viguit, & adoleſcens iſte jam mortuus diſciplinam libens accepit, & ex corde pœnituit, pro purgatorio cedat ei mors innocens quam ipſe ſuſtinuit; tu autem anima pete quod vis & fiet tibi. Et anima: Pro occiſore, inquit, meo peto qui me occiſo ſtatim valde pœnituit, & ad Dominum Apoſtolicum confeſtim iter arripuit, ut ipſe miſericordiam conſequatur; & mox reſponſum accepit: Sicut digne petiſti anima, fiet tibi. Hæc ut audivit orans, canonicis quod vidiſſet, expoſuit: locum igitur introeuntes occiſum inveniunt, & deplangunt: occiſorem vero mox poſt factum de nocte iter arripuiſſe ad Apoſtolicum repererunt.*

Pœnitentis occiſi anima pro interfectore rogat ut criminis expiandi gratia illi concedatur.

XX. Henrici Regis Frid. primogeniti mors.

In Apulia Henricum Regem Germaniæ ob motam in parentem ſeditionem, affectatumque Imperium diuturni carceris ſquallore confectum hoc anno extinctum ſcribit Richardus: *Henricus primogenitus Imperatoris tentus apud Martoranum naturali morte defungitur*. At non defuere qui ipſius mortem a parente procuratam exiſtimarint (*b*). Verum ſive id ſcelus admiſerit, vel ab eo abhorreret, extinctum filium planxit, quem vivum crudeliſſime habuerat; datiſque literis ad Siculos præſules funebrem ab iis pompam inſtrui, ac juſta perſolvi imperavit, quas Richardus (*c*) ad abbatem Caſſinenſem ſcriptas adducit.

(*b*) *Ptol. Lucen. in annal. an. 1245.*

(*c*) *Rich. in chron. hoc ann. Extat etiam in MS. lit. Frid.*

XXI. Friderici de ea lit.

*Fridericus, &c. abbati Caſſinenſi.*

*Miſericordia pii patris, ſeveri judicis exuperante judicium, Henrici primogeniti noſtri fatum lugere compellimur, lacrymarum ab intimis educente natura diluvium, quas offenſæ dolor & juſtitiæ rigor intrinſecus obfirmabant. Mirabuntur forſitan diri patres invictum publicis hoſtibus Cæſarem dolore domeſtico potuiſſe convinci; ſubditus eſt tamen cujuſvis principis animus, quantumvis rigidus, naturæ dominantis imperio, qui dum vires ſuas exercet in quemlibet, Reges & Cæſares non agnoſcit. Fatemur quod qui vivi Regis ſuperbia flecti nequivimus, ſumus ejuſdem filii noſtri caſu convicti: ſumus tamen eorum nec primi nec ultimi, qui detrimenta pertulerunt tranſgredientium filiorum, & nihilominus illorum funera deplorarunt. Luxit namque David triduo primogenitum Abſolonem, & in Pompeii generi ſui cineres fortunam & animam ſoceri perſequentis magnificus ille Julius primus Cæſar paternæ pietatis officium & lacrymas non negavit; nec dolor acerrimus ex tranſgreſſione conceptus eſt efficax parentibus medicina doloris, quod in obitu filiorum natura pungente non doleant contra naturam a filiis licet irreverenter offenſi. Nolentes igitur nos, & non valentes circa prædicti filii noſtri funus omittere, quæ ſunt patris, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus quatenus per totam abbatiam cunctis clericis, & cæteris fidelibus noſtris injungas, ut ejus exequias omni cum devotione ſolemniter celebrantes, animam ejus cum decan-*



*tatione miſſarum, & aliis eccleſiaſticis ſacramentis divinæ miſericordiæ recommendent, manifeſtis inditiis oſtendentes, quod ſicut in gaudiorum noſtrorum tripudiis exultant hilariter, ſic & doloribus noſtris condolere fideliter videantur. Dat. &c.*

XXII. Montagnana divino judicio exuſta.

Exercuiſſe hoc anno numen divinæ juſtitiæ exemplum in municipium Italiæ populo refertiſſimum, cui Montagnanæ nomen erat, ſcribit monachus Patavinus his verbis (*a*): *In menſe martio populoſa Montagnana eſt divino judicio concremata*. Addit auctor Ezelinum audita illius funeſta clade mox ad locum occupandum advolaſſe, ſuæque tyrannidi ſubjeciſſe. Abſolvimus hunc annum rebus Terræ ſanctæ quæ divino præſidio confirmatæ fuerunt: tradit enim Pariſius (*b*) Templarios cœleſti ope fultos præclaram de hoſtibus victoriam retuliſſe. [1]

(*a*) *Mon. Pad. chr. l.1. hoc ann.*

Occupatur ab Ezelino.

Templarii Sarracenos profligant.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. hoc. ann.*

Ere-

NOTÆ [1] DE combuſtione Montagnanæ, adnotanda eſſe hic arbitror quæ ſcripſit Rolandinus in chronico Marchiæ Tarviſinæ lib. 5. cap. 8. *Nocte quadam menſe martii Eccelinus venit de Verona Leonicum, & ibi occulte ſtando fecit ignem poni in Montagna, quæ tunc tenebatur pro parte Marchionis* ( Eſtenſis ) *volens ipſam aut per ignem capere, aut Marchionem habere ſi poſſet. Ipſe quoque Marchio, manens in roccha Eſtenſi, viſis primis ignibus cum gente ſua velociter cucurrit Montagnam, & hoc proinde inquiſito, quod non multum diſtaret Veronenſis militia cum Eccelino. Videns etiam quod plures ignes quaſi ex improviſo levabantur per Montagnam, notavit proditionem, & nefas. Igitur jubens & ipſe ignem poni; ex illa hora ſanus & incolumis eſt reverſus ....... habuit Eccelinus ſequenti die Montagnam combuſtam.* Arſit ergo Montagnana non quidem igne a Deo vindice miſſo, ſed clam ab hoſte injecto. Eſt autem Montagnana nobile oppidum in ditione Patavina inter occidentem & meridiem urbis. MANSI

I. ERexit ſeſe novi Pontificis electione, luctumque præteritum illius præſentia deterſit Rom. Eccleſia anno Domini quadrageſimo tertio ſupra milleſimum ducenteſimum indictione prima, cum diu antea in mœrore jacuiſſet. Hoc enim anno junio menſe cum ſedes Apoſtolica anni unius atque octo menſium ſpatio & amplius vacaſſet, jamque ſub ferociente Friderici inſolentia fatiſceret, Innocentius IV. gubernacula ſuſcepit; quæ antequam attingamus, geſta ante ejus electionem percurrenda. Porrectam ſibi vacante ſede egregiam opprimendæ Eccleſiæ Romanæ, Urbiſque in ſuam poteſtatem redigendæ occaſionem arbitratus Fridericus, cinctus validis copiis, e Sicilia citeriore in Campaniam irruptione facta, infeſta ſigna in Romanos extulit, ut ſcribit Richardus (a) hujus tragœdiæ ſpectator: *Menſe*, inquit, *maii de Capua movens, & per S. Germanum tranſitum habens & per Agnum, apud Flagellam ſe contulit, ubi faciens aliquandiu moram inde per Campaniam facto itinere, ſuper flumen Ceparani tranſitum habens, ſuper Urbem vadit, ubi turres nonnullas funditus fecit everti, faciens in aliis etiam quam potuit vaſtitatem.*

Fridericus Romam obſidione occupare tentat.

(a) *Rich. in chron. hoc ann.*

II. Tenuiſſe porro duos menſes Urbis obſidionem tradit Ptolomæus Lucenſis, (b) quibus conſentit Pariſius (c), qui Fridericum obſidendæ Urbis illum colorem prætendiſſe ait, Romanos ſua ambitione, ac diſcordia creationem novi Pontificis diſturbaſſe: illos vero culpam in Cardinales animis, ac locis ſegregatos, ac diſcrepantes derivaſſe, nec minus ſtrenue ſe adverſus illius impetus defendiſſe: interea Fridericum edicto ſanxiſſe, ut poſſeſſiones & eccleſiæ Cardinalium & ditionis pontificiæ urbes hoſtili vaſtitate delerentur; eoque tempore Albam prænobilem urbem ab Sarracenis vaſtatam, nulloque diſcrimine in omnes ſævitum, ipſaſque eccleſias direptas, ac ſacra omnia prophanata; demum Cardinalium precibus flexum modum iræ poſuiſſe; a quo non diſcrepat Richardus, qui illatam ab Friderico, quam inferre potuit, vaſtitatem dixit, adiicitque: *Et tunc ad preces Cardinalium ab Urbe diſcedens eſt reverſus in regnum.*

(b) *Ptol. Lucen. in annal. hoc ann.*
(c) *Par. hiſt. Angl. eod. ann.*

Quas ſæviendi cauſas prætenderit.

III. Favere in eo novi Pontificis creationi quam incenſo ſtudio fucatis verbis ambire præ ſe ferebat, viſus eſt, quod multis principum precibus frangi demum paſſus eſt, ut Cardinales, quos Amalphitanus carcer tenebat, vinculis emitteret. Liberatum e ſervitute Othonem tit. S. Nicolai diaconum Card. demonſtrant literæ (d) Cardinalium Sede vacante hoc anno in gratiam Capotii canonici Baſilicæ S. Petri, cui vectigalia cujuſdam eccleſiæ ipſi a Gregorio antea erepta ab abbate e Wareduna reſtitui jubent, exaratæ, in quarum titulo ſubjecto nomen Othonis cum cæteris collocatum reperitur: *Miſeratione divina R... Oſtienſis & Velletrenſis I.. tit. S. Praxedis S.. tit. S. Laurentii in Lucina S.. tit. ſanctæ Mariæ in Coſmedin C.. ſanctorum Coſmæ & Damiani, O.. ſancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi S. R. E. Cardinalis religioſo viro abbati de VVareduna, ſalutem in Domino, &c.*

Othonem carcere Amalphitano liberat.

(d) *Ext. apud Pariſ. hiſt. Angl. hoc ann.*

IV. Cum Jacobi Præneſtini epiſcopi nomen in illis deſideretur, nondum tunc e vinculis relaxatum colligitur, quibus Richardus e S. Germano conſentit, dum ait Othonem diaconum Cardinalem menſe junio ſuperioris anni reſtitutum libertati, quo tempore Jacobum epiſcopum Præneſtinum Tybure ad cuſtodiam revocatum affirmat: infenſo enim in eum animo fuiſſe Fridericum ob Placentinos olim inter ſe conciliatos, cum eam rem in ſuum damnum vergere interpretaretur, ſuo loco dictum eſt. At demum Jacobum laxatum e vinculis hoc anno menſe majo idem auctor teſtatur (e) his verbis: *Eo menſe*, nimirum majo, *Præneſtinus epiſcopus Imperatore mandante liberatus eſt; apud Anagniam ad Cardinales cum honore remiſſus.* Ad id porro Cardinalium precibus flexum tyrannum fuiſſe indicat Innocentius IV. in literis (f) ad nuncios Apoſtolicos, qui apud Fridericum verſabantur, exaratis; in quibus illum ob Præneſtinum epiſcopum redditum libertati præclare ſe geſſiſſe; non laxatis vero e vinculis aliis præſulibus turpem maculam ſuſcipere reſpondet; quibus conſentientia tradunt Pariſius & alii.

Jacobum ep. Præneſt. emittit e vinculis.

(e) *Rich. e S Germ. in chr.*

(f) *Inn. l. 1. ep. 89.*

V. Igitur Anagniæ cum conveniſſent S. R. E. Cardinales communibus ſuffragiis Sinibaldum Cardinalem Pontificem renunciarunt, cujus creationem menſe junio celebratam refert Richardus: *Menſe junio Sinibaldus tit. S. Laurentii in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus eſt voluntate & conſenſu omnium Cardinalium.* Diem vero menſis, quo electus & ſacris pontificalibus delibutus eſt, notat Pariſius his verbis: *Ipſo quoque anno*, hoc ſcilicet, *die nativitatis S. Jo. Baptiſtæ creatus eſt in Papam dominus Sinibaldus Cardinalis poſtquam vacaverat ſedes papalis per annum & novem menſibus, & die Apoſtolorum Petri & Pauli confirmatus & conſecratus eſt: & vocatum eſt nomen ejus Innocentius IV.* Ex his perſpicuum eſt Innocentium

Sinibaldus Card. Anagniæ in Pont. eligitur.

Innocen. IV. nomen ſibi imponit.



tium IV. hoc anno ſolium Apoſtolicum conſcendiſſe, atque demonſtrant ejus literæ, ut ſupervacaneum exiſtimemus ſcriptores alios, qui idem affirmant, enumerare, e quibus eorum error depellitur, qui ad annum ſuperiorem (a) vel proximum ſequentem (b) electionem Innocentii contulere.

(a) *Monach. Pad. chro. l. 1. Dlugoſch. hiſt. Pol. l. 7. & alii.*
(b) *Albert. Stad. in chron. Blond. dec. 2. l. 7. Crantz. hiſt. Saxon. l. 8. c. 11. & alii.*

VI. De electionis die idem plerique alii, qui tamen non tertio, ſed quarto kal. julias ſacris pontificalibus initiatum tradunt, ac ſedem antea annum unum, menſes octo, dies quindecim vacaſſe, ipſumque Pontificem annos undecim menſes quinque dies quinque ſediſſe teſtantur. Scribit Henricus Stero (c) Sinibaldum, quem ipſe Symbaldum appellat, antequam Romanus Pontifex ſalutaretur, S. R. E. diaconum Cardinalem extitiſſe: cæteri tamen pene omnes presbyterum nominant, quamvis nonnulli S. Martini (d) & alii S. Laurentii in Lucina titulo inſignitum affirment; quam poſteriorem ſententiam Gregorii IX. literæ ad ipſum, tum Piceni præfectum datæ confirmant, (e) atque hic eſſe videtur, cujus nomen cum cæteris Cardinalibus in allato ſupra literarum titulo adjectum eſt. Ipſum vero nobili Fliſcorum Lavaniæ comitum genere ortum omnes conſentiunt.

(c) *Stero in annal. apud Caniſ. antiq. lect. tom. 1. p. 267.*
(d) *Guill. Nang. in geſt. S. Lud.*

Genus e comitibus Lavaniæ duxerat.

(e) *Greg. IX. lib. 14. ep. 109.*

VII. [1] Suſceptis Eccleſiæ gubernaculis novus Pontifex de ſua creatione univerſos Chriſti fideles encyclicis literis, ut moris erat, certiores fecit, quæ in ipſius regeſto (f) Rhemenſi archiepiſcopo ac ſuffraganeis inſcriptæ ſunt: quibus enixe commendavit, pacem ardentiſſimis precibus a Deo flagitarent, ut barbarorum furorem a Chriſtiano populo averteret.

(f) *Inn. IV. l. 1. ep. 1.*

*Innocentius, &c.*

*Felicis recordationis Cæleſtino Papa prædeceſſore noſtro, qui bonæ memoriæ Gregorio Papæ ſucceſſerat, infra modicum temporis ſpatium ſoluto carnis debito cenſuali ad ſuperos, ut credimus, ut introeat in potentias Domini evocato, ac ejus, ut moris eſt, exequiis in craſtino celebratis, poſt vacationem diutinam, quæ peccatis exigentibus propter malitiam temporis intervenit, fratres ad tantum ſubrogandi paſtoris officium Anagniæ convenientes in unum, tandem Spiritus ſancti gratia invocata in nos providentiæ ſuæ oculos injecerunt, imbecillibus humeris faſcem tanti oneris imponere decernendo. Nos autem noſtræ infirmitatis & inſufficientiæ conſcii vehementer expavimus hoc audito, quia mens cœpit refugere, cor tremere, pondus importabile recuſando, & ad renitendum omnino diſpoſuit totis effectibus ſe armare. Verum ne diutina reluctatio in hoc tempeſtatis articulo aliquid diſcriminis pareret, cum temerarium videretur divinæ diſpoſitioni penitus obviare; ad illum noſtros oculos attollentes, qui dat laſſo virtutem, & largitur munera in ſe ſperantibus affluenter; quique noſtrum conſiderans imperfectum, cum ſit ſufficientia omnium, inſufficientiam noſtram ſupplebit ſuæ abundantia largitatis, dando gloriam nomini ſuo magno; vocationi divinæ conſenſimus, & debiles humeros de ſuperna virtute confiſi ſubmiſimus ad portandum tanti ponderis gravitatem.*

Efficit præſules de ſua electione certiores.

*Vos*

NOTÆ

[1] HOc anno poſt diuturnum anni unius, & menſium ſeptem interpontificium tandem cardinales in Sinibaldum presbyterum cardinalem S. Laurentii in Lucina convenerunt. De anno electionis uno aſſenſu veteres conveniunt. Quanquam enim Nicolaus de Curbio ordinis minorum, qui a ſacris & a confeſſionibus eidem cardinali ad pontificiam dignitatem tranſlato aſſiſtens vitam ejus ſcriptis mandavit, a Baluzio in to. VII. miſcellan. pag. 353. vulgatam; licet, inquam, Nicolaus annum ejus aſſumptionis MCCXLII. aſſignat, mendum tamen irrepſiſſe in textum ex ſequentibus conſtat; re ipſa enim ſcripſit annum MCCXLIII. Quoad menſem pariter ambigere nos non permittit Richardus a S. Germano, qui hoc anno ſcribere deſiit, quique cum veteribus omnibus junio menſe electum Sinibaldum in principem ſub Innocentii IV. nomine affirmat. Majus diſſidium eſt inter coævos ſcriptores de die, nam Pariſius diem natalis S. Joannis Baptiſtæ aſſignat, alii proximum ſequentem 25. Junii, quorum ſententia nunc tandem veritati conſentire planum factum eſt. Nam Fridericus in ea, quam ad ducem Brabantiæ de electione Sinibaldi in pontificem ſcripſit epiſtola, diſerte id exprimit: *die ſequenti poſt primum tranſactum feſtum S. Joannis Baptiſtæ, quemdam de fratribus eorum nomine magiſtrum Sinibaldum tituli S. Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, votis concordibus, in ſummum pontificem aſſumpſerunt.* Epiſtolam hanc legas in ſupplemento epiſtolarum Friderici II. vulgato in collectione monum. Martenii tom. II. col. 1134. Conſonat Nicolaus de Curbio, qui renunciatum illum ſummum ſacerdotem aſſerit die VI. exeunte junio menſe, die ſcilicet XXV. junii; tum addit poſtmodum *IV. Kal. julii feliciter conſecratus.* Quæ ſane dies conſecrationi aptiſſima erat, cum in dominicam inciderit. Ex quo eruitur erraſſe Pariſium ſcribentem conſecratum illum die apoſtolorum Petri & Pauli. Supereſt ut certum aliquid definiamus de interpontificio Cæleſtinum inter & Innocentium, qua in re erratum fere ab omnibus ſcriptoribus etiam coævis, miror. Nam alii ad menſes XXII. prorogant, ut Nicolaus Trivettus in chronico. Alii ad biennium, ut Nangius in chronico; alii ad annum, & decem menſes, ac dies ſex, ut Nicolaus de Curbio, qui tamen totum interpontificium quod ab obitu Gregorii uſque ad aſſumptionem Innocentii excurrit forte ſupputavit. Verum ſi obitum Cæleſtini diei XVII. vel XVIII. menſis novembris anni MCCXLI. aſſignemus; qua de re dubitare nos Rolandinus, diligens, & coævus author, minime permittit, interpontificium iſtud ultra annum, menſes ſeptem, & dies octo prorogari non poteſt. MANSI

VIII. Hortatur ad ſtrenue obeundum pontificale munus.

*Vos itaque fratres, qui eſtis ad cuſtodiam gregis Dominici deputati, rogamus attentius, & hortamur in Domino, omnem curam & ſolicitudinem ſubinferentes ad ſerviendum digne Deo per omnia, & implendum legitime paſtorale miniſterium, quod ſumpſiſtis, miniſtrare in fide virtutum forma facti gregis ex animo, ut cum oves per ſacrum profluvium oris veſtri aquas hauſerint in gaudio de fontibus Salvatoris, viderintque virgas paſtorum detractis corticibus vanitatis & voluptatis divino candore nitentes, in contemplatione ipſarum affectiones mundas concipiant, & unicoloris fœtus pariant maſculinos digne Chriſto Domino paſtorum principi offerendas. Non ceſſetis autem pro nobis per vos veſtroſque ſubjectos aſſiduas preces effundere, ut ſua clementia de cœlis mittat nobis ſapientiam aſſiſtricem ad regendum populos nobis commiſſos, quæ nos doceat cum Domino ſolicite ambulare, ac id agere coram eo, quod nunc ſibi & omni tempore ſit acceptum, ut de ſua plenitudine accipientes gratiæ largitatem dignam Domino rationem de ſuſcepto miniſterio reddere valeamus.*

IX. Ad preces pro ſalute Chriſtiani populi fundendas.

*Flagitate inſuper quotidiana inſtantia, ut pacem Eccleſiæ ſuæ tribuat, & populo Chriſtiano barbaricam rabiem conterat, & gentem perfidam paganorum de finibus Chriſtianorum depellat. Nos enim honorare vos diſponimus & diligere velut fratres, & in veſtris neceſſitatibus vobis adeſſe, actore Domino, utiliter & prodeſſe. Cæterum cum portitores hujuſmodi literarum interdum eſſe conſueverint exactores, volumus & mandamus, ut latori præſentium præter victum, & ſi eum infirmari contigerit, neceſſaria, nihil penitus tribuatis, cum de non recipiendo præſtiterit juramentum, & alias pro labore, & expenſis ſibi congrue ſatisfiat. Datum Anagniæ* VI. *nonas jul. pontificatus noſtri an.* I.

X. Gratulatur illi de obtento Ap. dignitatis gradu Frid.

Interea Fridericus cum accepiſſet Innocentium ad ſolium Apoſtolicum provectum, lætitiam præ ſe tulit, ut teſtatur Richardus, qui de pontificia creatione locutus ſubdit: *Quo audito Imperator, qui tunc erat Melfiæ, ubique per regnum laudes juſſit Domino debitas decantari.* Tum de miſſis ab illo oratoribus ſubiicit: *Menſe julio Imperator ad Papam mittit apud Anagniam Berardum Panormitanum archiepiſcopum, magiſtrum Petrum de Vinea, & magiſtrum Tadæum de Sueſſa pro bono pacis, a quo benigne ſatis recepti ſunt, & benignum ad principem retulerunt reſponſum.* Extant ejus literæ in bibliotheca noſtra (*a*) fucati amoris notis ad eblandiendam illius gratiam aſperſæ, quas tum ut tantum honorem recens adeptum Innocentio gratularetur, miſit; in quibus perſtricta Romana Eccleſia, quam novercam non matrem antea ſenſiſſe queritur, meliores ſibi ſpes ſub eo Pontifice, qui e nobilibus Imperio ſuo obnoxiis originem duxerit, affulgere filiique Eccleſiæ optatum nomen ſibi reſtitutum iri gloriatur.

(*a*) *In MS. Vallicell. ſign. B.* XII.

Ejuſdem de eo lit.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri domino Innocentio Dei gratia S. R. E. ſummo Pontifici Fridericus eadem gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Jeruſalem & Siciliæ Rex ſalutem, & reverentiam filialem.*

XI.

*Audita ſummis expetita conſiliis & ardentibus deſideriis expectata ſummi ſubſtitutione Pontificis, in qua venerabilium fratrum voluntate concordi, & unica generalis voti poſtulatione fuiſtis Deo actore promoti, tanto major nobis acceſſit ex veſtra promotione jucunditas, quanto ſubtractum dulce filii nomen, quod viduitas matris abſtulerat, in data nobis novi ſubrogatione parentis non immerito gaudere confidimus reſtitutum, ut paterno nomini piæ proviſionis omen adveniat, per quod expectanti filio, & novercalem quodammodo dudum injuriam jam perpeſſo recte dicat Eccleſia: Fili ecce pater tuus, in cujus affectione filius reſpirabit; & ad patrem converſa reſpondeat: Pater ecce filius, quem materna ubera lactaverunt, in cujus obſequiis pia paternitas requieſcet. Datum eſt enim vobis e cœlo Innocentii prædeſtinata ſorte vocabulum, quod per vos nocentia ſubtrahi conſultius innuat, & pie ſuadeat innocentiam conſervari.*

XII. Tranſmittit oratores.

*Adveniſtis quoque nobis e nobilibus Imperii filiis vetus amicus, novum creatus in patrem, per quem confidat Imperium vota pacis & ſuæ juſtitiæ inviolata ſervari. Quapropter ad reverendum patrem dominum Inocentium Apoſt. ſedis antiſtitem per fratrem Girardum de Marpurg, venerabilem magiſtrum domus S. Mariæ Theutonicorum in Jeruſalem, Anſaldum de Mari ſacri Imperii & regni Siciliæ ammiratum, magiſtrum Petrum de Vinea, & magiſtrum Tadæum de Sueſſa magnæ curiæ noſtræ judices, & magiſtrum Rogerium Porcaſtrellam Meſſanenſem decanum capellanum & fideles noſtros, quos de latere noſtro ad veſtram præſentiam deſtinamus noſtræ ſerenitatis nuncios & legatos, conceptæ ſpiritu devotionis accedimus, & in eorum affatibus tam devote, quam hilariter nos veſtro conſpectui præſentamus. Iidem vero nuncii noſtri, tanquam intime conſcii voluntatis noſtræ, devotionis ad patrem veraces erunt interpretes tam nos, quam potentiam noſtram, Imperium & regna, quidquid & in bonis noſtris exiſtit veſtris beneplacitis ad honorem Eccleſiæ & favorem omnimodum eccleſiaſticæ libertatis, quantum cum Deo ſalvis jure & honore ſacri Romani Imperii poſſumus, obnixius offerentes, illam ad nos utinam reverendi paſtoris benevolentiam relaturi, per quam erga debitam patris & omnem honorificentiam filialem totis affectibus ac expertis effectibus pluſquam aliquis devotus filius effundamur. Dat. apud Beneventum* XXVI. * *junii primæ indict.*

Multis verborum officiis proſequitur.



* *julii*

At vaferrimum principem fraudes ſuas, atque inſidias hac pompa officiorum ſubornaſſe, rei exitus illuſtravit. Profecto ſunt qui tradunt Fridericum, utpote improbæ mentis ſuæ conſcium, tanti viri electionem iniquiore animo tuliſſe, ac nuntiantibus Sinibaldum Pontificem creatum, mœſta voce ſubjeciſſe, ex optimo amico Cardinale ſe infenſiſſimum hoſtem Pontificem habiturum; quam vocem an Fridericus vere protulerit, an ex eventu illi affiĉta fuerit, fides ſit penes auctores.

XIII. Innocentius legatos ad Frid. pro tractanda pace mittit.

Adducendæ conjungendæque pacis ſtudio Innocentius legationem ad Fridericum horum temporum turbinem ac facem decrevit, quam P.. Rothomagenſi archiepiſcopo, Willelmo olim epiſcopo Mutinenſi viro ſanctitate, atque ampliſſimis rebus geſtis & legationibus in Germania ac ſeptentrionalibus regnis clariſſimo, atque Guillelmo S. Facundi abbati, quem a Ferdinando Rege Caſtellæ & Legionis motæ inter Fridericum & Gregorium diſſenſionis initio ad tentandam concordiam miſſum antea vidimus (*a*), qui omnes poſtea in Cardinalium collegium cooptati fuere, quemadmodum in ſententia perſpicitur, quam Innocentius in Lugdunenſi ſynodo adverſus tyrannum tulit, noſque ſuo loco referemus. Extant monita (*b*) apoſtolica legatis tradita, quibus ad rem cum Friderico gerendam inſtruerentur. In primis ſignificarent Friderico deſiderio magno conciliandæ pacis Pontificem teneri: poſcerent ab ipſo, ut captos præſules priſtinæ aſſereret libertati; ſciſcitarentur qua ratione in iis facere ſatis in animo haberet, pro quibus anathemate defixus eſſet: ſi Eccleſia injuria aliqua ipſum affecerit, quam non intuliſſe putat, ad eam ſarciendam paratiſſimam, ac tum concilium œcumenicum coactum iri, in quo omnes principes ſuos oratores mittere rogabuntur, ut mutuo omnes irrogatæ injuriæ reſarciantur. [1]

(*a*) *An.* 1239.

(*b*) *Inn. l.* 1. *ep.* 84.

*Iſti ſunt articuli quos portaverunt nuntii ſedis Apoſtolicæ ad Imperatorem.*

XIV. Flagitat ut præſules captos e vinculis dimittat. Offert paratum ſe ad cogendam ſynodum ut e Regum & prælatorum conſilio mutuæ inflictæ injuriæ ſarciantur.

*Proponant nuntii quod dominus Papa, & fratres ſui deſiderant, quantum in eis eſt, per omnia habere cum principe & cum omnibus hominibus, & parati ſunt quantum in eis eſt, pacem dare & tranquillitatem ſibi & univerſo mundo, & utinam hoc principi placeat vel eam non impediat, quia magnum præambulum eſt & utile ad tractatum pacis. Si reſtituantur prælati & clerici omnes captivi quos detinet, & omnes tam clerici, quam laici, quos cepit in galeis rogent, & petant quod eos debeat reſtituere, cum hoc ipſum ipſe & nuntii ſui promiſerint ante promotionem noſtram. Item proponant quod ipſi pro nobis parati ſunt audire, & tractare de pace, & audire ſatisfactionem, quam vult facere princeps de omnibus, pro quibus excommunicatus eſt.*

XV.

*Item offerant quod Eccleſia, ſi in aliquo contra debitum læſit eum, quod non credit, parata eſt corrigere, & in ſtatum debitum reformare: & ſi princeps dicat quod in nullo læſit Eccleſiam contra juſtitiam, vel ſi dicat quod nos læſimus eum contra juſtitiam, parati ſumus vocare Reges, prælatos, & principes, tam ſæculares, quam eccleſiaſticos ad aliquem tutum locum, ut per ſe vel ſolemnes nuntios illuc veniant, & de conſilio concilii parata eſt ſatisfacere principi, ſi in aliquo eum læſit, & revocare ſententiam, ſi quam injuſtam contra eum tulit, & cum omni manſuetudine & miſericordia, quantum cum Domino & honore Eccleſiæ fieri poteſt, recipere ab eo ſatisfactionem de injuriis & offenſis ſibi & ſuis irrogatis. Item hoc ſciat princeps quod omnes amicos, & adhærentes Eccleſiæ vult Eccleſia in pace ponere, ac plena ſecuritate gaudere, quod nunquam hac occaſione poſſint ſubire aliquod diſcrimen.*

XVI.

Quid vero legati apud principem egerint, quidve ab ipſo reſponſi acceperint, redditis ad legatos literis (*c*) inſinuavit; quibus ipſos uti ejus iras emollituri querelaſque refutaturi eſſent, erudivit Ponti-

(*c*) *Ib. ep.* 89.



NOTÆ [1] Pontificatum adiens Innocentius nihil habuit antiquius, quam ut delectos viros ad pacem cum Friderico tractandam mitteret. Deſtinatos in eam rem ſcribit Nicolaus de Curbio in vita Innocentii IV. apud quem a ſacris, & a confeſſionibus erat, Petrum Rotomagenſem archiepiſcopum, Guillelmum abbatem S. Facundi, & Nicolaum Reginum epiſcopum. Verum cum Nicolai hujus nomen in literis pontificis ad eoſdem legatos ſuos directis, recitatiſque in annalibus num. 17. non legatur; ejuſdemque loco epiſcopus Mutinenſis, a Nicolao de Curbio omiſſus, appareat; ideo difficultati huic expediendæ, adnotanda cenſeo, ea quæ vetus author memorialis Poteſtatum Regienſium vulgati a Muratorio Rer. Italic. to. VIII. col. 1112. opportune ad hunc annum monuit: *Mortuo domino Nicolao Regienſi epiſcopo in curia domini Friderici imperatoris, & ſepulto in terra Melfi* (quo legatos pontificios imperatorem conveniſſe Nicolaus pariter affirmat) *electus fuit dominus Guizolus Albricanum præpoſitus S. Proſperi de caſtello*, quo tamen, ob vitiatam forte electionem exauthorato, Guilielmus de Foliano præfuit. En igitur quæ cauſa fuerit alterum alteri legatum ſubſtituendi. MANSI

Poſtulat Frid. ut legatus ex Inſubria revocetur.

tifex. Queſtus in primis fuerat legatum, uti popoſcerat, ex Inſubria non revocatum: ſperabat enim Fridericus abſente legato Inſubres in ſuam poteſtatem redactum iri, cum plures ex iis ſuis partibus addictos haberet, maximæque vigerent inter reliquos diſcordiæ, quas niſi legatus ſæpius ſopiviſſet, ut commune periculum propulſarent, ſub Friderici potentia ſuccubuiſſent. Cumulabat alias querelas, Præneſtinum epiſcopum Cardinalem, ac nonnullos præſules a ſe liberatos, Salinguerram vero in vinculis a pontificiis teneri. Cæterum Maguntinum archiepiſcopum publicum hoſtem dignitate a ſede Apoſtolica auctum, ac jus contra illius gratiam denegari: demandatum Avenionenſi epiſcopo in Toloſani comitis injuriam legationis munus: apud Inſubres hæreſim latius graſſatam, nec Pontificem excindendæ illi peſti incumbere: denique ſuos oratores in pontificium conſpectum magno imperatoriæ majeſtatis contemptu non admiſſos. Ad has ergo infringendas querelas Eccleſiæque æquitatem illuſtrandam Pontifex his literis nuntios inſtruxit.

Friderici de Innoc. querelæ.

*Archiepiſcopo Rothomagenſi & epiſcopo quondam Mutinenſi & abbati S. Facundi nuntiis Apoſtolicæ ſedis.*

XVII. *Literas veſtras benigne recepimus & earum tenorem pleno collegimus intellectu. Sane inter cætera, quæ ipſæ literæ continebant, accepimus quod princeps ſuper quibuſdam de nobis conqueritur, & aliqua nihilominus a nobis inſtanter expoſcit. Porro ſi rei veritas & temporis qualitas diligentius attenduntur, nec ſuæ in hac parte querelæ, nec petitioni locus ad præſens eſſe videtur: nam cum Rom. Eccleſia cunctorum fidelium gerens curam frequenter ad diverſas mundi partes legatos dirigat, ne poſtponat abſentes, quorum tenetur procurare ſalutem, & in Lombardiam olim pro illius terræ utilitate communi legatum duxerit deſtinandum; idemque princeps poſtquam fuimus ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti reliquias patrimonii ejuſdem Eccleſiæ, quod tempore felicis recordationis Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri fere occupavit in totum, non ceſſavit multipliciter impugnare: quin potius illas afflictionis manu attriverit gravioris; nec digne ab eo petitur prædictum revocari legatum, nec eſſet ei ſuper hoc a nobis, rebus ſic exiſtentibus, exauditionis tribuendus auditus; maxime quia Lombardis diu guerrarum commotione turbatis optatæ ſpes conſolationis ex legati ejuſdem tolleretur abſentia, & aditus ad majora eorum diſcrimina præberetur; & non abſque nota proditionis Eccleſia ſic ipſos deſereret, ni prius remiſſionem ab eodem principe obtinerent, vel cum ipſo treugas inirent ſuper injuriis, quas eos ſibi occaſione dicit ejuſdem Eccleſiæ irrogaſſe: nec ab ipſius Eccleſiæ Rom. Cardinalibus ea vacante fuit ei præfati revocatio promiſſa legati, ſed cum de venerabili fratre noſtro Peneſtrino epiſcopo, aliiſque liberandis captivis haberetur tractatus; & ab eiſdem Card. ut legatum revocarent eundem, ex parte principis peteretur ipſius, a quibuſdam eorum reſponſum extitit, quod petitiones ejus, quantum cum Deo poſſent, cum adeſſet opportunitas temporis, adimplerent.*

Reſpondet Inn. legatum ex Inſubria revocari non poſſe.

Ob infeſtos Friderici reliquas Patrimonii terras occupare molientis conatus. Inſubres niſi pacem cum iis vel inducias ineat ſine proditione deſeri non poſſe.

XVIII. *Multum autem gaudendum eſt principi, quod dictum Peneſtrinum & quoſdam alios reſtituit libertati, & dolendum ſatis, quod reliquos adhuc detinet captivatos, cum ex illorum reſtitutione ſalus ac honor, & iſtorum detentione contrarium ei proveniſſe noſcatur. Provide quoque deberet attendere, an Eccleſiam, quam ſæpius vocat matrem, revereatur ut convenit, & ejus ut decet fideles honoret. Quomodo enim verbis matrem illam aſſeret, ſi ſe ipſius filium operibus diffitetur? Aut quomodo erga eam devotionem dicto prætendit, ſi ſe ſic facto exhibet indevotum? Salinguerræ vero liberatio, ſuper qua nunc primo ipſius principis intelleximus voluntatem, incongrue poſtulatur a nobis, cum nec detineamus illum, nec detineri aliquatenus faciamus (illum a Venetis in vincula adductum ſuperius vidimus) qui ſi per nos etiam teneretur, cum civitatem Ferrariam ſedis Apoſtolicæ ſpecialem, ſicut ex ejuſdem principis & prædeceſſorum ſuorum privilegiis poteſt liquido apparere; pro qua idem Salinguerra vaſſallus erat ſedis ipſius, contra Romanam Eccleſiam concitarit, & in rebellione captus extiterit civitatis ejuſdem, non ex hoc princeps ipſe juſta poſſet admiratione moveri. Veruntamen ſi oſtendi poterit coram, quod ratione pacti, vel promiſſionis alicujus debeat liberari, ſuper hoc quod debebimus, faciemus.*

Præclare egiſſe Frid. in Jacobo Card. liberando; in aliis vero præſulibus detinendis male ſe gerere. Piis illius verbis opera non conſentire. Salinguerram a ſe non detineri.

Captum in perduellione fuiſſe. Si quid de eo conventum pacta ſervaturum.

XIX. *Cæterum nos venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi Maguntini nuntios hilariter recepiſſe, ac ei commiſiſſe legationis officium, nulloſque audire in juſtitia contra eum in querimoniam princeps ipſe deducit: ſed cum idem archiepiſcopus magnus Eccleſiæ Dei prælatus, tantuſque princeps exiſtat & ipſi Eccleſiæ tam devotus, gaudemus utique, ſi quem ei honorem impendimus, quem etiam proponimus auctore Domino amplius honorare. Super juſtitia tamen contra ipſum a nobis aliquibus denegata, nos conſcientia non remordet, cum illam intendamus petentibus plenarie contra quoſlibet exhibere. Ad devotionem autem principis memorati dictum archiepiſcopum & alios amicos Eccleſiæ libenter reducere curaremus, ſi ad reddendum ipſi Eccleſiæ, ſuiſque devotis pacem debitam & ſervandam eandem animum inclinaret.*

Collatum quidem arch. Maguntino legationis munus; nulli tamen negatam adverſus ipſum juſtitiam. Adductum iri ad obſequium Frid. ſi Frid. ad Eccleſiam redierit.

XX. *Habet inſuper ejuſdem conqueſtio principis, quod in odium ſui & favorem dilecti filii nobilis viri comitis Provinciæ Avenionenſi electo legationis officium in illis partibus duximus committendum; ſed Deo teſte nullam de principe ipſo feciſſe meminimus mentionem, cum ſpeciliter contra hæreticos & fautores ipſorum legationem eandem ad fratrum Prædicatorum inſtantiam, qui propter hoc ad Apoſtolicam ſedem de partibus eiſdem acceſſerant, electo injunxerimus antedicto. Parati nihilominus ſumus pro eodem comite ſuæ devotionis exigentibus meritis & ad majora.*



Avinionenſi electo non in gratiam comitis Provin. ſed ad excindendos hæreticos legati partes impoſitas.

XXI. *Nec juſte quid argui poſſumus, quod contra remotos hæreticos, omiſſis proximis Lombardiæ videlicet & Tuſciæ, procedamus: nam ſicut omnium fere tenet notitia, Rom. Eccleſia ubique terrarum ante ortam inter ipſam, & principem eundem diſcordiam conſtanter perſequebatur hæreticam pravitatem, & eo fortius in vicino, quo inibi ratione propinquitatis facilius & plenius vim ſuæ auctoritatis poterat exercere: at poſtquam princeps idem Eccleſiam ipſam cœpit opprimere, ſic undique vires ejus arctavit, viaſque præcluſit, quod impugnare pravitatem ipſam & catholicæ fidei & eccleſiaſticæ libertatis augmentum, ac ſalutem fidelium, prout oportuit, procurare nequivit.*

*Ad hoc princeps ipſe mirari non debet, ſi ſuos non admiſimus nuntios ad noſtram præſentiam deſtinatos, cum nunquam Rom. Pontifex excommunicatos ſcienter recipiat, antequam abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ conſequantur (verum poſtea* IV. *nonas ſeptemb. anathemate ſolutos, ut ad tractandas pacis leges admitti in conſpectum pontificium poſſent oſtendunt Innocentii literæ: a) inſiſtite igitur ſtudioſis exhortationibus apud eum, ut de ſua ſalute ſolicite cogitans univerſo populo Chriſtiano de pacis tranquillitate provideat, & arma quæ adverſus Eccleſiam irreverenter aſſumpſit, contra hæreticos, ſchiſmaticos, alioſque inimicos orthodoxæ fidei ex reverentia filiali convertat. Sic enim a ſe Judicis indignationem ſuperioris averteret, qui nonnunquam in præſenti delinquentium culpas punire ideo prætermittit, ut illas in futuro gravius ulciſcatur; & ſedem Apoſtolicam adeo ſibi conſtitueret favorabilem & benignam, ut in iis, quæ principis ipſius honorem reſpiciunt, ſtuderet ejus deſideria prævenire. Quod ſi forte ſe monitionibus veſtris tam ſalubribus humiliter non inclinet, volumus & præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ad nos protinus redeatis. Dat. Anagniæ* VII. *non. ſeptemb. ann.* I.

Non eſſe moris Pontificum Roman. excommunicatos in conſpectum admittere.

(a) Ep. 93.

XXII. Cæterum ſedis Apoſtolicæ apud Inſubres legatus, quem Fridericus, ut modo audivimus, iis partibus removeri poſcebat, Gregorius e Montelongo R. E. ſubdiaconus & notarius, non modo e provincia non eſt revocatus, ſed in ſuſcepto etiam geſtoque hactenus maxima cum laude munere perſtare juſſus (b) quem inprimis de iis quæ Eccleſiam inter ac Fridericum hactenus tractata erant, certiorem fecit; (c) oratores nempe a Friderico ad agitandam pacem miſſos eoſque benevole exceptos: ſe enim ad pacem propendere, tum vel maxime ut laceſſendæ calumniis Eccleſiæ occaſionem principi adimat; miſſaſque a ſe Friderico pacis ineundæ leges. Eas vero ab ipſo repudiatas iterumque alios oratores, qui fœderis alia capita nec Eccleſiæ nec fœderatorum ipſius dignitati conducentia attulere, miſſos: ea vero ſe conſtanter reſpuiſſe; tum ſubiicit: *Quapropter mandamus quatenus fideles & devotos Eccleſiæ in Lombardiæ partibus conſtitutos, ut in ipſius devotione ſolita ſtabiliter perſeverent, ſuiſque obſequiis perſeveranter inſiſtant ſtudeas, prout expedire videris, affectuoſis inductionibus animare; ipſis ex parte noſtra ſignificans, quod cum eis & aliis Eccleſiæ devotis, prout eidem Eccleſiæ, ac illis expedire viderimus, & non aliter pacem inter Eccleſiam ipſam & memoratum principem intendimus reformare. Dat. Anagniæ* IX. *octob. ann.* I.

(b) Ep. 136.

(c) Ep. 127.

Certiorem facit Pontifex Gregorium e Montelongo de tractatu pacis ineundo. Pollicetur non admiſſum iri niſi fœderatis utiles & honeſtæ pacis leges extiterint.

Eodem argumento Pontifex datis ad Tarviſinos literis (d) pollicitus eſt cum Friderico fœdus non conciliaturum, ni illius leges ipſorum dignitati utilitatique conducerent. Cumque patriarcha Aquilejenſis bellum ipſis intuliſſet, atque circumpoſitos agros hoſtili furore exuſſiſſet, patriarcham Innocentius graviſſime monuit, indignum omnino videri, ut qui pro Eccleſia fortiſſime opponere ſeſe debuiſſet, eam in ejus clientibus oppugnaret. Tum Gregorio e Montelongo legato provinciam impoſuit (e) illum, ni deſiſteret, cenſuris percelleret.

(d) Ep. 136.

(e) Ep. 212.

XXIII. Cæterum non obſcuris indiciis cœleſtibus oſtenſum mortalibus non diſcordiam pacatum iri, ſed bellum atrocius imminere, ut Richardus prodit hiſtoriæ his verbis: *Eodem menſe*, julio ſcilicet quo oratores de concilianda pace a Friderico miſſos dixerat, *diſcurſus ſiderum de nocte viſus eſt in feſto S. Jacobi, ita unum contra alterum quaſi hoſtem inſurgerent & inter ſe hoſtiliter dimicarent.* Solere divinam providentiam ſignis ſimilibus populos ad expianda lacrymis crimina, atque iras cœleſtes avertendas præmonere docent plura exempla annalibus a Card. Baronio & a nobis ſuis locis inſinuata. Addit auctor de concitatis paulo poſt Viterbii tumultibus: *Tunc civitas Viterbii, procurante magiſtro Rainerio Card. venit ad mandatum Eccleſiæ menſe auguſto comite Simone Theatino pro Imperatore ſe tenente in ea: quo audito Imperator mox ſine mora periculo ſe perſonaliter contulit menſe ſeptem-*

Cœleſtia prodigia imminentis belli prænuncia.

Viterbienſes Friderici jugum excutiunt.

Venientem cum exercitu propulſant.

*ptembri ad ſuccurſum prædicti comitis, & ad recuperationem civitatis ipſius: qui congregato exercitu copioſo obſedit eam, & ſtatutis machinis tam minis quam viribus dire ſatis impugnavit eandem: qui cum in nullo proficeret, recepto & libero dimiſſo comite prædicto & ſuis qui cum eo erant, ab obſidione receſſit.*

XXIV. His congruunt, quæ a Pariſio de illo Viterbienſi bello traduntur (*a*). Narrat enim Viterbienſes, & circumpoſitos populos graviori jugo ab Friderici ſatellitibus oppreſſos, illud e ſuis cervicibus percuſſo cum Romanis, qui pontificias partes ſequebantur, fœdere, Rainerii Viterbienſis Cardinalis opera feliciter depuliſſe: ſubmiſſis enim eductiſque clandeſtine Romanorum copiis, præſidiarii Friderici milites oppreſſi & cum præfecto Urbis, Tuſciæ comite, in vincula conjecti: mox ea defectione audita Fridericum irarum plenum in Viterbienſes magno impetu veniſſe, ſed tandem Fridericum male ab iis Romaniſque habitum terga vertere coactum, ac Piſas ſe recepiſſe. Creviſſe vero pontificiis animos & eorum partibus plures, inter quos Montisferrati & Malaſpinæ marchiones, Vercellenſes, Alexandrinos enumerat, ſeſe aggreſſaſſe. Inter cæteros Sardi ad Eccleſiæ obſequium redierunt, (*b*) ac Regina Turritana Adelaſia nomine, quæ Ubaldo viro Piſano dynaſta moriente ob nuptias cum Entio Friderici notho filio contra Gregorii ſupremi illius domini imperia contractas anathemate ſe devinxerat, veniam ſupplicibus votis flagitavit; cujus abſolvendæ provinciam Innocentius Arboreæ archiepiſcopo commiſit (*c*). [1]

(*a*) Matth. Par. hiſt. Angl. hoc ann.
Plures ad Eccleſiæ obſequium redeunt.
(*b*) Ep. 204.
Adelaſia Turritana Regina abſolvi demiſſe poſtulat.
(*c*) Ep. 205.

XXV. Interea dum Fridericus ad eludendam ignominiam majores copias inſtruebat, Rainerius S. Mariæ in Coſmedin diaconus Card. comparandis ad retundendum hoſtem novis auxiliis intentus, ſtipendiorum ſubſidia ab Innocentio flagitavit. Cui Pontifex reſpondit (*d*) fuiſſe ſui animi temperare bello, ſine quo Viterbium, dum de eo in Cardinalium conſiſtorio tractaretur, nec recipi, nec retineri poſſe videbatur: auditis tamen illorum oratoribus ejuſque dignitati conſulere cupiens, tum pericula a Viterbienſium aliorumque capitibus, qui ad Eccleſiam transfugiſſent, propulſare, duo millia unciarum auri ſupra quingentas ſuppeditare ſignificavit.

Rainerius Card. poſtulat ab Innoc. auxilia Viterbienſibus ſubmitti.
(*d*) Ep. 167.

*R.. ſanctæ Mariæ in Coſmedin diacono Card.*

XXVI. *Tua ſinceritas (e) bene novit, quod cum olim coram nobis te præſente de facto Viterbienſium tractaretur, dictumque fuiſſet, quod nobis proponentibus armorum ſtrepitum declinare, hujuſmodi negotium aggredi non prodeſſet, pro eo quod haberi, ſeu habita retineri terra non poterat ſine guerra, nos in ipſius tractatus principio tibi, & nuntiis tuis expreſſimus viva voce per quoſdam fratres noſtros nihilominus intimantes, quod in eodem negotio nullas facere volebamus expenſas, quare ne procederetur in ipſo, noſtram aperte potuiſti cognoſcere voluntatem.*

(*e*) Eod. l. 1. ep. 67.
Quid illi reſponſum ab Innocentio.

XXVII. *Cæterum licet ad proceſſum negotii memorati fuerimus ſemper inviti, auditis tamen & intellectis quæ nuntii tui & ambaſſatores Viterbienſes nuper coram nobis & fratribus noſtris proponere curaverunt, erga honorem perſonæ tuæ, quam prærogativa dilectionis & gratiæ complectimur ſpeciali, & ſinceris intendimus affectibus confovere, paternum reſpectum habentes, ac Viterbienſium pericula & etiam aliorum, qui ad mandatum Eccleſiæ redierunt, quibus ſi in manus inciderent inimici, diſcrimen capitis immineret, pia conſideratione penſantes; quamquam nuntii, & ambaſſatores iidem pro octo & quindecim diebus tantum quingentorum militum & mille peditum ſubſidium poſtulaverint; deſideria tamen ſupplicum excedendo, ex apoſtolicæ abundantia pietatis duo millia quingentas uncias auri ad pondus Romanum connumeratis quingentis marcis ſterlingorum, quas per Areng. mercatorem Florentinum nuper tibi mandavimus aſſignari, pro ſtipendiis militum & peditum prædictorum retinendorum per menſem, ſi fuerit opportunum diſcretioni tuæ per dilectum filium magiſtrum Martinum clericum noſtrum latorem præſentium deſtinamus; harum ſerie declarantes, ſicut oretenus diximus nuntiis & ambaſſatoribus prælibatis, quod ad nullos equorum vel armorum, ſeu etiam quarumlibet rerum teneri volumus redditus vel emendas; & cum pro defenſione civitatis militia minus neceſſaria videatur, pedites autem utiliores eſſe noſcantur, provideat circumſpectio tua quod ſuper hoc melius & uti-*

NOTÆ [1] Quænam gentes per hæc tempora Romanæ eccleſiæ partes defenderint, ex alio profecto quam ex Pariſio, homine extero & ab Italia longe diſſito, repetendum eſt. Optime tamen ille inter pontificis fautores accenſet comitem Montis Ferrati. Quoad Marchiones Malaſpinas ſtandum eſſe cenſeo authoritati Pariſii, quandiu oppoſitum ex authoritate coævi cujuſdam ſcriptoris non conſtet. Cæterum de Alexandrinis planum eſt illos oppoſitas pontifici partes defendiſſe; aſſerit enim coævus author ſupplementi ad annales Caffari, de quo ſæpe egimus, Henricum regem imperatoris filium exercitum in Genuenſes duxiſſe, collectum ex Papienſibus, Alexandrinis, Terdonenſibus, & Albenſibus. Ex quibus conſtat quænam gentes tunc pro imperatore ſtarent. MANSI



*utilius viderit expedire, firmiter credens quæ dictus clericus ex parte noſtra tibi ſuper præmiſſis duxerit referenda. Datum Anagniæ non. octobris anno I.*

XXVIII. Contulit ſe Anagnia Romam paulo poſt has datas literas Innocentius, ac magna celebritate ab Romanis exceptum ſcribit Richardus: *Menſe octobri circa feſtum omnium ſanctorum Innocentius Papa Urbem intrat cum honore ſenatus populique Rom. magno receptus, ad quem dictus comes*, de Raymundo Toloſano loquitur, quem etiam ſuperiore anno in Apuliam acceſſiſſe ad Fridericum dixerat, *vadit tractans inter ipſum & Imperatorem bonum pacis;* quibus verbis hiſtoriæ ſuæ accuratiſſimus ſcriptor finem adjecit, coronidis autem vice adnexa ſunt hæc: *Huc uſque Richardus notarius de S. Germano hujus hiſtoriæ auctor, haſque perduxit relationes, quæ ſuo tempore contigerunt.*

Innocentius magno honore a Romanis excipitur.

XXIX. Percurrenda nobis ſuperſunt reliqua Innocentii geſta. Eximiam Radicofanenſium erga Eccleſiam fidem commendavit (*a*): Peruſinos ſtudium erga Rom. Eccleſiam ſervare atque opem Aſſiſinatibus laborantibus ferre præcepit, (*b*) quorum dolorem ob inflictam ab hoſtibus cladem literis delinire eſt conatus (*c*); atque inter cætera ſumma liberalitate Aſſiſinatibus conceſſa indulſit (*d*) redditus omnes ad Romanam Eccleſiam in Aſſiſinate diœceſi ſpectantes annuo trium obolorum cenſu impoſito viginti annorum curriculo ad ſe derivarent: Tudertinos (*e*) atque Urbevetanos (*f*) ad reſtauranda jura eccleſiaſtica diligenter juſſit incumbere: conſtitutiones adverſus eccleſiaſticam dignitatem a prætore Portuenſi editas reſcidit (*g*): Parmenſes clero eccleſiæ cathedralis facere ſatis imperavit: (*h*) antea vero epiſcopum Parmenſem bonorum illius eccleſiæ (cujus ſe alumnum vocat) dilapidatorem ſacrorum adminiſtratione interdixerat (*i*): Conradum Placentinum prætorem qui nuntium quemdam literas apoſtolicas deferentem peſſime acceperat, aliaque in eccleſiaſticam immunitatem ſcelera perpetraverat, anathemate damnavit (*k*): denique Januenſibus a laceſſendis opprimendiſque eccleſiaſticis viris temperarent, atque archiepiſcopale palatium, quod invaſerant, reſtituerent imperavit (*l*).

(*a*) Ib. ep. 151.
(*b*) Ep. 69.
(*c*) Ep. 70.
(*d*) Ep. 166.
(*e*) Ep. 71.
(*f*) Ibid.
(*g*) Ep. 251.
(*h*) Ep. 330.
(*i*) Ep. 4.
(*k*) Ep. 354.
(*l*) Ep. 255. 256. 260. 261.

XXX. Porrexit etiam trans Alpes pontificias curas, ut hæreſim penitus extingueret, atque evelleret in Galliis, quæ quamvis ſæpius amputata revireſcebat. [1] Et quidem jam antea in literis ab Innocentio ad Rothomagenſem archiepiſcopum alioſque apud Fridericum nuntios datis vidimus, religioſis Prædicatoribus viris ſedem Apoſtolicam pulſantibus, quos juſtitiam de fuſo ab hæreticis Albigenſibus anno ſuperiori ſuorum ſanguine exegiſſe probabile eſt, legationem in Gallias contra hæreticos decretam, eamque Avenionenſi epiſcopo commiſſam: de qua ad Galliarum epiſcopos extant in pontificio regeſto literæ (*m*), quibus præcipit (*n*) ne in terris, in quibus legatio ipſi demandata, eccleſiis vacantibus ſuſpecti hæreſeos, niſi ipſo conſcio & jubente, præficiantur. Uti vero clementia ſeveritatem condire ſacræ fidei inquiſitores deberent in literis ad ipſos exaratis præſcripſit (*o*), primum hæreticis certum terminum quo damnare hæreſim juberentur, præfigerent, eoque lapſo ſi in perfidia obdureſcerent, meritas pœnas in eos exercerent.

Legatum in Gallias adverſus Albigenſium reliquias mittit.
(*m*) Ep. 31.
(*n*) Ep. 102.
(*o*) Ep. 316.

*Univerſis inquiſitoribus hæreticorum in provincia Narbonenſi & in partibus Albigenſium, ac in toto regno Franciæ conſtitutis.*

XXXI. *Inter cætera, quæ nobis incumbunt, noſtrà quotidiana inſtantia exiſtit, ut ad propagationem orthodoxæ fidei totis affectibus intendamus. Volentes igitur iis qui pravitatis hæreticæ vitio ſunt infecti, omnem occaſionem auferre, quo minus ad lumen veræ fidei ſine moræ diſpendio revertantur, præſentium auctoritate mandamus quatenus in ſingulis locis, ad quæ vos cauſa inquiſitionis hujuſmodi pervenire contigerit, omnes hæreticos vel credentes, ſeu quocunque alio nomine cenſeantur, qui non condemnati, neque convicti vel in jure confeſſi, ſed ſua ſpontanea voluntate redire voluerint ad eccleſiaſticam unitatem, auctoritate noſtra recipiatis; nulla eis pœna impoſita publica vel privata, eccleſiaſtica ſeu mundana: idque faciatis per eadem loca ſtatim cum ad ipſa veneritis, publice nuntiari, præfigentes in ſingulis locis terminum competentem, infra quem redire debeant, ſi fuerit eis divinitus inſpiratum: ſi vero poſt hujuſmodi terminum tales fuerint in eodem vitio deprehenſi, contra ipſos utpote ſalutis propriæ*

NOTÆ [1] Ne quid præteriiſſe videamur, celebratum anno iſto arbitror concilium quoddam provinciale ab archiepiſcopo Bituricenſi in loco incerto, cui ſynodo cum adeſſe recuſaverit invitatus epiſcopus Claramontanus, interdicti ſententiam ab eodem archiepiſcopo latam incurrrit, quam ſententiam Innocentius authoritate ſua confirmavit, ſervarique mandavit literis ſcriptis hoc anno XI. Kal. novembris ad epiſcopum & decanum Nivernenſem. Extant literæ illæ in Anecdot. Martenii tom. I. colum. 1023. Concilium hoc a collectoribus omiſſum eſt. MANSI

*priæ contemptores aſperius, prout expedire videritis, procedatis invocato ad id, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſæcularis Dat. Later. II. idus decemb. an. I.*

(a) *Guillel. de Podio Laurentii in chr. & Bern. chr. Rom. Pont. an.* 1244.

Ducenti Albig. cum epiſcopis ipſorum exuſti.

Perfecit (*a*) ſtrenue apoſtolica imperia ſequenti anno Petrus Amelius Narbon. archiep. caſtro enim montis Securi hæreticorum aſylo expugnato, reſervatis vitæ, qui ad Eccleſiam rediere, ducentos & amplius utriuſque ſexus pertinaciſſimos hæreticos cum duobus ipſorum epiſcopis incendio concremavit. Ante vero quam adverſus Albigenſes ſcriberet Pontifex Barenſi archiepiſc. IV. non. dec. præceperat (*b*) comitem Toloſanum qui oratoribus ad ſedem Apoſtolicam miſſis Pontificis dicto ſe audientem futurum erat pollicitus, conſueto ſacramento adactum anathemate ſolveret. Cumque de Gallicis rebus agamus, adiicere viſum eſt Innocentium rogatum a clero Belvacenſi feſtum diem inventionis B. Stephani protomartyris in ea urbe, ac diœceſi celebrandum indixiſſe (*c*).

(b) *Eod. l.* 1. *ep.* 266.

(c) *Ep.* 246.

XXXII. Religioſi Pruſſiæ equites præclare adverſus infideles ſe gerunt.

Præclara hoc anno Chriſtiani, ac maxime religioſi S. Mariæ Theutonicorum equites, in Pruſſia facinora explicuere, latius circumtulere victorias, magnumque terræ tractum comparavere; duæ agrorum partes fratribus, qui ſumptus belli ſuffecerant, attributæ, tertia eccleſiæ ejus loci collata a legato apoſtolico; cui dividendarum diœceſum, finiumque illarum circumſcribendorum auctoritatem commiſit Innocentius; oſtendunt id apoſtolicæ literæ ad Pruſſiæ epiſcopum datæ, in quibus alienata ab ipſo jura reſcidit, ac ſimilia in poſterum audere vetuit.

*Epiſcopo Pruſſiæ.*

*Iis quæ per dilectos filios fratres hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum, & alios Chriſti fideles facta ſunt in Pruſſiæ partibus, divina propitiante potentia, cum exultatione ſpiritus intellectis; & conſiderata terræ latitudine, ibi per Dei gratiam acquiſitæ, venerabili fratri noſtro epiſcopo quondam Mutinenſi pœnitentiario noſtro apud ſedem Apoſtolicam conſtituto ipſius Pruſſiæ ac Livoniæ partibus plenæ legationis officium duximus committendum; eidem in ipſa Pruſſia & terra Culmenſi limitandi diœceſes, ac ipſi Pruſſiæ terram dividendi per partes de fratrum noſtrorum conſilio poteſtatem plenariam concedentes (habetur in regeſto hujuſmodi conceſſionis pontificium diploma (d) eidem epiſcopo inſcriptum, quo ea exequendi auctoritate ipſum inſtruxit) verum epiſcopus ipſe tres in Pruſſiæ, & unam in terra Culmenſi diœceſes limitavit: ac tres partes fecit de terra Pruſſiæ, quarum duas dictis fratribus ferentibus præliorum anguſtias, & expenſarum onera, quos oportet terram infeudare pluribus, deputavit; ita quod ſive unus epiſcopus fuerit, ſive plures duas partes terræ integre cum omni proventu habeant & epiſcopus vel epiſcopi tertiam ſimiliter integre habeant cum omni jurisdictione & jure, ſalvis tamen epiſcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, quæ non poſſunt niſi per epiſcopum exerceri.*

(d) *Ep.* 144.

XXXIII. Poſſeſſiones Pruthenæ Eccleſiæ alienari vetat.

*Verum cum nos limitationem, & diviſionem hujuſmodi duxerimus auctoritate apoſtolica confirmandas, præſentibus mandamus quatenus una ipſarum diœceſum Pruſſiæ quam malueris, & parte tertia terræ ipſius diœceſis, contentus exiſtens terras vel jura ad partem diœceſis quam eligendam duxeris, pertinentia infeudare, alienare, vel dare abſque ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ non præſumas: ſciens quod quicquid a terra Pruſſiæ, vel terra Culmenſi, aut ipſius alienaſti proventibus, in irritum revocamus, & ex nunc inane decernimus, ſi quid contra inhibitionem noſtram ſuper prædictorum alienatione de cætero attentabis. Si vero diœceſim Culmenſem elegeris, tibi de ipſa terra Culmenſi ſufficiat, quod in forma compoſitionis factæ ſuper terra Culmenſi per te ac legatum eundem, & dictos fratres, necnon ipſius terræ incolas plenius continetur. Cæterum temporalia, quæ tibi epiſcopatus jure competunt, nomine noſtro, & Rom. Eccleſiæ de ipſius legati manu recipias, te talem ſicut pontificalis dignitas & religioſa requirit honeſtas, in omnibus redditurus, quod Deo & Eccleſiæ ſit ad gloriam, tibi redundet ad meritum & Chriſti fidelibus de Pruſſia veniat ad profectum. Dat. Anagniæ* III. *kal. aug. ann.* I. Cæterum diviſionis hujuſmodi a Willelmo Mutinenſi olim epiſcopo Pontificis juſſu factæ extat inſertum exemplum apoſtolicis literis, quas ad religioſos S. Mariæ Theutonicorum equites miſit (*e*), dum illam confirmavit Anagniæ VIII. id. octobris anno primo: ad quos etiam id genus alias ſcripſit (*f*); ad calcem vero Willelmi literarum hæc adduntur: *Datum Anagniæ anno Domini MCCXLIII.* IV. *die menſis julii indict. prima pontificatus ejuſdem domini Papæ anno* I.

(e) *Ep.* 121.

(f) *Ep.* 168.

XXXIV. Excolendis Chriſtiana religione infidelibus incumbit.

Cæterum qua cura ac ſolicitudine incubuerit Innocentius, ut perdomitas eas barbaras gentes, Chriſtiana religione excoleret, tum nova ſubſidia ex circumpoſitis Chriſtianis regionibus colligi ſtuderet, quo cœptæ victoriæ latius proferrentur, demonſtrant literæ (*g*) tum ad priorem & provincialem fratrum Prædicatorum in Germania, tum ad alios exaratæ (*h*), quibus idoneos ac lectiſſimos ad evangelium promulgandum viros ſubmittere imperavit, quos redimendorum votorum auctoritate inſtructos eſſe voluit; tum ut partas a Chriſto opes ad placandam divinam juſtitiam, expiandiſque criminibus effunderent iis, qui vel arma capeſ-

(g) *Ep.* 162.

(h) *Reg. poſt eand. ep. & ep.* 162.



capeſſerent, vel alios ſuis ſumptibus in bello ſacro alerent: *Devotionem tuam rogamus & hortamur in Domino, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, ac in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus priores & fratres tui ordinis conſtitutos in Magdeburgenſi & Bremenſi provinciis, Ratiſponenſi, Patavienſi, Alberſtatenſi & Verdenſi diœceſibus hujuſmodi negotio, quaque poſtpoſita difficultate, deputare ſtudeas, & eoſdem attentius exhortari, quod aſſumpto ſanctæ prædicationis officio propter Dominum fideles dictarum provinciarum & diœceſum ad nimiam charitatem, qua Chriſtus nos dilexit & diligit, reſpectum habere & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ tribuit ipſe illis; piis exhortationibus, ſecundum datam ſibi a Deo prudentiam, ſtudeant informare diligenter, ſolicite petituri, ut ipſi redempti pretio glorioſo, in quos tanquam viros Chriſtianos & catholicos cadere opprobria exprobrantium Chriſto debent, ſe viriliter & potenter accingant tanquam zelum Dei habentes ad ampliandum gloriam crucifixi, & liberandum proximos de manibus paganorum profecturi, & acturi ſecundum fratrum conſilia prædictorum; ita quod & ipſis præmium debeatur æternum, & infideles non poſſint, quod impune Chriſti nomen impugnaverint, gloriari. Dat. Anagniæ* IX. *kal. octob. anno* I.

XXXV. Et pro ligandis in Illyrico hæreticis.

Nec minorem operam ad fidem in iis locis, in quibus ſata erat, tuendam quam in aliis, ubi nunquam viguerat, propagandam, collocandam cenſuit: & quo ſtudio inveteratam ſuperſtitionem in Livonia & Pruſſia evellere, eo hæreſim in Croatia & Dalmatia enaſcentem elidere ſtuduit. Tam ardui & illuſtris operis partes Waſienſi epiſcopo in Strigonienſem archiepiſcopum poſtulato, dato hoc diplomate, impoſuit (*a*), præcepitque, ut ubi humana vi opus foret, principum auctoritatem contra divinæ contemptores adhiberet: *Tibi legationis officium in Croatia, & Dalmatia duximus committendum, fraternitatem tuam rogantes & obſecrantes in Domino Jeſu Chriſto, quatenus indutus fortitudine ac virtute præcinctus pravitatis hæreticæ maculas, quibus terræ hujuſmodi Ramis, ſicut accepimus, ſunt infectæ, ſic de ipſius divinæ potentiæ propitiante ſubſidio, per te ac alios ad hoc idoneos abolere ſtudeas, quod ibidem Chriſtiana poſſit vigere religio ad illius honorem & gloriam, in cujus beneplacito geritur; ut perennis vitæ felicitas per fidei puritatem & innocentiæ ſtudium acquiratur, &c. Dat. Anagniæ* XV. *kal. aug. ann.* I.

(a) *Eod. l.* I. *ep.* 29.

XXXVI. Interea funeſti imminentium Tartarorum rumores Ungaros concuſſerunt, qui lugubres literas dedere ad Innocentium, ut Chriſtiano nemini in iis regionibus defendendo curas conferret: moxque ille patriarchæ Aquilejenſi provinciam commiſit (*b*) ut Germaniæ populos ſub crucis ſignis conſcriberet; quos idoneos ad habendas pro capeſſenda militari cruce conciones putaret, ſibi adſciſceret; comparatoque demum exercitu, Ungariæ periclitanti contra Tartaros ſuccurreretur.

Implorant Ungari adverſus Tartaros Pontificis auxilium.

(b) *Ib. ep.* 30.

*Innocentius &c. patriarchæ Aquilejenſi.*

*Plenæ lacrymis, & repletæ ſuſpiriis reliquiæ fidelium in Ungariæ partibus poſitorum matris Eccleſiæ ſolicitant pietatem, ut ſui doloris qualitatem attendat, ejuſque amaritudini & mœrori conſolationis dulcedinem largiatur; ac ſibi de illo provideat defenſionis auxilio, per quod, ſi hoſtis Dei & amica dæmonum gens impia Tartarorum (ipſos incantationibus deditos, atque ejuſmodi dæmonum artibus victorias retuliſſe ſuperius vidimus) ſuam in eaſdem reliquias moliretur experiri ſævitiam, poſſint ab exitio præripi, vel exterminio præſervari ſalubris proviſionis effectum ex hoc univerſitate Chriſtiani populi conſequente: maxime cum ſit evidens argumentum, quod ipſa tranquilla maneat & ſecura conſiſtat, ſi miniſtra perditionis illa gens effera, divina dextera triumphante poſſit conteri, vel de contritorum confinio profligari. Hæc enim dum nos, qui licet immeriti generalis Eccleſiæ curam ex divina proviſione ſuſcepimus, noſtræ mentis oculis præſentamus, reddimur ex corde ſoliciti, ut illis propere intendamus remediis, per quæ in Ungariæ partibus ſit celebris perpetuo gloria Redemptoris.*

XXXVII Germanis in barbaros arma correpturis indulgentias proponit.

*Igitur cum chariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Ungariæ, & ſubjectus ei populus, qui credentes pro acerbitate illatorum vulnerum ſuis gladium imminere cervicibus, dum perſecutores horridos in vicinis Ungariæ partibus rumore terribili percipiunt conſtitutos, nos lacrymis moveant & lamentis inducant, ut eorum anguſtiis occurramus gratiæ feſtinæ fomento; fraternitatem tuam rogamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus per te ac alios, quos ad hoc videris opportunos, Chriſti fideles in Theutonia conſtitutos, ſecundum providentiam tibi & illis deſuper attributam, piis inducas monitis, ut ipſi, per quos adverſus tyrannidem perfidorum Chriſtiana potiſſime ſolet defendi religio, contra ſathanæ nuntios tartarique miniſtros crucis ſignaculum pro ſic afflicti ſalute populi reverenter ad gloriam ſuſcipiant Crucifixi, ſe taliter iis, quæ ſunt opportuna bello Domini munientes, ut ſi neceſſitas exegerit, quod avertat Dei Filius, ſic Dei familiam de regno Ungariæ tueri valeant, quod pars oppoſita Domino propitio ruinæ grandis incur-*

*currat opprobrium, redempti pretioſo Jeſu Chriſti ſanguine optatæ ſalutis conſequantur effectum. Nos enim, ut quod tam pie, tam juſte cupimus, lætanter & leviter fieri gaudeamus, omnibus, qui de Alemannia ſigno crucis aſſumpto in Ungariam contra Tartarorum proceſſerint feritatem, illam indulgentiam, idemque privilegium elargimur, quæ tranſeuntibus in Terræ ſanctæ ſubſidium in generali concilio conceduntur, &c. Dat. Anagniæ* XII. *kal. aug. ann.* I.

XXXVIII Pia S. Hedwigis mors.

Amiſit hoc anno Polonia ſanctitatis gemmam, continentiæ ſpeculum, Hedvvigem duciſſam Wratiſlavienſem Henrici cum barba olim uxorem, quæ raro exemplo in maritali thoro plurium virginum merita ſuperavit; & quo illuſtrius de mundi delitiis triumpharet, Tzebnicenſe monaſterium Ciſtercienſium virginum a ſe conditum ingreſſa mirabile vitæ genus duxit; unde divinum numen, ad illuſtranda ex voluntaria corporis maceratione comparata merita, nitidiſſimum ac lucidiſſimum ipſius corpus poſt ejus mortem reddidit; quam etiam ipſa antequam e vita diſcederet prædixit. De ipſa hæc Dlugoſchus (*a*): *Femina nobiliſſima & illuſtris Hedvvigis duciſſa Vvratiſlavienſis Henrici cum barba relicta, magna & evidenti in vita pollens ſanctitate*, VII. *id. octob. moritur, & in Trzebnicenſi monaſterio a ſe & a viro ſuo fundato & dotato ſepelitur; cujus corpus, quod in vita croceum & exangue abſtinentiis & jejuniis confectum erat, in morte ſplendidum apparuit & ſpecie honoris corporis glorificati. Quæ beati Staniſlai martyris canonizationem in ſpiritu prævidens futuram, & in loco monaſterii Trezebnicenſis, in parte ſiniſtra chori, altare illi dicandum fore prædixerat, monens ſorores, ut locum illum magna devotione incolerent: aſſerens maximo ſanctorum illum conſecrari oportere. Quæ omnia prout prædixerat evenerunt. Hæc per annos octo & viginti cœlibem vitam ducens, ab omni illecebra carnem & ſpiritum cuſtodivit, & quod humanis ſtupendum eſt ſenſibus, inter ſpinas thori maritalis, una cum eodem illuſtriſſimo ſuo marito Henrico, ſicuti lilium germinavit, & tanquam aurum in medio incendiorum probata, voluptatum ignibus per totum tempus prædictum æſtuata non eſt.* Quod ad obitus diem; diſſentit vitæ ejus auctor antiquiſſimus, qui ejus geſta Rom. Pontifici dicavit: idibus enim octobris e vivis diſceſſiſſe, cæteris vero conſentanea tradit, (*b*) ac certe annua ejus commemoratio, quæ ipſis idibus recolitur (*c*) id ipſum confirmare videtur. Quando vero ſanctorum numero adjecta fuerit, ſuo loco dicetur.

(*a*) *Longin. hiſt. Pol. hoc ann. l.* 7. *chr. hiſt. Pol. l.* 8. *& alii.*

Illius corpus poſt mortem ſingulari pulchritudine nitet.

(*b*) *Anonym. vit. auctor apud Sur. to.* 5. *die* 15. *octob.*

(*c*) *Martyr. Rom. ead. die.*

XXXIX. Nec abs re fuerit ſanctiſſimæ viduæ, virginem ſanctiſſimam Hildegardem conjungere, de qua in ſanctorum numerum referenda cum agitatum eſſet, adductaque ad religioſum examen ejus miracula, non ita probe, atque accurate res erat confecta, cum nonnullæ circumſtantiæ deeſſent. Cum enim teſtes ſacramento depoſuiſſent, ipſius beneficio plures valetudini priſtinæ reſtitutos, alios dæmone antea correptos feliciter liberatos; non tamen perſonas in quibus patratum erat miraculum, nec loca, nec tempora deſignarant: quare Innocentius decano Scholaſtico & W.. de Haſcoburen. canonico Maguntinis munus commiſit (*d*), ut novum examen de rebus illius admirandis numeris omnibus abſolutiſſimum inſtituerent.

De S. Hildegardis miraculis accuratius inquiri jubet Innocentius.

(*d*) *Lib.* I, *ep.* 253.

XL. *Mandamus quatenus ſi proceſſiſtis in inquiſitione hujuſmodi, recipiendo ſingillatim ſuper præmiſſis teſtes fide dignos, & eorum dicta, prout quilibet per ſe ſimpliciter & ſeriatim depoſuit, faciendo conſcribi proceſſum ipſum ſub ſigillis veſtris nobis tranſmittere ſtudeatis; alioquin de prædictis omnibus, & novis miraculis, ſi quæ feciſſe dicitur; necnon de vita ipſius per fide dignos inquirentes ſolicite veritatem, dicta ipſorum teſtium, quos ſingillatim examinare curetis, prout eorum quilibet per ſe coram vobis pure, ſimpliciter, & diſtincte, ac ordinate, quod ſuper prædictis omnibus ſciverit, depoſuerit, faciatis cum attentione conſcribi, nobis illa ſub ſigillis eiſdem fideliter remittentes. Dat. Later.* VIII. *kal. decemb.*

XLI. Ex ſanctimonialis illius piiſſimæ occaſione addimus Innocentium ſeveriorem diſciplinam incluſarum virginum ordinis S. Damiani in cœnobio, cui S. Franciſci Pragæ nomen eſt, ſectantium certis in rebus temperaſſe (*e*). Flagitavere pariter ab Apoſtolica ſede Cantuarienſes monachi, qui ex D. Auguſtini inſtitutis religioſam vitam excolebant, ut cum ex præſcripta formula divino officio nudo capite intereſſe tenerentur, unde plures graviſſimis morbis erant impliciti, ipſorum valetudini impoſterum conſuleretur; quibus hoc diplomate annuit Innocentius: *Veſtris ſupplicationibus inclinati vobis utendi pileis, veſtro ordini congruentibus, cum divinis interfueritis officiis, concedimus liberam facultatem. Ita tamen, quod in lectione evangelica, & elevatione Corporis domini Jeſu Chriſti, & in aliis debita reverentia obſervetur. Dat. Anag.* XII. *kal. ſept. ann.* I.

(*e*) *Ib. ep.* 32.

Canonicis regularibus pileis quadratis in divino miniſterio uti conceſſum.

XLII. Affert hoc anno editum in Anglia divinæ juſtitiæ exemplum Pariſius in ſacrarum opum, ac vectigalium eccleſiæ S. Albano martyri ſacræ invaſorem Radulphum Cheinduit dictum, quamquam numen juſtitiam miſericordia temperavit. Licet enim præſenti ſupplicio impium vi-

Divina in eccleſiarum ſpoliatorem vindicta.



vibratas in ſe cenſuras eccleſiaſticas deridentem percuſſerit, moram tamen ad agnoſcendum expiandumque crimen conceſſit (*a*): *Cum per triennium ſententiæ vinculis innodatus claves Eccleſiæ procaciter contempſiſſet, erecta cervice, in palatio Vveſtmonaſterienſi multis dixit convocatis: Eja de monachis S. Albani, eja de ipſis. Tam diu, tam ſæpe, tam efficaciter me excommunicarunt, quod impinguatum, incraſſatum, & dilatatum, vix me mea ſella continet equitantem. Quo dicto, infirmatus & debilitatus, nec non & deſperatus, domum eſt ſubito, ſed vix palpitans, & jam ſpiritum extremum lethiferos ſingultus oregmon provocante, cœperat exhalando protrahere; cum interventu martyris S. Albani benigniſſimi diſpenſante Domino, qui neminem vult perire, ſed potius converti, ſuſpirans ab alto, quoſdam monachorum, quos melius noverat, feſtinanter juſſit accerſiri, qui de tranſgreſſore eorum, ſecundum ſui arbitrium, ſatisfactionis acciperent plenitudinem: quod & benigne fecerunt. Et ne in abyſſum deſperationis moriens immerſus, damnandus periret, præſtita cautione de juſtitia ſuper damnis & injuriis ab eo illatis facienda, ſibi beneficium abſolutionis impenderunt. Similiter & alii quamplures libertatis Eccleſiæ ejuſdem prædicti martyris invaſores & perturbatores tam milites potentes, quam alii, in brevi tempore ſimili, vel majori pœnæ, non ſine judicio miraculoſæ ultionis, graviter ſubjacuere.*

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

XLIII. In Hiſpania cum Burgenſes magnifico opere templum æterno numini poſuiſſent, Innocentius ſacrum meritorum Chriſti & ſanctorum ærarium in eorum gratiam aperuit, (*b*) qui recurrente dedicationis illius eccleſiæ feſto ipſam pie adirent, in quibus litteris hæc graviter de celebranda eccleſiarum conſecratione ediſſerit. *Si olim in veteri teſtamento altaris conſecratio celebris habebatur, quanto magis nunc in novo debet ſolemnis haberi, cum non minus quam inter lucem & umbram inter iſtud & illud altare diſtet. In illo enim carnales & irrationabiles hoſtiæ mactabantur; in iſto vero illud unicum & mirificum holocauſtum ſemper offertur, quod pro redemptione humani generis ſemel in ara crucis extitit immolatum, videlicet unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus, idem ipſe ſacrificium & ſacerdos, qui & pretium ſe dedit in cruce, ut moriens fideles ſuos a morte redimeret; & cibum ſe tribuit in altari, ut vivens fideles ad vitam alat, eoſdem eſus ſibi edentes incorporans, ut per hoc quod accepit de noſtro, & accipimus ipſi de ſuo in unum corpus, caput, & membra inſolubiliter uniamur, &c. Dat.* IV. *kal. novemb. an.* I.

(*b*) *Ep.* 210.

De conſecrationibus eccleſiarum.



XLIV. Per id tempus Ferdinandus Caſtellæ Rex in Maurorum fines longiſſime excurrit obviiſque evaſtatis, in ipſius Granatæ conſpectu agrum exuſſit: tum Giennium urbem Mauricæ ditionis, ut gentis propugnaculum eſſet, ſitu, mœnibus, milite, opera, frumento, armis munitiſſimam circumſidet. Tenuerat menſes octo obſidio, cum ſeditione inter Mauros ardente Granatæ Rex, de vita regnoque periclitans, Ferdinandi Regis fœdus & clientelam expetiturus, fide accepta in caſtra ſe Chriſtianorum contulit. Iis conventum legibus, ut regnum ab Ferdinando fiduciario jure teneret, vectigalia Granatæ inter Ferdinandum, atque ipſum ex æquo dividerentur, vocaretur ad regni comitia ut beneficiarius, Gienniumque ad deditionem continuo compelleret. Ita urbs fortiſſima in Chriſtianorum poteſtatem venit, templiſque rite expiatis, grates ſolemni pompa Deo actæ, ac novus in ea urbe epiſcopus conſtitutus; quæ Joannes Mariana (*c*) quidquid diſſentiant alii, ad hunc annum refert, quo Rodericus Toletanus (*d*) ſuæ Hiſpanicæ hiſtoriæ finem impoſuit. [1] Hæc enim ad calcem adiicit: *Hoc opu-*

Giennium aliaque loca a Ferdinando Sarracenis erepta.

(*c*) *Joann. Marian. de rebus Hiſp. l.* 13. *c.* 3.

(*d*) *Rod. Tol. l.* 9. *c.* 19.



NOTÆ

[1] Hiſtoriam ſuam una cum anno iſto abſolvit Rodericus Ximenius archiepiſcopus Toletanus, rerum Hiſpanicarum ſui ſaltem temporis ſcriptor accuratiſſimus, qui dein ad annos non plane multos vitam prorogavit, cum deceſſiſſe anno 1247. ex ejus epitaphio, relato a Nicolao Antonio in biblioth. Hiſp. to. II. pag. 34. num. 22. diſcamus, quem adeat qui plura de illo ſcire voluerit. Unum hic adnotandum, quod neque ab annaliſta noſtro hic, neque ab accurato bibliothecæ Hiſpanicæ ſcriptore animadvertitur; nempe mendum irrepſiſſe in adnotationem temporariam, quam in calce hiſtoriæ ſuæ author ſubjecit, idque aliter corrigendum eſt ac annaliſta cenſet. Notat igitur author *conſummaſſe ſe opus anno incarnationis* 1243. *æra* 1281. *anno* 26. *regis Ferdinandi, quinta feria, pridie Kal. aprilis, ſede apoſtolica vacante, anno uno, menſibus octo, diebus decem Gregorio papa IX. viam univerſæ carnis ingreſſo.* Profecto anno 1243. die aprilis poſtrema, nec feria quinta agebatur, nec interpontificii ab obitu Gregorii menſes octo ſupra dies decem ſupputabantur. Igitur mendum huc irrepſit perſpicuum, quod tamen facile emendatur, ſi pro die *pridie Kal. aprilis*, ponas *pridie Kal. majas* in quam diem, & feria quinta cadebat, & interpontificii tempus illud ad amuſſim congruit. Hæc igitur textus Roderici genuina emendatio eſt.

Hoc pariter anno Richardus a S. Germano manum ab hiſtoria ſua ſcribenda retraxit. Cum Raynaldus annalium tomum hunc priorem dabat, recondebatur adhuc in Caſinenſis bibliothecæ pluteis author rerum ſui temporis in Italia geſtarum diligentiſſimus explorator, & cum inſtructiſſimæ illius bibliothecæ fores reſeratas idem Raynaldus haberet, ex ejus laciniis hinc inde inſertis hiſtoriam ſuam plurimum nobilitavit. Sed non ita multo poſt codicem MS. ejus hiſto-riæ

*opuſculum, ut ſcivi & potui, conſummavi anno incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio æra milleſima ducenteſima octogeſima prima, anno vigeſimo ſexto Regis Fernandi, quinta* * *feria pridie kal. aprilis anno pontificatus mei trigeſimo tertio, ſede Apoſtolica adhuc vacante anno uno, menſibus octo, diebus decem, Gregorio Papa nono viam univerſæ carnis ingreſſo*. Hæc ipſe. Verum, quod ad vacantis ſedis tempus pertinet, longe aliter alii, ut ex dictis patet. At de his ſatis: jam ex occidentalibus rebus ad orientales nos conferamus.

* *tertia*

XLV. Balduinus Imper. Conſtantinop. conſecratur.

Sub hoc anno Balduinum imperatoria inunctione fuiſſe delibutum, ex imperiali conſtitutione colligitur, qua Theſſalonicenſis regni occupati a Græcis jura Helenæ, Demetrii olim Regis & marchionis Montisferrati nepti, quæ Willelmum Eubœæ regulum duxerat, confirmavit (*a*). Quam rem geſtam anno Chriſti MCCXLIII. Imperii vero ſui primo conſignat. [1] Non tamen ea temporis ratio cum ſervata a nobis computandorum temporum ratione pugnat: cum non annos, quibus conſecratus Imperator Imperium geſſerit, ſed quibus Petro Antiſſiodorenſi in juribus Imperii ſucceſſerit, quamvis medio tempore Joannes Brenenſis imperarit, auctores pleroſque ſecuti conſignemus: *Balduinus Dei gratia fideliſſimus in Chriſto Imperator a Deo coronatus Romaniæ moderator, & ſemper Auguſtus, univerſis has literas inſpecturis ſalutem & amoris affectum. Ad univerſitatis veſtræ notitiam volumus pervenire, quod nos virum nobilem Vuillelmum de Verona dominum terræ Nigripontis, maritum præclaræ dominæ Helenæ neptis quondam Demetrii Regis Theſſalonicenſis illuſtris in noſtra ſimul cum ipſo viro ſua præſentia conſtitutæ inveſtivimus, juxta petitionem & deſiderium eorundem, cum plenitudine gratiæ noſtræ de jure regni Theſſalonicenſis & pertinentiurum ſuarum, quæ ad dictam dominam uxorem ejuſdem ex morte præfati Regis ratione propinquitatis recidere dignoſcuntur, ex hoc recipientes ipſum in hominem noſtrum ligium & fidelem contra perſonas omnes præſentes pariter & futuras; ita tamen quod omnium rationes & jura ſint ſalva nec aliquibus ex hoc præjudicium generetur. In hujus igitur rei firmitatem & teſtimonium, ac in ſecuritatem nobilis memorati præſentem chartam ſibi dedimus aureæ bullæ noſtræ munimine roboratam. Actum prope regiam civitatem in caſtris aſtantibus domino venerabili patriarcha, &c.* Adjuncta ſunt principum Imperii Conſtantinopolitani nomina, qui rei geſtæ interfuere. *Anno Domini MCCXLIII. nonis maii Imperii noſtri anno primo.* Adjecit ſequenti anno imperiali conſtitutioni pontificium robur Innocentius ac litteris datis Laterani IX. kal. maii Theſſalonicenſis regni jura ad Helenam Demetrii Regis cui Theodorus Comnenus regnum eripuerat, neptem devoluta promulgavit.

(*a*) *Inſerta eſt in ep. 636. Innoc. IV. lib. 1.*

Helenæ Demetrii Regis nepti regni Theſſalonicen. jura confirmat.

XLVI. Variæ illius regni vices.

De Theſſalonicenſi regno ſcribit Georgius Logotheta (*b*) variis motibus concuſſum, donec penitus in Joanne Theodori Comneni cæci, qui poſt carcerem Bulgaricum orbitatemque oculorum pulſo fratre Manuele regnum recuperarat, filio diſſolutum eſt. Quibus vero artibus Vatacius Nicænus Imperator, ægre ferens Joannem filium Theodori accepta purpura agentem Imperatorem, iis inſignibus ſpoliarit, ſupremumque regni dominium ad ſe derivarit, deſcribit auctor laudatus: *Theodorus Angelus cum filium Joannem Theſſalonicæ & adjacentibus locis Imperatorem acclamatum haberet, & patruus illius Conſtantinus deſpota & ipſe vocitatus, & nepos ipſius Michael inter*

(*b*) *Georg. Logoth. interpr. Leone Allat.*

Vatacius ad Theſſalonicam occupandam ſe comparat.

NOTÆ

riæ nactus Ughellius typis illam vulgavit ad calcem to. III. Italiæ ſacræ, eademque in noviſſima ejuſdem Ughellii editione Veneta anni 1221. in tomum decimum & poſtremum rejecta eſt. Idem opus inſeruit Muratorius in to. VII. ampliſſimæ collectionis ſuæ, qua rerum Italicarum ſcriptores in unum corpus redegit. Sed cum Ughellius in codicem valde mendoſum inciderit, ideo in ejus editione ſphalmata plane multa occurrerunt. Nec meliora ex Muratorio recepimus; quanquam enim recenſuiſſe ſe totum opus, & menda plane infinita correxiſſe fatetur, vereor tamen ne eruditis tanta ejus diligentia minor, quam ipſe ſibi Muratorius perſuaſit, videatur. Id plane conſtat ex literis Friderici ad abbatem Caſſinenſem, quibus Henrici filii ſui in carcere detenti obitum luget; adeo enim fœde corruptæ ſunt in utraque editione Ughellii, & Muratorii, ut nullum interdum aptum ſenſum reddant. Exemplum proferam unde cætera intelligantur: In editione Ughellii & Muratorii legitur: *mirabantur, forſitan dixi patres Januenſes publicis hoſtibus Cæſarem dolore domeſtico potuiſſe convinci, ſubſtitutus eſt tam cujuſlibet principis animum quantumvis regibus noſtro durante imperio*. Quis Oedipus iſta explicaverit? Genuina lectio literarum Friderici, quas Raynaldus pariter ex MSS. codicibus exhibet ad annum 1242. XXI. ita emendat: *Mirabantur, forſitan dixi, patres invictum publicis hoſtibus Cæſarem dolore domeſtico potuiſſe convinci; ſubditus eſt tamen cujuſvis principis animus natura dominantis imperio*. Ex his cætera diſce. MANSI

[1] POſt verba illa: *imperii vero ſui primo conſignavit*, ex annalibus contractis adde: *Cum vero alias literas ad Blancam Galliæ reginam hoc anno datas nonis auguſti de affinitate cum Soldano Iconii jungenda quarto imperii anno conſignet, colligitur illum in iis annos a morte Joannis imperatoris numeraſſe*. MANSI



*ſe pacem agebant. Imperator ergo Joannes cum Aſſanus Bulgarus de medio ſublatus eſſet, & puer Bulgariæ imperaret, occaſione arrepta, appellationem imperatoriam, qua Joannes Angelus filius geſtiebat, delere ſibi in animo propoſuit, primum Theodorum illius patrem nuncia ſeductum ſibi conciliat: qui tanquam tunc recens res aggreſſus nihil eorum, quæ contingere poterant, ſuſpicatus, ad Joannem Imperatorem ſe confert. Imperator eum excipit lubentiſſime, honoribus afficit, patruumque vocat, menſa, ac reliquis humanitatis officiis communicavit.*

XLVII. Theodorum Comnenum circumvenit.

*Poſtquam eum in poteſtatem habuit Imperator, necnon copias illius non contemnendas, e Scythis exercitus; quos non multos ante dies muneribus ac variis beneficiis ſibi devinctos, atque ex immanioribus moribus & Macedonia diſtractos in orientalem oram deduxerat, delectus auctiores fecerat; ſatis animo certo & confirmato nihil ſibi incommodi a Bulgaris pertimeſcens partim propter pacta conventa, partim quod res Bulgarorum a puero regerentur, ex oriente ſolvens, præternavigato Helleſponto, ſecum una & Romanarum copiarum & Scytharum auxiliis advectis, adverſus Joannem, qui Theſſalonicæ Imperatoris ſibi nomen vindicaverat, aciem inſtruit, ac cum Thraciæ ac Macedoniæ oppida ſuperaſſet, Chriſtipolim & Strymonem præteriens, Rentinæ caſtello a nonnullis Joannis militibus cuſtodito applicat: qui nec Imperatoris Joannis comparatos exercitus intuiti, caſtello neglecto, in fugam ſeſe coniicientes curſim Theſſalonicam petunt; qui cum Imperatore, vacuum caſtellum occupant, & in cuſtodiam tradunt. Imperator recollecto exercitu prope Theſſalonicam ſtadia circiter octo caſtra ponit;* nonnulliſque interjectis, ubi principes Græcos, quibus Vatacius erat cinctus, atque ab exercitu multam circumquaque vaſtitatem illatam deſcripſit; ſubjecitque eo tempore nuntio ad Vatacium perveniente Muſulmanos a Tartaris cæſos, ac fugatos, rem preſſiſſe ſilentio ne hoſti ad reſiſtendum creſceret audacia, cum diutius ob Tartaricæ irruptionis metum hærere obſidioni non poſſet; addit.

Rentinam arcem invadit.

Theſſalonicam obſidet.

XLVIII. Joannem Comnenum agentem Imperatorem ſibi ſubiicit.

*Interim cum Joanne, qui Theſſalonicæ erat, fœderis cum pro eo & Theodorus Angelus Joannis pater legatus acceſſiſſet, inter dies quadraginta ſanctiones factæ ſunt, & jusjurandum finem habuit. Namque rubri calcei dimiſſi, & unionibus interſtincta pyramis, ſuper quam lapis rubeus emicabat, quæ imperatoria inſignia ſunt, ab Imperatore poſtea deſpotæ dignitate condecoratur, cujus & amicitiam coluit. His completis Imperator in orientem remeat, cum feciſſet, ut Imperator deſpota eſſet & ſervus: quem jurejurando, uti moris erat, obſtrinxerat, muneribuſque pro dignitate affecerat, & cæteros alios illi ſubjectos pecunia donaverat, cum etiam patrem Theodorum reliquit.* Non diu acceptæ ignominiæ Joannem deſpotam Theſſalonicenſem eximperatorem ſuperfuiſſe refert idem auctor, quem magnis virtutibus ornatum fuiſſe ait, atque adeo rerum cœleſtium contemplationi deditum, ut quo liberius iis vacaret, ex aula in eremum ſe ſubducere fuerit meditatus: in deſpotatu vero fratrem Demetrium ſucceſſiſſe.

Demetrius in principatu Joanni ſuccedit.

XLIX. Balduinus ad Frid. confugit.

Cæterum adeo hoc tempore potentiam Vatacii invaluiſſe tradit Pariſius, (*a*) ut Balduinum Imp. exhauſtum opibus, cinctumque periculis ad Fridericum confugiſſe ad illius opem implorandam dicat; illumque ſua auctoritate cohibuiſſe Græcos atque inducias ad annum conciliaſſe: anno vero ſequenti filiam Vatacio in matrimonio magno utique fidei catholicæ damno, juncta cum ſchiſmatico affinitate, collocaſſe: quod crimen ipſi poſtea Innocentius objecit. Cæterum quæ ad ſuſtentandum labans Imperium egerit Pontifex, proſequamur. In primis Conſtantinopolitanum patriarcham gerenda in Chriſtiano exercitu ſedis Apoſtolicæ legati dignitate ornavit ea (*b*) lege, ut ſi legatus e latere eo pergeret, obſervantiæ ergo in Rom. Pontificem, quandiu degeret in iis locis, hujuſmodi munus deponeret. Dein ad colligenda contrahendaque pecuniæ ſubſidia pro ſufficiendis militi ſtipendiis intentus, datis ad archiepiſcopos ac reliquos præſules Imperio orientali obnoxios literis (*c*) certam auri vim in bellicos ſumptus convertere, reluctanteſque cenſuris percelli & adigi ad ſolutionem juſſit.

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*

Fridericus Vatacio ſchiſmatico filiam uxorem tradit.

(*b*) *Lib. 1. ep. 8.*

Conſulit Conſtantin Imperio Innocentius.

(*c*) *Ib. ep. 22.*

L. Inopiam Eccleſiæ Conſtantinop. levat.

Effuderat præ cæteris opes ſuas eccleſia Conſtantinopolitana ad Imperium confirmandum; ac bellorum injuriis exhauſta admodum erat. Ad cujus levandam inopiam Innocentius archiepiſc. & Creſcentio Athenienſis eccleſiæ theſauri præfecto, & Willelmo decano Thebano mandavit, (*d*) ut eccleſiarum in Morea, Negreponto, aliiſque inſulis adjacentibus Imperio obnoxiis ſitarum decimas patriarchæ Conſtantinopolitano concedi operam darent. Subortam vero in Patracenſi eccleſia de præficiendo ſibi præſule contentionem definivit, alteriuſque electione repudiata, Bernardum ſubdiaconum, ac notarium ſuum, ut ſummis laudibus ornatum omnibus tantæ gerendæ dignitati numeris abſolutiſſimum in ſedem archiepiſcopalem extulit, & clero commendavit literis; (*e*) in quibus hæc de Patracenſis eccleſiæ dignitate habet: *Velut paradiſum voluptatis dextera divina plantatam beatus Andreas Apoſtolus quaſi quadripartito flumine irrigavit, dum illam evangelicis do-*

(*d*) *Ep. 33.*

(*e*) *Ep. 199.*

*ctrinis edocuit, informavit exemplis, illuſtravit miraculis, & tandem paſſione mortis in crucis patibulo mirifice decoravit.* Ut vero ſummo animi gaudio delibutus nobiliſſimæ eccleſiæ cumulatiſſimum laudibus omnibuſque ornamentis decoratum præfecit Innocentius, ita ægerrime tulit Biblienſem epiſcopum, contrariis vitiis infectum, ſuæ ornamenta dignitatis inquinare; delatum fuerat ad Apoſtolicam ſedem omnis litteraturæ penitus expertem eſſe, percuſſum ab Antiocheno patriarcha anathemate, cenſuras eccleſiaſticas ſuperbo contemptu proterere, bona Eccleſiæ corrumpere ac diſſipare, res ſacras divendere ac prophanare: quibus commotus Tyrenſi archiepiſcopo atque electo
(a) Ep. 57. Tripolitano partes impoſuit (a) juridice in eum inquirerent, ſeque totius rei facerent certiorem, ut meritis eum pœnis percelleret.

LI. Res Terræ S. (b) Ep. 12. 13. Sarraceni Aſiatici inter ſe diſſident.

Defluximus ad Terræ ſanctæ res, ad quas promovendas Innocentius patriarchæ Hieroſolymitano legati apoſtolici dignitatem contulit (b): cui poſtea eo munere fungenti literas inferius adducendas miſit. Laborabat inteſtinis diſſenſionibus Syria, cum alii Friderici ſtudio ſultano Babyloniæ adhærerent, alii contra ruptis cum illo initis a Richardo comite Cornubiæ induciis cum Damaſci & Crachi ſultanis arma conjunxiſſent Babyloniumque laceſſerent; cujus potentia cum formidinem juſtam afferret, Innocentius, cui Terræ ſanctæ res altiſſime pectori defixæ erant, quaſi futurorum malorum præſagus ardentiſſimis animis in patriarcha, archiepiſcopis, epiſcopis, Hoſpitalariis, Templariis, aliiſque proceribus ad everſa Hieroſolymorum mœnia inſtauranda, firmanda propugnaculis, aggeribus, foſſiſque munienda, cum præclaram Sarracenorum diſcordiæ occaſionem darent, excitandis incubuit; pollicituſque ſe Chriſtianos o-
(c) Ep. 53. mnes ad contribuendos ſumptus literis (c) apoſtolicis inflammaturum. Hieroſolymæ enim mœnia a Coradino, dum Chriſtiani Peluſii obſidioni inſiſterent, olim everſa, quamvis jactaſſet Fridericus, cum eam recepit, a ſe refectum iri, nondum magno religionis damno, ac inertia orientalium fuerant, ut par erat, inſtaurata, juſtiſque molibus communita: quare hæc patriarchæ Pontifex demandavit.

*Patriarchæ Hieroſolymitano Apoſtolicæ ſedis legato.*

LII. *In ſuccurſum Terræ ſanctæ accendi debent corda fidelium ad liberationem ipſius, qua poſſunt ſubventione debent aſſurgere Chriſtiani, ex eo inducti potiſſime, quod in illa ſpecialiter Dei Filius unigenitus Jeſus Chriſtus tunc hoſtis antiqui jugo inceſſanter oppreſſis voluit miſericorditer ſubvenire, ipſoſque pretioſo ſui ſanguinis pretio de perpetuo ſervitutis carcere liberare.*
Hieroſol. mœnia propugnacula refici jubet Innocentius.
*Cum itaque civitatis Hieroſolymitanæ muri ſint undique diruti, extantibus tantum fundamentis ipſorum; & dignum exiſtat, ac inter alia ſuffragia plurimum expediens ipſi terræ ut tam veneranda civitas Chriſti conſperſa ſanguine mœnium fortitudine muniatur; venerabiles fratres noſtros archiepiſcopos & epiſcopos, & dilectos filios alios eccleſiarum prælatos, & eorum capitula, nec non domus militiæ Templi, Hoſpitalis Hieroſolymitani, & S. Mariæ Theutonicorum magiſtros & fratres, alioſque religioſos ac nobiles viros, barones & alios Chriſti fideles in ultramarinis partibus conſtitutos monendos, rogandos duximus & hortandos attentius, in remiſſionem eis peccaminum injungentes, quatenus ad reparationem murorum civitatis ejuſdem, quam liberius & melius fieri poteſt, hoc tempore exorta diſcordia ſoldanorum, per quam dictæ terræ videtur Dominus ſpecialiter providiſſe; cum etiam catholicos mundi principes & univerſos Chriſtianos alios, quod ad hoc honorifice manum porrigant charitatis, noſtris literis inducere attentius intendamus; dent opem & operam efficacem, & ad principium potiſſime tam pii & utilis operis congruum ſubſidium juxta taxationem, quam tibi ſuper hoc dirigimus, ſcriptis noſtris duxeris faciendam certam ſingulis eorum ſubventionem tam in militibus, & operariis, quam aliis ejuſdem operi neceſſariis, conſideratis eorum facultatibus, imponendo ſine difficultate qualibet largiantur. Quocirca mandamus quatenus taxationem eamdem faciens juxta prudentiam tibi deſuper attributam, & habens præ oculis ſolum Dominum, nominatum ſubſidium, ſecundum quod a te taxatum extiterit & expreſſum, inſtanter exigas, faciens illud aſſignari tibi ab omnibus ſupradictis. Datum Anagniæ non. auguſti anno* I. Hæc ſi vecordes Chriſtiani Syri attendiſſent monita, ac perfeciſſent, non ita poſtea, cum a Babylonio inſtigati Choraſmini irrupere, urbem ſanctam ut ſuſtinendis barbarorum inſultibus impotentem turpi fuga, nondum hactenus poſt tot ſæcula recuperatam deſeruiſſent.

In-



I. INgentium præſagus malorum annus a ſalute humani generis milleſimus duceteſimus quadrageſimus quartus, indictione ſecunda, ex Pontificis, tyrannidem & inſidias Friderici declinantis fuga in Gallias, Hieroſolymorum, quæ hactenus ſub infidelium jugo lugent, excidio, & dominico ſepulcro a Choraſminis everſo ac prophanato acerbiſſimus piis omnibus extitit. Tantæ cladi occaſionem Tartari præbuere: immanis enim ac victrix ea gens per ingentia locorum ſpatia diffuſa, populoſque innumeros complexa, ſi in occidente aliquantulum reprimi viſa eſt, in oriente latius armorum terrorem circumtulit (a); in Perſidem magno impetu vaſtatis quibuſque obviis atque exciſis oppoſitis exercitibus irrupit, pervaſit alias regiones; jamque imminebat Choraſminis ferociſſimæ nationi, quæ rubri maris littora, qua Arabia erythræo ſinu perfunditur, accolebat, ac periculi terrore perculſa, relictis priſtinis ſedibus, novas terras quærebat. Infecta erat Mahumetica ſuperſtitione: ab aliis tamen Sarracenis ob immanitatem excluſa, ad ſoldanum Babylonium Chriſti fidelium hoſtem atrociſſimum ſe contulit: quibus perſuaſit Babylonius, ut vicinorum Chriſtianorum cultiſſimas terras invaderent, ſe ipſis auxilio futurum; ita Choraſminos, quos in ſuo regno pertimuerat, in Hieroſolymitanum avertit.

Tartari in oriente late victorias proferunt. (a) Par. hiſt. Angl. hoc ann. Choraſmini ab iis ſuis ſedibus ejecti. Immittuntur a Sultano Babyl. in Chriſtianos Syros

II. Irrupere igitur improviſi, tantumque terrorem incuſſere, ut ſancta civitas, in quam innumera Chriſtianorum omnis ſexus, ætatis, & conditionis ad perluſtranda redemptionis noſtræ veneranda veſtigia confluxerat, primo illorum adventu oppreſſa in lugubre fidelium ſepulcrum converſa fuerit. Quæ vero cauſa illi populorum concurſui occaſionem dediſſet,
(b) Ext. in MS. Vall. bibl. ſignificat Fridericus in ſuis literis (b), additque Babylonium ſultanum ob junctam a Chriſtianis adverſus illum cum Damaſci & Crachi ſultanis armorum ſocietatem, de qua ſuo loco diximus, efferatum barbaros in noſtros concitaſſe: *Dederat concurſui cauſam famoſi loci longis retro temporibus a Chriſticolis maxime deſiderata ſecuritas, & ſiniſtris auſpiciis diebus illis obtenta quarumdam occaſione treugarum; quas ſoldanus Damaſci & Nathaſar, & ſoldanus Crachi, qui prius hoſtes & adverſarii fuerant, concordiam invicem facientes ipſam cum Chriſtianis ea conditione fecerunt, quod tota regni Hieroſolymitani terra, quam Chriſtiani poſſederant trans Jordanem, retentis ſibi villis & montanis aliquibus, reſtituta, Chriſtiani ſoldanis eiſdem in expugnatione ſoldani Babyloniæ deberent aſſiſtere toto poſſe. Qua confœderatione tanquam in ſui perniciem juncta, ſoldanus accinctus prædictam gentem barbaricam Cobeſminorum per deſerta vagantem, & velut feram in ſalicibus cum venabulo fugientem ad ſuæ defenſionis auxilium convocavit; qui ſibi reputantes oblatum ſubſidium potius, quam petitum, ad deſignata loca non minus taciti, quam celeres pervenerunt: univerſos hoſtes advenientes maturius noſtrorum vigilantia novit quam venturos.*

Ob initam cum Damaſci & Crachi Sultanis ſocietatem in ipſos fuerat irritatus.

III. Fugiunt metu hoſtis Hieroſolymis Chriſtiani.

*Sicque factum eſt, ut Chriſtianorum exercitu cum ſoldanis prædictis in gravamen ſoldani Babyloniæ apud Accara commorante, patriarcha Hieroſolymitanus de partibus ciſmarinis ad partes illas athleta novus acceſſit: quo ſupervenientis perfidæ gentis metu de civitate Hieroſolymitana * una cum magiſtris domorum hoſpitalis & militiæ templi, & univerſis habitatoribus civitatis ejuſdem, tanquam de humano præſidio deſperatis noctis ſilentio præcedentibus, ſalubriter verſus * Mopem.*

* abſceſſit.
* Joppen

IV. Inſignis Chriſtianorum vecordia in non munienda propugnaculis firmiſſimis Hieroſolyma.

Fugam ex Hieroſolymis arripuere, cum ſanctam civitatem ad propulſandos hoſtium impetus propugnaculis, ut par erat, non munitam cernerent; æquaverat illa ſolo Coradinus, dum Chriſtianus exercitus ſub Rege Joanne Brennenſi Damiatam expugnaret; cum ſuſtinendæ illius potentiæ, ſi Hieroſolymas invaderet, imparem ſe fore diffideret, metueretque ne urbs a Chriſtianis recuperata tutum illis receptaculum foret: nec poſtea Fridericus cum mœnibus exutam a ſultano Babylonio ſanctam urbem ex pacis legibus recepit, quamvis promiſſa magnifica jactaret, illam propugnaculis muniturum adæquatis ſolo mœnibus deformatam priſtino decori reſtituerat: ac licet Innocentius ſuperiori anno patriarchæ dediſſet imperia (c), ut reficiendis mœ-
(c) Inn. l. 1. ep. 53. nibus incumberet, ſumptibuſque tranſmarinos Chriſti fideles contribuere juberet, vel non cœptum opus, vel ignave perductum fuerat; in quo ſingularis etiam Friderici Hieroſolymorum Regis vecordia fuit, qui regiam urbem adverſus Sarracenorum impetus firmare negligeret, & omnia conſilia in opprimenda Eccleſia conſumeret. Subdit ille de iis, qui fuga Hieroſolymas deſeruerant, miſere circumventos in urbem ad lugubrem carnificinam fuiſſe revocatos.

V. *Emenſo jam fere medietatis itineris ſpatio ad cujuſdam vanæ ſeu potius callide procuratæ vocis auditum, quæ Cobeſminorum natione devicta ſecurum peregrinationis & civibus reditum promittebat, homines regionis & incolatus affectione ſeducti confeſtim ad victimam potius, quam ad patriam redierunt. Et nondum eiſdem infra*

ſe-

Intercipiuntur Hieroſolymis.

*ſepta domorum reſpirantibus a labore, priuſquam fere ſarcinulas ſuas & itineris impedimenta deponerent, ecce quod multitudo gentis hoſtilis, quam dinumerare nemo poterat, univerſam terræ faciem occupans ſic impetuoſe, ſic ſubito, continuatis impugnatorum agminibus, circumdedit civitatem, ut nec in defenſione præſidium, nec in fuga conſilium obſeſſis fidei noſtræ pugilibus laxaretur.*

VI. Fugiunt noctu Chriſtiani.

*Ambigentibus autem eis cujuſmodi mortis genus eligerent, ex prædictis tandem, etſi nulla via ſecurior, ſaltem eſt viſa via dilatior, ut per fugæ remedium aliquos a perſequentium oculis cavernæ montis imminentis abſconderent, & noctis circuitu aliqui manus occidentium feſſas evaderent.* Et paulo inferius: *Non defuit tamen inter tot advenarum hoſtium male ductorum & cognitor viarum indigena, qui ſufficientes inſidiantium turmas velut per ſilvas anguſtas venatores per inevitabilia loca diſpoſuit; & in quorum manus quanto celerius fugerent, tanto rapidius caderent fugientes. Sed fefellit, proh dolor! eventus rei miſerandæ conſilium, qui tanquam in rete paratum avibus ſic omnes ſeptem millia fere hominum inciderunt, inceſſantibus ſanguinis occiſorum per valles montium velut profluentis aquæ decurſibus.*

Cæduntur paſſim in fuga.

VII. Fœderatos noſtrorum Sarracenos ſultanorum Damaſci & Crachi ditionis, ſingulari in ea calamitate adverſus Chriſtianos perfidia uſos deplorant G.. e Caſtro novo religioſi equitis literæ (*a*): cum enim inito cum iis fœdere adverſus Babylonium communem hoſtem præfidentes per eorum terras fugam, ut ſuæ conſulerent ſaluti, corriperent, illi inſito religionis odio Chriſtianos incautos contrucidarunt. Addunt ſuperioribus eædem literæ Choraſminos cæſis iis, qui in ſancta civitate reſtiterant, hac arte uſos ad alios e fuga revocandos, ut aſportatis opibus potirentur: Chriſtianorum ſigna, quæ repererant in urbe extuliſſe, iiſque conſpectis, qui fugerant, arbitratos partam ab iis, qui remanſerant, de barbaris victoriam, atque ad meliorum ſpem excitatos mutuis ſe ſermonibus ad reditum, quamvis Templariorum magiſter, qui cum acie equitum verſus Joppem ſe recipiebat, ab eo conſilio abduceret, cohortatos: ſeque hoſtium laqueis ac ferro ob funeſtam relictarum opum cupiditatem induiſſe.

*(a) Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Choraſminorum dolis e fuga Chriſtiani revocantur.

Deploranda porro Chriſtianorum vecordia fuit, qui imminente hoſte non ad ipſum repellendum ſe accinxerint, ſed adeo ex timore mente emotos, ut diviſi invicem animis non in armis, ſed turpi fuga præſidium quærerent: contigitque ut plures in fuga, quam in aſperrimo prælio cæderentur, uti exprobrat in literis Fridericus: *Nulla prius extitit pugna, ſed cædes: infantes autem & virgines in urbem ſanctam nequiter reduxerunt, ſenes, infirmos, & debiles, ac moniales ad fugæ laborem inhabiles in urbe relictos in ipſorum, quin potius in ipſius Dei noſtri conſpectu ſepulcro Domini inclyto, quod fuerat fidei Chriſtianæ viſibile * nutrimentum, miſerabiliter occiderunt.*

Immanes ſtrages in Hieroſolymitanos editæ.

** monimentum*

VIII. De prophanato innumeris Chriſtianorum cædibus ſepulcro dominico a Choraſminis, quos Groſſomos appellat, locutus Nangius ait (*b*) ſacrum illud vaticinium tum impletum: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum; poſuerunt morticinia ſervorum tuorum, eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ: effuderunt ſanguinem tanquam aquam in circuitu Jeruſalem, & non erat, qui ſepeliret.* Eadem continent lugubres a Roberto patriarcha A. S. L. aliiſque præſulibus & proceribus Syris ad Galliæ & Angliæ epiſcopos literæ (*c*); quæ immania ſacrilegia magno religionis Chriſtianæ dedecore in ſepulcro Domini aliiſque locis ſacris patrata ita deſcribunt.

*(b) Guill. Nang. in geſtis S. Lud.*

*(c) Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

IX. Sepulcrum dominicum a barbaris prophanatum.

*Prænominati perfidiſſimi Iſraelitanam civitatem intrantes, quaſi populo deſtitutam, Chriſtianos, qui ibi remanſerant, ſeque infra eccleſiam ſepulcri Dominici receptarant, ante ipſum ſepulcrum eviſceraverunt univerſos, & decapitantes ſacerdotes, qui in altaribus celebrabant, dicebant ad invicem: Hic effundamus ſanguinem populi Chriſtiani, ubi vinum libaverunt ad honorem Dei ſui, quem hic dicunt fuiſſe ſuſpenſum.* Subiiciunt literæ infanda alia impiorum ſcelera, ut ſepulcri dominici ornamenta, ad ſepulcrum Mahometi decorandum tranſtulerint: *Inſuper cum dolore dicimus, & cum ſuſpiriis intimamus, quod in ſepulcrum reſurrectionis dominicæ manus ſacrilegas extendentes, illud multipliciter deturparunt: tabulatum marmoreum, quod circumcirca erat poſitum funditus evertentes; & montem Calvariæ, ubi Chriſtus extitit crucifixus, & totam Eccleſiam, ultra quam dici valeat in omni turpitudine, quantum in ſe fuerat, fœdaverunt. Columnas vero ſculptas, quæ ante ſepulcrum Domini erant ad decorem poſitæ, ſuſtulerunt, illas in Chriſtianorum contumeliam ad ſepulcrum ſceleratiſſimi Mahometi, in ſignum victoriæ, tranſmittentes: & violatis ſepulcris felicium Regum in eadem eccleſia collocatis, eorum oſſa in Chriſtianorum injuriam diſperſerunt: montemque Sion reverendiſſimum ſine reverentia prophanantes, templum Domini eccleſiam vallis Joſaphat, ubi B. Virginis eſt ſepulcrum; Bethlem, & locum nativitatis Domini indignis relatu enormitatibus polluerunt, omnium Sarracenorum nequitiam excedentes,*

Ornamenta illius ad Mahometi templum tranſlata.



*tes, qui licet terram Chriſtianorum ſæpius occupaſſent, loca ſancta utcunque veneranter conſervabant.*

X. Induunt crucem fideles in Choraſminos.

Tanta immanitas cladi ſuperſtites incitavit, ut in arma ad ſuorum fuſum ſanguinem vindicandum proſilirent: explicata crucis ſigna: certatim dantur nomina: patriarcha voce, nutu, lacrymis omnes inflammat: concurritur in hoſtem: pertinaciſſimis animis dimicatum: innumeri Chriſtiani occumbunt: multo plures ex barbaris cæſi: tenuit integrum diem atrociſſima pugna, donec nox calentes ira animos prælium dirimere coegit. Redintegratum iterum poſtea, in quo obruti hoſtium numero Chriſtiani conciſi, ac profligati ſunt, ut G.. e Caſtro novo religioſi equitis literæ deſcribunt: (*a*) *Quia atrocitas tanti facinoris intolerabilis omnium fidelium devotionem provocavit ad ulciſcendum ſui creatoris injuriam, communi voto omnium fuerat cum annotatione præſentium conſtitutum, ut ordinata expeditione, ad præliandum contra perfidos accingeremur generaliter univerſi, auxilium de cœlo poſtulantes, & inimicos aggredientes, uſque ad diei concluſionem bello cruentiſſimo a ſummo mane infatigabiliter dimicavimus. Et ecce tenebræ cognitionem noſtrorum & adverſariorum * ademit. Ceciderunt ex noſtris innumerabiles, adverſantium tamen in quadruplo, ut poſtea compertum eſt, plures.*

*(a) Ext. apud Par. ubi ſup.*

Cruento cum iis prælio dimicant. Nox pugnam dirimit.

** ademerunt*

XI. Redintegrata die S. Lucæ pugna. Babylonius ſubmittit Choraſminis auxilia.

*Poſtmodum vero, die S. Lucæ evangeliſtæ, reſumpto ſpiritu, & invocato de ſupernis ſuffragio, fratres militiæ templi, & hoſpitalis, cum omnibus aliis religioſis bello mancipatis, & eorum viribus, generalique exercitu Chriſtianorum Terræ ſanctæ, ſub patriarcha publico edicto congregati, inierunt prælium cruentiſſimum cum dictis Choroſminis, & quinque millibus militum Sarracenorum recentium ſoldano Babyloniæ militantium, Choroſminis adhærentium: & aggreſſum eſt utrobique impetu validiſſimo, cum non poſſemus eos evitare. Erat itaque hinc inde exercitus magnus & fortis & numeroſus valde. Tandem nos impotentes tantæ reſiſtere multitudini, cum ſuperveniſſent ſemper novi, illæſi & recentes inimici, & nos qui decuplo illis pauciores eramus, vulnerati & fatigati, ſentientes adhuc pondus prælii antecedentis, ſuccubuimus, relinquentes eis campum cum victoria, eis cruenta & nimis empta: ceciderunt enim ex eis multo plures, quam ex noſtris inæſtimabiliter.*

XII. Dediſſe magnos hoſti ad referendam victoriam animos Sarracenorum, qui a Damaſci & Crachi ſultanis in auxilium noſtrorum, quibus fœdere juncti erant, ſubmiſſi fuerunt, ignaviam aut perfidiam, patriarchæ literæ (*b*) ſignificant; ipſos nimirum primo congreſſu a Choraſminis diſſipatos in fugam ſe conjeciſſe. At Chriſtiani, quos Chriſti amor conjunxerat, adeo generoſe in media pericula penetrarunt, ut nonniſi numero pauciſſimi ſuæ ſaluti conſulere dignati ſint; quos etiam vitæ pœnituiſſe refert G. de Caſtro novo his verbis: *Sicque indultum eſt nobis ab ipſo, qui eſt animarum Salvator, quod nec centum elapſi ſunt per fugam* (de religioſis equitibus loquitur). *Sed dum poteramus ſtare ad invicem nos in Chriſto cohortantes & confortantes infatigabiliter & alacriter, ita quod hoſtes ſuper hoc obſtupuerunt, dimicavimus, donec capti, quod tamen multum evitavimus, vel cæſi defeceramus. Unde nimis admirantes, dixerunt poſtea captivis ipſi: Vos ſponte mortis diſcriminibus obtuliſtis, & hoc quare? reſponderunt captivi: Maluimus mori in bello cæſis corporibus & animabus glorificatis, quam turpiter cædere fugitivi.*

*(b) Ext. apud eund. Par.*

Fœderati Chriſtianorum Sarraceni primo congreſſu terga dant. Certant pugnaciſſimis armis Chriſtiani ac vincuntur.

XIII. Qui ex eo prælio fuga evaſcere, Aſcalonem una cum patriarcha & Hieroſolymitani regni equitum magiſtro ſe recepere: patriarcha vero mox madidas lacrymis literas Regi Cypri ac principi Antiocheno tranſmiſit, ut auxilia ab iis ad reprimendas hoſtium excurſiones, tuendaſque reliquias Chriſtianorum imploraret. Cumque tutum ſe in ea arce non putaret, Acconem, quo fidelium multitudo ex variis locis confugerat, ſe contulit; atque ex ea urbe ad occidentales ſupplices literas ſcripſit (*c*), quibus auxilia flagitavit, ſignificavitque ut Choraſmini victores maximam Terræ ſanctæ partem partiti inter ſe fuerint, ut Babylonici iis conjuncti Acconem obſidione cingere moliantur, ut jam Aſcalonem oppugnent, ac fideles delere ex Syria meditentur: *Nihil aliud reſtare præterea, aut ſupereſſe videtur, quam ut crucis hoſtibus reliqua omnia ad votum deſiderata ſuccedant: qui in maximam audaciam & intolerabilem inſolentiam prodeuntes, caſtra ſua poſuerunt in planitie Accon prope civitatem per milliaria duo, & per totam terram uſque ad partes Nazareth & Saphet libere nullo reſiſtente, aut obicem ponente, longe lateque diſcurrunt, occupantes eandem; & inter ſe quaſi propriam dividentes, per villas & caſalia Chriſtianorum legatos & bajulos præficiunt atque conſtituunt, ſuſcipientes a ruſticis & aliis incolis redditus & tributa, quæ antea Chriſtianis præſtare & exſolvere ſolebant. Qui jam ruſtici incolæque Chriſtianis hoſtes effecti & rebelles, dictis Choroſminis univerſaliter adhæſerunt. Ita quod omnes Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſimul ac provinciæ Chriſtiani aliam terram non habeant ad præſens, niſi munitiones quaſdam, quas etiam cum maxima difficultate & labore defendunt.*

Patriarcha ab orientalibus & occidentalibus Chriſtianis auxilia implorat.

*(c) Ext. apud Pariſ. ubi ſup.*

Excurrunt uſque ad Ptolemaidis mœnia Choraſmini.

*Dicitur etiam, quod Babylonici apud Gazaram exiſtentes in multitudine infinita ven-*

Ad eam expugnandam ſe comparant.

*venturi ſunt ad partem Accon, ut ſimul cum Choroſminis obſideant civitatem. Recepimus etiam nuntios & literas* XXII. *die menſis novembris a caſtellano & fratribus hoſpitalis, qui ſunt in caſtro Scalone, quod exercitus Sarracenorum de Babylonia jam obſederant caſtrum ipſum, & tenebant obſeſſum, implorantibus a nobis & Chriſtianitate ſubſidium, & auxilium feſtinatum. Ut autem charitatem veſtram moveat pietas in compaſſionis affectum ſuper excidio Terræ ſanctæ, eo quod communibus humeris hoc onus incumbat, cauſam Chriſti vobis duximus intimandam &c. Dat. apud Accon* XXV. *die menſis novemb. anno Domini MCCXLIV.*

XIV. Joppenſis comitis conſtantia ſingularis.

In hac Syriæ calamitate innumeri lauros immortales in cœlo collegere, inter quos Joppenſis comes ab hoſtibus captus, ad arcis Joppenſis conſpectum adductus brachiis ſuſpenſus eſt, ut ſupplicii crudelitate Joppenſes ad miſericordiam, atque ad deditionem flecteret. Sed vir Chriſtianus, ſpreta ſupplicii acerbitate, Joppenſes hortatus eſt, ut adverſus hoſtem fortiſſime ſe defenderent, nec pro ſuo capite tot civium Chriſtianorum capita barbaro proderent. Deluſus itaque ipſius conſtantia hoſtis ſultano Ægyptio, qui ipſius ſanguinem ardentiſſime ſitiebat, gratiſſimi muneris vice tradidit. Cæterum ille poſt graviſſima ſupplicia exhauſtumque carnificum ingenium in fruſta concidi juſſit, cujus poſtea reliquias Sanctus Ludovicus cum in Syriam profectus eſt, ut debito honore ſervarentur, Ptolemaidem tranſtulit. Ut vero Rex ſanctiſſimus non ſine ſingulari Dei providentia hoc anno ſacro bello adverſus infideles ſe devoverit, dicetur inferius: nunc reliquas orientalium res proſequamur.

Crudeliſſimo mortis genere a barbaris occiditur.

XV. Conſtantinopolitanum Imperium in ſummum a Græcis periculum adductum.

Non feliciore Conſtantinopolitani Imperii, quam Syriæ res loco ſtabant: fluctuabat enim hoc tempore gravi bellorum turbine agitatum. Cujus tuendi cupidiſſimus Innocentius principes omnes Chriſtianos arctiſſimo fœdere conjungere atque in ſchiſmaticos claſſicum canere optabat; eoque ardentius, quo Terræ ſanctæ opportunum ſubſidium ea ratione pareretur, uti oſtendunt literæ ad principem Achajæ exaratæ (*a*), quibus Imperio orientali non deeſſe auxilio, cum maxime ipſius res ex eo penderent, obſecravit.

(*a*) *Lib.* 1. *ep.* 705.

*Innocentius, &c. Principi Achajæ.*

Innocentii pro eo fulciendo ſtudium.

*Inter cætera, circa quæ noſtræ ſolicitudinis invigilat oculus, ſpecialiter ad Conſtantinopolitani liberationem Imperii eſt intentus, hanc plurimum continuis in eam defixus cogitationibus concupiſcit. Sane cum ſedes Apoſtolica liberationem ipſam toto ſemper mentis affectu deſiderans grandis hactenus diligentiæ ſtudium, ut poſſet laudabiliter provenire, duxerit multipliciter adhibendum, auxilii ſui dexteram ad hoc magnifice porrigens, & opem nihilominus poſtulans aliorum, gravi non immerito dolore turbamur, quod ad hoc votum hucuſque peccatis impedientibus non extitit ſubſecuta, pro qua jam diu catholici non ſine laboribus ſumptuoſis, & laborioſis ſumptibus, anxiiſque ſudoribus, ac effuſione deflenda ſanguinis certaverunt. Verum quia Eccleſia corpori tam nobilis membri, Imperii videlicet præfati, carentia notam probroſæ deformitatis induceret, & jacturam periculoſæ debilitatis inferret, firma intentione proponimus eidem Imperio efficaci conſilio, & auxilio perſeveranter adeſſe, cura vigili & ſedula procurando, ut fidelium illuc deſtinato ſuccurſu, & Eccleſiæ manu ſubventionis extenſa de inimicorum jugo totaliter eripi valeat & libere, auctore Domino, ad ipſius reduci corporis unitatem: ad quod principes catholicos præſertim in ipſius Imperii partibus conſtitutos eo magis opem & operam convenit exhibere, quod ad orthodoxæ fidei & Chriſtianæ religionis augmentum diligentia debent intendere potiori.*

XVI.

*Ad ſuccurrendum autem Imperio prædicto illa præcipue decet fidelium quemlibet ratione moveri, quod ex hoc conſequenter ſubſidium impenderet Terræ ſanctæ, quia dum eidem ſubvenitur Imperio, utriuſque profecto neceſſitatibus providetur: hinc eſt quod nos ejuſdem Imperii adverſitatibus condolentes, & volentes ſibi militum ad præſens, & baliſtariorum ſubſidio maxime indigenti contra inſtantia pericula te ſuffragante opportunum præſtare juvamen; ad quod invenire te credimus, nec immerito, aliis promptiorem; nobilitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes in remiſſionem peccaminum injungendo, quatenus conſiderato prudenter, quod etſi alii principes Chriſtiani ſint tribulationum ipſius Imperii non expertes, tu tamen amplius & paſſionum ejus & conſolationum ex vicinitate, quin potius connexitate conſors exiſtis, ad ſubveniendum eidem in præſentis neceſſitatis articulo pro divina, & noſtra reverentia libenter, & potenter aſſurgas, &c.* Subdit ſe, quo magis ad ferenda Conſtantinopolitano Imperio auxilia ipſum inducat, Conſtantinopolitanæ & aliarum eccleſiarum ex ipſius terris colligenda vectigalia illi ab Honorio ad viginti annos, qui proxime exirent, obligata ad certum temporis ſpatium, de quo per nuntium fieret certior, concedere, modo centum cataphractos equites in illius Imperii ſubſidium anno integro ſuſtentaret. *Dat. Lat.* XVII. *kal. jun. an.* 1. Verſabatur (*b*) interim in occidente Balduinus, ut ex literis pontificiis conſtat, ſummaque ope contendebat, ut Fridericum ac Pontificem in concordiam adduceret, quo iis curis liber Innocentius apoſtolicam induſtriam in ſchiſmaticis contundendis, ac propulſandis Sarracenis collocaret.

Achajæ Principem ut opem illi porrigat adhortatur.

(*b*) *Ib. ep.* 645. *Par. hiſt. Angl.*



Conjunxerat (*a*) cum Balduino Toloſanus comes ſtudia ſua ad conciliandam pacem, de qua Friderici perfidia, abrupta antequam agamus, nonnulla ad Toloſanum comitem ſpectantia aliaque ab Innocentio, priuſquam Gallias peteret, geſta perſtringenda ſunt.

(*a*) *Inn. l.* 1. *ep.* 358. *& Frid. in lit. quæ ext. in MS. S. Vallic. bibl.*

XVII. Toloſanus comes cœtui fidelium a Pontifice reſtitutus.

Acceſſiſſe ad ſedem Apoſtolicam Raymundum Toloſæ comitem & diu vel in pontificia, vel imperatoria aula verſatum tradit Bernardus, (*b*) obtinuiſſeque, ut terra Venuſina ſibi reſtitueretur: fuiſſe etiam cenſuris, quibus a nonnullis religioſis Prædicatoribus fuerat irretitus, liberatum teſtantur Pontificis literæ (*c*) cum S. Ludovicus, qui multum apud Innocentium gratia poterat, ſuam auctoritatem adhibuiſſet. Ex quo apparet S. Regem, qui audita religioſorum virorum a præfecto comitis patrata cæde, expeditionem pro defendenda fidei cauſa compararat, Raymundo cum crimen a ſe removeret conciliatum. [1] Reſtituto itaque cœtui fidelium Raymundo, cum prius ſacramento adactus fuiſſet, crimen, ſi juſta de cauſa (contrarium enim contendebat) cenſuris implicitus eſſet, rite expiaturum, Innocentius (*d*) de re tota pium Regem certiorem fecit: *Antequam ad præſentiam noſtram accederet, ſecundum conſuetudinem dudum in Rom. Eccleſia obſervatam*, de ea loquitur, ex qua nullus devinctus anathemate in conſpectum Pontificis admittitur, ut in Friderici oratoribus ante vidimus, *recepta prius ab eo obligatione terræ ſuæ de parendo ſuper iis mandatis Eccleſiæ, ac juratoria cautione; pro quibus plenarie obſervandis, ac ſatisfactione præſtanda illis, pro quibus latæ fuerunt prædictæ ſententiæ, ſi eas apparuerit juſte latas quibuſdam certis perſonis de quorum providentia indubitatam fiduciam gerimus literas apoſtolicas deſtinamus. Cumque idem comes abſolutus ad noſtram præſentiam in humilitatis, ac devotionis ſpiritu poſtmodum acceſſiſſet, ipſum facie ſerena recepimus; & tractantes eundem benignitate manſuetudinis conſueta, eum tuæ interventionis obtentu; conſiderato etiam quod idem, cum non parvum locum inter alios principes orbis obtineat, Eccleſiæ poteſt ſua ſtrenuitate, potentia, & induſtria eſſe utilis, & non modicum fructuoſus; ad gratiam Apoſtolicæ ſedis de prædictorum fratrum conſilio duximus admittendum. Quocirca regiam ſerenitatem rogandam duximus & hortandam, quatenus eundem comitem, te interveniente reconciliatum Eccleſiæ, favore tuæ magnificentiæ taliter proſequaris, quod idem in Apoſtolicæ ſedis, ac tua devotione perpetuo permanens ad celſitudinis tuæ ſervitia fortius animetur. Dat. Later. kal. januar. ann.* 1. Eodem argumento literæ ad Galliarum archiepiſcopos, atque epiſcopos (*e*) tum ad Avinionenſem (*f*) præſulem A. S. L. exaratæ. Cui etiam partes impoſuit (*g*) inducias Toloſæ inter ac Provinciæ comites Aragonii Regis opera jam ante pactas, producere ſtuderet, ut bellum atrox, quod magna populis damna attulerat, ſopiri ac pacis tractatu conciliari poſſet. Ut vero in Raymundum comitem purgantem ſe a crimine hæreſis benignitatem apoſtolicam, ita in Ezelinum labe infectum ſervato judiciorum ordine ſeveritatem explicuit.

(*b*) *Bern. in chron. Rom. Pont.*
(*c*) *Lib.* 1. *ep.* 696.
(*d*) *Inn. l.* 1. *ep.* 358.

Commendatur S. Ludovico.

(*e*) *Inn. l.* 1. *ep.* 362.
(*f*) *Inn. l.* 1. *ep.* 413.
(*g*) *Ib. ep.* 414. 445.

Induciæ a Rege Arag. inter Provinciæ & Toloſæ comites ut conciliatæ.

XVIII. Ezelinus in judicium ob crimen hæreſis accerſitur.

Fœdabat ille hoc tempore Marchiam Tarviſinam ſuis ſceleribus, nec dubiis argumentis hæreſeos contagione erat inquinatus: adverſus quem Pontifex ut virtutum hoſtem & fidei perſecutorem, eo enim in literis nomine appellat, Rolando Cremonenſi Prædicatorum familiæ in eum inquirendi; explorataque veritate in loco tuto, quod formidanda ejus potentia videretur, præſente populi circumfuſa multitudine ſiſtere ſeſe ſacro tribunali indiceret, partes commiſit (*h*). Ad alios quoque Eccleſiæ hoſtes comprimendos animum applicuit ac Narnienſes Interamnenſibus, qui Eccleſiæ terga verterant, virili animo obſiſtere juſſit (*i*). Non leves illi ab hoſtibus, qui continuis excurſionibus ipſos laceſſebant, clades acceperant: quare pontifex ad deterrendos ab improbitate Interamnenſes continendoſque in fide Narnienſes ex Cardinalium conſilio ſanxit (*k*) nunquam Interamnenſes ad Eccleſiam niſi illata omnia Narnienſibus damna reſarciſſet, admiſſum iri. Cumque iidem perduelles novas iis diebus ſingulis injurias in-

(*h*) *Ep.* 517.
(*i*) *Ep.* 617.

Pontificium adverſus Interamnenſes decretum.

(*k*) *Lib.* 1. *ep.* 617.



NOTÆ [1] BEllum regis Galliæ cum Toloſano comite ad exitum uſque anni 1242. perſeveraſſe colligere mihi videor ex literis comitis Fuxenſis (qui Toloſano nunquam non adhæſit) vulgatis in collectione Martenii to. I. col. 1274. Datæ ſunt illæ menſe januario anni 1242. ſtylo veteri, ideſt anni 1243. atque libertatem permittunt militibus captis *in guerra ultime mota inter dominum regem & comitem Toloſanum*. Hanc captorum dimiſſionem ſpopondiſſe ſe ait in literis illis comes, *cariſſimo domino ſuo Ludovico regi Francorum illuſtriſſimo*; tum addit, a Toloſano comite liberati pariter permittendos fore milites in bello illo captos. Ex quibus intelligimus jam tunc pacem inter regem & Toloſanum coaluiſſe. MANSI

inferre moliantur, ſi quæ ipſis ea occaſione damna intulerint, indulget, ut nunquam ad ea ſarcienda conveniri poſſint.

XIX. Friderici ut in Urbem irreperent artes.

Incitarat Interamnenſes ad Narnienſes fatigandos Fridericus, qui non tacitas inſtruebat fraudes, quo potentiam ſuam ſive tyrannidem potius Romæ ſtabiliret, Frajapanes enim cives Rom. ut dimidiam Coliſæi partem palatiumque ipſi conjunctum atque alia annexa jura in ſe transfunderent, terrore coegerat: quam donationem Innocentius ut iniquam apoſtolicis literis convulſit (*a*): *Cum ſicut lecta coram nobis veſtra petitio continebat*, Henricum & Jacobum Frajapanos alloquitur, *nuper apud Aquampendentem in præſentia principis conſtituti eidem ad ſuam inſtantiam, ipſius timore perterriti, medietatem Coliſæi cum palatio exteriori ſibi adjacente, & omnibus juribus ad ipſam medietatem pertinentibus dilecto filio Anibaldo civi Romano titulo pignoris obligata, quæ ab Eccleſia Rom. tenetis in feudum de facto, cum de jure nequiveritis, duxeritis concedenda, præſtitis nihilominus juramentis vos contra conceſſionem hujuſmodi non venturos, prout in juramento inde confecto plenius dicitur contineri, licet ex hoc eſſetis non immerito puniendi; attendentes tamen, quod coacti quodammodo terrore tanti principis id feciſtis, conceſſionem hujuſmodi nullam eſſe penitus nuntiantes prædicta ad veſtrum & Eccleſiæ Romanæ jus & proprietatem auctoritate prædicta revocamus: juramentis prædictis nihilominus relaxatis eadem auctoritate excommunicationis vinculo ac pœnæ quinque millium marcharum argenti, omnes qui contravenire præſumpſerint, ſupponentes. Datum Laterani* XVI. *kal. maii pontif. noſtri anno* I. Extant eodem argumento literæ Henrico Frajapani ſacri palatii (*b*) Lateranenſis comiti atque Jacobo ipſius filio datæ, quibus eam donationem permutationis colore extortam ſcribit, reſcinditque, ne ex eo ad affectandum Urbis dominium occaſionem aucuparetur.

(*a*) *Ib. ep.* 603.

Diſſolutæ a Pontifice.

(*b*) *Ep.* 619.

XX. Fridericus præſefert Eccleſiæ gratiam ambire.

Patuit ſane paulo poſt, quem adverſus Eccleſiam animum gereret Fridericus, quoſque in Pontificem dolos moliretur, cum violato pacis tractatu Innocentium inſidiis ſuis irretire eſt conatus. Jam eo Balduinus Imp. ac Toloſanus comes, quos concordiæ inter Pontificem ac Fridericum conciliatores fuiſſe ſuperius inſinuavimus, rem adduxerant, ut Fridericus ſacramento fidem ſuam alligaret omnia Eccleſiæ imperia libentiſſime excepturum; iis omnibus, ob quæ anathemate a Gregorio ictus fuerat, facturum ſatis; injurias omnes ac damna eccleſiaſticis ante & poſt latam ſententiam inflicta repenſurum. Sed vir inconſtans paulo poſt e ſuſcepta mente reſiliit, ac pontificia imperia obtrivit. Quo animadverſo Innocentius mox principes omnes rei geſtæ fecit certiores, ut ſuæ cauſæ æquitati adverſus tyrannum adeſſent: inter quos Lantgravio Thuringiæ Apoſtolicæ ſedis ſtudioſiſſimo, qui poſtea adverſus Friderici tyrannidem Imperator renunciatus fuit, has literas exaravit (*c*).

*Nobili viro Lantgravio Thuringiæ.*

(*c*) *Ep.* 645.

XXI. Pollicetur facturum ſatis Pontifici.

*Ut quæ noviter nobiſcum acta ſunt, in tuam & omnium principum veniant notionem, dignum duximus intimare, quomodo poſt tractatus multiplices pacis nobis & amicis Eccleſiæ honorabilis & ſecuræ, ac promiſſiones factas a principe diviſas per articulos, & conſcriptas per nuntios ſuos nobilem virum comitem Toloſanum, magiſtros Petrum de vinea, & Thadæum de Sueſſa curiæ ſuæ judices, in die cœnæ Domini proxime præterita; præſentibus chariſſimo in Chriſto filio noſtro Conſtantinopolitano Imperatore illuſtri, ac fratribus noſtris; adſtante quoque turba non modica prælatorum, coram ſenatoribus & Romano populo univerſo, & multis aliis, qui de diverſis mundi partibus ad diem feſtum convenerant juxta morem; de ſtando mandatis noſtris & Eccleſiæ ſuper omnibus articulis pro quibus per piæ memoriæ Gregorium Papam prædeceſſorem noſtrum fuit vinculo excommunicationis aſtrictus, ac damnis, injuriis, & offenſis eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis ante & poſt excommunicationem illatis præſtitit publice juramentum, a quo non poſt multos dies elegit reſilire potius, quam parere, adimplere quod ſibi mandavimus renuendo. Sane ut devotionis affectum, quem erga Rom. Eccleſiam habere diceris, exhibeas laudabiliter in effectu, expedit ut negotium fidei per te laudabiliter inchoatum promptius exequaris, ut exinde uberior tibi creſcat cumulus meritorum, & Apoſtolicam ſedem ad incrementum tui nominis, & honoris fortius habeas obligatam: nos enim in propoſito gerimus, quod te in dicto negotio minime deſeramus. Datum Laterani* II. *kal. maii anno* I.

XXII.

Ad hæc illuſtranda hiſtoriæ veritatem ex Pariſio, ipſis Pontificibus Romanis iniquiore, confirmare operæpretium eſt. Is igitur diſſimulare non potuit vecordiam Friderici, qui rerum antea geſtarum levi dolore correptus Toloſano comiti, Petro e Vineis, ac Thadæo e Sueſſa procuratorias partes impoſuit, ut ſolemni ſacramento ſe devincirent, ipſum pontificiis imperiis pariturum, omnibuſque damnis ac injuriis ante & poſt inflictum anathema irrogatis Eccleſiæ facturum ſatis; & quidquid ii gererent ratum habiturum, qua de re diploma publicum edidit (*d*): *Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Per præſens ſcriptum notum facimus univerſis, quod nos Raymundo illuſtri comiti Toloſano, dilecto affini ac fideli noſtro, & magiſtris Petro de Vinea, & Thadæo de Sueſſa, magnæ curiæ noſtræ judicibus & fidelibus noſtris ſpecialem & plenam concedimus poteſtatem jurandi in anima pro parte noſtra ſtare mandatis domini Papæ & Eccleſiæ ſuper omnibus articulis, injuriis, damnis & offenſis, ante & poſt excommunicationis ſententiam eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis illatis, pro quibus olim per Gregorium ſummum Pontificem contra nos ipſa excommunicationis ſententia noſcitur fuiſſe prolata; ratum habentes & firmum quicquid ſuper hoc prædicti fideles noſtri duxerunt faciendum. Ad cujus rei memoriam & debitam firmitudinem, præſens ſcriptum aurea bulla* * *topazio noſtræ majeſtatis impreſſa juſſimus communiri.* [1]

(*d*) *Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

* *typario*





XXIII.

Addit auctor Fridericum literis Angliæ Re-



NOTÆ

[1] MUlta ſunt, quæ in toto hoc tractandæ pacis Fridericum inter & Innocentium negocio illuſtratione indigent; cui proinde explicando opportunus accedit Nicolaus de Curbio in vita Innocentii. Ita vero ille rem totam exponit. Anno ſuperiori nondum elapſo intelligens pontifex legationem a ſe miſſam ad imperatorem, de qua in annalibus ad A 1243. XIII. recidiſſe vacuam, tentandum iterum & tertio imperatorem cenſuit, miſſo bis ad ejus animum flectendum Ottone Portuenſe, *qui*, ait Nicolaus, *erat amicus ejus;* quam amicitiam ſibi forte conciliaverat Otto dum in carcere ab imperatore detinebatur vinctus. Sed nec illo æquiora impetrante & deſperatum fuiſſet de pace, niſi ſubito, ex inſperato veniſſent in urbem a Friderico miſſi Toloſanus comes cum Petro de Vineis, & Thaddæus de Sinveſſa, qui palam in plena populi concione ſolemni die cœnæ Domini profeſſi ſunt imperatorem poſtulata omnia impleturum. Sed brevi conſtitit vanis pollicitationibus pontifici illuſum fuiſſe; nam miſſus ad recipiendas terras pontificias Bonvicinus eques templarius papæ a ſecretiori cubiculo illuſus rediit. Neque tamen ſpem capiendi pontificis Fridericus deſeruit, ſed per delectos nuncios illum requiſivit, ut unam ex neptibus ſuis Conrado filio ſuo nuptui traderet, quod pontifex actutum rejecit. Poſtmodum die ſabbati, octavæ pentecoſtes anni 1244. cardinales XII. renunciavit; *cum non eſſent tunc niſi ſeptem in eccleſia*, ait Nicolaus, qui & addit e cardinalibus illis tunc renunciatis tres epiſcopos, presbyteros totidem & diaconos ſex adlegiſſe. Hinc conſtat Pariſium, qui decem Cardinales die SS. Trinitatis dictos ſcribit, minus accurate numerum, & tempus definiiſſe. Conſtat inſuper Ottonem tunc primum, non vero præcedenti anno 1243. ut abſque idoneo teſte aſſerit annaliſta num. 15. ad Portuenſes infulas tranſiſſe. Quanquam enim Nicolaus ante hoc tempus Portuenſem epiſcopum illum appellat, id tamen anticipatione quadam præſtitiſſe cenſendus eſt; quis enim ignoret, illum, quo tempore in manus Friderici incidit captivus, diaconum tantummodo cardinalem egiſſe, quanquam ab hiſtorico hæc narrante, Portuenſis epiſcopus appellaretur? Denique errat Ciaconius qui promotionem hanc cardinalium Lugduni facta conſtituit; Romæ enim tunc Pontifex agebat.

Secundum hæc, teſte Nicolao, Innocentius die ſeptima junii Tifernum, ſeu civitatem Caſtellanam adiit, quo imperator Interamniæ verſans, miſit Petrum de Vineis, & Gualterium de Sora, ut ſub obtentu tractandæ pacis pontificem *ſecurum redderent, & incautum*. Sed ille non ignarus doli, clam miſit ad Genuenſes F. Bojolum minoritam, rogans ut inſtructa triremium claſſe ad ſe Genuam transferendum venirent. Munere hoc ſuo egregie functum legatum aſſerit continuator Caffari, addens Genuenſes inſtructa XXII. triremium claſſe Centum cellas, ſeu *civitatem*, ut ipſe appellat, *Vetulam* appuliſſe, ex quo ſtatim certiorem de adventu ſuo pontificem fecerunt. Ille interim die eadem, nempe XXVII. junii, ait Nicolaus de Curbio, Sutrium ſe contulit, ſpecie quidem ut ibi feſtum SS Apoſtolorum Petri, & Pauli ſolemni apparatu celebraret. Sed pontifex nocte ipſa paucis familiaribus aſſumptis Centum cellas clam pergens, eo pervenit die feſta SS. apoſtolorum circa horam nonam, ibique eadem ipſa die circa horam veſpertinam claſſem conſcendit, datiſque velis die octava SS. apoſtolorum Genuæ portum tenuit. Ea in urbe morbo corripitur contracto ſive maris jactatione, ſive tot rerum adverſantium tædio & mœrore, adeoque ad ſalubriorem aerem captandum divertit ad monaſterium S. Andreæ de Sexto, ibique ſubſiſtit uſque ad menſis octobris diem quintam, qua Varaginem tetendit, ait continuator Caffari. Tum contulit ſe ad *caſtrum Stellæ*, ait Nicolaus, & continuator Caffari; (qui locus non procul erat a Varagine, parebatque Genuenſibus) ibi pauliſper ab ægritudine ſua, quam graviſſimam fuiſſe & pene mortalem aſſerit idem continuator, recreatus tandem die IX. Kal. novembris diſcedens Carrariam divertit, unde poſt triduum V. Kal. ejuſdem menſis Cortomiliam, tandem die VIII. idus novembris Aſtam pervenit. Urbs iſta tunc imperatori obſequens pontifici primum fores occluſit; dein vero facti pœnitens reſeratis illis pontificem admiſit. Tunc Segutiam ſe contulit, quo terreſtri itinere e Sutrio venientes pontificem aſſecuti ſunt Otto epiſcopus Tuſculanus, & Hugo S. Sabinæ presbyter cardinalis, *qui venerunt de Franciæ, & in eo caſtro Segutiæ ſui cardinalatus annulos receperunt*, ait Nicolaus de Curbio, cujus verbis intelligimus cardinalatus inſignia tunc annulum fuiſſe, cui dein ſubſtitutus eſt pileus purpureus, cujus uſum Innocentius ipſe non poſt multos annos invexit. Hugo iſte innoteſcit eruditis ſub nomine Hugonis de S. Caro, qui e monacho S. Dominici hoc ipſo anno in celebri XII. cardinalium promotione ad eam dignitatem evectus fuit inſignis eruditionis merito, cujus ſpecimen supereſt in egregiis commentariis in univerſam Scripturam, tum ex utiliſſimo concordantiarum ſacræ ſcripturæ opere, quod ipſe primum concinnavit. Sed ad pontificem regrediamur, qui tranſactis alpibus cœnobium Altecumbæ Ciſtercienſis ordinis viſitavit, iterque ſuum proſequens die II. decembris Lugdunum pervenit. Hæc ratio itineris pontificis, quæ latius explicanda a nobis fuit ex authore, qui pontifici per totam viam comes acceſſit, cum Raynaldus nonniſi ſummam ejuſdem itineris ex authore extero in annales ſuos referens non ſimplici vice una cum illo in narratione ſua erraverit. MANSI

Regem rogaſſe, ut oratores mitteret, qui inchoato Toloſani comitis opera pacis tractatui inter ſe atque Eccleſiam ineundo intereſſent. Tum recenſet capita contrahendæ concordiæ, quorum præcipua hæc ſunt: Reſtitueret Fridericus omnes terras, quæ ante diſſenſionem obortam ditionis pontificiæ fuiſſent, tum quas Eccleſiæ fœderatis eripuiſſet: ſcriberet ad Chriſtianos principes, ſe Eccleſiæ ſummam auctoritatem non ſpreviſſe, ſed cum ſententia a Pontifice lata ſibi denuntiata non fuiſſet, conſilio Italiæ ac Germaniæ principum non ſervandam cenſuiſſe, ſummamque Romanum Pontificem in omnes clericos vel laicos auctoritatem obtinere profiteretur; interim ſe eleemoſynis, jejuniis, piiſque operibus culpam præteritam expiaturum, atque ſententiam ad abſolutionis diem ſervaturum. Quod ad præſules captos ſpectabat, reſtituturum omnia, quæ tunc erepta reperirentur, aliorumque jacturam ſarcitum iri; eccleſias ac xenodochia excitaturum, pontificiiſque mandatis, ſalva tamen Imperii regnorumque poſſeſſione, obtemperaturum. Quod ad eos, qui Eccleſiæ partes defendiſſent ſpectaret; omnia edicta in eos lata revocatum iri. Cæterum de acceptis ante geſtas cum Eccleſia inimicitias injuriis, Pontificis & Cardinalium ſententiæ ſtaturum, captivos omnes liberatum iri; ejectos patria ac bonis ob amplexas Pontificis partes libere ad propria redituros.

XXIV. Concordiæ ineundæ leges. (a) Apud Pariſ. ubi ſup.

*Super (a) facto terræ inventa eſt forma, quæ placet utrique parti, ſcilicet quod tota terra, quam poſſidebat Eccleſia tempore excommunicationis, ſibi reddatur; & idem de adhærentibus Eccleſiæ: ſuper contemptu clavium ſcriberet Imperator generaliter per totum orbem, quod in contemptu Eccleſiæ & poteſtatis eccleſiaſticæ ſententiam per dominum prædeceſſorem ſuum non contempſit; ſed cum prædicta ſententia ſibi denuntiata non fuerit, de conſilio prælatorum & aliorum nobilium Alemanniæ & Italiæ proceſſit, quod prius quam ſibi denuntiaretur, eam non tenebatur ſervare; profitetur tamen, quod recognoſcit bene quod deliquit in hoc non ſervando, & malefecit, cum bene ſciat & credat fideliter, quod tam ſuper eum, quam ſuper omnes Chriſtianos Reges & principes, clericos & laicos habet ſummus Pontifex, etiamſi peccator exiſtat, quod Deus avertat, in ſpiritualibus plenitudinem poteſtatis. Nihilominus ſubſidium pro iſto exceſſu faciet in militibus vel pecunia, cuicunque dominus Papa Chriſtianitatis, quantumcunque & quale viderit expedire: alias eleemoſynas & jejunia facturus juxta ordinationem domini Papæ; & ſententiam ipſam uſque ad diem abſolutionis humiliter, & devote ſervabit.*

*Super captione prælatorum: in primis omnia ea quæ ad eum pervenerunt de his, quæ capta ſunt in galeis, vel apud eum poterunt inveniri, integre reſtituet, & reſtitui faciet: de reliquo volentibus damna paſſis, juxta mandatum domini Papæ, de cujus benignitate confidit, ſatisfaciet. Faciet etiam in ſatisfactionem hujus offenſæ, & ob honorem Dei hoſpitalia & eccleſias, ad diſpoſitionem domini Papæ, quot, & ubi, & ſicut viderit expedire; & prædicta loca dotabit, ſicut dominus Papa mandabit. Super prædictis, & ſuper aliis omnibus articulis injuriis, damnis & offenſis, ante & poſt diſcordiam & latam ſententiam, eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis illatis, pro quibus excommunicatus eſt, jurabit præciſe ſtare mandatis domini Papæ: ſalva tamen ſint ei honores & jura quoad conſervationem integram, ſine aliqua diminutione Imperii & regnorum ſuorum. Et licet pro prædictis offenſis ſatis oblatum eſſe credamus; nihilominus ad ſatisfactionem, & ſecuritatem tam præcedentium quam ſequentium capitulorum; & ad majora devotionis indicia demonſtranda dominus Imperator ſtabit conſilio, & ordinationi tractatorum, ſcilicet dominorum Oſtienſis epiſcopi, Stephani, Ægidii, & Othonis Cardinalium, qui excepta perſona domini noſtri Papæ, ſupplebunt in ſatisfactione, & ſecuritate, quod viderint eſſe ſupplendum: ita tamen, quod nihil facient ſine conſilio, & mandato domini Papæ, & prædictis ſalvis de ſatisfactione & ſecuritate, prædicti tractatores facient quod de conſilio fratrum dominus Papa faciendum decreverit.* XXV.

*Super adhærentibus autem Eccleſiæ ita dicimus, quod omnibus his, qui poſt ortam diſcordiam Eccleſiæ adhæſerunt, undecunque ſint, ex nunc plena omnis remittatur offenſa, tam ante diſcordiam quam poſt, ſive occaſione Eccleſiæ, ſive alia commiſſa; & omnia banna & ſententias contra eos latas revocabit. Et ſi quas donationes, vel contractus, vel obligationes ei feciſſent poſt latam ſententiam, vel poſtquam adhæſerunt Eccleſiæ, relaxabit: poſſeſſionibus eorum, juribus, & honoribus ſuis eis integre reſtitutis, etiamſi aliis ſint conceſſa. Super aliis autem, qui ante ortam diſcordiam rebelles domino Imperatori fuerunt, & erant tunc in bello cum eo, ita dicimus, quod remittetur eis omnis offenſa, quam poſtea commiſerunt contra eum & Imperium. De offenſis vero commiſſis ante ortam diſcordiam; ſtabit dominus Imperator proviſioni, & ordinationi domini Papæ & fratrum, faciendæ infra tempus a domino Papa præfigendum, ipſis & omnibus dabit plenam pacem ex nunc.* XXVI.

*Super ſecuritate vero illorum de Romandiola, qui poſt ortam diſcordiam Eccleſiæ adhæſerunt, & nobilium de Marchia Terviſiana, & marchionis montis Ferrati, & aliorum nobilium ubique; ita faciet dominus Imperator, videlicet quod prædicti nobiles in propriis perſonis, niſi ad proviſionem domini Papæ, ſed per ſubſtitutos ſervire domino Imperatori minime teneantur. In judicium autem vocati, per nobiles & pares ſuos reliquos regionis ejuſdem, aliis adhærentibus Eccleſiæ non excluſis, debeant judicari. De perſonalibus & realibus actionibus impetiti, & etiam de criminalibus accuſati, ſpecialiter autem in Romaniorum ad majorem ſecuritatem eorum, qui Eccleſiæ adhæſerunt, ſtatuet dominus Imperator capitaneum aliquem de prælatis Italiæ, ſub cujus ſolius examine litigabunt, uſque ad beneplacitum domini Papæ, tam in civilibus, quam in criminalibus cauſis; & prælatus ipſe eligatur de conſenſu domini Papæ, quamdiu dominus Papa voluerit.* XXVII.



XXVIII. *Munitiones autem proprias dominus Imperator per quos ſibi placuerit, faciet cuſtodiri: munitiones vero prædictorum non lædet vel tanget ſine conſenſu ejus, qui deputatus fuerit ſuper his. Illis etiam de Marchia Terviſiana providebit dominus Imperator capitaneum, cui ſoli debeant reſpondere illi de Marchia Terviſiana, qui Eccleſiæ adhæſerunt, de conſenſu unius fratrum, quem dominus Imperator duxerit eligendum. Captivos in galeis captos, necnon omnes Romanos, Thuſcos, & alios omnes captivos, poſt latam ſententiam excommunicationis, cujus ad præſens abſolutio petitur, libere liberabit; & ab omnibus juramentis & obligationibus quibus obligaſſent ſe poſt captionem, abſolvet tam eos qui liberati ſunt, quam qui poſtea liberabuntur; & ſuper hoc litteras ſuas dabit fidelibus ſuis, qui capti ſunt ubique per detentores invicem liberatos. Ejectos occaſione diſcordiæ primæ vel ſecundæ, tam clericos, quam laicos, redire permittet ad propria, & ibidem ſecure manere, poſſeſſionibus eorum & bonis integre reſtitutis. De diſcordia autem Romanorum; dominus Imperator ſtabit ordinationi domini Papæ, & fratrum tam de reſtitutione damnorum hinc inde datorum in bello ipſo, quam de aliis: ita tamen, quod ita ſtatuatur de diſcordia, & indemnitate ſuorum excepto caſtro Anticuli, de quo non compromittitur.*

XXIX. *De damnis datis per dominum Imperatorem, officiales, & ballivos ſuos, prælatis, eccleſiis tam religioſorum, quam ſæcularium, vel aliis de mandato ſuo, poſt ſententiam latam in eum, ſatisfaciet dominus Imperator ſecundum providentiam & benignitatem ſedis Apoſtolicæ: ubi non intelligit dominus Imperator damna hoſtiliter data per ſe aut ſuos exercitus. Gregorio de monte longo, & omnibus conſanguineis ſuis plenam pacem dat & ſecuritatem: terra comitis Vvillelmi, quæ tenetur ab Eccleſia, reſtituetur: de alia terra compromittatur in Imperatorem Conſtantinop. dominum Othonem Cardinalem, & archiepiſcop. Rothomagenſem, ita quod ipſi de jure cognoſcant, ſicut fuerit cognoſcendum. Nuntii Imperatoris dicent, quod compromittent, quod de poſſeſſione, & proprietate & ſimul recognoſcent & definient; & jurabunt, quod bona fide & ſine fraude ſtudebunt inducere dominum Imperatorem, quod ipſe patiatur quod præfati domini procedent, ſive ſimul, ſive ſeparatim de poſſeſſione & proprietate: & dicti tres requirent dominum Imperatorem, & recipient ſuper ſe, quod ſuper eo apud dominum Imperatorem facient bona fide, quod Imperator conſentiet, quod iſti tres procedent, ſicut eis videbitur expedire, audiendo ſcilicet & terminando cauſam ipſam, ſive ſimul de poſſeſſione & proprietate, ſive ſeparatim. Quod ſi non omnes poſſunt intereſſe, & aliquis eorum fuerit juſto impedimento detentus, duo eorum procedent.*

Non diu in ſuſcepta pia mente perſtitit Fridericus: mox enim furiis agitatus ſeipſum ignaviæ & ſuperſtitionis nimiæ accuſare cœpit, pene triumphatis hoſtibus, atque in ſummam elatum potentiam ad damnanda præterita, ſubeundumque Pontificis jugum ſeſe adſtrinxiſſe; ſive illum aſſentatorum ſuſurri ad ſcelus detorquerent, ſive dæmonis, qui Eccleſiæ pacem diſturbare moliebatur, inſtinctu afflaretur: moxque Pontifici inſtruere inſidias cœpit. Quo agnito Innocentius cautius agere cœpit, atque ad confirmandas partes ſuas nonnullos Cardinales nobilitate ac geſtis inſignes renuntiavit, ut refert Pariſius. XXX. Reſilit a promiſſis Fridericus.

*Die S. Trinitatis volens dominus Papa partem ſuam melius roborare, quia paucos ſui laboris ſocios & ſolicitudinis haberit participes, creavit decem Cardinales, videlicet magiſtrum Joannem de Toleto natione Anglicum, & quoſdam alios moribus & ſanguine præclaros.* Hæc auctor. Profecto Octavianum ex procuratore Bononienſis eccleſiæ in ampliſſimum purpuratorum patrum collegium cooptatum, ac S. Mariæ in via lata diaconum Cardinalem creatum, teſtatur Innocentius ſupra memoratis literis hoc anno VIII. & II. kal. jun. datis (a) Jacobum S. R. E. vicecancellarium nepotem ſuum, ut in regeſtri pontificii appoſita in margine nota indicat; qui ut refert Sigonius, adoleſcens divino ſpiritu ictus Prædicatoribus ſe aggregarat; illi ſedi præfecit, in qua ita ſe præclare geſſit, ut mutuis imbutos odiis cives inter ſe conciliarit; ſed ad Fridericum redeamus. XXXI. Creat Innoc. ad ſuas confirmandas partes decem Cardinales. (a) Lib. I. ep. 715. 740.

Tradit Pariſius Pontificem recrudeſcente XXXII.

te vetere diſcordia cum omnibus Cardinalibus Tifernum modo dictum Caſtellanam urbem acceſſiſſe, ut commodius, quo propius pacis tractatum redintegraret. Longe vero aberrant ii, qui Pontificem Tifernum non adiiſſe, ut erat conventum, aſſerunt, cum datæ ab ipſo Tiferni literæ (*a*) ad nos emanarint; indeque cum Sutrium Apoſtolorum Petri & Pauli pervigilio veniſſet, Imperatorem ſublata jam præteritæ pœnitentiæ larva, & conventa violantem petiiſſe, ut prius anathemate ſolveretur, alioquin promiſſa non ſervaturum. Quod cum ab æquitate ac legum ordine abhorrere reſponderet, gravior contentio exarſit; ac tum certo nuntio accepit Innocentius conflatas ſibi inſidias, atque Imperatoris ſatellites nocte in eum involaturos. Quorum impetus conſiliaque antevertens, Centumcellas ſe noctu proripuit; cujus fugam Pariſius, non ſine aſperſis improbe Pontifici ſalibus, ita deſcribit.

(*a*) *Ib. ep.* 735.

Objectus a Frid. abrumpendi tractatus prætextus.

Structæ ab illo inſidiæ.

XXXIII. *Eadem die, (b) videlicet vigilia Apoſtolorum, ſignificatum fuit domino Papæ, ut idem poſtea aſſerebat, quod trecenti milites Thuſci erant in veniendo ipſa nocte, ut ipſum apprehenderent. Dominus igitur Papa non mediocriter attonitus, & perturbationis vultum præferens in hora primi ſomni, relictis papalibus ornamentis, veterem induit Senibaldum, & leviter armatus, equum aſcendit velociſſimum, manu non vacua, & vix cubiculariis conſciis, clam ſubitoque diſcedens, non equinis pepercit lateribus, ita quod ante primam triginta quatuor milliaria pertranſivit, nemine comitante, vel ipſum ſequi potente. Media autem nocte clamor factus: Ecce Papa receſſit; neſcientibus aliquibus, niſi aliquot, ſed paucis Cardinalibus. Petrus vero de Capua, cum uno ſolo comite, non ſine viarum diſcrimine ſecutus invenit Papam ipſo die apud caſtrum ſupra mare, quod dicitur Civitas vetus: venerant autem ibidem in occurſum Papæ viginti tres galeæ, quarum unaquæque ſexaginta viros bene ferro armatos, & centum & quatuor remiges aſſignatos continebat, exceptis nautis, & ſexdecim bargæ. Propter quod argumentoſi ſuſpicabantur hæc omnia diu ante prævisa dominum Papam deſideraſſe. Fuerunt autem cum armatis, & eis præfuerunt poteſtas Januæ, quem admiratum vocant, & majores civitatis, qui ſe ſe omnes jactabant eſſe vel affines vel conſanguineos Papæ propter retributionem.*

(*b*) *Par. loc. cit.*

De Pontificis fuga.

XXXIV. *Intravit igitur unam galearum illarum dominus Papa ſero cum ſeptem Cardinalibus, & paucis aliis comitantibus; & vix magnum mare intraverant navigantes, ecce occupat ipſos tempeſtas validiſſima non tamen ex adverſo, & erectis velis non ſine maximo periculo & timore eadem via qua navigantes capti erant prælati, per centum milliaria, die veneris ſequenti, compellente tempeſtate rapti applicuerunt in portu inſulæ cujuſdam Piſanorum, ibidem pernoctantes. In craſtino vero omnibus a peccatis ſuis abſolutis, & audita miſſa de B. Virgine timentes vehementer Piſanos, raptim ſe ad inſulam Januenſium provehebant, ſcilicet centum & vigintiquatuor milliaribus ipſo die peractis, & vix præ tempeſtate evadentes, venerunt ad portum Veneris ubi moram fecerunt die dominica, & die lunæ: die vero martis pervenerunt Januam lætabundi: diſtabat autem dominus Papa ab urbe jam quindecim dietis. Receptus eſt autem a concivibus, conſanguineis & affinibus ſuis in urbe ipſa, qua natus eſt, in campanarum claſſico, in concentu & muſicis inſtrumentis dicentibus omnibus & conclamantibus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quibus & ipſi reſponderunt: Anima noſtra ſicut paſſer erepta de laqueo venantium; laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Magno honore Januenſibus excipitur.

XXXV. Ubi Pontificem Fridericus ipſius furori ſeſe ſubduxiſſe accepit, excanduit illico, nec levium curarum ancipiti æſtu fluctuabat; cum antea redacto in ſuam poteſtatem Pontifice meditatus eſſet leges Eccleſiæ, quas vellet imponere, ſpeſque ſuas evanuiſſe videret; ac pertimeſceret, ne Pontifex Chriſtianos principes in ipſius perniciem concitaret. Quo vero facti invidiam in Pontificem derivaret, literas ad Regem Angliæ dedit, quibus acerbe queſtus eſt, inique admodum veluti contumacem apud principes ac populos traduci; quaſdam urbes arceſque obtinere atque occupare voluiſſe Innocentium, de quibus exploratum non eſſet an ad Eccleſiam vel Imperium ſpectarent: popoſciſſe, ut ii in libertatem vindicarentur, quos in vinculis tenebat, antequam cenſuris ſolveretur: paratiſſimum ſe ad conjungendam pacem; ſed cum pertimeſceret ne aliquibus a Pontifice laqueis irretiretur, gerere in votis Galliæ & Angliæ Regibus controverſiam totam dirimendam committere; quibus diſcutere cogendam ab Innocentio ſynodum, atque principes pontificiæ cauſæ judices conſtituere nitebatur. Iras vero maxime ac minaces voces in ſuos clientes evomuit, qui itinera Innocentio non abrupiſſent, prædamque, ut ajebat, præclaram ignavia ſua e manibus evolare paſſi eſſent: tum vias omnes, quæ ex Italia in Gallias ducunt, cuſtodiis diligentiſſime ſepiri ac muniri juſſit. Quo facto manifeſti Eccleſiæ perſecutoris nomen infame apud omnes ſibi peperit: fefellere tamen ipſius inſidias Otho Portuenſis epiſcopus Cardinalis, qui ex diacono Cardinali S. Nicolai in carcere Tulliano ad eam dignitatem ſuperiori anno promotus fuerat; aliique per Inſubres arrepto itinere marchionis Montis ferrati & aliorum principum opera Januam ad Pontificem ſe contulere.

Facti invidiam derivat in Pont. Fridericus.

Male audit apud omnes.

Nonnulli Cardinales eluſis illius inſidiis ad Pontificem ſe conferunt.



XXXVI. Cæterum cum Januæ diutius tuto manere non poſſet, periculumque foret ne Fridericum ferocem animis atque armis præpotentem ad eam urbem opprimendam alliceret, Aſtam fortiſſimo Januenſium exercitu ſtipatus perrexit: quæ urbs, & Alexandria, aliæque non paucæ, cognita Friderici tyrannide, ab eo deſcivere. Inde feliciter Fridericianis prædonibus, qui vias obſederant, eluſis, Lugdunum contendit; quod tum ſcriptores, tum pontificiæ literæ demonſtrant. Quocirca mirari ſatis non poſſum Colmarienſium annalium auctorem, qui hac tempeſtate vixit; ut qui dicat ad Prædicatorum familiam anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo ſe recepiſſe, tradidiſſe hiſtoriæ Innocentium Papam hoc anno apud Lugdunum obiiſſe. Sed mendum ex ſcriptorum incuria irrepſiſſe dicendum eſt; non enim apud Lugdunum obiiſſe, ſed Lugdunum adiiſſe reponendum eſt. Addit Patavinus monachus (*a*) Innocentium, cum jam D. Lucæ ſacer dies appeteret, per terras Sabaudiæ comitis iter feciſſe. Certum quoque eſt ipſum excurrente novembri medio in oppido Camera in Vallemorien. ſubſtitiſſe, quo loco conſignatæ extant literæ (*b*).

Diſcedit Janua Innocentius.

Per Sabaudiam iter arripit.

(*a*) *Monach. Pad. chron. l.* 2.

(*b*) *Lib.* 2. *ep.* 27.

XXXVII Antequam in Gallias perveniret, ad Ciſtercienſes epiſtolam dediſſe, qui tum illius ſacri collegii ſolemnia comitia celebrabant, narrat Pariſius (*c*); qua ipſos rogavit (magna enim tum temporis ob ſanctitatis opinionem auctoritate florebant) ab Rege expoſcerent, ut Romanum Pontificem Chriſti domini in terris vices gerentem, Imperatoris tyrannidem fugientem, benigne exciperet; acceſſiſſe vero ad ipſorum comitia, quæ imminente S. Michaelis feſto die celebranda erant, ut ſe eorum apud Deum precibus commendaret, D. Ludovicum cum Regina matre Blancha ac fratribus Pictavienſi & Atrebatenſi comitibus; locique religione tactos ait ex equis longiſſimo teli a monaſterio jactu deſiliiſſe; tum abbates, qui ad comitia convenerant, adornato religioſo agmine, Regi obviam prodiiſſe, atque ad monaſterium adduxiſſe: Regem obſervantiæ ergo matri honorificentiorem locum, dextrum ſcilicet detuliſſe: captata porro occaſione Ciſtercienſes in genua provolutos infimis precibus effuſoque lacrymarum imbre flagitaſſe, Pontificem ab injuriis tyranni vindicaret, ac peramanter ad ſe confugientem exciperet majorum exemplo, qui Alexandro alterius Friderici tyrannidem fugienti Galliarum aſylum aperuiſſent: & tum ſanctum Regem, uti ſumma obſervantia religioſos viros proſequebatur, in genua pariter procubuiſſe, ac pollicitum ſe Pontifici auxilia & benevolentia non defuturum.

Flagitant Ciſtercienſes a S. Lud. ut Pontificem Galliis excipiat.

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Eorum precibus S. Rex annuit.

XXXVIII. Non fluxerat poſt hæc multum temporis, cum adverſa ægritudine implicitus S. Ludovicus decubuit (*d*); jamque creſcente in dies mali ſævitia, & medicorum artes ac remedia eludente, extremis cum morte viribus colluctabatur, cum divino munere paululum e ſæviſſimo ſymptomate, quo exanimatus putabatur, recreatus geſtandæ in Sarracenos crucis voto ſe obſtrinxit, quæ Nangius (*e*) ita deſcribit: *Regis infirmitatem videntes creſcere, placuit ipſis, ut divinam clementiam implorarent, quatenus Deus, qui omnia ſolus poteſt, virtutem ſuam circa infirmum Regem oſtendere dignaretur. Deſtinantur igitur nuncii per eccleſias cathedrales, ut in illis eleemoſynæ & orationes ac ſolemnes pro Rege fierent proceſſiones. Sed Regis ægritudine poſtea ingraveſcente, creditus fuit Rex per magnum unius diei ſpatium ſpiritum exhalaſſe.* Et quidem Jonvillæus (*f*) ſcribit ſe ab ejuſdem Regis ore excepiſſe alteram e matronis, quæ decumbenti aſſidebant, arbitratam extremos ſpiritus efflaſſe, faciem linteo involvere deliberaſſe; alteram vero minime paſſam, ut mortui inſtar componeretur, vel ad ſepulturam efferretur: interque altercantium voces collectis viribus amiſſum vocis uſum recepiſſe, moxque ſibi afferri crucem præcepiſſe. Quibus conſentientia Nangius: *Ut autem ab illa ecſtaſi ad ſeipſum rediit, crucem protinus tranſmarinam inſtanter petiit & accepit. Tandem quia Regis ægritudo adeo gravis erat, ut medici deſperarent de ipſo, Rex & sereniſſima mater ejus domina Blancha Regina petierunt Odonem abbatem eccleſiæ Macarii & Dionyſii, ut ſacratiſſima corpora Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, quorum patrocinio tota gaudet regio, regni ſtat potentia, * deſcripta, in qua quieſcebant, ut ſuis precibus Regi ſanitatem impetrarent a Domino, tollere & elevari facere non differret.* Subdit ut magna pompa ac pietatis ſenſu inſtructa ſolemnis ſupplicatio ſit, in qua ſacræ martyrum reliquiæ elatæ fuerunt; ac paulatim vi morbi ſe remittente priſtinæ divina ope valetudini plane fuerit reſtitutus. His addit Matthæus Pariſius, Blancham Reginam matrem, in extremis mortis vitæque confiniis laboranti filio, jamque ſenſu pene deſtituto, crucem Chriſti, coronam ſpineam, aliaſque reliquias admoviſſe. Conſentientia ſcribit Weſtmonaſterienſis (*g*) qui hæc Reginæ Blanchæ ſacra ea pignora admoventis exanimi filio verba adducit: *Non nobis Domine Chriſte, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. Salva hodie regnum Franciæ & coronam, quam hactenus gratia tua ſuſtinuiſti. Monſtra virtutem horum inſignium, quæ in terra poſt te reliquiſti, in magno judicio appari*tu-

(*d*) *Vit. S. Lud. auct. apud Sur. c.* 5. *to.* 4. *die* 25. *aug. Guill. Nang. de Geſt. S. Lud. an.* 1244. *Bern. chr. Rom. Pont. eod. ann. atque alii.*

Graviſſimo correptus morbo de vita periclitatur S. Rex.

(*e*) *Nang. ubi ſupr.*

Inſtitutæ pro illius valetudine ſolemnes ſupplicationes.

(*f*) *Jonvill. in hiſt. S. Lud. par.* 1.

Sacram in Sarracenos expeditionem Deo vovet.

* de crypta

Admotæ moribundo ſpinea Domini corona & crucis portio.

(*g*) *Weſtm. flor. hiſt. hoc ann.*

*ritura: in quibus confidentes gloriamur. Mira res! Rex ſtatim oſcitans, tibias & brachia ad ſe trahens, halitus faciens & ſuſpirans, ſe ſigno crucis ſignari poſtulavit, vovens ſe in Terram S. aditurum.*

XXXIX. Condidiſſe porro religioſiſſimum principem eleganti opere in regia ſacrarium, ut pretioſiſſima redempti humani generis inſtrumenta, honorificentiſſimo loco reponeret: vectigalia ampliſſima attribuiſſe, quibus ſacerdotes divino cultui addicendi ſuſtentarentur, teſtantur Innocentii literæ, (*a*) quibus hoc anno tanti Regis pietatem ornavit: atque ad decorandam privilegiis apoſtolicis loci ſanctitatem decrevit, ut nullus niſi obtenta ſingulari facultate ſacellum interdicto ſubiicere, vel ſacerdotes in eo divinum cultum celebraturos percellere anathemate poſſet: *Sicut ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, capellam Pariſiis infra ſepta domus regiæ opere ſuperante materiam, ut ibidem prædicta corona ſanctiſſima, ac aliæ pretioſæ reliquiæ, quas de ligno crucis, & aliis ſacris habere dignoſceris, ſub veneranda cuſtodia conſerventur, tuis ſumptibus duxeris conſtruendam, ipſamque deputandis ibidem miniſtris idoneis de bonis propriis dotare proponas; nos volentes, ut eadem capella ſpeciali gaudeat privilegio libertatis, devotionis tuæ precibus inclinati, ut nullus in capellam ipſam, vel perſonas inibi conſtitutas, aut conſtituendas excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias abſque ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ faciente plenam de hac indulgentia mentionem promulgare valeat, auctoritate prædicta indulgemus: quas ſi per præſumptionem cujuſcumque promulgari forſan contigerit, eadem auctoritate decernimus irritas, & inanes. Datum Lateran.* IX. *kal. jun. ann.* I. Extant eodem argumento ad abbatem S. Dionyſii literæ, (*b*) quibus jubet conceſſas ab Apoſtolica ſede prærogativas propugnare; ac S. Ludovicum pulcherrimo titulo ſingularis Eccleſiæ, atque eccleſiaſticæ libertatis defenſoris nomine inſignivit.

(*a*) *Lib.* I. *ep.* 716.

Eæ reliquiæ a S. Lud. in regiæ ſacrario repoſitæ.

Exornat locum prærogativis Innocentius.

(*b*) *Ib. ep.* 717.

XL. Ardentem pariter S Ludovici Francorum Regis in vindicanda a Judæorum contemptu Chriſti gloria zelum Innocentius collaudavit. Irrepſerat apud gentem perfidam ea ſuperſtitio, ut prophetarum libris, quorum oraculis ad amplectenda Chriſtiana ſacra pellici potuiſſet, contemptui habitis, futilem rabbinorum doctrinam ſcatentem mendaciis, horrendiſque infectam blaſphemiis in ſuo talmuth fabellis inſanis conſarcinato hauriret; unde odio in Chriſtianos imbuti a vera religione abhorrerent. Ad comprimendum igitur malum, Gregorii Pontificis juſſu Pariſienſis academia, perlectum talmuth, ut impium publice flammis tradidit, ac Judæos tumultuantes D. Ludovicus compreſſit, quem Innocentius rogavit, (*c*) ut ejuſmodi libros toto regno conquiſitos ignibus deleri juberet: deinde ne Judæis Chriſtianas fœminas ſervire pateretur, cum illi pudicitiæ hoſtes graviſſima iis dedecora inferrent, atque a ratione alienum penitus foret, ut ſervorum obſequiis liberi manciparentur.

Judæi in Galliis coerciti.

(*c*) *Lib.* I. *ep.* 681. *extat etiam in bul.*

XLI. *Ipſi*, de Judæis loquitur, *ingrati domino Jeſu Chriſto, qui converſionem eorum ex ſuæ longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam prætendentes verecundiam culpæ ſuæ, nec reverentes honorem fidei Chriſtianæ, omiſſis ſeu contemptis lege Moſayca & Prophetis, quaſdam traditiones ſeniorum ſuorum ſequuntur, ſuper quibus eos in evangelio Dominus objurgat dicens: Quare vos tranſgredimini mandatum Dei, & irritum feciſtis propter traditiones veſtras, hominum doctrinas & mandata docentes? In hujuſmodi namque traditionibus, quæ Thalamuth Hebraice nuncupantur, & magnus liber eſt apud eos excedens textum bibliæ in immenſum, in quo ſunt blaſphemiæ in Deum, & Chriſtum ejus, ac B. Virginem; manifeſte intractabiles fabulæ, abuſiones erroneæ, ac ſtultitiæ inauditæ; filios ſuos docent ac nutriunt, & a legis & prophetarum doctrina reddunt ipſos penitus alienos, verentes ne veritate, quæ in eiſdem lege ac prophetis eſt intellecta, aperte de unigenito Dei Filio venturo in carne teſtimonium perhibente, convertantur ad fidem, & ad Redemptorem ſuum humiliter revertantur.* Et paulo inferius, ubi alias de Judæis, qui fœminarum Chriſtianarum conturberniis abuterentur, querelas adjecit:

Talmuth horrendis blaſphemiis refertum.

XLII. *Et licet dilectus filius cancellarius Pariſienſis & rectores regentes Pariſiis in ſacra pagina, de mandato felicis recordationis Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri, tam prædictum abuſionis librum, quam alios quoſdam cum omnibus gloſſis ſuis perlectos in parte ac examinatos ad confuſionem perfidiæ Judæorum publice coram clero, & populo incendio concremarint; prout in literis eorum perſpeximus contineri, quibus tu tanquam catholicus Rex, & princeps Chriſtianiſſimus impendiſti ſuper hoc auxilium congruum & favorem; pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus ac proſequimur actionibus gratiarum; quia tamen nondum Judæorum ipſorum abuſio prophana quievit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celſitudinem regiam attente rogamus, monemus, & obſecramus in domino Jeſu Chriſto quatenus exceſſus hujuſmodi deteſtabiles, & enormes commiſſos in contumeliam Creatoris, & in injuriam nominis Chriſtiani, prout pie incepiſti laudabiliter proſequendo faciens debita ſeveritate percelli, tam prædictos abuſionum libros reprobatos per doctores eoſdem, quam generaliter omnes cum gloſſis ſuis, qui per ipſos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum regnum tuum, ubicunque reperiri poterunt, igne cremari, &c.* [1] Contendit ſummis precibus a ſancto Rege ne Chriſtianas nutrices ac famulas Judæorum obſequiis ſe addicere patiatur. *Dat.* VIII. *Lat. id. maii an.* I.

Gregorii auctoritate a Pariſienſi academia damnatum.



Jubetur ab Innoc. cum omnibus exemplaribus flammis deleri.

In Anglia refoſſum Londini e terra pueri Chriſtiani corpus ſcribit Pariſius, (*a*) cujus membra Hebraicis literis erant exarata, creditumque Judæos Chriſti Domini odio percitos, uti ſæpius eo crimine convicti fuerant, eam barbariem exercuiſſe, nonnullorumque ex iis fugam ſuſpicionem auxiſſe: corpus vero magna veneratione in eccleſia S. Pauli fuiſſe collocatum.

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Crudele Judæorum in puerum Chriſt. facinus.

XLIII. Delapſa eſt oratio ad res Anglicanas, quæ magni belli metu, atque horrore turbidæ paulo poſt ad priſtinam ſerenitatem adductæ fuerunt; tradit enim hiſtoriæ Pariſius maximum inter Henricum Angliæ, atque Alexandrum Scotiæ Reges bellum exarſiſſe, Henricoque Scotiam petere meditanti conſcripto florentiſſimo exercitu obviam perrexiſſe Alexandrum, adeo, ut præter equites, centum millia peditum ſub ſignis numeraret, jamque funeſto conflictu imminente, in quo ſanguis plurimus fundendus timebatur, agitatum de pace; eaque feliciter confecta ambos Reges ab armis diſceſſiſſe: pacis vero ſancitæ leges ad Rom. Pontificem tranſmiſſas, ut eas apoſtolica auctoritate ſanctiores efficeret, quod Alexandri ac principum regni ad Innocentium literæ a Pariſio adductæ illuſtrant, quas nos ex eo decerpemus ob argumenti dignitatem; inter cæteras vero ea princeps extitit, ut Scotiæ Rex fiduciario jure regiæ Anglorum aulæ teneretur, nec unquam fœdus aliquod contra Henricum heredeſque coiturus eſſet niſi injuſte gravaretur.

Alexander Rex expedit. in Henricum parat.

Revocata inter eos principes pax. Expetitum ab Innoc. ut illius leges confirmaret.

XLIV. *Sanctiſſimo in Chriſto patri Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici, Alexander eadem gratia Rex Scotiæ, &c.* ſequuntur procerum nomina, qui Pontifici has literas (*b*) inſcripſere, *ſalutem & debitam cum omni honore reverentiam. Sanctitati veſtræ ſignificamus, nos ſacramentum corporaliter præſtitiſſe coram venerabili patre Othone, tit. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. in Anglia, Scotia, & Hibernia, tunc A. S. L. ac chartam noſtram confeciſſe, quæ ita incipit: Sciant præſentes & futuri;* nonnulliſque interjectis: *Cum ex forma præcedentium noſtrarum pateat obligationum, ſubjecimus nos juriſdictioni veſtræ, ut nos & heredes noſtros per cenſuram eccleſiaſticam poſſitis coercere, ſi aliquo tempore contra memoratam pacem venerimus. Et ſi nonnunquam contingit, quod quidam noſtrum, omnes, vel unus contravenire temere præſumerent, vel præſumere nituntur, vel nitentur; & ex hoc tam animabus noſtris, quam heredum noſtrorum grave poſſet generare periculum, & corporibus noſtris & rebus non minimum immineret detrimentum; ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicamus, quatenus alicui ſuffraganeorum archiepiſcopi Cantuarienſis detis in mandatis, ut nos heredeſque noſtros ad præfatæ pacis obſervationem compellat, prout in inſtrumentis inde confectis plenius continetur. Alias ſuper eadem pace, quod canonicum fuerit, auctoritate veſtra ſtatuat.*

(*b*) *Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Scotiæ Rex Regis Angliæ vectigalem ſe profitetur.

XLV. His addit Pariſius Henricum Regem acerbe exagitaſſe epiſcopum Wintonienſem, cum ægre ferret illius eccleſiæ gubernaculis admotum fuiſſe; traduxerat enim illum Innocentius a Norvvicenſi ſede ad Wintonienſem; ad quod diſturbandum, nonnulli propriæ utilitatis amore irretiti, creduli principis animo inſuderant, hæc Pontificem agere non poſſe, ni prius ipſe conſenſiſſet: ſummum circa divina penes Pontificem, circa humana & eccleſiarum opes penes Regem in Anglia imperium eſſe: proinde nullum ex pontificia auctoritate cujuſvis eccleſiæ redditus ad ſe derivare poſſe, niſi regius aſſenſus acceſſiſſet. His adulationibus delibutus princeps Romani Pontificis imperiis obluctabatur; quem Innocentius paterna benevolentia corripere coactus, hujuſmodi opinionem ex ejus mente convellere aggreſſus eſt (*c*),

Norwic. ep. Pont. auctoritate ad Wintonienſ. traducitur

Exagitatur ab Angl. Rege ob non expetitum ipſius conſenſum.

(*c*) *Lib.* I. *ep.* 504.

XLVI. *Hæc fili chariſſime non Dei vel Eccleſiæ, non tuæ reſonant ſublimitatis honorem, non ſapiunt juſtitiam, non redolent æquitatem; præſertim cum teneat omnium credulitas pia fidelium, quod Apoſtolicæ ſedis auctoritas in eccleſiis univerſis liberam habeat a Dei providentia poteſtatem, nec arbitrio principum ipſa ſtare cogitur, ut eorum in electionum, vel poſtulationum negotiis requirat aſſenſum: in quibus tamen Deum habendo præ oculis ſic provide procedit & caute, quod per illa nullius poſſit honori detrahi, vel juſtitiæ derogari, ſicut etiam in tranſlatione ipſius epiſcopi di-*

Corripit Henric. Innocentius.



NOTÆ [1] COmbuſtio illa librorum Judaicorum tempore Gregorii IX. cujus meminit Innocentius quonam anno conſignanda ſit prodit anonymus Erfordienſis, qui ad annum MCCXLII. ſcribit. *Circa feſtum S. Michaelis rex Franciæ propter* (hic aliqua deſunt in codice) *nimiam ſtudii ſui* (Judæorum nempe, de quibus hic loquutus videtur author, quanquam ob vetuſtatem codicis nonnulla hic legi non potuerint) *jactantiam XXIII. carractas librorum ſuorum Pariſiis incendio juſſit cremari.* MANSI

*dignoſcitur proceſſiſſe; in quo promovit hominem ſcientia, moribus, & honeſtate conſpicuum, ac in temporalibus & ſpiritualibus circumſpectum, olim tibi charum & amabilem, ac ſemper tuis beneplacitis ſecundum Deum totis viribus intendere cupientem; per cujus induſtriam, probatam in plurimis, honoris & commodi proficere poteris incrementis: ſi tamen contrarium non ſuggerat aſtutia ſuſurronum, a quibus parare diſpendia virtuoſis pro indifferenti ducitur; dummodo ſua ſpecialia commoda, vel privata deſideria conſequantur, &c.* Adjungit preces & imperia, ut epiſcopum eccleſiæ Wintonienſi boniſque priſtinis reſtituat, nunquam enim ſe paſſurum, ut libertas eccleſiaſtica exoleſcat. *Dat. Lat.* III. *kal. mart. an.* I. Coniicit in hiſtoriam ſuam eaſdem literas Pariſius (*a*) qui addit demum poſt longas contentiones Henricum Rom. Pontificis monitis, atque epiſcopi modeſtia flexum hoc ipſo anno optimum præſulem ſummo bonorum omnium applauſu in Angliam revocaſſe.

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Pontificiis monitis morem gerit.

XLVII. Admiſit pariter Innocentius Henrici preces, quibus contenderat, ut teſtamento a ſe condito, in quo uxori dotem attribuerat, apoſtolicam adiiceret auctoritatem; Londonienſique & Lincolnienſi epiſcopis partes demandavit (*b*) ut eos, qui contra tenderent, cenſuris percellerent. Injunxit præterea iiſdem præſulibus (*c*) ut de Edmundi archiepiſcopi olim Cantuarienſis rebus geſtis atque cœlitus explicitis ad confirmandam ejus ſanctitatem, ſacrum examen inſtituerent: *Cum dilecti filii abbas & conventus monaſterii Pontiniacenſis Ciſtercienſis ordinis nobis humiliter ſupplicarint, ut recolendæ memoriæ Eadmundum Cantuarienſem archiepiſcopum, quem piis operibus floruiſſe fatentur in vita, certiſque poſt mortem miraculis adeo claruiſſe, quod ad glorioſum ſepulcrum ejuſdem diverſis mundi partibus prona devotione numeroſa populi confluat multitudo; aſcriberemus ſanctorum catalogo a Chriſti fidelibus devotione debita venerandum.* Recitat Matthæus Pariſius (*d*) literas, quas illi hac de re ad Innocentium ſcripſere, ubi plura de illius ſanctitate patratiſque ejus ope miraculis afferunt: *Nos attendentes, quod ad hoc, ut ſanctus habeatur aliquis apud homines in Eccleſia militante, duo neceſſaria requiruntur, virtus morum, & veritas ſignorum; merita videlicet & miracula, ut hæc & illa ſibi invicem conteſtentur; ac volentes in tanto negotio gravitatem debitam & omnimodam diligentiam adhibere, fraternitati veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de virtute morum, & veritate ſignorum, operibus videlicet & miraculis inquiratis ſolicite veritatem; & receptis teſtibus depoſitiones eorum faciatis conſcribi, & ſub ſigillis noſtris ad nos fideliter transmittatis, ut procedamus exinde, prout ſecundum Deum viderimus procedendum, &c. Dat. Later.* IX. *kal. maii an.* I.

(*b*) *Inn. l.* I. *ep.* 643.

(*c*) *Ib. ep.* 618.

B. Edmundus miraculis inclareſcit.

Porrectæ Innocentio preces ut SS. catalogo apponeretur

(*d*) *Par. hiſt. Angl. an.* 1244.

De vitæ ſanctitate ac miraculorum veritate quæſtionem ſacram inſtitui jubet Pont.

XLVIII. Fulſiſſe hoc tempore in Anglia magnæ ſanctitatis opinione ac miraculorum gloria Robertum S. Edmundi fratrem, Robertum e Karrebrag, Rogerium olim epiſcopum Londinenſem, ac Joannem e Foxtuna refert Pariſius (*e*) quorum ſepulcra a Deo pluribus prodigiis illuſtrata, ac morbos e plurium ægrorum corporibus ſingulari beneficio depulſos docet. Efflore ſcebat etiam in Germania multis miraculis B. Colomani martyris gloria, quorum fama permotus Auſtriæ dux, flagitavit a Pontifice, ut ſacrum illius memoriæ diem conſtitueret. Qui Patavienſi archiepiſcopo indixit (*f*) illius, ſi ſanctorum catalogo adſcriptus reperiretur, feſtum diem agitari poſſe. Nec prætermittendum videtur Innocentium ad cultum & venerationem B. Elizabethæ fidelibus adituris ſacrum illius nomini templum Marpurgi in Maguntina diœceſi excitatum præmia indulgentiarum impertitum, quæ ſequuntur (*g*): *De omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi vere pœnitentibus confeſſis cum debita reverentia & devotione in cœna Domini, paraſceve & ſabbato ſancto, & dominica paſchæ illuc accedentibus annuatim quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Later.* 2. *id. feb. an.* I.

Celebres in Anglia ſanctitate viri.

(*e*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(*f*) *Lib.* I. *ep.* 672.

De inſtituendo B. Colomano martyri feſto die agitatum.

(*g*) *Ep.* 461.

Propoſitæ ab Innoc. S. Eliſab. templum adituris indulgentiæ.

XLIX. Illuſtratam inſuper Germaniam Eccleſiæ athleta nobiliſſimo, Ludolpho ſcilicet Racemburgenſi epiſc. qui multis graviſſimis laboribus, ob defenſa eccleſiæ ſuæ jura ab Alberto Saxoniæ duce perlatis, mereri id nomen potuit. Refert Crantzius (*h*) inſigne miraculum quo vir pius levatus admodum ac recreatus eſt: *Jam viribus totis deſtitutus poſt varia tormentorum genera, diem expectans extremum, nocte præcedente cœnam Domini duo ex fratribus ad eum venientes poculum ei ſalutis dederunt: quo confortatus, viribus receptis ipſo die cœnæ officium ſuum devotiſſime peregit; & ut pie creditur, duo illi fratres qui poculum tradiderunt, anteceſſores ſui epiſcopi Evermodus & Godefridus fuere: nam unde venerint, quo abjerint, vidit nemo; paſtor hic bonus animam ſuam pro ovibus poſuit, & pro ſuo grege mori dignatur.*

Ludolph. Racemb. ep. ob defenſa eccl. jura cruciatus.

(*h*) *Crant. metrop. l.* 8. *c.* 8.

Divinitus recreatur.

L. Viguiſſe vero illius temporibus Racemburgi diſciplinam monaſticam ait, ut vulgo illud monaſterium carcer ordinis diceretur. Subdit miraculum aliud in prænobili viro ejus opera a Deo patratum: cum



cum enim eluſa chirurgorum diligentia ferrum teli capiti infixum ac demerſum hæreret, immanibuſque ob id doloribus cruciaretur, ad Ludolphi ſuffragia confugit; moxque e cranio ſponte ferrum ſeſe extulit, quod ſua manu vir nobilis evulſit, pretioſiſſimaque dona auro gemmiſque diſtincta in ejus honorem obtulit. Dignum denique ſacro ſepulcro affixum epitaphium fuit, quod ex eodem auctore decerpamus: *Quoquo pacto legeris ſive per capita verſuum deorſum, ſive per directum, ſonant idem.*

Miraculis fulget.

Illius epitaphium

*Gemmula paſtorum, lux fulgens regula legis,*
*Paſtorum ſpeculum, juvenum dux, ſenis icona,*
*Lux juvenum clara, reparator gloria plebis,*
*Fulgens dux, reparator cleri, pacis amator,*
*Regula ſenis, gloria pacis, formula dulcis,*
*Legis Icona, plebis amator, dulcis adeſto.*

*Eoſdem reperies ſi ſingulorum dictiones primas junxeris, ſit verſus primus, inde ſi ſecundas ſingulorum junxeris fit verſus ſecundus, & ſi tertias tertius uſque in finem ita deinceps.*

LI. Cum Ludolphi occaſione ad ſeptentrionales res noſtra digreſſa ſit oratio, Polonicarum rerum ſtatum ex Longino (*a*) aliiſque ſubiiciemus. Laborabat graviſſimo bello Polonia, cum Conradus Maſoviæ dux, qui cum Cracovienſis ducatus nepoti Boleſlao Pudico eripiendi cupiditate, tum eluendæ præterito anno acceptæ ignominiæ deſiderio actus; Pruthenorum, Lithuanorum, ac Jaczſwingorum auxiliis fretus irrupit; horrendaque illata vaſtitate, qua nullo diſcrimine in eccleſias atque prophanas domos flamma ſævitum eſt; Boleſlao ſubditos populos ejus potentiam reformidantes, ad ſuam deditionem pellexit. Subornare ſtuduit Prandotham Cracovienſem epiſcopum, quem cum nullis minis promiſſiſve a Boleſlai fide divellere poſſet, ejus bona ac domos ferro atque igne vaſtavit: in illum Prandothas ob facinus generoſe inſurrexit, perculitque anathemate, quod publice promulgari juſſit. Tum Gneſnenſis archiepiſcopus celebrata ſynodo Conradum ut hoſtem Eccleſiæ iiſdem cenſuris defixit.

(*a*) *Long. hiſt. Pol. l.* 7. *hoc an. Cromerus l.* 8. *atque ex ipſo novatores cent.* 13. *c.* 9. *col.* 887.

Conradus Maſoviæ dux Boleſlaum pudicum bello petit. Eccleſias infeſtat. Percellitur anathemate a Polonis præſulibus.

LII. Tumultuante Polonia Innocentius legatum apoſtolicum ad componendas eas turbas miſit Jacobum Leodienſem archidiaconum, quem poſtea egregiæ ejus virtutes in pontificio ſolio ſub Urbani quarti nomine collocavere. Nec pacatior erat Pruſſia, in quam cum Auſtriæ princeps dilatandæ fidei ſtudio accenſus expeditionem ornaret, Pontifex ea ex ſanctiore Eccleſiæ ærario illius ſigna ſecuturis ſacra ſtipendia ad delendas reliquas criminum maculas contulit, (*b*) quæ ex œcumenici concilii liberalitate Terram ſanctam petentibus propoſita fuerant. Cum vero infideles non tam armis ad Chriſti cultum frangendi, quam divino verbo pelliciendi ſint, inter alios viros religioſos, ad inferendam barbaris evangelii lucem miſit Dominicum Aragonium Minoritam pietate inſignem. Sparſi etiam erant ex eadem familia plures in oriente per Armenorum, Græcorum, Georgianorum, Jacobitarum, & Neſtorianorum terras, qui Eccleſiæ limites latius proferre ſummis laboribus contendebant: quibus Pontifex, ut partes ſuſceptas præſtantius exequi poſſent, conceſſit cum hæreticis ac ſchiſmaticis familiari ſermone & menſa uti poſſent; eorum tamen eccleſias adire vetuit: ſi quos vero ad Eccleſiæ caſtra traducerent, impertiendæ iis abſolutionis poteſtatem fecit (*c*).

Jacobus archidiac. in Polon. legatus mittitur.



Dux Auſtriæ expeditionem in Pruſſiam cogitat.

(*b*) *Lib.* I. *ep.* 710.

Viri religioſi ad diſſeminandum inter infideles evangelium miſſi.

(*c*) *Ep.* 571

LIII. Quo vero religioſos Prædicatorum & Minorum ordines in ſuo ſplendore tueretur, apoſtolica (*d*) lege interdixit, ne quis inconſulto familiæ, cui aggregatus erat, præpoſito a Minorum familia ad inſtituta Prædicatorum, vel a Prædicatoribus ad Minoritarum caſtra transfugere poſſet; cum hujuſmodi transfugarum inconſtantia ac levitas graviſſimos tumultus ciere, ac mutua odia parere poſſet. Deinde id tantum de illis intelligendum cenſuit, (*e*) qui publice nuncupatis votis alteri familiæ ſeſe devinxiſſent. Utque mature in tanta re deliberarent ii, qui aliquam excolendæ vitæ religioſæ rationem erant profeſſuri, ſanxit (*f*) ne ante exactum tyrocinii annum publicis votis ſeſe adſtringerent.

(*d*) *Ib. ep.* 607.

Innoc. conſtitutio de Prædic. & Minoritis ne ex uno ordine in alium transfugiant.

(*e*) *Ep.* 741.

(*f*) *Ep.* 742.

LIV. Cum in hoc verſetur argumento oratio, ſilere non poſſum inſigne virtutis in calcando mundi faſtu exemplum. Adolphus Holſatiæ comes contemptis opibus immenſis, ut divinas compararet, religioſæ vitæ apud Franciſcanos ſeſe addixerat: qui cum incredibili ſuſcipiendi ſacerdotii conficiendique Chriſti corporis deſiderio teneretur, Romam ſe contulit, ut a Pontifice impedimentis, quibus erat irretitus, ſolveretur. Annuit ejus voluntati Innocentius atque ampliſſimam apoſtolicis literis poteſtatem conceſſit, quas Albertus Stadenſis (*g*) in ſuos annales contulit. Tanto vero pietatis ſenſu ac gaudio delibutum eo obtento triumphaſſe ait Crantzius, (*h*) ac ſi regno florentiſſimo potitus eſſet; monaſterium ſuis manibus partim, partim eleemoſynis condidiſſe, quas ipſe a ſubditis quondam ſuis demiſſe depoſcebat. Ferebat aliquando impoſitam capiti hydriam lacte plenam, quod in fratrum operarumque uſus emendi-

Adolphus Holſatiæ comes S. Franc. diſciplinam amplectitur.

(*g*) *Stad. in chron. an.* 1244.

(*h*) *Crant. Sax. l* 8. *c.* 7.

Pietate floret.

dicarat, cum magno faſtu ſubvectos equis filios eſt conſpicatus; perfuſuſque ob id rubore, mox ad reprimendum frangendumque animi tumorem exarſit, hydriaque capite excuſſa ſe totum lacte proluit; egregia ſunt Crantzii verba.

LV. *Monaſterium ſui ordinis ipſe manibus multa molitus in oppido Kiil, ubi nunc requieſcit, curavit erigere, eleemoſynas ſuorum quondam ſubditorum humiliter poſcens & accipiens; curavit quoque eccleſiam in terra Aldeburgenſi (quæ nova dicitur) erigere in honorem divi Antonii fratris ſui ordinis: quamvis rerum ignari patrocinium derivent ad Ægyptium Antonium. Cumque multum ſolicite laboraret in erectione dicti monaſterii in oppido Kiil, ibat oſtiatim lac in hydria mendicans, ut haberent operarii & fratres, quo inter laborandum per æſtum reficerentur. Media jam platea, ubi declinare iter non poterat, ibat hydriam bajulans lacte plenam: & cum obvios habuiſſet filios ſublimes in equis comitum more ſæcularium, piſſus eſt humanitus aliquid, ut rubore cœperit perfundi. Sed ille infremuit, & robur mentis advocans, cum adhuc in conſpectu eſſent filii, hydriam levatam ſuper caput evertit, ſeſe totum a vertice lacte perfundens, dixitque: Infelix erubuiſti Chriſti pauperiem bajulare lac in manibus: nunc vel in capite oſtende quid portaveris.* Hactenus Crantzius, ex quo hæc recentiores catholici, (*a*) ac novatores (*b*) hauſere.

Egregium contemptus mundi ab illo editum facinus.

(*a*) *Rodul. l.* 7. *Vad. hoc ann. & alii.*
(*b*) *Cent.* 13. *cap.* 6. *col.* 668.

LVI. Præclariſſimo religioſi viri ſanctiſſimi de ſe demiſſe ſentientis facinori arrogantiſſimæ monialis inſanam temeritatem, quæ velandarum virginum auctoritatem epiſcopis adſcriptam ſacris canonibus, muliebri ſuperbia ſibi arrogavit, ſubiicere viſum eſt, cum ad poſteritatis documentum uſui eſſe poſſit. Præerat illa Ciſtercienſium virginum domui in ſuburbanis Burgi Legionis urbis regiæ ſitæ, quæ reluctante loci epiſcopo præſente Caſtellæ Rege ac Regina Berengariæ corporis illibati florem Chriſto devoturæ velum impoſuit; abbatiſſam Pontifex temeritatis perſtrinxit, (*c*) ſtatuitque, datis ad Burgenſem (*d*) epiſcopum Ciſterciique abbatem literis, (*e*) ut ſi nefarium ſimile facinus aliqua auderet, ab epiſcopo iterum, conceſſo velo, Deo conſecraretur.

Præſumit abbatiſſa Ciſtercienſ. Virginem velare.

(*c*) *Lib.* 1. *ep.* 590.
(*d*) *Ib. ep.* 589.
(*e*) *Ep.* 588.

*Abbati Ciſtercii.*

*Ad aures noſtras nuper abuſiva præſumptio, & abuſio deteſtanda pervenit, quod cum venerabilis frater noſter Burgenſis epiſcopus; ſicut accepimus a chariſſimis in Chriſto filiis Rege Caſtellæ ac Legionis, & Regina matre ſua illuſtribus; invitatus ad velandam dilectam in Chriſto filiam Berengariam ſanctimonialem virginem monaſterii S. Mariæ regalis Ciſtercienſis ordinis ſiti prope ſuburbium civitatis Burgenſis filiam Regis ipſius ad idem monaſterium acceſſiſſet, eodem ibi miſſam ſolemniter celebrante, abbatiſſa loci ejuſdem in tantæ prorupit temeritatis audaciam, quod eiſdem Rege ac Regina, & multis aliis religioſis & ſæcularibus præſentibus, qui ad tam celebre feſtum ſpirituale convenerant, ipſoque epiſcopo contradicente, dictæ virgini ſacrum, immo execrandum conſecrationis velum præſumpſit imponere contra canonicas ſanctiones, de quo grave ſcandalum eſt exortum.*

Corripitur ab Innoc.

LVII. *Ne igitur tantæ temeritatis exceſſus, ſi remanſerit incorrectus, tranſeat aliis in abuſum; cum ſit ſtatutum in canone, ut ſi abbatiſſa, vel quælibet ſanctimonialis in tantam proruperit audaciam, ut aut viduam, aut puellam virginem velare præſumat, judicio canonico uſque ad ſatisfactionem ſubdatur; mandamus quatenus eidem abbatiſſæ pœna pro modo culpæ impoſita competenti, omnibus abbatiſſis tui ordinis in Hiſpania conſtitutis, ſive mediate, ſive aliquo medio tibi ſubſunt, auctoritate noſtra diſtricte ſtudeas inhibere, ne id præſumant ulterius attentare; & cum velandæ ſint, ſi quæ ſunt in earum monaſteriis virgines ſic velatæ contra canonica inſtituta, prædictis abbatiſſis & virginibus firmiter per literas tuas injungas, ut a diœceſanis ſuis conſecrationis velum recipiant, prout debent, pœnam illis debitam, ſi non fecerint, inflicturus. Per hoc enim abbatibus, quibus eædem abbatiſſæ nullo medio ſunt ſubiectæ, nolumus in poſterum præjudicium aliquod generari. Dat. Lat.* II. *id. martii an.* I. [1]

Tu-

NOTÆ [1] HOc anno Hiſpania dedit nobis concilium Tarraconenſe, quod quintum eſt provinciale a Petro archiepiſcopo celebratum, teſte Baluzio Marc. Hiſp. lib. IV. cui præter archiepiſcopum epiſcopi quinque ſuffraganei adfuerunt. Canones ibi dati ſunt in conſpiratores & famoſorum libellorum auctores, invaſores, raptoreſque rerum eccleſiaſticarum; vetitum inſuper ne excommunicati ab uno epiſcopo, ab altero in communionem recipiantur; ac denique ne parochialis eccleſiæ adminiſtratio ſuſcipiatur ante receptam curam animarum, nempe ante datam ab epiſcopo poteſtatem in parochianos. Concilium iſtud ex Baluzio, & Martenio habes in tom. XIV. collectionis Veneto-Labbeanæ col. 37.

Sed & hoc anno aliud nobis concilium ignotum, collectoribus, tulit Germania, de quo ita ſcriptor chronici Erfordienſis ad hunc annum: *Moguntinus* (archiepiſcopus Siffridus) *in Dominica latare* in villa Wimaria cleri, ac populi *conventum ſtatuens Fridericum imperatorem cum Erfordienſibus denuntiavit excommunicatum, & poſt hunc III. Kal. junii in Vrizlaria concilium faciens eadem confirmavit.* Vrizlariam eandem eſſe credo ac Friſlariam, urbem in Haſſia ſitam, & concilio anno 1100. habito celebrem. MANSI



I. Innocentius in Galliis concilium convocat.

TUtiſſimo Galliarum aſylo receptus Innocentius adverſus Eccleſiæ Romanæ ac perſecutorem ſuum vires & animos collegit, annoque Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto indictione ſecunda œcumenicam ſynodum Lugduni indixit, ad quam ſacros præſules, Reges ac principes excivit, ut ſalubria conſilia ad Terræ ſanctæ lapſas res erigendas, ad Tartaros propulſandos, ad ſchiſmaticos ab Imperii Conſtantinopolitani extremo exitio avertendos depromeret; tum maxime ut Friderici cauſam in auguſtiſſimo illo Eccleſiæ ſenatu agitaret: cui propterea diem dixit, ut vel ipſe ad diluenda objecta ſcelera, atque adverſus ipſum contendentibus reſpondendum accederet, vel procuratores mitteret. Pontificiæ porro literæ encyclicæ, quibus concilium indixit, Senonenſi archiepiſcopo inſcriptæ extant in regeſto Innocentii (*a*): *Ut ipſa*, inquit, *Eccleſia per fidelium ſalubre conſilium & auxilium fructuoſum, ſtatus debiti poſſit habere decorem; & deplorando Terræ ſanctæ diſcrimini, & afflicto Romano Imperio propere valeat ſubveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros & alios contemptores fidei ac perſecutores populi Chriſtiani; necnon pro negotio, quod inter Eccleſiam & principem vertitur, Reges terræ, prælatos eccleſiarum ac alios mundi principes duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem tuam, & hortamur attente præcipiendo mandantes, quatenus ad præſentiam noſtram, omni prorſus occaſione poſtpoſita, uſque ad proximum feſtum S. Joannis Baptiſtæ perſonaliter venire procures; ut ipſa Eccleſia ex tuæ viſitationis honore ſpirituale gaudium, & ex tua induſtria conſilium percipiat profuturum. Sciturus quod nos dictum principem in prædicatione noſtra citavimus, ut per ſe vel ſuos nuntios in concilio celebrando compareat reſponſurus nobis & aliis, qui aliquid contra ipſum proponendum duxerint, ſatisfactionem idoneam præſtiturus. Dat. Lugduni* III. *non. januar an.* 2. Quas literas Angliæ præſulibus, per nuntios miſſas, adducit Pariſius (*b*): qui auctor ſubdit plures Angliæ præſules, hujuſmodi acceptis literis, capeſſendo itineri ſe alacres accinxiſſe; alios vero vel regni negotiis gerendis implicitos, vel adverſa valetudine ſeniove confectos ſeſe Regis procuratorumve opera Pontifici excuſaſſe: ipſumque excuſationes hujuſmodi admiſiſſe redditæ Regi literæ (*c*) XIII. kal. junii teſtantur. Denique epiſcopum Oſtienſem, S.. tit. S. Mariæ Tranſtyberim presbyterum Cardinalem, atque R. S. Mariæ in Coſmedin & R. S. Angeli diaconos Cardinales e ſuis provinciis revocavit (*d*). Vocatos quoque ad concilium Reges ac principes miſſæ ad Regem Francorum literæ (*e*) demonſtrant.

(*a*) *Inn. l.* 2. *ep.* 1.

Quæ cauſæ ad illud cogendum impulerint.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. an.* 1245.
(*c*) *Extant apud Par. ubi ſupr.*
(*d*) *Inn. l.* 2. *ep.* 4.
(*e*) *Ib. ep.* 3.

II. Quæ vero, antequam patres Lugdunum confluerent, Pontifex adverſus Fridericum in dies in Eccleſiam graſſantem decreverit, prodit Pariſius (*f*) his verbis: *Quadrageſimali tempore ingrediente fecit Dominus Papa iterato excommunicare Imperatorem per totam Franciam, propter quaſdam novas invaſiones, quas fecerat in ſuos conſanguineos, & perſonas eccleſiaſticas.* Hæc ille. Sed quanquam contumelioſiſſimum principem cenſuris percuſſerit, ex alia tamen parte navare operam non deſtitit, ut ipſius animum inflecteret, atque in priſtinam Eccleſiæ gratiam revocaret. Teſtes ſunt pontificiæ ad patriarcham Antiochenum literæ (*g*) quibus affirmat ſe Fridericum, ſi præſules vinculis laxarit, terraſque Eccleſiæ occupatas, antequam celebretur concilium, reſtituerit, in gratiam recepturum.

Antequam illud celebret Frid. percellit anathemate.

(*f*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(*g*) *Lib.* 2. *ep.* 6.

III. *Sane nobis & fratribus noſtris olim in noſtra & ipſorum conſtitutus præſentia retuliſti, quod cum ad ſedem Apoſtolicam veniendo tranſitum per principem habuiſſes, ipſum inveneras pacis avidum, & ſicut dixerat tibi, paratus erat obſervare pacem ſecundum formam ab Eccleſia, & eodem anno proximo præterito acceptatam; & alia etiam, quæ cum quorundam fratrum noſtrorum adderemus conſilio adimplere.* Fuere hæ Friderici fallaciæ ad conciliandas hominum voluntates, bellique invidiam in Eccleſiam detorquendam, pacis avidiſſimum ſe, ut in ipſius literis videre eſt, oſtentare; cum tamen ad æquitatem nunquam flecti potuerit: *Nos autem nullum ſpecialiter, qui ſuper eis inter Eccleſiam & principem ipſum tractaret, duximus deputandum; diximus tibi tamen, cum a ſede receſſiſti prædicta, quod acceptaret Eccleſia, ſi præfatus princeps vellet præmiſſa effectui demandare; quodque ipſius principis in hac parte nobis reſcriberes voluntatem: & certis perſonis injunximus, quas per dilectum filium fratrem I.. de Rojan familiarem noſtrum duximus deſtinandas, alias tibi ſuper hoc literas dirigendo, ut ſi dictus princeps terram Eccleſiæ reſtitueret, ipſam noſtro nomine recipere procurarent. Tu vero nihil certum ſuper iis penitus reſcripſiſti, ſed quod ad compromittendum ſuper negotio Lombardorum in nos & quoſdam alios arbitros idem princeps obtulit ſe paratum, excipitque pacem Conſtantiæ quam ſemper ſe aſſerit excepiſſe.* Oblatas ipſi ſub Gregorio a legatis Cardinalibus ineundæ cum Inſubribus concordiæ leges, quæ olim inter

Pacem Friderico offert ſi acceptas ſuperiore anno illius leges admiſerit. Conciliandæ diſcordiæ incumbit Antioch. patr. Inn. ad eum lit.

eoſ-

eoſdem, ipſiuſque avum Henricum Imperatorem Conſtantiæ ſancitæ fuerant, & inſigni imprudentia ab ipſo repudiatas; belloque ſe implicuiſſe, atque ad ipſius obſequia paratos, quos armis nunquam edomiturus eſſet, repuliſſe ſuperius vidimus: *Ac ut principibus Imperii & aliis clericis & laicis plenarie noſtram reſtituamus gratiam in omnem eventum expoſcit; de quibus in prædicta forma pacis mentio aliqua non habetur, nec tecum meminimus nos tractaſſe. Et quamquam olim in tractatu pacis pro hujus reſtitutione gratiæ prædictus princeps apud nos inſtari fecerit; nequaquam tamen a nobis potuit obtineri, cum nec clericis nec laicis pœnas ſpirituales remittere aliquatenus intendamus, unde plurimum poſſumus admirari.*

IV. *Verum, quia pacem diligimus, & diſcordiam cupimus evitare, acceptaremus adhuc, ſi memoratus princeps pacem juxta præfatam formam obſervare ſtuderet & tam viros eccleſiaſticos, quam alios, qui Eccleſiæ adhæſerunt, & detinentur ab ipſo captivi, redderentur libertati; cum alias pax eis minime reddi videretur, ac terram Eccleſiæ reſtituere non differret, ita quod hujuſmodi tam captivorum, quam terræ reſtitutio poſſet ad noſtram pervenire notitiam ante concilium a nobis, annuente Domino, celebrandum, in quo proponere non poterimus, quin ſuper iis & aliis, prout de jure fuerit, procedamus. Cæterum ſive reſtitutionem tandem fieri contingat, ſive non, ad nos accedere non omittas. Datum Lugduni* II. *kal. maii anno* 2. Paucis interjectis diebus eidem patriarchæ ſignificavit (*a*) ſe principem mox, ubi de manifeſtis illatis injuriis feciſſet ſatis, ac de dubiis idoneam cautionem dediſſet, cenſuris liberaturum. *Præſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus principi ex parte noſtra denunties, quod quam cito de manifeſtis offenſis, pro quibus excommunicatus eſſe dignoſcitur, ſatisfecerit, & de dubiis ſufficientem præſtiterit cautionem, ſibi faciemus munus abſolutionis impendi. Datum Lugduni* 2. *non. maii anno ſecundo*. Contempſit ſuperbus princeps oblatam Eccleſiæ gratiam; ſeque & alios ſumma imprudentia extremorum malorum, quæ facile prævidere ac depellere poterat, abyſſo mergere, quam prætermiſſa filii officia Eccleſiæ deferre maluit.

(*a*) *Ib. ep.* 5.

**Patriarchæ Antiocheno abſolutionis promittendæ juſtis conditionibus provinciam imponit.**

V. **Præmonet Sanctium Reg. ut publicis malis medeatur.**

Ut vero Friderico Pontifex, antequam illum Imperii culmine everteret, paternum ſinum, ſi juratas pacis leges mandaret operi, explicuit, ita Sanctium Luſitaniæ Regem, qui ſummæ inertiæ labe regii nominis gloriam inficiebat, prius ſaluberrimis monitis corripuit, quam publicæ rei adminiſtrationem Alphonſo ipſius fratri committeret, ut imminentem calamitatem prompto remedio, quod facillimum erat, propulſaret. Graviſſimæ illi obiiciebantur querelæ, pati impune eccleſiaſticam dignitatem obteri, labefactari ipſius jura, conventa inter ipſum ac Gregorium IX. convelli, illius ſocordia ſolutam legum metu improbitatem victricem exultare, nobiles vetita matrimonia inire, ac non ſine hæreſeos ſuſpicione detortis in pravos ſenſus ſcripturis ſacris ad colorandum facinus abuti; diripere paſſim eccleſias, exinanire monaſteria, ædeſque viris religioſis conſecratas equorum ſtabulis, imo & proſtibulis mancipare; cædes nobilium & ignobilium nullo legum metu perpetrari, ſanctimoniales ac virgines rapi, colonos, mercatores, clericos, graviſſimis pœnis extorquendarum pecuniarum gratia diſcruciari; prophanari templa, cœmeteria violari, ferrum, flammamque late circumferri, abrumpi inducias, aliaque immania ſcelera vidente ipſo & connivente committi: pati quoque, ut Sarraceni in regni limitem excurrant, nec ad eorum impetus elidendos ſtudium adhibuiſſe: & quamvis ſæpius a præſulibus ad ea emendanda fuiſſet ſolicitatus, in ignavo otio conſenuiſſe. Præmonuit igitur ſeriis & graviſſimis verbis ignavum principem Pontifex, (*b*) tantis malis modum poneret, comminatus regno alia ratione conſultum iri ab Apoſtol. ſede, ipſumque in præſenti ac futuro ſæculo criminis pœnas luiturum.

**Inſignis illius ſocordia.**

(*b*) *Ib. ep.* 439.

*Illuſtri Regi Portugalliæ.*

VI. **Innoc. ad eund. lit.**

*Inter alia deſiderabilia cordis noſtri ſalutem fidelium, quorum regimini, licet immeriti, Deo præſumus diſponente, principaliter affectantes grandi gaudio exultamus in Domino, cum ea nobis de ipſis fidelibus referuntur, per quæ ſuarum profectus provenire dignoſcitur animarum; & vehementi dolore turbamur, ſi nos illa de eis audire contingat, quæ ipſis & aliis pravo exemplo ſalutis afferunt detrimentum: unde tanto lætitia majori replebimur, ſi cultui virtutum inſiſtens ſtudeas te ante oculos reddere divinæ majeſtatis acceptum, quanto plures ex hoc & a malo retrahere & ad exercitium bonitatis inducere comprobaris. Sane non ſine gravi turbatione mentis audivimus, quod poſt clamores & querelas multiplices prælatorum & aliorum regni Portugalliæ contra te ſuper conculcatione libertatis eccleſiaſticæ, aliiſque oppreſſionibus eccleſiarum ejuſdem regni depoſitas, & admonitiones frequentes tibi propter hoc a Rom. Pontificibus noſtris prædeceſſoribus; & proviſiones ſuper iis a felicis recordationis Gregorio Papa prædeceſſore noſtro inter te & quoſdam ex prælatis ipſis, ac promiſſiones a te in hac parte ſuper articulis certis factas; tu circa malefactorum ipſius regni audaciam reprimendam ſic negligens inveniris, quod in eodem regno bona tam eccleſiaſtica, quam mundana per raptores,*

**Arguit eccleſiaſticos opprimi.**





*prædones, invaſores, incendiarios publicos, ſacrilegos, & deteſtabiles homicidas, abbatum videlicet, priorum & aliorum religioſorum & clericorum ſæcularium, ac laicorum occiſores deperire propter ſæcularis defectum juſtitiæ dignoſcuntur.*

VII. **Improborum licentiam impune graſſari.**

*Unde quia ſic in regno a quibuſlibet tuis ſubditis impune delinquitur, barones aliique ipſius regni nobiles & ignobiles, ſumpto ex hoc delinquendi auſu, matrimonia contrahere in gradu prohibito, bona eccleſiaſtica recipere, ac alia quamplura mala, olim a bonæ memoriæ Sabinenſi epiſcopo tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legato ſub anathematis interminatione prohibita, committere non verentur: & tam ipſi quam plures alii de regno præfato diverſarum excommunicationum innodati laqueis, per devia deſperationis errantes, in contemptum clavium divinis ſe officiis irreverenter ingerunt, & eccleſiaſticis ſacramentis; ac in ſubverſionem catholicæ fidei plures eorum de ipſius articulis auctoritates tam novi, quam veteris teſtamenti temere, non ſine fermento pravitatis hæreticæ, in ſuarum & aliorum animarum periculum exponendo, te diſſimulante, non metuunt diſputare: & nonnulli de regno ipſo eccleſiarum & monaſteriorum patroni, & alii aſſerentes ſe patronos, cum non ſint, locorum ipſorum & ab eis illegitime geniti in bonis dictarum eccleſiarum, & eorundem monaſteriorum crudeliter debacchantes, eccleſias ipſas & monaſteria eadem ad tantam inopiam redegerunt, quod eis nequeuntibus proprios ſuſtentare miniſtros; quinimo aliquibus ex ipſis ſervitorum ſolatio deſtitutis, & aliorum clauſtris, refectoriis cæteriſque officinis, equorum ſtabulis & proſtibulis quarumlibet perſonarum vilium deputatis; divini nominis & religionis cultus exinde penitus eſt ſublatus, bonis illorum omnibus in direptionem expoſitis, & in prædam.*

VIII. *Cæterum caſtra, villas, poſſeſſiones, & alia jura regalia deperire permittens perſonarum tam eccleſiaſticarum, quam ſæcularium, nobilium & ignobilium, occiſiones nefarias, dum religioni non parcitur, nec ſexui, vel ætati; rapinas, inceſtus, raptuſque monialium & ſæcularium mulierum; ruſticorum & clericorum, ac negotiatorum tormenta gravia, quæ ipſis a nonnullis regni præfati pro extorquenda ab ipſis pecunia infliguntur; eccleſiarum & cœmeteriorum violationes & incendia, fractiones treugarum, & alia enormia, quæ a tibi ſubjectis libere committuntur, ſcienter toleras: quinpotius tot tantiſque malis, dum ea præteris impunita, conſentire videris, & pandis aditum ad pejora. Terras inſuper & alia Chriſtianorum bona in confinio Sarracenorum poſita non defendens, ea infidelibus occupanda relinquis. Et licet a ſupradictis prælatis, ut ad corrigenda præmiſſa pluraque alia nefanda, quorum cœnoſa narratio faſtidium generaret, ardenter, ut teneris aſſurgeres, monitus fueris diligenter; tu tamen eorum monitionibus obauditis, id hactenus efficere neglexiſti.*

**Regni limitem adverſus Sarracenorum excurſiones non defendi.**

IX. *Nos igitur eidem regno ſuper tam miſerabili ſtatu paterno condolentes affectu, & cupientes ipſum a tot reſpirare anguſtiis, totque oppreſſionibus relevari; ſerenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus prudenter conſiderans, quod ſi omnipotens Dominus tuam ſuper iis negligentiam ad tempus forte ſuſtineat, poſtremo tamen ſi in te, ac tuis contemnas errata corrigere, illam & hic impunitam non deſeret & in futuro nihilominus ulciſcetur gravius; ſic ad corrigenda præmiſſa ſolerter & ferventer exurgas, ut culpas ſubditorum tuas per reprobabilem patientiam non efficias: ſed in te ac ipſis proberis odire malitiam & diligere bonitatem; & de perſona tua grata de cætero auctore Domino audiamus. Quod ſi forte, quod non credimus, fueris circa hæc corrigenda remiſſus, nequaquam tolerare ſedes Apoſtolica poterit, quin ſuper iis ad ſalutem tuam dictique regni commode remedium adhibeat opportunum: & nihilominus venerabilibus fratribus noſtris Portugallenſi & Coimbrienſi epiſcopis, ac dilecto filio priori fratrum Prædicatorum Coimbrienſium literis noſtris injungimus ut te ad id monentes attente, & efficaciter intendentes, qualiter ſuper hoc faciendum duxeris, & de ipſorum circa te in hac parte proceſſu, nos in concilio a nobis proximo celebrando certificare procurent. Dat. Lugduni* XIII. *kal. ap. ann.* II.

**Inertiæ ipſius non malitiæ hæc mala tribuit Pont.**

**Intentatæ illi minæ.**

X. **Hiſtoricorum dicta pontificiis lit. conſonant.**

Objectis a Pontifice Regi Luſitano conſentiunt, quæ de ipſo ſcribunt hiſtorici, Sanctium eo nomine ſecundum (ut tradit Mariana *a*) a veſtium forma cognomento Capellum dictum initio haud prorſus male rexiſſe: at cum in ſocordiam facilitatem morum ingeniique manſuetudinem detorſiſſet, ac Mentiæ Hari Biſcayæ reguli filiæ, cujus amoribus erat irretitus, in omnibus morem gereret, atque apud eum gratia & auctoritate plures obſcuriori genere nati pollerent, ac rempublicam male gererent, apud omnes ipſum in odium adductum fuiſſe, improboſque ex ea occaſione, defloreſcente in dies principis auctoritate, audaciæ nequitiæque habenas laxaviſſe.

(*a*) *Mariana de reb. Hiſp. l.* 13. *c.* 4.

**Parta Sanctio Mentiæ vitio calamitas.**

Accuſavit porro apud ſedem Apoſtolicam Sanctii cum Mentia matrimonium Alphonſus Bononiæ in Galliis comes, qui obſcuris artibus ad regnum nitebatur, quarto nimirum conſanguinitatis gradu uxorem attingere, ex quo plurimis ſcandalum pareretur. At Innocentius, quamquam

**Vetitum cum illa matrimonium diſſolvi jubet Pont.**

quam illud vitium ac impedimentum facile aboleri auctoritate pontificia poterat; cum tamen illius exemplo nobiles in Luſitania vetita matrimonia contraherent, ac omnium publicorum malorum improbæque regni adminiſtrationis cauſa Mentiæ tribueretur; Compoſtellano archiepiſcopo & epiſcopo Aſtoricenſi partes impoſuit (a), ut comperta re a vetito illo contubernio monitis ſuis divellerent. Quid vero in Sanctium ob publicam rem male geſtam hoc anno poſt ſynodum reſcripſerit Pontifex, utque regni adminiſtrationem in ejus fratrem comitem Boloniæ contulerit, cum pontificiis monitis ad gerendum probe regnum, ac ſceleratos coercendos revocari non potuiſſet, dicetur inferius.

(a) Eod. l. 2. ep. 244.

XI. Solicitat Pont. Regem Bulgar. ad Eccl. Rom. conjunctionem.

Poſtridie ejus diei, quo hæc ad Sanctium ſcripſit, datis ad Colmanum in Bulgaria imperantem literis (b) ubi de primatu Rom. Eccleſiæ multa diſſeruit, ipſum ad Eccleſiæ gremium ſubeundum peramanter invitat.

(b) Lib. 2. ep. 10.

*Illuſtri Colmanno in Bulgaria imperanti Deum diligere & timere, &c.*

*Cum Dei gratia diſponente non noſtris meritis præſideamus, nequaquam ſine dolore poſſumus intueri a tanti capitis corpore membra quædam eſſe diviſa, videlicet Græcorum & Bulgarorum eccleſiam, ſejuncta nempe per inobedientiam a ſuo capite ſpeciali corporis ſenſificationi nequaquam participat, cum ab ejus ſe ſubtraxerit unitate. Igitur quia debitores ſumus omnium ſalutem quærere ſervus ſervorum illius, qui neminem vult perire, non immerito circa te & ſubditos tuos miſericordiæ viſceribus affluentes Pauli gentium doctoris affectum induimus, qui ſciens Creatorem omnium acceptionem non facere perſonarum, conformatus infirmis & omnibus omnia factus, ut omnes Domino lucraretur; rogamus & obſecramus in domino Jeſu Chriſto, quod ad unitatem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ redire non differas, nec reputes otioſum, quod a nobis in hac parte diebus iſtis inſpiratione divina de fratrum noſtrorum conſilio ſitientium illuminationem tuam populique tibi ſubjecti, non ſine ſacrarum ſcripturarum eſt auctoritate proviſum: non enim veſtra requirimus; ſed animarum veſtrarum cum Jeſu Chriſto lucra ſitimus: nihil de facultate veſtra ſubtrahere quærimus, vel minuere de honore; ſed quantum cum Deo juſte poſſumus, provehere vos & ampliare potius affectamus. Erit proinde dante Jeſu Chriſto noſtris affectibus incrementum, ſi tu qui eſſe populi tui caput & princeps diceris, per gratiam intellectus, quo a multitudine ſubjecta diſcerneris, propoſita tibi per pacis nuntios audieris patienter ad unitatem Eccleſiæ catholicæ revertaris, ut efficiaris Chriſto primitiæ populi reverſuri. Et ſi forte excuſare te volueris, dicens hæc nequaquam fieri poſſe ſine concilio generali, reſpondemus, quod ad congregandum concilium ad requiſitionem tuam & Græciæ & Bulgariæ prælatorum offerimus nos benevolos & paratos, recipientes vos veſtroſque procuratores & nuncios cum honore & cordis lætitia; & reſtituemus corpori Eccleſiæ ſua membra, proferentes ſtolam primam, occidemus vitulum ſaginatum, generale convivium faciemus univerſis Chriſti fidelibus, & annuntiabimus cum exultatione & gaudio, quod Eccleſia catholica ſuo decore, ut a principio, eſt induta, tanquam vitis abundans, cujus filii ſunt, ut novellæ olivarum in circuitu menſæ ſedentes expectando, ut occurrat ſalvatori ſuo domino Jeſu Chriſto, &c.* Adjungit preces, ut nonnullos Minoritas animis, religione & doctrina præſtantes benigne excipere, eorum dictis adhibere fidem ac proficiſcentium ad Tartaros aliaſque gentes remotiſſimas diplomate regio ſecuritati cavere velit. *Dat. Lugduni* XII. *kal. april. ann.* II.

Offert concilium œcumenic. pro redintegranda concordia cum Bulg. & Græcis celebraturum.

XII.

Agitaſſe Colmanum ſive Callimanum, ita enim Georgius (c) Logotheta illum appellat, de conjungenda cum Romana Bulgarorum eccleſia Calojoannis avi, atque Aſanis patris exemplo, quamquam illi icto cum ea fœdere mox nimia levitate defecere ſalubria conſilia ex appoſitis hiſce in literarum (d) apoſtolicarum calce verbis elicitur: *Cum ſuper prædictis*, nimirum eccleſiarum conjunctione, *& ſpecialiter de iis, quæ ad pacem pertinent, tractatum habeas fructuoſum.* At non potuiſſe ob immaturam mortem ea perducere ex memorato Georgio conſtat: florentem enim pubere ætate principem annos natum octodecim ſive naturali morbo, ſive clam parato veneno, ut ferebat rumor, extinctum tradit; eoque accepto nuncio Vatacium, qui luſtrandæ regionis cauſa ad Hebrum pervenerat, Philippos contendiſſe, ac militare conſilium de laceſſendis Bulgaris, urbibuſque Græcis antea ab iis ereptis ad Imperium revocandis iniiſſe, ac Palæologum Andronicum, negantibus aliis violandum Bulgaricum fœdus, inſtitiſſe tentandam Serrarum arcem, qua ſi potiri contigiſſet, rem Græcam amplificatum iri: ſi vero propulſati fuerint, facile cum infante Rege pacem redintegratum iri. Serras itaque facta impreſſione excepta arce impugnatas, Dragotam vero Bulgarum præfectum arcis & Vatacii præſentia & Callimani morte territum, tum promiſſis ingentibus illectum arcem Græcis certis conditionibus dimiſiſſe, profectumque Melenicum tacitis colloquiis urbis cives ad Vatacii obſequium pellexiſſe; inde circumjectam regionem, impoſitaque Rhodope oppida in illius ditionem conceſſiſſe; Bulgarorum vero novum Regem felici Græcorum progreſſu perculſum, iis legibus pacem eblanditum, ut Vatacius partis contentus, ulterius exercitum non inferret. Addit de ſe Logotheta: *Hæc quidem ita peracta ſunt: ipſe vero in ſcribendis epiſtolis operam navabam, ſingulis urbibus, ac oppidis captis ſcribens, & imperatorium ſigillum imprimens: namque id moris erat Romanorum Imperatoribus per literas illis, qui longe diſtabant, egregie a ſe geſta ſignificare voluptatemque illis, quam ipſi experirentur, conciliare.*

(c) Georg. Log. in hiſt. Conſtantinop. Leone Allatio interpr.

Ad conjunctionem eccleſiarum inclinabat Colmanus.

(d) Inn. ubi ſup.

Immatura mors evertit illius conſilia.

Vatacius captata occaſione Serras expugnat.

Pellicit ad deditionem Melenicum. Redintegrat pacem cum Bulgaris.

XIII. Demetrius Theſſalonicen. deſpota.

Subjungit auctor excurrente tum novembri menſe Vatacium, in orientem remeare meditantem, a profectione occupandæ Theſſalonicæ ſpe retardatum. Succeſſerat Joanni fratri ex Imperatore creato deſpotæ, ut vidimus, Demetrius, qui adminiſtrandi principatus parum gnarus in libidines ſe effuderat, adeoque ſubditorum alienarat voluntates, ut conjuratione facta, dum Vatacius Melenici conſiſtebat, Campanum artibus inſtructiſſimum tranſmiſerint, ut bullam auream impetraret, qua antiqua Theſſalonicenſium jura & privilegia civiumque libertas aſſererentur: in quorum vota mox deſcendit Vatacius & conjurationis principes ad rem urgendam muneribus ac promiſſis incitavit. Tum Melenico egreſſus Theſſalonicenſi deſpotæ miſſis oratoribus edixit, ut ſi pactis ſtare vellet, ad aulam imperatoriam ſe cenferret. At Demetrius proditorum conſiliis ſubornatus, cum nec propulſandis conatibus Vatacii, cui neceſſaria deerant ad obſidionem, nec promerendæ ejus gratiæ incumberet, repente a conjuratis aperta porta admiſſoque hoſte circumventus eſt, quam Theſſalonicæ expugnationem ita Georgius deſcribit.

Init illius opprimendi conſilia Vatacius.

XIV. Proditione Theſſalonicam occupat.

*Parva militum manus*, e Vatacii ſcilicet exercitu, *cum apud Pauſillam urbis portam & mare ſpectantem adſideret cuſtoditque, ne quis ex urbe ex improviſo erumpens militem læderet, inde oborto clamore portam ab iis, qui intus erant, apertam fuiſſe, clamorem inſequitur; & univerſus exercitus poſt eam armatus cum Imperatore confeſtim Theſſalonicam ingreſſus omnia occupat. Imperator in porta urbis, quæ in orientem vergit, ſtetit. Aderat & Demetrii ſoror Erena Bulgarorum Aſani uxor ſupplex genibus nixa & lacrymabunda, exorans ne frater oculis obcœcetur. Demetrius in arcem prius ſeſe receperat, ſorori ſpondente ac jurejurando promittente Imperatore, oculos eum non amiſſurum, fratrem adoleſcentem ætatem maturam admodum præſe ferentem, ſed adhuc imberbem, forma & ſpecie egregium ad Imperatorem detulit. Eam honore ornavit Imperator, etiam a proprio vehiculo exiliens, pedes cum ea ſtetit. Theſſalonica hac ratione ſub Imperatoris Joannis ditione facta eſt, immo potius ſub tutela Romanorum acquieſcit: illius etenim domini Romanis contrariæ ſentiebant.* Hactenus Georgius Logotheta. Ut vero ingraveſcente in dies Vatacii Imperatoris potentia, & collabente ſenſim orientali Latinorum Imperio in Lugdunenſi concilio de comprimendis Græcorum conatibus actum ſit, inferius dicetur. Jam ad inſtitutam orationem, a qua nos Græcorum res abduxere, redeamus.





XV. Innocentii ſtudium in adducendis ad Chriſti cultum gentilibus.

Sacro illo & apoſtolico zelo ſuccenſus Innocentius, quo ſchiſmaticos ab Eccleſia divulſos revocare niſus gentiles ſuperſtitionibus imbutos ad Chriſti ovile adducere conatus eſt. Inſignes erant inter eos Tartari gentium multitudine, provinciarum, quas ſubegerant, numero, opum potentia, morum ferocitate, victoriarum partarum gloria, veſanæque ſuperſtitionis tenebris involuti. Ad quos evangelii luce colluſtrandos nonnullos Minoritas in ſubeundis hujuſmodi pro Chriſto laboribus ac periculis fortiſſimos miſit; tum literas (a) apoſtolicas exaravit, in quibus auguſtiora religionis noſtræ, ut eam amplecterentur, myſteria explicuit; ut nimirum primus parens ceciderit, ut Verbum divinum ad illum e caſu erigendum pœniſque eripiendum humanos artus virtute divini Spiritus in alvo Virginis induerit, ut Chriſtus promulgarit evangelium miraculiſque illuſtrarit, ut pro redimendo humano genere cruorem effuderit, ut ſe ad vitam propria virtute excitarit, ut ſuas in terris vices Petro ejuſque ſucceſſoribus demandarit; atque adeo officii ſui religione ductum ipſos ad ſuſcipienda baptiſmi ſacra amantiſſime ſolicitare.

(a) Lib. 2. ep. 11.

*Innocentius &c. Regi & populo Tartarorum viam agnoſcere veritatis.*

XVI. Tartaros ad fidem invitat.

*Dei Patris immenſa benignitas humani generis caſum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili reſpiciens pietate, ac illum, quem diabolica proſtrarat invidia ſuggeſtione doloſa, volens ex charitate nimia miſericorditer reparare, Filium ſuum unigenitum conſubſtantialem ſibi de cœli excelſo ſolio miſit ad infimum mundi ſolum, qui præelectæ Virginis utero ſancti Spiritus operatu conceptus, & ibi veſte carnis indutus humanæ, indeque poſtmodum clauſa maternæ porta virginitatis egreſſus, cunctis viſibilem ſe oſtendit. Humana enim natura cum eſſet rationalis, erat æterna veritate tanquam optimo ſuo cibo paſcenda: ſed pœna peccati mortalibus detenta vinculis ad hoc eſt diminutionis redacta, ut per conjecturas rerum viſibilium ad intelligenda inviſibilia niteretur, cibi rationalis creaturæ ipſius conditori facultas non ſine commutatione, diminutione naturæ, ut viſibilia ſectantes, ad ſe inviſibi-*

Summi rerum conditoris cognitione informat.

*ſibilem factus viſibilis revocaret, ſalubribus homines inſtitutis informans viamque vitæ ipſis indice doctrina demum demonſtrans; dignatus eſt poſt ſacræ converſationis exempla & evangelicæ inſtructionis eloquia ſub diræ crucis ſupplicio mortem pati; ut pœnali vitæ præſentis fine pœnam mortis perpetuæ, quam protoplaſti poſteritas ipſius incurrerat tranſgreſſione, finiret; & de amaro mortis calice temporalis hauriret homo vitæ dulcedinem ſempiternæ. Mediatorem namque inter nos & Deum & mortalitatem habere oportuit tranſeuntem, & beatitudinem permanentem; ut per id quod tranſit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, ex mortuis nos transferret.*

XVII. Redemptionis proponit myſteria.

*Pro humani ergo redemptione generis ſe hoſtiam exhibens, illud ſuæ ſalutis hoſte proſtrato de opprobrio ſervitutis eripuit, ad gloriam libertatis ſupernæ ſibi patriæ oſtium reſerando: & demum reſurgens a mortuis, ac in cœlum aſcendens, vicarium ſibi reliquit in terris, cui animarum curam, ut earum ſaluti, pro qua ſuam humiliaverat altitudinem, vigilanter intenderet & invigilaret, attenta amoris ejus conſtantia, trinæ profeſſionis argumento probata commiſit; & tradens ſibi claves regni cœlorum, per quas ipſe ſuique per eum ſucceſſores poteſtatem aperiendi omnibus, ac claudendi ejuſdem regni januam obtinerent. Unde prædicti vicarii diſponente Domino nos, licet immeriti, ſucceſſores effecti ſuper omnia, quæ nobis ex injuncto incumberent officio, ad veſtram aliorumque ſalutem noſtræ intentionis dirigimus aciem, ad hanc præcipue mentis noſtræ deſtinamus affectum, circa eam diligenti ſtudio, & ſtudioſa diligentia vigilantes, ut errantes in viam veritatis reducere, eoſque lucrifacere Deo, ſua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia humanæ conditionis renitente natura, uno eodemque tempore diverſis locis præſentialiter adeſſe nequimus, ne ullatenus negligere videamur abſentes, ad eos viros providos & diſcretos transmittimus vice noſtra, ipſorum miniſterio circa illos apoſtolicæ ſervitutis debitum exolventes; propter quod ad vos dilectum filium Fr.. Laurentium de Portugalia, & ſocios ejus latores præſentium ordinis fratrum Minorum, viros religione conſpicuos, honeſtate decoros, & ſacræ ſcripturæ ſcientia præditos, ut ipſum Dei Filium Jeſum Chriſtum ſalutaribus eorum eruditionibus agnoſcentes ſuum glorioſum nomen Chriſtianæ fidei obſervatione colatis, duximus deſtinandos. Dat. Lugduni* III. *non. mart. anno* II.

XVIII. Ad clementiam adducere nititur.

Ad mitigandam etiam ejus populi ferociam, qui graviſſimas calamitates, ut vidimus, Chriſtianis attulerat, ac majores inflicturus in poſterum, quo magis potentia, armorumque peritia & opibus creviſſet, videbatur, alias Tartaris literas dedit, (*a*) quibus admonuit, ne ita in ejuſdem naturæ conſortes ſævirent: imitarentur ſupernorum ſpirituum mutuam conjunctionem, vel ſaltem ipſa ratione carentia bruta animantia, quæ licet immanitate effera ſuo generi parcunt, vel ipſa ſenſus expertia mundi elementa, quæ mutuo fœdere inter ſe conſentiunt: ſe ſummi Regis exemplo imperioque ad colendam pacem adhortari; humano in poſterum adeo immaniter fundendo ſanguini temperarent, atque ab affligendis maxime Chriſtianis abſiſterent.

(*a*) *Ib. ep.* 12.

*Cum non ſolum homines, verum etiam animalia irrationalia, nec non ipſa mundialia elementa machinæ quidam maturæ fœderis ſint unione conjuncta, exemplo ſupernorum ſpirituum, quorum agmina univerſorum conditor perpetua pacifici ordinis ſtabilitate diſtinxit; mirari non immerito cogimur vehementer, quod vos, ſicut audivimus, multas tam Chriſtianorum, quam aliorum regiones ingreſſi, horribili eos deſolatione vaſtatis, & adhuc continuato furore depopulatrices manus ad ulteriores extendere non ceſſantes, ſoluto cognationis vinculo naturalis, nec ſexui, nec ætati parcendo, in omnes indifferenter animadverſionis gladio deſævitis. Nos igitur pacifici Regis exemplo cunctos in unitate pacis ſub Dei timore cupientes, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente quatenus ab impugnationibus hujuſmodi, & maxime Chriſtianorum perſecutionibus penitus deſiſtentes, ſuper tot & tantis offenſis divinæ majeſtatis iram, quam ipſarum exacerbatione vos non eſt dubium graviter provocaſſe, per condignæ ſatisfactionem pœnitentiæ complacetis: nec ex eo ſumere debetis audaciam amplius ſæviendi, quod in alios potentiæ veſtræ furente mucrone omnipotens Deus diverſas ante faciem veſtram ſubſterni permiſit hactenus nationes; qui nonnunquam ſuperbos in hoc ſæculo corripere ad tempus ideo prætermittit, ut ſi humiliari neglexerint per ſeipſos, eorum nequitiam & punire temporaliter non poſtponat, & nihilominus in factum gravius ulciſcatur. Datum Lugdun* III. *non. mart. anno* II. Subdit ſe religioſos viros Joannem ac ſocios præſentium latores ſcientia ac virtutibus ornatos ad ipſos mittere, rogatque ipſos perhumaniter excipiant ac fidem adhibeant iis, quæ Pontificis nomine dicturi ſint; in iis maxime, quæ ad pacem mutuam conciliandam ſpectent: ſignificent etiam, quid ipſos ad excindendas alias gentes permoverit, quidve ulterius meditentur; denique provideant iis ad reditum neceſſaria ac publicas literas pro obeundo tuto itinere, ut ultro citroque commeare poſſint.

Viros religioſos tranſmittit.

In-



XIX. Inter cæteros, qui ad excolendam in remotiſſimis terrarum oris obſitam ſentibus vineam Domini miſſi, Minoritarum familiæ religioſis viris circumferendi evangelicam lucem demandata provincia eſt (*a*); conceſſumque ut anathematis vinculis implicitos in gratiam cum Eccleſia recipere, verba officiaque familiariter cum iis conferre, gentiles baptiſmo abluere, & clericali charactere inſignire, atque etiam acolytatus munere decorare poſſent: *Præſentium vobis auctoritate concedimus, ut in terris, quæ adhuc ſedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt, proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqui ſunt excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo ac in aliis ſecure communicare; & ipſos, ſeu etiam alios converti ad unitatem Chriſtianæ fidei cupientes recipere, baptizare, & aggregare filiis Eccleſiæ ſanctæ poſſitis; nec non aggregatos eoſdem inſignire charactere clericali, & ipſos ad acolytatus ordinem promovere, &c.*

(*a*) *Ib. ep.* 9.

Quæ auctoritas evangelii præconibus conceſſa.

XX. Objere (*b*) magna in perferendis diuturni itineris laboribus conſtantia, ac Tartarorum barbarie toleranda, impoſitum legationis munus: e quibus Joannes e Plano Carpio de Tartarorum ſitu, forma, moribus, conſuetudinibus, legibus, ſuperſtitione, victoriis, pugnandi genere, opibus, potentia librum conſcripſit, ex quo plura apud Vincentium Bellovacenſem collecta ſunt. Pervenere vero ſequenti anno nuncii ad ſolemnem Tartarorum conventum, ubi novus Imperator eſt renuntiatus, in quo ad imperatorium ſolium evehendo adhibitos ritus ita deſcribit (*c*).

Quæ geſſerint ac viderint apud Tartaros nuncii.

(*b*) *Vinc. Bellovac. ſpec. hiſt. l.* 31. *c.* 2.

(*c*) *Ib. c.* 32.

XXI. *Anno Domini MCCXLVI. Cuyne, qui & Gogcham, ideſt Imperator, vel Rex, ſublimatus eſt in Tartarorum regno: omnes ſiquidem illorum barones congregati quandam ſedem auream in loci ſupradicti medio poſuerunt, ſupra quam ipſum Gog ſedere fecerunt; coram eo gladium poſuerunt dicentes: Volumus & rogamus, atque præcipimus, ut domineris omnibus nobis: at ille dixit eis: Si me vultis ſuper vos regnare, nunquid parati eſtis unuſquiſque quod vobis præcepero facere, quemcunque vocavero venire, quocumque voluero mittere pergere, quemcumque occidi præcepero occidere? reſponderunt: Utique. Ergo, inquit, oris mei ſermo de cætero gladius meus erit; omneſque communiter ei conſenſerunt. Poſt hoc autem filtrum quoddam in terra ſtatuerunt, ipſumque rurſus deſuper ſedere fecerunt, dicentes: Vide ſurſum & agnoſce Deum, ac reſpice filtrum, in quo ſedes deorſum. Si bene regnum tuum rexeris, ſi largus fueris, juſtitiamque ſervare dilexeris, ac principes tuos unumquemque ſecundum dignitatem ſuam honoraveris, magnificus regnabis; totuſque mundus tuæ ſubſternetur dominationi, & quidquid deſiderabit cor tuum, dabit Deus tibi: ſi autem e contrario feceris, miſer & abjectus eris, adeoque pauper, ut nec tibi permittatur filtrum, in quo nunc ſedes. Hoc dicto iidem barones uxorem Gog cum ipſo ſuper filtrum ſedere fecerunt, ſicque ambos ſedentes a terra ſurſum in aera levaverunt, atque Imperatorem & Imperatricem omnium Tartarorum voce publica & clamoroſa eoſdem proteſtati ſunt. Poſtea multitudinem infinitam auri & argenti, & lapides pretioſos, ac quæcumque remanſerant a Chagadadam coram Imperatore novo apportari fecerunt, eique dominium ſuper omnia illa plenarium conceſſerunt: ipſe vero, prout ei placuit, unicuique principum diſtribuit, ſibique reſiduum ſervari præcepit.*

Cuyne Tartarorum creatus Imperator.

Ritus in ea celebritate obſervati.

Oblata illi munera.

XXII. Subiicit auctor (*d*) novum Tartarorum Imperatorem erga religionem Chriſtianam egregie affectum, ſpemque affulſiſſe illum ad Chriſti cultum aliquando traductum iri: *Dicebant etiam nobis*, inducitur nimirum Joannes nuncius apoſtolicus, *firmiter aſſerendo Chriſtiani, qui erant de familia ejus, quod deberet fieri Chriſtianus, cujus ſignum erat, quod ipſe clericos Chriſtianos tenebat, & expenſas eis dabat: habebat etiam ſemper capellam Chriſtianorum ante majus tentorium ſuum, ubi cantant clerici publice & aperte, ac pulſant ad horas, ut cæteri Chriſtiani ſecundum mores Græcorum, quantacumque ſit ibi multitudo Tartarorum, vel etiam aliorum hominum; hoc tamen non faciunt alii duces ipſorum;* hæc ille. Ut vero Tartarorum Reges, atque Imperatores Chriſtiana ſacra amplexi fuerint, quæ poſtea Sarracenica ſuperſtitione commutarint, dicetur ſuis locis.

(*d*) *Ib. c.* 33.

Bene ſentire viſus Cuyne de religione Chriſtiana.

XXIII. At quamvis hic Imperator de religione Chriſtiana præclare ſentire, miſſoſque ab Romano Pontifice nuncios non illiberaliter pro barbaro excepiſſe videretur; ſigna tamen infeſta, ſpretis apoſtolicis monitis, adverſus Eccleſiam principeſque Chriſtianos, ſi Tartarico jugo collum ſubmittere recuſarent, e ſuorum ducum conſilio, ſola dominandi libidine incitatum, attollere conſtituiſſe: *Idem Cuyne Imperator de novo electus cum omnibus ſuis principibus erexit vexillum contra Eccleſiam Dei, ac Romanum Imperium, ac contra omnia regna Chriſtianorum, & populos occidentis; niſi fortaſſe, quod abſit, facerent ea quæ mandabat domino Papæ, atque potentibus & omnibus Chriſtianorum populis, videlicet ut ipſi ſubdantur eis: nam excepta Chriſtianitate nulla eſt terra in orbe quam timeant, & idcirco contra nos ad pugnam ſe præparant. Hujus ſiquidem Imperatoris pater ſcilicet Octoday, necatus fuerat veneno, & ob hoc a bellis quieverant tempore pauco. Inten-*

Occidentem ſibi ſubiicere eſt meditatus.

Veſana Tartarorum ambitio.

*tio autem eorum, ut dictum eſt ſupra, eſt ſibi totum ſubiicere mundum, ſicut a Chingiſcam habent mandatum: unde & ipſe Imperator in literis ſuis ita ſcribit: Dei fortitudo omnium hominum Imperator. In ſuperſcriptione quoque ſigilli ejus hoc eſt: Deus in cœlo, & Cuyne Cham ſuper terram Dei fortitudo omnium hominum Imperatoris ſigillum.* Subjungit Vincentius barbarum principem immani virium potentia ad perducenda alta conſilia ſibi præſidentem inſoleſcere: cujus ingentes exercitus, ac præcipuorum ducum nomina recenſet, quamquam in numeris non parum depravatus eſt textus. De miſſa alia ad Tartaros, qui Perſidem aliaque regna vaſtiſſima domuerant, a Pontifice legatione, ut ipſos a fundendo humano ac præcipue Chriſtiano ſanguine avocaret, qua e Prædicatorum familia viri religioſi perfuncti ſunt, dicetur inferius.

XXIV. De Lugdunenſi concilio.

Reliquum jam eſt, ut de Lugdunenſi ſynodo agamus: [1] ac ſane, quod ad illius celebratæ tempus attinet, nonnulli in ſupe-

NOTÆ [1] LUgdunenſe I. concilium œcumenicum iſto quidem anno celebratum fuit, ut contra nonnullos evidenter demonſtrat veterum coævorum & concilio ipſi præſentium ſcriptorum authoritas, inter quos anonymus Erfordienſis, Nicolaus de Curbio, qui pontificis lateri adhærebat, Pariſius, aliique. Sed ejus indictio anno ſuperiori labente primum facta eſt. Quanquam etiam encyclicæ ea de re literæ nonniſi hoc anno ineunte expeditæ ſunt; Lugduni tamen de ſynodo futura denunciatio die feſta S. Joannis evangeliſtæ a pontifice in plena populi concione facta eſt, teſte Nicolao de Curbio in vita Innoc. cap. XVIII. qua in re annales eccleſiaſtici hic num. I. corrigendi ſunt. Nec minus conſtat de die, qua pontifex patribus convocatis in triclinium cœnobii S. Juſti de rebus ad concilium pertinentibus tractare cœpit, cui rei diem XXVI. junii omnes aſſignant. Biduo poſt die XXVIII. junii ſeſſio prima concilii habita, in qua ea tractata ſunt quæ ab annaliſta hic narrantur. Octava poſt hæc die V. julii ad ſeſſionem alteram proceſſum fuit. Tertia demum prorogata uſque ad diem XVIII. julii. Certa tamen tertiæ hujus ſeſſionis dies ambigua, nam ſi acta Vaticana conſulantur, ſententiæ in Fridericum in tertia hac ſeſſione latæ ſubiicitur dies XVII. junii; attamen aſcripta eidem ſententiæ apud alios veteres ſcriptores relatæ dies variat, teſte Spondano ad hunc annum num. XV. Nicolaus vero de Curbio, cujus in hac re authoritas mihi potiſſime ſpectatur, non uno in loco aſſerit Fridericum damnatum fuiſſe in concilio XV. Kal. auguſti; hæc ergo dies ſeſſioni concilii tertiæ aſſignanda, reformata Vaticanorum actuum in re parvi momenti lectione.

Nec minus apud me ambiguus eſt numerus patrum qui concilio huic adfuerunt. Ad centum quadraginta ex Pariſii authoritate Spondanus & Binius definiunt; ſed ex veteri & coævo teſtimonio paratam habemus rationem cur definitum hunc numerum præſulum in dubium revocemus. Anonymus enim Erfordienſis, qui hiſtoriam ſuam anno 1254. quo & floruiſſe arbitror, abſolvit, ad hunc annum 1245. ita ſcribit: *In menſe junio Lugduno Galliæ celebratum eſt concilium, præſidente papa Innocentio cum CCL. epiſcopis, ubi per ſententiam Friderico quodam imperatori omne jus regni & regnandi abdicatum eſt, & eadem ſententia Prædicatoribus, atque Minoribus denuncianda commiſſa.* Ex Germania raros, ex Hungaria nullos, e Syria unicum veniſſe epiſcopum Pariſius affirmat; ſicut & neminem e regno Siciliæ, uno excepto archiepiſcopo Panormitano Friderici legatione fungente teſtatur continuator hiſtoriæ Siculæ Malaterræ, vulgatus a Muratorio Rer. Italic. to. V. pag. 605. cui Nicolaus de Curbio in eo adſtipulatur, quod archiepiſcopum una cum Thaddeo a Friderico miſſos fuiſſe ad concilium aſſerit.

Quid in eo tractatum deliberatumque ſit fuſe proſequitur annaliſta, cujus tamen narrationi plura addenda ſunt, videlicet de canonibus in eo editis ac ſtabilitis. In codice Vaticano ſynodi hujus canones XVII. ſunt, quos in collectione Labbeana legimus, ſed multo plures ſancitos fuiſſe colligimus ex additamento novem aliorum canonum, quos Labbeus ex ſexto decretalium collegit, & actis concilii hujus ſubjunxit, ex quo intelligimus acta illa Vaticana mutila eſſe, nec omnia ejus concilii geſta continere. Porro canones, illi tum qui e Vaticano codice deprompti ſunt, cum qui ex ſexto decretalium collecti in digerenda fori eccleſiaſtici diſciplina fere omnes verſantur.

Cæterum alia inſuper plura ibi a patribus definita ſunt, quæ annaliſtæ, Binii, & Labbei diligentiam fugerunt. Primo enim octava dies nativitatis B. M. V. hic non quidem primo inſtituta, ſed antiquior ejus inſtitutio, jam neglecta, renovata fuit. Durandus, qui non longe ab his temporibus ſcribebat ejus innovandæ rationem hanc affert in opere de Divin. offic. lib. VII. capit. 149. *Vacante Romana eccleſia per obitum Gregorii papæ IX. cardinalibus concordare nequientibus, Romani per plures dies eis incluſis multiplices moleſtias inferebant, propter quod dicti cardinales reginæ cœli voverunt, quod ſi ejus meritis concordarent, & abire liberi poſſent, octavam ſuæ nativitatis diu neglectam celebrandam de cætero ſtatuerent. Sicque in Cæleſtinum papam convenerunt, & liberati ſunt, ſed quia Cæleſtinus vixit ſolum XVIII. diebus, non potuit votum implere, quod poſtmodum dictus Innocentius ejus ſucceſſor implevit.* In hoc pariter concilio definitum fuiſſe electorum imperii numerum ſeptenarium Baronius ad A. 996. num. 55. opinatur, idque probat adducto Matthei Pariſii teſtimonio, qui geſta in hac ſynodo narrans ſeptem electores enumerat, quibus negocium commiſſum fuit, ut novum imperatorem eligerent. Verum additamentum id Pariſii eſſe non verba ex actis ſynodalibus expreſſa, notat Pagius in critica ibid. num. 16. Quæ mea ſit in re hac ſententia paucis expedio. Jus electionis imperialis, quod olim penes omnes Germaniæ principes reſidebat, ad delectos quoſdam principes redactum ante hos annos jam fuiſſe penes me exploratum eſt, idque deduxiſſe mihi videor ex decreto electionis Conradi filii Friderici in regem Romanorum, quæ contigit anno 1237. januario menſe, ut ad eundem annum probavimus. In eo enim conſeſſu licet imperii principes permulti adeſſent, ut ex ſubſcriptionibus chartæ pro monaſterio Ciſtercienſi ibidem datæ, cujus ad eundem annum 1237. meminimus, liquet, electores tamen nonniſi XII. ſeſe offerunt, iidemque ſe *tenere locum Romani ſenatus, & repu-*



ſuperiorem, (a) alii in ſequentem annum (b) contulere; verum ex cæteris antiquioribus ſcriptoribus, atque ex Innocentii literis ab ipſo in Fridericum ex ſynodo promulgatis, atque infra adducendis erroris arguuntur. Synodi porro acta in pauciora cogit Albertus Stadenſis (c) ejus temporis auctor aliique: fuſius vero expoſuit Matthæus Pariſius, qui eadem tempeſtate ſcribebat, atque hæc hiſtoriæ commendavit (d): *Circa æſtatis medium congregati ſunt Lugduni ex totius fere Chriſtianitatis latitudine prælati venerabiles, vel eorum idonei, Imperatoris quoque & multorum principum, aliorumque procuratores, ſecundum papalis mandati tenorem, concilium celebraturi; abſentes autem quamplurimi prælatorum, per eos quos * promiſerunt procuratores ſeſe ex legitimis cauſis ſufficienter excuſarunt; ſicut quidam ex Anglorum regno, &c.* Et paulo poſt: *Verumtamen de regno Ungariæ, quæ pro multa ſui parte per Tartaros eſt vaſtata, nulli venerunt. De Alemannia bello imperiali perturbata, pauci prælati ad concilium minime convenire potuerunt.* Adde, quod Innocentius teſtatur aliique tradunt, plures principis metu perculſos accedere veritos: *De Terra vero ſancta, quæ multo patuit diſcrimini nullus potuit illuc advenire, ſed nec advocari: occaſionaliter tamen illuc advenit de Terra ſancta epiſcopus Beritenſis, totius Syriæ nuncius generalis, & ſyndicus omnius Chriſtianorum Terræ ſanctæ, mandatum bajulans lugubre de exterminio, permittente Deo, in Terra ſancta perpetrato.* De illo ſuperiore anno egimus, ac rurſum verba facturi ſumus.

(a) Paul. Ling. chr. Citiz. & Jo. Trith. in ſuis chr.
(b) Blond. dec. 2. l. 7. Crantz. Sax. l. 8. c. 12. & alii.
(c) Stad. in chr. hoc ann.
(d) Par. hiſt. Angl. hoc ann.
E quibus regnis præſules ad illud confluxerint.
* præmiſerunt.

XXV. Prima ſeſſio.

*Dum autem dominus Papa multos jam prælatos, licet tamen non omnes, vidiſſet congregatos, die lunæ proxima poſt feſtum nativitatis S. Joannis Baptiſtæ intravit dominus Papa cum fratribus Cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis & aliis prælatis ad concilium convocatis, ſimul & procuratoribus abſentium tam principum, quam prælatorum, in refectorium religioſorum S. Juſti apud Lugdunum. Fuerunt itaque ibidem abſque Cardinalibus duo patriarchæ, ſcilicet Conſtantinopolitanus, qui & Antiochenus & patriarcha Aquilejæ, qui & Venetiæ.* Verum tres patriarchas enumerant alii (e). Cæterum apud Pariſium librarii incuria error irrepſit, dum Conſtantinopolitanus & Antiochenus unus idemque aſſeritur. Patriarcharum vero aliorumque plurium antiſtitum, qui ad ſynodum convenere, ex eorum ſubſcriptionibus quibuſdam Innocentii literis adjectis, nomina patent: *Imperator quoque Conſtantinopolitanus, comes etiam Toloſanus, & procuratores Angliæ, comes Bigod cum ſociis ſuis nobilibus, archiepiſcopi vero & epiſcopi centum & quadraginta.* Hæc ille. Brevem porro narrationem de ordine locorum affert con-

Tres patriarchæ affuere.

(e) Stero in annal. apud Caniſ. antiq. lect. to. 1. p. 267. & alii.

NOTÆ *reputari patres & imperii lumina* profitentur. Decretum iſtud multo caſtigatius, & integrius, quam in miſcellaneis Baluzii to. I. pag. 472. extat in chronico F. Pippini Bononienſis lib. III. cap. 2. vulgato a Muratorio rer. Italic. to. IX. col. 675. & ex Italica veteri verſione, quanquam non ſatis accurata, & correcta in Deliciis Lamii ad chronicon Leonis Urbevetani, pagin. 235. Ex eo igitur decreto liquet ante concilium iſtud electorum numerum jam tunc intra fines anguſtiores conſtitiſſe, quanquam non adhuc ſeptem tantummodo delecti erant. Nunc vero occaſione hujus concilii Pariſius ſeptem electores definit. An vero ille id expreſſerit ex mente concilii, vel ex ſententia ſua, incertum. Ex iis quidem, quæ idem Pariſius notat ad ann. 1258. intelligimus, ad electionem eo tempore faciendam jus ſibi alios etiam principes ſupra ſeptem arrogaſſe. Quanquam tunc pariter electio ſeptenis electoribus reſervanda eſſe contenderetur, ut ex literis Urbani IV. a Pagio ibid. num. XIII. relatis intelligimus, atque *ita ſervatum a tempore cujus memoria non exiſtit* aſſerebatur. Deduci hinc poſſe arbitror ſeptenum electorum numerum reipſa quidem in concilio Lugdunenſi, vel etiam ante illud, ex quo facultatis eligendi imperatorem limites contracti ſunt, definitum fuiſſe; ſed cum principes alii id ægre admitterent, ideo perſæpe ſeſe in eam electionem ingeſſiſſe.

In concilio hoc Lugdunenſi ſtabilitum pariter fuit & conſtitutum, ut cardinales rubro galero tegerentur, quod affirmat Nicolaus de Curbio in vita Innocentii cap. XXI. his verbis: *Dictus pontifex poſt concilium anno ſecundo Cluniacum ivit cum rege Franciæ, & ipſius fratribus loquuturus & domini cardinales primo capillos rubeos receperunt, ſicut in ipſo concilio fuerat ordinatum.*

Denique Joannes Iperius in chronico S. Bertini cap. 48. part. III. affirmat Simonem abbatem S. Bertini obtinuiſſe in eo concilio a ſummo pontifice, ut quoties ipſe ſtatuta Gregorii IX. pro ordine S. Benedicti edita tranſgreſſus fuiſſet, ab alio abbate abſolutionem impetraret & pœnarum commutationem acciperet. Inſuper ut in monaſterium adſciſcere liceret clericum, qui monachis ſcholam haberet. Denique impetravit ne per literas apoſtolicas facultati illi perſpicue non derogantes, cogi poſſent quempiam in monachum recipere.

Anonymus author hiſtoriæ priorum Grandimontenſium, quem vulgavit Martenius anecdot. tom. VI. quædam narrat concilii hujus hiſtoriæ addenda. *Cujus prioris tempore* (Guillelmi Dongres) *Innocentio papa IV. apud Lugdunum exiſtente, anno Domini MCCXLVII.* (lege 1245.) *Friderico Romanorum imperatore, in concilio generali depoſita fuerunt regula & privilegium Grandimontenſium per ipſum Innocentium renovata, & in formam meliorem reducta, & impetratum etiam fuit a dicto Innocentio exemptionis privilegium, quod ratione delicti vel contractus aut rei, de qua* ageretur contra fratres ordinis Grandimontenſis ipſi fratres exempti *non tenerentur locorum ordinariis reſpondere.* MANSI

conciliorum collector, quam apud ipſum videre licet, atque optandum fuiſſet, unde eam decerpſiſſet, indicaret.

**XXVI.** Conſtantinop. patriarchæ adverſum Græcos querelæ.

Pergit Pariſius, ut Conſtantinopolitanus patriarcha in eo venerabili cœtu propoſuerit eccleſiæ ſuæ calamitates, adeo illius antiquum ſplendorem obſoleviſſe, extinctamque pene majeſtatem, ut cum triginta olim ſuffraganeos obtinuiſſet, jam vix tres numeraret; præterea adjecerit Græcos & alios Rom. Eccleſiæ hoſtes Conſtantinopolitanum Imperium ad ipſas urbis regiæ portas per vim occupaſſe: quod reliqui eſſet, continuis cladibus exhaurire, & quatere; unde damnum graviſſimum ac dedecus, ſi hoſtis graſſari ulterius ſineretur, immineret. Deinde injectum ſermonem de reponendo in albo ſanctorum Edmundo Cantuarienſi archiepiſcopo vita ſanctiſſime functo, quem divino numine potiri, innumera edita miracula octo archiepiſcoporum, atque epiſcoporum viginti inſtantium, ut ad majorem pompam in concilio res perficeretur, voce confirmata comprobabant: ſed Innocentium ob ardua, quæ incumbebant negotia, rem in aliud tempus diſtuliſſe.

**XXVII.** Fridericus ingentia promittit concilii patribus ut Eccleſiæ gratiam ſibi comparet.

Tum recenſet auctor, ut Thadæus Sueſſanus eximiæ eloquentiæ vir, belli juriſque peritus, palatii imperialis judex & Friderici procurator ad obtinendam Friderico Eccleſiæ gratiam, promiſſis ingentibus patrum mentes perſtringere conatus ſit; jactaritque Fridericum Græcorum Imperium ad Eccleſiæ Romanæ conjunctionem revocaturum, Tartaros, Choraſminos, Sarracenos alioſque Chriſtiani nominis hoſtes bello petiturum; Terræ ſanctæ res, quæ in maximum diſcrimen adductæ erant, priſtino ſplendori reſtituturum, eamque expeditionem ſuis ſumptibus, ſe duce ornaturum; erepta Rom. Eccleſiæ redditurum, ac pro illatis damnis injuriiſque facturum ſatis. Splendida erant promiſſa, atque Eccleſiæ utilia videbantur, ſed fucis plena, atque in ventos inanes abitura, quæ ſubodoratus Innocentius nuda ſibi & vana verba dari imponique non eſt paſſus: addit enim de eo Pariſius.

**XXVIII.** Quid ad illa reſponderit Innocentius.

*Ad quæ omnia reſpondit dominus Papa dicens exclamando: O quam multa & quam magna ſunt promiſſa! nunquam vel nuſquam tamen adimpleta, vel adimplenda. Sed & hæc nunc conſtat ſunt promiſſa, ut ſecuris jam ad radicem poſita, illuſo concilio & ſoluto per dilationem avertatur. Pacem nuper in anima ſua juratam, ſecundum formam præſtiti ſacramenti teneat, & acquieſco. Et ſi concederem ſibi poſtulata, & reſilire vellet, nec aliud ſpero, quis nunc pro eo cavens fidejuberet, ut cogeret reſilientem?* Adiicit Pariſius Thadæum Pontificis verbis ſubdidiſſe, daturum Fridericum duos fidiſſimos fidejuſſores, Anglorum & Francorum Reges: atque Innocentium admittere recuſaſſe, ne ſi Fridericus pacta commutaret infringeretve, cum non aliud de ejus inconſtantia tot argumentis probata ſperandum eſſet, in eos Reges animadvertere æquitas cogeret: ac tunc Eccleſia tres potentiſſimos principes, quibus in Chriſtiano orbe potentia pares alii non ſunt, hoſtes experiretur. Sed neque commiſſam Thadæo auctoritatem ad hæc ſe porrexiſſe, unde non ſine mœrore conticeſcere coactus eſt.

Beritenſ. epiſc. calamitates Terræ S. exponit.

Tum Gualtrannus Beritenſis epiſcopus a Syriæ Chriſtianis miſſus, ut occidentalium auxilia imploraret, lugubres literas (*a*) lacrymiſque imbutas concilio porrexit, quæ ab Arnulpho ordinis Prædicatorum religioſo viro perlectæ patres ad lacrymas coegerunt. Eæ vero ſunt quas anno ſuperiore annalibus noſtris, cum de illata a Choraſminis clade ageremus, inſinuavimus; his porro perfectis prior ſeſſio dimiſſa eſt.

(*a*) *Ext. apud Par. hiſt. Angl.*

**XXIX.** Secunda ſeſſio. Pontificis ad patres concilii oratio.

Inchoatam alteram feria quarta ſequenti ait Pariſius, atque Innocentium pontificalibus ornamentis indutum ac ſingulos ſuæ dignitatis infulis decoros eccleſiam S. Joannis ſubiiſſe, ac divini Spiritus implorata ope, litaniis ſubſecutis & aliis rite peractis, Pontificem perorare cœpiſſe in ea verba: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus;* ac voce crebris interciſa gemitibus, infixa altiſſimo pectore acerbiſſimi doloris, ex funeſtis Eccleſiæ calamitatibus impreſſis, accepti vulnera cum patientis in cruce Domini vulneribus contuliſſe (*b*): *Comparavit quinque dolores ſuos maximos quinque vulneribus & plagis Crucifixi. Unum de inhumanis & feraliter Chriſtianitatem vaſtantibus Tartaris: alium, quem pro ſchiſmate Romaniæ, ideſt, Græcæ eccleſiæ.* Et paulo inferius: *Alium pro ſerpigine novarum hæreſum, ſcilicet Paterinorum, Bugarorum, Jovinianorum, & aliorum ſchiſmatum, ſectarum, & errorum, quæ jam multas civitates Chriſtianitatis, præcipue tamen Lombardiæ, ſubrependo maculavit. Alium, de Terra ſancta: in qua Choroſmini deteſtabiles domos Templi & Hoſpitalis, civitatem quoque Hieruſalem & alias multas Chriſtianorum civitates cum magno Chriſtiani ſanguinis profluvio, uſque ad internecionem, ſolo tenus diruendo, deſtruxerunt. Alium vero de principe, ideſt, Imperatore; qui cum eſſe teneretur ſummus ſæcularium œconomus, & protector Eccleſiæ, hoſtis factus familiaris Eccleſiæ Chriſti efficax & validus factus eſt inimicus, & miniſtrorum ejus adverſarius jam manifeſtus.*

(*b*) *Pariſ. ubi ſup.*

Conceptos animo dolores cum vulneribus Crucifixi confert. Conqueritur de Tartaris. Schiſmaticis. Hæreticis. Choraſminis. Et Friderico.

Et



**XXX.**

*Et proſecutus dominus Papa materiam hanc quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compaſſionis ſalubriter ſauciavit: exitus enim aquarum deduxerunt oculi ejus, & ſingultus ſermonem proruperunt. In fine autem prædicationis ſuæ propoſuit enormitates Imperatoris Friderici, ſcilicet hæreſim, ſacrilegium, & inter alia mala, quod civitatem quandam in Chriſtianitate conſtruxerat, novam, fortem & magnam, quam Sarracenis populaverat, ipſorum utens, ſed potius abutens, ritibus & ſuperſtitionibus, ſpreto Chriſtianorum concilio & religione: familiaritatemque ſpecialem contraxerat, ut aſſerebat, cum ſoldano Babyloniæ, & quibuſdam aliis Sarracenorum primatibus; diſtractuſque & obſcænis illectus illecebris, concubitu mulierecularum, vel potius meretricularum Sarracenicarum, indifferenter & imprudenter polluebatur. Imponebatque ei multiplex perjurium; & quod ſpreto veritatis tenore, nunquam pacta, nuſquam promiſſa conſervabat. Super quibus, ut magis hæc audientes certificaret, ſignorum Imperialium de auro appenſione communitas oſtendit epiſtolas multas & multiplices, quibus evidenter arguit, & redarguit ipſum Imperatorem ſuper perjurio.*

Inter cætera obiicit Nuceriam Sarracenis condidiſſe. Eorum ritus amplexum. Creberrima perjuria. De iis aperte ipſum convincit.

**XXXI.** Frid. orator Thadæus Pontificis dicta refellere aggreditur irrito conatu.

Subiicit Thadæum audacter ad refellenda Pontificis dicta ſeſe objeciſſe, Innocentiique literas produxiſſe, quæ ejus dictis diſſentirent: ſed cum diligentiſſime eſſent diſcuſſæ, & quibuſdam conditionibus temperatæ, quas nunquam Fridericus impleverat; contra Friderícianæ abſolutæ repertæ, nec promiſſis ſtetiſſe Fridericum inſignis perjurii convictum. Quod ſcelus Thadæus, ut poterat, fucatis rationibus amovere nitebatur, accuſabatque Innocentium promiſſa alia non tenuiſſe. Demum poſt varias altercationes, in quibus inepte objectum crimen hæreſeos diluere eo argumento contendebat, quod uſurarios Fridericus in ſuæ ditionis terris verſari non permitteret, quaſi vero ſi ea labe careret, aliis majoribus inquinatus non foret; inducias petiiſſe, ut admonitus Fridericus accedere ad concilium poſſet: tandem vero Regum Francorum & Anglorum annitentibus oratoribus, duarum hebdomadarum ſpatium ferme indultum: ac Fridericum, de tota re certiorem factum, reſpuiſſe concilio ſe ſiſtere, tanquam ab imperatoria dignitate abhorreret, concilio ſe ſubiicere, quo facto Anglorum multorumque aliorum animos, qui ipſi ſtudebant, a ſe abalienavit, atque a toto orbe Chriſtiano, ut contumax ac perduellis Eccleſiæ eſt exiſtimatus.

Induciæ Friderico datæ ut accederet ad concilium. Spernit ſe illi ſubiicere.

**XXXII.**

Redierat Thadæus, nec niſi funeſta pro Friderico præſagiebat, cum etiam per eos dies idem Fridericus, qui ducis Auſtriæ filiam ad confirmandam ſuam potentiam in uxorem flagitarat; jamque propediem res perficienda videretur, ab ea conſtanter repulſus eſt, ni communioni Eccleſiæ reſtitueretur, quod Imperii gradu evertendus timeretur, ipſaque defixi anathemate amplexus horreret.

Ducis Auſtriæ filia reſpuit Friderici nuptias ni conſortio fidelium reſtituatur.

Coacta igitur tertia ſeſſione, cum objecta purgare non poſſet ac ferendam ab Innocentio ſententiam præſentiret, ad concilium aliud ſolemnius provocavit, quod nec omnes præſules eorumve procuratores, nec principum omnium conſiſtere videret. Cui Pontifex ſufficere illud, nec jam magis præſules, qui ex univerſis orbis Chriſtiani oris confluxiſſent, ac diutius ut Fridericus ſubmitteret ſe Eccleſiæ, expectaſſent, gravandos videri: quod ad abſentes ſpectaret; ipſos ab eo vinculis irretitos teneri, nec ulterius differendam ſententiam, cum indignum ſit, ut cuiquam fraus ſua ac ſcelus patrocinetur. Pontificiæ hujus ſententiæ ſeriem licet typis jam cuſam inſerimus hiſtoriæ, ob rerum quas continet dignitatem; quamvis enim noſtri moris ſit, ut operis initio inſinuavimus, vetera monumenta jam in lucem edita leviter delibare; interdum tamen hiſtoriæ ratio cogit nonnulla jam in aliorum libris prælo mandata ob ipſorum majeſtatem adducere; præſertim cum non ſit hiſtoria ſuis luminibus & ornamentis ſpolianda, ſed ex pervulgatarum rerum copia lectorum nauſea removenda.

Tertia ſeſſio. Pontifice ſententiam laturo provocat Fred. orator ad concilium celebrius.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

**XXXIII.**

*Sacro (a) præſente concilio ad rei memoriam ſempiternam. Ad apoſtolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione divinæ majeſtatis aſſumpti omnium Chriſtianorum curam vigili ſedulaque ſolertia gerere, ac intimæ conſiderationis oculo ſingulorum facta & dicta diſcernere, & providæ deliberationis ſtatera librare debemus, ut quos juſti rigor examinis dignos oſtenderit, congruis attollamus & evehamus favoribus: quos autem reos & culpabiles invenerimus, pœnis debitis pro gravitate culpæ efficiamus & deprimamus; appendentes ſemper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuique juxta qualitatem operis ſive boni ſive mali, pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum diu bellorum diuturna commotio nonnullas profeſſionis Chriſtianæ provincias & regiones graviter afflixiſſet, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem & pacem Eccleſiæ ſanctæ Dei, ac generaliter cuncto populo Chriſtiano reſtituere ac reducere, ad præcipuum principem ſæcularem, hujus diſſenſionis ac tribulationis auctorem, a felicis recordationis Gregorio Papa prædeceſſore noſtro, pro ſuis exceſſibus anathematis vinculo innodatum, ſpeciales nuncios magnæ actoritatis viros venerabiles, videlicet fratres noſtros P.. Albanenſem, tunc*

(*a*) *Inn. l. 2. ep. 14. & apud Matth. Par. & collectorem concil. loc. cit.*

Innocentii adverſus Fridericum ſententia.

Exponit Pont. ut Fridericum ad pacem invitarit.

au-

autem temporis Rothomagenſem archiepiſcopum & Vv. Sabinenſem nunc, quondam vero Mutinenſem, epiſcopos, ac dilectum noſtrum filium Guillelmum, baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbyterum Card. tunc abbatem S. Facundi, qui ſalutem zelabantur ipſius, duximus deſtinandos; facientes ſibi proponi per ipſos, quod nos & fratres noſtri, quantum in nobis erat, pacem per omnia habere nitimur, ut cum omnibus hominibus parati ſumus, optabamus pacem ſibi & tranquillitatem dare, ac mundo etiam univerſo. Et quia prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum, quam laicorum, quos ceperat in galeis, reſtitutio poterat eſſe pacis & reconciliationis plurimum inductiva, illum ut eos reſtitueret; cum hoc idem tam ipſe, quam ſui nuncii, antequam ad Apoſtolatus vocati eſſemus officium, promiſiſſent; rogari & peti ab ipſo fecimus per eoſdem, ac proponi inſuper, quod iidem pro nobis parati erant audire & tractare pacem, ac etiam audire ſatisfactionem, quam facere vellet princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis aſtrictus, & offerri.

XXXIV. Quam æquas leges indixerit.

Præterea, quod ſi eum in aliquo contra debitum læſerat Eccleſia, quod tamen non credebat, parata erat corrigere, ac in ſtatum debitum reformare. Et ſi diceret ipſe, quod in nullo contra juſtitiam læſerat Eccleſiam, vel quod nos eum contra juſtitiam læſiſſemus, parati eramus vocare Reges, prælatos, & principes tam eccleſiaſticos, quam ſæculares, ad aliquem tutum locum, ubi ſimul per ſe, vel per ſolemnes nuncios convenirent; eratque parata Eccleſia etiam de conſilio concilii ſibi ſatisfacere, ſi eum læſiſſet in aliquo; ac revocare excommunicationis ſententiam, ſi quam contra ipſum injuſte tuliſſet, & eum omni manſuetudine & miſericordia, quantum cum Deo & honore ſuo fieri poterat, tractare, & de injuriis & offenſis ipſi Eccleſiæ, ſuiſque per eum irrogatis ſatisfactionem ab ipſo recipere. Volebat etiam Eccleſia omnes amicos ſuos, ſibique adhærentes in pace ponere, plenaque ſecuritate gaudere, ut nunquam hac occaſione poſſet aliquod in poſterum ſubire diſcrimen, aut periculum.

XXXV. Queritur de illius pervicacia.

Sed licet ſic apud eum pro pace paternis monitis & precum inſiſtere curaverimus lenitate, idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & more aſpidis obturans aures ſuas, hujuſmodi preces & monita, elata obſtinatione, ac obſtinata elatione & ſuperbia, deſpexit ac contempſit. Et licet proceſſu temporis in die cœnæ Domini proximo nuper præterita præcedente coram nobis, & fratribus noſtris Cardinalibus, præſentibus chariſſimo in Chriſto filio noſtro Conſtantinopolitano Imperatore illuſtri, cœtu quoque non modico prælatorum, & de ſenioribus ac ſanioribus ſenatoribus, populoque Romano; & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter ſolemnitatem ipſius de diverſis mundi partibus ad Apoſtolicam ſedem convenerunt; quod ſtaret mandatis noſtris & Eccleſiæ, per nobilem virum comitem Toloſanum, ac magiſtros Petrum de Vinea, & Thadæum de Sueſſa curiæ ſuæ judices, & procuratores ſuos ſpeciale ſuper hoc ab ipſo mandatum habentes, præſtiterit juramentum; poſtmodum tamen quod juraverat non implevit.

Ut ſacramento oratorum opera ad ſarcienda illata Eccleſiæ damna ſe devinxerit.

Quinimo ea intentione ipſum præſtitiſſe juramentum probabiliter creditur, ſicut ex factis ſequentibus colligitur evidenter, ut eidem Eccleſiæ ac nobis illuderet potius, quam pareret: cum anno & amplius jam elapſo nec ad ipſius Eccleſiæ gremium revocari potuerit, nec ſibi de illatis ei damnis & injuriis curaverit ſatisfacere, licet ſuper hoc extiterit requiſitus. Propter quod non volentes, nec etiam valentes abſque gravi Jeſu Chriſti offenſa, ejus iniquitates & ſcelera amplius tolerare, cogimur urgente nos conſcientia animadvertere in eundem.

Promiſſa deinde infregerit.

Et ut ad præſens de cæteris ejus ſceleribus & iniquitatibus taceamus, quatuor graviſſima, quæ nulla poſſunt celari tergiverſatione, commiſit. Dejeravit enim multoties, pacem quondam inter Eccleſiam & Imperium reformatam temere violavit. Perpetravit etiam ſacrilegium, capi faciens Cardinales S. R. Eccleſiæ, ac aliarum eccleſiarum prælatos & clericos religioſos & ſæculares, venientes ad concilium, quod idem prædeceſſor noſter duxerat convocandum. De hæreſi quoque non dubiis & levibus, ſed difficilibus & evidentibus argumentis ſuſpectus habetur.

Objecta ipſi ab Innocentio capita.

XXXVI. Sæpius perjurii crimine ſe devinxiſſe.

Plura ſiquidem eum commiſiſſe perjuria ſatis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus commorabatur, priuſquam eſſet ad Imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ G.. S. Theodori diacono Card. A. S. L. felicis recordationis Innocentio Papæ prædeceſſori noſtro, ſucceſſoribus ejus, Eccleſiæque Rom. pro conceſſione regni Siciliæ, ab eadem Eccleſia ſibi facta, fidelitatis præſtitit juramentum; & ſicut dicitur, illud idem, poſtquam ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad Urbem coram eodem Innocentio, ſuiſque fratribus Cardinalibus & aliis multis præſentibus, ligium homagium in ejus faciens manibus, innovavit. Deinde cum in Alemannia eſſet, eidem Innocentio Papæ, & ipſo defuncto, bonæ memoriæ Honorio Papæ prædeceſſori noſtro, & ejus ſucceſſoribus, ac ipſi Eccleſiæ Rom. præſentibus Imperii principibus ac nobilibus, juravit honores, jura, & poſſeſſiones Rom. Eccleſiæ, pro poſſe ſuo ſervare ac protegere bona fide. Et quod quæcunque ad manus ſuas devenirent, ſine difficultate reſtituere procuraret, nominatis expreſſe dictis poſſeſſionibus in hujuſmodi

jura-



mento, quod poſtmodum confirmavit, coronam Imperii jam adeptus. Sed horum trium juramentorum temerarius extitit violator & tranſgreſſor, non ſine proditionis nota, & læſæ crimine majeſtatis. Nam contra præfatum prædeceſſorem noſtrum Gregorium & fratres ſuos Cardinales, comminatorias literas eiſdem fratribus deſtinare, ac dictum Gregorium apud fratres ipſos, ſicut apparet per literas ab eodem tunc directas eiſdem, & etiam prout fertur, per univerſum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præſumpſit; ac venerabilem fratrem noſtrum Othonem Portuenſem, tunc S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Card. & bonæ memoriæ Jacobum Præneſtinum, epiſcopos, Apoſtolicæ ſedis legatos, nobilia & magna Eccleſiæ Rom. membra perſonaliter capi fecit, & bonis omnibus ſpoliatos, ac per diverſa loca non ſemel ignominioſe deductos & circumductos, carceribus mancipari.

XXXVII. Conceſſam a Chriſto Pontifici auctoritatem negaſſe.

Privilegium inſuper, quod B. Petro, & ſucceſſoribus ejus in ipſo tradidit dominus Jeſus Chriſtus, videlicet: Quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis; in quo auctoritas & poteſtas Romanæ Eccleſiæ conſiſtit, pro viribus diminuere, vel ipſi Eccleſiæ auferre ſategit: ſcribens ſe præfati Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri non vereri latam ab eo excommunicationis ſententiam in ipſum; non ſolum contemptis clavibus Eccleſiæ non ſervando, verum etiam per ſe ac officiales ſuos & illam & alias excommunicationis vel interdicti ſententias, quas idem omnino contempſit, cogendo & compellendo alios non ſervare.

Cenſuras eccleſiaſticas ſpreviſſe.

XXXVIII. Pontificiam ditionem occupaſſe.

Poſſeſſiones quoque præfatæ Eccleſiæ Rom. videlicet Marchiam, Ducatum, Beneventum cujus muros & turres dirui fecit, ac alias quas in Tuſciæ ac Lombardiæ partibus, & quibuſdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas detinet adhuc occupatas. Et tanquam ei non ſufficeret, quod manifeſte contra juramenta præmiſſa, præſumendo talia, veniebat per ſe, vel per ſuos officiales, earumdem poſſeſſionum homines dejerare compulit, ipſos a juramentis fidelitatis, quibus tenebantur ratione Eccleſiæ, de facto, cum de jure non poſſet, abſolvens, & faciens eoſdem fidelitatem nihilominus abjurare prædictam, ſibique fidelitatis hujuſmodi juramenta præſtare.

XXXIX. Oſtendit juratæ cum Greg. pacis leges violaſſe.

Pacis vero ipſum violatorem exiſtere plane conſtat: quia cum olim tempore pacis inter ipſum & Eccleſiam reformatæ juraſſet coram bonæ memoriæ I... de abbatis villa, epiſcopo Sabinenſi, & magiſtro Thomaſio, tunc temporis S. Sabinæ presbytero Card. præſentibus, cum multis aliis prælatis principibus & baronibus, quod ſtaret & pareret præciſe, abſque ulla conditione, omnibus mandatis Eccleſiæ ſuper his, pro quibus erat vinculo excommunicationis aſtrictus, cauſis excommunicationis expreſſis per ordinem coram eo. Tunc temporis etiam omnibus Theutoniæ hominibus regni Siciliæ, ac quibuſlibet aliis cujuſcunque conditionis, aut ſtatus, qui Eccleſiæ contra eum adhæſerant, omnem remittens offenſam & pœnam: & quod in nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipſos, pro eo quod Eccleſiæ aſtiterant, præſtari in anima ſua per comitem Acerrarum faciens juramentum; poſtmodum pacem & juramenta hujuſmodi, nequaquam erubeſcens irretiri perjuriis, non ſervavit. Nonnullos enim etiam ex ipſis hominibus prædictis tam nobiles, quam alios poſtea capi & incarcerari fecit, & eis bonis ſuis omnibus ſpoliatis, uxores eorum & filios captivari, ac inſuper terras Eccleſiæ contra promiſſionem, quam idem I.. Sabinenſi epiſcopo, & Thomaſio Cardinali fecerat, irreverenter invaſit: licet ipſi ex tunc in eundem præſentem, ſi ullo modo prædictis articulis, aut conditionibus contraveniret, excommunicationis ſententiam promulgaverunt.

XL. Siculam eccleſiam oppreſſiſſe.

Et cum iidem, apoſtolica auctoritate ſibi commiſſa, ipſi mandaſſent, ut nec per ſe, nec per alium impediret, quin poſtulationes, electiones & confirmationes eccleſiarum & monaſteriorum in regno præfato libere de cætero fierent, ſecundum ſtatutum concilii generalis; & quod nullus deinceps in eodem regno viris eccleſiaſticis ac bonis, aut rebus eorum imponeret tallias vel collectas; quodque nullus ibidem clericus vel perſona eccleſiaſtica de cætero in civili vel criminali cauſa conveniretur coram judice ſæculari, niſi ſuper feudis quæſtio civilis haberetur, ac Templariis, Hoſpitalariis, & aliis perſonis eccleſiaſticis de damnis & injuriis irrogatis eiſdem ſatisfaceret competenter; ipſe mandatum hujuſmodi adimplere contempſit. Liquet namque undecim, aut plures archiepiſcopales, & multas epiſcopales ſedes, abbatias quoque, & alias eccleſias ad præſens in regno vacare prædicto, eaſque procurante ipſo, ſicut aperte patet, fuiſſe diutius prælatorum regimine deſtitutas, in grave ipſarum præjudicium, & periculum animarum multarum. Et licet forte in aliquibus ejuſdem regni eccleſiis electiones ſint a capitulis celebratæ; quia tamen per illa eadem familiares clerici ſunt electi, probabili poteſt argumento concludi, quod facultatem non habent liberam eligendi. Eccleſiarum autem ipſius regni non ſolum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari; ſed & cruces, calices, thuribula, & alios ſacros earum theſauros & pannos ſericos, velut cultus divini contemptor, auferri: licet



ut

*ut dicitur, ipſis eccleſiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint reſtituti. Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur, non ſolum trahuntur ad judicium ſæculare, ſed, ut aſſeritur, coguntur ſubire duella, incarcerantur, occiduntur, & patibulis cruciantur, in confuſionem & opprobrium ordinis clericalis. Præfatis autem Templariis, Hoſpitalariis & perſonis eccleſiaſticis, non eſt de damnis illatis eiſdem & injuriis ſatisfactum.*

XLI. Sacrilegii ſcelere inquinatum.

*Eum quoque certum eſt ſacrilegii eſſe perpetratorem: nam cum præfati Portuenſis & Præneſtinus epiſcopi, & quamplures eccleſiarum prælati & clerici, tam religioſi, quam ſæculares, ad apoſtolicam ſedem, pro celebrando concilio, quod prius ipſe petiverat convocari, per mare venirent, viis omnibus terræ ipſius, de mandato ejus omnino præcluſis, idem deſtinato Henſio filio ſuo cum multitudine galearum, & per alias quamplures longe ante ſerio præparatas in partibus Tuſciæ, maritimis inſidiis poſitis contra eos, ut gravius poſſet virus vomere præconceptum, ipſos auſu ſacrilego capi fecit; quibuſdam prælatorum ipſorum & aliis in hujuſmodi captione ſubmerſis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hoſtili inſecutione fugatis; reliquis autem bonis ſpoliatis omnibus, & de loco ad locum in regno Siciliæ opprobrioſe deductis, & circumductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis: quorum aliqui macerati ſqualloribus, & inedia preſſi, miſerabiliter defecerunt.*

XLII. Juſta hæreſeos ſuſpicione aſpergi.

*Merito inſuper contra eum de hæretica pravitate ſuſpicio eſt exorta, cum poſtquam excommunicationis ſententiam a præfatis I. Sabinenſi epiſcopo, & Thomaſio Cardinali prolatam incurrerit, & prædictus Gregorius Papa ipſum anathematis vinculo innodaverit, ac poſt Eccleſiæ Romanæ Cardinalium, prælatorum, & clericorum, ac aliorum etiam diverſis e partibus ad ſedem Apoſtolicam venientium captiones; claves Eccleſiæ contempſerit & contemnat, ſibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo eſt, prophanari divina: & conſtanter aſſeruit, ut ſuperius eſt narratum, in ſe præfati Gregorii Papæ ſententias excommunicationis non vereri.*

XLIII. Sarracenis amicitia eſſe conjunctiſſimum.

*Præterea conjunctus Sarracenis amicitia deteſtabili nuntios & munera pluries deſtinavit eiſdem, & ab eis viciſſim cum honorificentia & hilaritate recipit; ipſorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis ejus obſequiis notabiliter ſecum tenens: eorumdem etiam more uxoribus, quas habuit de ſtirpe regia deſcendentibus; eunuchos, præcipue quos, ut dicitur, ſerio ipſe caſtrari fecerat, non erubuit deputare cuſtodes. Et quod execrabilius eſt, olim exiſtens in partibus tranſmarinis, facta compoſitione quadam, imo verius colluſione, cum ſoldano, Mahometi nomen in templo Domini diebus ac noctibus publice proclamari permiſit. Et nuper nuncios ſoldani Babyloniæ, poſtquam idem ſoldanus Terræ ſanctæ ac Chriſtianis habitatoribus ejus per ſe ac ſuos damna graviſſima & inæſtimabiles injurias irrogarat, fecit per regnum ſuum Siciliæ cum laudibus, ad ejuſdem ſoldani extollentiam, ſicut fertur, honorifice ſuſcipi, & magnifice procurari.*

XLIV. Ducem Bavariæ immiſſis ſicariis trucidaſſe. Vatacio ſchiſmatico filiam uxorem tradidiſſe.

*Aliorum quoque infidelium pernicioſis & horrendis obſequiis contra fideles abutens, & illis qui damnabiliter vilipendentes & contemnentes Apoſtolicam ſedem ab unitate Eccleſiæ diſceſſerunt, procurans affinitate, ac amicitia copulari; claræ memoriæ ducem Bavariæ ſpecialem Eccl. Rom. devotum fecit, ſicut pro certo aſſeritur, Chriſtiana religione deſpecta, per aſſaſinos occidi: & Battacio, Dei & Eccleſiæ inimico, a communione fidelium per excommunicationis ſententiam cum adjutoribus, conſiliatoribus, & fautoribus ſuis ſolemniter ſeparato, filiam ſuam tradidit in uxorem. Catholicorum vero principum actus & mores reſpuens, neglecta ſalutis ſuæ & famæ integritate, pietatis operibus non intendit. Quinimo, ut de ſuis nefariis diſſolutionibus ſileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppreſſos injuriis relevare, manu ejus, ut decet principem Chriſtianum, ad eleemoſynas non extenta; cum deſtructioni eccleſiarum inſtiterit, & religioſas ac alias eccleſiaſticas jugi attriverit afflictione, & perſecutione perſonas: nec enim eccleſias, nec ulla monaſteria, nec hoſpitalia, ſeu alia pia loca cernitur uſpiam conſtruxiſſe, aut fundaſſe. Num igitur hæc non levia, ſed efficacia ſunt argumenta de ſuſpicatione hæreſis contra eum? cum tamen hæreticorum vocabulo eos jus civile contineri aſſerat, & latis adverſus eos ſententiis debere ſuccumbere, qui vel levi argumento a judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare.*

Debitum pro regno Siciliæ vectigal annis novem non ſolviſſe.

*Præter hæc regnum Siciliæ, quod eſt ſpeciale patrimonium B. Petri, quod idem princeps ab Apoſtolica ſede tenebat in feudum, jam in tantam in clericis & laicis exinanitionem ſervitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus, & omnibus exinde fere probis ejectis & expulſis, illos, qui remanſerunt ibidem, ſub ſervili quaſi conditione vivere, ac Romanæ Eccleſiæ, cujus principaliter ſunt homines & vaſalli, offendere multipliciter & hoſtiliter impugnare compellit. Poſſet etiam merito reprehendi, quod mille ſquifatorum annuam penſionem, in qua pro eodem regno ipſi Romanæ Eccleſiæ tenetur, per novem annos & amplius ſolvere prætermiſit.*





XLV. Jure Imperii deturbat.

*Nos itaque ſuper præmiſſis, & quampluribus aliis ejus nefandis & execrandis exceſſibus ac flagitiis, cum fratribus noſtris Cardinalibus & ſacroſancto concilio deliberatione præhabita matura & diligenti; cum domini noſtri Jeſu Chriſti vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobiſque in B. Petri Apoſtoli perſona ſit dictum: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. memoratum principem, qui ſe Imperio & regnis, omnique denique honore, ac dignitate reddidit tam indignum; quique propter ſuas iniquitates atque ſcelera a Deo, ne regnet vel imperet, eſt abjectus; ſuis ligatum peccatis a Deo abjectum, omnique honore ac dignitate privatum a Domino oſtendimus ac denuntiamus, & nihilominus ſententiando privamus:*

Subditos ſacramenti religione abſolvit.

*omneſque, qui ei juramento fidelitatis aliquo modo tenentur aſtricti, vel obligati, a juramento hujuſmodi perpetuo abſolvimus & liberamus auctoritate apoſtolica firmiter & ſtrictim inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, vel quomodolibet parere intendat; decernendo quoſlibet, qui deinceps ei velut Imperatori vel regi conſilium, vel auxilium præſtiterint, ſeu favorem, ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjacere:*

Cenſuris omnes illius ſequaces devincit.

*illi autem, ad quos in eodem Imperio, Imperatoris ſpectat electio, eligant libere alium in ejus locum ſucceſſorem. De præfato vero Siciliæ regno providere curabimus, cum eorundem fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio, ſicut viderimus expedire. Datum Lugduni* XVI. *Kal. aug. pontif. noſtri an.* III.

XLVI.

Hactenus ſententia in Fridericum lata, quam etiam adducit Pariſius: qui ea lata Thadæum Sueſſanum ac Matthæum de Ocra Friderici procuratores pudore ſuffuſos, ac pectora ex nimio dolore tundentes abſceſſiſſe ait. Cumque jam omnes concilii patres accenſas faces manibus geſtarent, atque in execrationis in Fridericum defigendæ ſignum eas inverſuri atque extincturi eſſent, Thadæum ingemuiſſe atque in ea verba prorupiſſe: *Dies illa dies iræ, calamitatis & miſeriæ*; nec falſus vates ex eo enim tempore omnia mala in Fridericum inundarunt, atque ejus genus funeſto mortis genere funditus ſuſtulerunt.

Emendantur novatorum centuriæ qui perperam plura de hac ſynodo effutiunt.

Dictam ſententiam conciliorum collector etiam ex regeſto pontificio, tum novatores (*a*) afferunt, qui tamen uti omnia imperite, ac nullo judicio quæ reperere, conſarcinare ſolent, huic Lugdunenſi ſynodo tribuunt nonnulla, quæ poſt multos annos alteri ſub Gregorio decimo celebratæ convenire neminem peritum latere poſſit: exempli gratia D. Thomam Aquinatem ad illam evocatum in itinere obiiſſe; denique ejuſdem a patribus latæ in Fridericum ſententiæ ſcriptores innumeri meminere, quos ne lectorem fatigemus, recenſere prætermittimus.

(*a*) *Cent.* 13 *c.*9. *col.*867. *&c.*

XLVII. Intentatum iis anathema qui Fred. Imperatorem appellarent.

Inter cæteros Stadenſis de ea locutus hæc tradit (*b*): *Hanc depoſitionem per totam Eccleſiam promulgavit; præcipiens ſub interminatione excommunicationis, ut nullus eum Imperatorem de cætero nominaret.* Licet vero Fridericus regio & imperiali nomine exutus ſit, lectorem tamen monitum volumus, nos illius annos, dum vixerit, ad conſignanda tempora annalibus Baronii more appoſituros. Cæterum concilii collector ex Innocentii regeſto conſtitutiones quaſdam ſeu decreta refert hujuſmodi titulis prænotata: *De reſcriptis: de electione, & electi poteſtate: de officio & poteſtate judicis delegati: de judiciis, & de litis conteſtatione: de dolo & contumacia: de reſcriptis: de eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ: de confeſſis: de appellationibus & recuſationibus: de ſententia excommunicationis: de uſuris*, quo decreto eccleſiis conſulitur, ne ære alieno opprimantur: *De ſubſidio Conſtantinopolitani Imperii.* Ubi Pontifex, poſtquam conceptum animo dolorem ex Imperii illius laceratione expoſuit; quantaque dedecoris labes inureretur Eccleſiæ, a ſchiſmaticis illud obrui pateretur, ac poſt tantos pro eo ſtabiliendo ſuſceptos labores, tot commiſſa certamina, tantum ſanguinis catholici fuſum a priſtina conjunctione divelli; decernit quid eccleſiaſtici contribuere debeant.

(*b*) *Stad. in chr.*

XLVIII. Conſulitur Conſtantinopolitano Imperio.

*Ad liberationem autem ipſius, eo magis eccleſiarum prælatos, alioſque viros eccleſiaſticos vigiles, & intentos exiſtere, ac opem & operam convenit exhibere; quo amplius ejuſdem fidei & eccleſiaſticæ libertatis augmentum, quod per liberationem hujuſmodi principaliter proveniret, procurare tenentur: maxime quia dum prædicto ſubvenitur Imperio, conſequenter ſubſidium impenditur Terræ ſanctæ. Sane ut feſtina fiat & utilis Imperio præfato ſubventio; ex communi concilii approbatione ſtatuimus, ut medietas omnium proventuum tam dignitatum & perſonatuum, quam præbendarum eccleſiaſticarum, aliarumque beneficiorum eccleſiaſticorum, perſonarum illarum, quæ in ipſis reſidentiam non faciunt perſonalem, per ſex menſes ad minus, ſive unum habeant, ſive plura; eis qui noſtris, & fratrum noſtrorum, ac ſuorum prælatorum immorantur obſequiis, aut ſunt in peregrinatione, vel ſcholis, ſeu eccleſiarum ſuarum negotia de ipſorum mandato procurant, aut aſſumpſerunt, vel aſſument crucis ſignaculum in prædictæ terræ, vel perſonaliter in ejuſdem Imperii proficiſcentur ſuccurſum, exceptis: & ſi aliqui eorundem exceptorum, præter hujuſmodi cruceſignatos & profici-*

*ſcentes, de redditibus eccleſiaſticis ultra valentiam centum marcarum argenti percipiunt annuatim, tertia pars reſidui ipſius Imperii ſubſidio colligenda, per eos, qui ad hoc apoſtolica fuerint ordinati providentia, uſque ad triennium integre deputetur; non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus, vel ſtatutis eccleſiarum, ſeu quibuſlibet indulgentiis ipſis eccleſiis vel perſonis ab Apoſtolica ſede conceſſis juramento, aut quacunque firmitate alia roboratis; & ſi forte ſuper hoc ſcienter fraudem commiſerint ſententiam excommunicationis incurrant. Nos vero de obventionibus Eccleſiæ Romanæ deducta prius ex eis decima ſuccurſui terræ deputanda prædictæ, decimam prædicti pro ſubventione Imperii plenarie tribuemus.*

**XLIX.** Fideles ad conferendas in illius & Terræ S. opes excitari juſſi.

Quo vero populi in ejuſdem Imperii ac Terræ ſanctæ ſubſidium excitarentur; præſules admonuit, ut Chriſtianos ſuæ curæ & fidei commiſſos pro concione hortarentur, vel cum pœnam aliquam ad crimina diluenda infligerent, piis monitis adducerent, ut propoſita ob oculos Chriſti defendenda gloria, ſuas opes in Terræ ſanctæ, vel Imperii Conſtantinopolitani auxilia converterent. *Attentius proviſuri*, inquit, *ut quod ipſi ad Crucifixi reverentiam habendo reſpectum in pecunia pro hujuſmodi ſubventione dederint, in certis locis ſub ſigillis veſtris conſervari fideliter; & illa, quæ in rebus aliis ad hoc legata fuerint diligenter in ſcriptis redigi faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo ſola cauſa Dei quæritur, & ſalus fidelium procuratur, ſic veſtra ſinceritas promptis proſequatur affectibus, ut tandem ſecurum de manu ſuperni judicis cœleſtis gloriæ præmium expectetis.*

**L.** Decreta concilii ad propulſandos Tartaros.

Cum Tartari Chriſtiani nominis omnium infenſiſſimi hoſtes eſſent, nec tam ſuæ Chriſtianos ſubiicere ſervituti, quam funditus delere meditarentur, Chriſtique domini cultum extinguere, cum ejus fideles excidiſſent; jamque excurſionibus horrendis editis Poloniam, Ruſſiam, Pannoniam aliaſque regiones fidelium nullo ſexus ætatiſve diſcrimine peſſumdediſſent, atque iis conculcatis ad alias proſilire cogitarent; ſanxit ut omnes aditus, per quos ea gens penetrare poſſe videretur, diligentiſſime munirentur, excitarentur propugnacula, ut dum in iis oppugnandis hoſtis diſtineretur, ipſorum irruptionis admonita ſedes Apoſtolica, toti orbi Chriſtiano auxilia imperaret, ut collectis omnium viribus commune periculum propulſaretur: *Ideo ſacro ſuadente concilio univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente; mandantes quatenus viam & aditus unde in terram noſtram gens ipſa poſſet ingredi, ſolertiſſime perſcrutantes, illos foſſatis, vel muris ſeu aliis ædificiis, aut artificiis, prout expedire videritis, taliter præmunire curetis, quod ejuſdem gentis ad vos ingreſſus patere de facili nequeat: ſed prius Apoſtolicæ ſedi ſuus denunciari poſſit adventus, ut ea vobis fidelium deſtinante ſuccurſum, contra conatus & inſultus gentis ipſius tuti eſſe, adjutore Domino, valeatis. Nos enim in tam neceſſariis, & utilibus expenſis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus Chriſtianorum regionibus, cum per hoc occurratur communibus periculis, proportionaliter contribui faciemus; & nihilominus ſuper his aliis Chriſti fidelibus, per quorum partes habere poſſet aditum gens prædicta, literas præſentibus ſimiles deſtinamus.*

**LI.** De ornanda expeditione in Sarracenos.

Ad collapſas vero Terræ ſanctæ res reſtituendas indicta eſt cruceſignatorum expeditio: qui ſacro accepto ſigno ſe bello devoviſſent, juſſi certum in locum opportuno tempore confluere, ut apoſtolica benedictione donati alacriter traiicerent: ſtuderent pietati: ſi quo peccato conſcientiam macularent, mox illud pœnitentia eluerent, ut veri Chriſti milites effecti, cœleſtique virtute induti felicius in hoſtem dimicarent: qui nobilitate divitiiſque pollerent, ſupervacaneis ſumptibus abſtinerent, quo in meliores uſus opes converterent, ac eo facto plena criminum condonatione potirentur: *Afflicti corde pro deplorandis Terræ ſanctæ periculis; ſed pro illis præcipue, quæ conſtitutis in ipſa fidelibus noſcuntur noviter accidiſſe; ad liberandam ipſam, Deo propitio, de impiorum manibus totis affectibus aſpiramus, diffinientes, ſacro approbante concilio, ut ita cruceſignati ſe præparent, quod opportuno tempore univerſis inſinuando fidelibus per prædicatores & noſtros nuncios ſpeciales omnes, qui diſpoſuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conveniant, de quibus in ejuſdem terræ ſubſidium cum divina & apoſtolica benedictione procedant. Sacerdotes autem, & alii clerici, qui fuerint in exercitu Chriſtiano, tam ſubditi, quam prælati, orationi & exhortationi diligenter inſiſtant, docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem & amorem Domini ſemper habeant ante oculos; ne quid dicant, aut faciant, quod æterni Regis majeſtatem offendat; & ſi quando in peccatum lapſi fuerint, per veram pœnitentiam mox reſurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu, quam in veſtitu mediocritatem ſervantes; diſſenſiones, & æmulationes omnino evitando, rancore, ac livore a ſe penitus relegatis, ut ſic ſpiritualibus & materialibus armis muniti, adverſus hoſtes fidei ſecurius prælientur, non de ſua præſumentes potentia, ſed de divina virtute ſperantes. Nobiles quidem & potentes exercitus, ac omnes divitiis abundantes piis prælatorum monitis inducan-*



*cantur, ut intuitu Crucifixi, pro quo crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ab expenſis inutilibus & ſuperfluis, ſed ab illis præcipue, quæ fiunt in commeſſationibus, & conviviis abſtinentes, eas commutent in perſonarum illarum ſubſidium, per quas Dei negotium valeat proſperari; & eis propter hoc, juxta prælatorum ipſorum providentiam, peccatorum ſuorum indulgentia tribuatur. Prædictis autem clericis indulgemus, ut beneficia ſua integre percipiant per triennium, ac ſi eſſent in eccleſiis reſidentes: & ſi neceſſe fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare.*

**LII.** Cruceſignati itineri ſe accingere juſſi.

*Ne igitur hoc ſanctum propoſitum impediri, vel retardari contingat, univerſis eccleſiarum prælatis diſtricte præcipimus, ut ſinguli per loca ſua illos, qui ſignum crucis depoſuerunt, reſumere; ac tam ipſos quam alios cruceſignatos & quos adhuc ſignare contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moneant, & inducant; & ſi neceſſe fuerit per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias in terras ipſorum, omni tergiverſatione ceſſante, compellant.* Adjectæ plures cruce inſignitis prærogativæ, quas ideo prætermittimus, cum in literis Gregorii IX. ſupra allatis contineantur. In eos vero, qui cruceſignatos injuria afficerent, ſtatutæ pœnæ, & vibratum anathema, in illos maxime, qui piratis maria infeſtantibus faverent, atque opera commerciove cum iis participarent. In ſingulis etiam maritimis urbibus anathematis ſententia in eos promulgari juſſa, qui Sarracenis arma, ligna, naves, aliaque bellicis uſibus apta ſuppeditarent.

**LIII.**

Vetitum quoque, ne quadriennio naves in Sarracenorum portus ad invehendas commutandaſve merces ducerentur, quo plures transfretaturis ſuppeterent, atque hoſti commoda non levia, quæ ex iis eliceret, ſubducerentur. Haſtiludia quoque eo potiſſimum tempore, quo ſacra ornabatur expeditio, prohibita. Cumque tanti belli conſilium perduci non poſſet, ni principes mutuo pacis fœdere aſtricti eo tempore tenerentur, hæc conſtituit: *Quia ad hoc negotium exequendum eſt permaxime neceſſarium, ut principes, & populi Chriſtiani ad invicem pacem obſervent, ſancta & univerſali ſynodo ſuadente ſtatuimus, ut per quadriennium in toto orbe Chriſtiano pax generaliter obſervetur, ita quod per eccleſiarum prælatos diſcordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter obſervandam: & qui acquieſcere forte contempſerint per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras arctiſſime compellantur, niſi tanta fuerit injuriarum malitia, quod ipſi non gaudere debeant tali pace. Quod ſi forte cenſuram eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem Eccleſiæ contra eos, tanquam perturbatores negotii Crucifixi, ſæcularis potentia inducatur.*

Vetita haſtiludia.

Indicta omnibus publica pax.

**LIV.** De electoribus Imperii.

Poſt recitatam de electione ſanctionem (quæ nonnullis omiſſis ab eodem collectore recenſetur) hæc inſuper de principibus Germaniæ viris electoribus Imperatorum, deque alio in Friderici locum ſubrogando ſubdit Pariſius (*a*):

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

*Magnates Alemanniæ, non tamen electores Imperatorum.*

| | |
|---|---|
| *Rex Bohemiæ.* | *Dux Lemburgiæ.* |
| *Dux Lotharingiæ.* | *Dux Carenteniæ.* |
| *Dux Bruneſvvikiæ.* | *Dux Saxoniæ.* |
| *Dux Suaviæ.* | *Comes de Galeja.* |
| *Landegravius Thuringiæ.* | |

*Electores Imperatorum.*

*Laici* ( *Dux Auſtriæ.* ( *Dux Bavariæ.* ( *Dux Saxonum.* ( *Dux Brabantiæ, qui & Lovan.*

*Prælati* ( *Archiep. Colonien.* ) ( *Arch. Maguntinus.* ) *principales.* ( *Salburgenſis.* )

*Iſti ducentur in inſulam quamdam Rheni, & dimittentur ſoli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris: nec adveniet aliquis ad eos, donec ſint concordes. Huic negotio præerit archiepiſcopus Colonienſis, ſecundus Maguntinus, tertius Salburgenſis.* Hactenus Pariſius. Hic pluribus de electoribus Imperii ab Innocentio Papa in Lugdunenſi ſynodo conſtitutis diſſerendum videretur: ſed cum Cardinalis Baronius (*b*) de iis accuratiſſime diſſeruerit, eo lectorem reiicimus. Sunt qui tradunt octavas (*c*) nativitatis B. Mariæ Virginis illic primum inſtitutas: alii tamen aſſerunt (*d*) ibi dumtaxat ſtatutum, uti B. Virginis octavæ a clero ac religioſis viris ſolemni ritu celebrarentur. Præterea Pontificem ipſum inſtituta ac privilegia ordinis Grandimontenſis, cujus prior Guillelmus nomine eidem ſynodo interfuit ibidem confirmaſſe traditur in actis S. Stephani ipſius ordinis conditoris in epitomen coactis, quorum exemplum apud nos extat.

(*b*) *Baron. to. 10. an. 996.*

Inſtitutus ſacer dies octavus a natali Virginis feſto recurrens.

(*c*) *Longin. hiſt. Pol. l. 7. an. 1245. Blond. l. 7. eod. an. collector. conc. hiſt. hujus concil. Auctor addit. ad Vincen. c. 1. idem tribuit Innoc. IV.*

(*d*) *Compil. chron. hoc ann.*

**LV.** Queruntur Angli a Romana curia nimium gravari.

Eadem in ſynodo cum Angli literis omnium nomine exaratis, quas hiſtoriæ ſuæ adjecit Pariſius, atque oratorum ſuorum opera de vectigali, quod Joannes Rex pro Romana Eccleſia invitis ejus regni populis (uti jactabant) impoſuerat; deque frequentibus pecuniarum exactionibus, quas Pontifices præter conſuetum B. Petri denarium imperabant, vehementius expoſtulaſſent; eaſque in poſterum minime ſe paſſuros affimarent, repulſi ab Innocentio fuere. Solicitatos porro in Pontificem a Friderico tradit anno ſuperiore: qui ipſis pollicebatur daturum ope-

Objecta illis repulſa ab Innocentio.

operam, ut Anglia ſedis Apoſtolicæ fiduciaria amplius non eſſet; utque illius jugum excuterent, hortabatur. Hoc interim ſpatio iidem Angli Martinum pontificiæ cameræ clericum per contumeliam regno exegere. Hæc idque genus alia Matthæus Pariſius acerbo atque, uti plerumque ſolet, atrociore ſtylo fuſius proſequitur. Poſt hæc de Martino enarrata Bonifacium Cantuarienſem archiepiſcopum Lugduni, quo ſe contulerat, ab Innocentio ſacris pontificalibus initiatum teſtatur. Cæterum ejuſmodi Anglorum querimoniæ fortaſſe Innocentio occaſionem injecere, ſacroſancta comprobante ſynodo, nonnullas ejus ævi principum literas (*a*) de Apoſtolicæ ſedis juribus & prærogativis legendas proponere: inter quas in primis eas attulit, quibus Joannes Rex regna ſua Romanæ Eccleſiæ vectigalia conſtituit.

(*a*) *Ext. in MS. Vallicel.*

LVI. Lecta in concilio facta a Joanne Rege Angliæ donatio.

*Ne occaſione caſuum futurorum, quibus corporalia ſubjacent univerſa privilegia & literæ, quæ temporibus retroactis ab Imperatoribus, & Regibus aliiſque principibus, nobilibus, ac fidelibus Chriſtianis ſedi Apoſtolicæ ſunt conceſſa vel miſſa; quorum aliqua bullis aureis, alia vero ſigillis plumbeis, aut cereis roborata eſſe noſcuntur; valeant deperire, nos his omnibus & eorumdem characteribus ſigillorum diligenter inſpectis, quædam ex ipſis non corrupta offenderimus, non cancellata, nec etiam vitiata, præſenti pagina facientes de verbo ad verbum nihil addito, mutato, vel dempto tranſcribi; & tranſcripta hujuſmodi prælatorum eccleſiaſticorum, quorum nomina inferius continentur, ſigillorum munimine roborari auctoritate apoſtolica ſacro concilio decernimus approbante, ut illa eadem fides tranſcriptis adhibeatur de cætero memoratis, quæ ipſis autenticis adhibetur; & ipſa tranſcripta ex nunc autentica cenſeantur. Tenor vero prædictorum privilegiorum & literarum eſt talis: Joannes Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegaviæ, &c.* Hujuſmodi regium diploma ſuo loco attulimus, nimirum anno Salvatoris MCCXV. Secundo loco expoſuit ejuſdem Joannis exhibitum fidei ſacramentum: *Ego Joannes Dei gratia Rex Angliæ & dominus Hiberniæ ab hac hora in antea fidelis ero Deo & B. Petro Apoſtolo, & Eccleſiæ Romanæ & domino meo Papæ Innocentio tertio, ejuſque ſucceſſoribus, &c.* Quod ibidem inſinuavimus: deinde omnibus ſpectandum propoſuit aliud jusjurandum a Petro Aragonum Rege præſtitum, de quo anno MCCIV. mentionem fecimus, quo regnum ſuum Apoſtolicæ ſedi vectigale futurum ſanxit.

Et ſacramenti forma a Petro Rege Aragonum præſtiti.

LVII. His adjecit jurisjurandi formam, quo Maſſæ marchio idemque Calaritanus judex ejuſque uxor Innocentio tertio ſe devinxerant: *Nos Paraſon marchio Maſſæ, judex Calaritanus, & Benedicta marchiſia Maſſæ, judiciſſa Calaritana, filia quondam claræ memoriæ V.. marchionis Maſſæ judicis Calaritan. ab hac hora in antea fideles & obedientes erimus B. Petro ſanctæque apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & domino noſtro Papæ Innocentio ſuiſque ſucceſſoribus catholicis.* Et infra: *Papatum Romanum, & regalia B. Petri, ſpecialiter Sardiniam adjutores eis erimus ad retinendum & defendendum contra omnem hominem: cenſum in quo pro judicatu Calaritano, & alia terra, quam habemus in Sardinia, Eccleſiæ Romanæ tenemur, ſtatutis terminis ſine difficultate qualibet perſolvemus. Sic nos Deus adjuvet, & hæc ſancta evangelia. Acta ſunt autem hæc anno Domini MCCXV.* XIV. *kal. decemb. in villa Scangilliæ in palatio memorati archiepiſcopi Calaritani.*

Tum a Paraſone regulo Calaritano.

Denique poſt exhibitas duas Philippi Sueviæ ducis, qui Imperium invaſerat, ad eundem Innocentium tertium epiſtolas, quibus Apoſtolicæ ſedi ſe dicto audientem futurum pollicebatur, quaſque nos ſuperiorum temporum annalibus inſeruimus, nonnullæ attexuntur (*b*) aliæ Ungarorum Regis literæ ad Innocentium III. Honorium III. & Gregorium IX. quas ſuis locis recenſuimus, ut eas iterum repetere ſupervacaneum videatur. Illud tamen minime prætereundum in codicis margine adnotari fratrem Bonaventuram, qui ultimo loco in Philippi Sueviæ ducis literarum recognitione ſubſcribitur, eſſe ejus nominis virum illum probitate & ſcientia ſpectatiſſimum, quem miraculis illuſtrata ſanctitas cœleſtium albo aggregavit. Porro hæ literæ a Joanne de Amelio archidiacono Forojulienſi ſacræ apoſtolicæ cameræ clerico una cum pluribus aliis Benedicti XII. juſſu collectæ fuere, atque autenticis ſcriptis mandatæ; quæ Aſſiſii in Romanæ Eccleſiæ ſanctiore tabulario tum temporis aſſervabantur, ac publicis probatiſque monumentis ſumma cum diligentia conſignatæ, ut ipſemet Joannes teſtatum reliquit. Extant porro apud nos in laudato ſupra codice manuſcripto, unde ſuperiores literas delibavimus; jam ad Fridericum, a quo defleximus, hiſtoriam traducamus.

(*b*) *Ext. in eod. cod. Vallicell.*

LVIII. Fridericus audita Innocen. ſententia iracundia exæſtuat.

Ubi Fridericus inaudiit in Lugdunenſi concilio Chriſti vicarium, totius orbis Chriſtiani patrum auguſtiſſimo cœtu ſtipatum de Imperio ipſum dejeciſſe, vehementiſſime excanduit: atque furoris primi impetu pene e ſede mentis emotus, in acerbas voces prorupit & circumſtantes accenſo iracundia vultu, micantibus & torvis oculis intuitus, quæſiit ubinam ſuæ eſſent opes, ubi tot pretioſiſſimæ coronæ gemmis auroque diſtinctæ; iiſque in conſpe-

ctu



ctu ſuo mox allatis, unam capiti impoſuit. Ejus veſaniam ita deſcribit Pariſius: (*a*) *Torvo vultu omnes circumſedentes aſpiciens intonuit, dicens: Abjecit me Papa iſte in ſynodo ſua, privans me corona mea. Unde tanta audacia, unde talis temeraria præſumptio; ubinam ſunt clitellæ meæ theſaurum meum portatilem continentes? Et cum allatæ fuiſſent, & coram eo ejus juſſu reſeratæ eſſent, ait: Vide ſi nunc ſunt amiſſæ coronæ meæ. Repertam igitur unam impoſuit capiti ſuo. Et coronatus erexit ſe, & minacibus oculis, voce terribili & inſatiabili corde dixit in propatulo: Non adhuc coronam meam perdidi, vel Papali impugnatione, vel ſynodali concilio ſine cruento perdam certamine. Ad tanta prorumpet faſtigia vulgaris ſuperbia, ut me præcipuum principem, quo non eſt major, imo cui nec eſt par, ab apice dignitatis imperialis valeat præcipitare: in hoc tamen conditio mea melioratur; in aliquo tenebar illi obedire, ſaltem venerari: nunc autem ab amore & veneratione, nec non & ab omnimodæ pacis abſolvor adverſus Papam obligatione. Ex tunc igitur efficacius & vigilantius, ut dominum Papam gravaret, in theſauris, conſanguineis, & amicis ejus damna & injurias irrogavit.*

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Furibundæ illius voces.

LIX. Literas atroces ſcribit adverſus Innoc.

Mox literas ad principes Chriſtianos, ut ſuum illis virus afflaret, exaravit: in quibus calumnias plures in Pontificem atque Eccleſiæ præſules jactavit, ſuaſitque homo vecors, ut eccleſiaſticorum opes diriperent, dictitans eximium illud opus charitatis futurum, ſi divitiæ malorum cauſæ iis eriperentur, atque ad antiquam egeſtatem, in qua tot miracula patrabant, adducerentur. In eo Juliano Apoſtatæ ſimillimus, qui cum opes Chriſtianorum expilaret, flagitium colorare arbitrabatur, ſi impie effutiret æquum non eſſe, ut Chriſtiani Chriſto paupere ditiores eſſent. Ejuſmodi literæ extant apud Petrum Vineam, in manuſcripto codice bibliothecæ noſtræ quas etiam Pariſius attulit: nec eas, quamvis impietate refertas, omittere viſum eſt, ad ſcelerati hominis improbitatem in poſterorum oculis defigendam latæque in eum ſententiæ æquitatem magis illuſtrandam. *Vocata ſynodo, ut aſſerit* (de Innocentio IV. loquitur) *generali contra nos, nec citatos, nec ſuper aliqua fraude, vel pravitate convictos auſus eſt ſententiam depoſitionis ſtatuere, quam præter omnium Regum enorme præjudicium non poterat ſtabilire. Quid enim vobis ſingulis Regibus ſingulorum regnorum a facie talis principis ſacerdotum timendum non ſupereſt; ſi nos & principum electione ſolemni & approbatione totius Eccleſiæ, dum cleri fide ac religione vigebat, Imperiali diademate divinitus inſignitos, & alia regna nobilia magnifice gubernantes ille deponendos aggreditur, cujus quo ad temporalium detrimenta non intereſt in nos aliquid exercere rigoris; etiamſi cauſæ legitimæ probarentur? Verum quos ſacerdotalis ſic infeſtat abuſio poteſtatis, & a ſummo conatur præcipitare deorſum, nec primi ſumus nec ultimi. Et hoc quidem vos facitis obedientes ſimulatoribus ſanctitatis, quorum ſperat ambitio, quod totus Jordanes influat in os ſuum. O ſi veſtræ credulitatis ſimplicitas a Scribarum & Phariſæorum fermento, quod eſt hypocriſis, juxta Salvatoris ſententiam, ſibi curaret attendere: quot illius curiæ turpitudines execrari poſſetis, quas honeſtas, & pudor prohibet recitare! Sane redditus copioſi, quibus ex plurium depauperatione regnorum ditantur, quemadmodum ipſi noſtis, ipſos faciunt inſanire. Apud vos Chriſtiani, vel peregrini, mendicant, ut apud nos Paterini manducent. Ibi veſtrorum domos obruitis, ut hic adverſariorum veſtrorum oppida conſtruatis. Sic de veſtris decimis & eleemoſynis tales pauperes Chriſti ſuſtentati, qua beneficii recompenſatione, qua ſaltem gratitudinis exhibitione ſe præbent obnoxios? Quanto manus largiores extenditis, tanto non ſolum manus, ſed etiam cubitos avidius apprehendunt, ſuo nos laqueo detinentes, ſicut aviculam, quæ quanto ad evaſionem fortius nititur, firmius alligatur.*

Contendit ob nulla ſcelera poſſe imperatoria dignitate excidere.

Invehitur in aulam pontificiam.

LX. Comminatur omnes ſibi adverſantes bello obterere.

*Hæc vobis ad præſens ſcribenda curavimus, inſufficienter exprimendo votum noſtrum. Cætera vero ſecretius intimanda, videlicet in quos uſus divitias pauperum expendat prodigalitas avarorum.* Et infra: *Quantis viribus, quot virorum, qualiter inſtructorum ad bella in hoc ipſo vere, quod inſtat, omnes illos, qui modo nos opprimunt, opprimere poſſe ſperemus, etſi ſe nobis totus mundus opponeret; quicquid fideles noſtri latores præſentium vobis retulerint, certe credatis & ac ſi S. Petrus juraſſet, firmiſſimum reputetis.*

LXI. Impia tyranni in viros eccleſiaſt. ironia.

*Nec vobis petimus videatur, quod per latam in nos ſententiam papalem noſtræ magnitudinis majeſtas aliquatenus incurvetur. Habemus enim conſcientiæ puritatem, ac per conſequens Deum nobiſcum, cujus teſtimonium invocamus, quia ſemper fuit noſtræ intentio voluntatis, clericos cujuſque ordinis ad hoc inducere, & maxime maximos, ut tales perſeverarent in fine, quales fuerunt in Eccleſia primitiva, apoſtolicam vitam ducentes, humilitatem dominicam imitantes. Tales namque clerici ſolebant angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare, & ſanctitate, non armis ſibi Reges & principes ſubjugare. At iſti ſæculo dediti, delitiis inebriati, Dominum poſtponunt, quorum ex affluentia divitiarum & opum omnis religio ſuffocatur. Talibus ergo ſubtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt charitatis. Ad hoc*

vos

*vos, & omnes principes una nobiſcum, ut cuncta ſuperflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo deſerviant, debetis diligentiam adhibere.*

LXII. Ex iis literis magnum dedecus ſuſcepit.

Cum impiæ hujuſmodi literæ in lucem prodiiſſent, tantum abeſt, ut Fridericus Francorum atque Anglorum Regum cæterorumque principum animos ſibi conciliaret, ut eos magis a ſe averteret. Patuit enim, ut inquit Pariſius, luce ipſa illuſtrius, Fridericum dignitatem Eccleſiæ, quam ipſe nunquam auxerat, ſed alii magno ipſius dolore Imperatores amplificarant, infringere ac labefactare conatum eſſe, & hoc ipſo hæreſis ſuſpicione vehementi apud omnes laboraſſe; atque ipſius prudentiæ & ſapientiæ famam, quam apud populum præteritis rebus collegerat, eo facto obſcuratam omnino fuiſſe: res vero pontificias ſe admodum extuliſſe.

LXIII. Refutantur novatores qui impium principem collaudant.

(a) Cent. 13. c. 10. col. 996. & Avent. Annal. Bojor. l. 7.

His atque aliis de Friderico ſupra enarratis inſignis impudentiæ ac manifeſtæ calumniæ arguuntur novatores (*a*), qui odii ſtimulis agitati, quo in Romanam Eccleſiam flagrant, nulla habita veritatis ratione, Pontificem in crimen vocare carpere, inſectari, conviciis urgere, execrari; contra impium Fridericum excuſare, principem optimum prædicare, in cœlum ferre non verentur. Cæterum quamvis furiis percitus princeps, in Romanam Eccleſiam ſævum & atrox bellum gereret, iras in Innocentium evomeret, effunderet minas, in ipſius conjunctiſſimos ſævire appararet; illum de conſtantiæ gradu non dejecit. Calumniabatur inter cætera Fridericus, lateque circumtulerat literis ſuis, Innocentium præcipiti iracundiæ impetu ac temeritate abreptum ſententiam tuliſſe: ad quam diluendam calumniam, quæ nonnullorum forte Ciſtercienſium animis afflata fuerat, iis ordinis ſui comitia celebraturis, ut maturitatem, qua deliberatum fuiſſet, illuſtraret, epiſtolam (*b*) exaravit, cujus exemplum infra ſcriptum eſt.

(b) Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.

LXIV. Quanta conſilii maturitate Pont. ſententiam in Frid. tulerit.

*Noverit univerſitas veſtra ſtatum Eccleſiæ formidabiliter periclitantem precum inſtantia ſolito vigilantius indigere; ſubeſt enim urgens cauſa, quæ toti Chriſtianitati terribiliter comminatur. Nec curabimus de cætero gladio uti materiali, ſed tantum ſpirituali contra Fredericum aliquando Romanorum Imperatorem validum Eccleſiæ Chriſti & obſtinatum inimicum. Obſtructum eſt os loquentium iniqua. Non vos moveant imperitorum, & veritatis ignarorum, precamur, obloquia, ut a nobis quaſi præcipitanter putetis & abſque deliberato fratrum noſtrorum & multorum peritorum moroſo conſilio contra ipſum Fredericum fuerit ſententiatum. Non enim meminimus unquam cauſam cum tanta deliberatione & diligenti examinatione fuiſſe excuſſam, & peritorum atque ſanctorum mentibus libratam extitiſſe: adeo quod in ſecretis aliqui fratrum noſtrorum induerunt perſonam advocati pro ipſo; aliqui autem e contra perſonam adverſantis: ut ex objectionibus & reſponſionibus inquirentium & diſputantium, ut ſolet in ſcholis, cauſæ veritas radicitus hinc indeque diſcuteretur. Nec aliquam viam invenimus, ſine Dei injuria, & gravi ejus offenſa, & Eccleſiæ ejuſdem læſione, & noſtrarum conſcientiarum vulnere, aliter procedendi, quam ut proceſſimus, licet inviti & ejuſdem læſoris miſeriæ condolentes. Parati igitur ſumus in hac cauſa, & pro illa uſque ad mortem ſtare, & pro ea, & in ea tam omnes fratres noſtri, quam nos mori immutabiliter pro cauſa Dei & ejus Eccleſiæ dimicantes.* Subdit Pariſius perlectis pontificiis literis, Friderici partes execratos, Innocentio maximis animis ſtuduiſſe, atque a Deo ardentiſſimis precibus flagitaſſe, ne Eccleſiam ſuam a perſecutore deiici, labefactari unquam pateretur.

LXV. Tarviſini flagitant ab Innoc. ut ſacramenti Friderico dati religione ipſos liberet.

Servorum preces numen excepiſſe viſum eſt, evaneſcente enim tyranni terrore, plures populi impreſſum cervicibus jugum excuſſere, inter quos Tarviſini, qui cum antea captis a Friderico urbis primoribus, ac periculis undique a Friderici exercitu cincti, in ejus imperium conceſſiſſent, miſſiſque oratoribus ſeſe illi confectis publicis inſtrumentis ſubdidiſſent; comparandæ priſtinæ libertatis cupidi expetiere a Pontifice, ut inſtrumenta hujuſmodi convelleret. Quibus Innocentius ſi eo metu ad id adducti fuerant, qui in viros conſtantes caderet, reſcindenda penitus, libertatemve eorum præteritis actis non labefactandam cenſuit. (*c*)

(c) Inn. l. 3. ep. 56. Annuit Pont. ſi timore qui in conſtantes caderet adacti fuerint.

*Poteſtati e communi Tarviſino.*

*Sicut revera veſtra petitio nobis exhibita continebat, olim multis nobilibus per Fredericum quondam Imperatorem arctæ cuſtodiæ carceris mancipatis, eadem civitas velut hoſtibus circumcincta, & expoſita conatibus eorumdem, nequiens damna gravia & dolores innumeros, & ingentes anguſtias, quibus ipſam non ceſſabant opprimere, ulterius ſuſtinere; non ſine mentis ſuſpiriis ac propter tunc inſtans, vel futurum periculum trepidatione animi ſe ipſi Frederico reddidit: qui, vobis ſeu ambaxatoribus veſtris ob metum rerum & corporis non contradicentibus, quod ex veſtra vel eorum conceſſione præfata civitas hactenus ſua foret; ſive quod in ipſa eſſet per hoc jus ſibi creatum de novo, in veſtra præſentia confeciſſe dicuntur publicum inſtrumentum. Unde vos ex hoc formidantes vobis in poſterum præjudicium generari, ut tali conceſſione non obſtante civitatem veſtram reſtitueremus libertati*

*pri-*



*priſtinæ, nobis humiliter ſupplicaſtis. Nos vero attendentes, quod ea quæ vi metuſve cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis; ſi prædictus metus talis ac tantus fuit, quod merito potuerit & debuerit cadere in conſtantem, ab omnibus conceſſionibus ſeu contractibus cum eodem F.. aut ſuis nuntiis taliter initis, vos auctoritate apoſtolica decernimus abſolutos. Dat. Lugduni* IV. *kal. aug. an.* III.

LXVI. Piſani in Eccleſiæ gratiam recipi poſtulant.

(a) Lib. 3. ep. cur. 1.

Damnatas etiam Friderici partes Piſanos deſerere cupidos, atque Eccleſiæ pro captis præſulibus, occupatiſque Lucanorum oppidis facere ſatis paratiſſimos, ipſorum archiepiſcopus ſignificavit (*a*) Innocentio: qui lubenter cum ipſis redit
urum in gratiam, ac ſacris templiſque, ſi promiſſis ſtarent, reſtituturum reſpondit archiepiſcopo Piſano: committerent propterea alicui e Cardinalibus, quem mallent, cuſtodiendas ereptas arces quas demum Lucanis tum redditurus eſſet, cum ipſi votorum compotes evaſiſſent.

*Archiepiſcopo Piſano.*

Quæ leges ad eam obtinendam ipſis propoſitæ.

*Quoniam majus eſt angelis Dei gaudium ſuper uno agente pœnitentiam peccatore, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui noſcuntur pœnitentia non egere; noſque affectamus ex corde converſionem errantium filiorum, te nobis referente comperto, quod cives Piſani ad Eccleſiæ redire deſiderant unitatem, ipſius mandatis, & noſtris ſtare parati ſuper captione ac ſpoliatione prælatorum, & aliorum etiam, qui olim ad Apoſtolicæ ſedis concilium veniebant & caſtrorum eccleſiæ Lucanæ detentione, pro quibus iidem cives vinculo ſunt excommunicationis adſtricti, & eorum civitas eſt ſuppoſita eccleſiaſtico interdicto; fraternitati tuæ, de qua ſinceram in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi dicti cives de ſtando, & parendo præciſe, & abſolute ſuper captione, & ſpoliatione, prælatorum aliorumque, præſcriptis eccleſiæ mandatis & noſtris, ſufficientem tibi præſtiterint noſtro nomine cautionem; & quod Apoſtolicæ ſedi cum aliis ſibi fidelibus adhærebunt; ſi caſtra illa eccleſiæ Lucanæ prædictæ, quæ tenent, alicui Eccleſiæ Romanæ aſſignaverint Cardinali, quem ipſi duxerint eligendum; per eum tandiu detinenda, donec utrum ea pertineant ad jam dictam Lucanam eccleſiam, vel ad ipſos legitime cognoſcatur; præfatis civibus ſuper excommunicatione præmiſſa juxta formam Eccleſiæ beneficium abſolutionis impendas, & prælibati relaxes ſententiam interdicti. Dat. Lugduni* XVII. *kal. ſept. an.* III.

Vercellenſes vero, qui in fide atque obſervantia erga ſedem Apoſtolicam ita conſtantes perſtiterant, ut nec minis labefactari, nec injuriarum acerbitate divelli ab Eccleſiæ partibus potuiſſent, ſingulari affectu complexus Innocentius, in clientelam ſedis Apoſtolicæ recepit (*b*); ac nundinas ſolemnes, quas edictis ſuis Fridericus Taurinum tranſtulerat, reſciſſis hujuſmodi ſanctionibus, Vercellis celebratum iri: tum pœnas a tyranno in eam urbem civeſque decretas abolendas cenſuit.

(b) Lib. 2. ep. 573. Convellit Innoc. decretum Frid. nundinas Vercellis Taurinum transferentis.

(c) Ext. Corneti in vetuſto codic. MS.

Effudiſſe hoc tempore Fridericum in clientes Eccleſiæ graviſſimas iras referunt vetera Cornetanorum monumenta (*c*): ſenſere enim tyranni ſævitiam inſignes aliqui ipſorum cives ab hoſte intercepti, qui ob fidei in Pontificem conſtantiam in ſuorum conſpectu ſuſpendio præfocati ſunt; de quorum injuſta & acerba nece hæ literæ (*d*) Rainerio Cardinali provinciæ præfecto tranſmiſſæ.

(d) Extant. ibid.

*Poſt Deum vividæ ſpei domino Rainerio S. Mariæ in Coſmedin diacono Cardinali, & in Tuſcia per patrimonium, ducatum Spoletanum, & * Auximanam marchiam vicem domini Papæ gerenti Rollandus qualis qualis notarius Cornetanus, ejus ſubditiſſimus fidelis ſeipſum ad pedes proſtratum cum omni gratiarum famulatu. Ea, quæ lacrymoſis oculis, & ſuſpiriis pectoris edidit rythmice, parvitas ingenii mei de peremptis fidelibus Eccleſiæ filiis Cornetanis primo veſtræ ſanctitati quam alteri ſtudui flexis genibus declarare, ut coram vobis, qui eſtis nitens lux matutina, perlectis, impietas & durities depoſiti Friderici ab omnibus cognoſcatur, & nomen ejus diffametur per ſæcula in æternum.*

* Anconitanam

Deſcribit inflictum a Vitale Friderici crudeli adminiſtro, concivibus ſupplicii genus verſu quidem impolito, ſed veraci; reique geſtæ tempus ita conſignavit.

*Anni ducenteſimi quini, & milleni*
*Quadrageni tempore currunt iſto pleni.*
*Quo Rex regum tulit ictum in amœni*
*Cornetani populi cœtum, & ſereni:*
*Nam tuentes patriam fide Nazareni*
*Et jura Eccleſiæ defendentes Dei,*
*Capti ſunt inſidiis Friderici rei*
*Quadraginta quatuor in luce Dei.*

Jam ab eo ad alium principem, qui ob aliena flagitia, nimiamque ſocordiam pontificia ſententia non quidem regno, ſed publicæ rei adminiſtratione remotus eſt, orationem traducamus.

Præmonuerat Innocentius Sanctium Luſitaniæ Regem, antequam ſynodum celebraret, graviſſimis literis, ut abjecta inertia, qua improbos graſſari in eccleſias, ac ſcelus extincta omni legum ſeveritate aperte debacchari patiebatur, regnum fortiter moderaretur, eccleſiaſticos a ſceleratorum injuriis aſſereret, tueretur bonos, coleret juſtitiam, nefarios exſcinderet, Sarracenos limite ſuo propulſaret. At ille Mentiæ Lupæ irretitus amoribus, adeo LXVII.

ut vulgus injectam illi carminibus & veneficio amentiam exiſtimaſſe Mariana ſcribat, (a) cum regni res ignave tractaret, nec animadverteret a ſe Luſitanos proceres ob regiam auctoritatem indignis hominibus permiſſam, honoreſque male collatos abalienaſſe: præterea ipſius fratrem Alphonſum ex ejus vitio captata occaſione ad regnum aſpirare; Innocentii monita, ut antea Gregorii eluſerat, reſpuit. Qua re Pontificia Portugalenſi & Conimbricenſi, quibus eæ partes injunctæ erant in ſynodo relata, Innocentius inertem principem, cum nullis artibus ad regium munus obeundum adduci potuiſſet, a publicæ rei adminiſtratione amovendum cenſuit, juſtitiæque exercendæ atque armorum auctoritatem ipſius fratri Alphonſo; virtutibus quidem ornatiſſimo, ſed quem ambitione id conſectatum exitus docuit; ad præterita emendanda, regnumque ab exitio vindicandum committendam: ita tamen ut regio nomine abſtineret, quod ſervari integrum Sanctio, atque in filios, ſi quos ille ſuſciperet, transfundendum ſanxit: Luſitanoſque imperia apoſtolica, quibus eorum ſaluti, ac regni dignitati conſulebat, capeſſere eſt cohortatus (b).

(a) *Mariana de reb. Hiſp. l. 13.*

(b) *Lib. 3. ep. cur. 29.*

*Baronibus, communitatibus, conciliis tam civitatum, quam caſtrorum & aliorum locorum, ac univerſis militibus & populis per regnum Portugalliæ conſtitutis.*

LXVIII. Pontificiæ de eo ad Luſitanos liter.

*Grandi non immerito exultamus in Domino gaudio, cum Chriſtianæ profeſſionis regna ſic ſalubri diriguntur ſtatu, quod eccleſiæ ac alia loca cultui & obſequio deputata divinis, & perſonæ eccleſiaſticæ, cæterique fideles ipſorum pacis tranquillitate lætantur, fides in eis catholica majori continue robore convaleſcit, ſervatur inibi juſtitia, & audacia cunctis ibidem interdicitur delinquendi. Vehementi autem dolore turbamur, ſi quando regna ipſa, quod abſit, procurante humani generis inimico ſcinduntur diſcordiis, circa fidei cultum remiſſo devotionis ardore tepeſcunt, juſtitiam negligunt, & in ſeipſis permittunt illicita perpetrari. Unde multa ſollicitudine magnoque ſtudio procurare nos convenit, ut Chriſtianorum regna, quæ in ſtatu ſunt incommutabiliter in illo regantur, & quæ pericoloſe ruere dignoſcuntur, reformatione laudabili reparentur. Sane cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Portugalliæ Rex illuſtris a pueritia ſua, claræ memoriæ patre ſuo viam univerſæ carnis ingreſſo, regni Portugalliæ gubernatione ſuſcepta, eccleſias & monaſteria exiſtentia, in eodem, pravo uſus conſilio; in gravem Dei offenſam, & conculcationem eccleſiaſticæ libertatis, multimodis exactionibus & oppreſſionibus per ſe ſuoſque immaniter afflixiſſet, & ab aliis pro ipſorum libito libere permiſiſſet affligi; tandem quibuſdam eccleſiarum prælatis ejuſdem regni apud Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros querelas multiplices ſuper iis deponentibus contra eum felicis recordationis Gregor. Papa prædeceſſor noſter; poſt hujuſmodi querelas & admonitiones frequentes, Regi propter hoc factas eidem, & expectationes diutinas; nec non & interdicti, ac excommunicationis ſententias ob ipſius contumaciam in eum, & præfatum regnum auctoritate apoſtolica promulgatas, diuque obſervatas ibidem; ſuper certis prædictæ libertatis articulis, & quibuſdam aliis ab eo & ſuis in poſterum obſervandis & ſatisfactione impendenda monaſteriis & eccleſiis, & damnis ac injuriis per ipſum & ſuos irrogatis eiſdem, ac ipſorum defenſione; duxit ſalubriter providendum, certis executoribus, qui eum ad hoc eccleſiaſtica cenſura compellerent, deputatis. Sed idem receptis apoſtolicarum proviſionum literis, licet promiſerit per ſuas patentes literas, quod articulos contentos in earundem proviſionum literis obſervaret, & faceret a ſuis ſubditis obſervari; poſtmodum tamen non ſolum præfatis monaſteriis, & eccleſiis de præmiſſis damnis & injuriis ſatisfacere, vel ea defenſare neglexit; ſed etiam, ut accepimus, eccleſias, & monaſteria ipſa per ſe ſuoſque portarios meyrinos collectis procurationibus, & exactionibus indebitis intolerabiliter aggravavit, & aggravat inceſſanter: ac circa malefactorum regni ejuſdem inſolentiam reprimendam ſic negligens invenitur, quod in eodem regno bona tam eccleſiaſtica, quam mundana, per raptores, prædones, invaſores, incendiarios, publicos ſacrilegos, & deteſtabiles homicidas; abbatum videlicet, priorum, & aliorum religioſorum, & clericorum, ſæcularium, ac laicorum etiam occiſores; deperire propter ſæcularis defectum juſtitiæ dignoſcuntur.*

Ut ſæpius mala quæ in regno graſſabantur emendare admonitus fuerit.

LXIX. Fræna ſubditorum improbitati laxaverit.

*Unde quia ſic in eodem regno a quibuſlibet ſuis ſubditis impune delinquitur, barones aliique ipſius regni nobiles & ignobiles, ſumpto ex hoc delinquendi auſu, matrimonia contrahere in gradu prohibito, bona eccleſiaſtica rapere, ac alia quamplura mala olim a bonæ memoriæ Sabinenſi epiſcopo, tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legato, ſub anathematis interminatione prohibita committere non verentur: & tam ipſi quam plures alii de regno præfato diverſarum excommunicationum innodati laqueis per devia deſperationis errantes, in contemptum clavium divinis ſe officiis irreverenter ingerunt & eccleſiaſticis ſacramentis: ac in ſubverſionem catholicæ fidei plures eorum de ipſius articulis auctoritates tam novi, quam veteris teſtamenti temere, non ſine fermento pravitatis hæreticæ, in ſuarum, & aliorum animarum periculum exponendo, eo*

*diſ-*



*diſſimulante non metuunt diſputare: & nonnulli de regno ipſo eccleſiarum & monaſteriorum patroni, ac alii aſſerentes ſe patronos, cum non ſint, locorum ipſorum, & ab eis illegitime geniti in bonis dictarum eccleſiarum & eorumdem monaſteriorum crudeliter debacchantes, eccleſias ipſas & monaſteria eadem ad tantam inopiam redegerunt, quod eis nequeuntibus proprios ſuſtentare miniſtros; quinimo aliquibus ex ipſis ſervitorum ſolatio deſtitutis, & aliorum clauſtris, refectoriis, cæteriſque officinis, equorum ſtabulis, & proſtibulis quarumlibet perſonarum vilium deputatis; divini nominis & religionis cultus exinde penitus eſt ſublatus, bonis illorum omnibus in direptionem expoſitis, & in prædam.*

LXX. Quam acerbe ſub eo Luſitania eccleſia luxerit.

*Cæterum caſtra, villas, poſſeſſiones & alia jura regalia idem Rex propter ipſius deſidiam ſuique cordis imbecillitatem deperire permittens; ac paſſim & illicite malignorum acquieſcens conſiliis alienans, perſonarum tam eccleſiaſticarum quam ſæcularium, nobilium & ignobilium occiſiones nefarias, dum religioni non parcitur nec ſexui vel ætati, rapinas, inceſtus, raptuſque monialium & ſæcularium mulierum; ruſticorum ac negotiatorum tormenta gravia, quæ ipſis a nonnullis regni prædicti pro extorquenda ab ipſis pecunia infliguntur: eccleſiarum & cœmeteriorum violationes, & incendia, fractiones treugarum, & alia enormia, quæ a ſibi ſubjectis libere committuntur, ſcienter tolerat: quin potius tot tantiſque malis, dum ea præterit impunita, conſentire videtur, & pandit aditum ad pejora. Terras inſuper, & alia Chriſtianorum bona in confinio Sarracenorum poſita non defendens, ea infidelibus devaſtanda, ſeu etiam occupanda ex animi puſillanimitate relinquit. Et licet a ſupradictis prælatis, ut ad corrigenda præmiſſa pluraque alia nefanda, quorum ſerioſa narratio faſtidium generaret, ardenter, ut tenetur, aſſurgeret, monitus fuerit diligenter; idem tamen, eorum monitionibus obauditis, id efficere non curavit. Propter quod epiſcoporum, abbatum, priorum & aliorum tam religioſorum, quam ſæcularium regni ejuſdem conquæſtionibus, & clamoſis inſinuationibus excitati, Regem ipſum per noſtras literas, ut præmiſſa corrigeret, rogandum duximus attentius & hortandum; venerabilibus fratribus noſtris Colimbrienſi, ac Portugalenſi epiſcopis, & priori prædicto Colimbrienſi nihilominus injungentes per alias literas; ut eum ad hoc ex parte noſtra monentes attente, & efficaciter inducentes, qualiter ſuper hoc faciendum duceret, & de ipſorum circa eum in hac parte proceſſu, nos in concilio certificare curarent.*

LXXI. Implorant Luſitani ſedis Ap. opem.

*Cum igitur per dictos Colimbrienſem, & Portugalenſem, ejuſdem concilii tempore apud ſedem Apoſtolicam conſtitutos, ac ipſorum & dicti prioris literis, quod præfatum Regem ſuper iis diligenter monuerint; & tam per eoſdem, quam per alios fide dignos, necnon multorum virorum eccleſiaſticorum, communitatum, baronum, militum, ac etiam nobilium dominorum literas, quod præmiſſa nullatenus emendantur, ſed potius de die in diem graviora propter ejus deſidiam, & negligentiam præſumuntur; quodque in ſubverſionem regni præfati vaſalli ejuſdem Regis, congregata multitudine armatorum, caſtra ipſius noviter expugnare, omniaque occurrentia invadere, devaſtare, prædari, & alia mala, & hæc ex torpore nimio tolerante, committere divino timore poſthabito non formidant, nobis ſatis liquido innoteſcat; cupientes regnum ipſum tot tribulationum adverſitate depreſſum; maxime cum ſit Rom. Eccleſiæ cenſuale, alicujus prudentis & providi diligentia & induſtria relevari; univerſitatem veſtram de fratrum noſtrorum conſilio monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, in remiſſionem vobis veſtrorum peccaminum injungendo, quatenus dilectum filium nobilem virum comitem Bolonienſem præfati Regis fratrem de devotione, probitate, ac circumſpectione multipliciter commendatum; qui eidem Regi, ſi abſque legitimo decederet filio, juri regni ſuccederet; quique ex innatæ dilectionis affectu, quo vos & prædictum regnum proſequitur, magnanimitate ac potentia ſibi plurimum ſuffragantibus regnum ipſum reformaturus firma credulitate ſperatur; præſertim cum ad curam & adminiſtrationem generalem & liberam regni ejuſdem non minus pro ſæpedicti Regis, quam ipſius regni utilitate, ſi provide attendatur, ac ad defenſionem eccleſiarum, monaſteriorum, aliorumque piorum locorum regni præfati & perſonarum eccleſiaſticarum, tam religioſarum, quam ſæcularium, necnon viduarum, orphanorum, & cæterorum ibidem degentium ac de perditorum inibi repuperatione ſalubriter in domino confidimus, ſit aſſumptus; cum ad vos acceſſerit, fidelitate, homagio, juramento, ſeu pacto, ſi aliquibus forte præfato Regi, vel cuicunque alii perſonæ tenemini, aut etiam Regis prohibitione, dummodo perſonam ejus & vitam ac legitimi filii, ſi aliquem ipſum habere contigerit, fideliter conſervetis debitum eis exhibentibus honorem, nequaquam obſtantibus; in civitatibus, caſtris, villis, & munitionibus regni prædicti cum omnibus ſuis recipere, ac ejus depoſitioni, & mandatis univerſaliter ſinguli & ſingulariter univerſi per omnia & in omnibus intendere abſque difficultate qualibet procuretis; impendentes ſibi con-*

Jubentur ab Innoc. Boloniæ comiti regni habenas capeſſituro obtemperare.

*træ quoſlibet repugnantes ac etiam volentes conſilium, auxilium, & favorem; de redditibus, proventibus omnibuſque ſæpefati regni juribus ſine diminutione aliqua plenarie reſpondendo, ut de illis dicto Regi, ſecundum quod ſuam decet excellentiam, & ſibi ac ſuis & præfati regni neceſſitatibus pro temporum, ac negotiorum emergentium qualitate valeat providere. Alioquin venerabili fratri noſtro Bracarenſi archiepiſcopo & epiſcopo Colimbrienſi damus noſtris literis in præceptis, ut vos ad id monitione præmiſſa, per cenſuras eccleſiaſticas appellatione remota compellat. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipſius legitimo filio, ſi quem habuerit, prædictum regnum adimere; ſed potius ſibi & eidem regno deſtructioni expoſito a vobis ipſis in vita ejuſdem Regis per ſolicitudinem, & prudentiam comitis conſulere ſupradicti. Dat. Lugduni* IX. *kal. aug. an.* III.

Decernit Pont. ſalva regni jura penes Sanctium ejuſque filium remanſura.

LXXII. Agit de his Joannes Mariana (*a*) qui Luſitaniæ proceres contendiſſe ab Innocentio ait, ut Sanctius regno pelleretur: ſed tantum obtinuiſſe, ut Alphonſus Sanctii nomine, dum viveret, rempublicam gubernaret; addit Alphonſum, qui Mathildem in Gallia Boloniæ comitem uxorem duxerat, pontificia auctoritate ac procerum eccleſiaſticorum ſtudiis fretum continuo levi conatu rempublicam capeſſiviſſe: Sanctium vero cum populos certatim in fratrem inclinare, atque ad ejus obſequia procumbere videret, fugam corripuiſſe, demumque ad Ferdinandum Caſtellæ Regem ſe recepiſſe. Inde Mentia repudiata, quæ ipſi eam calamitatem pepererat, & cujus nuptias Pontificem damnaſſe vidimus, Caſtellani filiam uxorem duxiſſe, ac pollicitum Luſitaniam beneficiario jure, ſi in regnum reſtitueretur, Caſtellæ ſubmiſſurum: verum ejus conatus Alphonſus frater diligentia ſua eluſit.

(*a*) *Maria. de reb. Hiſp. l.*13. *c.* 4.

Sanctius Luſitania depellitur

Confugit ad Regem Caſtellæ.

LXXIII. Captavit e Sanctii Regis exilio Fridericus vocandi in invidiam Pontificis occaſionem, literiſque (*b*) hæc diſſeminavit: *Requirimus affectionem veſtram, & rogamus attente quatenus diligentius advertentes, qualiter ſummus Pontifex ſuis juribus, qui nihil commune habere debet cum gladio, non contentus in alienam meſſem falcem præſumptuoſus immittit; & ut a nobis non longe petatur exemplum, qualiter in regno Portugalliæ honoris ſibi uſurpaverit dignitatem.* Non Luſitanum regnum invaſit Innocentius, ſed integra illius jura Sanctio, ut vidimus, ſervavit; qui cum moderandæ reipublicæ par non eſſet, nemini adminiſtratio reipublicæ potius quam Alphonſo committi poterat: ac ſi Sanctius regno depulſus fuerit, id vel nimiæ ipſius formidini vel Alphonſi ambitioni, non pontificiæ providentiæ, tribuendum eſt.

(*b*) *Ext. apud Petr. de Vin. M. S.Val. bib.*

LXXIV. Conſenuit porro Toleti inglorius Sanctius ea calamitate ob ſpreta toties Romanorum Pontificum ſalubria monita, audiataque aſſentatorum deliramenta merſus. De cujus obitus anno diſſentiunt auctores: Mariana vero poſt hæc lapſo decimo tertio defunctum tradit, cum regium nomen quatuor & triginta annis ſuſtinuiſſet; eoque ſublato, qui haſtenus in ipſius fide perſtiterant, Alphonſo ſe dedidere. Inſignis inter eos Flectii Conimbricæ præfecti conſtantia fuit, qui arctiſſima ab Alphonſo regni moderatore obſidione preſſus, extremam inopiam magna conſtantia vicit: nuntiatoque Sanctii obitu, cum facile non crederet, petita eundi gratia, pactiſque induciis Toletum ſe contulit, an fides dictis conſentiret exploraturus; accedenſque ad Sanctii ſepulcrum, Conimbricenſes claves, hæc præloquutus depoſuit (*c*): *Quamdiu, Rex, vivere te judicabam, extrema omnia ſum perpeſſus coriis famem toleravi, ſitim lotio. Civium animos conſilia de deditione agitantium ad malorum patientiam erexi. Quidquid a fideli, & conſtanti homine, atque in tua verba jurato expectari debuit, præſtiti. Mortuo tuæ tibi urbis clavibus traditis, quod ſupremum officium eſt, ſacramento me ſolutum, civibus deceſſiſſe te renuntiabo, Alphonſo fratri ne amplius reſiſtant, te concedente, ero auctor.* Hæc de Sanctio ſuffecerint. Reliquas Hiſpanicas res proſequamur.

Inſigne Flectii erga Regem fidei & conſtantiæ exemplum.

(*c*) *Maria. ubi ſup.*

LXXV. Propoſuere ſedi Apoſtolicæ religioſi equites S. Jacobi Regem Zale tanto ſuſcipiendi ſacri baptiſmatis deſiderio teneri, ut etiam ad propagandam in Africa latius Chriſti fidem, evellendamque Mahumeticam ſuperſtitionem regnum in ipſos transfundere meditaretur: quibus Innocentius illius regni recipiendi finitimaſque regiones, quæ ad nullum Chriſtianum principem, ſpectabant, ſuo imperio adjungendi, eccleſias ac xenodochia excitandi auctoritatem contulit (*d*) ipſoſque ſedis Apoſtolicæ illius regni nomine, quadraginta marabutinorum cenſu impoſito, vectigales devinxit.

Rex Zale Chriſtiana ſacra amplecti cogitat.

(*d*) *Ep.* 151.

*Magiſtro & fratribus militiæ S. Jacobi.*

*Cum, ſicut intimantibus vobis accepimus, Zeid Aazon Rex Zale illuſtris divinitus inſpiratus deſiderans baptiſmatis unda renaſci, & Deo vivo ac vero ſub religionis obſervantia Chriſtianæ placere, paratus exiſtat vobis & ordini veſtro concedere regnum ſuum; per quod vobis illud habentibus vicinæ Sarracenorum regiones de facili poſſent dominio noſtro ſubjici, & cultui acquiri divino, ac conſequenter Chriſti fideles Terræ ſanctæ liberius, & efficacius ſubvenire; nec ad aliquem principem Chriſtianum pertineat re-*



*regnum ipſum; nos provide attendentes utilitatem multiplicem, magnam catholicæ fidei exaltationem, grandeque Chriſtianitatis robur, quæ de conceſſione hujuſmodi provenirent, veſtris ſupplicationibus inclinati, univerſitati veſtræ, ut præfatum regnum licite recipere ac acquirere, necnon præmiſſas regiones & alia circumpoſita Sarracenorum loca, quæ juris alicujus Chriſtiani principis non exiſtant, & acquiſita retinere plene, ac libere in perpetuum; necnon in regno, ac in regionibus & locis prædictis eccleſias per veſtros clericos idoneos cum ſuis plebibus gubernandas, plenaque libertate fundare, & hoſpitalia conſtruere ſine contradictione qualibet valeatis; ita quod ſoli Eccleſiæ Romanæ teneamini pro præmiſſis annuum quadraginta marabottinorum cenſum in ſignum libertatis hujuſmodi ſedi apoſtolicæ perſolvendo; auctoritate præſentium indulgemus. Dat. Lugduni* VIII. *kal. octob. an.* III. Mirum ſane quo tempore Chriſtianus princeps impius Fridericus ob alia ſcelera, tum quod in Sarracenorum mores deflecteret, deiici Imperio meruit, Africæ Sarracenum Regem baptiſmi ſuſcipiendi cupidum religioſis equitibus, quo fidem Chriſti propagarent latius regno cedere meditatum.

Regnum equitib. S. Jacob. vectigale conſtituere deliberat.

Conceſſa iis perficiendæ rei ab Innoc. auctoritas.

LXXVI. Hoc tempore Rex Aragonum Valentiæ gymnaſium condidit, cujus conſilium laudibus eſt proſecutus Innocentius, ampliſſimiſque prærogativis, ut pontificiæ literæ tum ad ipſum (*a*) tum ad epiſcopum Helenenſem (*b*) datæ demonſtrant, inſignivit. Eademque illa in literatos egregia voluntate impulſus ad Toloſanam academiam, ubi literarum gloria efflореſcebat, decorandam omnia ipſius privilegia ſua auctoritate corroboravit: (*c*) *In civitate* (*d*) *Toloſana domui David factus eſt fons patens, & vena vitæ ſcientia ſalutaris, ad cujus aquas ſitientes confugiunt haurientes in gaudio de fontibus Salvatoris.* Nonnulliſque interjectis hæc de theologica ſcientia, quæ in Toloſana academia florebat: *Ibi lactentes ad ubera pendent matris; ibi parvulis panis frangitur ſcripturarum: ibi exercitatos habentibus ſenſus in altum retia ducit Petrus, ita ut nullus expers munerum inveniatur ipſius, qui ad eandem ſcientiam acceſſerit puro corde. Vocat hæc ſiquidem ancillas, artes videlicet liberales ad ſui obſequium, ad ſupernæ mœnia civitatis: & idcirco ibidem floret ſtudium in eiſdem, ut per ancillas oſtiarias ad veram ſapientiam oſtium pateat, & tanquam per viam compendii adducant ad ipſam velocius ſtudioſos.*

Valentiana academia a Jacobo Rege excitata.

(*a*) *Inn. l.* 3. *ep.*7.8. (*b*) *Ib. ep.* 9.

(*c*) *Ep.* 155. 156. (*d*) *Ead. ep.* 156.

Toloſana ab Innoc. privilegiis decorata.

LXXVII. Contulit in alia piorum virorum collegia plures prærogativas (*e*); decanum quidem Maguntinæ eccleſiæ ſolemnibus feſtis diebus mithram geſtare permiſit (*f*). Religioſis viris S. Mariæ ad S. Gallum diœceſis Florentinæ ordinis S. Auguſtini hæc indulſit: (*g*) *Devotioni veſtræ benignum impertientes aſſenſum, deferendi pro ſigno in veſtibus veſtris duplicem crucem rubeam cum lilio in parte poſteriori vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem.* Conceſſas Virziliacenſi conventui a Leone, Gregorio, Urbano, Eugenio, Alexandro, Lucio, Urbano, Gregorio, Clemente, Cæleſtino, Innocentio, Honorio, & Gregorio Romanis Pontificibus prærogativas confirmavit (*h*) cujus diplomatis ſuſcriptiones adducere ad commendandam illius temporis Cardinalium memoriam nobis viſum eſt.

(*e*) *Lib.* 2. *ep.* 437. 463. 464. 602.
(*f*) *Trith. in chr. Sponheim.*
(*g*) *Lib.* 3. *ep.* 234.
(*h*) *Lib.* 2. *ep.* 167.

*Ego Innocentius catholicæ Eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.*

*Ego Otho Portuenſis & S. Rufinæ epiſc. ſubſcripſi.*

*Ego Petrus Albanenſis epiſc. ſubſcripſi.*

*Ego VV. Sabinenſis epiſc. ſubſcr.*

*Ego Odo Tuſculanus epiſc. ſubſcr.*

*Ego Petrus S. Marcelli presbyter Card. ſubſc.*

*Ego Vvillelmus baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbyter Card. ſubſcripſi.*

*Ego Ugo tit. S. Sabinæ presbyter Card. ſubſcripſi.*

*Ego fr. Joannes tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Card. ſubſcripſi.*

*Ego Goffredus S. Hadriani diaconus Card. ſubſcripſi.*

*Ego Octavianus S. Mariæ in via lata diaconus Card. ſubſcripſi.*

*Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum diaconus Card. ſubſcripſi.*

*Ego Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Card. ſubſcripſi.*

*Ego Vvillelmus S. Euſtachii diaconus Card. ſubſcripſi.*

Qui hoc tempore Card. Innocentio adſiderent.

*Datum Lugduni per manum magiſtri Martini ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ vicecancellarii* x. *kal. februar. indict.* II. *Incarnationis dominicæ ann.* 1244. *pontificatus vero domini Innocentii Papæ quarti anno* 2. Hæc de prærogativis pontificiis ſuffecerint: quid ageret interim in Galliis Innocentius, proſequamur.

LXXVIII. Tradit Pariſius Innocentium Cluniacum [1] contendiſſe, ut in Ludovici Francorum Regis congreſſum veniret, quo pariter quindecim poſt diebus poſt feſtum circiter

S. Lud. Pontificem Lugduni adit.

NOTÆ [1] ADventus Innocentii Cluniacum, quamvis ab omnibus etiam coævis ſcriptoribus in hunc annum reiicitur, repugnare tamen videtur perſpicuo teſtimonio Nicolai de Curbio, qui pontificio lateri ſemper adhærebat. Ille enim cap. XXI. ita diſerte affirmat: *Interim dictus pontifex poſt concilium anno ſecundo Cluniacum ivit, cum rege Franciæ & ipſius fratribus loquuturus*

ter S. Andreæ, Rege ipſo cum matre Blancha accedentibus, ſeptem diebus remotis omnibus arbitris ſecreta conſilia contuliſſe: creditum tamen de pace Eccleſiam inter & Imperium redintegranda potiſſime agitatum. At S. Regem Lugduni Rom. Pontificem conveniſſe affirmat illius geſtorum ſcriptor, dum ait: (a) *Vir Dei amantiſſimus Rex Franciæ Ludovicus flagrans deſiderio videndi ſummum Pontificem, convocata multitudine non modica militiæ regni ſui, fratribuſque ſuis cum Regina Blanca matre eorumdem iter aggreſſus eſt; & ut ſuum hujuſmodi propoſitum adimpleret, Lugdunum properavit, &c.* Deſcribit ut S. Ludovicus inſtructis egregie quatuor agminibus magna pompa ac magnificentia, ut ſpectantium oculos admiratione percelleret, Lugdunum ingreſſus ſit. Et nonnullis in hanc ſententiam interjectis verbis ſubdit: *Ipſe autem Rex nobiliſſimus cum incredibili, & glorioſa multitudine militum regni ſui quarto agmine procedens Lugdunum ſic introivit, ad quem locum univerſalis Eccleſiæ Pontifex ſummus acceſſerat, ut ibidem cum dicto Rege de negotiis ſanctæ matris Eccleſiæ loqueretur, habitoque inter eos ſecreto & latenter conſilio, idem Rex sereniſſimus benedictione a ſummo Pontifice percepta, eique humiliter valedicto in Franciam remeavit.* Hæc ipſe. Alii vero recentiores (b) cæterique utrumque affirmant, nimirum Ludovicum Cluniacum primo ad Innocentium Papam, inde Lugdunum ad ſacram ſynodum profectum; ibique ſe ſuumque regnum Eccleſiæ ac Pontificis obſequiis detuliſſe.

(a) *Nang. de reb. geſt. D. Lud. eod. ann.*

(b) *Ricord. Maleſpin. hiſt. Flor. c. 137. Jo. Villan. l. 8. c. 25. &c.*

LXXIX. Addit Cluniacenſis chronici, (c) auctor anonymus Innocentium S. Andreæ feſto die principe in eccleſia rem divinam feciſſe; deque magno ejus comitatu iſthæc refert: *Hoc anno*, nimirum *MCCXLIV. in feſto B. Andreæ Apoſtoli celebravit miſſam Innocentius Papa IV. apud Cluniacum in majori eccleſia ad magnum altare, & fuerunt cum ipſo duodecim Cardinales: cum ipſis fuerunt patriarcha Antiochenus, patriarcha Conſtantinopolitanus.* Et inferius ubi nomina epiſcoporum, qui celebritati interfuere, attulit: *Item fuit ibi dominus Ludovicus Rex Franciæ & Regina mater ejus, & ſoror ejus & comes Dartoys frater ejus & Imp. Conſtantinop. & filius Regis Aragonum, & filius Regis Caſtellæ, dux Burgundiæ &c.* Addit multam procerum aliorum multitudinem Pontificem ſtipaſſe; deque amplitudine Cluniacenſis monaſterii hæc notat: intra illius ſepta Pontificem, Imper. Conſtantinopolitanum, Gallorum Regem cum matre, fratre, ac ſorore, & Sylvanectenſem, Eboracenſem, & Lingonenſem epiſcopos cum ampliſſimis ipſorum familiis habitaſſe; nec tamen Cluniacenſes monachos neceſſariis ſedibus, atque officinis caruiſſe.

(c) *MS. bibl. Vallicell.*

LXXX. Jam e Gallicis rebus ad Ungaricas nos convertamus. Propoſuit ſedi Apoſtolicæ Ungariæ Rex ſe, quo tempore Panoniæ Tartarorum funeſtis excurſionibus vaſtatæ fuerunt, ne penitus excinderentur populique reliquias ab hoſtis potentia eripere poſſet; ea conditione fiduciario jure Ungariam Imperio ſubdidiſſe, ſi certo tempore Fridericus, vel ipſius filius ad defendendam Pannoniam ſuccincti fortiſſimo exercitu acceſſiſſent. Qui cum conditionem appoſitam non impleſſet, ad præſtanda clientis officia non teneri: ne tamen occaſionem ex ea re aucupatus Fridericus, Imperio ſubdere Ungariam moliretur; futuraque bella averterentur, ſedes Apoſtolica provideret. Explorata ergo re Innocentius ſanxit (d) Ungariam Rom. Imperio non ſubjectum iri, tum quod Fridericus pacta non ſervaſſet, tum quod reliquorum Chriſtianorum more ad propulſandos nominis Chriſtiani hoſtes teneretur, ut tantis ſtipendiis ad capeſſenda arma ferendaque auxilia conducendus non eſſet: propterea ſe apoſtolica auctoritate, adhibito Cardinalium conſilio, prætenſa ex hujuſmodi clientelari exhibito officio omnia jura irrita ac inania futura pronuntiare.

Proponit ſedi Apoſt. Ung. Rex Fridericum promiſſis non ſtetiſſe atque adeo Ungariam Imperio ut vectigalem non ſubiiciendam.

(d) *Lib. 3. ep. 58.*

LXXXI. *Ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod cum olim regno Ungariæ depopulato a barbaris nationibus, & Tartarorum tyrannide pene penitus devaſtato, permittente Domino vel jubente: timens ne regnum ipſum ad exinanitionem ultimam deveniret, ac deſiderans ut ipſius reliquiæ ſalvæ forent; Friderico quondam Imperatori ſub ea conditione præſtiteris homagii juramentum, ut idem in regnum tuum ad defendendum ipſum contra prædictorum impetum Tartarorum infra certum terminum potenter accederet, vel illuc ſuum filium deſtinaret; idem Fr. diu expectatus poſt terminum nec venit nec illuc filium ſuum, ut promiſerat, deſtinavit.* Ex his refellitur Pariſius (e) qui Fridericum ait immiſſo

(e) *Par. hiſt. Angl. ann. 1244.*

NOTÆ *turus*. Colloquium iſtud plane idem eſt ac congreſſus Cluniacenſis ſolemnis pontificis cum rege, de quo vetus author chronici Cluniacenſis, qui proinde male in annum MCCXLIV. illum refert. An hoc anno Lutetiam iverit pontifex, nihil legimus apud Nicolaum; quin & hac de re ambiguam rationem idem Nicolaus de Curbio ſuppeditat, qui regem cum pontifice Cluniaci tantummodo agentem memorat. MANSI



miſſo numeroſiſſimo exercitu, non ſine magnis periculis & ſumptibus Ungaria Tartaros depuliſſe. Barbaros vero Ungaria receſſiſſe, nec latius protuliſſe victorias ob Octoday Tartarorum Imperatoris veneno extincti necem ſcribit Simon (a) Minorita ad Tartaros ab Innocentio miſſus; *quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut ne hac occaſione in te vel regnum tuum poſſit a Romano Imperio aliquid in poſterum vendicari, providere indemnitati tuæ ſuper hoc paterna ſolicitudine curaremus; attendentes igitur quod quotiens aliquid ſub conditione conceditur, non extante conditione perinde ac ſi conceſſum non fuerit, ſit habendum; conſiderantes etiam, quod non eſt conquaſſatus calamus conterendus, nec debet afflictis afflictio ſuperaddi; ſed eo ſunt illis humanitatis ſolatia impendenda, quo urgentius miſerationibus indigent alienis, ut miſericordibus uberior inde creſcat cumulus meritorum; & maxime quia prædictus Frid. ad id ſicut Chriſtiani cæteri dictante hoc natura cuilibet tenebatur, propter quod non erat ad illud ſtipendio conducendus; te hujuſmodi juramento, & homagio de fratrum noſtrorum conſilio denuntiamus auctoritate præſentium non teneri: ita quod hac occaſione nihil in te, vel tuos ſucceſſores, aut regnum poſſit ab aliquo ullo unquam tempore vendicari. Dat. Lugduni* XII. *kal. ſept. ann.* III.

(a) *Apud Vincent. Specul. hiſt. l. 13. c. 33. & 34.*

Declarat Innoc. Belam dato Frid. fidei ſacramento non teneri.

LXXXII Ab Ungaricis ad Polonicas & Pruthenicas res divertamus. Promeruit Swantopelkus Pomeraniæ dux, ut Pontifex gravioribus minis ipſum percelleret. In eam temeritatem infelix princeps ſeſe conjecerat, ut graviſſimo jugo eccleſiaſticorum cervices premeret, in bona Eccleſiæ invaderet, latas cenſuras contemptu elideret, atque etiam ſcelerato cum atrociſſimis Chriſti hoſtibus; Pruthenis nimirum ac Jaczvingis Lithuaniſque, qui fœdiſſimis ſuperſtitionis antiquæ erroribus adhuc erant involuti; percuſſo fœdere, Theutonicos equites, ſacræ militiæ ad Chriſtianæ religionis latius proferendos fines conſecratos bello laceſſeret, ac non levia damna importaret. Sed quo hiſtoriæ lucem conciliemus, res nobis paulo altius repetenda eſt.

Swantopelkus fœdera cum infidelibus adverſus Chriſtianos coit.

LXXXIII. Exponit Longinus ſub anno Chriſti MCCXLII. immania Pomeraniæ ducis facinora, aitque (b) Pomerania per dolum ac tyrannidem occupata, cum a Conrado Maſoviæ duce Cruciferos adverſus Pruthenos ethnicos Polonis infeſtos excitos brevi opibus creviſſe cerneret; atque urbibus oppidiſque pluribus potitos, nobilioribus Pruthenis deletis cæteros ad baptiſmi ſacra ſuſcipienda compuliſſe, veritum ne ſe quoque ducatu adepto exuerent, Pruthenos jam baptiſmate initiatos ſubornaſſe, atque ad priſtinos errores revocaſſe: unde ii alterius Jeroboami funeſtis conſiliis artibuſque irretiti, ad idolorum cultum rediere, ac Polonos, Germanos & catholicos quoſque in Pruſſia commorantes improviſo impetu trucidavere, ac Svvantopelkum nefandi facinoris auctorem, in ducem principemque elegere. Mox ille conculcata omni religione, ambitione cœca abreptus, Pomeranorum Pruthenorumque ſuccinctus exercitu, Culmenſem ditionem invaſit, omnia rapinis, ferro, igne, cædibus delevit.

(b) *Long. hiſt. Pol. l. 7.*

Ut ex nefaria ambitione Chriſtianæ religioni magna intulerit damna.

LXXXIV. Conatus eſt Guillelmus A. S. L. a Rom. Pontifice ad ſedandum ſerpens malum miſſus, præferocem animis, atque impium principem a cœptis abducere; ſed fruſtra operam laboreſque conſumpſit; quæ pluribus auctor enarrat: emendandus tamen, dum hæc in annum ſalutis quadrageſimum ſecundum ſupra milleſimum contulit, ac Guillelmum epiſcopum miſſum ab Innocentio quarto tradit; ex temporum enim ratione impoſitam a Gregorio nono legationem geſſiſſe conſtat; pergit Longinus, ut anno Dom. MCCXLIII. compreſſa ſit Swantopelki audacia, ac Theodoricus apud Pruſſiæ Cruciferos caſtrorum præfectus, Caſimirus Cujaviæ, & Premiſlaus majoris Poloniæ duces, conjunctis copiis plures Swantopelki arces expugnarint; iſque Pomerania eiici veritus Guillelmi Apoſtolici legati opera cum illis pacem confecerit.

Repreſſi a fœderatis fidelibus ejus impetus.

Verum infidus ac perjurus princeps, ubi ſe a præſentis periculi terrore collegit, conceptum animo virus aperto furore effudit, atque anno ſuperiore ſcilicet MCCXLIV. ut religioſorum equitum & Polonorum vires adæquaret, Lithuanos Polonis conterminos, Jaczvingos, alioſque infideles in funeſti belli ſocietatem adſcivit; violatoque fœdere in Culmenſem terram equitibus Theutonicis ipſorum ſanguinis pretio de infidelibus partam irrupit, ac fœdiſſimam intulit vaſtitatem, adeo ut ea provincia Chriſti adjuncta imperio perfidi Swantopelki ſcelere in priſtinam, dæmonum idolorum cultu revocato, recideret ſervitutem.

LXXXV. Ubi triſtem accepit nuncium Innocentius illius principis ambitione religionem in Pruſſia periclitari, religioſos equites Theutonicos, ac fideles cruce inſignitos ad retundendos hoſtium conatus ineunte hoc anno excitavit (c): utque Swantopelkum ad officium adduceret, ac divelleret ab impiorum ſocietate, ardentes apoſtolico zelo paternique amoris notis inſignes literas exaravit (d).

Reſilit a promiſſis armorumque ſocietatem cum infidelibus contrahit.

(c) *Inn. l. 2. ep. 287.*

Corripitur ab Innoc.

(d) *Id. ib. ep. 185.*

*Nobili viro Svvantopelko duci Pomeraniæ ſpiritum conſilii ſanioris.*

*Potentiæ tuæ robur in eo deberes experiri potiſſime, quod eſſet Deo placitum, & Chriſtianæ religionis proferret augmentum.*

*tum. Sed tu, ſicut mirantes accepimus, contrarium efficere niteris, non abſque gravi contumelia creatoris, fideles ejus, & dilectos filios fratres hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum conſtitutos in terra Culmonſi, & Pruſſiæ partibus, diris affligendo moleſtiis; & quod eſt gravius, invadendo multoties cum paganis, ſtupent qui audiunt tanti erroris exceſſum; præſertim cum omnem tyrannidem, omnem ſuperet feritatem cum Letoinis, & Pruthenis familiam Redemptoris impetere, & contra peregrinos innoxios damnatæ gentis gladium concitare, deſtruendo negotium fidei, pro quo a longis retro temporibus & Eccleſia multum ſolicitudinis habuit, & Chriſtianus populus cum ſui effuſione ſanguinis labores multiplices toleravit. Videndum eſt tibi vir nobilis, ne propter hoc contra te provoces iram Dei, & des Apoſtolicæ ſedi præſumendi materiam, quod fidei puritate careas, & tibi ſit in gaudium, claves Eccleſiæ deducere in contemptum, ſicut patens ex eo conjectura ſumitur, quod pro afflictione cleri, eccleſiarum deſolatione multiplici, ac pro multis horrendæ impietatis exceſſibus jam per octo annos, ut aſſeritur, excommunicatione ligatus redire ad mandatum Eccleſiæ non curaſti.*

LXXXVI. Jubetur impiam ſocietatem diſſolvere.

*Te itaque per domini Jeſu Chriſti crucem & ſanguinem obſecramus, quatenus omni dilatione, & occaſione poſtpoſitis ad pium rediens matris Eccleſiæ gremium, negotium Chriſti quod in Pruſſia geritur, efficaciter habeas commendatum, prædictis fratribus, & eiſdem fidelibus te reddendo affabilem, ac eiſdem pro divina, & noſtra reverentia benevolum præſtando favorem; ut ex hoc cœli Regem conſtituas tibi propitium, & Apoſtolica ſedes, quæ Culmenſem & acquiſitas Pruſſiæ terras in jus, & proprietatem B. Petri recepiſſe dignoſcitur, ex hoc tibi ad ſpeciales gratias teneatur. Alias autem cum non poſſimus Dei cauſam negligere, qui jus ſuum ſtudemus unicuique conſervare, contra te, quod abſit, in talibus perſiſtentem exceſſibus, taliter auctore Domino procedemus, ut de neceſſitate percipias qualiter Eccleſia corde tangitur, quod per te fidei negotium ſic damnabiliter perturbatur. Dat Lugd. kal. febr. an. II.*

LXXXVII Impo' ta Gneſnen. arch. provincia ut Swantopelk. anathemate percelleret.

At ne princeps improbus, qui ad ſtabiliendum principatum religionem evertebat, pontificias preces impune reſpueret, nec ad eum in ſinum Eccleſiæ revocandum apoſtolici muneris aliquid prætermitteret Pontifex, Gneſnenſem archiepiſcopum & ſuffraganeos in impium hominem; qui Pruthenis ac Lithuanis antea repreſſis addiderat animos, ut ipſo duce in fratres S. Mariæ Theutonicorum, a quibus contuſi fuerant, audacter proſilirent; conſurgere imperavit (a) utque ducem officii ſui admonerent, contemnentem monita ſolemni ritu anathemate defigerent; ac ſi incuſſas anathematis pœnas ludibrio haberet, ut jam ab octo annis fidelium cœtu depulſus Eccleſiæ auctoritatem contempſerat, auxilia principum adverſus eum implorarent.

(a) Ib. ep. 288.

LXXXVIII.

*Ne hic hoſtis Dei & fidei perſecutor, abutens Chriſtiani nominis dignitate populum Domini ſic impune conterere glorietur, fraternitatem veſtram per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ipſum & complices ejus infra quindecim dies poſt ſuſceptionem prædictarum, quod a tanta penitus temeritate deſiſtant, ſicut efficaciter poteritis, moneatis. Alioquin ex tunc in eos excommunicationis ſententiam, omni occaſione poſtpoſita, proferatis; quam ſingulis veſtrum in ſuis civitatibus, & diœceſibus ſingulis diebus dominicis, & feſtivis, pulſatis campanis & candelis accenſis, publicetis & publicari ſolemniter; & eoſdem tanquam excommunicatos, uſque ad ſatisfactionem condignam appellatione ceſſante, faciatis ab omnibus arctius evitari. Cæterum ſi præfatus dux, qui pro multæ impietatis exceſſibus ſicut dicitur, excommunicatione ligatus jam per octo annos claves contempſit Eccleſiæ, ad inductionem veſtram & prædictorum fratrum a fidelium perſecutione non duxerit deſiſtendum, vos contra ipſum, velut Chriſtiani hoſtem exercitus ſæculare brachium invocetis. Dat. Lugduni kal. febr. ann. II.*

LXXXIX. Guill. Sabin. epiſc. deſtinatus in Pruſſia.

Meditatum porro Innocentium hoc anno in eas regiones tranſmittere ad erigendam religionis cauſam, tumultuſque exortos componendos, Guillelmum Sabinenſem epiſcopum, qui antea a Gregorio IX. miſſus poſt abdicatum Mutinenſem epiſcopatum in proferendis fidei limitibus magna induſtriæ ſuæ, ac virtutis facinora explicaverat, indicant apoſtolicæ literæ, quibus illi de partienda inter equites religioſos Theutonicos ac præſules Curlandia auctoritatem contulit (b): *Ut de terra*, inquit, *Curoniæ, ſeu Curlandiæ infra Pruſſiæ terminos, ſicut aſſeritur, conſtitutæ dilectis filiis fratribus hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum, in quibus poſt Deum eſſe dignoſcitur, ut tantum negotium ſalubriter dirigatur, ac epiſcopo, vel epiſcopis, qui pro tempore fuerint in eadem; providere valeas, prout ipſi negotio & ſaluti fidelium in prædictis partibus poſitorum expedire videris; tibi auctoritate præſentium concedimus facultatem. Datum Lugdun. non. februar. ann. II.*

(b) Ib. ep. 295. Dividendæ inter equites & Præſules Curlandiæ data illi provincia.

XC.

Hæc Pontifex ineunte anno antequam Lugdunenſem ſynodum celebraret: qua dimiſſa, cum nondum ſopitæ eſſent in Pruſſia diſcordiæ certiſſimum exitium

fidei



fidei allaturæ (ſcribit enim Longinus (a) Caſimirum Cujaviæ ducem Pomeraniam victrici exercitu percurriſſe, atque Swantopelkum & Pruthenos magna clade fudiſſe) ut tot malis modum poneret paciſque beneficio refloreſceret religio: atque etiam Pomeranos & Pruſſos ad ſinum Eccleſiæ revocaret, ad diſcordiam non armis, ſed æquitate dirimendam: Meſſanenſem abbatem, gerendæ legationis apoſtolicæ munere auctum, in eas regiones tranſmiſit, pacemque inter religioſos equites & Swantopelkum & ipſorum fœderatos conciliare juſſit (b): ac ſi diſcordias pacare non poſſet, veritatem diligentius inquireret, ut ſedem Apoſtolicam inſtrueret; indiceretque adverſis partibus certum diem, quo oratorum ſuorum opera jura ſua in pontificia aula diſceptarent: *Cum inter venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Cujavienſem, fratres domus S. Mariæ Theutonicorum in Pruſſia, & nobiles viros Poloniæ & Caminenſem duces ex parte una, & nobilem virum ducem Pomeraniæ, ac Pruſſiæ neophytos ex altera graves diſcordiæ ſint exortæ; nec ſuper his quæ pro utralibet partium fuere propoſita coram nobis, plene ſcire potuerimus veritatem; nos hujuſmodi diſſenſionis extinguere fomitem, & diſcordes ipſos ad concordiæ reducere unitatem optantes, perſonam tuam, de cujus diligentia & circumſpectione firmam in Domino fiduciam obtinemus, ad id exequendum inter alias ſpecialiter duximus eligendam; te propter hoc ad partes illas tanquam pacis angelum dirigentes. Ideoque monemus quatenus, vocatis auctoritate noſtra coram te partibus, tractes ſolicite, ac prudenter de facienda concordia inter ipſos, eamque ſi poteris juxta datam tibi a Deo induſtriam ſtudeas reformare. Quod ſi forte illas pacificare nequiveris, tu inquiſita ſuper omnibus diſcordiæ articulis diligentius veritate, quæcunque inveneris nobis fideliter referre procures, præfigendo eiſdem partibus terminum peremptorium competentem, quo per procuratores idoneos noſtro ſe conſpectui repræſentent, quod ſuper iis ſtatuendum duximus recepturæ. Dat. Lugduni II. idus octob. anno III.*

(a) Long. hiſt. Pol. l. 7. hoc ann. Meſſanenſis abbas ad conciliandam in Pruſſia diſcordiam miſſus.
(b) Lib. 3. ep. 202.

XCI. (c) Ep. 206. Quæ illi conceſſa ad rem gerendam auctoritas. (d) Ep. 197.

Injunxit aliis literis (c) apoſtolicis legato ſuo, ut ipſos arma ponere, ac paciſci inducias juberet adverſanteſque cenſuris percelleret. Illum enim diplomate (d) ampliſſimo ea inſtruxerat auctoritate, quo munus obire melius poſſet, ut præſules, clerum, populos, urbes, comites, duces, alioſque viros dignitate conſpicuos anathemate, interdictove percutere poſſet. Tum datis ad omnes cruce inſignitos, qui in iis regionibus ad edomandam ethnicorum perfidiam verſabantur legati dictis obtemperare imperavit (e) quantumvis alia imperia, ut parerent aliis excepiſſent: quare Henricum Prædicatorum familiæ religioſum virum impoſito ſibi munere, donec legatus acceſſiſſet, ſuperſedere juſſit (f). Ad pelliciendos porro ad fidem amplectendam barbaros legato demandavit (g) conceſſis ab Innocentio, Honorio & Gregorio Romanis Pontificibus prærogativis baptiſmate initiatos inſigniret.

(e) Ep. 207. (f) Ep. 208. (g) Ep. 205.

Perfunctum egregie (h) ſuis partibus abbatem legatum, quem Opizonem vocat, tradit Longinus; peragrataque Polonia in Pruſſiam & Pomeraniam ſe contuliſſe, Swantopelkum Pomeraniæ ducem Caſimiro Cujaviæ duci & cruciferis ſacramento pollicentem cum Pruthenis & barbaris adverſus Chriſtianos non conjuraturum, nec ulla publica, vel occulta commercia initurum cenſuris, quibus erat irretitus, abſolviſſe; redactiſque in unum vectigalibus, quæ in Polonia beato Petro ſolvuntur, ad Innocentium ſe recepiſſe.

(h) Longin. hiſt. Pol. l. 7. an. 1246. Concordiam inter Swantopelk. & cruciferos redintegrat.

XCII. Excitat Inn. Regem Daniæ ad defendendam contra barbaros Eſtoniam.

Protendit etiam curas apoſtolicas Innocentius ad defendendum contra ingruentes ethnicos barbaros Eſtoniam; eximiumque Daniæ Regis zelum, qui ad eam provinciam ab ethnicorum graſſationibus ac ſervitute vindicandam arma corripuerat, collaudavit (i) adjecit animos, atque ad ſuſtinendos ſacri belli ſumptus tertiam Lundenſis provinciæ decimarum partem in triennium conceſſit. Lundenſi vero archiepiſcopo provinciam tradidit (k) fideles ad capeſſenda arma Chriſtiani nominis tuendi gratia pio ardore laceſſeret. Quo porro ipſos ſacro aliquo præmio ad labores impigre ſuſcipiendos incitaret, ſimillimas indulgentias, cum ſimilis cauſa ageretur, expeditionem illam inituris propoſuit, quas in Terræ ſanctæ ſubſidium profecti lucrarentur. Ne quis porro in Dania turbas excitaret, dum ſacro bello Rex eſſet implicitus, Danum in B. Petri clientelam accepit (l) Lundenſique archiepiſcopo & cæteris præſulibus ut tuendæ ejus dignitati comprimendiſque novarum rerum cupidis, conjurationibuſve elidendis incumberent partes dedit: priorum vero literarum (m) hæc eſt ſententia.

(i) Lib. 2. ep. 345. 346. (k) Ib. ep. 47. (l) Ib. ep. 346. 347. (m) Ib. ep. 344.

XCIII. Ejus ſigna in defendenda fidei cauſa ſecuturis indulgentias proponit.

*Cum ii, qui de Eſtoniæ partibus per Dei gratiam ad fidem Chriſtiani nominis ſunt converſi, a barbaris & paganis circumſtantibus multipliciter moleſtentur; ac propter hoc chariſſimus in Chriſto filius noſter Daciæ Rex illuſtris zelo fidei & devotionis accenſus contra dictos barbaros & paganos, ſicut accepimus, viriliter ſe accingat; fraternitatem veſtram monemus & obſecramus in Domino, ac in remiſſionem vobis injungimus peccaminum; quatenus ſubjectos vobis populos moneatis atten-*

*tente & efficaciter inducatis, ut ad tantæ felicitatis bravium properantes, & ponentes cum Moyſe gladium ſupra femur contra hujuſmodi gentes idololatras, & populum murmurantem currant in ſplendore armorum Domini accincti ad ejus prælium præliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Dat. Lugduni x. kal. mart. ann. 2.*

CXIV. Res Terræ ſanctæ.

Supereſt ut de iis, quæ ad Terram ſanctam attinent, diſſeramus. Expoſuerat in Lugdunenſi, ut vidimus, ſynodo Beritenſis epiſc. Chriſtianorum Syriæ orator extremas calamitates, in quas illa felix olim regio conjecta erat: exciſas a Choraſminis Hieroſolymas: profanatum Domini ſepulcrum: Chriſtianos nullo diſcrimine trucidatos; ac Pontificem ad indicendam ſacram in barbaros expeditionem permoverat. Inde peragratis Galliis, ubi nobiles ac plebejos ſponte ad induendam contra infideles crucem excitatos magis incendit, in Angliam trajecit, ut Anglos pari zelo inflammaret. Sed a Rege illiberaliter acceptus abſcedere re infecta eſt coactus; parum vero ideo Angli Syrorum miſeriis commoti videntur, cum illi violatis induciis, quas Richardus Cornubiæ comes cum Babyloniis percuſſerat, eam ſibi calamitatem peperiſſe dicerentur, ut in ſui exprobrat literis (*a*) Fridericus.

Beritenſis epiſc. in Angliam traiicit pro eliciendis auxiliis nullo effectu.

(*a*) *Ext. in cit. MS. Vallic. bibl.*

XCV. Diſſenſio Chriſtianorum ex cidionis Syriæ cauſa.

*Dudum viro ſpectabili comite Cornubiæ, dilecto ſororio noſtro, cum honorabili comitiva nobilium Tranſalpina in ultramarinis partibus vices agente noſtras, de conſilia magiſtrorum hoſpitalis & S. Mariæ Theutonicorum & totius Chriſtiani exercitus ex parte noſtra, qui jura filii noſtri in Roman. Regem electi ſemper Auguſti, & regni Hieroſolymitani heredis ejuſdem Regis & regni moderamine fungebatur, cum ſoldano Babyloniæ ſupradicto treugas fideliter & prudenter inivit quas magiſter domus militiæ templi cum cæteris nobilibus indigenis & civibus Acconenſibus, ad ſpecialis noſtræ celſitudinis odium, non ad commune bonum habendo reſpectum, acceptare nullatenus voluerunt: quin potius more diſparium aurigarum in diverſas hinc inde partes detrahendo vehiculum, tandem prout eventus rerum edocuit, in præcipitium demum vectores & ſarcinam deduxerunt. Hoc quidem vos latere non credimus fuiſſe præcipuam, immo ſolam originem morbi præſentis & cauſam, quæ ſoldanum Babyloniæ, continuis etiam poſtmodum injuriis laceſſitum, ad quærenda remota ſuffragia & deſperanda coegit, &c.*

XCVI. Cæterum Choraſmini a Babylonio incitati in noſtros non ſuperiore modo anno Hieroſolymas oppreſſere, aliaque ingentia mala intulere; verum hoc anno Damaſcenum ſultanum Chriſtianorum fœderatum aggreſſi regiam ipſius urbem Damaſcum, ut ſcribit Pariſius (*b*) expugnarunt; adeo ut auctis viribus ad totius Syriæ dominium aſpirarent. Ad frænandas ergo Choraſminorum ac Babyloniorum victorias, recuperandaque amiſſa fideles in arma ſacra concitati; de Germanis quidem hæc refert Albertus Stadenſis (*c*): *Papa per totam terram Theutoniæ lugubrem literam principibus eccleſiaſticis deſtinavit, conquerens flebiliter, quod a gente quadam Sarracena, quam Choraſminorum populum appellavit, ſepulcrum Domini eſſet enormiter violatum, ita ut plurimi, immo fere omnes hanc literam audientes intellexerint venerabile monumentum Domini ab eiſdem infidelibus deſtructum funditus & everſum, & locum ſanctum in planitiem jam redactum: & in eadem litera fideles ſolicitari præcepit, ut ſe crucis inſignirent charactere contra ipſos.* Hæc ille. At non in Germaniam modo, verum in alias quoque Chriſtiani orbis regiones tranſmiſſæ eæ literæ; tum decretæ plures legationes, virique pii ad promovendam ſacram expeditionem deſtinati, inter quos Otho Tuſculanus epiſcopus mox a perfecta ſynodo Lugdunenſi in Francorum Regis aulam tranſmiſſus, ut refert Nangius (*d*). Cujus ſtrenua opera non modo S. Rex, ſed plures alii principes bello ſacro ſe accinxere.

(*b*) *Par. hiſt. Angl.* Damaſco potiuntur Choraſmini. Pontificis ſtudium pro recuperandis Hieroſolymis. (*c*) *Stad. in chron. ann.* 1245.

(*d*) *Nang. in geſtis S. Ludov. Franc. Regis eod. an.*

XCVII. OdoCard. in Gall. legatus miſſus. Solemnes a Rege ordinum habiti conventus.

*Sequenti menſe auguſti poſt concilium deſtinavit Pariſios Innocentius Papa magiſtrum Odonem de caſtro Radulphi epiſcopum Tuſculanum ſedis Apoſtolicæ legatum, qui prius Pariſienſis cancellarius fuerat, ut per totam Franciam prædicaret, quatenus nobiles Francigenæ bellatores pro liberatione Dominici ſepulcri & urbis ſanctiſſimæ Hieruſalem, de qua noſtros Chriſtianos Groſſoini infideles, ut ſupra dictum eſt, expulerant, ſignum crucis acciperent ſacroſanctæ. Eodem anno infra octavas ſancti Dionyſii convocavit Rex Francorum Ludovicus grande Pariſiis parlamentum, in quo prædictus legatus & plures regni Franciæ archiepiſcopi, pontifices, & abbates, barones quoque, & comites affuere; & tunc ad præfati legati prædicationem & Chriſtianiſſimi Franciæ Regis Ludovici exhortationem Jubellus Rhemorum archiepiſcopus, Philippus Bituricenſis archiepiſcopus, Robertus Belvacenſis, Garnerus Laudunenſis, Guillermus Aurelianenſis epiſcopi; dominus Robertus frater Regis Franciæ comes Atrebatenſis vir clariſſimus, Hugo de Caſtellione comes ſancti Pauli, & Bleſenſis; Galsherus nepos ejus, Joannes de Piarris vir nobilis, Petrus comes Britanniæ, Joannes filius ejus, Hugo comes Marchiæ, Joannes Montis fortis, Radulphus de Conciaco, & multi alii tam clerici, quam laici, etſi non omnes ſimul, proceſſu tamen temporis ſignum crucis dominicæ aſſumpſerunt.*

Sacro bello ſolemni ritu ſe devovet S. Lud.

XCVIII. Affert Pariſius (*a*) pium ac venuſtum S. Ludovici facinus, qui feſti natalitii Domini nocte famulitium regium piam illius fraudem non animadvertens, cruce inſignivit. Quam facetam hiſtoriam ex ipſo decerpere juvat: *Appropinquante & imminente præclaræ dominicæ nativitatis feſtivitate, qua mutatoria recentia, quæ vulgariter novas robas appellamus, magnates ſuis domeſticis diſtribuere conſueverunt; dominus Rex Francorum crucis ſignifer officium prædicatoris procuratoriſque negotii Crucifixi novo modo ſibi aſſumens, capas cum ſuis pertinentiis de pretioſiſſimo panno multo plures, quam moris habuit, cum pellibus variis imponendis juſſit comparari; & de ſubtili auriphrygio factas in locis caparum humeralibus cruces inſui opere furtivo ac nocturno prudenter curavit & imperavit: & mane cum adhuc ſol nondum oriretur, milites capatos capis regiis juſſit cum ipſo Rege miſſam audituros comparere. Quod cum feciſſent, & mane ne ſomnolentiæ aut pigritiæ redarguerentur in Eccleſia miſſis celebrandis intereſſent, quilibet in alterius humeris crucis inſutum ſignaculum intuetur: fit jucunda admiratio, ac tandem comperiunt, quod pie ſophiſticatos decepit eos dominus Rex, novum & nunquam auditum iniens prædicatoris officium, factus potius realis prædicator quam verbalis. Cumque eis indecens ac turpe, immo indignum videretur ipſas cruces deponere, riſum nec tamen deriſum cum jucunda lacrymarum effuſione facientes, dominum Regem Francorum propter hoc factum peregrinandorum venatorem, & hominem novum vocaverunt piſcatorem.*

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.* Pium & facetum illius in conſignanda cruce reg. famil. facinus.

XCIX. Meminit etiam ſuſceptæ a S. Rege ſacræ militiæ Cantipratenſis, (*b*) qui oſtentum crucis in cœlo divinitus expreſſæ, ac radiantis enarrat; quod ipſe ſuis oculis hauſit: *Ego fidelium noviſſimus, antequam piiſſimus Ludovicus Francorum Rex anno ab Incarnatione Domini * MCCXLVI. crucem tranſmarinam ſuſciperet, crucem in cœlo ex clariſſimo & ſidereo lumine vidi; nec recolo me decentius & operoſius formatam crucem unquam ſub aliqua materia, vel figura vidiſſe: octenos habere cubitos crucem ipſam in longitudine, mihi pleniſſime viſum eſt. Serenum cœlum erat valde, & ſine aliqua nube in aliqua parte: ſui ſub noſtro horizonte cœlum erat coloris unius.* Hæc Cantipratenſis. Ut vero arcano divinæ providentiæ conſilio ea expeditio divinis auſpiciis conflata, poſt felices initio ſucceſſus, triſtes exitus habuerit, ſuo loco dicetur.

(*b*) *Th. Cantip. l. 2. c. 3. n. 9.*

* MCCXLIV.

I. AFfulſit meliorum ſpes anno Chriſti quadrageſimo ſexto ſupra milleſimum ducenteſimum indictione quarta ſub novi Romanorum Regis auſpiciis, qui tyranni potentiam contudit in Germania, certatim populis ad Eccleſiam brachia tendentibus; Ruſſorum Rege abjecto Græcorum ſchiſmate ad eam convolante: Norvego obſequia ſua pro Chriſti proferendo ac dilatando nomine deferente. Utque primordia novi Regis, quem hoc anno in Friderici locum ſubrogatum Stadenſis (*a*) Pariſius (*b*) Stero (*c*) Siffridus (*d*) aliique auctores conſentiunt, attingamus. Is fuit Henricus Lantgravius Thuringiæ D. Elizabethæ levir, qui non imperialis diadematis fulgore perſtrictus, ſed liberandæ perſecutoris tyrannide Eccleſiæ ſtudio inflammatus, arduum opus, periculis plenum ſuſcepit. Reſpuit aliquandiu promiſſum honorem, qui maximis diſcriminibus horrebat, tandemque pontificiis precibus evictus aſſenſit. Extant Innocentii ad principes electores literæ, quibus injunxit (*e*), ut cum vacaret rectore Imperium, divino præſidio freti Thuringum ad Eccleſiæ & Imperii defenſionem paratum in Regem Romanorum Imperiale poſtea faſtigium adepturum eligerent.

(*a*) *Stad. in chr. an.* 1246.
(*b*) *Par. hiſt. Angl.*
(*c*) *Stero in annal. apud Caniſ. antiq. lect. t.* 1. *pag.* 267.
(*d*) *Siffrid. ep. l.* 2.
Hortatur Inn. principes electores ut Lantgravium Thuring. Imp ſalutent.
(*e*) *Inn. l.* 3. *ep. cur* 4.

*Archiepiſcopis, & nobilibus viris aliis principibus Theutoniæ habentibus poteſtatem eligendi Romanorum Regem & in Imperatorem poſtmodum promovendum.*

II. Pontificis ea de re lit.

*Quia inter cæteros orbis principes honorem Eccleſiæ ac Imperii Rom. tenemini ſpecialiter procurare: noſque firma credulitate ſperamus, quod ad exaltationem utriuſque tanquam fide præclari & devotione ſinceri ſolicite intenditis, & ferventer, eo confidentius vos ad id requirimus & hortamur, quo noſtris in hac parte beneplacitis libentius & promptius vos credimus parituros. Hinc eſt quod cum dilectus filius nobilis vir Lantgravius Thuringiæ ad honorem Dei, & Eccleſiæ, ac Chriſtianæ religionis præſidium Imperii prædicti negotium aſſumere ſit paratus, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur, attente mandantes, in remiſſionem peccaminum injungendo, quatenus de gratia Spiritus ſancti confiſi eundem Lantgravium in Romanum Regem, & in Imperatorem poſtmodum promovendum, cum præfatum Imperium ad præſens vacare noſcatur, unanimiter abſque dilationis diſpendio eligatis; intendentes ſibi fideliter & conſtanter, ac viriliter aſſiſtentes ad laudem, & gloriam Dom. Jeſu Chriſti, catholicæ fidei, & Eccleſiæ libertatis augmentum, & tranquillitatem totius populi Chriſtiani. Nos enim ejuſdem Imperii ac veſtra & aliorum principum Theutoniæ negotia curabimus, auctore Domino, indefeſſa ſolicitudine promovere. Dat. Lugd.* XI. *kal. maii ann.* III.

III. Abhorrebant a creando novo Rege Romanorum Bohemiæ Rex, Bavariæ, Brabantiæ, Brunſvici & Saxoniæ duces, Miſniæ & Brandeburgi marchiones; quos (*f*) monuit Pontifex, ut paribus animis in renuntiando futuro Imperatore conſentirent: qua de re inſcriptæ extant Regi Bohemiæ literæ (*g*) quibus ipſum precibus flectere nititur, ut tot malis, quæ Fridericus Eccleſiæ inflixerat, moveretur, atque ad comprimenda bella, quibus Chriſtiana reſpublica laniabatur, cum cæteris principibus in eligendo principe catholico operam collocaret: *Serenitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus pie penſans quam dura perſecutione Dei Eccleſiam Frid. quondam Romanorum Imperator olim afflixerit, & adhuc conceptæ malitiæ proſecutor affligere non deſiſtat; & quanta commotione guerrarum, velut fervens pacis æmulus, quam plures provincias Chriſtianorum quaſſaverit, & concutiat inceſſanter; conſiderans etiam quod ſi præfato Imperio fuerit, divina operante clementia, de catholico & devoto Imperatore proviſum, & ipſius Eccleſiæ ceſſabit tribulatio & pacis tranquillitas reddetur populis Chriſtianis; totius diligentiæ ſtudium adhibere procures, ut electio de Romano Rege, in Imperatorem poſtmodum promovendo, unanimiter abſque dilationis diſpendio celebretur, ita quod ex hoc grande a Deo præmium & uberiorem ab Apoſtolica ſede favorem conſequi merearis. Dat. Lugduni* XI. *kal. maii anno* III.

(*f*) *Reg. poſt ſeq. ep.*
(*g*) *Ib. ep.* 5.
Solicitat Regem Bohem. ut novi Imp. creationi conſentiat.

IV. Divelli a tyranni partibus ex iis plures non potuere, verum ab aliis proceribus præcipueque eccleſiaſticis ſtrenue adeo navata opera, ut Henricus Lantgravius Thuringiæ e Caroli magni, ut ferunt, ſtirpe procreatus, ſingulari pietate conſpicuus Rex Romanorum fuerit ſalutatus; cujus rei geſtæ tempus & locum ita conſignat Stadenſis (*h*): *Anno Domini MCCXLVI. Henricus Lantgravius Thuringiæ juxta Herbipolim in aſcenſione Domini a Maguntino & Colonienſi, & quibuſdam principibus in Regem eligitur.*

Henricus Lantgr. Thuring. Rom. Rex ſalutatur.
(*h*) *Albert. Stad. in chron.*





[1] Pervaſit mox rei fama ad Pontificem, qui ingenti gaudio delibutus gratias ſummas Deo egit. Spes enim eximia affulgebat novum Romanorum Regem Friderici impetus compreſſurum, ac Maguntino archiepiſcopo, qui rem diligenter promoverat, & de novi Regis creatione fecerat certiorem, reſcripſit (*a*): collaudatoque eximio ipſius ſtudio gratulatus eſt, & concepta gaudia patefecit, Lantgravium Thuringiæ magno conſenſu principes ad Imperium extuliſſe: injunxitque, quoſcumque poſſet ad ipſius partes pelliceret, utque ab omnibus fulciretur incumberet: proximum Romanæ Eccleſiæ auxilium non defuturum.

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 24.

*Archiepiſcopo Maguntino.*

V. Apoſtolicum ſtudium ad illius res promovendas pollicetur Innocentius.

*Literis affectuoſe receptis ex earum tenore collegimus, quod dilectus filius nobilis vir Lantgravius Thuringiæ communi conſenſu principum in Romanum eſt Regem electus, & gerit publice ſe pro Rege: ſuper quo ei, qui ſuorum vota inſpirando prævenit, & proſequitur adjuvando, dignas gratiarum referimus actiones. Sane Imperii Romani negotium ſucceſſibus dirigi proſperis ardenti deſiderio cupientes, ſic tota mente, ſtabilique propoſito ad illius promotionem, ex quo ipſum idem Lantgravius aſſumpſit, intendimus, ut ad id providentia concilii, auxilii robore, & favoris vigore volumus perſeveranter inſiſtere; ac plus etiam factis Regi eidem adeſſe, dictumque juvare negotium, quam promiſſionibus exprimamus. Ideoque fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus Regem ipſum attente monere, efficaciter inducere, ac multipliciter confortare procures, ut de virtutis divinæ ſuffragio, & de ſedis Apoſtolicæ favore, confiſus præfatum negotium, quod jam animoſe ſuſcepit, ſtrenue ac viriliter proſequatur. Alios inſuper Theutoniæ principes tam eccleſiaſticos, quam ſæculares juxta datam tibi a Deo ſtudeas prudentiam animare, ut prædicto Regi plene ac fideliter intendentes, potenter eidem ac patenter aſſiſtant, ita quod negotium ipſum, annuente Domino, proſpere inchoatum poſſit ejuſdem cooperante gratia fine laudabili conſummari. Circa exhibitionem quoque promiſſi a nobis ſubſidii, nullus reperietur ex parte noſtra defectus, cum pro conſummando eodem negotio intendamus etiam ad majora. Regi autem præfato nondum ſcripſimus pro eo quod ſolemnes ipſius nuntios expectamus, cum quibus de iis, quæ ipſi negotio videbimus opportuna, plenarie diſponamus. Datum Lugduni* V. *idus jun. ann.* III.

VI. Tranſmiſiſſe paulo poſt novum Regem ad Innocentium ſuos oratores, ut ſua Eccleſiæ obſequia devoveret; exceptoſque perhumaniter pontificiæ ad Henricum ſcriptæ literæ (*b*) oſtendunt: ad cujus promovenda felicia auſpicia, magna ſtipendia, ut bellicum apparatum in hoſtem Eccleſiæ adornaret, Pontificem ſuppeditaſſe, Pariſius (*c*) & Siffridus (*d*) referunt: cum vero plurimum ad permovendos populos poſſit religio, Henrici milites cruce inſigniri juſſit, quam Albertus (*e*) Stadenſis a Maguntino archiep. accepiſſe ait, ac literæ (*f*) ad Tuſculanum epiſc. A. S. L. miſſæ oſtendunt: ad deterrendos vero eos, qui Friderici partes ſectarentur, diebus ſacris vibratum anathema in Fridericum partiumque illius ſequaces promulgari juſſum; (*g*) ac terræ, quæ iis parerent, eccleſiaſtico interdicto percelli: qua de re ad Arelatenſem & Viennenſem (*h*) archiepiſcopos miſſæ literæ, quas encyclicas fuiſſe magno argumento eſt. Tum Ferrarienſem electum legati Apoſtolici dignitate auctum in Germaniam miſit, (*i*) ſummaque auctoritate ſtatuendi, quæ de re Eccleſiæ fore arbitraretur, inſtruxit: *Nos tibi, de cujus providentia & diſcretione firmam in Domino fiduciam obtinemus, plenæ legationis officium in Theutoniæ partibus duximus committendum, conceſſa tibi libera poteſtate, ut evellas & deſtruas, diſſipes & diſperdas, ædifices & plantes, prout ſecundum Deum videris expedire, &c.*

Henrici oratores ab Inn. excepti.
(*b*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 25.
(*c*) *Par. hiſt. Angl.*
(*d*) *Siffrid. l.* 2.
(*e*) *Stad. in chron.*
(*f*) *Innoc. l.* 4. *ep.* 19.
Conſignati cruce Henrici milites.
(*g*) *Lib.* 4. *ep.* 348.
(*h*) *Reg. poſt eand. ep.*
(*i*) *Innoc. l.* 4. *ep. cur.* 1.

NOTÆ

[1] ANnum, quo Henricus Thuringius in regem electus fuit, recte cum præſenti 1246. componit hic annaliſta; qua in re veteres omnes coævi ſcriptores conveniunt. Nec minus conſtat de menſe, majo enim aſſumptum ad eam dignitatem exploratum eſt. Diem vero Aſcenſionis Domini electioni huic conſtituit Stadenſis; idque feſtum anno iſto in diem XVII. maii incidit. Sed cum veteres iſti chronologi non ſemel diei feſto aſſignent quod intra ejus octavam peractum eſt, ideo certiora quoad diem electionis hujus afferre credo Anonymum Erfordienſem, quem coævum cenſeo, ita ad hunc annum adnotantem: *Hoc anno XI. Kal. junii* (nempe die XXII. maii) *Heinricus Landgravius juxta Herbipolim in villa Hoheim domini papæ authoritate a Moguntino, & pluribus epiſcopis, & principibus in Romanum principem electus fuit.* Habes hic nomen loci ubi electio facta eſt, quod ab aliis omnibus ſiletur. Electioni huic præſentem adfuiſſe epiſcopum electum Ferrarienſem affirmat Nicolaus de Curbio; ex quo erroris revincitur annaliſta, qui Ferrarienſem electum eo deſtinatum ante electionem Thuringii, ſed nonniſi poſt electionem illam miſſum affirmat. Idem pariter de die electionis cum die XXII. maii conjungendo prodit ipſemet Henricus in literis, quas de hac electione ſua dedit ad Mediolanenſes, vulgatis in collectione Hahanii to. I. pag. 248. *Tercia feria poſt Domini aſcenſionem principes concordi & unanimi voluntate nos circa Herbipolim in regem Alemanniæ & Romanum principem elegerunt.* MANSI

Ferrarienſis electus in Germaniam legatus miſſus.

*&c. Dat. Lugduni* III. *non. jul. ann.* IV. Et quo legato ſuo majorem auctoritatem apud Germanos conciliaret, ad omnes, qui honorum infulis fulgerent, vel populis in gradu aliquo eminerent, ſcriptis literis commendavit: (*a*) legati imperia capeſſerent, quem, ut libentius ad ipſius conciones ſacras concurrerent, hoc privilegio exornavit (*b*): *Diſcretioni tuæ, ut quoties in eiſdem partibus contigerit te fidelibus proponere verbum Dei, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad tuam prædicationem acceſſerint, viginti, vel quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis, ſicut expedire videris, relaxare valeas, ut ex hoc ad audiendum verbum ipſum copioſior populi confluat multitudo, auctoritate præſentium tibi duximus concedendum.*

(a) Lib. 4. ep. cur. 2.
(b) Lib. 3. ep. cur. 15.
Impertiendarum indulgentiarum privilegio auctus.

VII. Demandata illi provincia Germanos in novi Regis obſequia adigendi.

Decreverat jam ante, quam Henricus Imperium capeſſeret, eam legationem: Ferrarienſique electo partes dederat, ut Germanos eccleſiaſtica vel civili dignitate ſpectabiles, incuſſo cenſurarum, pellendique ipſos ex honorum gradu terrore, in obſequia illius, qui electus fuiſſet, compelleret (*c*): *Cupientes Imperii negotium Romani, ſuffragante divina gratia, laudabiliter promoveri, diſcretioni tuæ, ut poſtquam de Romanorum Rege in Imperatorem poſtmodum promovendo extitit electio celebrata, univerſos tam eccleſiarum ſæcularium & regularium prælatos, quam principes, & alios clericos & laicos per Theutoniam conſtitutos, ut ei, qui electus fuerit, efficaciter intendant, fidelitatis juramenta præſtent, ac omnia exhibeant, quæ conſueverunt ab eis Romanis Regibus, ſeu Imperatoribus exhiberi; dictos prælatos & clericos monitione præmiſſa per ſuſpenſionis ab officio, dignitate, honore ac beneficio ſententiam; præfatos vero principes & laicos per pœnam ſpiritualem & temporalem valeas, ſi fuerit neceſſe, compellere, auctoritate præſentium duximus concedendum, &c.* Præcipit clericis & prælatis, quibus ob negatum novo Regi obſequium muneris uſum abrogarit, peremptorium diem apud ſedem Apoſtolicam indicat, ut ſententiam pontificiam excipiant; denuntietque, ſi abfuerint, exauctorandos, pœniſque aliis percellendos. *Datum Lugduni* x. *kalen. maii anno* III. quo etiam die ad Prædicatores & Minoritas ſcripſit, cum pietatis prudentiæque exiſtimatione florerent, multaque apud populos pollerent auctoritate, ut novi Regis partes tuerentur, ac Romanæ Eccleſiæ, quæ ſingulari ipſos benevolentia complectebatur, vicem referrent: atque occaſione captata, prudenter Germanos ad novi Regis capeſſenda imperia, cum primum electus eſſet, publice occulteque hortarentur (*d*); ipſoſque eo facto criminum veniam a Deo promerituros ſignificarent.

(c) Ib. ep. 6.
(d) Ib. ep. 7.

Nec minus poſtea cum celebratæ electionis fama emanaſſet, apoſtolicis literis Germanos ad Henrici Regis imperia traducere ſtuduit: ac nobilitatem Germanicam monuit ſe legato cenſuras in perduelles diſtringendi auctoritatem, imperiumque contuliſſe (*e*): *Cum dilectus filius nobilis vir Lantgravius Thuringiæ in Regem, Dei operante virtute, qui ſuorum vota inſpirando prævenit & adjuvando proſequitur, ſit aſſumptus, nobilitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus Regem ipſum totius honorificentiæ debito proſequentes, eidem, cujuſlibet contradictionis & difficultatis amoto repagulo, prompte ac fideliter intendatis.* Et repetitis aliis litteris (*f*) principes ac nobiles viros hortatus eſt, Lantgravii in Romanorum Regem electi partes defendendas ſuſciperent, ac ſtrenue in ipſius adverſarios dimicarent: nunquam ſedem Apoſtolicam, vel quandiu Henricus ſupereſſet, ſive e vivis diſcedere contingeret, ipſis auxilio defuturam. VIII.

(e) Ib. ep. 24.
Pellicere nititur Pont. Germanos in partes Henrici.
(f) Ep. 16. 17.

Inter cæteros Regem Bohemiæ, qui armis opibuſque florebat, trahere in partes Henrici ſtuduit; ac legato præcepit (*g*) ut ad ipſum flectendum apoſtolica auctoritate veteretur; eodemque deſiderio amplificandarum rerum novi Imperatoris adductus Magdeburgenſem archiepiſcopum, cui diem dixerat, atque ad diluenda objecta crimina exciverat, (*h*) indulſit ſcriptis ad legatum literis (*i*) ſi ad juvandum armis Henricum Romanorum Regem ita ſeſe egregie compararet, ut magnæ utilitati Henrico futurus videretur, ad pontificium tribunal ſe conferre non teneretur.

(g) Ib. ep. 6.
(h) Ep. 20.
(i) Ep. 21.

Diffuderat jam ſe creati novi Romanorum Regis fama, nec levi terrore Fridericum percuſſerat, ne uti ipſe Othonem a ſummo Pontifice adjutus Imperio deturbarat, ita ab Henrico Eccleſiæ præſidio ſuffulto exueretur: quare né mora novi Regis res creſcerent, Conrado filio præceperat collectas raptim copias, ad eum opprimendum duceret. Paruit Friderico Conradus, ſed inito cum Henrico prælio fuſus fugatuſque eſt. Commiſſas acies prope Francofurdum ait Stadenſis (*k*); regia quippe comitia in ea urbe indixerat Henricus, quo cum ſe florentiſſimo exercitu ſuccinctus conferret, auſus eſt Conradus ipſi occurrere eumque laceſſere: at mox temeritatis pœnas, amiſſo exercitu, luit; ingens ſuorum ſtrages edita, pluresque viri nobiles, centuriones, tribuni, ac præfecti in victoris poteſtatem venere. His conſentanea tradunt alii (*l*) hiſtorici, & confirmare videntur Henrici literæ, quas ad Ravennatem archiepiſcopum dedit, (*m*) quibus felicium ſucceſſuum certiorem facit, ut in Sueviam movere cœperit, mandatque ut a Friderico ex Romaniola, Faventia, Ravenna, Arimino, aliiſque urbibus & oppidis ejectos colligat, commodis ipſorum conſulat; atque ad recuperanda de hoſte amiſſa incendat: ſe quamprimum quid ex ipſius & Inſubrium re fuerit, oratorum opera ſignificaturum. IX.

Conradum Henricus profligat.
(k) Stad. in chron.
(l) Pariſ. loc. cit. fragm. hiſt. incert. auct. Mon. Pat. chron. lib. 2.
(m) Apud Hier. Rub. hiſt. Ravenn. l. 6.



X. *Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus dilecto principi ſuo venerabili patri archiepiſcopo Ravennati gratiam ſuam, & omne bonum.*

Ravennatem arch. hortatur ut ejectis a Frid. præſidio ſit.

*Cum inter cæteros mundi prælatos ſis membrum ſacri Imperii ſpeciale, honeſtatem tuam decet merito eſſe ſolicitam, & intentam ad ea, quæ noſcuntur ad promotionem negotiorum Eccleſiæ, & Imperii pertinere. Specialem itaque ſuper ea de te fiduciam detinentes, ex probitate perſonæ tuæ maxime noſtris auribus inſtillata; devotionem tuam requirimus attentius & monemus, quatenus viros nobiles, qui de Arimino, Ravenna & Faventia, & aliis civitatibus & caſtris Romaniolæ per Fredericum quondam Imperatorem, tunc ſuper eos regnantem, ex domibus propriis ſunt ejecti, ac bonis omnibus ſpoliati, quantum ſcis & potes, debeas conſilio & auxilio confovere; ac eos efficaciter inducere non deſinas, ut ipſi unanimiter ad confuſionem ſuorum inimicorum, & recuperationem rerum ſuarum, quantum poſſint, operam exhibeant efficacem. Quia tamen, ſicut accepimus, dilectorum fidelium noſtrorum Ravennat. auxilium contra eos eſſe præ cæteris opportunum.. nos eis ſuper hoc noſtras dirigere literas ſpeciales, quas eaſdem per te ex parte noſtra petimus & volumus præſentari.. volumus & mandamus, ut ad ea feliciter exequenda, ipſos nomine noſtro, ſecundum collatam tibi a Deo prudentiam moneas efficaciter & inducas. Noſtrorum quoque actuum ſtatum, & qualiter Sueviam hoſtiliter invadamus, jam fere omnibus illius terræ nobilibus ad pedes noſtræ celſitudinis inclinatis; & quid de tuo, & aliorum Lombardorum negotio in brevi agere diſponamus, tibi quam cito per ſolemnes noſtros nuntios curabimus deſtinare. Datum Vvartlt pridie kalend. decembr. indict.* V.

Significat Sueviam ſibi ſubjicere.

Procumbebat Germania in novi Imperatoris obſequia, certatimque urbes ſeſe illi dedebant, penituſque, ut teſtatur monachus Patavinus, (*a*) Conradum Germania pepuliſſet, tranquilloque eſſet potitus Imperio, niſi Bavariæ dux acceptæ injuriæ immemor, cum ejus parentem Aſſaſinorum opera Fridericus peremiſſet; quod facinus crudele ab Innocentio objectum Friderico in lata adverſus ipſum ſententia vidimus; accepta clade perculſum Conradum recreaſſet, reſque ipſius afflictas reſtituiſſet. Trithemius (*b*) in Italiam fugatum tradidit.

(a) Monach. Patav. chr. ubi ſupr.
Conradus ad ducem Bavariæ confugit.
(b) Trith. in chr.

XI. Quo vero ſtudio Innocentium in Germania legati opera ad ſtabiliendum Henrici ſolium incubuiſſe vidimus, ita ad potentiam Friderici, ſynodi ſententia abdicati Imperio, in Italia ac Sicilia infringendam illud conferebat. Ad quod perficiendum duos Cardinales S. tit. ſanctæ Mariæ Tranſtyberim presbyterum ac R.. ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconum legatos ſumma auctoritate inſtructos miſit; & quidquid gererent ratum ſe habiturum pontificio diplomate declaravit (*c*). Apoſtolicas quoque ad Siciliæ præſules, optimates, ac populos literas miſit (*d*); ad quorum conciliandam gratiam, ipſoſque in Fridericum concitandos, eam inter cæteras demandatæ legationis rationem inſinuavit, ſe erga ipſos pietate motum, quod tandiu ſub Friderici tyrannide ingemiſcerent; ad eos in priſtinam libertatem vindicandos, atque in Romanæ Eccleſiæ gratiam reſtituendos, provinciam illam Cardinalibus contuliſſe.

Duos Cardinales legatos in Siciliam mittit Innocentius.
(c) Lib. 3. ep. cur. 22.
(d) Ib. ep. 8.

*Archiepiſcopis & epiſcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis & aliis eccleſiarum prælatis; & nobilibus viris comitibus, baronibus, militibus, & populis civitatum, caſtrorum & locorum per regnum Siciliæ conſtitutis.*

Excitat Siculos ad recuperandam libertatem.

*In omnem terram veſtræ ſonus tribulationis exivit, & in fines orbis terræ compaſſione digniſſimi veſtri gemitus proceſſerunt, multis pro miro vehementi ducentibus, quod preſſi tam diræ ſervitutis opprobrio, & perſonarum ac rerum gravati multiplici detrimento neglexeritis habere conſilium, per quod vobis, ſicut gentibus cæteris, aliqua provenirent ſolatia libertatis. Verum ſuper hoc apud ſedem Apoſtolicam vos excuſante formidine, quæ corda veſtra ſub alterius Neronis videbatur dominio poſſidere, ſedis ejuſdem pietas ſæpe multis, quæ materna ſuggerere ſolet affectio, vacavit ingeniis, ut per ejus auxilium vel aliqua vobis pœnarum remiſſio fieret, vel plenæ redemptionis gaudium proveniret. Propter hoc enim piæ recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter anguſtias cordis pertulit, quouſque temporalis vitæ ſpatium pertranſivit: propter hoc etiam nos ipſi adhuc in minori manentes officio, & poſtquam, licet immeriti, fuimus in paſtorem Eccleſiæ generalis aſſumpti, profunda fundimus & amara ſuſpiria, voce cordis clamantes ad Dominum, quod vos in diebus noſtris dignanter efficeret de numero liberorum.*

*Cum autem nimis in longum fieret deſiderii noſtri protenſio, ut miniſter fallaciæ Fridericus, turbator ſæculi, fidei Chriſtianæ contemptor, perſecutor Eccleſiæ, & humilitatis veſtræ depreſſor aſſiduus a ſolitæ perverſitatis operibus fieret alienus, ad remota loca ſub laborum & dolorum experientia plurimum elegimus proficiſci: ubi poſt expectationis longæ tædia cognoſcentes,* XII.

*tes, quod dictus perſecutor hoc ſolum exquireret, ut deleret Eccleſiam, vel ipſam cum ejus filiis aſtrictam redderet neceſſitatibus lacrymoſis, ipſum de ſacri approbatione concilii tanquam obſtinato corde nolentem ab iniquitate reſurgere digne privavimus regnorum, & Imperii dignitate; concepta de divina pietate fiducia, quod veſtris præcipue ac plurium aliorum anguſtiis daretur exitus ſalutaris: qui cum venturus in proximo per Dei gratiam jam ſperetur, commoto contra impium orbe terrarum, oppoſitis ei pluribus regni nobilibus, qui ſibi, & vobis, ac poſteris optant ſolatia libertatis; univerſitatem veſtram per Dei miſericordiam obſecramus, & in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus nobis & fratribus noſtris ſuper afflictione veſtra gementibus feſtinam ſuper eo præbeatis lætitiam, quod damnati hominis abdicato dominio, cui penitus in nullo tenemini, per nos a juramento fidelitatis totaliter abſoluti, ad gremium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris veſtræ, cujus eſtis ſpeciales filii ceſſantibus quibuscunque diffugiis redeatis: præſertim cum nos juxta quod in Deo poterimus, vobis ſemper ſubvenire parati, duos legatos ſolemnes, ſcilicet dilectos filios noſtros S.. tit. ſanctæ Mariæ Tranſtyberim presbyterum, & R.. ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconum Cardinales, viros utique ſapientia præditos & conſpicuos diverſitate virtutum, hujuſmodi promotioni negotii duximus deputandos, conceſſo eis plenæ legationis officio, ſicut ex aliis literis, quas ſuper hujuſmodi negotio vobis mittimus, plenius colligetis; ſcituri quod nos pro veſtra generali procuranda ſalute, quod ad præſens expedire credimus, ſubſidium deſtinamus.*

XIII. *Ecce quid vobis, qui ſub laborum pœnalium preſſura gemitis; ac per exactiones, & collectas aſſiduas veſtram exinaniri ſubſtantiam deploratis; ad ſalutem expediat, quid de vobis anima noſtra deſideret, aperte cernitis, & manifeſte ſentitis. Cogitate itaque corde vigili, ut a collo veſtræ ſervitutis catena decidat, & univerſitas veſtra in libertatis & quietis gaudio refloreſcat; ſitque rumor in gentibus, quod ſicut regnum veſtrum nobilitate multa & mira eſt ubertate conſpicuum, ita divina favente potentia ſecura ſit libertate decorum. Dat. Lugduni* VI. *kal. maii ann.* III. Poſterioribus vero literis de eadem legatione loquens certiores fecit (*a*) commiſſam Cardinalibus auctoritatem, ut eos cenſuris, quibus irretiti ob præterita tenebantur, liberarent; contraherent contra Fridericum copias, omniaque tam in humanis quam divinis perficerent, quæ divinæ gloriæ ipſorum utilitati libertatique aſſerendæ conducerent.

(*a*) *Ib. ep.* 11.

XIV. Siculi a Friderico deficiunt.

Pontificiis literis excitati Siculi, ac legatorum ope freti diuturna vincula abrupere, ac pro Eccleſiæ dignitate, ſuaque defendenda ſalute, ac libertate ſtrenue in Fridericum Theobaldo duce arma capeſſivere: quibus Innocentius gratulatorias haſce literas (*b*) miſit: *Illuſtravit ſuper vos faciem ſuam Dominus, veſtras a Pharaonis dominio ſubducendo perſonas, & eas illorum operum applicando ſtudiis, in quibus ad ſalutem regni Siciliæ procuratur honor & tranquillitas Eccleſiæ generalis: de hoc autem in conſolatore mœrentium domino Jeſu Chriſto plenam conſecuti lætitiam, fratrum noſtrorum communicato conſilio, ita providimus, quod pro redemptione ipſius regni omnem diligentiam habeamus.* Subdit duos Cardinales legatos ad ferenda ipſis auxilia in Siciliam mitti. *Vos itaque, de militibus tyranni reprobi, facti pugiles domini Jeſu Chriſti, celebrem in conſpectu gentium veſtri famam nominis conſtanti animo & indefeſſo ampliare ſpiritu ſtudeatis; in illam ſpem firmiter exurgentes, quod ſi virtus Altiſſimi per veſtrum miniſterium devotorum Eccleſiæ cooperante ſubſidio, finem dederit gemitibus afflictorum, ſedes Apoſtolica vos tanquam genere ac virtute nobiles inter charos ejus filios habebit aſſidue ſpeciales.*

(*b*) *Ib. ep.* 17. 18.

XV. De Siculorum aperta defectione, conflataque, antequam erumperet, atroci in ſe conjuratione, ac ſtructis vitæ inſidiis queritur Fridericus in literis (*c*) ad Anglorum Regem datis, cujus factionis principes Tibaldum.... ait extitiſſe, ac nonnullos jam merito ſupplicio affectos, alios vero brevi criminis pœnam luituros: cujus invidiam derivat in Pontificem ac Minoritas, a quibus ſubornatos aſſerit. At licet Pontifex literis ſuis Friderici ſubditos ad depellendum e ſuis cervicibus ſervitutis jugum concitarit, præmiaque indulgentiarum crucem induentibus propoſuerit; abhorruit tamen ſemper ab eo, ut inſidias illius vitæ compararet. Poſt jactas ergo in Pontificem crudeles calumnias ſubiicit: *Abfuit a nobis huc uſque, novit Altiſſimus, abominationem talem, quod etiam poſt voluntarium & iniquum iſtius Papæ proceſſum contra nos in Lugdunenſi concilio celebratum in necem ſuam vel alicujus ex fratribus conſentire vellemus; quamquam nos fuimus per nonnullos noſtræ fidei zelatores multoties requiſiti: ſed ſola ſemper extitimus injuriarum noſtrarum propulſatione contenti, nos juſte defendere, non ulciſci ſufficiens reputantes.* Jactaſſe hæc falſo ad captandam clementiæ laudem e dicendis ſequenti anno patebit, quo ſicarios ad Innocentium & nonnul-

(*c*) *Ext. apud Petr. e Vin. & Par. hiſt. Angl. hoc ann.*





los Cardinales necandos ſubornavit. [1]

XVI. Implicito civili bello Friderico, atque arma in Siculos vertente, Innocentius Picenos, Spoletanos, Tuſcos Romanæ Eccleſiæ clientes, qui tyranni potentia oppreſſi lugebant, propoſito Siculorum exemplo ad excutiendum ſervitutis jugum hortatus eſt (*a*) tum alios, qui in fide perſtiterant, ad erigendos animos, impulſo jam in ruinam Friderico, viresque confirmandas ſolicitavit; quo argumento datis literis (*b*) Romanis ſpem injecit, fore ut communi hoſte a ſuis deſtituto, priſtina Italiæ pax, Eccleſiæ dignitas, felicitas populorum refloreſceret: *Ad mitem & humilem corde Dei Filium dominum Ieſum Chriſtum aſcendit in tantum horrenda perfidi ſuperbia Friderici, quod ipſum & ab Imperii dignitate repulit, & ad ruinam ejus corda Deum timentium provocavit; ſicut ex eo patenter exultantibus nobis, & vobis agnoſcitur, quod plures de nobilioribus & potentioribus regni Siciliæ, illius fraudes & laqueos fugientes, ſibi omni, qua ſufficiunt, virtute animi contradicunt. Cum autem ex hoc claro Dei miraculo, ſic ſedis Apoſtolicæ matris veſtræ attollatur honor & dignitas, quod vobis etiam ejus ſpecialibus filiis decus conſequenter acquiritur, & utilitas adaugetur; univerſitatem veſtram rogamus & obſecramus in domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem veſtrorum peccaminum injungentes, quatenus veſtrarum mentium præſentantes oculis, quantis & qualibus idem perfidus Eccleſiam Dei, ac vos ſibi chariſſimos diu perturbavit injuriis, & jacturis, contra ipſum ſic toto cordis conſurgatis affectu, quod per veſtrarum virium victorioſa ſubſidia cadat hoſtis fidei; afflicta vobiſcum reſpiret Eccleſia, tranquillitas populo Chriſtiano proveniat, & regnum Siciliæ, quod miſeriæ jugo comprimitur, redemptionis feſtinæ gaudia conſequatur: ſitque nobis ſicut optata, ſic cita poſſibilitas, ut qui ſedem noſtram tam diri tyranni feritate coacti reliquimus, ad eandem feliciter duce ſalutis angelo redeamus.* Hæc in Galliis Pontifex. Jam quid in Italia ipſius perſecutor gereret, adducamus.

(*a*) *Ib. ep.* 15. 16.

(*b*) *Ib. ep.* 10.

XVII. Urebat maxime Fridericum, non modo concilii ſententia exauctoratum, ſed etiam hæreſeos infamia aſperſum judicatum eſſe; jamque ipſius exiſtimationem apud omnes laborare. Quare ad eluendam labem plures ad Chriſtianos principes literas, quibus perfidiam ſuam colorare nitebatur, exaravit (*c*). Tum e fidiſſimorum conſilio has artes inſtruxit: archiepiſcopum Panormitanum, epiſcopum Papienſem, Caſſinenſem, Cavenſem, Caſæ novæ abbates, ac Rolandum, & Nicolaum Prædicatorum familiæ religioſos viros, quid ipſe de Chriſtianæ fidei ſymbolo aliiſque articulis ac myſteriis religionis ſentiret, a ſe quærere diligentius ac diſcutere juſſit. Quo peracto, atque inſtrumento confecto procuratores, ipſos conſtituit, ut coram Romano Pontifice jurejurando ſeſe devincirent, vocatum ad examen Fridericum recte circa omnia fidei capita cum omnibus Chriſtianis conſentire, ac longe ab hæreſi abhorrere. Ingrate illi admodum excepti, quod depulſi e fidelium cœtu hominis procuratores agerent, ob quod facinus non tam audiendi quam percellendi pœnis videbantur; ſed cum ſimplicis Chriſtiani hominis nuntios ſe dicerent, tribus S. R. E. Cardinalibus diſcutiendæ rei commiſſa eſt provincia, qui eam purgationem futilem & inanem pronuntiarunt: cum nulla ipſis inſtituendi illius examinis auctoritas eſſet demandata, quare repudiata hujuſmodi purgatione indixit Friderico, ut ſi rite purgare ſe & committere examini vellet, adiret ſedem Apoſtolicam ſine armorum ſtrepitu ac terrore ſed modico comitatu ſtipatus: tum ipſi tum ſuis cautionem idoneam conceſſurum: nullam injuriam, moleſtiamque irrogatum iri.

Qua arte uſus Fridericus ad depellendam hæreſeos notam.

(*c*) *Ext. apud Petr. de Vin.*

*Univerſis Chriſti fidelibus has literas inſpecturis.*

XVIII. Oratores mittit ut ſacramento ſe devinciant ea labe non teneri.

*Cum poſt latas dudum in concilio Lugdunenſi contra Fridericum quondam Imperatorem ex manifeſtis, & rationalibus cauſis privationis ab Imperio & regnis, quibus ſe indignum reddiderat; ac in ipſum, & omnes illos, qui ei ex tunc tanquam Imperatori, vel Regi præſtarent conſilium, auxilium ſeu favorem excommunicationis ſententias; nuper idem Fridericus archiepiſcopum Panormitanum, & Papienſem epiſcopum, ac Caſſinenſem, Cavenſem & Caſænovæ abbates, necnon fratres Rolandium & Nicolaum ordinis Prædica-*



NOTÆ [1] Totam defectionis Siculæ in Fridericum hiſtoriam explicat continuator ad Caffari annales Genuenſes: *Nobiles viri, barones de regno ſuo, Theobaldus Francus, & alii plures qui in curia ejus erant, tractaverunt eum occidere. Comes vero de Caſerctis fecit hoc ſcire Domino Friderico; & ſic Theobaldus Francus, & alii culpabiles fugerunt, alii apud Romam, alii in maritima, alii ad alia loca. Theobaldus vero in caſtro Rocha Capalbi ſe reduxit. Dominus quidem Fridericus ad inveniendos eos, & capiendos perſonaliter in regnum perrexit, quia timuit ne illi de regno ei fierent rebelles; & obſedit caſtrum Rocha Capalbi, & ipſam cepit, & Theobaldum prædictum, & vaſtari fecit & deſtrui.* Ex his intelligimus motum Siculum conjurationem quorumdam, non vero communem regni defectionem fuiſſe. MANSI

*dicatorum ad ſedem Apoſtolicam deſtinarit; licet nec immerito videretur, quod iidem, qui ex eo præſumebantur vinculo excommunicationis aſtricti, quod ſuſcipiendo protectionem, ſeu legationem ipſius cum inſtrumento & literis, in quibus idem Fridericus ſe Imperatorem & Regem cum non eſſet, dicebat, favere ſibi contra prædictam ſententiam videbantur, audiendi non erant; ſed potius de tantæ temeritatis exceſſu, cum ſint viri eccleſiaſtici puniendi; quia tamen ſe ipſius Friderici, non tanquam Imperatoris, vel Regis, ſed velut ſimplicis Chriſtiani nuncios aſſerebant, eis venerabiles fratres noſtros Portuenſem, & Albanenſem epiſcopos, & dilectum filium H... tituli S. Sabinæ presbyterum Card. conceſſimus auditores, quibus iidem nuncii inſtrumentum cujuſdam ſcriniarii Lucanæ diœceſis & literas ex parte ipſius Friderici munitas bulla aurea præſentarunt: in quibus continebatur, quod cum dictus Fridericus fuiſſet in eodem concilio habitus de hæretica pravitate ſuſpectus, ipſe interrogatus & examinatus a prædictis nunciis ſuper articulis contentis in ſymbolo, & aliis ad fidem catholicam, dixit ſe firmiter credere, ac juravit & conſtituit examinatores eoſdem procuratores ſuos ad jurandum in anima ejus, quod eos credebat, & purgationem etiam in præſentia noſtra in loco idoneo ſuper ſuſpicione hujuſmodi offerendam: hæcque dicti nuncii referentes in eorumdem auditorum præſentia viva voce, quod parati erant ſic jurare, ac ex parte ipſius Friderici purgationem hujuſmodi obtulere.*

XIX. *Iis itaque nobis per auditores eoſdem fideliter recitatis, & inſtrumento & literis præfatis oſtenſis, manifeſte comperimus, quod hujuſmodi examinatio fuerat per magnæ præſumptionis audaciam, cum iidem examinatores nullam ſuper hoc poteſtatem habuerint, attentata; nec erat præfatis inſtrumento & literis, cum in eis & bulla ipſa diceretur idem Fridericus Imperator & Rex; per quod dictus ſcriniarius, ſic ei favendo, vinculum excommunicationis incurrerat, fides aliquatenus adhibenda. Nos enim ad notandum ipſum ſuſpectum in eodem concilio de vitio hæreticæ pravitatis ex violentis, & notoriis quæ contra fidem per evidentiam jam oſtenderat, argumentis moti, nec immerito, fuimus contra eum: maxime cum idem Fridericus tam a canone, quam ab homine, & præcipue a felicis recordationis Gregorio Papa prædeceſſore noſtro pluribus excommunicationum ſententiis innodatus fecerit, in contemptum clavium, ſibi celebrari divina; patenter aſſerens ſe præfati Gregorii ſententias non vereri; quas non ſolum non ſervavit, ſed mandavit etiam non ſervari: aliaſque conjunctus amicitia deteſtabili Sarracenis, ritus eorum complectens, ac aliquos ex eis in quotidianis ejus obſequiis ſecum tenens, nuncios ſoldani Babyloniæ, poſtquam idem ſoldanus, cum quo dictus Fridericus, prout ipſius ſoldani literis nuper accepimus, a tempore patris ejuſdem ſoldani familiaritatem, & dilectionem mutuam & concordiam perfectam habere dignoſcitur, Terræ ſanctæ & ejus habitatoribus Chriſtianis per ſe ac ſuos damna graviſſima & inæſtimabiles injurias irrogarat, fecerat per regnum Siciliæ cum laudibus ad ejuſdem ſoldani extollentiam honorifice ſuſcipi, & magnifice procurari. Aliorum etiam infidelium pernicioſis & horrendis obſequiis contra fideles abutens, illi, qui damnabiliter vilipendentes Apoſtolicam ſedem, ab unitate Eccleſiæ diſceſſerant, procurarat affinitate, ac amicitia copulari. Propter quæ & alia contenta in prædicta ſententia, quæ ad præſens ob ſui prolixitatem omittimus, dictus Fridericus eſt hæretici vocabulo ſecundum ſanctiones legitimas nuncupandus.*

Cauſæ ob quas vehementi hæreſeos ſuſpicione laborarit Fridericus.

XX. Repulſi ab Innoc. & qua de cauſa Friderici oratores.

*Nos igitur proteſtatione præmiſſa, quod per hæc prædictæ ſententiæ contra eundem Fridericum latæ, quam firmam & ſtabilem permanere volumus, nullum debeat præjudicium generari, eoſdem examinatores non tanquam procuratores, vel nuncios, qui de tantæ præſumptionis exceſſu merito puniri debeant; aſtare fecimus coram nobis; quibus in noſtra, fratrum noſtrorum, ac multorum aliorum prælatorum, qui nobiſcum erant, præſentia conſtitutis, nos hujuſmodi examinationem & purgationem cum nec ubi, nec de quibus, neque coram quibus debuit, præſumpta fuerit; cum iidem examinatores & eorum conſanguinei ſint de ipſius curia, ſeu ejus poteſtati, ſed verius tyrannidi ſuæ ſubjecti, illuſoriam, prout eſt, & frivolam reputantes; ipſam de prædictorum fratrum & prælatorum conſilio decrevimus irritam & inanem, proceſſum eorumdem examinatorum ſuper iis præſumptum penitus reprobando. Super eo, quod idem Fridericus obtulit ſuper ſuſpicione prædicta in præſentia noſtra in loco idoneo ſe purgare; licet idem ſuper hoc propter cauſas aſſignatas ſuperius audiendus non eſſet, non tamen negamus, ſi veniens perſonaliter infra tempus legitimum ſine armis, & cum modico comitatu, quin ipſum ſuper hoc, ſi de jure, & ſicut de jure fuerit, audiamus: cui, prout ejuſdem nunciis præſentibus diximus, faciemus, ſi voluerit venire, caveri, quod in ſe, vel ſuis non ſuſtinebit aliquam læſionem. Dat. Lugduni x. kal. jun. ann. III.*

Offert Friderico illum præſentem auditurum.

XXI. Reſpuit pontificia imperia Fridericus.

At longe ab ea animi demiſſione tyrannus aberat, ut ſe Apoſtolicæ ſedi ad ſubeundum fidei examen committere vellet: eos namque oratores ad credulas tantummodo hominum mentes eludendas miſerat: non enim tumorem animi

nimi



nimi fregiſſe literis ad (a) Anglos datis ſatis aperuit, in quibus Pontificem in odium adducere fucata oratione nititur; quæ apologia rem mature perpendenti, aſperſa paſſim mendacia, proterviamque detegenti non tam apologia quam illius accuſatio habenda videtur. In ea ſiquidem queritur ſine judicii forma damnatum: quod quam a veritate abhorreat, præteritorum ſeries patefecit, toties quippe vocatus variis artibus judicium eluſerat, tot inchoatos componendæ rei tractatus levitate ac ſcelere infregerat, toties modo pœnitentis, modo tyranni perſonam induerat, ut nulla revocandi illius ad officium ſpes ſupereſſet & ita Pontificis auctoritatem deprimit, ut non magis Imperatorem quem conſecrat, quam cæteri epiſcopi qui alios reges conſecrarint, Imperio ob ſcelera ac tyrannidem exuere poſſit; adeo ut ſi religionem convellat, hæreſes alat, Eccleſiam laceret, animas ad inferos deturbet, ignavis oculis Chriſti vicarius cui rei Chriſtianæ cura commiſſa eſt, hæc debeat intueri; ac non potius ardenti zelo in perſecutorem Eccleſiæ inſurgere ipſumque gradu evertere: nec jam illud novum, ut ait, ſed laudatiſſimo exemplo antea id Romani Pontifices perfecerunt. Demum poſt cumulata plura mendacia, quæ expoſita ſuis locis hiſtoriæ veritas confutat; ut nullum juris ordinem in ferenda ſententia ſervatum contumaciæ notam incurrere non potuiſſe; non expectatos quos ad rite expianda crimina deſtinabat oratores; his verbis in ſummum Pontificem invehitur.

(a) *Apud Petr. e Vin. MS. Vallic. ep. 3. Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

XXII. Acerbas in eum lit. ſpargit.

*Apparet animoſa nimis, & ampulloſa non minus ex ipſius inflictæ pœnæ ſeveritatis ſententia, per quam Imperator Rom. imperialis rector & dominus manifeſtus, læſæ majeſtatis crimine dicitur condemnatus: per quam ridiculoſæ ſubiicitur legi, qui legibus omnibus imperialiter eſt ſolutus. A quo temporales pœnæ ſumendæ, cum temporalem hominem ſuperiorem non habeat, non ſunt in homine, ſed in Deo;* ſuperiorem principibus Chriſti vicarium, atque in eos poſſe animadvertere, cum animarum ſalus periclitatur, vel ad ipſum ut communem omnium patrem adducta in diſcrimen republica confugientibus populis, publico bono conſulere, nemo unquam Chriſtiana imbutus doctrina negaverit. *Spirituales autem pœnas per ſacerdotales nobis pœnitentias indicendas, tam pro contemptu clavium, quam aliis tranſgreſſione humana peccatis, nedum a ſummo Pontifice, quem in ſpiritualibus patrem noſtrum, & dominum profitemur, ſi tamen nos filium debita relatione cognoſcat, ſed per quemlibet ſacerdotem reverenter accipimus & devote ſervamus.* At cum tyrannus ſacerdotalem auctoritatem ſperneret, tolerandum ipſius judicio erat, ut Chriſtianus orbis a Sarracenis, quos habebat conjunctiſſimos, opprimeretur, eccleſiaſtica invaderetur ditio, Cardinales & epiſcopi in carcerum ſquallore contabeſcerent, alerentur hæreſes, inſurgerent ſchiſmatici, clerici fœdiſſime manciparentur ſervituti, ipſeque Romanus Pontifex exulare tyranni metu cogeretur? *Ex quibus omnibus manifeſte liquet, quod potius ignominioſe quam juſte habendos nos dixerit a catholica fide ſuſpectos; quam nos teſte ſupremo judice in omnibus & ſingulis ejuſdem articulis, ſecundum univerſalem Eccleſiæ diſciplinam, & approbationem per Romanam Eccleſiam, ſymbolum firmiter credimus & profitemur ſimpliciter.* Confutant nudam & fallacem illius aſſertionem fœdiſſima opera, quæ niſi ex hæretica labe emanare potuerunt. *Advertat igitur induſtria veſtra, ſi prædicta nulla ſententia ipſo jure, nullus ipſo jure, proceſſus, non magis in noſtram, quam in omnium Regum, & principum, ac quarumlibet temporalium dignitatum perniciem debeat obſervari; quam nulla noſtrorum Germaniæ principum, a quibus aſſumptio ſtatus & depreſſio noſtra dependent, præſentia vel conſilia firmaverunt.*

Promulgat ſe fidei Symbolum firmiſſime tenere.

XXIII. *Advertat & aliud, qualis ex iſtis initiis exitus expectetur. A nobis incipitur: ſed pro certo noveritis, quod in aliis Regibus & principibus finietur, a quibus publice gloriantur reſiſtentiam aliquam minime formidare, ſi quod abſit, poſſet noſtra potentia primitus conculcari.* Non ſuam in Friderico experiri cœpit Romanus Pontifex auctoritatem, nec illa unquam ad evertenda, ſed componenda ſervandaque regna uſus eſt. *Reges igitur veſtram juſtitiam in cauſa noſtra defendite; ſuis & eorum heredibus providete. Nec nos illud omittemus, quin fidei noſtræ conſtantiam ex confœderatione contracta vobiſcum, ad præſens fiducialiter requiramus; ut nedum adverſario noſtro, nunciis aut legatis ipſius occulte vel publice faveatis: quin potius nobis toto poſſe aſſiſtatis viriliter & potenter, nullum omnino nuncium aut legatum populum ſuæ juriſdictioni ſubjectum in noſtra diſpendia convertere molientem, aliquatenus admittere debeatis; pro certo ſcituri, quod per nos, in quibus inchoata eſt tantæ temeritatis audacia, quod ad privationem noſtri velut cujuſlibet ſacerdotis pontificalis auctoritas, officium ſuæ juriſdictionis extendit; taliter aſſiſtente nobis dextera Regis regum, quæ ſemper noſtram juſtitiam comitatur, iſtis principiis occurretur, dummodo ſe nobis illorum potentia non opponat, ſcilicet Regum & principum, quos communiter cauſa noſtra contingit; &*

Reges in Pont. concitare nititur.





quo-

*quorum non minus vertitur intereſſe quam noſtrum; quod vobis & aliis orbis terræ nobilibus cauſam juſti timoris in talibus, noſtra defenſio non relinquet: inviti tamen hoc facimus, teſte Deo, ſed neceſſario provocati, velut qui peſte multiplici Chriſtianitatem noſtris temporibus videmus attritam. Ad cujus auxilium una vobiſcum, prout etiam nuperrime regiæ magnificentiæ ſcripſimus, totis intendere viribus ſperabamus. Requirat autem de manu ejus hoc Dominus, qui tanto diſcrimini, quod toti fere reipublicæ Chriſtianæ minatur excidium, materiam ſubminiſtrat. Dat. Taurini pridie auguſti tertia indictione.*

XXIV. S. Ludovicus pro pace inter Frider. & Innoc. concilianda operam navat.

Non ita literis ſuis principum oculos perſtrinxerat Fridericus, quin Eccleſiæ æquitatem intuerentur, atque ad eam fovendam contra tyrannum animis propenderent: unde callidus princeps cum in publicum odium adduci ſe videret, extimuit, ne pontificium fulmen fruſtra vibratum non eſſet; atque ad conciliandos averſos a ſe animos finxit ſcelerum pœnitere, redire in gratiam cum Eccleſia percupere. Suſcepitque D. Ludovicus Rex pacis inter ipſum ac Innocentium ineundæ provinciam, ac dedit ad Innocentium literas (*a*) ut redeuntem Fridericum in gratiam reciperet. Agnovit illico Innocentius Friderici dolos, qui ficte pacem, quo tutius graſſaretur, expetebat; ac ſancto Regi gratias egit, (*b*) ſe pacis & concordiæ futurum interpretem obtuliſſe: ſciret tamen ſe ante celebratum concilium nil una cum Cardinalibus ad pacem componendam prætermiſiſſe; unde ex præteritis illius conficiendæ ſpem omnem ereptam videri: cum tamen Eccleſia nullum venientem abigere ſoleat, ſe ex toto animo ſalutem Friderici expetere, eumque in fidelium conſortium admiſſurum.

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*

(*b*) *Lib.* 4. *ep.* 32.

*Regi Franciæ illuſtri.*

XXV. Quid ſancto Regi reſponſum ab Innocentio.

*Illius devotionis ardore progenitores tui erga Eccleſiam ferbuiße noſcuntur, quod inter cæteros orbis principes ipſius Eccleſiæ defenſores præcipui libertatem ejus non ſolum conſervare, ſed augere multipliciter ſtuduerunt. Super eo igitur, quod tu eiſdem progenitoribus propagatione ſanguinis, & devotionis imitatione ſuccedens præfatæ honorem Eccleſiæ ferventer appetere, illumque ſolicite procurare operis exhibitione probaris, celſitudinem tuam dignis in Domino laudibus efferentes gratiarum tibi, quas poſſumus actiones referimus. Sane venerabilis frater noſter epiſc. Silvanectenſis, & dilectus filius G.. cuſtos Bajocenſis tui nuntii, quos nuper ad noſtram præſentiam deſtinati, inter alia nobis ex parte tua proponere curaverunt, quod inter Eccleſiam & Fridericum quondam Imperatorem pacem deſideras reformari: ad quam tractandam paratus es ob zelum Dei & reverentiam Eccleſiæ, ex quo tibi tenemur non modicum, inſtanter interponere partes tuas. Verum ſcire te volumus quod nos, & fratres noſtri ab eo tempore, quo fuimus ſupra regimen univerſalis Eccleſiæ conſtituti, uſque ad tempus concilii Lugdunenſis toto ingenio, totaque ſolicitudine inſtantes opportune ac importune laboravimus; in vanum tamen, ad pacem hujuſmodi obtinendam. Unde amodo per ea, quæ præceſſerunt, non ſperamus poſſe proficere in tractatu.*

*Sed quia Eccleſia non conſuevit claudere gremium redeunti, nos ejus exemplo, cujus ſumus licet immeriti, vicarii conſtituti; qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, præfati Frederici ſalutem appetimus, ipſumque deſideramus recipere, ſi forſan inſpiratus divinitus redire velit ad eccleſiaſticam unitatem; & ob ſpecialis dignationis affectum, quem ad tuam perſonam habemus; & de quo ſperamus, quod non permitteres in aliquo decipi ſacroſanctam Eccleſiam matrem tuam, agemus, quanto mitius & benignius cum Deo & honore Eccleſiæ ſine peccato poterimus, cum eodem. Super facto vero ſubſidii Terræ ſanctæ præfati nuntii tibi reſponſionem noſtram referent viva voce. Dat. Lugduni nonas novemb. anno* IV. XXVI.

Egiſſe magna contentione ſuperiore anno ſanctum Regem cum Innocentio in ſecretis illis colloquiis, de quibus diximus, ut Fridericum exauctoratum in gratiam reciperet, ex literis (*c*) ipſius Friderici colligitur: in quibus Anglorum Regi ſignificat S. Ludovicum ad redintegrandam concordiam ſummum Pontificem conveniſſe. Permoverat religioſiſſimum principem (quem Jonvillanus (*d*) omnium pacis amantiſſimum fuiſſe docet, ac ſemper conciliandæ inter exteros concordiæ incubuiſſe, quamquam non levia commoda ex eorum diſſenſionibus aucupari poſſet) inſtaurandarum Syriæ rerum cupiditas; cum prudentiſſime præſagiret ornandam a ſe in potentiſſimos hoſtes expeditionem parum feliciter confectum iri, ſi occidens civilibus Imperium inter & Eccleſiam bellis arderet. Cur vero interceſſoris tanti beneficio pax iniri non potuerit, refert Fridericus ad Pontificis ſeveritatem, qui voluerit, ut ſine ullis conditionibus Eccleſiæ ſeſe ſubmitteret: cum ipſe Imperii & regnorum ſuorum ſalvis juribus tantum pœnarum dare ultro ſe offerret, quantum Eccleſiæ judicio decerneretur: *Fideles noſtros excellentiæ noſtræ legatos plene noſtræ voluntatis auctoritate ſuffultos ſpecialiter providimus deſtinandos, qui dum pro honore Eccleſiæ matris noſtræ ac felicibus Chriſtianitatis auſpiciis, ſalvo ſemper honore* XXVII.

(*c*) *Ext. apud Petr. e Vin. Vallic. bibl.*

(*d*) *Jonvill. in hiſt. S. Lud. par.* 2.



*Imperii & regnorum, quibus auctore Domino præſidemus, voluntatem noſtram paratam exponerent, & manifeſta præſagia futuræ ſatisfactionis offerrent: quæ Rex,* Francorum ſcilicet, *ſufficientia poſtulabat, iſte bonus paſtor Eccleſiæ nullum ad jus & honorem Imperii, nec ad nos voluit habere reſpectum, ſed totum ſuæ ſubiicere poteſtati, &c.* Cæterum S. Regem Pontificis rationibus acquieviſſe, juſteque in Fridericum pacis ſimulatorem & incentorem belli commotum, ſequenti anno videbitur; quo Pontifici ad evertendam Friderici tyrannidem in Italiam exercitum ducere obtulit. Hactenus de Friderico; jam ab ipſo ad Ruſſorum principem, qui ſubditos ad Eccleſiæ Romanæ conjunctionem adduxit, dum ille, quos poterat ab ea divelleret, ſermonem convertamus.

XXVIII. Ruſſi ad Eccleſiæ Rom. conjunctionem traducti.

Procubuere in Romanæ Eccleſiæ obſequium Ruſſi hoc anno, qui licet antea evangelica luce eſſent colluſtrati, in Græcorum tamen ſchiſmate atque erroribus merſi jacuerant: quorum converſionem Longinus (*a*) non tam Danielis ipſorum principis pietati, quam ambitioni tribuit. [1] Cum enim ampliſſimis opibus ſubditarum gentium multitudine polleret, ducis nomine abjecto ad regiam dignitatem aſſurgere in animum induxit: quam ut conciliaret ſibi, oratores ad Opizonem abbatem e Mezano in Polonia legatum maxima auctoritate ab ſede Apoſtolica inſtructum miſit; obtulitque ſe populos ſibi ſubditos ad Romanæ Eccleſiæ obſequium adducturum, viresque ad propulſandos Tartaros cum cæteris catholicis conjuncturum, ſi regium ſibi diadema imponeret: illum vero & divinæ gloriæ amplificandæ & illuſtrandæ legationis ſuæ cupidum, renitentibus Polonis præſulibus, quos invidia agi putabat, regiis ornamentis Danielem ſacramento adactum ſe ſuoſque Romanæ Apoſtolicæ ſedi obſequentes futuros induiſſe. Meminere apud Vincentium (*b*) promotæ ab Opizone Ruſſorum converſionis Minoritæ, qui geſta apud Tartarorum Imperatorem legatione redierant: exceptos enim magna lætitiæ & gratulationis ſignificatione a Daniele & Waſicone ejus fratre ajunt; tum ſubiiciunt: *Medio tempore inter ſe, & cum epiſcopis cæteriſque probis viris, ſuper his, quæ locuti fueramus eiſdem in proceſſu noſtro ad Tartaros conſilium habentes reſponderunt nobis communiter dicentes, quod dominum Papam habere vellent in ſpecialem dominum & in patrem, ſanctam quoque Romanam Eccleſiam in dominam & magiſtram: confirmantes etiam omnia quæ prius de hac materia per abbatem ſuum tranſmiſerant: & ſuper hoc etiam nobiſcum ad dominum Papam nuncios ſuos & literas tranſmiſerunt.* Verum antequam ii ad ſedem Apoſtolicam accederent, lætiſſimo primo nuncio excitatus Innocentius, Pruſſiæ archiepiſcopum, quem ex Armachana ad illam ſedem ineunte anno tranſtulerat (*c*), Apoſtolicæ ſedis legati dignitate ornatum ad Ruſſos miſit (*d*) redeuntibuſque ad Eccleſiæ conjunctionem gratulatoriis literis fauſte precatus eſt.

(*a*) *Long. hiſt. Pol. l.* 7. *hoc ann.*

(*b*) *Apud Vinc. Bellov. ſpec. hiſt. l.* 31. *c.* 39.

(*c*) *Inn. l.* 3. *ep.* 377.

(*d*) *Ibid. ep.* 476.

XXIX. *Cum in partibus veſtris mores & ritus Græcorum, qui ſuperſtitioſe ac damnabiliter ab unitate eccleſiaſtica receſſerunt, fuerint hactenus non ſine animarum periculis obſervati; & nuper gratia faciente divina illuminata fuerint corda veſtra, ut recognoſcentes Romanam Eccleſiam matrem aliarum omnium & magiſtram; ac ſummum Pontificem ſucceſſorem Petri, cui collatæ ſunt claves regni cœleſtis ligandi, & ſolvendi, & Jeſu Chriſti vicarium eſſe caput; quia cum unus ſit Dominus, una fides, unum baptiſma, unum principium, unum corpus Eccleſiæ militantis, corpus cum pluribus capitibus monſtruoſum, & ſine capite acephalum cenſeretur; ad devotionem & obedientiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram redire, ſicut accepimus, affectetis; nos ei aſſurgentes in laudem, qui oculos Tobiæ per collyrium ex felle piſcis illuminare dignatus eſt, & aperire oculos cæci nati; ac exultantes cum muliere, quæ juxta veritatem evangelicam dragmam, quæ perierat, reinvenit; venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Pruſſiæ, & Eſtoniæ A. S. L. virum utique ſecundum cor noſtrum, morum honeſtate decorum, literarum ſcientia præditum, & conſilii maturitate præclarum; qui vobis verba vitæ deferat, & noſtram & fratrum noſtrorum plenius voluntatem exponet, ad partes veſtras, commiſſo ſibi in eiſdem partibus plenæ legationis officio, duximus deſtinandum; conceſſa ei libera poteſtate ut evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, prout ſecundum Deum viderit expedire, &c. Dat. Lugdun.* V. *non. maii ann.* III.

Hortatur Ruſſorum Regem ad propulſandos Tartaros.

XXX. Quas etiam literas Ruſſorum Regi paucis immutatis dedit, exhortatus (*e*) ut le-

(*e*) *Ib. reg. poſt eand. ep.*

NOTÆ [1] RUtenica illa legatio a pontifice miſſa rectius dirigenda eſt, cum turbata nonnihil in annalibus afferatur. Præceſſit primo omnium Rutenorum ad pontificem legatio, petens eo mitti legatum apoſtolicum, per quem inſtituerentur *in fide catholica. Miſſus in eam rem* Albertus archiepiſcopus Livoniæ & Pruſſiæ *ubi quidem ad regem* (proſequitur Nicolaus) *ſubſequenter ab apoſtolica ſede legatus miſſus abbas de Mazorio, qui coronavit eundem.* MANSI

legato gratia & opera non deeſſet, & ad retundendos Tartarorum impetus conſilium auxiliumque tribueret: ita enim immortalem apud homines gloriam, atque apud Deum immenſa ſibi præmia pariturum. Illum etiam in benevolentiæ ſignum Apoſtolicæ ſedis clientelæ commendatum fore pollicitus eſt (*a*): conceſſitque (*b*) ut Alexius Prædicatorum familiæ, vir laudibus cumulatiſſimus, una cum ſocio in ejus aula verſaretur. Legato vero ſuo in Ruſſia, quo felicius religionis cauſam promoveret, injunxit, ut lectiſſimos quoſque viros ſcientiæ ac virtutum laude conſpicuos, ſive ſæculares ſacerdotes, ſive ex Prædicatorum ac Minorum religioſis familiis, & aliis regularibus, epiſcopos Ruſſis præficeret, iiſque conſecrationis munus impertiretur. Conceſſa alia illi apoſtolica beneficia attexere viſum eſt: petierat legatus, idemque archiepiſcopus Pruſſiæ, Livoniæ, & Eſtoniæ, dum apud ſedem Apoſtolicam verſatus erat, ut pallium pontificalis officii inſigne daret, præmiſſoque fidei ſacramento obtinuerat, ad quem exarato diplomati hæc Innocentius inſeruit (*c*): *Tu autem illo intra eccleſiam tuam illis utaris diebus, qui expreſſi in ipſius eccleſiæ privilegiis continentur. Ut igitur ſignum non diſcrepet a ſignato, ſed quod ſic geris exterius, interius ſerves in mente: fraternitatem tuam monemus, & hortamur attente quatenus humilitatem & juſtitiam dante Domino, qui dat munera, & præmia elargitur, conſervare ſtudeas, quæ ſuum ſervant, & promovent ſervatorem; & Eccleſiam ſponſam ſuam cures ſolicite auctore Deo ſpiritualiter, & temporaliter augmentare. Dat.* VI. *kal. maii anno* III.

(a) Lib. 3. ep. 480. (b) Ibid. ep. 481. 482. ep. 478. Religioni in Ruſſia propagandæ incumbit. (c) Lib. 3. ep. 483.

XXXI. Antea illi ut in provinciis ſuæ auctoritati obnoxiis crucem præferre poſſet, indulſerat (*d*) ut qui Chriſto ſub ducis munere militaret præeſſetque fidelibus, illius triumphali ſigno prævio incederet.

(d) Ep. 416.

*Archiepiſcopo Pruſſiæ, Livoniæ, & Eſtoniæ,*

*Æterni Regis victorioſum vexillum, ex impreſſa fidei poteſtate credentium mentibus per prædicationis in omnem terram diffuſa præconia elevatum, coram ordinata Chriſtianorum acie proponitur imitandum: ſed illi, qui aliorum curam ex injuncto ſibi officio ſuſceperunt, gregis dominici facti duces, & cum Apoſtolo commiſſis ſibi fidelibus dicere confidentius audeant: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti; oculos in ipſius vexilli appenſum ſignaculum, & ſuſpenſum eo indeclinabiliter debent dirigere, quo ſibi per paſſionis jugem memoriam imprimuntur ſequenda veſtigia, ut in ſui corpore portent ſtigmata Jeſu Chriſti, quæ ſequacibus proponant evidentius in exemplum. Tuis igitur precibus inclinati, ut commiſſa tibi eccleſia in te munus recipiat gratiæ ſpecialis, & poſt crucifixum crucem portes propriam abnegans temetipſum, currens velocius, cum explicaveris vias tuas, ſpei propoſitæ bravium accepturus; quod per totam provinciam tibi metropolitico jure ſubjectam, tam tu, quam ſucceſſores tui coram vobis faciatis crucis ſignaculum anteferri, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Dat. Lugd.* XIV. *kal. april. anno* III.

Flagitante per hæc tempora Yaquino Norwegiæ Rege, ut Innocentius legatum apoſtolicum in ipſius regnum mitteret, Vv. Sabinenſem epiſcopum eo munere ornavit Pontifex; quem Regi, ut virtutibus cumulatiſſimum, reſcriptis omni officio refertis literis (*e*) commendavit; meritiſque etiam laudibus egregium ipſius in ſedem Apoſtolicam ſtudium extulit. Nec modo Willelmo gerendæ in Norvvegia, ſed etiam Suecia legationis officium injunctum: *Tuo deſiderio expreſſo*, Regem alloquitur, *nobis per literas, ac dilectum filium abbatem monaſterii de Hoducdheia Ciſtercienſis ordinis & B.. canonicum Nidroſienſem nuncios tuos, diligenter audito de conſilio fratrum noſtrorum providimus, quod venerabilem fratrem noſtrum Sabinenſem epiſcopum in Norvvegiam & Sueciam, conceſſo ſibi plenæ legationis officio, deſtinemus. Qui cum ſit de dignioribus membris Eccleſiæ ad hoc tota mente ſolicitus, ut Deo per innocentiam vitæ placeat, & gratus hominibus per piæ ſtudium converſationis exiſtat intentus ad hoc; habebitur, quod tuæ decus excellentiæ, ac regni utilitas per ejus miniſterium, Deo propitio, procuretur. Ipſum autem cum ad te pervenerit, ſic devote recipias, & pleno proſequaris honore, ejus pia conſilia efficaci diligentia completurus: quod ex hoc & in conſpectu æterni Regis amabilis, & ſemper charus in oculis Eccleſiæ habearis. Dat. Lugduni* III. *kal. novemb. anno* IV. De eadem legatione ad præſules magnateſque regni ſcripſit, quos legati apoſtolici imperiis præſto eſſe juſſit (*f*) [1]. XXXII.

XXXII. Sabinenſis ep. Card. in Norwegiam legatus miſſus. (e) Lib. 4. ep. 189. (f) Eod. l. 4. ep. cur. 30.

Inter cæteras vero rationes, quæ Yaquinum ad poſtulandum legatum impulerant eam principem exiſtimo, ut ſolemni ipſum pompa corona redimiret; in literis enim apoſtolicis (*a*) quibus legatio Sabinenſi epiſcopo commiſſa, juſſus eſt legatus præſulum nobiliumque cœtum indicere, eoque coacto vice Romani Pontificis Norwergiæ Regem corona inſignire: *Te in Norvvegiam & Sueciam, conceſſo tibi plenæ legationis officio, duximus deſtinandum, dantes fraternitati tuæ de fratrum noſtrorum conſilio poteſtatem, ut aſcitis prælatis provinciarum hujuſmodi, & convocatis earum nobilibus, quos videris opportunos, eiſque conſultis, chariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Norvvegiæ vice noſtra coronæ regiæ largiaris honorem. Tu autem commiſſam tibi ſolicitudinem ſic prudenter & laudabiliter ſecundum gratiam attributam deſuper proſequaris, quod Dei gloria, & ipſius Eccleſiæ, ac Regis ejuſdem decus inde proveniat; & præfatis provinciis accreſcat, auctore Domino, ſtatus gratiæ ſalutaris. Dat. Lugd.* III. *non. novembr. an.* IV. Delibutum ſequenti anno regia inunctione Haquinum Regem narrat Pariſius (*b*) his verbis: IV. *kal. auguſti, qui eſt dies ſanctiſſimi Regis & martyris Olavi, celeberrimi apud Norvvegenſium regiones & inſulas, coronatus eſt Rex Haco, & in Regem inunctus ſolemniter apud Bergas ab epiſcopo Sabinenſi legato, tum in partibus illis exiſtente.*

(a) Ib. ep. cur. 31. Data illi induendi regiis ornamentis Haquini provincia. (b) Par. hiſt. Angl. ann. 1247.

XXXIV. Impuris natalibus procreatus erat Haquinus, ſed eam maculam maximis laudibus, virtutumque ornamentis opprimebat: quare Innocentius ob egregia ejus animi decora, tum ob præclara ipſius patris erga Apoſtolicam ſedem merita, tum ob eximiam a Norvvegiæ Regibus propagandæ Chriſti, atque Eccleſiæ gloriæ navatam operam adductus eſt, ut diplomate apoſtolico natalium maculam deleret (*c*) atque ad conſcendendum ſolium regium, quod unum videbatur obſtaculum, amoveret: omnia ipſius acta regia legitima futura ſanciret, & in ipſius poſteros capeſſendi ſceptri jura transfunderet.

Natalium illius labem ad ſuſtinendam regiam dignitatem delet. (c) Lib. 4. ep. 221.

*Yachino illuſtri Regi Norvvegiæ.*

*Mira Regis æterni benignitas honore multiplici ſponſam ſuam Reginam Eccleſiam inſignivit: ſed in eo potiſſime ipſam honorabilem, & felici reddidit ſtatu fulgentem, quod illam ſibi tribuit plenitudinem poteſtatis, ut non ſolum perſonis humilibus, ſed quantacunque ſublimitate conſpicuis, in iis poſſet adeſſe magnifice, per quæ ipſi clari nominis titulum & famoſæ conſequantur potentiæ incrementum. Sane contemplati merita puræ devotionis, & fidei, quibus inclytæ recordationis Reges Norvvegiæ inter catholicos mundi principes claruerunt, nobis & Eccleſiæ producit ſpecialium delicias gaudiorum. Inde fit quod fervens in mente noſtra conſurgit affectio, ut circa te, Apoſtolicæ ſedis chariſſimum pro tuorum excellentia meritorum, ſic ejuſdem ſedis abundet gratia, penes devotos ipſius multipliciter affluere conſueta, quod auctore Domino tibi & heredibus tuis honoris exinde magnitudo proveniat, & votivæ materia proſperitatis accreſcat. Cum itaque claræ memoriæ Haquinus Norvvegiæ Rex pater tuus te, prout accepimus, ſolutus ſuſceperit de ſoluta; nos tuam celſitudinem ſpeciali benevolentia proſequentes, ut hujuſmodi non obſtante defectu ad regalis ſolii dignitatem, & omnes actus legitimos admittaris; nec non quod heredes tui legitimi tibi in dominio & honore ſuccedant, fratrum noſtrorum communicato conſilio, tecum auctoritate apoſtolica diſpenſamus: ſperantes quod tu & iidem heredes tantæ gratiæ magnitudinem, memoriæ ſignaculis taliter alligetis, ut tibi & eis in delectationem veniat omnium conditori, per vitæ virtuoſæ ſtudium, & ſanctæ ipſius Eccleſiæ placere jugiter per ſinceræ devotionis augmentum. Dat. Lug.* VI. *id. novemb. an.* IV.

XXXV. Acceptis ab Eccleſia beneficiis reſpondit præſtantiſſimus Rex: ad tuendum enim illius ſplendorem & elidendam in extremis orientis oris Sarracenorum tyrannidem cruceſignatæ militiæ ſe devovit: Illum enim propterea, uxorem, filios, omniaque ſua ſedis Apoſtolicæ clientelæ commiſſa ac demandata fore ſanxit Innocentius, (*d*) dum in ea expeditione verſaretur. Conceſſam etiam illi a Pontifice tertiam pro inſtruendo bellico apparatu, militumque ſtipendiis eccleſiaſticorum vectigalium partem refert Pariſius: (*e*) additque S. Ludovicum, accepto pii illius conſilii nuncio, oratoribus ad eum miſſis, ut copias cum ſuis conjungeret ſolicitaſſe, pollicitumque ſe ipſum, utpote maritimis viribus pollentem, claſſi ſuæ ac parti exercitus præfecturum: Haquinum vero, cum metueret Norvvegos moribus & lingua a Gallis diſcrepantes facile ad rixas cum iis deſcenſuros, & rei

Bello ſacro ſe devoventem in protectionem ſuſcipit. (d) Ib. ep. 222. (e) Par. hiſt. Angl. an. 1247.

NOTÆ [1] Villelmus Sabinenſis epiſcopus licet hoc anno in Norwegia egerit, eam tamen legationem ante biennium ſibi demandatam fuiſſe Villelmus ipſe in ſuis literis ad Hugonem Carthuſiæ priorem datis anno 1244. die XXIX. novembris affirmat. Luget in illis ſanctus epiſcopus præreptam ſibi tranquillam illam quietem, qua fruebatur, ex nova Cardinalis dignitate invito ſibi collata; doletque maxime ſublatam ſibi ſpem colligendi ſe apud Carthuſianos quod maxime optabat, & de quo ſæpius concedi ſibi facultatem apud pontificem inſtiterat. Demum legationem in Norwegiam commiſſam a pontifice habuiſſe ſe narrat. Ex his intelligimus Jaquinium Norwegiæ regem, jam tunc apoſtolicum legatum popoſciſſe. Literas illas dedit Mabillonius veter. analect. pag. 483. nov. edit. MANSI

rei Chriſtianæ maximum inde damnum illatum iri, pro oblatis liberaliter gratias egiſſe, cenſuiſſeque tutius fore, ſi ipſi ſeorſim exercitum ducerent; regium tamen diploma, quo ipſius ſecuritati, dum per Gallias iter haberet, caveretur, expetiiſſe, ac verbis ampliſſimis obtinuiſſe. Sed ne impietatem in proximis ſuæ ditioni locis dominari permitteret, qui ad eam in Terra ſancta oppugnandam tot locorum intervalla erat penetraturus, expetiit a ſede Apoſtolica ſibi poteſtatem demandari, ut ethnicos edomaret, qui in ipſius regni confinio idolorum cultui erant mancipati, atque ad proſcribendam ſuperſtitionem armis cogeret. Cujus piis votis obſecutus Innocentius in præmium explicandæ in egregio facinore virtutis hoc conceſſit (a): *Tuæ ſerenitatis precibus annuentes, ut cum aliqua ex terris paganorum ipſorum Chriſtiano dominio fuerit ſubjugata, in eccleſiis, quæ ibidem a te, vel tuis heredibus conſtructæ fuerint & dotatæ, jus patronatus habeatis perpetuo tibi auctoritate præſentium indulgemus. Dat. Lugd.* VII. *id. novemb. ann.* IV. In tanti etiam Regis gratiam Innocentius ipſius uxorem Reginam beneficiis apoſtolicis eſt complexus: omnia enim regia magnificentia ac liberalitate a viro dotis nomine conceſſa bona, exarato ad ipſam diplomate (b) rata eſſe ſanxit, eaque in pontificiæ majeſtatis clientelam arripuit: qua de re ad archiepiſcopum Nidroſienſem, atque Stavangrenſem & Bergenſem epiſc. literas exaravit, (c) ut ad vindicanda ab invaſorum audacia ejus bona incumberent, nec pontificiam conſtitutionem ullo modo infringi unquam paterentur.

Excitat ad finitimos infideles edomandos.

(a) Ib. ep. 227.

(b) Ep. 229.

(c) Ep. 230.

Porrexerat ſedi Apoſtolicæ preces Nidroſienſis archiepiſc. quem modo ad Reginæ Norwegiæ jura integra ſervanda operam explicare juſſum vidimus, ut Auguſtinus ipſius deceſſor ſupra a nobis memoratus, cujus ſanctitas late pluribus miraculis effulſerat, ſanctorum catalogo adſcriberet; impulitque Innocentium (d), ut religioſis viris ad ea inquirenda & exploranda miracula, inſtituendumque de iis ſacrum ac publicum examen, provinciam committeret.

Inſtituta de miraculis B. Auguſt. Nidroſ. arch. quæſtio.

(d) Ep. 255.

XXXVI. Detulit graviores querelas ſedi Apoſtolicæ Daniæ Rex in Robſadenſem epiſcopum, qui cum ingentibus ab eo beneficiis & honoribus ornatus eſſet; atque etiam ipſo Regii ſigilli præfecti munere decoratus, ac regiorum arcanorum ex ſummo, quo eum complectebatur amore, particeps factus, in hoſtem ac proditorem deſciviſſet; regni regiſque bona expilaſſet, & cum conſanguineis in eum conjurationes conflaſſet: quæ cum in lucem emerſiſſent, urente conſcientia ſceleris, in alienas ac remotas terras avolarat. [1] Quare Pontifex, ut ſeveritatem legum in eum exerceret, Simoni de Alvernia Minoritæ cauſæ epiſcopi de pluribus ſceleribus poſtulati cognitionem permiſit; (e) eaque de re publica acta ſuo ſigillo munita tranſmitteret juſſit. Expoſtularat etiam idem Rex Lundenſem archiepiſcopum, cum provincia ei demandata eſſet, ut epiſcopum Neſwicenſem ad præſtandum Regi fidei ſacramentum eccleſiaſticis cenſuris adigeret, imperiis ſuperſediſſe. Quocirca Innocentius pontificiis literis Lundenſem archiepiſcopum rebellem præſulem compellere ad clientis officium deferendum juſſit, (f) vel ſe cur id fieri vel non debeat, vel non poſſit, facere certiorem.

Rex Daniæ apud Pontificem de Rosbadenſi epiſcopo queritur.

(e) Lib. 4. ep. 19.

(f) Ib. ep. 300.

XXXVII In Ungaria archiepiſcopus Colocenſis A. S. L. ardenti catholicæ fidei ſtudio æſtuans, adverſus hæreticos, qui Boſniam infecerant, crucis ſuſcipiende cupidus, conſilium Pontifici ſignificavit. Qui eo collaudato (g) crucem tranſmiſit, quam ita humeris affigeret, ut corde altiſſimo impreſſam circumferret, atque illius ſigni conſpectu ſeſe ad eorum ſalutem armis comparandam inflammaret, pro quibus in cruce ſanguinem Dominus profudiſſet: *Fraternitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, ac in remiſſionem tuorum tibi injungimus peccatorum, quatenus ob illius reverentiam, qui in eodem ſigno mortis amaræ ſubivit tormentum, ut humanum genus de mortis faucibus liberaret; dictum ſignum humeris tuis affigens, illud ſemper in corde geras, votum hujuſmodi exequendo viriliter & potenter; ita quod tuus labor fructum, & obſequium optatam reportet mercedem; ac exinde divinam gratiam & favorem ſedis Apoſtolicæ uberius merearis. Dat. Lug.* III. *id. aug. an.* IV.

Crucem tranſmittit Pont. Colocenſi arch. adverſus Boſniæ hæreticos.

(g) Ep. 55.

XXXVIII. Nondum evulſa in Galliis penitus atque exciſa fuerat Albigenſium hæreſis, cujus delendæ ſolicitus Innocentius tribuit (h) Agennenſi epiſcopo; cui Albanenſis epiſcopus pontificio juſſu excidendæ illius in

Albigenſes ad ſupplicium quæſiti.

(h) Ep. 48.

NOTÆ [1] CUm annaliſta hic tangat querelas regis Daniæ in epiſcopum quemdam Robſadenſem; ſuſpicor mendum aliquod irrepſiſſe in codicem epiſtolarum Innocentii unde hæc petiit. Qui enim anno ſuperiori proſcriptus fuerat e diœceſi ſua epiſcopus (forte ex perduellionis ſuſpicione, ut hic apud annaliſtam legitur) non Robſadenſis, ſed Nicolaus Roſchildenſis epiſcopus fuit, ut ex chronicis Danicis apud Ludewig reliquiar. tom. IX. conſtat. Porro Nicolaus non diu poſt Claravallenſem monachum induit, ubi anno 1249. vitam cum morte commutavit. MANSI



in Toloſani comitis terris, aliiſque circumpoſitis munus injunxerat; ut in ſacris concionibus habendis contra hæreticos indulgentiarum præmia effunderet, uti cæteri inquiſitores conſueverant; utque officii ſui partibus egregie atque ardentiſſimo zelo fungeretur imperavit. Hic vero de Tuſculano epiſcopo atque A. S. legato ſilentio prætereundum non eſt, Innocentium ad ipſum ſcripſiſſe (a) ut decimas, flagitante ita Rege, pauperibus re cognita remitteret. De decimis porro expeditionis ab Rege in Terram ſanctam ornandæ gratia, Innocentii permiſſu exactis meminit Pariſius (b): hacque de cauſa utrumque temere carpit.

(a) Ep. 58.

(b) Par. hiſt. Angl.

XXXIX. Offerunt jam ſeſe Anglorum res percenſendæ. In primis edidit Innocentius diploma apoſtolicum in gratiam Henrici Anglorum Regis ad præſules ac proceres Angliæ directum, quo ipſos accepta a Rege bona, ac jura in regia ipſius conſecratione extorto ſacramento confirmata reſtituere juſſit. Cum enim in priore nuncupato jurejurando ſe omnia regni jura integra atque illibata ſervaturum ſpopondiſſet, non licuit poſtea regia bona diſtrahere; quare reſciſſo poſteriore ſacramento, accepta reddere jubet: ni faciant, ſe Regi in adeo juſta cauſa non defuturum comminatur (c): *Ad audientiam noſtram pervenit, quod licet idem Rex in coronatione ſua ipſius regni jura, honorem corona, immunitates & libertates ſervare juraverit illibata; quidam veſtrum fratres archiepiſcopi & epiſcopi, & filii prælati ſibi & eccleſiis ſuis; quidam vero veſtrum filii comites, barones, & milites ſibi & eorum heredibus procuravere ab eodem Rege conferri villas, caſtra, maneria, libertates & alia quædam jura, quæ ad regnum jam dictum pertinent ab antiquis in ipſius regni non modicum præjudicium & jacturam; ac de hujuſmodi conceſſionibus minime revocandis juramentum, & literas exhiberi. Cum igitur prioris licita fuerit præſtatio juramenti, & ideo juramentum poſtea præſtitum contra illud nos extiterit licitum, nec ſervandum, univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus diligentius attendentes illius rei detentionem eſſe prorſus illicitam, & indignam, quæ ſaluti obviat animarum; quicquid ſinguli veſtrum de præmiſſis a memorato Rege taliter obtinetis, præfato juramento ſecundo præſtito non obſtante ipſi Regi libere ac ſine qualibet difficultate reddatis. Dat. Lugd.* VII. *kal. april. ann.* III. Miſſis etiam aliis Regi literis (d) id confirmavit, ut cum prius ſacramentum juſtum foret, alterum omnino irritum fuiſſe: ac licet ab ſede Apoſtolica corroboratum eſſet, omnino tamen convellendum.

Reſciſſa Regis Angliæ ſacramenta quibus jura regia forent imminuta.

(c) Lib. 3. ep. 417.

(d) Ibid. ep. 448.

XL. Supereſt ut de Hiſpanicis rebus aliquid ex pontificiis literis, atque ex auctoribus decerpamus. Igitur Innocentius, eccleſiæ Cordubenſi conſulturus, præfecit (e) G . . antea ejuſdem eccleſiæ canonicum, quem ſacris epiſcopalibus initiavit. Accinxerat ille ſeſe ingentibus animis ad debellandos Sarracenos, qui terras Chriſtianorum occuparant, prophanarant, horrendis ſacrilegiis conſecrata numini templa, religionemque everterant. Quod pium & generoſum conſilium cum ſedi Apoſtolicæ detuliſſet, aſſenſit Pontifex, (f) conceſſitque ut ea indulgentiarum præmia iis, qui in ipſius caſtris verſarentur, attribueret, quæ in Terram ſanctam profecturis concilium II. Lateranenſe decreviſſet: illi præterea poteſtatem fecit, (g) ut anathematis nexu eos abſolveret, qui clericos percuſſiſſent, ſi ſacræ in Sarracenos expeditioni una cum ipſo profecturos ſe devoverent. Ardebat eadem pietate fidei propagandæ Alfonſus Regis Caſtellæ ac Legionis major natu filius, qui Sarracenos Chriſtianorum terris proximos bello laceſſere ac ſubiicere in animum induxerat; illum hoc anno plura loca barbaris in Murciæ regno eripuiſſe, ac Ferdinandum patrem Oringim ampliſſimam urbem ſubegiſſe ſcribit Surita (h): Mariana (i) vero addit Alfonſum Carmonam ad pendenda annua vectigalia compuliſſe, & Conſtantinam, Reynam, Loram in ſuam poteſtatem redegiſſe. Suſceptam igitur ab egregio principe expugnandæ Sarracenæ ſuperſtitionis mentem ſummis laudibus cumulavit, literiſque apoſtolicis fideles, ut ſub illius ſigna confluerent propoſita criminum condonatione incitavit (k): *Benedictionis filius Alfonſus primogenitus chariſſimi in Chriſto filii illuſtris Regis Caſtellæ & Legionis ad hoc ferventer invigilans, ut ſicut pollet nobilitate generis, ſic ſemper eniteat decore virtutis, inſpirante Dei filio, prout læti corde percepimus, ſuum ad hoc firmiter direxit affectum, quod hoſtes fidei in frontaria regni Caſtellæ, & Legionis poſitos per auxilium divinæ potentiæ reddat Chriſtiano nomini ſubjugatos. Cum itaque delectabile vobis & promptum eſſe debeat, ut quaſi in domorum veſtrarum januis vobis regni cœleſtis gloriam acquiratis; univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad veſtri creatoris honorem, qui pro momento laborum temporalium quietis gaudia æternæ compenſat, devotis mentibus aſſumatis Redemptoris noſtri negotium una cum prædicto Alfonſo magnanimiter promovendum; ita quod veſtrarum virium fultus auxilio de catholicæ contemptoribus fidei palmam victoriæ, juxta ſuum & noſtrum deſiderium, gaudeat reportaſſe. Nos enim, ut ad tanti proſecutionem negotii eo ferventius voluntarii ſitis & faciles,* quo

Cordubenſis ep. in Mauros ſe cruce conſignat.

(e) Ep. 409.

(f) Ep. 410.

(g) Ep. 412.

Alfonſus Regis Caſtellæ major natu filius in eos expeditionem parat.

(h) Surit. annal. to. 3. cap. 43.

(i) Maria. de rebus Hiſp. l. 13. cap. 3.

(k) Ep. 492.

*quo nos in largitione gratiæ ſpiritualis ad vitam perpetuam eſſe percipitis liberales; omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui opus tam ſanctum cum prædicto Alfonſo in propriis perſonis ſubjerint & expenſis; vel qui ſecum perſonaliter in alienis expenſis, contra hujuſmodi hoſtes proceſſerint in terram illorum ad tempus congruum juxta ipſius Alfonſi providentiam ſervituri, concedimus illam peccatorum veniam, quæ Hieroſolymam euntibus indulgetur. Dat. Lugd.* VIII. *kalen. maii ann.* 3.

XLI. Queritur Sanctium Regem Luſitaniæ ab Alfonſo ejectum.

Concuſſa eſt hoc tempore graviſſimo bello Luſitania. Sanxerat Innocentius, uti anno ſuperiori vidimus, ut Regis frater Bononiæ comes, qui maxima auctoritate & prudentiæ laude florebat, regnum adminiſtraret; & a gubernaculis eos, quos Mentia, quæ Regis voluntatibus dominabatur, ex obſcuriore loco ad honores extulerat, amoveret: non tamen fratri regnum præriperet; immo potius illud integrum ejus proli, ſi quam gerendo regno idoneam ſuſciperet, reſervaret. Armatus ergo pontificia auctoritate Bononiæ comes, quod niſi aperta vi non poterat, reſiſtentes ſibi bello petiit, ac plures urbes, oppida & propugnacula in ſuam poteſtatem adduxit. Inter quæ nonnulla fuere, quæ Luſitaniæ Rex Alphonſo Caſtellæ Regis filio liberaliter contulerat: quam ſibi illatam injuriam cum Pontifici exponeret, hæc reſcripſit Innocentius (*a*).

(*a*) Eod. l. 3. ep. 593.

*Nobili viro Alphonſo chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Caſtellæ illuſtris primogenito.*

*Sinceræ devotionis, qua tui progenitores inter alios orbis principes erga Deum & Eccleſiam ſpecialiter ferbuiſſe noſcuntur; & inconcuſſæ conſtantiæ, qua eidem Eccleſiæ, ipſo præcipue opportunitatis tempore non eſt dubium aſtitiſſe, Apoſtolica ſedes, velut geſtorum conſideratrix attenta, non immemor; te claris illorum exigentibus meritis intimæ brachiis dilectionis amplectitur, & ad tui honoris augmentum, & commodi ſedulo, ac vigilanter intendit: præſertim quia progenitoribus ipſis non ſolum propagatione ſanguinis, ſed probitatis imitatione ſuccedens, ſic te ſedi prædictæ filialis proſecutione reverentiæ reddis charum, quod te ſedes ipſa exuberantibus circa perſonam tuam maternis ejus affectibus, quaſi filium reputat prædilectum. Unde non ſolum pati volumus, quantum in nobis eſt, tuæ nobilitatis jura imminui, ſed & Apoſtolici favoris præſidio illa communire cupimus, & etiam paternæ diligentiæ ſtudio multipliciter augmentare. Sane receptis literis tuis, & plenius intellectis, ex earum tenore collegimus te commotum eſſe graviter & turbatum ſuper eo quod, ſicut in eiſdem continetur literis dilectus filius nobilis vir comes Boloniæ, Portugalliæ regnum ingreſſus chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Portugalliæ regno ipſo ejuſque dominio inhumaniter ſpoliat; civitates, villas, caſtra, & oppida dicti regni expugnans machinis, & violenter invadens, alia quamplura in eorundem Regis & regni jacturam immaniter exercendo. Terras inſuper, caſtra, & quædam alia, quæ dictus Rex in eodem regno tibi regia liberalitate contulerat, occupare ac ſibi vindicare molitur. Verum ignorare te nolumus, quod licet ad magnum, diutinum, & inſtantem clamorem prælatorum, & aliorum tam religioſorum, quam ſæcularium clericorum; nobilium quoque, omniumque fere fidelium regni præfati, jam dictus comes Regis ejuſdem frater, qui de ſolicitudine ac prudentia multipliciter commendatur, ad ipſius regni cuſtodiam, quod propter periculoſum & intolerabilem juſtitiæ defectum; ac alia multa gravia, & enormia, quæ libere ac impune ſine intermiſſione committebantur ibidem, quaſi undique diſſipatum cernitur, ſit aſſumptus; non tamen eſt intentionis noſtræ, nec extitit, ut per hoc juri vel honori prædicti Regis, ſeu legitimi filii, ſi aliquem eum habere contigerit, in aliquo derogetur, ſi ad eum ſtatum ipſum devenire claruerit, ut per ſuam diligentiam & induſtriam poſſit prædictum regnum utiliter & ſalubriter gubernari: ſed potius ſibi & eidem regno deſtructioni expoſito, ac in illo degentibus in vita ejuſdem Regis per probitatem, & circumſpectionem memorati comitis conſulatur. Porro quia firmam, quo te ſincerius diligimus, eo amplius tuam honorandi perſonam * omnia bona, & jura tua, ubicumque illa te habere contingat, ſic illibata manere volumus, ut nihil erga ipſa per quemcumque in tuum præjudicium attentetur; unde præfato comiti noſtris damus literis (b) in mandatis, ut contra te ſuper hujuſmodi bonis & juribus nil præſumens; ſi contrarium hactenus forſan egit, vel ſi adverſus Regem prædictum contra formam a nobis traditam exceſſit in aliquo, emendare ſtudeat protinus per ſeipſum. Dat. Lugduni* VII. *kal. jul. ann.* III. numeratis nimirum pontificatus annis non a die, quo ad Petri ſedem evectus, ſed quo papali corona eſt redimitus.

Reſpondet Pont. daturum operam ut regiæ illius dignitati non detrahatur.

* voluntatem gerimus,

(b) Ext. ib. ep. 594.

XLIII. Jacobus Rex Arag. Gerundenſi epiſc. linguam amputat.

Dum Luſitania non levibus turbis mutata nova rerum facie agitaretur, Aragonia ad crudele principis ſui facinus expavit. Is enim Gerundenſi epiſcopo, qui a confeſſionibus ipſi fuerat, linguam amputavit. Qua de re quid prodat Joannes Mariana (*c*) ex tabulis Benefaciani monaſterii hauriamus: *Jacobus Rex Aragonius a Theraſia Vidaura, cujus amoribus junior addictus fuerat, lege de conjugiis poſtulatus, quaſi datam ipſi fidem injuſtis nuptiis violaſſet, cauſam apud Romanos Pontifices dixit. Idonei teſtes non erant eo conjugio comprobando, quippe nullo, aut clandeſtino. Lite ergo conteſtata, victa Theraſia eſt: ac ſecundum jura & merita Violantis Reginæ pronunciatum. Unus Gerundenſis epiſcopus, cui Rex arcano rem omnem revelaſſe fama eſt, quo id ſtudio incertum, ſed Pontifici tamen Innocentio quarto renunciavit injuſte Regem facere, qui datam fidem falleret, poſteriori conjugio quaſi vitioſo reſciſſo: Theraſiam juxtam uxorem loco reddendam videri, id ipſi Regem arcano confeſſum.* Hæc auctor. At cum Innocentius literis ad Regem datis; atque infra afferendis conſtantiſſime aſſerat, non fieri veriſimile epiſcopum ſacram confeſſionem patefeciſſe, in nulla ratione ab eo ſibi indicatum oſtendit. Cœptam paucis poſt interjectis verbis narrationem Mariana proſequitur: *Ergo cum Rex Theraſiæ cauſæ paſſim favere Romanos, Pontificiſque animum manifeſte in eam propenſum, renuntiato judice, ſeu quod res erat ex conſcientia ſuſpicatus, epiſcopo Gerundenſi in curiam evocato, atque in regiam ingreſſo linguam abſcindi coram mandavit.* Hæc Mariana.

(c) Marian. de rebus Hiſp. l. 13 c. 6.





Cur tam graves in eum iras concepetit.

XLIV. Corripit Regem ob crudele facinus Innocent.

Ad quæ illuſtranda pontificias literas adducere operæ pretium eſt, ex quibus conſtat Pontificem graviſſimis verbis perſtrinxiſſe Regis crudelitatem, ipſiuſque poſtulata refregiſſe, cum Aragonius id ſupplicium in epiſcopum exercuiſſe non contentus, in exilium amandari poſceret, criminibuſque illum variis oneraret: ampliſſimis honoribus ornatum ingratum ſe geſſiſſe, præter conſcientiæ arcana patefacta, conjurationes adverſus ipſum conflaſſe. Quæ cum Rex jactaret tantummodo, nec probaret, Pontifex ad corripiendum flagitium inſurrexit: crimen deleret pœnitentia admonuit; (*a*) nec enim potentia qua florebat inſoleſcere debere, quæ quo major foret, eo majori pudore, ſuſcepto tanto ſcelere, ſuffundendus eſſet.

(*a*) Lib. 3. ep. cur. 27.

*Regi Aragonum ſpiritum conſilii ſanioris.*

*Receptis tuis literis & perlectis, mens noſtra nimium obſtupuit enormitate flagitii, quod ipſarum ſeries continebat. Aſſeruiſti quidem in eis venerabilem fratrem noſtrum B.. Gerundenſem epiſcopum jamdudum, priuſquam ad pontificale aſſumptus eſſet officium, ex regiæ familiaritatis gratia tantum in tua curia obtinuiſſe favorem, ut inter majores ibidem, quaſi honorabilior haberetur. Sed ipſe poſtmodum, ſicut adjeciſti, te prodens, quæ in foro pœnitentiali detexeras revelare præſumpſit; alias quamplura contra te gravia machinando, propter quod ei tuum non differret regnum egredi præcepiſti: & demum ipſo epiſcopalem inibi honorem adepto, tu iracundiæ fervore ſuccenſus, eundem capi feciſti epiſcopum, & partem linguæ ſibi auſu ſacrilego amputari; unde petebas a nobis ut de regno ipſum dictum epiſcopum amoveri, & tibi ac illis, qui tanti ſceleris conſilio vel ope ſeu facto fuere participes, abſolutionis impendi beneficium faceremus.*

XLV.

*Sane tuæ nos hactenus literæ puritate fidei, ac devotionis ſinceritate refertæ letificare ſolebant; & celebrem te tuorum fama geſtorum diffuſa per orbem conſuevit etiam reddere remotis: ſed, proh dolor! tua miſſa nuper epiſtola ſtupendæ ſævitiæ inſinuatione horribilis vehementi cor noſtrum implevit mœſtitia, & rumor patrati facinoris tam longe, lateque diſperſus nomen tuum ſingularis laudis ſolitum clarere præconio graviter offuſcavit. Super quo eo gravioris confodimur doloris aculeis, quo perſonam tuam charius, tui tuorumque progenitorum multis exigentibus meritis, diligentes, te inter cæteros catholicos principes Chriſti fidelibus, tanquam devotæ fidei fideliſque devotionis ſpeculum & exemplar anteponere confidentius ſperabamus. Porro eundem epiſcopum tuæ pœnitentialis confeſſionis ſecreta pandiſſe, non leviter credere, nec aſſeverare conſtanter regalem decet prudentiam; cum nec veriſimilitudinem habeat nec ad id accedat credulitas aliorum: præſertim quia ſi velis diligenter attendere, hoc de facili comprobari non poſſet; & peritorum diſcretio principum maxime digne relinquit ſilentio, quæ legitimis nequit probationibus affirmare; nec nos petitioni tuæ potuimus annuere, cum nondum, prout ipſius epiſtolæ tenor innuit, videaris habere animum pœnitendi; ſed conceptum potius contra dictum epiſcopum proſequendi rancorem. Poſtulaſti namque ipſum a regno removeri præfato, tanquam commiſſa in eum crudelitate minime ſis contentus, niſi alterius pœnæ inflictio deſæviat in afflictum; & ſuper dirum ſui corporis cruciatum rigor exilii invaleſcat.*

XLVI. Hortatur ad expiandum pœnitentia crimen.

*Verum quia non ſinit nos antiqua dilectio immemores eſſe tui, ecce non omittentes adhuc literas, & monita noſtra tibi dirigere, dilectum filium fratrem Deſiderium pœnitentiarium noſtrum, virum providum & diſcretum, ad te pro ſalute tua, quam ferventer appetimus, ſpecialiter deſtinamus; ut idem, exprobrata tui gravitate reatus, conſilium tibi ſuper hoc tribuat ſalutare. Nam quis tanquam princeps catholicus exceſſum ſic deteſtabilem commiſiſſe recolitur, & tam atroces tamque ſacrilegas manus in chriſtum Domini extendiſſe? Qua itaque ira, vel furore inflammari adeo potuiſti, ut regia prorſus maturitate depoſita tan-*

*ta laxareris facilitate, ut in virum religioſum, venerabilem Chriſti miniſtrum, pontificali dignitate præditum irreverenter irruens, linguam ejus prædicationis miniſterio, & officio ligandi animas, & ſolvendi; ac divinæ laudis deputatam jubilo, vel verius dedicatam; abjecto timore Domini, cujus idem epiſcopus fungi legatione noſcitur, tam enormi diminutione faceres deformari? Qua injuria, vel offenſa ſic tua debuit commoveri conſtantia, ut in tuum olim ſpiritualem patrem, tuæque medicum animæ hujuſmodi tyrannidem exerceres? Et quidem ſi etiam contra te in aliquo deliquiſſet, tibi penitus non licebat exinde ſumere ultionem; ſed illius profecto ſuper hoc erat judicium requirendum, qui ſuus dominus eſt & judex.*

XLVII. *Redeas igitur ad teipſum, & conſiderans in amaritudine ſpiritus hujus immanitatem criminis, humiliare coram cæleſti Rege, per quem regnas in terris; ſtudens ipſum, quem contra te nimium provocaſti, condigna ſatisfactione placare: prædicto nihilominus epiſcopo & aliis ejuſdem regni prælatis veram cordis contritionem de tanto commiſſo per affectum congruæ pœnitentiæ demonſtrando, ut liquida tuæ mentis compunctio ipſos ad parcendum moveat, & ad rogandum etiam pro te animos attrahat eorumdem: ſicque veniam a Jeſu Chriſto conſequi, & ipſius reconciliari Eccleſiæ merearis; nec de potentia terrena confiſus, pro qua magnæ confuſionis debes rubore perfundi, cum illa contra Deum, a quo ipſam obtines, ſis abuſus, ſatisfacere prætermittas; quia excelſus Dominus amator humilium, & hic nonnunquam ſublimium cervices incurvat, & interdum eorum ſibi vindictam in futuro reſervat. Non igitur differas, ſed acceleres pœnitere aperiens in hac parte jam dicti pœnitentiarii conſiliis aures tuas; ſecurus quod, etſi hoc agere forte contemnas, nos tamen non omittemus, etiam te invito, quantumcunque magnitudini regali diſpliceat, tuam procurare ſalutem. Speramus enim, quod ille, qui converti & vivere deſiderat peccatores, quæ prius bene geſſiſti reſpiciens, tui recordari dignabitur, tibique cogitandi quæ recta ſunt & agendi gratiam largietur; ut tandem tu rationis ſuperante judicio, recognoſcens quod pater filium, quem diligit, corripit & caſtigat, ad pœnitentiam convertaris. Dat. Lugduni* x. *kalend. julii anno* III.

XLVIII. Paruit pontificiis monitis, ut refert Mariana (*a*) Jacobus Rex, ac Valentinum epiſcopum ad veniam poſcendam, paratumque ſe ad dandas pro crimine expiando pœnas, quæ a Pontifice decernerentur, exhibendum Apoſt. ſedi miſit. Audita legatione Innocentius Deſiderio legato cauſæ cognitionem commiſit, ac poteſtate conciliandi Regis Eccleſiæ, ubi ſcelus rite expiare ſacramento eſſet pollicitus inſtruxit. Subdit auctor ex tabulariis Benefaciani monaſterii, ut Jacobus in ſolemni epiſcoporum conventu Ilerdæ habito, Chriſtiana demiſſione in genua provolutus, impoſitas a præſulibus pœnas magna doloris ſignificatione admiſerit: *His præſentibus Rex verbis graviſſimis caſtigatus, atque in genua procumbens, criminis venia donatus eſt ex lege, ſi monaſterium Benefacianum, quod in Dertuſæ montibus ante viginti annos poſt captum Morellam oppidum inchoatum tardis incrementis ſurgebat, magnis ipſe molibus & cæmentis ad culmen uſque ſuo ſumptu perduceret Virginis matris nomine ſacrum, argenti pondo centum & quadraginta circiter annua tribueret; unde Ciſtercienſes in eo monachi vitam ſuſtentarent. Publicum hoſpitium Valentiæ D. Vincentii nomine extrui cœperat pauperibus & peregrinis ſuſcipiendis. Ei xenodochio majora vectigalia deſignata ſunt, argenti pondo quadringenta ſingulis annis; unde pauperes & peregrini alerentur: præterea ſacerdotes aliquot, qui ſacra procurarent, & juvandis fovendiſque pauperibus præſto eſſent. Additum ut Gerundæ in templo maximo idoneis redditibus ſacerdos perpetuis ſacris divinum numen Regi & poſteris propitiaretur. Pontifex diploma conceſſit decimo kalendas octobris anno MCCXLVI. quo poteſtas legatis datur Regem conciliandi cum Eccleſia, quod proximo menſe factum eſt.* XIV. *kalendas novembris Ilerdæ ſolemni cæremonia Rex eſt piorum ſocietati templiſque redditus.* At de Hiſpanicis rebus ſatis.

(*a*) *Marian. de rebus Hiſp. l. 13. c. 6.*

XLIX. Edmundus Cantuar. arch. SS. catalogo adſcribitur.

Hoc anno Edmundum Cantuarienſem archiepiſcopum ab Innocentio Papa Lugduni dominica proxima natalitia Domini præcurrente ſanctorum catalogo adſcriptum referunt, Pariſius, (*b*) Bernardus, (*c*) Guillelmus Nangius, (*d*) ac Longinus (*e*). Subiicit Pariſius Anglorum Regem, ubi hæc accepit lætitia ingenti perfuſum, rem divinam ſolemni pompa in æde regia peragi juſſiſſe. Cæterum extat apoſtolicum diploma (*f*) de eodem Edmundo inter ſanctos relato, anno proximo ineunte datum, in quo Pontifex patrata divinitus ejus apud Deum precibus miracula recenſet, ut cæcis viſus reſtitutus, ut leproſi lethalique morbo impliciti priſtinæ valetudini redditi; tum vero ut vitam ſanctiſſime duxerit, carnis aculeos ciliciis, jejuniis ac vigiliis attriverit; ut puriſſimum animum cœlo continuis precibus transfuderit, gregem ſanctiſſime paverit, atque ingentes in pauperes eleemoſynas effuderit; tum ſubiicit: *Ut geſtorum ſuorum multitudinem ſuccincta relatione texamus, ſic Jeſum firma credulitate cognovit, & agnitum ſincero corde dilexit, ac dilectum totis votis am-*

De illius virtutibus.

(*b*) *Matth. Par. hiſt. Angl.*
(*c*) *Ber. chr. Rom. Pont.*
(*d*) *Guill. Nang. de geſt. S. Lud.*
(*e*) *Joan. Long. hiſt. Pol. l. 7.*
(*f*) *Apud Vveſt-monaſter. flor. hiſt. hoc ann.*



*bivit, quod mundo & eis, quæ in mundo ſunt, penitus vilipenſis, ad cœleſtia cunctis ſtudiis inhiavit ſatagens ſe ſuo nomini actibus coaptare, ut ſicut vocabatur Eadmundus, ſic ſe vel a criminum labe mundum, vel e mundo abductum, ſeu extra mundi amplexus poſitum, operum teſtificatione probaret. Unde tanquam ſpiritualis homo Eadmundus a carnis contagiis in extremis agens, & corpus Chriſti ſibi delatum reverenter adorans, hæc verba omni attentione notanda, mira protuliſſe compunctione aperte monſtratur: Tu es in quem credidi, quem prædicavi, quem docui, & tu teſtis es mihi, quod nihil aliud niſi te Domine in terra quæſivi, ſicut tu ſcis quod ego nihil volo niſi quod tu vis, fiat voluntas tua. Verum cum vivens Dei Eccleſiam præclaris illuminaſſet meritis, mortuus ſuæ claritatis radios non ſubtraxit: ſed quum functus hac vita verius viveret quam vixiſſet, eam poſtmodum illuſtravit fulgore luminis plenioris. Non enim voluit Dominus ſanctitatem mundo ſupprimi tanti viri: quin ſicut pluralitate innotuerat meritorum, ſic miraculorum diverſitate pateret: ut qui tota ipſum devotione coluerat, jam ſecum regnans venerabiliter coleretur. Nam cæcis lumen reſtituit &, quod glorioſius, de cujuſdam oculis innatæ cæcitatis tenebras infuſi viſus perſpicuitate fugavit. Alii, cujus linguam natura diutina taciturnitate ligaverat, liberam loquendi tribuit facultatem. Leproſam quandam, ſquammis lepræ mox decidentibus, ſubita & mirabili abſterſione mundavit. Tremula paralytici membra firmavit conſolidatione nervorum: contractis artuum extenſione ſubvenit. Tumentem hydropiſim corporis extenuatione curavit; & quandam ſimilis ætatis veteri gibbo imis inflexam reſtituit, erecta ſurſum ejus facie, ſanitati. His & aliis quampluribus coruſcavit miraculis manifeſtis, quorum ſeriem non duximus præſentibus inſerendam. Convaleſcit ex ipſis fides catholica, Judæorum pertinacia erubeſcit, confunditur hæreticorum fallacia, & obſtupeſcit ignorantia paganorum. Dat. Lugd.* III. *id. januar. pontif. noſtri ann.* IV.

Fide in ſanctiſſimum Sacramentum ſingulari.

Et miraculis.

L. Felix S. Lutgardis obitus.

Hoc denique anno, quo egregium præſulem ſanctorum albo adjectum vidimus, S. Lutgardem in beatorum ſedes emigraſſe teſtatur Thomas Cantipratenſis, (*a*) qui ejus res geſtas præclare conſcripſit: *Cum jam*, inquit, *mortis hora adeſſet, oculos in cœlum ſuſtulit, & munita vivificis ſacramentis in medio juvencularum tympaniſtriarum, admixtis cœleſtis exercitus principibus pſallentibus, felix anima ad liberas auras ſupernæ Hieruſalem exultans & lætabunda evolavit ſub veſperam, anno a Chriſti incarnatione MCCXLVI. decimoſexto kal. julii indictione* IV. *ætatis ſuæ anno LXIV.* Hæc ille. Porro Lutgardis virginis nomen eodem die in eccleſiaſticas tabulas (*b*) relatum eſt.

(*a*) *Cant. vit. S. Lutgard. l. 3. c. 12. apud Sur. t. 3. die 16. jun.*

(*b*) *Martyrol. Rom. 16. jun.*

LI. Res Terræ ſanctæ.

Supereſt ut res orientales delibemus: de quibus tradit Pariſius (*c*) Templarios atque Hoſpitalarios quibuſdam precibus ac jejuniis, pro Terræ ſanctæ a Deo obtinenda liberatione communi voto ſeſe aſtrinxiſſe; ac pro eripiendis e ſervitute magiſtris nonnulliſque fratribus, ad ſoldanum Babyloniæ oratores miſiſſe, eoſque ab hoſte contemptui habitos ac repulſam paſſos, Terræ ſanctæ incolas, emergentibus inter Sarracenos novis odiis & diſſidiis, paululum recreatos, ſed a ſultano Ægyptio improviſa demum irruptione oppreſſos ex Jordano (*d*) colligitur: *Eodem anno*, nimirum, MCCXLVI. *ſoldanus Damaſci a ſoldano Alapiæ fratre incarceratur. Hæc audiens ſoldanus Ægypti veniens occupavit Damaſcum, Calametam, & Maubeth. Deinde Chriſtianorum terram percurrens, omnia munimenta nuper erecta per Regem Navarræ, comitem Britanniæ, & comitem Cornubiæ dejecit; caſtrum ſcilicet Tyberiadis, Aſcalonem, &c. Tunc Turchemani præ cunctis deſpectiores Antiochiæ caſalia depopulantur; qui nec civitatibus nec caſtris utuntur, nec lucris inhiant: ſolis animalibus contentantur, & tentoriis utuntur de philtro. Hos Antiocheni contemnentes, dum inordinate procedunt, ab ordinatis pluries ſuperantur, & facti ſunt Antiochenis formidini.* [1]

(*c*) *Par. hiſt. Angl.*
Inſtitutæ publicæ a religioſis equitibus preces.

(*d*) *Jord. MS. bibl. Vat. ſign. n. 1960. in chron. hoc ann.*
Soldani Ægyptii in Syriam irruptio.
Antiocheni a barbaris vaſtati.

LII. Ut hæc atque alia imminentia mala averteret Innocentius, opportunumque S. Ludovico ornandæ expeditionis ad afflictas res excitandas tempus conciliaret, ſoldanum Babylonium de pace interpellavit: non, ut Albertus Stadenſis a Fridericianis in errorem inductus ſcripſit Pontificem tam acerbo in Fridericum odio flagraſſe, ut non Chriſtianos modo, ſed etiam Sarracenos concitare niteretur; quin potius, ut notat Pariſius, inceſſit plures timor, ne Fridericus Sarracenos in Impe-

Interpellat Innocentius ſoldanum Babylon. de pace.

NOTÆ [1] QUæ Jordanus hic ab annaliſta relatus narrat, de occupata a Soldano Babylonis Damaſco, licet ſub hoc anno ab eodem conſignantur; non tamen differre arbitror ab iis, quæ annaliſta noſter ſuperiori anno num. 96. ex Pariſio de occupata a Choraſminis Damaſco notavit. Cum enim Choraſmini Babylonis Sultano admilitarent, quam ipſi cœperunt urbs Soldano Babylonis ceſſit. Hinc Sanutus, & Bernardus theſaurarius in hiſtoria Gallica, ſub titulo continuationis ad Tyrium vulgata, unius tantum occupationis Damaſci a Soldano Babylonis meminerunt. Id ſi admittatur, geſta ſuperiori anno male cum præſenti a Jordano copulantur. MANSI

Quæ cauſæ ad id moverint. Henricus Rex Cypri Ptolemaidi præfectum imponit.

(a) Jord. MS. Vatic. ſignat. n. 1960.

rium evocaret. Diviſi præterea inter ſe erant animis Chriſtiani regni Hieroſolymitani, cum alii Friderico ejuſque filio Conrado adhærerent; alii vero ut Acconenſes, qui a Friderico defecerant, Regi Cypri parerent. Jordanus enim ubi hoc anno mortem Reginæ Ayliſiæ conſignavit, ſubdit (*a*): *Filius Henricus Rex Cypri in regno Hieroſolymitano ſuccedit, & in Ptolemaide balivum poſuit.*

Ex ea igitur diſſenſione non levis terror impendebat, ne Fridericus ex Acconenſium, aliorumque defectione exaſperatus in ipſos amicitia conjunctiſſimum Babylonium commoveret. Cujus avertendi mali conſilio potuit adduci Pontifex; quem etiam pelliciendi ad Chriſti cultum barbari principis cupiditas movit, ut e ſcriptis a ſoldano e Græco in Latinum verſis literis (*b*) videre eſt: quibus ſignificavit Innocentio, rem eam ſine Friderici aſſenſu, cujus amicitiam veterem, qua parenti ſuo fuerat conjunctiſſimus, religioſiſſime colebat, perficere non poſſe; deque ea re ad oratorem in Friderici aula agentem litteras miſſurum. Antea vero ex pontificiis literis vidimus ſoldanum, diſſimulante Friderico, atque etiam oratorem Sarracenum magnificentiſſime excipiente, acerba Chriſtianis damna intuliſſe.

(b) Ext. apud Inn. l. 3. ep. cur. 29. apud Stad. ubi ſup. & Crantz. Metrop. l. 8. c. 14.

Honorifica nomina a ſoldano Pontifici data.

*Præſentiæ Papæ, nobilis, magni, ſpiritualis, affectuoſi, ſancti, tertiidecimi Apoſtolorum; univerſalis loquelæ Chriſtianorum manu tenentis, adoratoris crucis, judicis populi Chriſtiani, ductoris filiorum baptiſmatis, ſummi Pontificis Chriſtianorum. Confirmet eum Deus, & det ſibi felicitatem. A ſoldano potentiſſime regnante ſuper colla nationum, continente duas virtutes gladii & calami, poſſidente duo præcellentia, ſcilicet doctrinam & judicium; rege duorum marium, dominatore auſtri & ſeptentrionis, rege regionis Ægypti, & Syriæ, & Meſopotamiæ, & Mediæ, & Idumææ, & Ophir; rege Salech, Belfet, Ajob, filio ſoldani Regis Hadel Robere filii Ajob; cujus regnum Deus diligit.*

LIII. *In nomine Dei miſericordis & miſeratoris. Præſentatæ ſunt ſcripturæ Papæ nobilis, magni, ſpiritalis, affectuoſi, ſancti tertiidecimi Apoſtolorum, univerſalis loquelæ Chriſtianorum manu tenentis, adoratoris crucis, judicis populi Chriſtiani, ſummi Pontificis filiorum baptiſmatis. Faciat eum Deus de affectantibus bonum & facientibus illud, & volentibus pacem, & perſeverantibus in cauſis ejus; & adjuvet eum Deus in his quæ decentia ſunt ad illos, qui ſunt ſui cultus ſive ritus, & ad alios. Reſpeximus illas ſcripturas ſtudioſe, & intelleximus capitula, quæ in eis inſerta erant; & eorum continentia nobis placuit, & delectatus eſt auditus noſter in relatu eorum. Et nuncius venit ad nos, quem miſit ſanctus Papa, & ipſum prævenimus cum honore & dilectione, cum devotione & reverentia. Ipſumque convocavimus ad conſpectum noſtrum, ſibi inclinantes; intendimus aurem verbis ejus, & fidem adhibuimus ei, nuncianti nobis de Chriſto, ſuper quem ſit ſalus. De quo Chriſto plus ſcimus, quam vos ſciatis; & magnificamus eum plus quam vos magnificetis. Et de hoc, quod dicitis vos deſiderare tranquillitatem & quietem, & habere materiam convocandi populos ad pacem; ſimiliter nos deſideramus, nec volumus contraire: & hoc ſemper voluimus & deſideravimus. Sed Papa, quem Deus confirmet, ſcit, quod inter nos & Imperatorem jamdudum fuit familiaritas & dilectio mutua, & concordia perfecta a tempore ſoldani patris noſtri, quem Deus ponat in claritate: & inter nos & Imperatorem prædictum eſt, ſicut ſcitis. Unde non licet nobis aliqua componere cum Chriſtianis, niſi prius habuerimus ſuper his ipſius conſilium & aſſenſum. Et nos ſcripſimus nuncio noſtro, qui eſt in curia Imperatoris, pro cauſis quas detulit nuncius Papæ, nuntiantes ei capitula & propoſita nuncii veſtri. Ipſe nuncius noſter veniet ad præſentiam veſtram, & loquetur vobis, & poſtquam renunciaverit, faciemus juxta tenorem reſponſi. Nec diſcrepabimus ab eo, quod utile videbitur univerſis; ita quod poſſumus habere meritum a Deo. Hæc vobis annunciamus, & bonum ampliabitur in poſterum, Deo dante. Scriptum eſt hoc in ſeptima die menſis * Maharram, quæ fuit lunatio auguſti. Laus Deo ſoli, & benedictio ejus ſuper dominum noſtrum Mahumetum, & ſuper genus ipſius. Ipſe ſit pars noſtra.* Hactenus Sarraceni principis literæ, qui illatam evangelii lucem admittere noluit.

Sine Friderici conſenſu pacem reſpuit.

* al. Macharon

LIV. Superioribus Syrorum malis addit Pariſius Tartaros, pluribus Sarracenorum principibus domitis, latius victorias protuliſſe; ac Regem Armeniæ, Antiochenum principem & alios proceres Chriſtianos vectigales feciſſe. Quibus conſentanea apud Vincentium Bellovacenſem (*c*) de Rege minoris Armeniæ leguntur: *Conſtans pater & bajulus Regis Armeniæ, qui vocatur Aitons, filium ſuum ejuſdem regni comeſtabulum ad Tartaros miſit, eorumque tributo ſe ac regnum ſuum ſubiiciens pacem cum eis compoſuit.* Ingruentibus igitur undique ad opprimendos orientales Chriſtianos barbaris, Innocentius tuendæ fidei zelo ad ſacrum ſubſidium comparandum incubuit: ac tum Friſiæ epiſcopos, tum epiſcopum Tuſculanum A. S. L monuit (*d*) crucesignatos ad traiiciendum in Syriam cum Gallorum Rege paratos eſſe juberent; reluctantes cenſuris compellerent, ni forte iis impedimentis impliciti eſſent, ut eorum vota commutanda viderentur. Quin etiam præcepit legato, ut

Rex Armeniæ & princeps Antiochiæ ſe Tartarorum vectigales conſtituunt.

(c) Specul. hiſt. l. 13. c. 29.

Innocentii curæ pro Aſiatica expeditione promovenda.

(d) Inn. l. 4. ep. 59. & 232.



ut cum Hieroſolymitanæ profectionis tempus appeteret, concionatorum opera crucesignatos ad ſe itineri accingendos adigeret, (*a*) utque crucesignatos, qui prærogativis decorati iis ad patranda immania ſcelera abutebantur, ut a Francorum Rege acceperat, clientela ſua deſtitueret, ac permitteret (*b*) in eos legum ſeveritatem diſtringi. De inita porro a ſancto Rege expeditione, cui principes aliquos viros cruce inſignitos ad rem publicam gerendam, atque alia negotia conficienda dimittere permiſit, plura anno ſequenti.

(a) Ib. ep. 233.

(b) Ep. 234.

Nec intentæ modo ad reparandum Hieroſolymit. regnum pontificiæ curæ; verum ad Conſtantinopolitanum etiam Imperium ab ſchiſmaticis undique maximo diſcriminis extremi terrore circumfuſo liberandum incubuere: imperatas enim ideo ab Innocentio pecunias Pariſius teſtatur. Præterea inter cætera beneficia apoſtolica, illud contulit Innocentius (*c*) Balduino Imp. ut dum pro Imperio bellum cum hoſte gereret, nullus ipſum anathemate defigere, vel terras quas in Germania & Galliis obtineret, interdicto ſupponere poſſet, niſi ab ſede Apoſtolica hujuſmodi indulti mentio expreſſa edita foret.

Et Conſtantinopolitano Imp. fulciendo.

(c) Ep. 302.

I. EXcitatæ præteriti anni victoria a Lantgravio parta Eccleſiæ res, inopina clade hoc anno, quadrageſimo ſeptimo ſupra milleſimum ducenteſimum a Chriſto nato indictione quinta, depreſſæ fuerunt: rurſuſque Pontificis diligentia ſuffecto in extincti Lantgravii locum Willelmo Hollandiæ comite, erectæ & confirmatæ. Recenſet quidem Pariſius (a) perculſas fractaſque repentino caſu Eccleſiæ adhærentium partes. Cum enim ſecundo rerum ſucceſſu uteretur Lantgravius, utque regiis ornamentis inſigniretur, Aquiſgranum cum exercitu peteret, Conradum Friderici filium cum egregiis copiis obviam accurriſſe, & quindecim armatorum millibus in inſidiis collocatis, prælio Lantgravium laceſſiviſſe: qui cum jam tota exercitus mole Conradum obtereret, hoſtes alii ſigno edito procurrere, atque victores incautos oppreſſere. Mox Conradum reportatæ victoriæ terrorem late circumtuliſſe, in Lantgravii ſequaces omne crudelitatis genus exercuiſſe: Lantgravium vero, qui die ſequenti diadema excepturum ſe arbitrabatur, mœrore ac luctu emarcuiſſe. Verum alii nullam cladis hujuſmodi mentionem edidere, unde fictionis ſuſpicione non carere videtur. Henrici ſane obitum hoc anno accidiſſe, præter magnæ auctoritatis hiſtoricos teſtes, Stadenſem, (b) qui addit ducem Brabantiæ mox filiæ nomine, quæ Henrico nupſerat, Thuringiæ adminiſtrationem corripuiſſe, Pariſium, (c) fragmenti hiſtorici incertum auctorem, Siffridum, (d) Patavinum monachum, (e) Willelmum Nangium, (f) hiſtoriæ de Lantgraviis ſcriptorem, (g) atque alios (h) pleroſque; ex recenſendis paulo poſt Innocentii literis manifeſte colligitur. Eum vero principem dignis Imperio virtutibus ac laudibus ornatiſſimum, ac S. Elizabethæ levirum fuiſſe, in Lantgraviorum hiſtoria & chronico Citizenſi traditur: quamvis Trithemius (i) illius filium extitiſſe aſſerat.

(a) Par. hiſt. Angl.

Henricus Romanorum Rex a Conrado ex inſidiis fuſus. Magnum ſui deſiderium moriens relinquit.

(b) Stad. in chron. (c) Matt. Par. hiſt. Angl. (d) Siffrid. ep. lib. 2. (e) Mona. h. Pad. chr. l. 2. (f) Vvill. Nang. in geſt. S. Lud (g) Hiſt. Lantgrav. c. 52. (h) Addit ad Lambert. annal. Colmar. & alii.

(i) Trithem. in chron.

II. Petrus Capocius Card. in Germaniam legatus mittitur.

Quid porro Innocentius accepto de morte Henrici triſti nuncio egerit, refert Albertus Stadenſis, qui primum de legato in Germaniam miſſo hæc ſcribit: *Papa Henricum Lantgravium mortuum intelligens, Petrum * Capucium de Aurelo * diaconum Cardinalem miſit in Theutoniam.* [1] Innocentium hoc anno idus martii legationis in Germania, Dania, Polonia, ac Pomerania gerendæ munus illi impoſuiſſe oſtendunt ad Germanos principes divina, vel humana auctoritate conſpicuos, ea de re literæ exaratæ (k); quibus, ubi deſiderium ingens, quo ad illuſtrandas ipſorum regiones, ut malis urgentibus mederetur, flagraret expoſuit, adjecit ut cum natura uni tantum loco ipſum adſtringeret, ſe ipſum vice ſui tranſmittere; ac derivata in eum apoſtolica poteſtate, ſtatuendis componendiſque rebus omnibus præfeciſſe: *Dilectum filium noſtrum Petrum S. Georgii ad velum aureum diaconum Card. virum utique ſcientia præditum, morum honeſtate decorum, & conſilii maturitate præclarum, ad partes eaſdem tanquam pacis angelum de fratrum noſtrorum conſilio, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, ut evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, ſicut viderit expedire, duximus deſtinandum. Quia vero ipſum inter alios fratres noſtros ſpecialis dilectionis brachiis amplexamur, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus quatenus eum, immo potius nos in ipſo, benigne recipientes, & honeſte pertractantes, eidem tanquam Apoſtolicæ ſedis legato intendatis humiliter & devote, ipſius monita & præcepta, & quæ vobis ex parte noſtra mandaverit efficaciter adimplendo. Dat. Lugd. id. mart.*

* Capocium * ad velum aureum

(k) Inn. l. 5. ep. 52.

NOTÆ [1] CErtam diem & menſem qua Henricus deceſſit a nemine definitam reperi, quam hic referre libet ex anonymo Erfordienſi, qui cum res Henrici adeo calluerit, ſupra alios forte merebitur fidem & in iis quæ de genere mortis ejus (de qua diſſident ſcriptores) enarrat: *Heinricus rex dum ſecundam in Bavariam atque Sueviam feciſſet expeditionem ex nimio motu paſſus* (eraſæ ob vetuſtatem codicis literæ hiatum relinquunt) *in Thuringiam ad caſtrum VVarbec revertebatur, ubi morbo invaleſcente XIII. Kal. martii diem clauſit extremum, ſepultuſque eſt in monaſterio monalium S. Katharinæ, in quo nimirum ſine hærede defuncto nobilis illa principalis proſapia terminata eſt, quam a primo Ludovico per CXVII. annos in Thuringia tenuerat principatum.* Nihil hic de cæde quam paſſum fuiſſe Henrici exercitum Pariſius comminiſcitur; nihil de morte Henrici ex vulnere contracta, quod a nonnullis abſque idoneo teſte aſſeritur. Morbum ex nimia agitatione contraxit, a quo demum ſublatus eſt.

Ad Villelmum vero in locum Henrici ſubſtitutum quod attinet, hæc adnotanda cenſeo. Anno iſto declinante Willelmum in regem Romanorum aſſumptum fuiſſe, certum & exploratum eſt. Id vero menſe ſeptembri exeunte præſtitum annaliſta ex authoritate Stadenſis definit. Sed repugnat diploma ejuſdem Willelmi legendum apud Lunig in Spicilegio eccleſiaſtico continuat. III. pag. 259. quod in gratiam Conſtantienſis electi conceſſum, datum eſt *e caſtris* apud Aquis 3. non. ſeptembris indictione quinta anno 1247. Porro in fronte diplomatis hujus Willelmus titulum ſibi vindicat *Romanorum in regem electi & ſemper auguſti*. Ex his ergo conſtat Willelmum non exeunte quidem, ſed ineunte potius ſeptembri menſe cœpiſſe. MANSI



III. Ad coercendos porro Fridericianorum impetus legato apoſtolico provinciam injunxit, ut ſubjectas pœnas (a) in eos, qui tyranni partibus infecti erant, diſtringeret: *Multum expediret Eccleſiæ negotio, quod habetur præ manibus, ut in partibus Theutoniæ in publicis ſtationibus & aliis locis, in quibus ſolet multitudo populi convenire, per aliquos religioſos auctoritate apoſtolica excommunicationi ſubdantur omnes illi, qui, poſtquam Eccleſiæ adhæſerant, & ſuper hoc præſtiterant juramentum, in arcum converſi perverſum redire ad obſequia Frederici & Conradi nati ejus auſu nefario præſumpſerunt; ſuppoſitis nihilominus eorum terris eccleſiaſtico interdicto. Et in eiſdem ſtationibus & locis prohibeatur expreſſe, ut tam ipſi quam omnes alii, qui eiſdem Frederico vel Conrado poſt latam in eundem Fredericum depoſitionis ſententiam adhæſere, ad teſtimonium, vel ad alios actus legitimos nullatenus admittantur: nec ſi ad Eccleſiam confugerint, habeant conſuetæ defenſionis beneficium ab eadem; cum legis auxilium * invocet, qui committit in legem: in dictis locis & ſtationibus ſub interminatione anathematis; & interdicto ut nullus cum adhærentibus ſeu fautoribus præfati Frederici vel Conradi emendo, ſeu vendendo, aut etiam alio modo communicare præſumat: clerici quoque, qui ſuis venenatis detractionibus nituntur vel Eccleſiæ impedire negotium, vel ipſum, quantum in eis eſt, denigrare, ab officio, & beneficio in prædictis locis, & ſtationibus ſuſpendantur, & ſuſpenſi ibi & alibi nuntientur, &c. Datum Lugdun.* XI. *non. jun. anno* IV. Conſuluit vero Bambergenſis epiſcopi dignitati, quem Henricus Lantgravius ad ſummum Imperii in re forenſi magiſtratum, quem cancellarium dicebant, ut virum gerendo muneri virtutibus parem vocaverat; dum legato ſuo præcepit, ut cum id munus toto vitæ curſu geri deberet, atque pro dignitate ab eo epiſcopo ſuſtineretur, daret operam, ut qui Imperio eſſet ſucceſſurus commiſſum illi officium confirmaret: quæ literæ nonis ſeptembris exaratæ.

(a) Lib. 4. ep. cur. 113.

* fruſtra

IV. Non diu poſtea vacavit rectore Germania, agente enim Innocentio, ac Petro Capocio Cardinali legato rem urgente, Willelmus Hollandiæ comes opibus, ætate, viribus florentiſſimus, multorum principum affinitate atque amicitia ſuffultus, in Romanorum Regem electus eſt; ac mox ſacramento fidei plures ſeſe illi aſtrinxerunt; Saxoniæ tamen ducem nonnulloſque alios ab ea electione abhorruiſſe tradit Pariſius (b). A quibus parum diſcrepant, quæ incertus fragmenti hiſtorici auctor prodit, metu plures principes perhorruiſſe ſceptrum Germaniæ contra Friderici & Conradi potentiam ſuſcipere, ac refugientibus aliis, ne ſuo ſanguine oblatam purpuram cruentarent, Brabantiæ ducem ſuum ex ſorore nepotem gerendo Imperio obtuliſſe. Celebratam Willelmi Hollandiæ comitis quinto poſt diem D. Michaeli ſacrum recurrente electionem affirmat Stadenſis, qui de navata a legato in conventu principum celebrando egregia opera hæc tradit (c): *Evocatis archiepiſcopis, & epiſcopis, quos potuit, concilium prope Coloniam celebravit. Et feria quinta poſt Michaelis, * Vvillelmus frater comitis Hollandiæ a quibuſdam epiſcopis & comitibus in Nuſſia in Regem Romanorum ad gubernandum Imperium eſt electus.* Cæterum Willelmum hoc anno Regem Romanorum ad evertendam Friderici, & Conradi tyrannidem ſalutatum non conſentiunt modo auctores alii, ſed pontificiæ literæ (d) ad Maguntinum archiepiſcopum & ſuffraganeos datæ illuſtrant; quibus egregium ipſius in eligendo novo Rege ſtudium maximis laudibus extulit, atque ad ejus partes tuendas amplificandaſque excitavit.

(b) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Habitus a legato Nuſſiæ principum conventus.

(c) Stad. in chr. hoc ann. In eo Willelmus comes Hollandiæ, Rex Salutatus.

* feſtum

(d) Lib. 5. ep. cur. 22.

V. Solicitat Germanos Innocentius ut Willelmi partes ſtrenue defendant.

*Studium & ſolicitudinem, quam in creatione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Romanorum illuſtris habuiſſe noſcimini, dignis in Domino laudibus commendantes gratiarum vobis, quas poſſumus, referimus actiones. Quia vero quanto majus eſt inceptum negotium, tanto ad felicem ejus conſummationem auxilio indiget potiori, fraternitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente in remiſſionem vobis peccaminum imponentes, quatenus conſiderato prudenter, quod non eſt in tam arduo negotio dormiendum, ad ea quæ ipſi negotio expedire videritis, dantes opem & operam ſecundum prudentiam a Domino vobis datam, eidem Regi viriliter & potenter aſſiſtatis conſtantia conſueta. Dat. Lugd.* III. *kal. decemb. ann.* V. Cujus epiſtolæ ſententia ad Colonienſem, Trevereníem, & Bremenſem archiepiſcopos, eorumque ſuffraganeos miſſa, tum ad alios præſules, Herbipolenſem, Argentinenſem, Monaſterienſem, Spirenſem electum; atque ad principes ducem Brabantiæ, Geldriæ & de Los comites ut communibus animis novo Romanorum Regi, atque Eccleſiæ cauſæ adeſſent.

VI. Gratulatur Colonienſibus Pont. ob egregium in Willelmum ſtudium.

Eorum principum exemplo adducti populi, Conradi depulſo jugo Willelmum Regem ſalutarunt: erga quem præ cæteris egregie affecti Colonienſes fuere, quos ob id literis ſubjectis (e) Innocentius commendavit: *Sicut a Domino factum eſt, quod quaſi ex inſperato perſona non tam digna, quam digniſſima ad Imperii faſtigium eſt aſſumpta, ita credimus a Do-*

(e) Ib. ep. 17.

*a Domino eſſe factum, quod Colonienſis civitas adeo famoſa & celebris, & quodammodo in Theutoniæ partibus ſingularis, prout ſui magnitudine, nobilitate, & potentia præcellit alias civitates, ſic in recipiendo & honorando perſonam ipſam, videlicet chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Romanorum illuſtrem ſpontanea voluit, ſuper quo vobis gratiarum multimodas actiones referimus, eſſe prior: ex quo vos & ſedem Apoſtolicam ac eundem Regem tanto vobis fortius obligaſtis, quanto per hoc dignoſcitur ipſius Regis proceſſus feliciter dirigi, & ſtatus ejus proſpere ſublimari. Cum igitur non incipientium, ſed uſque in finem perſeverantium ſit corona; licet inter alios de virtute conſtantiæ & nomen habeatis & omen, quia tamen non nocet immiſſo ſubdere calcar equo, univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente in remiſſionem vobis peccaminum imponentes, quatenus conſiderato prudenter, quod prudentum eſt de virtute proficere in virtutem; ſic in ipſius Regis devotione firmitate inconcuſſa & ſolita perſiſtatis, quod proinde vobis favore apoſtolico, & regio inſimul accreſcente, poſſitis apud Deum & homines de fide, perſeverantia fidei non immerito commendari. Dat. Lugd.* XIII. *kal. decemb. anno* V. Monet ut fidem conſtantiſſime colant, gratiamque ipſis apoſtolicam ac regiam pollicetur: cujus etiam argumenti Maguntinis civibus literas (*a*) miſit, quibus omnibus epiſtolis dies appoſita eſt XIII. kalendas decembris pontific. anno V.

(*a*) *Ibid. ep.* 18.

VII. Ne vero diſcordia quæ inter Brabantiæ ac Lotharingiæ ducem novi Romanorum Regis avunculum, & Maguntinum archiepiſcopum emerſerat, Willelmi progreſſus diſturbaret, vireſque ipſius infringeret, plures ad legatum epiſtolas conciliandæ inter eos pacis gratia exaravit (*b*), cui in ea re Maguntinum dicto audientem eſſe juſſit (*c*): legatum ut antea juſſerat (*d*) crucis ſigna in Fridericum attollere, ac fideles propoſita indulgentiarum venia in auxilium Willelmi accendere imperavit (*e*), cujus argumenti extant ad religioſos Prædicatores datæ apoſtolicæ literæ (*f*) ut eloquentia ſua ad capeſſendam ſacri belli teſſeram militem pro concione incitarent. Provinciam etiam ſuo legato dedit (*g*) ut epiſcopos Germaniæ vires ſuas cogere, & cum Brabantiæ ac Lotharingiæ duce pro cauſa pontificia ſtrenue laborante conjungere moneret: *Cum ſicut accepimus, promiſeris dilecto filio nobili viro duci Brabantiæ, ac Lotharingiæ & feceris promittere omnes prælatos Alemanniæ per patentes literas eorundem, quod aſſiſtant ei tanquam ſocii ſociis, & amici amicis viriliter, & potenter in negotio Eccleſiæ contra Fredericum quondam Romanorum Imperatorem & filios & adjutores & fautores eorum; nos attendentes quod hujuſmodi promiſſio digna eſt proſecutione favoris, quodque iidem ipſorum viribus conflatis in unum cauſam Eccleſiæ, quæ nunc agitur, cum non ſit propria, ſed communis, poterunt intrepide proſequi, & inimicorum impetum minime formidare; mandamus quatenus dictos prælatos ad id moneas efficaciter & inducas, & ſi neceſſe fuerit auctoritate noſtra, ſubmoto appellationis impedimento, prout videris expedire, compellas. Datum Lugdun.* XII. *kalend. decemb. anno.* V.

Brabantiæ ducem & Magunt. arch. conciliat.
(*b*) *Ep.* 14. &*c.*
(*c*) *Ep.* 48. & 51.
(*d*) *Ep.* 20.
(*e*) *Ep.* 13.
(*f*) *Ep.* 19.
Bellum ſacrum propoſitis indulgentiis in Frid. accendit.
(*g*) *Lib.* 5. *ep.* 380. 383.
Jubet omnes præſules ſcripto ſacramento ſe aſtringere duci Brabantiæ non defuturos.

Reſpuere juſſa apoſtolica nonnulli, inter quos Magdeburgenſis archiepiſcopus, Patavienſis & Friſingenſis epiſcopi fuerunt, qui Friderici partes ardentiſſime efferebant; ad quas confirmandas magis Magdeburgenſis pro conciliando inter Saxoniæ ducis filiam & Fridericum matrimonio interceſſerat; cujus rei occaſione Saxo, Bavarus, Miſnenſis, Auſtriaci, Stirii, aliique viri nobiles copias maximas conflabant: quorum impetus incuſſa cenſurarum religione coercere conatus eſt Innocentius atque hæc legato imperia fecit (*b*): *Cum Magdeburgenſem archiepiſcopum, & Patavienſem, ac Friſingenſem epiſcopos, velut nobilia membra Eccleſiæ, adeo deberet comedere zelus ejus, ut non poſſent, opprobria illi exprobrantium, & uſurpantium jura ejus æquanimiter ſuſtinere; iidem quod non abſque amaritudine cordis accepimus, non ſolum non aſſiſtunt ipſi Eccleſiæ eorum matri contra malitiam eam perſequentium, ut deberent, opponendo ſe murum pro ea aſcendentibus ex adverſo; ſed etiam, divino timore ac humano pudore poſtpoſitis, & pontificali gravitate neglecta, necnon & clavibus Eccleſiæ damnabiliter vilipenſis Frederico quondam Imper. excommunicato, & Dei & Eccleſiæ inimico præſtant manifeſte auxilium, conſilium & favorem; per quod dictam Eccleſiam ut hoſtes publici perſequuntur eodem Magdeburgenſi matrimonium inter ipſum Fredericum, & filiam ducis Saxoniæ procurante. Accepimus ſiquidem quod marchio Miſnenſis, Bavariæ, ac Saxoniæ duces, & filia ipſius ducis Saxoniæ; necnon & nobiles de Auſtria, & Stiria, & H. de Ouurſtem, qui pro ipſorum nobilium capitaneo nomine dicti Frederici ſe gerit; viri nobiles genere, ſed ſuis perverſis actibus ignobilitantes ſeipſos, & in reprobum ſenſum dati, præfato Frederico contra Deum, & ipſam Eccleſiam aſſiſtunt viriliter, & potenter. Ideoque mandamus quatenus prædictos archiepiſcopum & epiſcopos auctoritate noſtra citans præfigas eis terminum peremptorium competentem, quo perſonaliter ad præſentiam noſtram accedant pro meritis recepturi: alias vero jam dictos nobiles, ut ab eodem Frederico penitus recedentes non præſtent ei auxilium, conſilium, & favorem; ac ad unitatem ſanctæ matris Eccleſiæ revertantur, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellendo, ſi videris expedire. Dat. Lugd.* VII. *kalen. novemb. anno* V.

VIII.
(*b*) *Ib. ep.* 382.
Nonnulli Germani præſules Pontifici adverſantur.
Vocantur in judicium.



IX. Quæ vero ex ingenti illo adverſarum partium bellico apparatu ſint ſecuta, deſcribit Pariſius (*a*) legatum Colonienſis archiep. fultum auxilio conflato potentiſſimo exercitu, quem ſtipendiis, a laicis fidelibus atque eccleſiaſticis ad Eccleſiæ jura tuenda ſuppeditatis, alebat, adverſus Conradum duxiſſe, illiuſque ita fregiſſe vires omnes, ut Germania diſcedere coegerit: ſed poſtea id contigiſſe non levi argumento eſt, qui auctor etiam annalibus ſuis Friderici impium facinus mandavit. Ait enim illum mœrore ingenti ob res ſuas depreſſas in Germania perfuſum, cum novi Imperatoris potentiam efflorefcere videret, inſidias vitæ Innocentii paraviſſe, quoſdamque profligatos milites pro eo trucidando corrupiſſe: alteram quidem conjurationem, quam Walterus de Ocra Friderici clericus, ac præcipuus conſiliarius conflaverat ab altero ſceleris conſcio, divinæ providentiæ conſilio paucos poſt dies lethali morbo correpto, cum ad meditatum ſcelus in extremis jam conſtitutus horreret, detectam eſſe; alteram vero duos Italos milites Lugduni captos aperuiſſe, vique tormentorum conſpirationis participes indicaſſe. Quibus periculis perfunctus Pontifex gratias Deo agens ea Apoſtoli (*b*) verba occinere potuit: *Dominus mihi aſtitit, & confortavit me: & liberatus ſum de ore leonis.*

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
Immiſſi a Friderico ſicarii ad tollendum e medio Pontificem.
Divina in conjuratis detegendis providentia.
(*b*) 2. *Tim.* 4.

X. Cum occultas inſidias evanuiſſe cerneret Fridericus, vim apertam inſtruxit; conflatoque potentiſſimo exercitu Gallias ad opprimendum Pontificem bello aggredi ſtatuit; indeque in Germaniam, quæ admodum fluctuabat, ſeque magna ex parte ad novi Regis obſequia converterat, irrumpere. Illectum in Gallias a Burgundiæ duce ſcribunt nonnulli. Is certe una cum aliis proceribus a Friderico ſubornatis graviſſimam contra Eccleſiam conjurationem conflavit, de qua dicetur inferius. Taurinum igitur Fridericus ingenti militum multitudine ſeptus prætergreſſus minaces aquilas in Gallos attollebat, cum Innocentii conſanguinei, ut ait monachus Patavinus, (*c*) una cum iis qui Parma ejecti Placentiæ ſedes fixerant, captata occaſione, dum Entius Friderici in Italia legatus cum exercitu Cremonenſium Quinorianum Brixiæ caſtrum obſidione tentabat, Parmam populari cum iis coitione facta menſe junio ingreſſi, prætore neci tradito Fridericianos pepulerunt: quibus mox Gregorius e Monte longo cum Mediolanenſibus & Placentinis, & comes S. Bonifacii cum Mantuanis auxilia tulere, urbemque aggeribus & cæteris neceſſariis rebus celeri opere munivērunt. Terruit Fridericum Parmenſium defectio, ac veritus ne ſi ulterius ſigna inferret, Italiæ reliquæ urbes ac Sicilia ipſius jugum e ſuis cervicibus depellerent, prætermiſſa Gallicana expeditione, reflexit iter, iraque exæſtuans cum exercitu numeroſiſſimo atque Ezelini auxiliis, Parmam obſidione cinxit, ſuſcepto conſilio nunquam inde caſtra removendi, niſi Parmam deleviſſet; novam in circuitu urbem, cui, inanibus præſagiis fretus, impoſuit Victoriæ nomen, excitavit (*d*).

Pontificem in Galliis opprimere meditatur.
Taurinum prætergreditur. Parmam amittit.
(*c*) *Monac. Pad. chro. l.* 1. *hoc an.*
(*d*) *Mon. Pad. chr. l.* 1. *hoc an. Pariſ. hiſt. Angl. eod. an. Ricord. hiſt. Flor. c.* 138. *Jov. Vill. chr. l.* 6. *c.* 35.

XI. Meminit ſuſcepti a ſe verſus Lugdunum itineris Fridericus in literis, (*e*) quibus non ad opprimendum Pontificem, Galliaſque invadendas, ſed ad veterem diſcordiam extinguendam eo contendiſſe mentitur. Si enim pacis conciliandæ cupiditas illum agebat, cur præſcriptas ab Innocentio ſuperiori anno leges, ut ſine exercitu accepto ſecuritatis pignore accederet, non ſervabat? [1] *Repetentibus*, inquit, *nobis nuper Italiam, poſt ſtatum regni ſalubriter ordinatum, ad diſſenſionis tam longæ materiam, quæ inter nos & Eccleſiam vertitur, finaliter decidendam;*

(*e*) *Ext. apud Petr. e Vin. MS. Vallicell. bibl.*
Quas cauſas expeditionis in Gall. obtenderit Fridericus.



NOTÆ [1] Quæ Fridericus hic in annalibus de itinere ſuo Lugdunenſi narrat, magis perſpicue explicantur ab egregio annalium Genuenſium continuatore his verbis: *Movit de Apulia manſuetus in modum agni, ut melius decipere poſſet, & intravit Lombardiam dicens, ſe ex toto velle parere mandatis domini papæ, & eccleſiæ & pacem dare mundo &c. ivit Taurinum feſtinans, ut iret Lugdunum ad dominum papam, & dicebatur quod ad inſtantiam faciebat domini regis Francorum, ut non impediretur propter diſcordiam paſſagium ipſius regis, quod conſtituerat fieri contra paganos. Tamen dominus comes Sabaudiæ prohibuit tranſitum ipſi domino Friderico, niſi caſtrum de Rivulis, quod muniri fecerat, prius reſtitueret ipſi comiti, quod ſtatim fecit ei reſtitui, & dum ſe parabat ad motum, audivit quod civitas Romæ* (lege Parmæ, quam a Friderico defeciſſe die XV. exeunte junio, ideſt die XVI. junii ſcribit Rolandinus lib. V. cap. XXI.) *ſe ei facta fuerat rebellis: rediit continuo verſus Parmam:* & inferius ſubdit: *Dominus Innocentius papa fecit ſoldari in Lugduno MD. quos in ſubſidium Parmenſium, & aliorum Lombardorum deſtinabat, quibus comes Sabaudiæ tranſitum prohibuit ſeductus a domino Friderico, & oportuit eos reverti: Tunc miſit unum ex cardinalibus D. Armanum apud Mediolanum cum magna quantitate pecuniæ, & ſoldavit MD.* Paulo aliter poſtremam hanc miſſionem legati narrat

*ad noſtros & fidelium noſtrorum, quibus compunctiva neceſſitate compatimur, labores & ſumptus taliter finiendos; ad tollendam denique morbi naſcentis originem, ne præſens incurratur infirmitas reſidua, altiſſimi nobis plenitudo conſilii, ſicut infallibiliter opinamur, occurrit, quod* * *me non hactenus per ambages & devia, non per inutiles circumſtantias,* * *ut quælibet valla, ſed per ipſius naturam negotii finem tanti diſcriminis attingentes, Lugdunum recta via procedere deberemus, cauſæ noſtræ juſtitiam præſentialiter & patenter in adverſarii noſtræ facie coram Tranſalpinis gentibus poſituri, dictam confeſtim petituri Germaniam, ad motus ejus, quos aliquorum infidelium procuravit iniquitas, ſalubriter componendos: hocque tam ſalubre propoſitum, velut finem tanto diſcrimini poſiturum, Italorum & Tranſalpinorum omnium communis opinio commendabat.* Et infra: ubi ſubiicit, poſt contumelioſa in Pontificem verba nonnullas copias ab eo ſubmiſſas, ut iter illi in Germaniam per Lugdunum præcluderet, a comite Sabaudiæ deletas fuiſſe: *Cum*, inquit, *repente fortuna Cæſarea, quæ nunc demum nobiſcum glorioſius provebitur, cum nobiſcum primo de qualibet condictione contendit, ſe proceſſibus noſtris circa radices Alpium in ipſo Lugdunenſis itineris objecit ingreſſu timoris inopinati de Parmæ infida rebellione nuncium perferens, quam ejectorum diu per nefariæ proditionis offenſam infidelium repentinus incurſus, mediantibus fraudis inteſtinæ ſuffragiis, occupavit, &c.* Subdit ſe Parmam rapto exercitu obſidione cinxiſſe, ac brevi expugnaturum; indeque ad conterendas circa Lugdunum, ut ait, belli reliquias acceſſurum; cum maxime Germania ſub Conradi filii potentia procumbat. Ut vero ille deluſus ſpe ſua fuerit, amiſſiſque in Parmenſi obſidione copiis fractus ac profligatus, ſequenti anno dicetur.

* nos

* &

Gloriatur pontificias copias quas Mediolanenſibus ſubmittebat profligatas. Cur a cœpto itinere fuerit revocatus. Parmam obſidione cingit.

XII. S. Ludov. a Frid. laceſſitus bellum illi inferre meditatur

Emerſit itaque feliciter Gallia ex ingenti periculo, quod impendebat ex imminenti Friderici irruptione, ac nonnullorum procerum nefaria coitione, quos ex allatis Friderici literis ipſum exciviſſe colligi videtur: ac mox S. Ludovicus Francorum Rex, quem tam ſtrenuam operam ad revocandum in gratiam Eccleſiæ Fridericum vidimus; ubi ſæva illius conſilia perſpexit, atque Eccleſiam Friderici tyrannide innumeris merſam calamitatibus lugeret; decrevit animo ad prædeceſſorum cumulandam gloriam bello Fridericum petere, atque ad reſtituendum Rom. Eccleſiæ Chriſti vicarium, exercitum in Italiam ducere. Suſceptum ergo pium conſilium Innocentio expoſuit, ac ſua & Francorum arma ad retundendam hoſtis audaciam obtulit. Cujus officii magnitudine recreatus, atque ingenti voluptate delibutus Pontifex, maximas ſanctiſſimo Regi gratias egit (*a*): flagitavit tamen ne vel in Italiam exercitum duceret, mitteretve, niſi novam ab Apoſtolica ſede provinciam ſuſcepiſſet.

Armorum potentiam pontifici offert.

(*a*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 124.

*Illuſtri Regi Franciæ.*

XIII. Gratias illi ob tam egregium ſtudium agit Innoc.

*Lætentur cœli, & exultet terra, quod ſic Deus ſuper Eccleſiam in Filii ſui unigeniti ſanguine pretioſo fundatam, ſuam de novo illuſtravit faciem, ut quæ ſub inſurgentium turbine tempeſtatum credebatur extremum quaſi paſſura periculum, videatur ſubito conſequi cum honoris plenitudine ſecuræ libertatis effectum; te filio chariſſimo, præ terræ principibus in conſpectu Dei, & hominum glorioſo, qui duxiſti originem de ſtirpe regia, fructum honoris, & gratiæ ſemper Eccleſiæ producere conſueta, ſine interpoſitione ſpatii fervore concepto ſancti Spiritus, cum chariſſima in Chriſto filia noſtra illuſtri Regina Franciæ matre, ac dilectis filiis nobilibus viris fratribus tuis comitibus; unanimiter decernente, quod in noſtri, quem pro divina reverentia tibi recognoſcis in patrem ac ipſius defenſionem Eccleſiæ cum victorioſo venires exercitu omni poſtpoſita tarditate. De hujus autem operis divina gloria nos una cum fratribus noſtris incredibili jucunditate perfuſi, glorificamus mente humili Regis æterni clementiam, qui tibi ſuo regi tam pium, tam laudabilem infudit affectum, ut digne ſit in noſtra & aliorum mente mirabilis, & in cujuſquam perpetuam deduci debeat notitiam nationis. Nec mirum, cum ad ipſius Eccleſiæ gemitum & frequentes anguſtias, quibus affligitur, dum filiorum Eccleſiæ vexationes continuas illatas per turbatorem ſæculi meditatur, quaſi tacentibus aliis, tu ſolus in medio Regum terræ præfulgidus elegiſti, ad ſuccurſum matris Eccleſiæ non ſolum exponere ſubſtantiam, ſed deputare perſonam.* Re-

Collaudat rem aliis Regibus diſſimulantibus patrocinium Eccleſiæ ſuſcipere.

NOTÆ rat Nicolaus de Curbio in vita Innocentii cap. XXIII. *Tunc ſummus pontifex in Lombardiam legatum deſtinavit D. Octavianum S. Mariæ in via lata diaconum cardinalem, qui cum electis militibus ſtrenuis, atque probis, pro quorum ſtipendiis XV. millia marcarum argenti contulerat ipſe papa, veniens uſque ad radices alpium occurrit ſibi expoſito nomine Amatus* (Amedeus) *comes Sabaudiæ, qui Friderici amicitiæ junctus erat, occultas tendens inſidias ne tranſiret. Ubi propter reſiſtentiam comitis memorati fere trium menſium ſpatio ipſe legatus cum dictis militibus perſtiterunt, & amiſſa eccleſia pecunia, & ſubſidio militum, ipſi milites ad propria remearunt. Tandem per diverſarum viarum anfractus vix ipſe legatus ſolus cum ſua familia devenit in provinciam Lombardiæ.* MANSI



XIV. *Reſervet Deus hujuſmodi inexplicabilem meriti quantitatem tibi ad illius retributionem præmii, quo æternorum principum beata noſcitur acies coronari. De ipſius etiam virtute meriti claræ memoriæ progenitoribus tuis perducat Dei benignitas, ut ipſorum felices animæ in ſuperna gaudeant conſtitui claritate; conceſſo nobis interim, ut qui de affluentia divinæ benignitatis, & tuæ infra corda noſtra feſtum exultationis exultantes agimus, tibi & tuis quæ ſunt ad condignum decorem, & decus debitum compenſare poſſimus. Ecce fili benedictionis & gratiæ noſtram audiviſti lætitiam, & gaudium Eccleſiæ percepiſti; cui cum ſit votivum, & neceſſarium, ut ſibi peramaris olim potatæ calicibus favus conſolationis adveniat, & ſpecialis materia jucunditatis accedat; ſerenitatem tuam per Dei miſericordiam obſecramus, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ſecundum quod ad ipſius honorem concepiſti propoſitum, mente pia deducas jugiter in augmentum, & in Domino ſuper eo multiplices, tuo cordi lætitiam: quia cum ſenſerit adverſarius affluentiam gratiæ, qua ſuperna benignitas ſæpedictam Eccleſiam per te noſcitur perfudiſſe, relictis forte mentis perverſæ tenebris convertet animum ad divinæ reverentiam majeſtatis: vel ſi quid ei remanſit interni luminis, de neceſſitate percipiet, quod inſtitutor, & gubernator Eccleſiæ Filius Dei non patitur, ut per ejus multiplicem nequitiam data ipſi Eccleſiæ de cœlo dignitas vacuetur, pro cujus defenſione promptiſſima, licet te jubente, convertetur militia glorioſa. Voluntus tamen, ut te non accingas ad iter, nec aliquem mittas exercitum, quouſque ſuper hoc per noſtrum nuncium, vel ſpeciales literas votum Apoſtolicæ ſedis agnoſcas. Dat. Lugduni* XV. *kal. jul. an.* IV. Simili argumento gratiarum & officii plenas ad comites, Atrebatenſem, Pictavenſem, atque Andegavenſem, Robertum nimirum, Adelphonſum & Carolum S. Ludovici germanos, magnæ virtutis & ingentium animorum principes, qui Innocentio ſuam quoque operam liberaliter devoverant miſit. (*a*).

Vetat in Italiam ducere exercitum ni nova imperia acceperit. Fratres S. Ludovici ſe Pontificis obſequiis adverſus Frideric. devovent.

(*a*) *Ib. ep.* 127.

XV. Regina Blanca mater S. Lud. offert ſe Pontifici ſtipatam filiis ducturam in Italiam contra tyrannum copias.

Nec generoſiſſimi modo ii principes fundere pro vicarii Chriſti cauſa ſanguinem paratiſſimi erant, ac bello cum Friderico decernere; verum ipſorum quoque mater Regina Blanca, muliebrem ſexum virilibus virtutibus ſupergreſſa, rapere exercitum ad defendendum Pontificem, alpes ſuperare, laceſſere Fridericum, atque ancipites periculorum æſtus penetrare agitabat. Cui ſtudium ardens proponenti has literas Innocentius miſit (*b*).

(*b*) *Ib. ep.* 125.

*Illuſtri Reginæ Franciæ.*

*Vocibus gementis Eccleſiæ, ſicut confidimus, cœlorum intercedente Regina, ſic Regis æterni benignitas ſuum inclinavit auditum, ut chariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Rege, ac dilectis filiis nobilibus viris comitibus natis tuis diſponentibus magnificum Eccleſiæ perſonaliter præſtare ſuccurſum; tu inflammata igne ſancti Spiritus de regio corde protuleris, quod teipſam velles cum exercitu ad iter accingere, ut poſſes Eccleſiæ magnifice ſubvenire. Ex hoc enim filia chariſſima non ſolum nos & fratres noſtros, plena jucunditate perfuſos, tibi & filiis tuis ad favorem perpetuum obligaſti: ſed acquiſito apud homines laudis ſtabilis, & immenſæ præconio ſic benignum reddidiſti conditorem omnium, ut animæ tuæ compenſandam ab ipſo credamus in poſterum gloriam ſupernorum.*

Redditæ illi ab Innoc. gratiæ.

XVI. Hortatur ad pia adeo ſtudia fovenda augendaque.

*Cum autem prædicta Eccleſia puncta frequenter anguſtiarum aculeis, quos producit aſſidue horrenda malignitas perſequentis, ſit in ſtatu conſervandæ lætitiæ, qua divina clementia ipſam, per tuam & filiorum tuorum intentionem piiſſimam noſcitur repleviſſe, tuam ſerenitatem qua poſſumus affectione rogamus, in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus infuſum tibi & eiſdem filiis a Deo propoſitum deducens jugiter in augmentum, ad hoc pro divini honore nominis firma & ſtabilis habearis; ut ſic reſurgere poſſit Eccleſia, quod ipſius fundatori Dei Filio redundet in gloriam, & afflictis ejus filiis proveniet ſtatus gratiæ ſalutaris; verecundo manente perſecutore ipſius Eccleſiæ, dum mente confuſus adverterit, quod aula regni Franciæ, quæ virtutibus ſemper emicuit, ad hoc robur converterit ſuæ potentiæ, ut per eam fides, quam ille ſuffocare nititur, in ſtatu decoris & gloriæ conſervetur. Ceterum cum ſit noſtri deſiderii tunc nobis præſtari ſubſidium, quando dignoſcitur eſſe opportunum; volumus tamen quod nec prædictus Rex, vel tu, aut aliquis filiorum tuorum pro ſuccurſu præſtando ipſi Eccleſiæ ſe accingant ad iter, quouſque ſuper hoc ſibi, & ipſis per noſtrum nuntium, vel ſpeciales literas votum ſedis Apoſtolicæ declaretur. Dat. Lugd.* XV. *kal. julii anno* IV.

Rogat ne exercitum niſi juſſa tranſmittat in Italiam.

XVII. Tantis auctus viribus erat tyrannus, ut non unius regni tantummodo armis petendus videretur, ſed collectis ex univerſo orbe Chriſtiano copiis obruendus: quare Pontificem omnes principes in Fridericum commovere conatum ait Pariſius (*c*) atque legatos in Germaniam, Italiam, Hiſpaniam, Norwegiam miſiſſe, ut propoſita ampliſſima criminum venia, ad arma ſacra populos in illum concitarent. De legatis in Germaniam & Norwegiam miſſis, Petro ſcilicet S. Georgii ad velum aureum diacono Cardinale, & Sabinenſi epiſc. ſupra egimus; reliquum jam eſt ut de aliis ſermonem inſtituamus. Crea-

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Creavit igitur Italiæ legatum Octavianum S. Mariæ in via lata diaconum Cardinalem, uti apoſtolicæ oſtendunt literæ, quas de provincia ipſi impoſita hoc anno aprilis menſe ineunte ad ipſum (*a*) atque ad Italiæ præſules (*b*) principes viros, ac populos exaravit; cæterum Octavianum hunc S. R. E. Cardinalem, nobili Ubaldinorum familia Florentiæ ortum recentiores quidam auctores docent (*c*). Hic vero Friderici artes præterire ſilentio non poſſumus, cum fideles ad excutiendum ſervitutis jugum, ac depellendam ipſius tyrannidem in arma proſilire intueretur, falſos rumores diſſeminaſſe, de pace inter ipſum atque Innocentium agitari; ut inflammatus eorum zelus pacis expectatione deferveſceret, atque ipſe incautos circumvenire & opprimere poſſet: deque re factum certiorem Innocentium litteris ſuis hominis perfidiam in luce collocaſſe. Extant ſane ad marchionem Eſtenſem eo argumento ſcriptæ literæ (*d*) quibus diſcutit hoſtiles fraudes; monetque ab eo tempore, quo exauctoratus fuerit Imperio Fridericus, nullum de concilianda pace tractatum admiſſum fuiſſe. Præterea Ferrarienſes omni erga Fridericum officio, ſi quo tenerentur, exemit (*e*); atque Eccleſiæ perduelles, qui in Italia tyranni partes ſequebantur, comprimi juſſit (*f*): ſuorum vero partes extulit; atque adeo cum Sicilia legitimo Rege careret, ſtudioſiſſimis in iis regionibus nobilibus viris Apoſtolicæ ſedis nonnullas urbes, & oppida beneficiario titulo conceſſit (*g*).

(*a*) *Inn. l. 4. ep. cur.* 83.
(*b*) *Ib. ep.* 82. 84. 85. 88.
Octavianus Card. Ubaldin. in Italiam legatus miſſus.
(*c*) *Hier. Rub. hiſt. Raven. l. 6. Car. Sigon. de epiſc. Bonon. l. 2. & alii.*
(*d*) *Lib. 4. ep.* 677.
(*e*) *Ib. ep.* 437.
(*f*) *Ib. ep.* 491. 596. 738. 855. 856.
(*g*) *Ep.* 897. 898. 899 903. 904. *& l. 5. ep.* 483.

XVIII. Deſiderium in Luſitaniam legatum mittit.

Quod ad legationem in Hiſpanias miſſam attinet, nullum S. R. E. Cardinalem id munus hoc anno in Hiſpaniis geſſiſſe reperimus; ſed dumtaxat Deſiderium religioſum virum, ut Jacobi Aragonum Regis audax & ſacrilegum facinus corriperet, anno ſuperiore proficiſci juſſum, quem hoc anno in Luſitaniam direxit, ut regni illius ſtatum intueretur, quo poſtea ipſius rebus conſuleret: graviſſimis enim querelis ab Alphonſo Caſtellæ Regis primogenito pulſatus fuerat, Boloniæ in Galliis comitem Luſitaniæ Regis fratrem magnas ſibi injurias ac Luſitano intuliſſe, cui ita Innocentius reſcripſit (*h*).

(*h*) *Lib. 4. ep. cur.* 111.

*Innocentius, &c. nobili viro Alphonſo Regis Caſtellæ primogenito.*

Querenti Alfonſo Caſtell. Reg. filio Sanctium regno exui reſpondet non id fuiſſe ſui conſilii.

*Literis tuis affectuoſe receptis, ex earum tenore collegimus quod per dilectum filium nobilem virum comitem Boloniæ quamplura chariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Portugalliæ, ſuoque Regno, & tibi gravamina inferuntur, ſuper quibus opportunum per apoſtolicam providentiam adhiberi remedium petiviſti. Verum, ſicut alias tibi ſcripſiſſe recolimus, ad magnum, diutinum, & inſtantem clamorem prælatorum & aliorum tam religioſorum, quam ſæcularium clericorum; nobilium quoque omniumque fidelium regni ejuſdem præfatus comes, qui de ſolicitudine ac prudentia multipliciter commendatur, ad ipſius Regni cuſtodiam; quod propter periculoſum & intolerabilem juſtitiæ defectum, ac alia multa gravia, & enormia, quæ libere, ac impune ſine intermiſſione committebantur ibidem, quaſi undique diſſipatum cernitur; eſt aſſumptus: & noſtræ intentionis non extitit, nec exiſtit, ut per hoc juri vel honori jam dicti Regis fratris ejuſdem comitis, ſeu legitimi filii, ſi aliquem eum habere contigerit, in aliquo derogetur, ſi ad eum ſtatum ipſum Regem devenire claruerit, ut per ſuam diligentiam & induſtriam poſſit prædictum regnum utiliter, & ſalubriter gubernari: ſed potius ut ſibi & eidem regno deſtructioni expoſito, ac in illo degentibus in vita ejuſdem Regis per probitatem, & circumſpectionem memorati comitis conſulatur. Unde dilectum filium fr. Deſiderium pœnitentiarium noſtrum, virum literatum, probatæ vitæ, ac in conſiliis circumſpectum, in regnum ipſum de fratrum noſtrorum conſilio duximus deſtinandum; ut ipſe, quem ſolicite ac prudenter proceſſurum ſperamus, de præfati regni ſtatu diligenter inquirens, nos plene de ſtatu ipſo certificare procuret, ut inſtructi per eum provideamus, auctore Domino, circa illum, prout extiterit opportunum. Ideoque devotionem tuam monemus, rogamus & hortamur attente, quatenus eidem fratri adhibeas in hujuſmodi negotio firmam fidem, ejus acquieſcendo conſiliis, & monitis intendendo. Dat. Lugd.* v. *id. maii anno* IV.

Regni adminiſtrationem ſalvo Sanctio & filiis regio jure permiſſ. Boloniæ comiti. Mitti legatum ad rem in ſuum ſtatum reſtituendam.

Contundebat feliciter tunc in Hiſpaniis infidelium potentiam Ferdinandus Caſtellæ Rex, cui Hiſpalim Chriſtianorum ditioni adiicere meditanti, Innocentius tertiæ partis decimarum medietatem ab eccleſiaſticis illi ad triennium perſolvi juſſit (*i*); meritiſque laudibus illius propagandæ fidei ſtudium exornavit. De Hiſpali porro a Ferdinando obſidione cincta pluribus agit Mariana (*k*). Impuliſſe videtur alia ratio Innocentium ad mittendum in eas regiones Deſiderium, ut nimirum Hiſpanos Reges ad Eccleſiæ patrocinium adverſus Fridericum ſuſcipiendum incitaret. Sed cum in eo ſtatu Hiſpaniæ res verſarentur, in qua aut continue laceſſendus erat Chriſtianorum hoſtis aut propulſandus, parum ex eo regno ſubſidii contra tyrannum colligi ac ſperari poterat; quare ex aliis potius regnis comparanda auxilia fuerunt.

Hiſpalis a Ferdinando Rege Caſtellæ obſeſſa.
(*i*) *Ib. ep.* 541.
Aliæ mittendi Deſiderii cauſæ.
(*k*) *Jo. Marian. de reb. Hiſp. l.* 13. *c.* 7.

XIX.

Ingentem ex Anglia pecuniæ vim coegiſſe Innocentium queritur Pariſius (*l*) ac Joannem & Alexandrum Minoritas, ac Marinum capellanum eo miſſos in invidiam traducit; additque Gofridum Urbis præfecti filium in Scotiam, Joannem Ruſum in Hiberniam miſſos. Extant in pon-

(*l*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*



Miſſi in Angliam ad ſubſidia colligenda nuncii.

pontificio regeſto ad Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hiſpaniæ, Galliarum, Germaniæ archiepiſcopos atque epiſcopos datæ (*a*) ut opes ſuas ad tuendam Eccleſiæ cauſam conferant: ex quo Pariſius adducendi in invidiam Pontificis occaſionem aucupatus eſt, atque ex eo Weſtmonaſterienſis (*b*) incaute venenum hauſit. Qui ſane auctores æquiores extitiſſent, ſi prudenti judicio extremam ponderaſſent inopiam, qua tunc premebatur Romana Eccleſia, pericula quibus undique erat circumfuſa, potentiam tyranni, ſacra Hieroſolymitana loca a Sarracenis prophanata, fideles anguſtiis involutos, quibus ſacroſancta ſynodus porrigendam opem & maxime ab eccleſiaſticis viris, ſanxerat; Conſtantinopolitanum Imperium magna ex parte a ſchiſmaticis occupatum, Tartarorum in Chriſtianorum terras immanes excurſiones. Nec enim remedium tantis malis adhiberi poterat, niſi inſtruerentur potentiſſimæ ad tot retundendos hoſtes copiæ, nec milites ſine ſtipendiis ali poterant, nec haberi ſtipendia, niſi a Chriſtianis & maxime a clero, cogerentur.

(*a*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 81. 109.
(*b*) *VVeſtm. flor. hiſt. hoc an.*
Refelluntur Pariſii & Weſtm. ea de re injuſtæ querelæ.

XX. Portio ſanguinis dominici in Angliam a Syris tranſmiſſa.

Cæterum hoc anno in Angliam ſanguinis dominici in cruce effuſi portionem patriarchæ Hieroſolymitani archiepiſcoporum, epiſcoporum, magiſtrorum templi & hoſpitalis, aliorumque plurium teſtimonio, & ſigillo confirmatam, munitamque in vaſe cryſtallino reconditam, Templarii equitis opera allatam, & a Rege Henrico magna religionis pompa ſuſceptam tradit Pariſius (*c*): atque Henricum in eo tum Heraclii Imperatoris, tum Francorum Regis, nimirum S. Ludovici, qui crucem Dominicam maxime coluere, exempla imitatum; ſubditque: *Ipſe Rex venit, & cum ſummo honore, & reverentia, ac timore accipiens illud vaſculum cum theſauro memorato, tulit illud ferens in propatulo ſuper faciem ſuam, iens, pedes, habens humilem habitum, ſcilicet pauperem, capam ſine caputio, præcedentibus veſtitis prædictis*, nimirum Londinenſis cleri religioſo agmine egregie inſtructo atque eleganter adornato, *ſine pauſatione uſque ad eccleſiam Vveſt, quæ diſtat ab eccleſia ſancti Pauli circiter uno milliari. Nec prætermittendum, quod ambabus manibus illud deferens, cum per ſtratam ſalebroſam & inæqualem pergeret, ſemper vel in cœlum vel in ipſum vas lumina tenebat defixa, ſupportabatur autem palla per quatuor haſtas; ſupportabantque duo coadiutores brachia ſua, ne in tanto forte labore deficeret, &c. demum illud quaſi donum impreciabile & quod Angliam illuſtraverat, donavit & obtulit Deo & eccleſiæ ſancti Petri Vveſt, & charo ſuo Edmundo & ſacro conventui, qui ibidem Deo & ſanctis ſuis miniſtrant.* Subiicit epiſcopum Norwicenſem ſacram concionem habuiſſe, ac magnifice illud exaggeraſſe, non minus, immo magis illo Chriſti ſanguine gloriari Angliam, quam Gallia cruce dominica, cum crux ab ipſo Chriſti ſanguine ſuam acciperet dignitatem: verum non defuiſſe, qui ejus dicta traducerent; atque hæſitantibus Templarium equitem dixiſſe, ideo in Angliam tranſlatum ut majori veneratione, quam in Syria, quæ Sarracenorum furore vaſtabatur, coleretur; nec fraudi patere locum, cum nulla merces ab Anglis ideo optaretur: atque etiam libros ad rem confirmandam in lucem emanaſſe, cum plerique illud obiicerent Chriſtum Dominum e mortuis tertia die excitatum ſanguinem ſuum pro humana ſalute effuſum recepiſſe. De portione ſanguinis Chriſti; qui tempore paſſionis dominicæ e ſacro illius corpore defluxit reperta Mantuæ, atque illius veritate Caroli magni precibus a Leone tertio indagata, comprobataque refert Baronius (*d*).

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
Inſtructa magna pompa ſolemni ſupplicatione ab Henrico Rege in eccleſiam S. Pauli tranſlata.
Ut exortæ de illius veritate magnæ fuerint concertationes.
De ſimili ſanguine olim reperto Mantuæ.
(*d*) *Baron. annal. t.* 9. *an.* 804. *n.* 1.

XXI. Celebrata S. Edmundi tranſlatio.

Superioribus addit Pariſius (*e*) ſacras B. Edmundi exuvias magna pompa in ædes monachorum Ciſtercienſium tranſlatas; celebritatemque Ludovicum Francorum Regem principum corona ſuccinctum ac matrem ipſius Blancam, cujus pietatem in porrigendis ſancto epiſcopo precibus commendat, cohoneſtaſſe: cujus tranſlationis meminit etiam ſancti Ludovici geſtorum ſcriptor (*f*); tum ſubdit Pariſius de B. Edmundi corpore omnis corruptionis experte invento: *Sciendumque eſt, immo toti mundo prædicandum, quod totum corpus ejus integrum inventum eſt, & incorruptum, & odoriferum &, quod mirabilius eſt in mortuo, cum omnibus membris flexibile, ut ſolet eſſe in dormiente; capilli ejus & veſtimentum inviolatum colore & ſubſtantia.* Adiicit ex eo tempore Francorum Regem Anglis permiſiſſe, ut liberius quam cæteri confeſſoris corpus viſerent: ſepulcrum vero ipſius magnifice pluribus icunculis eleganti cultu adornatum; quinetiam Richardum comitem ſingulari religione memoriam illius coluiſſe; cumque morbo graviſſimo eſſet implicitus, ipſius apud Deum precibus valetudini reſtitutum, nuncupato voto, ad feretri ipſius partem anteriorem pretioſiſſimo opere elaborandam atque ornandam ſe aſtrinxiſſe.

(*e*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(*f*) *Guil. Nang. eod. ann.*
Illius corpus ab omni corruptionis labe immune repertum.

XXII. Guillelmus Brioc. epiſc. ſanctitate inſignis.

Sanctiſſimo majoris Britanniæ archiepiſcopo ſanctitate & miraculis illuſtrem epiſcopum, minoris Britanniæ ornamentum & decus, Guillelmum Briocenſem conjungemus, quem hoc anno Pontifex ſanctorum albo ſolemni ritu adjecit; deque illi decreto cultu ampliſſimiſque laudibus literas ad Turonenſem archiepiſcopum & ſuffraganeos exaravit (*g*).

(*g*) *Inn. l.* 4. *ep.* 532.

In-

*Innocentius, &c. archiepiſcopo Turonenſi, & ejus ſuffraganeis.*

Britannia illius gloria illuſtrata.

*Merito tunc gaudere poterat Briocenſis eccleſia curæ talis deputata paſtoris, qui tanquam magiſtrum vitæ pietatis titulis & miſericordiæ ſpeculum totam Britanniam, & adjacentes provincias ſuæ doctrinæ radiis mirifice illuſtrarat: ſed nunc non ſolum ipſa, immo Eccleſia univerſalis debet perfundi lætitia ampliori; tum quia de novo perſpicuum ſidus oriri conſpicit in partibus occidentis, per quod in mundi pelago naufragantes ad portum reducuntur ſalutis; tum quia talem in terris meruit producere filium, nunc angelorum concivem effectum, cujus patrocinium invocandum cenſuit in ſuis neceſſitatibus non indignum. Cæterum ut ipſe, qui dum adhuc in carne retineretur, erat quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ; oliva pullulans, & cypreſſus incremento proficiens venuſtatis, nondum carnis ſolutis nexibus; & Iſrael de Jacob idem Deum videns effectus, tanquam lucerna * ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita illis, qui ſunt in domo Domini, miraculis coruſcarat, eſt per ipſum, vel ut alterum Eliſeum puer mortuus ſuſcitatus: cuidam mulieri eſt candidior ſolito reſtituta mammilla, quam ſibi præ nimio infirmitatis dolore miſerabiliter amputarat; muliere nihilominus altera per extenuationem corporis congruam ab hydropiſi nimium tumeſcente curata. Viro inſuper cuidam eſt in inguine repente conſolidata ruptura, per quam ipſius viſcera ſe hominum aſpectibus horribiliter offerebant.*

* non

Puer e morte ad vitam excitatus.

XXIII. Valetudo pluribus ægris reſtituta.

* remedium

*Quædam etiam puella, cujus adeo pedes, & tibiæ infecti fuerant ulceribus fiſtularum, quod in ſola tibiarum abſciſſione,* ne per hoc ſinceram corporis partem corrumpi contigeret, pro conſilio parabatur, ad plenum de ulceribus liberata prædictis. Altera quoque puella ignis interempta incendio fuit in medio carbonum reperta; cui ejuſdem ſancti meritis ignis, vim ſuæ virtutis oblitus nullum impreſſit veſtigium læſionis: nec non lumen cæcis, auditus ſurdis, mutis loquela, greſſus claudis, & paralyticis debitum membrorum officium ad invocationem ſui glorioſi nominis ſubinde conferuntur: per quod ignorantium Deum tenebræ propulſantur, hæreticorum perverſum dogma confunditur, & fidelium beata credulitas adaugetur.*

Puella in mediis ignibus implorata ejus ope illæſa ſervata.

XXIV. Sanctor. cultus illi ab Innoc. decretus.

*Cum igitur dignum ſit, ut quos triumphans ſublimavit Eccleſia militans, quæ ipſam, ut poteſt ſemper imitari deſiderat, prompto veneretur affectu; nos poſtquam de tam apertis ejuſdem epiſcopi miraculis tam per teſtes idoneos, quam etiam quoſdam miraculoſe curatos in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia conſtitutos liquido conſtitit, ipſum, quem cum juſtis in libro viventium jam ſcriptum eſſe cognovimus, de communi fratrum noſtrorum, & venerabilis fratris noſtri patriarchæ Conſtantinopolitani, & prælatorum omnium, tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, conſilio & aſſenſu in feſto reſurrectionis Dominicæ glorioſo ſanctorum catalogo decrevimus adſcribendum. Quocirca fraternitatem veſtram monemus & hortamur attente, præcipiendo mandantes, quatenus feſtum ipſius* IV. *kal. aug. quo ſpiritum reddidit Domino, attenta devotione celebrare curetis; ac faciatis per veſtras civitates, & diœceſes a Chriſti fidelibus ſolemniter celebrari, ut per hoc eum in cœlis mereamini apud Deum interceſſorem perpetuum invenire. Porro cupientes ſepulturam ipſius, quæ tam evidentibus ſignis rutilare dignoſcitur congruis honoribus frequentari; omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui cum reverentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint ipſius ſuffragia petent, de omnipotentis Dei miſericordia, &c. uſque confiſi, unum annum & quadraginta dies: accedentibus vero ad prædictam ſepulturam infra ejuſdem feſti octavas quadraginta dies, &c. uſque relaxamus. Dat. Lugd.* XVII. *kal. maii anno* IV.

Bruno Herbipol. epiſc. miraculis clarus.

Flagitavere per eadem tempora Herbipolenſes epiſcopus & clerus, ut Brunonem, qui eam olim eccleſiam geſſerat, tumque illuſtrabat miraculis, ſanctorum albo adiiceret. Quibus motus Innocentius Ciſtercienſibus nonnullis abbatibus provinciam tradidit (*a*) admirandas res ejus ſancti viri, teſtium ſacramento confirmatas, in tabulas publicas referrent, ſeque de tota re facerent certiorem. At de his hactenus. Jam ad ſeptentrionalia regna oratio traducenda eſt.

(*a*) *Ib. ep.* 354.

De iis inquiri jubet Inn.

XXV. Fideles contra barbaros Poloniam infeſtantes excitati.

Infeſtantibus Poloniam ethnicis barbaris, qui in Cracoviæ & Sandomiriæ provincias excurſiones agebant; ac pro innata adverſus fideles immanitate cædibus & flammis obvia quæque miſcere conſueverant; Innocentius Cracovienſis epiſcopi aliorumque ſacrorum oratorum opera fideles, propoſita criminum venia, ad gerenda ſub Boleſlai Pudici ducis Cracovienſis auſpiciis arma incitari juſſit (*b*). Fatigavit illum etiam diutino bello, ut tradit Longinus, (*c*) Conradus Mazoviæ dux, qui aliarum provinciarum ditione auctus, cœca regnandi libidine, totius Poloniæ dominationi inhiabat, ac maxime nepotem ſuum Boleſlaum iniquo bello laceſſebat. Sed tandem hoc anno illius conſilia mors obruit; cujus filii paternæ ambitionis heredes, nondum perſolutis parentis exequiis, ad relictas ſibi terras partiendas ferro flammiſque concurrere. Recreatus vero eſt extincto hoſte Boleſlaus, adverſus quem Conradus, violatis conſanguinitatis legibus Pruthenos ac Lithuanos ſæpius concitarat.

(*b*) *Lib.* 4. *ep.* 250.

(*c*) *Long. hiſt. Pol. l.* 7. *Cromer. l.* 8.

Conradus dux Mazoviæ Poloniæ fax morte extinctus.

Non immunes bello aliæ Poloniæ partes fuere. Cuiavia enim a Swantopelko Pomeraniæ duce vaſtata, qui vario eventu magnis illatis acceptiſque cladibus cum cruciferis bellum geſſit (*a*). Conjuncti erant Pomerano Pruſſiæ neophyti: religioſis vero equitibus Poloniæ & Cujaviæ duces hærebant. Ad quam diſcordiam ſopiendam, e qua plura religioni Chriſtianæ damna inferebantur, Innocentius Jacobum archidiaconum Leodienſem, qui poſtea ſub Urbani IV. nomine Eccleſiæ præfuit, legati munere auctum miſit, ut inducias, objecta cenſurarum religione, adverſis partibus tandiu obſervandas indiceret, donec pro tota re componenda imperia pontificia excepiſſent. Quæ Jacobo provincia literis x. kalen. decemb. datis impoſita eſt (*b*). Extant etiam aliæ ad legatum (*c*) Gneſnenſem, (*d*) & Pruſſiæ archiepiſcopos eorumque ſuffraganeos, atque ad abbates Ciſtercienſes (*e*) exaratæ, quibus eos muneris legato impoſiti certiores factos, ſuam illi ad conciliandam concordiam operam explicare imperavit.



(*a*) *Id. Lon. ibid. & Cromer. lib.* 8.

Cujavia a Swantopelko vaſtatur. Ad diſcordiam ſopiendam Jacobus legatus miſſus.

(*b*) *Lib.* 5. *ep. cur.* 29.

(*c*) *Ib. ep. cur.* 25.

(*d*) *Ib. ep.* 26.

(*e*) *Ib. ep.* 27.

XXVI. Formidanti Tartarorum irruptionem Ungariæ Regi pollicetur auxilia Inn.

Trepidanti etiam Ungariæ, quæ ad imminentium Tartarorum rumores metu horrebat, non defuit ſummus Pontifex. Rogatus enim a Bela Ungariæ Rege, ut ſibi auxilia ſubmitteret, cum rumores hoſtilis adventus increbreſcerent, pollicitus (*f*) eſt ſe omnes ad Terræ ſanctæ, atque Imperii Conſtantinopolitani reparandas res cruce inſignitos; alioſque plures illuc directurum, ubi certam ab eo famam futuræ hoſtilis impreſſionis accepiſſet; cum in ea re totius Chriſtiani nominis cauſa ageretur. Strigonienſi vero & Colocenſi archiepiſcopis injunxit, (*g*) ut munitiſſima loca excitarent, quo ipſi una cum populis barbaris ingruentibus confugere poſſent. Nullo etiam officii genere, aut ſtudii prætermiſſo, quod ad utilitatem ejuſdem Regis ſpectaret; cum pro ducatu Auſtriæ ſibi aſſerendo Ungariæ Rex bellum gereret, eumque principatum Fridericus Imperio exauctoratus occupare niteretur; hortatus (*h*) eſt Innocentius Willelmum Romanorum Regem, ut contra Fridericum Ungaro opem ferret. Interfectus enim fuerat anno ſuperiore alter Fridericus Auſtriæ dux, uti produnt rerum Germanicarum ſcriptores, (*i*) e quibus Albertus Stadenſis hæc literis conſignavit: *Dux Auſtriæ contra Regem Ungariæ conflictu habito occubuit, & ducatum ſine herede reliquit*. Extincta itaque ducum Auſtriæ ſtirpe maſcula, cum Margareta poſtremi ducis ſoror, Henrici olim Regis Romanorum & Thuringiæ Lantgravii vidua, ampla in principatum jura obtineret, illam Pontifex cælibem vitam meditantem, juſtiſſimis cauſis permotus a ſuſcepto ſervandæ caſtitatis conſilio abduxit, ac marchionis Miſnenſis fratri, qui Willelmi Romanorum Regis nepos erat, communis boni cauſa nubere ſolicitavit; (*k*) ut vero Premiſlao Regis Bohoemiæ filio nupſerit, (*l*) dicetur inferius. Cum porro de Miſnenſi marchione mentio inciderit, prætereundum non eſt Innocentium hoc anno illum a Nuembergenſis eccleſiæ divexatione monitis ac minis revocare ſtuduiſſe (*m*): præterea inita inter filium ipſius ac Friderici exauctorati filiam ſponſalia diſſolviſſe (*n*). Sed noſtra ad Ungarum, a quo deflexit, recurrat oratio. Egregiam Rex ad excindendos e Boſnia hæreticos operam navare cœperat: ad quod perficiendum ſuſceptum opus illum Innocentius incendit, fecitque certiorem ſe nihil de Boſnia niſi ex ipſius conſilio, atque aſſenſu decreturum. De ea porro provincia Colocenſi archiepiſcopo ſubiicienda, extant literæ (*o*) ſi rem divinæ gloriæ verſum iri, atque hæreſim facilius proſternendam cenſeretur.

(*f*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 37. 39. *ep.* 41.

(*g*) *Ib. ep.* 42.

(*h*) *Ib. ep.* 40.

Dux Auſt. a Bela prælio victus cæſuſque.

(*i*) *Albert. Stad. chr. an.* 1246. *Stero in annal. apud Caniſ. ant. lect. to.* 1. *pag.* 267. *chron. Auſtr. & alii.*

Auſtriam ſibi ſubiicere meditante Frederico hortatur Willelmum Pon. ut Belæ faveat.



(*k*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 79.

(*l*) *Stero in annal. apud Caniſ. ant. lect. to.* 1. *pag.* 272.

(*m*) *Lib.* 4. *ep.* 373.

(*n*) *Ibid. ep.* 626.

Inſectatur Bela Boſnenſes hæreticos.

(*o*) *Lib.* 5. *ep.* 155.

XXVII. Regina Ungariæ ſtudet Vatacium ad Pontificis obſequium pellicere.

Nec Ungariæ modo Rex proferendæ Chriſti gloriæ, delendiſque hæreticis feliciter incumbebat; verum etiam Regina ad traducendos ſchiſmaticos ad Eccleſiæ Rom. obſequium glorioſiſſime deſudabat. Cui Innocentius, acceptis ejus perhumaniter oratoribus, gratias egit (*p*) ad Vatacium & Græcos a ſchiſmate abducendos ſtudium collocaſſe; hortatuſque eſt, ut quamprimum viros prudentia ac doctrina ſpectatiſſimos pro re perficienda ad Vatacium mitteret: *Exultantes accepimus, & referimus gloriantes, quod pro tuis inſiſtis viribus & laboras, ut ad ſinum matris Eccleſiæ redeat Vatacius, & gens ejus. Ex quo tanto tibi majores actiones referimus gratiarum, quanto magis id ad laudem cedit & gloriam Jeſu Chriſti, exaltationem contingit & commodum ſponſæ ſuæ, noſtram & tuam utilitatem reſpicit pariter & honorem. Ut igitur, chariſſima in Chriſto filia, effectus hujuſmodi negotii facilius ſubſequatur, excellentiam tuam requirimus, & rogamus quatenus aliquos nuncios viros providos & diſcretos ad præfatum Vatacium non differas deſtinare, quorum diligentiæ, ſtudio, & ſolicitudinis induſtria prædictus Vatacius ad unitatem matris Eccleſiæ revertatur. Nos enim ob tui gratiam & amorem, quicquid cum honore Dei & Eccleſiæ, ac ſalute ipſius animæ fieri poterit, ſcire te volumus nos facturos. Datum Lugduni* III. *kalen. febr.*

(*p*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 38.

Gratulatur illi ob egregium zelum Innocentius.

XXVIII. Daniel Ruſſorum Rex ad Eccleſiæ Rom. conjunctionem revertitur.

Evanuit poſtea ea ſpes, quam ſuæ converſionis Vatacius moverat: ſed divini numinis pietas beneficium, quod reſpuit Vatacius, aliis Regibus ac populis, qui Græcorum ritus & errores ſectabantur, contulit. Abjurato enim ſchiſmate Daniel Ruſſorum Rex, ſuperiore anno Rom. Eccleſiæ filiis aggregari flagitarat. Quo læto nuncio voluptate incredibili delibutus Pontifex, archiepiſcopo Pruſſiæ, Livo-

voniæ, & Eſtoniæ Apoſtolicæ ſedis legato provinciam tradiderat, (*a*) ut in eas regiones ſe conferret: cui nova hoc anno dedit imperia, ſi Regem, principes, & præſules eo ſacro deſiderio tactos, atque in ſuſcepto conſilio conſtantes reperiret, in filiorum Rom. Eccleſiæ numerum ipſos admitteret.

(*a*) *Lib.* 5. *ep.* 188.

*Archiepiſcopo Pruſſiæ, Livoniæ, & Eſtoniæ Apoſtolicæ ſedis legato.*

Archiepiſcop Pruſſiæ in Ruſſia legatus A. S.

*Sicut omnes, quos extra arcam invenit diluvium, perierunt; ita omnes, qui ſunt extra communionem Eccleſiæ, niſi converſi ad ejus unitatem redierint, in æternæ damnationis ſupplicium deportantur. Hac ſiquidem conſideratione inductus chariſſimus in Chriſto filius noſter Daniel Rex Ruſſiæ illuſtris, cujus mentem Dominus, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; ſua miſericordia illuſtravit, per literas ſpeciales, & nuncios quos propter hoc tranſmiſit nuper ad noſtram præſentiam, cum humilitate, ac inſtantia poſtulavit a nobis, ut ipſum & totam gentem ac regnum ejus, hactenus a fidei unione præciſos, ad unitatem eccleſiaſticam, & devotionem Eccleſiæ Romanæ, quæ aliarum omnium caput eſt & magiſtra, recipere de benignitate ſolita curaremus. Quocirca mandamus quatenus perſonaliter ad partes illas accedens, ſi præfatus Rex in tam ſancto propoſito perſeverans, tam ipſe, quam archiepiſcopi, & epiſcopi, & alii magnates regni ſui ſchiſmate quolibet penitus abjurato promiſerint, & juraverint ſe de cætero in unitate fidei, quam Eccleſia Romana prædicat & obſervat, ejuſdemque Romanæ Eccleſiæ devotione perpetuo permanſuros; eos auctoritate noſtra reconcilies, & tanquam ſpeciales & devotos filios incorpores prædictæ Romanæ Eccleſiæ, quæ mater eſt omnium, unitati; idque per loca & regna, in quibus expedire videris, publices & facies etiam publicari. Dat. Lug.* VII. *id. ſeptemb. an.* V.

Conceſſa illi reconciliandi Eccleſiæ Ruſſos auctoritas.

XXIX.
Waſilico Rex Laudemeriæ Eccl. Rom. ſe conjungit.

Nec Daniel modo Ruſſiæ, ſed Waſilico etiam Laudemeriæ Rex ipſius frater ad ſinum Eccleſiæ, abruptis ſchiſmatis vinculis, quibus tandiu fuerat irretitus, ſe recepit. Quos Pontifex ut arctius beneficio aliquo inſigni ſibi devinciret, ipſos in B. Petri clientelam admiſit (*b*). Affecit etiam ipſos nonnullis aliis beneficiis: Waſiliconem enim qui uxorem tertio & quarto conſanguinitatis gradu attingebat, ſacrorum canonum emollita ſeveritate, manere cum uxore permiſit, ac matrimonium ratum firmumque futurum ſanxit. Qua de re tum ad ipſum, tum ad Dubrаucen Reginam literas exaravit. (*c*) Ruſſorum vero Regi Danieli conceſſit, (*d*) ut qui Romanæ Eccleſiæ non repugnarent ritus in ipſius regno ſervarentur; ac fermentato pane pro conficiendo Chriſti Domini corpore ſacerdotes uterentur.

(*b*) *Ibid. ep.* 187.

(*c*) *Ep.* 419.
(*d*) *Ep.* 174.

*Danieli Regi Ruſſiæ illuſtri.*

*Cum te de cætero ſpecialem inter devotos Eccleſiæ reputemus, petitiones tuas, quantum cum Deo poſſumus, libenter ad gratiam exauditionis admittimus, & votis tuis favorem benevolum impartimur. Eapropter chariſſime in Chriſto fili tuis ſupplicationibus inclinati, epiſcopis & aliis preſbyteris de Ruſſia, ut liceat eis more ſuo ex fermentato conficere, & alios eorum ritus, qui fidei catholicæ, quam Eccleſia Romana tenet, non obviant, obſervare, auctoritate præſentium indulgemus. Dat. Lugdun.* VI. *kalend. ſeptemb. anno* V. Inſtruxit eam etiam auctoritate legatum apoſtolicum, ut illos qui legitimis natalibus procreati non eſſent, modo non ex adulterio vel inceſto genus duxiſſent, ad ſacros ordines (*e*) vel etiam ad epiſcopatus (*f*) in Ruſſia promovere poſſet.

Permittit Ruſſis Innocentius ut in fermentato Chriſti corpus conficiant.

(*e*) Ep. 175.
(*f*) Ep. 176.

XXX.
Innocentii in convertendis populis zelus.

Hæc Innocentius ad Ruſſos in Eccleſiæ Romanæ obſequio confirmandos, qui ut pariter alios ſchiſmaticos populos quamvis ad extremas orientis oras ſubmotos, ad Eccleſiæ ſinum revocare ſtuduit: viroſque religioſos propagandæ fidei zelo ardentes, ac doctrina pollentes legationis apoſtolicæ munere auctos tranſmiſit: inter quos Laurentio Minoritæ pœnitentiario ſuo provinciam ampliſſimam in oriente demandavit (*g*): *De circumſpectione*, inquit, *tua plenam in Domino fiduciam obtinentes te ad partes tranſmarinas tanquam pacis angelum, commiſſo tibi in Armenia, Iconio, Turchia, Græcia & regno Babyloniæ; ac ſuper omnes Græcos tam in Antiocheno & Hieroſolymitano patriarchatibus, quam regno Cypri morantes; necnon ſuper Jacobitas, Marronitas, & Neſtorianos plenæ legationis officio: ut juxta datam tibi a Deo prudentiam evellas & diſſipes, ædifices & plantes, duximus dirigendum. Ideoque mandamus quatenus Græcos illarum partium, quocunque nomine cenſeantur, auctoritate apoſtolica protegens, turbari eos violentiis, vel quibuſcunque moleſtiis non permittas; injurias quaſlibet & offenſas a Latinis illatas eiſdem plenarie faciens emendari: & Latinis ipſis diſtricte præcipiens, ut a ſimilibus de cætero penitus conquieſcant. Datum Lugduni non. jun. anno* IV.

(*g*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 132.
Laurentium Minoritam in orientem cum ampliſſima auctoritate mittit.

XXXI.
(*h*) *Ibid. ep.* 130. & *l.* 5. *ep. cur.* 5.

De eo legationis munere Laurentio demandato ſcripſit (*h*) etiam ad Antiochenum Græcorum patriarcham, Catholicum Armeniorum, & Maronitarum patriarcham, quos legato ad conſilia ſua, quæ ad divinam gloriam amplificandam ſpectabant, opem porrigere juſſit; adjecitque ni facerent, latas ſe a legato ſententias ratas habiturum: aliis vero literis Laurentium monuit, ne poſt ſuſceptum Græcorum patrocinium Hieroſolymitani patriarchæ juribus detraheret. Acceperat enim Græcos ſuæ auctoritati obnoxios,

arre-



arrepta occaſione, ipſius imperio ſe ſubducere meditari; ac definivit qua ratione ſe ipſe in ea re gerere deberet. Cæterum legatus officium ſibi ab Innocentio injunctum ſtrenue ſuſcepit, ac Græcorum patriarcham ad ſedis Apoſtolicæ obſequium trahere moliebatur: cui Pontifex imperavit, (*a*) ut illum ad eam venire moneret, vel mitteret alium; ac ſi ſuſtinendis itineris ſumptibus vires deeſſent, Romanam Eccleſiam eos ex pontificio ærario ſuppeditaturam (*b*).

(*a*) *Lib.* 5. *ep. cur* 3.
(*b*) *Ib. ep.* 2.

*Innocentius, &c.*

Quid ſanxerit Inn. de Græcis ad Eccleſiæ conjunctionem adducendis.

*Volumus & per apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus mentem habens ad cuncta vigilem, quæ rectitudinem in hac parte contineant, & ſapiant honeſtatem, de prælatis Græcis ad devotionem, & reverentiam ipſius Eccleſiæ redire volentibus ſic provideas, & diſponas, ut illi ex eis, qui Antiocheno, ſeu patriarchæ Hieroſolymitano qui fuere pro tempore, aut aliis prælatis Latinis olim ſubjecti fuiſſe noſcuntur, ipſis aſtricti ad debitam obedientiam & reverentiam teneantur: illos autem, quos eiſdem patriarchis, ſeu prælatis noveris non fuiſſe ſubjectos, ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ recipias, aliorum per omnia jure ſalvo. Cæterum prædicto patriarchæ Græcorum ex noſtra parte ſtudeas diligenter, ut prævio ſalutis angelo Apoſtolicam ſedem adeat, in ejus unitatem, & plenam gratiam admittendus; ita ut ſi nobis conſtiterit eum alicui patriarcharum vel prælatorum ipſorum ſubjectione aliqua non teneri, ipſe cum ſuis ſuffraganeis, qui fruuntur libertate ſimili, ſedi Apoſtolicæ nullo medio ſint ſubjecti; ſi vero ipſe noſtram perſonaliter nequiverit adire præſentiam, perſonas idoneas pro ipſo & ſuffraganeis memoratis, ſufficiens in hac parte mandatum habentes, ad ſedem tranſmittat eandem. Et ſi forte ipſe vel alii ad hoc pro expenſarum defectu extiterint impotentes, tu ipſis expenſas neceſſarias de bonis noſtræ cameræ largiaris. Dat. Lugd.* VII. *id. aug. anno* V.

Jubet inducere patriarcham ut vel accedat ipſe ad ſedem Apoſt. vel nuncios mittat. E pontificio ærario ſumptus ſuppeditari præcipit.

XXXII.
Qui fructus ex crebris legationib. ad orientales ſchiſmaticos ſecuti.

Solicitati ab apoſtolicis legatis, qui annis ſuperioribus crebro fuerant miſſi, ac literis pontificiis Jacobitarum, & Neſtorianorum patriarchæ, ut ſub uno ſummo capite Chriſti vicario cum occidentalibus Chriſtianis coaleſcerent; rogatique ut ſuæ fidei formam e ſcripto tranſmitterent; officio, ad quod peramanter illecti erant, non defuerunt. E quibus orientis Catholicus, agnito Petri ejuſque ſucceſſoris Romani Pontificis primatu, haſce literas (*c*) Innocentio miſit, quæ in hujus anni regeſto pontificio inſertæ ſunt.

(*c*) *Extant apud Inn. l.* 4. *ep. cur.* 119.

***Literæ tranſmiſſæ ad Dominum Papam ex parte Catholicon.***

***Ad præſentiam Papæ magnifici ex parte illius,*** *qui petit orationes ejus in ſubſidium debilitatis ſuæ, Raban Ara vicarii orientis adorantis inter manus ejus, Patri patrum, decori paſtorum, miſericordiæ vitæ, fonti pietatis & indulgentiæ; intercedenti pro populo Domini perfecto in divinis, excellenti in ſpiritualibus, ſoli juſtitiæ, cujus lux oritur, ſuper quatuor mundi climata, qui lucet, & ſplendet in eccleſiis catholicis ſanctis; Cherubin corporeo, & Seraphin carneo, tenenti ſedem beati Petri; domino meo ſanctiſſimo Papæ urbis Romæ, & omnium climatum mundi coram Deo: ſit vita ejus temporibus longis, quouſque ceſſet mundus iſte admiratione ſua, orationibus prophetarum, & Apoſtolorum ſociorum ejus, & nos confidimus ejus orationibus adjuvari, Amen.*

Honorificentiſſimi tituli dati ab orientis patriarcha Rom. Pontifici.

XXXIII.
Qua reverentia apoſtolicas literas exceperit.

*Pervenit ad nos epiſtola veſtra elegans, quæ ex ore veſtro ſancto prodiit, & mandato veſtro excelſo conſcripta eſt; & ſuſcepimus eam manibus noſtris debilibus, & eam ſuper oculos noſtros poſuimus. Et ſicut Simeon ſenex, qui portavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in ulnis ſuis, ſic diximus: Quia viderunt oculi noſtri pietatem veſtram immenſam. Nunc igitur Domine mi dimitte ſervo veſtro peccata ſua, ſicut poſita eſt in manibus veſtris poteſtas ligandi atque ſolvendi, & omnium myſteriorum. Legimus eam ſiquidem cum lætitia, & intelleximus, quod in ea ſcriptum eſt cum gaudio: & mandatum veſtrum attendimus, & non habemus os, quod ſufficiat ad commendationem veſtram; neque linguam, quæ poſſit exprimere gloriam veſtram; & nos contremiſcimus excellentiam veſtram, quia Dominus magnificavit vos.*

XXXIV.

*Inſuper audivimus de anathemate, quo anathematizaſtis Imperatorem, & intelleximus hoc factum eſſe propter tranſgreſſionem ejus & peccatum. Noſtis tamen quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus præcepit & dixit: Si peccaverit in te frater tuus, dimitte ei. Et etiam dixit: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et in alio loco dixit Simon Petrus: Domine uſque ſepties ſi peccaverit in me frater meus, dimittam ei? Et dixit ei Dominus. Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. Sic præcepit fundamento Eccleſiæ, ut dimitteret fratri ſuo ignorantiam ſuam, & non recordaretur peccatorum ſuorum. Et nunc peto domine mi a ſanctitate veſtra, & a patribus patriarchis, epiſcopis, & Regibus ſubditis baculo paternitatis veſtræ, ut dimittatis dicto Imperatori peccatum ſuum & delicta ſua. Et hoc tribus de cauſis, propter ſtragem, & captivationem fratrum noſtrorum Chriſtianorum; & propter deſtructionem civitatis ſanctæ; & propter tentationem, quæ accidit in conculcationem ſepulcri Domini noſtri Jeſu Chriſti, qualis ab initio*

Hortatur Innocentium ut ignoſcat Frederico.



Bbb 2 non

Significat quantum dolorem orientales ex prophanato Domini ſepulcro acceperint.

*non eſt audita. Propter hæc igitur porreximus hanc petitionem & ex zelo, quem habemus propter Deum, & ex dolore cordis ſcripſimus hæc; quia neceſſitas urget nos, ut ſimus ſoliciti pro eccleſiis Jeſu Chriſti. Oporteret autem, ut omnes eccleſiæ Jeſu Chriſti & monaſteria, & omnes fideles, qui ſunt in oriente & occidente induerent ſe ciliciis; & ſederent in dolore, & plangerent ſuper Hieruſalem, ſuper iis quæ acciderunt in ea in diebus noſtris. Intimavimus hæc ſiquidem dominationi veſtræ. Nunc autem iſti fratres filii veſtri ſpeciales, religioſi, virtuoſi in omnibus operibus ſuis, quos oportet honorari ab omnibus hominibus, qui ſunt digni audire, quod dixit os vivificantis: Euge ſerve bone, & fidelis, &c. ipſi, inquam, miſſi a vobis Andreas & ſocius ejus, conſervati a Domino, notificabunt vobis ore ad os, quæ viderunt & audierunt apud nos: & cum hoc præſentabunt ſalutationem debilitatis noſtræ, & univerſis patribus & ſacerdotibus & monachis; Regibus ſubditis ſedi dominationis veſtræ, pariter & omnibus Chriſtianis obedientibus paternitati veſtræ.*

XXXV. Formam ſuæ & aliorum fidei tranſmittere.

*Miſimus autem vobis per manus dictorum fratrum nuntiorum veſtrorum libellum, quem attulimus de pectore orientis, ſcilicet de terra Sion: & libellum alium de fide ex parte archiepiſcopi Neſibini, cui ſubſcripſerunt alii duo archiepiſcopi, & tres epiſcopi. Et nos una cum eis in ſpiritu petimus iterum a paternitate veſtra petitionem ſecundam pro I. archiepiſcopo Hieroſolymitano, qui eſt de gente noſtra, & pro fratribus noſtris orientalibus Chriſtianis qui ſunt Antiochiæ, Tripoli, & Accon, & in aliis terris veſtris, ut recommendetis eos, ne aliquis eos offendat, & ſint apud vos, ſicut dixit Dominus noſter Jeſus Chriſtus: Quodcunque uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, & quod vultis ut faciant vobis homines, hoc facite illis. Hæc ſufficiant. Gratia autem divina reſidens in habitaculo cordis veſtri, quæ operatur virtutes, & curationes in omni hora per manus veſtras ſanctas, cuſtodiat vos per virtutem Apoſtolorum ſociorum veſtrorum die & nocte uſque in ſempiternum. Amen.*

XXXVI. Proclivem ſe ad Romanæ Eccleſiæ conjunctionem exhibuit Ignatius Jacobitarum orientalium præſul, atque ubi expoſuit quanto honore ac lætitiæ ſignificatione apoſtolicas literas excepiſſet, fidei ſuæ formam ſubjecit, quæ catholicæ veritati conſentit, ſi veterem Armenorum circa ſacramentum confirmationis errorem, quo irretitus tenebatur exceperis. Qui cum a conciliis & patribus, ac recentioribus theologis abunde ſit confutatus, in eo refellendo non commorandum; ſed patriarchales epiſtolas in medium adducendas cenſeo.

*Litteræ miſſæ ad dominum Papam ex parte Catholicon Jacobitarum (a).*

*Illi generi ſupremo conſtitutivo omnium ſpecierum, quod ita vocatur genus, quod non contingit ipſum vocari ſpeciem; Patri patrum, ſanctiſſimo Innocentio tenenti ſedem B. Petri principis Apoſtolorum, glorificato a Chriſto Deo, qui credidit B. Petro claves regni cælorum, & poſuit eum fundamentum Eccleſiæ; ſervus ſervorum Chriſti Ignatius debilis, cui creditum eſt a Spiritu ſancto, ut ſit paſtor Syriæ, & totius orientis populo Jacobitarum; adorationem ſinceram in ſpiritu & corpore.*

Gratulatur illi ad conjunctionem Eccl. Roman. provocaſſe.

*Innoteſcat ſanctitati patris communis poſt patrem cæleſtem; & domini communis poſt Deum cæleſtem, quod pervenit ad nos epiſtola veſtra ſancta per manum fratris ſancti, ſapientis, omnibus virtutibus ornati Andreæ; & levavi eam ſuper capita noſtra, & benedictionem recepimus ab ipſa, ſicut a ſimilitudine imaginis Jeſu Chriſti. Quod autem mandaſtis de pace & charitate communi; & quis eſt qui non gaudeat de concordia? Cum autem ſimus paci perfectæ obedientes, primo oſtendamus veritatem fidei noſtræ, quam confitemur: & Deus teſtis eſt nobis, quod illud quod credimus corde, confitemur ore, & exaramus ſcriptura.*

XXXVI. Forma fidei Jacobitarum.

*Dicimus igitur, quod nos Chriſtiani orientales vocati Jacobitæ credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; unam naturam, tres hypoſtaſes, tres perſonas. Et cum Pater ſit principium Filii & Spiritus * ſanctus: principium Filii generativi, & Spiritus ſancti principium ſpiritativi. At ut quia eſt una natura divinitatis, non oportet nos confiteri unam hypoſtaſim & unam perſonam; nec iterum quia ſunt tres hypoſtaſes & tres perſonæ perfectæ, oportet nos confiteri tres naturas eſſe; ſed unam naturam, unam potentiam, unam voluntatem, unum actum naturalem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et iterum confitemur, quod Deus Verbum unigenitus Patris de voluntate Patris, & Spiritus ſancti deſcendit, habitavit in utero virginis Mariæ, & natus eſt ex ea nativitate ſecunda, cum natus ſit a Patre nativitate æterna. Et factus eſt ex ea homo perfectus, animatus anima rationali intellectiva; ſimilis nobis in omnibus præter peccatum: & ipſe eſt perfectus Deus, & perfectus homo ſine mixtione, ſine confuſione: & ipſe eſt unus Deus, unus Chriſtus, una perſona, ſicut dicit Athanaſius, & Cyrillus: quod Deo verbo eſt una natura incarnata. Et propter hoc confitemur, quod Maria eſt mater Dei in veritate; quia ipſa peperit Deum incarnatum, qui natus eſt pro ſalute noſtra, & crevit in dimenſionibus humanis, & complevit gubernationem; & paſſus eſt, & mortuus ſecundum carnem, & ſurrexit tertia die: &*

(a) Extant ibid. ep. 120. Patriarch. Jacobitarum lit. ad Innoc.

De Deo uno & Trino.

Verbo incarnato.

* ſancti

cum



*cum impleret divina, erat in veritate perfectus Deus, & perfectus homo; & iterum cum operaretur humana, erat perfectus Deus, & perfectus homo unus poſt unionem. Non recepimus igitur eos, qui confitentur dualitatem diviſivam unitatis, nec iterum eos, qui confitentur mixtionem, & confuſionem, ſicut Eutyches excommunicatus; ſed recipimus omnes, qui ſequuntur fidem B. Petri principis Apoſtolorum & incedunt per viam Nicæni concilii, quicunque ſint illi de doctoribus Eccleſiæ ſanctæ, quorum veritas nota eſt apud excelſum Deum. Item damnamus, & excommunicamus omnem deviantem a fide B. Petri, & concilii Niceni, & corrumpentem rectitudinem fidei Chriſtianæ a tempore Simonis magi uſque ad diem hanc, quicunque ſint illi, & ipſi noti ſunt apud Deum.*

Damnat omnes a fide Rom. Eccl. & concil. Niceni deficientes.

XXXVIII. Primatum Rom. Eccl. agnoſcit.

*Hæc eſt igitur fides noſtra & confeſſio noſtra, & nobiſcum Ægyptii, & Armeni, & Libyi, & Æthiopes. Confitemur iterum, quod ſacroſancta Eccleſia Romana eſt mater, & caput omnium eccleſiarum, & ipſa eſt in qua ſunt repoſita corpora beatorum Petri & Pauli. Hæc autem oſtendimus magnificentiæ veſtræ breviter & ſuccincte, ne afficiamus vos tædio in prolixitate, & hoc quia ſcimus, quod ex paucis * intelligimus plura. Cum autem poſtuletis unitatem & concordiam, & quis eſt, qui hæc renuat, quæ appropinquare faciunt Deo excelſo? Sed in firmamentum pacis, & concordiæ petimus a ſanctitate veſtra primo quod patriarcha noſtro mortuo congregentur archiepiſcopi, & ſtatuant ſibi ſecundum canonem, & ſecundum ſortem Apoſtolorum, quem elegerit Spiritus ſanctus, & hoc ſecundum canones & conſuetudines noſtras. Secundo quod patriarcha & archiepiſcopi & epiſcopi Latini, qui ſunt in partibus noſtris, non judicent ſuper patriarchas & archiepiſcopos noſtros, ſed ſicut eſt præceptum veſtrum, ſuper patriarchas & archiepiſcopos Latinos; ita & ſit ſuper nos: & iterum ſicut recipiunt ſententias & judicia veſtra, ita & nos. Tertio quod patriarcha & archiepiſcopi & epiſcopi Latini non accipiant cenſum de eccleſiis & monaſteriis, quæ habemus in terris ipſorum: ſed communicent nobis libertates Eccleſiæ, ſicut filiis in honore; & nos ſemper exhibeamus eis reverentiam, & honorem. Alioquin non erit decens, quod illa, quæ cum magno labore habemus, contra libertatem Eccleſiæ concupiſcant. Quarto quod illi de gente noſtra, qui contrahunt cum Latinis, non compellantur ad confirmationem ſecundam; cum ſint inſigniti charactere baptiſmali, & confirmati fuerunt una vice. Cum pace igitur & concordia tollatur hæc confirmatio. Iterum notificamus ſanctitati veſtræ, quod ex quo fratres veſtri Latini benedicti egreſſi ſunt, & venerunt ad partes noſtras, populus noſter dilexit eos, & pro poſſe ſuo aſtitit eis in omnibus neceſſitatibus ſuis, ſicut in liberatione ſclavorum, vel captivorum, & conſimilium. Nunc igitur petimus a ſanctitate veſtra, ut remuneretis nos in charitate, quæ ſuper omnia aſſimilat nos Deo, & oretis pro debilitate noſtra, ſicut incumbit nobis ex miſeria noſtra.*

* intelligitis.

Quæ flagitet ab Innoc.

Error Armenorum.

XXXIX. Adjecta eſt in regeſto (a) alterius Ignatii Jacobitarum patriarchæ concepta ſubjectis verbis fidei profeſſio.

(a) Lib. 5. ep. 122.

*Confeſſio venerabilis patris Ignatii patriarchæ Chriſtianorum orientalium, qui vocantur, Jacobitæ, pro ſe, & pro populo ſuo ſibi commiſſo.*

*Credimus in patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unam naturam, & tres perſonas. Pater eſt gignens, Filius genitus ab eo, & Spiritus ſanctus procedens a Patre, accipiens a Filio. In ultimis autem temporibus ex voluntate Patris, & Spiritus ſancti Verbum æternum deſcendit de cælo, & habitavit in utero Virginis, & natum eſt ex ea nativitate ſecunda, & conſervavit ei virginitatem ſuam poſt partum; ideo credimus & confitemur eam Dei genitricem. Circumciſus eſt, & evacuavit circumciſionem; jejunavit ſiquidem, & tentatus eſt a diabolo, & paſſus eſt & mortuus eſt ſecundum carnem, & reſurrexit; & poſt reſurrectionem ſuam quadraginta diebus mundo apparuit, ut * juſtificaret reſurrectionem ſuam: aſcendit ad cælum, ſedet ad dexteram Patris; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et ipſe in veritate eſt perfectus Deus, & perfectus homo: unus Chriſtus ex duabus naturis divina & humana. Et eſt divina natura conſervata in * ſancta eſſentia, & in ſuis proprietatibus: & natura humana conſervata eſt in ſua eſſentia, & in ſuis proprietatibus; & facta unio inter ipſas ſine confuſione, ſine mixtione, ſine corruptione.*

* al. verificaret.

* ſua.

XL.

*Concordamus ſiquidem cum B. Petro, & confitemur eum fundamentum eſſe Eccleſiæ, ſicut nominavit eum Chriſtus petram dicens: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & ideo Eccleſia, in qua eſt corpus ejus repoſitum, eſt mater omnium eccleſiarum in univerſo mundo: & dicimus, & prædicamus, quod ipſa eſt lampas lucens, ex qua omnes aliæ lampades ſuccenduntur. Dicimus etiam, quod animæ juſtorum, qui voluntatem Dei impleverint, quando ſeparantur a corpore, requieſcunt in regno cælorum. Peccatores qui moriuntur ſine confeſſione, flagellantur in inferno. Illi vero, qui peccaverint, tamen confeſſi ſunt peccata ſua, ſed non compleverunt pœnitentiam, affligentur uſque ad pœnitentiæ complementum. Dicimus ſiquidem, quod oportet Chriſtianum diſcipulum Jeſu Chriſti diligere Chriſtianum fratrem ſuum, ſicut Chriſtus dilexit nos, & poſuit animam ſuam*

pro

*pro nobis. Chriſtianus vero, qui odit fratrem ſuum, non eſt Chriſtianus, quia eſt prævaricator mandatorum Jeſu Chriſti; ſed ut diſcipulus illius, qui invidit Adæ, & odivit eum. Hæc autem ſunt, quæ breviter diximus ad oſtenſionem fidei noſtræ.*

XLI. His addendam Joannis primatis Jacobitarum fidei normam exiſtimamus, in qua ſententiam ſuam graviſſimis hiſce verbis in luce collocat (a).

(a) Ext. apud Inn. l. 4. ep. cur. 123.

Confeſſio primatis Jacobitarum.

*Confeſſio primatis Jacobitarum orientalium.*

*Dico ego Joannes debilis primas Jacobitarum orientalium, quod confeſſio mea, & fides mea eſt de domino Jeſu Chriſto Verbo Dei æterno, ſcilicet perſona Filii æterni nati ex Patre ante ſæcula, quod ipſe deſcendit de excelſo cœlorum habitaculo ex voluntate ſua, & Patris ſui, & Spiritus ſancti; & non receſſit a dominatione majeſtatis ſuæ: & habitavit eſſentialiter in Maria virgine ancilla ſua: & recepit ex ea corpus animatum anima rationali intellectiva. Et unitus eſt ei mediante anima prædicta, unione vero inſeparabili. Et non dicimus, quod prius fuerit formatus homo, & poſt habitavit in eo divinitas; ſed dicimus, quod non prodiit ad eſſe aliqua pars humanitatis ejus, quin divinitas eſſet unita ſine mixtione, ſine confuſione; unione inquam perpetua, inſeparabili, indiviſibili: & propter hoc confitemur, quod ipſe eſt Deus unus incarnatus. Filius unus natus ex patre, primo nativitate æterna, & ex Maria virgine poſtremo nativitate temporali. Una perſona, una ſubſtantia ex duabus ſubſtantiis, non quod divinitas converſa ſit in humanitatem, aut humanitas in divinitatem; nec quod compoſita ſit ex iis duabus ſubſtantiis, ſubſtantia tertia: ſed eſt unita ſecundum normam unionis vitæ non accidentalis. Et licet unio excludat dualitatem, & tamen indicia duarum naturarum, & proprietates earum permanent in ipſo; & diſcernuntur ſolo intellectu. Et non attribuimus miracula, & opera magnifica divinitati abſtractæ ab humanitate, nec attribuimus naturalia, & opera * infima humanitati abſtractæ a divinitate; ſed dicimus, quod fecit miracula ex virtute divinitatis, & guſtavit paſſionem, & mortem voluntariam, quia natura humanitatis; & ipſe tamen unus Filius Dei, & hominis. Et dicimus, quod quando ſuſcepit paſſionem, & mortem voluntariam propter ſalutem creaturæ ſuæ, divinitas ejus non eſt ſeparata a corpore ſuo in hora mortis, ſed ſemper fuit unita & corpori, quod ſuſceperat paſſionem, & animæ ſeparatæ: nec attingit eam paſſio, cum ſubſtantia divina propter excellentiam ſui immunis ſit ab omni accidente, & paſſione.*

* al. infirma

XLII. *Cum autem quælibet trium perſonarum nominetur Deus; & conſtet, quod Filius eſt una trium perſonarum, & nominetur Deus; oportet ut nominemus virginem Mariam matrem ejus, genitricem Dei. Et ſi dicat nobis aliquis, quod hoc nomen Deus nomen eſt commune tribus perſonis, & ita forte tranſibit dictum ad perſonam aliam a Filio, vel ad tres ſimul; dicimus, quod hoc nomen eſt commune, niſi ſit aliquid diſtinctivum, & proprium. Si ſit aliquid diſtinctivum, quia quælibet trium perſonarum habet propriam notionem, qua diſtinguitur ab aliis, & hoc quia Pater paternitate diſtinguitur a Filio & Spiritu ſancto, & Filius filiatione a Patre & a Spiritu ſancto, & Spiritus ſanctus proceſſione a Patre & Filio. Si igitur nominemus Patrem Deum, & notificemus paternitatem, non ſequitur quod tranſeat ad Filium, & Spiritum ſanctum, ſimiliter de Filio & Spiritu ſancto. Igitur cum dicimus: Maria virgo peperit Deum, intelligitur tantum de Filio, quia reſtringitur hoc nomen per notionem nativitatis & filiationis; nec oportet quod tranſeat dictum ad alium. Et ſi dixerit nobis aliquis: Quare non ſufficit eam vocari genitricem Chriſti? reſpondemus, quod hoc nomen non ſufficit ad notificationem veritatis eſſentiæ genitrici, cum ſit nomen derivatum ab unctione, & indigeat longa expoſitione, & exeat a ſua prima expoſitione; & æſtimabit forte inſipiens, quod vocatus hoc nomine ſit ſicut David, & ſicut Saul, aut hujuſmodi: ſed ſi eſſet nomen derivatum a divinitate & humanitate, ſufficeret breviter dicere Mariam matrem Chriſti. Cum igitur natus de ea in veritate ſit Deus, vocamus eam genitricem Dei, & in hoc imitamur veſtigia ſanctorum Patrum.*

Nec Jacobitæ modo Innocentii votis in adducendis ad mutuam conjunctionem fidelibus, ſed etiam Neſtoriani conſenſere, ut archiepiſcopi Niſibini literæ oſtendunt; (a) quibus Neſtorii errores damnat. XLIII.

*Confeſſio Neſtorianorum.*

(b) Ext. ib. ep. 121.

Profeſſio fidei Neſtorianorum.

*Dico ego Enſtaib archiepiſcopus de Naſabin, quod fides mea de domino Jeſu Chriſto, quod ipſe eſt perfectus Deus, & perfectus homo: unus Filius ſcilicet Dei & hominis, una perſona: & ipſe non fuit prius homo purus, & poſt unitus deitati; ſed quælibet pars humanitatis ejus non extitit niſi unita deitati; & quod Maria virgo peperit perfectum Deum, & perfectum hominem Filium unum, qui eſt dominus Jeſus; & hæc unio non fuit accidentalis poſſibilis ſeparari, ſed permanens & perpetua: & quod proprietates divinæ naturæ & humanæ inſunt Chriſto. Mortuus eſt autem ſecundum humanitatem unitam, & non deſiit in eo unio, ſed permanſit eo exiſtente in cruce & in ſepulcro; & eſt ſeparata anima a carne in morte; nec tamen deitas ab humanitate, ſed permanſit unio deitatis ad animam ſeparatam a corpore, & ad corpus quod ſuſcepit paſſionem. Initium*



*autem unionis fuit, ex quo nunciavit Angelus B. Mariæ, & ipſa conſenſit ei, & credidit verbis ejus, & dixit: Fiat mihi ſecundum verbum tuum; & facta eſt unio inter f. del fiat & inter m. del tuum; & in hoc quod dicimus: Maria peperit Chriſtum, intelligitur quod ipſa peperit Deum Filium, unam trium perſonarum unitam homini uni, de quo dicitur in evangelio, quod ipſe eſt filius David, & filius Abraham, & eſt filius Mariæ virginis, & Dei Patris; & in hoc quod dicimus: Maria peperit Chriſtum, intelligitur quod ipſa peperit Deum; tali tamen conditione, quod ipſe eſt Deus Filius unitus humanitati. Sunt autem voces intellectuum, & hæc vox, Chriſtus, ſignificat perfectum Deum, & perfectum hominem: hæc autem vox, Deus, ſignificat de pari ſanctam Trinitatem; & ſupponit pro Patre, & ſupponit pro Filio, & ſupponit pro Spiritu ſancto: & cum dicitur: Maria peperit Deum; exiſtimabit forte inſipiens quod ipſa peperit aut ſanctam Trinitatem, aut Patrem, aut Spiritum ſanctum, niſi exponatur Deum Filium unitum. Cum igitur indigeat expoſitione, & Deus Filius unitus ipſe ſit Chriſtus, ſub uno vocabulo erit, cum dicimus: Maria peperit Chriſtum; verbum unum breviter comprehendens divinitatem & humanitatem. Eſt igitur unus Chriſtus, unus Filius, res duarum naturarum divinitatis & humanitatis; unum individuum, una perſona.*

XLIV. Inſidebat alia Pontificis animo cura, ut non modo ſchiſmaticos quoſque remotiſſimos ad Apoſt. ſedis obſequium revocaret; ſed maxime hæreticos per Italiam & Gallias ſparſos, ad veræ religionis cultum traduceret, atque in perfidia obfirmatos juſtis pœnis percelleret, ut alios a ſcelere ſupplicii metus ſubmoveret, quos fœditas criminis ab eo committendo non deterruiſſet. Pluribus enim in iis provinciis Prædicatorum familiæ religioſis viris, quos divinæ amplificandæ gloriæ ſtudium incitabat; ut Joanni (a) Vicentino in Inſubria, atque Biſuntino, (b) Burdegalenſi, & Narbonenſi prioribus (c) in Galliis; provinciam demandavit, ut in convertendis iis animabus, quæ hæreſi corruptæ ac ſubornatæ erant, zelum ardentiſſime explicarent. Tanta porro religione diſtrictæ in hæreticos cenſuræ ſervabantur, ut Toloſanus comes, qui ſumma potentia florebat, obtinere non potuerit, ut corpus Raymundi patris ipſius, qui ob impenſum hæreticis ſtudium, aliaque ſcelera perpetrata anathemate defixus, atque a fidelium conſortio ſegregatus obierat, eccleſiaſticæ ſepulturæ traderetur. Quamvis enim id ſummis antea votis a Gregorio ac poſtea ab Innocentio flagitaſſet (d); demumque ineunte hoc anno Pontificem ſolicitaſſet, ut eccleſiaſticæ ſepulturæ honore parentem frui permitteret; atque aſſereret ſe probaturum teſtibus patrem editis maximis pœnitentiæ commiſſorum criminum ſignis obiiſſe, quamvis cenſuris quibus erat irretitus abſolvi atque Eccleſiæ conciliari non potuiſſet; hoc ſolum obtinuit, ut Pontifex Auxitano archiepiſcopo, atque Anicienſi & Lodevenſi epiſcopis provinciam imponeret, inquirerent ſi ita, ut proponebat comes, ipſius parentem flagitiorum pœnituiſſet, & Chriſti domini corpus excipere poſtulaſſet: & ſi dicta veritati conſentientia reperiſſent, eccleſiaſtico more ipſi juſta perſolvi juberent. In quam ſententiam hæc ſcripſit (e).

Hæreticos in Galliis atque Italia excindi jubet Inn.

(a) Lib. 4. ep. cur. 129.

(b) Lib. 5. ep. 370.

(c) Ibid. ep. 371.

Raymundus comes Toloſ. flagitat ut paternum corpus ſepulturæ eccleſiaſticæ tradatur.

(d) Lib. 4. ep. 436. & l. 5. ep. 393.

Dati ab Innoc. judices ad cognoſcendam cauſam num pœnitens deceſſiſſet.

(e) Ead. ep. 393.

XLV. *Cum non ſit ei poſt mortem communio deneganda, qui eam affectaſſe, dum viveret, evidentibus pœnitentiæ indiciis demonſtratur; noſque ſimus omnibus in juſtitia debitores, & præfati comitis tanquam devoti Eccleſiæ annuere petitionibus, quantum cum Deo poſſumus, intendimus; tradi faciatis, abſolutione præmiſſa, juxta formam Eccleſiæ in talibus obſervandam, eccleſiaſticæ ſepulturæ.* His vero ubi graviſſime differuit cur hæreticis aliiſque fidelium communione ejectis ſepulturæ eccleſiaſticæ honor denegetur, ſubiicit: *Licet bonis contemptibilis ſepultura non obſit, nec honorabilis proſit malis; convenit tamen in locis ſacris fidelium corpora tumulari, excommunicatorum autem deiici in vilibus, & deſpectis, ut quibus Eccleſia communicavit viventibus, communicet defunctis; eoſque devitet mortuos, quos evitavit & vivos. Illos autem, qui ab ipſius unitate præciſi certa pœnitentiæ ſigna oſtenderint, licet ei reconciliati non fuerint morte præventi, dum tamen per ipſos non fuerit, & abſolutionis impendendum eſt beneficium & ſepultura etiam eccleſiaſtica exhibenda.* Cæterum Bernardus, qui hujuſmodi provinciæ hiſce præſulibus impoſitæ meminit, (f) aſſerit Toloſanum comitem, qui ſigno crucis ſe inſignierat, ac Regis Francorum auctoritatem adhibuerat, elicere nunquam potuiſſe, ut patris corpus ritu eccleſiaſtico terræ mandaretur.

(f) Bern. chr. Rom. Pont. hoc ann.

XLVI. Dum ita in tuenda eccleſiaſticarum legum ſeveritate conſtantiam ſervabat Innocentius, adverſus nonnullos, qui clerum ſubiicere ſervituti moliebantur, deſudandum ipſi fuit. Subornati enim, ut creditum eſt, atque indicat Pariſius, (g) a Friderico Galliarum proceres, quoddam fœderis genus percuſſere, ut clero, qua potiebatur in dirimendis cauſis, auctoritatem adimerent; atque eos tuerentur, qui anathemate defixi fuiſſent; ſi ipſi illos injuſte ea pœna percuſſos cenſuiſſent; juſſi ſunt ii omnes, qui illius factionis participes eſſe vellent, redditumm centeſimam pendere, & quatuor principes viros, Burgundiæ ducem, Britanniæ, Engoliſmæ & S. Pauli comites deſignati, ut eos

(g) Par. hiſt. Angl. eod. ann.

Subornati a Frederico nonnulli Galli proceres adverſus eccleſiaſticos coitionem ineunt.

eos quibus controverſia aliqua cum eccleſiaſticis eſſet, omnibus viribus animiſque defenderent. Editas ab ipſis leges Gallica lingua affert Pariſius, atque aliud ſcriptum ab ipſis promulgatum plenum contumeliarum in clerum adiicit, quo primum illi imperite admodum gloriantur Francorum regnum non prædicatione evangelica, ſed ferro ſub Carolo magno, ad fidem catholicam eſſe traductum; atque eccleſiaſticos vulpium more ita ſenſim ſuam extuliſſe auctoritatem, ut qui ſervi antea fuerant, principum invaderent jura; & iis dominari vellent, a quibus veterum victorum, ac triumphatorum more leges accepiſſent.

XLVII. Quas leges ad eos deprimendos tulerint.

Addunt principes viros totius regni perpendentes non clericorum, ſed militum opera regnum fuiſſe partum, ſanxiſſe, ut nullus clericus, vel laicus alium coram ordinario judice, vel delegato in judicium trahat, niſi in hæreſeos, matrimonii, vel uſurarum cauſis: iis vero, qui ea ſtatuta violare tentarent, jacturæ bonorum ac unius membri mutilandi terrorem incuſſere. Tum facti ſubiiciunt rationem, ut ita eorum auctoritas ab eccleſiaſticis extincta reviviſceret, atque opes, quibus illi affluunt, ad ſe derivarent; ac demum hunc colorem ac fucum appingunt jactis hiſce in clericos ſalibus: *Et reducantur ad ſtatum Eccleſiæ primitivæ, & in contemplatione viventes, nobis ſicut decet, activam vitam ducentibus, oſtendant miracula, quæ dudum a ſæculo receſſerunt.* Quæ extrema verba ex Friderici literarum calce deprompta notat Pariſius, quas ille ad Reges principeſque exararat, ut ipſos ab Eccleſiæ reverentia, atque a vera pietate alienaret.

Impius ad bona eorum invadenda color.

XLVIII. Ubi in publicum emanaſſet fœdiſſima lex, quæ ad creandum eccleſiaſticis odium, omnemque non humanam modo, ſed divinam etiam auctoritatem illis attributam convellendam conflata erat (quid enim contumelioſius quam laicos ſe liberos inſignire, ſervos vero clericos appellare; jactare ad ſtatum primitivæ Eccleſiæ reducendos, cum nimirum ſub perſecutorum tyrannide ingemiſcebant; non cenſendos percuſſos anathemate, niſi quos laici publici clericorum hoſtes juſte ſacris depulſos judicaſſent?) Gallicanus clerus ad Innocentium, ut Eccleſiæ cauſam defendendam arriperet, confugit: tum nonnullos cœtus celebrare cœpit, ut iniquum laicorum, eccleſiaſticos obterere meditantium fœdus diſſolverent. Tanto etiam malo occurrere Innocentius ſtuduit; apoſtolica auctoritate reſcidit (*a*) ab illis geſta; latas contra eccleſiaſticæ libertatis violatores cenſuras renovavit; in omnes, qui vel hæretica lue aſperſi eſſent, vel hæreticis ſtuderent, quive ea ſtatuta ſervari juberent, anathematis ſententiam tulit, niſi ea intra duos menſes eraſiſſent. Tum omnes magiſtratus, atque eos, qui ejuſmodi leges exſcriberent in publicis tabulis, iiſdem pœnis afflixit.

Reſcindit iniquam legem Innocent. Cenſuris percellit libertatis eccleſiaſticæ violatores.

(*a*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 35.

*Archiepiſcopis & epiſcopis, abbatibus, prioribus, & aliis eccleſiarum prælatis, ac univerſis qui Pariſiis, vel alibi pro honore Dei, & Eccleſiæ fuerint congregati.*

XLIX. Pontificis de eo literæ.

*Anguſtiæ nobis ſunt undique, dum perſecutoris Eccleſiæ crudelem impietatem attendimus; dum ejuſdem opera, qui ad abſorbendum eam per ſe, ac membra ſua totis conatibus inhiat, cogitamus. Sed illud nos pungit profundius, ferit acerbius, quod illi, de quibus utpote catholicis maximam habebamus fiduciam, & in quibus præcipue vigere tam fides quam devotio credebatur; quorumque progenitores fide ferventes, devotione ſinceri Eccleſiam non ſolum defenſarunt ab aliis, verum etiam & ampliarunt divitiis, & multis libertatum privilegiis munierunt; contra eandem Eccleſiam novæ, ac prorſus inſolitæ adinventionis genera machinantur. Nec eſt mirum, ſi de hoc dolemus; potiſſime tum propter exempli perniciem, quam afferent exinde aliæ nationes: tum pro eo quod amicorum offenſæ plus aggravant pluſque lædunt, teſtante Domino per prophetam: Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſupportaſſem utique. Satis quidem ſufficiebant ad præſens afflictiones, quas Eccleſia patitur; inſultus, quibus impetitur; & turbationes, quibus jugiter ab inimico homine ubilibet ſuperſeminante zizania moleſtatur. Non erat neceſſe ut quidam ex baronibus Franciæ afflictæ afflictionem adiicerent, ipſam novis conſtitutionibus, vel potius deteſtationibus perturbantes. Qui, ſicut dolentes audivimus & miramur, Eccleſiam, quæ ipſos ex utero ſanctificationis regeneravit in filios, ac pro eorum ſalute immaculatum agnum offert jugiter Deo Patri, in ſervitutem cupientes redigere; ut jam nolint vocari filii liberæ, ſed ancillæ, immo ſponſam Regis æterni, qui ipſos ſuo ſanguine a ſervitute perpetua liberavit; conantes miſerabiliter ancillare, communi conjuratione, & conſpiratione contra libertatem ipſius plura, ſicut dicitur, gravia & enormia ſtatuerunt, quæ jus & conſuetudinem prædictæ libertatis abſorbent, Eccleſiæ honorem elidunt, ſcandalum pariunt, & pericula generant animarum.*

L. *Sane ſi negotii qualitas diligenter attenditur, ſi ſtatus rerum qualiquali meditatione penſatur, honori, vel ſtrenuitati eorundem baronum non expediebat hoc tempore aggredi ſanctam Eccleſiam in tali articulo conſtitutam; cum in gentibus, circumſcripto timore divino, ex magnanimitate quadam oppreſſis, eorum etiam ſi quæ forte præceſſerint, non memorantes injurias, ſubvenire ſoleant; eiſque in neceſſitate manum*



Obiicit Inn. Gallis proceribus longe a Caroli magni & Theodoſii pietate abeſſe.

*num porrigere adjutricem. Verum ſi dicti barones diligenter attenderent, quod Carolus magnus Eccleſiam, a qua omnem honorem ſuſceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit, ut omnes ipſius juriſdictioni ſubjecti ſtatutum a Theodoſio Imperatore pro Eccleſiæ libertate editum, inviolabiliter obſervarent; videlicet, ut quicunque litem habens ſive petitor fuerit vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum jam cœperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ ſedis antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi pars altera refragatur, ad epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur: & omnes cauſæ, quæ prætorio, & etiam civili jure tractantur, epiſcoporum terminare ſententiis, perpetuæ robur obtineant firmitatis: & negotium quod judicio ipſorum deciditur, nequaquam ulterius ab aliquo retractetur. Ex quo manifeſta poteſtis ratione perpendere, quam iniquum videatur & abſonum, ſi honor Eccleſiæ, quæ tam grandis libertatis privilegio donata dignoſcitur, in illis immunitatibus, quæ multo prædictis noſcuntur eſſe minores, noſtris temporibus decurtetur.*

LI. *Si alias barones ipſi penſarent quod omnes, qui præſumunt ſtatuta condere contra eccleſiaſticam libertatem, ſunt ipſo facto excommunicationis ſententia innodati, forſitan non proceſſiſſent ad talia, nec etiam perſiſterent in eiſdem: ſed quia fortaſſis ad eorum non pervenit notitiam, ut occaſio de ignorantia, & quod non fuerint moniti, omnino tollatur; ipſa eis quod deſiſtant ab hujuſmodi per aliquos veſtrum, quos ad hæc idoneos videritis, nuntiari volumus & exponi ac eos ad id ſolicitis monitis & exhortationibus diligenter induci. Quod ſi forte ad hoc præfati barones flecti nequiverint, aliquid de inſufflatæ ipſorum auribus fermento nequitiæ retinentes, cum ſcriptum ſit: Ne proſpera te allevent, nec adverſa demittant; vos ſperantes in illo, qui colligationes impietatis, & faſciculos deprimentes ſua virtute diſſolvit; ac conſiderantes quod Eccleſia, contra quam etiam portæ inferi non prævalebunt, conſuevit in tribulatione juxta verbum propheticum dilatari, ſtatuatis voſmetipſos in defenſione eccleſiaſticæ libertatis exemplo prophetæ, civitatem munitam, & columnam ferream, nihil penitus metuentes: ſed cordis armati conſtantia, quam nulla poſſit perſecutionis penetrare ſagitta, murum pro domo Domini vos viriliter opponentes; ea libertate, in cujus poſſeſſione adhuc exiſtitis & qua hactenus uſi eſtis, confidenter utamini; & contra rebelles procedentes, prout convenit, ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam attentata irrita nuntiando, vos aut ſubditos veſtros ipſius non permittatis commodo ſpoliari; pro firmo ſcientes quod cum Eccleſiam Gallicanam ſpeciali affectione inter cæteras orbis eccleſias diligamus, vobis omnimodum in conſervatione jurium & libertatum veſtrarum, dante Domino, conſilium, & auxilium impendemus.*

Gallicanum clerum ad conſtantiam hortatur.

LII. *Cæterum cum olim felicis recordationis Honorius Papa prædeceſſor noſter in omnes aliqua ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem edentes excommunicationis ſententiam tulerit; & ſuper hoc canonem latæ ſententiæ promulgavit; nos ipſius tenorem, ut eum ſolemniter publicari & ſervari in veſtris diœceſibus, non obſtantibus indulgentiis vel privilegiis quibuſcunque ab Apoſtolica ſede conceſſis, appellatione poſtpoſita faciatis, vobis duximus tranſmittendum, qui talis eſt: Noveritis quod nos in baſilica principis Apoſtolorum &c.*[1] Adducit lati ab Honorio anathematis formam quam nos ſuperius Gregorii literis ad ſanctum Ludovicum datis inſertam attulimus (*a*).

(*a*) *An.* 1236. *n.* 36.

LIII. Eodem argumento ad Tuſculanum epiſcopum A. S. L. ſcripſit (*b*) ut concilio, quod præſules Gallicani erant celebraturi, intereſſet, ipſoſque ad tuendam egregie cauſam Eccleſiæ animaret, cum non tam iis legibus iniquis libertas labefactari, quam Eccleſiæ ſtatus immutari videretur: tum anathemate defixos promulgaret, qui ad eas leges infligendas operam ullam adhiberent; pluraque alia illi imperia pro ea re diſturbanda fecit.

(*b*) *Eod. l.* 4. *ep. cur.* 36.

*Innocentius &c. epiſc. Tuſculano A. S. L.*

Data Tuſculano ep. ad factionem procerum diſſolvendam imperia.

*Cum per prædicta ab eiſdem baronibus attentata videatur non tam libertas eccleſiaſtica, quam ſtatus totius Eccleſiæ immutari, idque credatur ab inimico homine aſpirante ad ſubverſionem fidei procuratum; volumus & de conſilio fratrum noſtrorum mandamus, ut ſuper hoc procedere debeas iſto modo. Primo denunties & denuntiari facias excommunicatos omnes illos, qui ſervari fecerint ſtatuta edita & conſuetudines, vel potius abuſiones introductas contra*



NOTÆ [1] INnocentius datis ad Gallicanos præſules literis, in annalibus recitatis, mandavit, ut evocato concilio providerent ne quid a laicis principibus adverſus eccleſiæ jura tentaretur. Id forte concilium indictum fuit Stampas, quæ urbs eſt in provincia Senonenſi. Nam in collectione Martenii to. VII. col. 132. extant literæ Gilonis archiepiſcopi Senonenſis ad capitulares eccleſiæ Carnotenſis datæ hoc anno *in craſtino inventionis S. Stephani* nempe die IV. auguſti, quibus illos invitat ad concilium provinciale Stampis celebrandum *die craſtina octava Aſſumptionis B. M. V. ubi de ſtatu eccleſiæ, & negociis clericorum & eccleſiaſticarum perſonarum* Senonenſis *provinciæ agendum fuerat*. Hujus concilii mentio nulla in collectionibus. MANSI

*tra Eccleſiæ libertatem. Item excommunicatos nunties & nuntiari facias ſtatutarios, & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon barones, & dominos terrarum, ac alios nobiles, & poteſtates, conſules, rectores & conſiliarios locorum, ubi hujuſmodi ſtatuta, vel conſuetudines edita fuerint, vel ſervata, necnon & illos, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare vel in publicam formam ſcribere judicata. Item nunties, & nuntiari facias prædicta ſtatuta nullius eſſe momenti, & juramenta ſuper eis obſervandis præſtita prorſus illicita: & ideo illos, qui præſtiterunt ad obſervationem juramenti hujuſmodi non teneri.*

LIV. *Item excommunices omnes illos, qui ſocietatem conjurationis hujuſmodi intraverunt, vel intrabunt, aut procuraverunt, vel procurabunt aliorum ingreſſum, niſi penitus reſipiſcant. Item excommunices omnes illos, qui pro hujuſmodi ſtatutis ſervandis centeſimam reddituum ſuorum ſolvent, vel colligent, aut recipient per ſe, vel alium; ad ſolvendum, inducent alios, vel compellent, vel ad id dederunt, aut dabunt conſilium, auxilium, vel juvamen. Item excommunices omnes illos, qui occaſione conjurationis hujuſmodi prælatos impedient uti juriſdictione eccleſiaſtica in caſibus, in quibus eis competit de jure vel conſuetudine approbata. Item excommunices omnes illos, qui impedient, turbabunt, ſeu moleſtabunt agentes, reſpondentes, aſſiſtentes, patrocinantes, vel judicantes in foro eccleſiaſtico in caſibus ſupradictis; necnon & illos qui eorum propinquos in perſonis vel rebus præſument occaſione hujuſmodi moleſtare. Non obſtantibus aliquibus indulgentiis, ſeu privilegiis quibuſcunque perſonis ab Apoſtolica ſede conceſſis, ut in eas vel eorum terras excommunicationis vel interdicti ſententiæ ferri non valeant abſque ipſius ſedis licentia ſpeciali. Quod ſi forſan inventi fuerint aliqui pertinaces, noverint quod omni privilegio ab Apoſtolica ſede obtento, & feudis, ſi qua tenent ab eccleſiis, privabuntur; eorumque proles ad clericatum, vel eccleſiaſticum beneficium, ſeu dignitatem minime aſſumetur. Clerici quoque qui cum prædictis permanent, niſi incontinenti poſt publicam monitionem tuam ab eorum recedant obſequio & conſilio, omnibus eccleſiaſticis beneficiis, & etiam clericatus privilegio nudabuntur.* Refert Pariſius (*a*) Pontificem alia induſtria uſum, ut ea principum fœdera diſcuteret, plura opima in eorum conſanguineos ac germanos ſacerdotia contuliſſe, obtinendorum aliorum ſpem injeciſſe, atque ita apoſtolicis beneficiis affectos a ſuſcepto conſilio abduxiſſe; ac periculum, quod exinde Eccleſiæ conflatum erat, prudenter disjeciſſe. Sed de his ſatis; jam de bellico in Aſiam apparatu, qui a Gallis inſtruebatur, deque Syriæ rebus diſſeramus.

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Syriæ lugubris ſtatus. LV. Ceciderat Syria in graviſſimas calamitates, cum Fridericus ſacris ejectus & exauctoratus Imperio, non modo illi non ſuccurreret, ſed ob diſſenſiones vires illius admodum debilitaret. Et quidem Innocentius oppreſſos graviſſimo luctu Hieroſolymitani regni fideles recreare literis, atque ad meliorem ſpem excitare niſus eſt; utque adverſus Friderici, qui eos ſubornare ac pervertere moliebatur, fraudes conſtantes perſtarent, adhortatus (*b*): traduxerat enim illius regni dominium ob Conradi, ad quem jure materno ſpectabat perfidiam, in Cypri Regem, illumque præſtiti Friderico ſacramenti religione liberavit, atque una cum Cypri regno in ſedis Apoſtolicæ tutelam recepit: tum injecit (*c*) animos ut Syriam contemptis periculis ac laboribus ſibi ex fidei hoſtium manibus vindicaret.

(*b*) *Lib. 5. ep. cur. 1.*

(*c*) *Lib. 4. ep. 545.*

*Regi Cypri illuſtri, & domino regni Hieroſolymitani.*

*Debent qui poteſtate præeminent grandiori, illam curam, & ſolicitudinem gerere de ſubditis, ut eorum providentiæ ſtudio pacis & concordiæ ipſis adaugeatur tranquillum, & illorum ſtatus in proſperum dirigatur; ut, ſuccedentibus eis felicium temporum commodis, jam non ſubeſſe, ſed quaſi regnare ſub ſuis majoribus glorientur. Si ergo fili chariſſime, diligenter attendas, & ut convenit, mediteris, quod illi terræ præſis, in qua Jeſus Chriſtus pro humani generis redemptione naſci, converſari voluit, atque mori, dulciter perferes, & ſuaviter deguſtabis quorumlibet laborum, curarum, & ſolicitudinum ingruentiam; ut eam, quæ peccatis exigentibus perſecutionum concutitur incommodis diverſarum, ad ſtatum poſſis reducere meliorem. Super quo tanto libentius & fiducialius te requirimus & rogamus, quanto magis id tuo commodo & honori, exaltationi Eccleſiæ, ac ſaluti & utilitati totius populi Chriſtiani ſcimus & cognoſcimus expedire. Exurgat igitur tuæ potentiæ fortitudo confortata, & ſecura de gratia Regis regum, quæ tibi non deerit, ſi ad illum referas greſſus tuos, & regnum prædictum labores non metuens vel expenſas, illo cautelæ ſtudio, virtutis & potentiæ argumento regere ac gubernare procures, quod ejuſdem regni hominibus, te faciente, proveniat pax & quies corroboretur, & hilareſcat devotio Chriſtiana; & in tuum ac ipſius terræ ſubſidium animetur. Sicque fiat ut præter æternæ beatitudinis præmia, quæ conſequeris proinde cumulus tibi perpetuæ laudis accreſcat; & a nobis etiam, quos ſemper habebis ad tua commoda favorabiles & benignos, dignis in Domino laudibus commenderis. Dat. Lugd. xv. kal. maii anno VIII.*

Pa-



LVI. *S. Lud. pro eo inſtaurando exercitum parat.* Parabantur ſane ex occidente ingentia ſubſidia, quippe Ludovicus Francorum Rex tranſmarinæ ſeſe expeditioni non minus religioſe quam fortiter accingebat. Ut enim divinam gratiam colligeret toto regno inquiri juſſit, ut ſi quis damnum aliquod ab eo accepiſſet, rem probaret, ac mox omnia reſtitutum iri promulgavit: *Autumnali*, inquit Pariſius, (*a*) *tempore piiſſimus Rex Francorum Ludovicus, miſſis fratribus Prædicatoribus, & Minoribus per totum regnum ſuum, ut diligenter inquirerent, fecit etiam per ballivos perſcrutari, quod ſi aliquis inſtitor vel injuriam paſſus unquam, quicumque alius in aliqua accommodatione coacta, vel extorſione pecuniæ vel victualium, ut ſolet, per regios exactores proferret ſcriptum, vel talliam vel teſtimonium vel juraret, vel quomodolibet aliter legitime probaret; quia paratus erat omnia reſtituere: quod & ita factum eſt.* Hæc auctor. *Præclarum illius facinus.* Imitati videntur S. Ludovici egregium exemplum alii principes, qui tranſmarinæ expeditioni ſe devoverant: de ſe enim narrat Jonvillæus (*b*) recurrente poſt paſcha hujus anni feria quinta excitis clientibus expoſuiſſe Syriacæ profectionis conſilium; latere mortales an e longinqua peregrinatione ad patriam rediturus eſſet; atque adeo ſi quis ab ipſo factam ſibi injuriam quereretur, controverſiam in medium adduceret: quo vero æquitas ſervaretur, ſubduxiſſe ſe e circulo, ac nonnullis prudentibus viris litis dirimendæ provinciam demandaſſe; idemque in aliis ipſius ditionis terris factum.

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(*b*) *Jonvil. 2 par. hiſt. S. Ludov.*

Juvit etiam pium Regis conſilium Innocentius: ad augendas enim ejus copias, expoſcente ſancto Rege, Petro S. Georgii ad velum aureum diacono Cardinali in Germania legato injunxit (*c*) ne vota Hieroſolymitanæ profectionis permutari, neve concionatores ad capeſſendam crucem incitare populos vetari permitteret. Incenderat eadem pia cupido Anglos defendendæ Terræ ſanctæ, quorum plures cruceſignatæ militiæ ſe devoviſſe teſtatur Pariſius (*d*) remque promovebat ipſe Anglorum Rex Henricus, qui Guidonem e Lexiniaco marchiæ comitis filium, ſuumque uterinum fratrem, Francorum Regis vectigalem præfecit. *Angli induendæ crucis zelo incenſi.* Cumque ille antea ſacramento ſe devinxiſſet S. Ludovico cum eo iter arrepturum, Pontificem rogavit ſacramenti religione ſolveret; namque longe melius videri, ſi Francorum copias ſubſequeretur. Cui Innocentius acturum ſe cum Rege ac Regina reſcripſit (*e*).

(*c*) *Lib. 5. ep. 334.*

(*d*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(*e*) *Lib. 5. ep. cur. 5.*

LVII. Explicuerat antea egregie ſuum zelum Pontifex, cum pro ſummo, quo flagrabat, traducendarum omnium barbararum gentium ad Chriſti cultum ac venerationem deſiderio, legatos ad Sarracenorum ſultanos miſit, ut eos evangelii luce colluſtraret: quam legationem religioſis e Prædicatorum familia viris commiſerat. *Ut Inn. Sarrac. principibus fidei Chriſtian. veritatem propoſuerit.* Sed barbari vitiorum pondere oppreſſi ad lucem aſpiciendam oculos non extulere, atque Innocentio literas, (*f*) licet honorificas ob ſplendidos titulos, quibus eum ornavere, blaſphemiis tamen aſperſas miſere. Extant eæ in regeſto pontificio, inter quas primæ occurrunt, a Salchino exaratæ, ubi poſt comprobatam philoſophicas argumentis unicam divinitatem, ad aſtruendam ſacrilegam ſuperſtitionem, Chriſtum Dominum ut prophetam humana conditione non auguſtiorem collaudat; ac temere effutit omnia divina munera in reliquos prophetas ſparſa in ſuum Mahometum confluxiſſe: idque non argumentis gravibus, quæ habere non poterat, ſed mera impoſtoris aſſertione, qui ad circumveniendum ſimplicem populum cœlos penetraſſe, atque ab ipſo Deo edoctum ſe fuiſſe jactabat. Quas nos literas cum Sarraceni principis hoſtis publici religionis teſtimonio Romani Pontificis illuſtretur dignitas, quam nequiores eo novatores deprimere & obſcurare nituntur; tum Mahumeticæ ſuperſtitionis inſania deprehendi poſſit, atque ex iis eccleſiaſtica hiſtoria lucem accipiat, afferemus.

(*f*) *Ext. apud Inn. l. 4. ep. cur. 115.*

*Sultani Babyl. ad Pont. Ro.* *Sancto, illuſtri, puro, excellenti, temporalium contemptori, Dei cultori, venerabili, ſublimi, ſcienti, magno, capiti ſectæ Chriſtianæ, & duci filiorum baptiſmatis, ſedenti ſuper ſedem Simonis, ornatum habenti intellectum ſanctis theologicis Papæ Romæ, cujus Deus perpetuet proſperitatem Salchinus I. ex parte Deſaleb ſoldani Ægypti, Rex victorioſus, protector mundi & legis, cognomento Ubutaher quod interpretatur pater puri, nomine Abraham, filius Regis propugnatoris, cognomento Leonis legis, nomine Serlxoub, filii Mahometi, adjutor emar elemumemin, ideſt, Imperatoris fidelium, qui eſt Calipha.*

LVIII. *In nomine Dei miſericordis, & miſeratoris, qui entia ad eſſe deduxit potentia ſua, demonſtrantia perfectionem ſapientiæ ſuæ, atteſtantia ſingularitati ſuæ, loquentia, quod omnia entia innituntur unitati ſuæ. Ille laudabilis, & ſuperexaltatus: unus, non ſicut cæteræ unitates ſegregatus eſt a participibus & conſortibus, & carens repugnantiis, & ſocietatibus expers conjugis & filiorum, ſingularem perfectionem poſſidens, ad cujus comprehenſionem breves ſunt intellectus, & unicam habens ſcientiam, quam æſtimatio non circumcludit, & appropriavit ſibi notiones ejus eſſe, nec indemonſtrantes, & confirmantes apud eos, qui habent intellectum; quia non licet adorare, vel colere præter ipſum, ut creaturæ etiam atteſtantur; quia non eſt Deus* *Agnoſcit ſoldanus Dei magnitudinem.*



*niſi*

*niſi ipſe, & loquitur argumenta neceſſaria; quia non eſt præter ipſum alius adorandus, * qui illi, quibus Deus dedit ſcientiam ſpecialem, & elegit eos, ut ſupremam benignitatem propius contemplentur, & fecit eos locum habitationis ſapientiæ ſuæ, & patriam, in qua repoſuit tanquam depoſitum fidem ſuam, & confœderatus eſt cum eis fœdere protoplaſti; cum ſint talis creatura, quos copioſe bonitatis ſuæ induit indumento, videlicet intellectu cujus nobilitatis ratio, & traditio concorditer atteſtantur, & probant demonſtrationes, ipſum ad eſſe primitus proceſſiſſe: poſtea etiam intellexerunt, quod intellectus iſte oportet neceſſario, quod ſit ſimplex in ſeipſo, licet multiplex in conſideratione reſpectuum, & relationum. Oportet autem quod qui ei eſſe contulit, & ordinavit eum in filo ordinis creatorum, Deus videlicet laudabilis ſuperexaltatus, omnimoda multiplicitate careat. Nec in eum cadit aliqua ſpecies partitionis, aut numeri: nec ei accidit diffinitiva diviſio, nec diſſoluta; & illa omnia nota ſunt manifeſte apud eos, qui in talibus ſunt periti.*

* ab illis

Illius unitatem.

LIX. Potentiam in creatione orbis.

*In hoc concordant præterea nationes omnes, tribus, populi, atque ſectæ, quod Deus mundum iſtum in eſſe produxit abſque præexiſtente exemplari. Ille ergo, qui talis eſt, præter quem omne aliud eſt contingens, neceſſe eſt quod nulla ſit in eo compoſitio; nec eſt ejus eſſentia ex aliqua rerum conjunctione compacta, quia cum partes in compoſitione alicujus totius conveniunt, aut aliquid eis accidit, quod ante non habebant, aut non. Dato primo, aut cauſatur iſtud adveniens ratione unius partis tantum, vel cujuſlibet, vel totius, ſi ſecundum duo membra primo poſita; ſequitur quod quælibet pars ſit per ſe ſufficiens, & reliquæ ſuperfluunt ad illud adveniens conſummandum: quia ſecundum primum modum, qui cauſat illud adveniens, eſt unum ſolum, unde reliqua ſunt otioſa, & ſecundum ſuum modum quælibet eſt ſufficiens abſque alterius adjumento, & ſic iterum partes cæteræ ſunt vacantes: & ſecundum tertium membrum, videlicet ſecundum quod illud adveniens cauſatur ratione totius, tunc fiet in illo adveniente eadem quæſtio, quæ & in primo cauſato, & ſi aliud eſt adveniens, vel reſultans, erit procedere in infinitum: manifeſtum eſt in ſapientialibus ſcientiis in propoſito concatenationis. Dato autem ſecundo, hoc videlicet quod nihil adveniat partibus componentibus ex ſua compoſitione, ſequitur quod ſicut non ſurgebat cauſatum ex illis partibus ſeparatis, ita nec ſurgat ex conjunctis. Et hoc eſt propoſitum, & hoc quod dicimus eſt parum ex multis, & modicum ex magnis: & vere non eſt ſicut ſcintillula ex magnis illuminationibus, & ſplendor permodicus ex magnis coruſcationibus, & hoc intelligenti ſufficit; obtuſo autem & hebeti iſtis amplius non proficit.*

Simplicitatem eſſentiæ.

Illam probat. philoſop. argumentis.

LX. Deum verum & unum in alchorano prædicatum ait.

*Manifeſtum eſt igitur, quod verum dixit laudabilis, & ſuperexaltatus in alchorano: Deus verus, Deus unus eſt, nec eſt alius præter ipſum Deus, qui eſt miſericors & miſerator. Cum ergo ſit ipſe unus, mundus autem ſit iſte multiplex; cum ſit dives, mundus autem ſit tenuis: & ut breviter concludam, cum conſideratur ipſe in comparatione ad iſtum mundum, apparet diverſitas numeroſa, & multiplicatur remotio, vel longinquitas ſemper nova, & hæc atteſtantur ſuæ ſingularitati in ſe & diverſitati ad alia, & diviſioni ejus a creaturis tam ſeparatis quam conjunctis. Non eſt alius ſicut ipſe, & ipſe eſt audiens, & videns.*

Fatetur miſſos a Deo prophetas. Moyſem divino ſpiritu afflatum. Errat dum Chriſtum ſimplicem prophetam exiſtimat.

*Prædeſtinaverat autem ab æterno oſtenſurum ſe benignitatem ſuam in creaturas ſuas & bonitatem ſuam effuſurum ſuper res, quas condiderat; unde miſit prophetas ſuos, ad quos prius deſtinaverat angelos ſibi propius aſſiſtentes, & dedit eis per gratiam de fonte certitudinis ſcientiam invenire, & quibuſdam ex eis ſpeciali contulit libri aperti munere confortari. Miſit ergo Moyſen ſuper quem pſallat Deus ſuum pentateuticum afferentem. Miſit nihilominus & Jeſum, ſuper quem etiam pſallat Deus evangelium proferentem.*

LXI.

*Ordinaverat autem quod pars amplior, & portio copioſior, & lex firmior & veritas durabilior, & virtus largior, & demonſtrator aptior ſervaretur ei, cui theſaurizabat ſimul dona omnia, quæ prophetis aliis omnibus, ſuper quos pſallat Deus fuerant particulariter diſtributa, dans ei conſuetudines ſanctas, & proprietates glorioſas, & defenſiones veritate victorioſas, & ducatum, per quem alii dirigantur; & ipſe dominus noſter, ſuper quem pſallat Deus palmis continuatis ſecundum continuationem temporum, & ſeſe conſequentibus quamdiu nox & dies ſe invicem conſequentur. Cum ergo incredulitas fixiſſet anchoram, & ipſius dæmonium ſe latiſſime exaltaſſet, & ramos ſuos in ſublime dilataſſet, & quæſtiones ſuas multiplices exaltaſſet; venit ipſe, & incredulitatis ædificium percuſſit a baſibus, & abſcidit radices ejus, non permittens eam in proſperitatem amplius creſcere, vel in fructum. Pugnavit pro Deo, prout eſt congruum pro ipſo pugnare, & ſtuduit diligenter a perditione cultores ejus pro magna parte liberare, & laboravit tantum, quod direxit majorem partem hominum ad viam rectitudinis ejus, ſicut dicit dominus in alchorano. Qui pugnaverunt pro nobis, dirigemus eos in vias noſtras; idcirco ipſe, ſuper quem pſallat Deus, fecit oriri ſolem rectitudinis, qui prius fuerat in occaſu; & effecit vias, per quas incederent homines manifeſtas.*

Blaſphemat ſeductorem Machomet prophetis anteponendo. Alludit impie ad religionem Chriſtianam. De propagata armis ſua ſuperſtitione gloriatur.

*Poſt-*



LXII. *Poſtquam autem ad nos pervenit epiſtola ſancti, nobilis, puri, eminentis temporalia contemnentis, cultoris Dei, venerabilis, ſublimis, ſcientis, magnifici, capitis populi Chriſtiani, & ducis filiorum baptiſmatis, ſedentis ſuper ſedem Simonis, cujus intellectus ornatus eſt ſcientiis theologicis; & perlegimus, quod continebat & intelleximus ex ejus conſideratione, quod prætendebat; invenimus eam plenam demonſtrationibus ducentibus ad propoſitum. De quo diu diverſa ſenſerunt rerum inquiſitores continentem talia, quæ capere non ſufficiunt intellectus, & res ſuper quibus locuti ſunt prophetæ præcedentes, & radices ex legibus, quarum veritatem non comprehendunt, niſi certiſſimi ſapientes.*

LXIII. *Sed non ſcimus quæ ſit intentio literarum, ut ſingula ſingulis redderemus. Quia ſi ſit propoſitum certificatio veritatis & ipſius demonſtratio, & manifeſtatio, ut per viam probationis acceptetur, & teneatur veritas declarata, non ſecundum conſuetudinem traditionis hominum; ſciat ipſe, quod ad hoc neceſſe eſſet pariter convenire, & objectionibus, reſponſionibus, & diſceptationibus perſcrutari veritatem: & ſi contentus ſit epiſtolis ſententioſis, & nuntiis ad hoc negotium inveniret, Deo dante, apud nos de talibus quod refrigeret cor ejus, & quæ cum perlegerit, deſiderium conſequetur. Sed nos ei honorem deferentes, quem debemus, ex eo quod talis qualis ipſe eſt, tales quales nos ſumus, primus literis adiit, dignum duximus hanc vicem rependere, ut hoc ſolum agamus, quod ipſius eſt conſonum voluntati, & quod beneplacito appropinquat; unde adjudicavimus nos nihil tale debere ſcribere, donec ejus epiſtola iterum ad nos venit, nec aliquid innovare, donec certi fuerimus ſuper ipſius propoſito & voluntate. Et idcirco expectamus ipſius epiſtolam, ipſius ſuper hoc ſententiam continentem, ut reſpondeamus veritatis certiſſimæ puritatem, ad hoc peragendum in Domino confidentes, quia ipſum colimus, & ipſum noſtrum conſtituimus adjutorem.*

Inanis illius jactantia.

LXIV. Commendat Pontificis zelum quem in adducendis ad ſalutem Sarracenis præ ſe tulerat.

Subdit barbarus geſſiſſe quidem in votis de religione cum ſummo Pontifice coram agere: quod cum fieri non poſſit, lubenter acturum cum ejus legatis: flagitantique ut aditum Prædicatoribus ad Tartaros daret, quo eorum furor, qui in omnes pariter graſſabatur, mitigaretur; negavit ſe id paſſurum. Pergit ille: *Quod autem in epiſtola memoravit, qui ſuper omnia, quæ ei ex injuncto incumbunt officio ad noſtram, aliorumque ſalutem intentionis ſuæ dirigit aciem; & quomodo circa eam diligenti ſtudio, & ſtudioſa diligentia ſedulo invigilat; certe hoc eſt opus laudabile, & ſecundum intentionem, ex qua procedit, juſtificat facientem: & ex hoc debent noſtri animi excitari, & deſideria intendi, in hoc ut intendamus, Deo dante, ad ea per quæ liberemur a peccato, & perveniamus ad gradus ſublimes, & acquiramus manſionem cum angelis Deo proximis, & prophetis Dei nuntiis, & martyribus, atque juſtis; quorum decora ſocietas, atque grata. Sed deſideraremus ut poſſemus inſimul convenire, & ore ad os diſputare, & colloqui de rebus divinis de prope, quaſi certamine manuali: ſed quoniam hoc fuit impoſſibile, voluimus hoc agere cum illis, quos miſerat de fratribus Prædicatoribus; ſed non erat eis in terris noſtris omnino ſecurum de lege veſtra, & noſtra in præſentia noſtrorum ſapientum diſputare; & manifeſtum eſt quod hoc erat ob impedimentum linguæ Arabicæ, & propter inceſſum per viam humilitatis ordinis monachatus, & quia niſi in lingua Latina, ſive Gallica diſputandi conſuetudinem non habebant. Signa enim virtutis in eis relucebant, & inſignia ſcientiæ ex eorum vultibus manifeſte apparebant, & veſtigia contemptus mundi: & religionis in eis erant manifeſta, & mores eorum laudabiles & decori.*

Significat optaſſe quidem de religione diſceptare cum nuntiis A. S. ſed pericula a furore ſuorum impediſſe. Carpit nuncios Ap linguæ Arabicæ cognitionis expertes fuiſſe.

LXV. Negat ipſis iter ad Tartaros permiſſurum.

*Et innuerat ſenſus in ſua epiſtola, quod ipſi vellent proficiſci ad Tartaros, & quod nos juvaremus eos ad ſuum propoſitum adimplendum, & removeremus cauſas ipſorum viam impedientes, & promoveremus eorum voluntatem; ſed non conſuluimus dictis fratribus propter multas cauſas, quas diximus, ut ad ipſos Tartaros deberent proficiſci. Quod autem de Tartaris memoravit, quod ipſi velint omnia vaſtare, & in terras & populos deſæviant, & quod jam vaſtaverunt nationes plurimas de Dei cultoribus, & quod indifferenter furorem ſuum in omnes exerceant, nec in aliquo termino figerent gradum; vere non deſcripſit factum eorum prout ſe habet veritas, nec totum prout eſt memoravit: quia gens iſta mare eſt peſtilentiæ, quod ſuis inundationibus inundavit in tantum, quod ſi ipſe modo antichriſtus videret partem malorum, quæ perpetrant, fluerent ejus lacrymæ præ compaſſione: ſed Deus laudabilis per ſuam immenſam gratiam, & bonitatem in omnia inundantem recreavit Sarracenos, immo in veritate ſectas etiam univerſas per ſoldanum quendam, per quem ſcient Tartari, Deo dante, pravitatem finis, quam ex illa diſcordia ſortientur, quam elegerunt, & calorem ignis iſtius prælii quem accenderunt, quia ipſi, Deo dante, iſtius ignis cibus erunt, & gladii iſtius ſoldani iniquitatum eorum erunt chirurgici, quæ non deliniunt iterantes; & ipſe dominus noſter ſoldanus maximus Rex Saalech, ſtella Regis, ſoldanus ſoldanorum, veritatem demonſtrationibus manifeſtans, expandens juſtitiam in ſæculis, Rex duplicis meridiei, protector duarum domorum nobilium refugii, amicus Imperatoris fidelium; unde verſus:*

Tartarorum immanitatem exponit.

*Saa-*

Jactat ipſos a ſoldano Saalech profligatum iri.

*Saalech vulnerator inimicorum, excelſus gloria, largus manu, ſtabilis corde, bonus natura; cujus gladiorum fulgentium cum eos evaginaverit, vaginæ ſint colla audacium, & cum conqueſti fuerint ſe eſurire, ſtatim paſcit eos cervicibus militum. Exaltet Deus per eum dignitates legis Sarracenorum, & nobilitet & fulciat regna ſublimia, & celſitudinem admirationis ejus, & congreget per eum diſperſiones voluntatum declinantium a tramite veritatis.*

LXVI. *Ego vero, & homines univerſi redimus ad protectionem ejus, & ſperamus ſub umbra, & regimine ejus, & ſcimus quia per potentiam ejus erunt viles, & per imperioſam vindictam ejus deſtruentur: & iſtius rei apparuerunt prodigia, & ſigna proſperitatis jam inceperunt coruſcare: quia exercitus iſtius ſoldani magnifici, cujus Deus perpetuet Imperium, poſtquam in anno iſto Syriam intraverunt, & in ingreſſu eorum proſperata eſt providentia Sarracenorum, abierunt retro exercitus Tartarorum; reverſi ſunt per viam, per quam venerant abſque perventione ad terminum, quem adibant; & apparuerunt in eis teſtimonia fugæ omnibus manifeſta, cum in anno præcedenti terram hanc introiſſent, & undique deſæviſſent; & fas & nefas pro eodem reportaſſent in tantum, quod etiam terram Halapiæ equorum ſuorum ungulis conculcaſſent: ſed de finibus ejus redierunt omne ſuum deſiderium conſecuti.*

Propulſatos ab Ingreſſu Syriæ.

LXVII. *Nos autem confidimus in largitate Dei laudabilis, & miſericordia ejus, & benignitate complectente creaturas ſuas, quod in anno futuro, ſi Deo placuerit, exibunt exercitus iſtius ſoldani magnifici, cujus Deus magnificet poteſtatem, & reducat ad dominium Sarracenorum quod ab eo detractum eſt, & adibit Tartaros & fugabit eos ab iis quas poſſederunt regionibus, & eas ab eorum manibus liberabit. Adiverunt autem in anno iſto iſtius ſoldani magni januam nuncii Tartarorum, offerentes ei ſervitium & pacem, rogantes ut cum lucro beneplaciti ejus reverterentur; & non permiſit eos ad ſuam januam pervenire, nec conceſſit eis gratiam oſculandi pulverem pedum ſuorum propter defenſionem legis ſuæ. Ipſi enim receſſerunt a conſuetudine regum, & ſoldanorum, qua conſueti ſunt exercere juſtitiam, & clementiam in regiones & terras, quo ſuo regimini ſunt ſubjectæ.*

Illorum oratores cum pudore a Saalech repudiatos.

LXVIII. *Certus ergo ſit ſuper his, quæ narramus de præconiis iſtius domini noſtri ſoldani maximi Regis Saalech, cujus Deus confortet imperium; & ſciat ſanctus quod dominus noſter ſoldanus maximus, ut afflictis refrigerium, & nullum lucrum magis reputat, quam beneficentiam exhibere; & plura ſunt opera ejus, quam de ipſo enarrantur. Perpetuet Deus in bonis regnum ejus; & inundationes beneficiorum ejus non poſſet aliquis quantumcunque facundus, & eloquens enarrare calamo, ſive lingua. Et quis poſſet viam claudere impetui pluviæ vehementis, aut obſtruere oſtia maris ſeſe invicem collidentis? Unde verſus: Neque quicunque vult bonum, agit illud, neque quicunque incipit agere, complet illud. Pro certo ergo habeat ſanctus quod Tartari cum ſua providentia & omni multitudine ſua, & fine intentionis ſuæ deſpecti ſunt in comparatione ad ſoldanum, & exercitus ejus. Et quid plura? In ipſo eſt innata nobilitas, liberalis & excellens providentia, & anima honeſtis moribus enutrita, & ſcientia regalis regiminis ſpecialiter prærogata: literæ autem ſancti cum veniunt, lætitiam & ſolatium nobis portant. Mittat ergo eas frequentius continentes ipſum beneplacitum & notificationem eorum, quæ circa eum innovantur. Vivat ſemper indutus proſperitatis indumento, qualiterque fuerit ſtatus ejus, ſic fiat Domino concedente. Dat. die decimo in fine benedicti menſis Dei decembris in * Camera civitate munita. Gloria Deo domino ſæculorum, & benedictio ejus ſuper dominum noſtrum Mahometum, & ſuper ſuos. Amen.* Subjecta ſunt hiſce literis nonnulla ſoldani diplomata, quibus religioſorum Prædicatorum ſecuritati, ut Chriſtianos, qui in ipſius terris verſantur, excolant ad pietatem, cavet.

Literas pontificias acceptas habiturum præ ſe fert.

* Chamela

LXIX. Soldanus Iſmael ad Chriſti cultum provocatus reſcribit Pont. (a) Ext. ib. ep. 116.

Allatam a prædicatoribus religioſis evangelii lucem ſimiliter non admiſit ſoldanus Iſmael quamvis eos humaniter excepiſſet: qua de re ad Pontificem, qui ad Chriſti cultum ipſum traducere ſtuduerat, hæc reſcripſit. (*a*)

*Præſentiæ excelſæ ſanctæ, dominatrici, apoſtolicæ, venerabili, honorabili, dominanti cervicibus Francorum, ductori capitaneorum legis Chriſtianæ, munificatori ſectæ Chriſtianitatis. Prolonget Deus vitam ejus, & protegat ſervus Dei confeſſor gratiæ ejus Iſmael filius Ebibecre filii Job.*

*In nomine Dei miſerantis & miſericordis. Hoc eſt reſcriptum noſtrum procedens ad ſanctam præſentiam domini Papæ venerabilis, honorati, dominantis cervicibus nationum Francorum, gubernatoris capitaneorum legis Chriſtianæ, munificatoris ſectæ Chriſtianorum: quem poſſidere faciat Deus colla ducum ejus, & præceptum ejus in eorum judicia faciat penetrare, & omnes nationes crucem adorantes in ipſius ſervitium, & obedientiam congreget, & adunet, offerens ei dulcedines ſalutationis perfectæ, & expandens ornatum volæ multiplicis, & Deum excelſum glorificans creantem omnia, qui potenti adinventione ſua ſponſam fecit hominis imaginem, & ipſius ſpeciei contulit prærogativam rationis ſuper animalium ſpecies univerſas, & inſe-*



*ruit in eo viam directivam, per quam ad viam rectitudinis dirigatur, & eum qui non erat inveniri fecit in eſſe impoſitione duplici, temporis videlicet atque loci, & miſit prophetam noſtrum Mahometum.* Et infra, ubi nonnulla in Mahometi & ſuperſtitionis ipſius, quam nullis aliis argumentis, quam illius impoſtoris figmentis confirmat, laudem congeſſit; adiicit.

LXX. Laudat Pontificis zelum quem in ſolicitando ad Chriſti fidem Sultano explicuerat.

*Poſtquam autem pervenit epiſtola a præſentia ſancta apoſtolica, invenimus eam complectentem talia, qualia continet mittentis præſentia & dirigentem intentionem ad procurandum ea, in quibus ſit ſufficientia communiter humano generi, & ad miniſtrandum congrue regimen humanæ ſpeciei. Nec mirum ſi procedant talia a providentia ſanctitatis ejus, & exeant a magnificentia prærogativæ ejus, & deriventur a laudabili propoſito ejus & proveniant a fonte ſtudiorum ejus. Et nos quidem ſummam curam gerimus de protectione eorum, qui apud nos ſunt, gregis videlicet Sarraceni, & defenſione eorum, quorum cura nobis incumbit ſpecialiter de gente Mahometica: & noſtræ mentis acies intendit omnino ad ea, quæ expediunt, & impendit ſolicitudinem ad ea, quæ ad publicam pacem ſunt & proſperitatem. Perveniunt autem ad nos fratres Prædicatores, & perſpeximus in eis ſufficientiam ad ea, quæ intendunt; & diligentiam circa ea quæ expetunt, & ſolicitudinem circa judicia legis ſuæ: & narraverunt nobis ea, quæ commiſſa eis fuerant ad narrandum. Quibus attendimus nos ſumma intentione, & ea recondimus in ultimo cordis loco: redierunt, & commiſimus eis verba, ad quæ repetenda coram vobis potentes ſunt, & ſufficientes, ut ea nobis memorent, & explanent; cum ore ad os collocutionem cum eis habuerimus verbis efficacibus, & collationem de rebus manifeſtis. Hæc omnia vobis notificamus, & Deus excelſus adjuvet nos in his, quæ cuſtodimus, & ſimul conferat nobis hodiernam, & craſtinam proſperitatem, quod fiet, ſi beneplacitum fuerit coram Deo excelſo. Dat.* XXIV. *die menſis novembris anno ab apparitione Mahometi ſexcenteſimo quadrageſimo tertio. Laus Deo ſoli, & benedictio Dei ſuper dominum noſtrum Mahometum prophetam ejus, & ſuper familiam ejus, & conſortes ejus, & ſalvet eos ſalute perpetua. Sufficit nobis Deus, ipſe eſt bona ſpes.*

Nuncios ap. Chriſtum prædicantes benigne audiiſſe ait.

LXXI. (a) Ext. ib. ep. 117. Soldanus David ad Chriſtiana ſacra invitatus reſpondet Innoc.

Non diſcrepant ab his ſoldani Davidis literæ (*a*) qui, ubi eleganter de divinitate ſapientis philoſophi more diſſeruit, ac Moyſi & domino Jeſu nefaria comparatione ſceleſtum Mahometum æquavit, grates agit ſibi ab Innocentio fuiſſe expoſita, quæ illius ſaluti conducere arbitratus eſſet: e ſuperſtitionis tamen & flagitiorum cœno excitari neglexit.

*Ex parte ſervi Dei indigentis miſericordia David filii Jeſu.*

Egregia de Deo elogia affert.

*In nomine Dei miſericordis & miſerantis, qui eſt una unitas; ſimplex imparitas, qui non recipit conjunctionem neque generationem, Deus excelſus, dives bonitas, firmus & fortis, apparens & occultus, æternus & perpetuus, ens exiſtens a ſeipſo; qui non multiplicatur per numerationem ſuarum proprietatum; cujus eſſentia incircumſcriptibilis eſt, & ſemota a tempore & loco, qui caret præſentia locorum: nec diffinitur in ſuis ſubſtantialibus, ne ſit terminatus aut finitus, nec in quantitate, ne ſit menſurabilis & numerabilis; ſed nec in qualitate, ne habeat in regno ſuo comparem, & ſimilem, aut æqualem; nec etiam in relatione, ne referatur per paternitatem, & filiationem. Nec etiam comparatur per abſentiam & præſentiam, nec in ubi, ne circumſcriberetur, quod pertinet ad ſuas creaturas: nec eſt in quando, ne innovetur in temporibus, tempora etenim ſunt de quibuſdam ſuis operibus: nec in poſitione, ne alteretur in diſpoſitione & ſitu locali: nec eſt in habitu, ita ut egeat perfectione aliqua extrinſeca: nec in paſſione ne mutetur, ſeu operatione alicujus agentis: nec in actione qui ſemper eſt agens exiſtens. Ipſe eſt bonitas indeficiens in diſtribuendis beneficiis, largiens, ac ſuperfluens ſuper omnibus entibus juxta meritum de ſuperabundanti largitione ſua. Ipſe eſt arcanum, quod nequit reſerare multiplex quæſtio quærentium, nec ſolicitudo ſolicitantium: cui non deficiunt theſauri gratiarum. Ipſe diſtribuit prioribus, & poſterioribus divitias gratiarum, dirigit quem vult de creaturis ſuis abſoluta prædeſtinatione, nec diminuitur nec indiget in hoc aliqua actione ad quam intendat, quia non eſt, diminutus in complemento perfectionis.*

*Ipſe creavit ſcientiam atque ſcitum, & fecit juſtos ſuos ex iis, qui fidem habent in eum ſapientes in vera religione, & via recta. Qui elegit Abraham, quem Deus benedicat & Mahometum, quem Deus benedicat & attribuit ei nomen dilectionis; & Moyſem eloquentem, & Jeſum in claro ſpiritu, quem Deus benedicat, & in prophetam admirabilem: in bonum atque largum Dei benedictio ſit ſuper eos omnes, & vivificet nos, & mortificet in eorum ſana doctrina & virtute exiſtimata, ac lege ſancta: & ſalus divina ſit ſuper prædictorum ſucceſſoribus fidelibus, & ſuper gente placentium Deo, qui imitantur ipſos uſque in diem judicii. Ad hæc pervenit libellus domini Papæ reverendi, magni religioſi, credentis, temperantis, animoſi, virtuoſi, honorabilis Innocentii, qui eſt honor orthodoxorum & patriarcharum, continens loquelam Chriſtianorum: gloria multitudinis Francorum, corona gentis crucis, ma-*

Gratias agit Pontifici de propoſita ſibi lege Chriſtiana.

*major prædeceſſorum ſedentium in cathedra apoſtolica Romæ: & legi ipſum, & intellexi ea, quæ mihi conſuluit in eo fideliter, & quod mihi intimavit quod credidit eſſe ipſam veritatem dirigentem animas in die judicii propter earum merita & laudavi eum in hoc. Quem Deus conſervet, confortet & dirigat ad id per quod placeat Domino ſuo, quia mihi elegit, quod elegit, animæ ſuæ; & voluit mihi illud, quod credidit poſſe me deducere ad præſentiam Domini pleni ſancto ſpiritu apud Deum ſuum propter ſuam ſanctitatem. Unde ſignifico eidem, quem Deus conſervet ad id quod Deo placeat in ipſo, & aperiat portas pacis: Deus glorioſus reſpexit fideles ſuos rubricatos, & denigratos, & ſubvenit eis, quando miſit ad eos Mahometum ſuum electum, & ſervum ſuum fidelem de genere electorum, qui habet dominium irrigandi de fluminis largitate, qui habet curam liberandi omnes illos, qui eum imitantur in die judicii, videlicet Mahometum prophetam creſcentem, fidelem, circumſpectum, conſolatorem: quem Deus miſit dominatorem, viſitatorem, & ductorem ad ipſum Deum; lucernam lucentem, ad cujus librum cæteri libri retorquentur, ſive reducuntur; & miſit alcoranum, & conſtituit per ipſum dominium & argumentum, & verſificatus eſt in ipſo. Deus ipſum benedicat. Vias ſalutis præparavit, & dogmata erroris ipſe deſtruxit, declaravit interpretatores librorum deſtinatorum oſtendens qua de cauſa provenerunt opiniones errantium, & ſuſtinuit patienter in Domino juxta præceptum divinum in vita ſua, nec retroceſſit in mandatis ſuis; immo ſemper fuit ſolicitus donec patefecit veritatem omni habenti oculos; & donec omnis habens aures audivit mandatum divinum in his doctrinis, quas recipiunt intellectus, non voluntates; & receperunt eorum veritates ſoli ſapientes & juſti.*

LXXIII. *Cum igitur pervenit libellus Papæ reverendi, magni, ſapientis, religioſi, credentis, dominantis, qui eſt honor patriarcharum, colligentis verbum Chriſtianorum, ad me deſtinatus in eo, quod opinatus eſt mihi fore utile, ſalutare, ac perducens ad veram victoriam, viſum eſt mihi oſtendere ſibi particulam legis meæ. Cujus veritas eſt nota per demonſtrationem evidentem, neceſſariam, ac manifeſtam, quæ fidem facit per ſeipſam habentibus intelligentiam ponderoſam, ut verſa vice reſpondeam ei in eo quod ipſe incepit mihi: in eo etiam quod credidit mihi fore ſalutare: in eo etiam quod opinatus eſt fore mihi remiſſibile de peccatis præteritis, ut in hoc æquiparetur conſilium meum fidelitati ſuæ credibili, & ingenio ſuo æſtimabili in intelligentia; ut exinde conſequar præmium, & appropinquationem ad Deum, demonſtranda ipſum Deum ſub præmiſſa forma. Deus igitur glorioſus cuſtodiat Papam magnificum, reverendum, religioſum, credentem, ſapientem, regnantem, modeſtum, magnanimum, virtuoſum, honorabilem, honorem patriarcharum, continentem loquelam Chriſtianorum, pulchritudinem multitudinis Francorum; pro eo quod direxit ſibi in præmiſſis ſcriptis ex verbis philoſophiæ, quæ illuminat omnem multitudinem, & reficit omnem ſtudentem in eis, quæ continentur in ipſis. Laus Deo altiſſimo, & benedictio ejus ſuper domino noſtro Mahometo, ac tota progenie ſua ſancta, & munda. Scriptum fuit in ultimo decennario menſis Rabic, anno* XXXXIV. *& ſex centenario ipſius Mahometi.*

Recuſat a Mahumetica ſuperſtitione diſcedere.

Fauſte precatur Pontifici.

LXXIV. His adjectæ ſunt aliæ (*a*) præpotentis alterius ſoldani literæ ad Pontificem, quibus ſe excuſat ſepulcrum Domini ſe inſcio violatum fuiſſe, ac dolet tantum flagitium perpetratum; illique inſtaurando daturum operam pollicetur, claves illius fidiſſimis viris tradidiſſe, ut niſi peregrinis aperiretur: tum omnes Chriſtianos captivos e vinculis laxaſſe ait, ac pacem cum noſtris religioſe culturum.

(*a*) *Ext. ib. ep.* 118. Soldani alterius ad Pont. lit.

*Sedis altiſſimæ domino excelſo, reverendo, ſancto, ſpirituali, beato, qui eſt fiducia ſacerdotum, & religioſorum, Papæ excellentiſſimo: duret excellenter.*

*In nomine Dei miſericordis, & miſerantis. Triumphator, amator, & ſalvator pervenit ſcriptura largiſſimæ ſedis, & altiſſimæ domini, regnantis, ſpiritualis, beatiſſimi, juſti, ſancti, abſtinentis, venerabilis, & honorabilis regni, patrum ſanctorum ſuſtinentis filios obedientiæ, refugii gentis Chriſtianæ, victoriæ legis Chriſti, auxilii prælatorum & clericorum; ſemper ſit ſapiens plenus ſpeciebus largitatis, & retributionum, exercens quicquid pertinet ad communem utilitatem, & ad ſermones reficientes, & perducentes ad beatitudinem perfectam.*

LXXV. *Inquiſivit igitur dilectus Salvator ſignificationes literarum, & exploravit continentiam earum, juxta veritatem & certitudinem; & invenit in legendo ipſus, utilia commoda, & conſuetudines laudabiles, & executus eſt ſingula obedienter, & diligenter: & in eo quod innuit in cuſtodia, & reverentia Eccleſiæ reſurrectionis, & ſancti ſepulcri quicquid accidit in hac parte in deturpatione, ſeu contaminatione ejuſdem, non accidit ex ſua conſcientia, nec in ſua præſentia; ſed incurſus exercituum ſingularium ante ſuum adventum attentaverunt ipſa opera ſanguinolenta. Quando ergo venit amans ſalvator, reprehendit eos ſumma reprehenſione, & inhibuit malefactores, & præſumptuoſos, ne noceant, vel appropinquent eis, & præcepit claudi portas ejus, & tradidit claves ejuſdem quibuſdam fidelibus, præcipiens ne aperiantur niſi peregrinis, & conatus eſt*

De everſo ſepulcro Domini ſe excuſat.





Significat illi inſtaurando incumbere.

*reædificare ipſam, & ornare, quoniam ejus reædificatio eſt reædificationis patriæ præcipua. Et quando pervenerant literæ reverendæ, & mandatum ſuum benedictum, majorem curam dedit in ejus ædificatione, & reparatione, & ſine dubio ante hoc non erat inter nos præcedens cognitio, quando ſiquidem pervenimus ad illam patriam, accidit id quod accidit de deſtructione ſine noſtra conſcientia.*

LXXVI. Extinctos penitus hoc anno Choraſminos ſepulcri dominici violatores, ac patrati criminis, nec expiati pœnas dediſſe ſcribit Pariſius (*a*): *Anno eodem*, hoc ſcilicet, *deteſtandorum Choraſminorum poſt innumeras cædes & incendia, & Terræ ſanctæ multiplex exterminium, qui etiam Accon nimis depauperaverant, & obſidere procuraverant, acies tota adeo Deo vindice enervata eſt & debilitata, quod in ſeipſa defecit. Cœpit enim contra ſoldanum Babyloniæ recalcitrare, unde auxilio ſuo deſtituta cœpit inedia deficere &, multiplicatis undique inimicis, ubique ſuperari & devinci: & factum eſt, ut de ſub cœlo nomen eorum penitus deleretur; adeo quod nec eorum veſtigia apparuerunt: niſi eatenus quod fœtore veſtigiorum eorum Terram ſanctam indelebiliter macularunt.* Pergit ſoldanus: *Poſtquam igitur pervenit inter nos amicitia, & reverentia.. de cætero percipiet ſumma ſedes, cujus excellentia perſeveret, & tota gens Chriſtianorum de pulchritudine noſtri fœderis, & obſervatione noſtræ amicitiæ, quod non viderunt ante vel poſtea. Pervenerunt igitur nuncii ſedis altiſſimæ, & audivimus relationes eorum in vero auditu, & dedimus reſponſionem eis. Audiat ergo ſedes, & fiduciam gerat, & injungat ſervitia, & continuet nuncios & literas. Super ſermone vero captivorum; non novimus aliquem eorum apud nos: quoſcumque ita nobis certiorabitis, mittemus incontinenti, Domino concedente. Scriptum eſt hoc in fine Rabig primi anno* XLIV. *& ſexcenteſimo.*

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.* Choraſmini ſepulcri dominici everſores penitus deleti.

LXXVII. Nec illuſtrandæ veritati deerat numen, ac miraculorum luce tenebras ſuperſtitionis Mahumeticæ fugabat. Inter quæ inſigne illud Iconii præſente maxima Sarracenorum multitudine, ut ipſos ad crucis venerationem alliceret, patravit: *Anno Domini MCCXLVII. menſe junio*, inquit Nangius (*b*) *accidit miraculum quoddam apud Iconium Turquiæ civitatem in loco communi, ubi crux erat ſculpta in quodam palatio. Quidam enim joculator ibi ſtabat, & in facie omnium aſtantium cum urſo ludebat: urſus autem levato crure ſuper crucem prope ipſum exiſtentem minxit, ſtatimque omnibus videntibus ibidem expiravit. Cumque Chriſtiani aſtantes ſuper id, quod acciderat, Dominum benedicerent atque laudarent, quidam Sarracenus indignatus eſt valde, quod ibi ſuper miraculo facto Chriſtum attollebant. Ideoque accedens in impetu tanquam in contemptu ipſius crucis & Chriſtianorum, cum manu crucem percuſſit; ſtatimque brachium ejus cum tota manu, quæ illam percuſſerat, totaliter exaruit. Iterumque Sarracenus quidam alius ebrietati vacans, illamque Chriſtianorum admirationem & laudem vilipendens, continuo quaſi amens a potatione ſurrexit, & in contemptum Chriſtianitatis ſuper crucem mingere volens, morte ſubitanea percuſſus interiit; ſicque Chriſtianorum multitudine Dominum magnificante ſuper tribus miraculis jam ibidem oſtenſis, quidam Græcus inſpiratione divina inflammatus, acceſſit ad bajulum civitatis, rogans, ut illum locum, ubi crux prædicta erat inſculpta, venderet, in quo ad honorem Dei & ſanctæ crucis eccleſiam permitteret ædificare, pro quo etiam, ſi id ſibi facere concederet, promiſit quod viginti duo millia ſoldanorum ſoldano daret. Quod epiſcopus Turquorum audiens fieri omnibus modis, quibus potuit, impedivit.* Hæc Nangius, quæ etiam referuntur apud Vincentium Bellovacenſem (*c*).

Inſignia de virtute crucis prodigia.

(*b*) *Nang. de geſt. S. Lud.* Urſus crucem urina caſu proluens repente moritur.

Sarraceno manus qua percuſſerat crucem exareſcit. Alter infidelis in ipſo eiiciendæ in illam urinæ conatu exanimatus procumbit.

(*c*) *Specul. hiſt. l.* 31. *cap.* 53.

LXXVIII. Sed a Turcis ad Tartaros digrediamur, quos etiam ad verum Dei cultum adducere moliebatur Pontifex, atque ad ipſos, ut vaſtiſſimorum regnorum dominos, religioſos alios in ſeptentrionalem Tartariam, alios in Perſidem, Indiaſque miſerat: de primis jam egimus ut apud Chamum ſua legatione ſint perfuncti; alii vero cum Sarracenorum mediæ regiones penetrandæ eſſent, hoc anno ad Perſidis Tartaros pervenere, quorum res apud ipſos geſtas ex Simone apud Vincentium Bellovacenſem (*d*) decerpemus: *Anno Domini MCCXLVII. in die tranſlationis B. Dominici primi patris ordinis Prædicatorum frater Aſcelinus a domino Papa, ſicut jam ſupradictum eſt, miſſus cum ſociis ſuis pervenit in exercitum Tartarorum, & hoc in Perſide ubi erat exercitus ille ſub Bayothnoy principe. Quod audiens idem princeps in tentorio ſuo ſedens in veſtimento deaurato, ſuis quoque baronibus in ſericis veſtibus pretioſis ac deauratis circumſtantibus, miſit ad dictos fratres quoſdam ex eiſdem baronibus cum ſuo Ægyp, id eſt principali conſiliario, & interpretibus; qui præmiſſo ſalutationis elogio dicunt eis: Cujus nuncii eſtis? frater autem Aſcelinus principalis domini Papæ nuncius reſpondit pro omnibus: Ego ſum domini Papæ nuntius, qui apud Chriſtianos major dignitate omni homine reputatur; & ab eiſdem illi tanquam patri & domino reverentia exhibetur. In hoc verbo illi quamplurimum indignati dixerunt: Quomodo ſuperbe loquentes dicitis, quod Papa dominus veſter ſit major omni homine? Nunquid ſcit ille quod Cham ſit Dei*

Religioſi viri ad Tartaros convertendos miſſi.

(*d*) *Specul. hiſt. l.* 31. *c.* 40.

Res ab iis geſtæ. Indignantur Tartari Pontificem a Chriſtianis cæteris hominibus auguſtiorem haberi.

*filius, & quoniam Bayothnoy & Batho ſint principes ejus, ſicque nomina eorum divulgantur & multiplicantur ubique?*

LXXIX. Addit his Tartarorum verbis ſubjeciſſe Aſcelinum latere Pontificem, qui Cham vel Batho aut Boyothnoy forent, quorum nomina ſi reſciviſſet, illa in literis ſuis expreſſiſſet: accepiſſe vero barbaram quandam gentem, cui Tartarorum nomen eſſet, conflatis numeroſiſſimis copiis ex oriente erupiſſe, nullaque ſexus ætatiſve habita ratione, plures populos ferro deleviſſe: ad quorum mitigandam crudelitatem ad primum Tartarorum exercitum tranſmiſſum, ut illius principem ab hominum cædibus temperare patrataque ſcelera expiare admoveret, ut ferebant pontificiæ literæ. Demum Tartaros poſt nonnulla dolo quæſita, Aſcelino ac ſociis hæc propoſuiſſe: *Si vultis domini noſtri faciem videre, & ei domini veſtri literas præſentare, oportet ut eum adoretis tanquam filium Dei regnantem ſuper terram, trina prius ante ipſum facienda genuflexione; ſic enim præcepit nobis Chaam regnans ſuper terram filius Dei, ut principes ſuos Bayothnoy & Batho ab omnibus huc advenientibus faciamus ſicut ſemetipſum adorari: quod & uſque nunc fecimus, & in perpetuum firmiter obſervare proponimus.*

Quem exegerint cultum a nunciis apoſtolicis principi barbaro exiberi.

LXXX. Cum ad hæc verba æſtuarent nuncii apoſtolici, quid tandem Tartari hujuſmodi cultus ſpecie exigerent, a Guichardo Cremonenſi viro religioſo, diu inter Georgianos atque Armenos verſato, morumque Tartarorum perito ita edocti ſunt: *De idololatria exhibenda Bayothnoy nullatenus formidetis, quia non hanc ſibi petit a vobis fieri, ſed in ſignum ſubjectionis domini Papæ, totiuſque Romanæ Eccleſiæ mandato Chaam ſubiiciendæ, hanc ſibi, quam audiſtis, reverentiam omnibus ad ſe venientibus nunciis conſuetam exhiberi.* Deliberarunt igitur nuncii quid in eo rerum ſtatu agendum foret, atque in eam ſententiam itum eſt, fundendum potius ſanguinem, quam Tartarorum principi ſponte hujuſmodi venerationis ſigna exhibere, ne Georgianis, Armenis, Græcis, Perſis, Turcis, aliiſque orientalibus populis ſcandalum iniiceretur; Tartarique in ſpem ſubiiciendæ ſuæ dominationi Romanæ Eccleſiæ efferrentur. Quorum audito conſilio in iras efferatus barbarus nuncios apoſtolicos capitali ſententia damnavit. Sed non ſine providentia ex imminenti periculo erepti ſunt: iterumque barbari de Chami & Pontificis dignitate certarunt, quorum argumenta hæc fuere.

Reſpuunt nuncii ad id ſalutationis genus ſe demittere.

LXXXI. *Qua fronte vos Chriſtiani omnes audetis dicere, quod Papa ſit omni homine major dignitate? Quis enim unquam audivit quod Papa veſter tot & tanta regna ſibi acquiſierit, quot & quanta filius Dei Chaam, Deo ſibi largiente, hoc acquiſivit? quis unquam tam longe lateque diffundi audivit nomen Papæ, ſicut & nomen Chaam in orbe terrarum jam diffunditur, & dilatatur, ac timetur ubique? Jam is ab ortu ſolis uſque ad mare mediterraneum, & uſque ad Ponticum, Deo jubente, dominatur; & ubique in his terminis nomen ejus magnum ac celebre in eis habitantibus timetur, & honoratur. Chaam ergo major eſt Papa veſtro, & omni homine, potentia, gloria ſibi a Deo datis, & acquiſitionis dignitate.* Cum hæc refellere Aſcelinus pontificius nuntius aggreſſus eſſet, ac B. Petro a ſummo Rege regum conceſſam auctoritatem victarum non ferro, ſed crucis ligno, gentium multitudinem imperiumque ad extrema conflagrandi orbis tempora firmum permanſurum enuclearet; illius rationes, utpote homines qui ſenſibus addicti, nec fide evangelica colluſtrati, capere non potuerunt. Demum ubi nuncii graviſſimas ærumnas apud Tartaros pertuliſſent, ægre ut dimitterentur obtinuere: atque hujuſmodi literas (*a*) faſtu turgidas Bajothnoy ad Pontificem exaravit.

Quæ objecerint barbari contra Pontificis dignitatem.

(*a*) *Ext. ubi ſup.*

LXXXII Bajothnoi in Perſide imperantis ad Pontificem ſuperbæ lit.

*Diſpoſitione divina ipſius Chaam tranſmiſſum Bajothnoy verbum. Papa iſtud ſcias; tui nuncii venerunt, & tuas literas ad nos detulerunt. Tui nuncii magna verba dixerunt: neſcimus utrum injunxeris eis ita loqui, aut a ſemetipſis dixerunt: & in literis taliter ſcripſeras: Homines multos occiditis, interimitis, & perditis. Præceptum Dei ſtabile & ſtatutum ejus, qui totius faciem orbis continet, ad nos ſic eſt: Quicumque ſtatutum audierint ſuper propriam terram, aquam, & patrimonium ſedeant; & ei, qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant: quicumque autem præceptum & ſtatutum non audierint, ſed aliter fecerint, illi deleantur & perdantur. Nunc ſuper hoc iſtud ſtatutum & præceptum ad vos tranſmittimus. Si vultis ſuper terram noſtram, aquam, & patrimonium ſedere, oportet ut tu Papa in propria perſona ad nos venias; & ad eum, qui faciem totius terræ continet, accedas. Et ſi tu præceptum Dei ſtabile, & illius qui faciem totius terræ continet, non audieris, illud nos neſcimus, Deus ſcit. Oportet ut antequam venias, nuncios præmittas, & nobis ſignifices ſi venis aut non; ſi velis nobiſcum componere, aut inimicus eſſe: & reſponſionem præcepti cito ad nos tranſmittas. Iſtud præceptum per manus Aybeg & Sargis miſimus menſe julii* XX. *die lunationis in territorio ſtienscaſtri ſcripſimus.* Ex arrogantibus hiſce barbari principis literis magis Chriſtianæ religionis gloria effloruit, quæ potuit ita Tartaros emollire, ut poſtea in Chriſti cultum Pontificiſque Romani obſequium procubuerint,

Veſana imperia illi facta.

ut



ut ſuis locis videbitur; hactenus de Tartaris, jam nonnulla de Judæis, quos ab injuſtis injuriis vindicavit Pontifex, afferamus.

LXXXIII. Pulſatus eſt Innocentius triſtibus Judæorum querelis, qui in Germania & Galliis graviſſimis injuriis ac malis oppreſſi lugebant. Cum enim inanis fama circumferretur, ipſos feſtis paſchalibus occiſi pueri cor communionis ſacræ vice mandere, ita ea calumnia ipſis adhæſit, ut levi de cauſa exuerentur bonis, coniicerentur in carceres, morte etiam crudeliſſima, nulla judicii ſervata forma, admodum injuſte afficerentur. Ad quorum tuendam innocentiam, coſque ex immani illo principum & populorum zelo liberandos, Germaniæ archiepiſcopis atque epiſcopis ſcripſit (*a*) Pontifex, ut populari furori obſiſterent, ne inſontes adeo crudeliter laniarentur; cum maxime perpendendum prudenter eſſet, quaſi ex eorum ſanctiori tabulario Chriſtianæ fidei teſtimonia prodiiſſe.

Judæi in Germania & Galliis crudeliter habiti.

(*a*) *Lib. 5. ep. 28.*

Popularem furorem in eos concitatum extinguere nititur Pontifex.

*Archiepiſcopis & epiſcopis per Alemanniam conſtitutis.*

LXXXIV. Judæorum innocentiam tuetur Pont.

*Lacrymabilem Judæorum Alemanniæ recepimus queſtionem, quod nonnulli tam eccleſiaſtici, quam ſæculares principes, ac alii nobiles, & potentes veſtrarum civitatum, & diœceſum, ut eorum bona injuſte diripiant & uſurpent, adverſus ipſos impia conſilia cogitantes, & fingentes occaſiones varias, & diverſas; non conſiderato prudenter quod quaſi ex archivio eorum Chriſtianæ fidei teſtimonia prodierunt, ſcriptura divina inter alia mandata legis dicente:* Non occides; *ac prohibente illos in ſolemnitate paſchali quicquam morticinum non contingere; falſo imponunt eiſdem, quod in ipſa ſolemnitate ſe corde pueri communicant interfecti, credendo id ipſam legem præcipere, cum ſit legi contrarium manifeſte: ac eis malitioſe obiiciunt hominis cadaver mortui, ſi contigerit illud alicubi reperiri. Et per hoc, & alia quamplura figmenta ſævientes in ipſis, eos ſuper his non accuſatos, non confeſſos, nec convictos contra privilegia illis ab Apoſtolica ſede clementer indulta ſpoliant contra Deum, & juſtitiam omnibus bonis ſuis; & inedia, carceribus, ac tot moleſtiis, tantiſque gravaminibus premunt ipſos, diverſis pœnarum affligendo generibus, & morte turpiſſima eorum quamplurimos condemnando, quod iidem Judæi, quaſi exiſtentes ſub prædictorum principum, nobilium, & potentum dominio deterioris conditionis, quam eorum patres ſub Pharaone fuerint in Ægypto, coguntur de locis inhabitatis ab eis, & ſuis anteceſſoribus, a tempore, cujus non extat memoria, miſerabiliter exulare; unde ſuum exterminium metuentes duxerunt ad Apoſtolicæ ſedis prudentiam recurrendum. Nolentes igitur præfatos Judæos injuſte vexari, quorum converſionem Dominus miſeratus expectat: cum teſtante Propheta credantur reliquiæ ſalvæ fieri eorumdem; mandamus quatenus eis vos exhibentes favorabiles, & benignos, quicquid ſuper præmiſſis contra eoſdem Judæos per prædictos prælatos nobiles, & potentes inveneritis temere attentatum, in ſtatum debitum, legitime revocato, non permittatis ipſos de cætero ſuper iis, vel ſimilibus ab aliquibus indebite moleſtari. Dat. Lugd.* III. *non. jul. anno* V. Quæ literæ ad Galliarum etiam præſules (*b*) exaratæ.

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

LXXXV. Dum Lugduni ſedens Pontifex in omnes, etiam Judæos, Tartaros, Sarracenos, ſchiſmaticos curas pontificias explicaret, conſecravit ſolemni ritu princeps altare eccleſiæ Lugdunenſis, & indulgentias iis propoſitas qui pecunias ad templum inchoatum, quod eleganti quidem opere, ſed tardis incrementis ſurgebat, ad culmen perducendum conferrent, auxit, atque Anglos (multo magis Gallos ſolicitaſſe argumento eſt) ad eas lucrandas pellicere ſtuduit (*c*): *Licet benefacientibus fabricæ Lugdunenſis eccleſiæ, quæ dudum incepta eſt magno, & opere ſumptuoſo, quadraginta dierum indulgentiam duximus concedendam, quia tamen aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus noſtris Cardinalibus, & quamplutibus epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, ſacroſanctum altare ipſius eccleſiæ propriis manibus duximus conſecrandum; volentes ob noſtri memoriam indulgentiam hujuſmodi ampliare, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui eidem fabricæ manum porrexerint adjutricem, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi unum annum de injunctis ſibi pœnitentiis annis ſingulis miſericorditer relaxamus. Dat. Lugd.* V. *kal. maii an.* IV.

Princeps ara Lugd. eccleſiæ ab Innoc. IV. conſecrata.

(*c*) *Lib. 4. ep. 571.*

Indulgentiar. ſubſidia ad perducendum templi opus conferentibus proponit.

I. ANno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octavo cum Fridericus, crebra populorum defectione, atque vibratis in ſe in concilio Lugdunenſi, in quo exauctoratus Imperio fuerat, cenſuris; tum aſſentatorum ſuſurris efferatus non reſipiſceret modo, verum in dies etiam in deteriora lapſus ad obterendam Rom. Pontificis auctoritatem nefarias leges promulgaret, Innocentius eccleſiaſticas pœnas ad proterviam illius comprimendam addidit. Inter cæteras namque leges, quas vir impius ſedis Apoſtolicæ contemptor tulerat, eam clericis piis inflixit, ut ſi quis ad Romani Pontificis imperium, legative ipſius, ſacra peragere vel populis ſacramenta porrigere reſpueret, ſacerdotii ſui redditibus, in eorum utilitatem, qui in ſuo obſequio ferverent, derivandis; tum paternis bonis, ad conjunctos devolvendis, exueretur; præterea in exilium pelleretur.

Fridericus fert iniquas leges adverſus eccleſiaſtic.

II. Ubi iniquiſſimam legem promulgatam audiit Innocentius, ad Germaniæ (*a*) Italiæque (*b*) præſules encyclicas literas exaravit, in quibus ſignificavit ut Fridericus in concilio hæreſis infamia, ob contemptam pontificiarum clavium auctoritatem laborare exiſtimatus, nonnullos miſiſſet, qui profiterentur Fridericum a ſe in examen fidei adductum, repertumque in omnibus catholicæ veritati conſentire; ac ſe paratos ad id comprobandum in ipſius anima ſolemne ſacramentum nuncupare: cæterum decreviſſe ut ſi infra legitimum tempus ſine armorum ſtrepitu, atque exiguo comitatu ſtipatus accederet, purgationem de ſuſpicione hæreſis, quam injecerat, ſi eam jure præſtaret, recepturum: at illum non modo tribunali pontificio ſe ſiſtere detrectaſſe, ſed bonis etiam omnibus clericos, qui interdictum eccleſiaſticum non infringerent, everti juſſiſſe: ob eamque impiam legem, cum ſe hæretica labe aſperſum demonſtret, novo anathemate defixum ac ſi in pervicacia perſtiterit, majoribus pœnis afficiendum, ſeveritatemque legum in eos, qui ipſi ſtuduerint, diſtringendam promulgent.

(*a*) *Inn. l. 5. ep. cur. 44.*
(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

*Archiepiſcopis, & epiſcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & aliis eccleſiarum prælatis per Alemanniam conſtitutis.*

III. *Cum nos olim Fredericum quondam Romanorum Imperatorem citaverimus, ut in concilio Lugdunenſi perſonaliter, vel per nuntios compareret, reſponſurus nobis, & aliis, qui vellent aliquid proponere contra eum, & ſatisfactionem idoneam præſtiturus; tandem quia in eodem concilio multa inter cætera contra ipſum ſic certa & evidentia, quod in eis inficiationi prorſus locus eſſe non poterat, manifeſte comperimus, ex quibus de vitio pravitatis hæreticæ merito debebat haberi ſuſpectus; maxime cum poſt excommunicationis ſententiam a bonæ memoriæ I.. epiſcopo Sabinenſi &.. tit. S. Sabinæ presbytero Card. latam in ipſum; poſtquam etiam fel. recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter eum anathematis vinculo innodavit; ac poſt Eccleſiæ Romanæ Cardinalium, prælatorum, & clericorum, ac aliorum etiam, diverſis temporibus ad ſedem Apoſtolicam venientium, captionem, Eccleſiæ claves contempſit, ſibi faciens celebrari, vel potius quantum in eo fuit, profanari divina, conſtanter, & patenter aſſerens ſe præfati prædeceſſoris ſententias non vereri; & inſuper conjunctus amicitia deteſtabili Sarracenis, eorum ritus amplectens, & aliquos ex ipſis in quotidianis ejus obſequiis ſecum tenens, nuncios ſoldani Babyloniæ, poſtquam idem ſoldanus, cum quo dictus Fredericus, prout ex ipſius ſoldani accepimus literis, a tempore patris ejuſdem ſoldani familiaritatem, & dilectionem mutuam, ac concordiam perfectam habuiſſe dignoſcitur; Terræ ſanctæ, ac ejus habitatoribus Chriſtianis per ſe ac ſuos damna graviſſima, & inæſtimabiles injurias irrogarat; fecerit per regnum Siciliæ cum laudibus ad ejuſdem ſoldani extollentiam honorifice ſuſcipi, & magnifice procurari; necnon aliorum infidelium pernicioſis & horrendis obſequiis contra fideles abutens, illis qui damnabiliter vilipendentes Apoſtolicam ſedem ab unitate Eccleſiæ diſceſſerunt, procuraverit amicitia, & affinitate conjungi; ipſum in præfato concilio, propter hæc & alia plurima, quæ in ſententia tunc prolata contra eum a nobis plenius continentur, abjectum; omnique honore, ac dignitate tam Imperii quam regnorum privatum a Domino denuntiavimus; eum nihilominus ſentiendo privantes, excommunicationis ſolemniter in eundem propter has, & alias cauſas ſententia promulgata: quam poſtmodum annuatim certis ſolemnitatibus more Rom. Eccleſiæ duximus innovandam.*

Argumenta quibus juſta in eum hæreſeos ſuſpicio caderet.

*Sed ipſe tanquam in ſuis obfirmatus nequitiis, ne adhuc de tam nefanda & damnabili ſuſpicione ſatisfacere, nec ad gremium matris Eccleſiæ redire curavit: licet Panormitanum archiepiſcopum, epiſcopum Papienſem; & quoſdam alios ad ſedem deſtinarit eandem, qui venerabilibus fratribus Portuen. & Albanenſi epiſcopis, & dilecto filio noſtro H... tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali, quos eis conceſſimus auditores, inſtrumentum cujuſdam tabellionis, & literas munitas bulla aurea præſentarunt, in quibus continebatur quod,* IV.

Ut eam ſuſpicionem a ſe amovere conatus ſit.



*quod, cum idem Fr. fuiſſet in præmiſſo concilio habitus de hæretica pravitate ſuſpectus, ipſe interrogatus, & examinatus ab eis ſuper articulis contentis in ſymbolo & aliis ad fidem catholicam pertinentibus, dixit ſe illos firmiter credere; ac juravit: in quibus etiam conſtituit examinatores ipſos procuratores ſuos ad jurandum in anima ejus, quod eos credebat; & ad purgationem etiam in præſentia noſtra in loco idoneo ſuper ſuſpicione hujuſmodi offerendam. Qui hæc eiſdem retulerunt auditoribus viva voce, quodque ſic erant jurare parati, ex parte ipſius Frederici purgationem hujuſmodi offerentes.*

V. *Nos autem his intellectis talem examinationem & purgationem, cum nec ubi, nec de quibus, neque coram quibus debuit, præſumpta fuerit; cum iidem examinatores, & eorum conſanguinei ſint de ipſius curia, ſeu terris, poteſtati, vel verius tyrannidi ſuæ ſubjectis; illuſoriam, prout erat, & frivolam reputantes, ipſam de fratrum noſtrorum & multorum prælatorum, qui nobiſcum tunc aderant, conſilio decrevimus irritam & inanem; proceſſum eorumdem examinatorum ſuper iis præſumptum penitus reprobando. Conceſſimus tamen ſi veniret idem Fredericus perſonaliter infra tempus legitimum ſine armis, & cum modico comitatu, quod ipſum ſuper purgatione, quam de ſuſpicione prædicta ſe coram nobis velle præſtare dicebat, ſi de jure, & ſicut de jure faciendum exiſteret, audiremus.*

Repudiata inani purgatione ſiſtere ſe coram jubetur.

VI. *Veruntamen non ſolum poſtmodum venire neglexit, ſed quaſi delectet eum malefacere, prioribus nequiora committens, quandam execrabilem edidit ſanctionem inter alia continentem, ut quicunque clericus, vel religioſus ad papale, vel papalis legati mandatum publice forſan omiſerit miſſarum, ſeu alia celebrare ſolemnia, & ſacramenta fidelibus eccleſiaſtica propinare; de civitate vel loco, cujus incola reperietur ejectus, bonis ſuis patrimonialibus & eccleſiaſticis, ut pœnam de tanta temeritate tuliſſe ſe doleat, ſpolietur: clericis mandato prædicto parere nolentibus, & in fide ſua ferventibus eccleſiaſticis applicandis; patrimonialibus autem proximis, ab inteſtato venientibus ſcilicet, aſſignandis. Unde, quia merito contra eum, qui pœnitere deſpiciens peccata peccatis accumulat, & ortam contra ſe ſuſpicionem dictis & factis innuit eſſe veram, eſt durius procedendum; nos præfatum Fredericum ſicut hactenus, ſic in die jovis ſancto proximo præterito; quinimo diſtrictius pro eo quod ſuſpectus vehementer de hæreſi & anathematizatus ad ſinum præfatæ matris Eccleſiæ redire, ac ea facere, quæ a ſic ſuſpecto, ac excommunicato fieri debent, omnino contempſit; excommunicavimus, & anathematis vinculo duximus innodandum; denuntiantes nihilominus ſibi præſente generali, & publica congregatione fidelium, & per alios etiam ei nuntiari volentes, quod ſi deinceps in hujuſmodi contumacia duxerit perſiſtendum, contra ipſum graviter, quantumcumque ſecundum Deum expedierit, procedemus. Pronuntiavimus præterea, quod quicunque ſibi poſt duos proximo futuros menſes ab eodem die jovis computandos conſilium, aut auxilium præſtiterit, vel favorem publicum vel occultum, illi eidem pœnæ ſubjaceat tam in perſona, quam in rebus, cui talium fautores ſubjacent ſecundum canonicas, & legitimas ſanctiones. Mandamus quatenus prædicta omnia, & ſingula publicetis, & publicari faciatis per loca, in quibus videritis expedire. Dat. Lugd. XIV. kal. maii anno V.*

Cavetur ejus ſecuritati ſi non armatus acceſſerit.

De obfirmata in ſpernendis cenſuris illius pertinacia.

Intentatæ illi graviores minæ.

VII. Hujuſmodi cenſurarum fulmina, ut verba inania contemnebat Fridericus: quare cum frangendum armis obfirmatum in ſcelere cerneret Innocentius, Friſingenſi, Patavienſi, & Ratiſponenſi epiſcopis, aliiſque imperavit, (*a*) ut in urbibus ac diœceſibus ſuis fideles ad induendam crucem, corripiendaque in Fridericum & Conradum arma, uti adverſus crudeles fidei everſores, propoſitis divinis præmiis, incitarent: *Per apoſtolica vobis ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſinguli veſtrum in veſtris civitatibus, & diœceſibus contra dictum Fredericum & Conradum natum ejus & fautores ipſorum proponatis ſubjectis vobis populis verbum crucis, eoſdem populos adverſus ipſos, tanquam perverſores fidei, & libertatis eccleſiaſticæ ſubverſores, ſtudioſius animando; conceſſuri auctoritate noſtra eis, qui hujuſmodi crucis in propriis perſonis, & rebus * aſſumpſerint, illas ſuorum peccatorum veniam, & indulgentiam, quæ proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſuccurſum in generali concilio ſunt conceſſæ; præceptum noſtrum taliter impleturi, quod ſolicitudinis veſtræ ſtudium clareat per effectum, & Apoſtolica ſedes quantum de vobis confidere debeat, in hoc argumentum evidens capiat; voſque de inobedientia, vel contemptu argui non poſſitis. Dat. Lugd.* IV. *non. maii anno* V.

Sacrum in ipſum & Conradum bellum propoſitis indulgentiis promulgari jubet.

(*a*) *Lib. 5. ep. 812.*

* *negotium*

VIII. Iiſdem præſulibus (*b*) & quibuſdam (*c*) aliis præcepit Innocentius, ut nonnullos Germaniæ viros principes, qui res Friderici fulciebant, cenſurarum terrore ab illius obſequio avellerent: ſimilemque provinciam Ratiſponenſi & Miſnenſi epiſcopis injunxit, (*d*) ut Bohemiæ proceres, qui abjecta, quam ſuſceperant in Fridericum, cruce; reverſique ad vomitum, ut loquitur Pontifex, Friderici partibus ſe irretierant; ad Eccleſiæ caſtra revocarent: qui ſi ipſorum monitis metu Wenceſlai Regis, qui pontificias partes egre-

(*b*) *Ib. ep.* 809. 810. 811.
(*c*) *Id. ib.* 813. 814.
(*d*) *Ib. ep.* 814.

Bohemiæ proceres ad Fridericum deficiunt.

*Innocentii in iis ad officium revocandis ſtudium.*

*Wenceſlaus Rex Pontifici adhæret.*

egregie tuebatur, parere detrectarent, caverent eorum ſecuritati, nullum ipſis a Rege periculum conflatum iri: ſi vero necdum veniæ ſpe ac pignore dato flecti ad obſequium poſſent, anathemate publice defixos, eorumque ditionem interdicto eccleſiaſtico ſuppoſitam, adeo ut baptiſmi parvulis ac morituris pœnitentiæ ſacra tantum conferrentur, promulgarent: tum ad perfringendam eorum pervicaciam regiam potentiam implorarent. E quibus graves in Bohemia ſeditiones concitatas, atque a proceribus in Wenceſlaum Eccleſiæ ſtudioſiſſimum, ut teſtatur Pontifex, conflatam conjurationem colligitur.

IX.

*(a) Long. hiſt. Pol. l. 7. hoc an.*

*Regno dejectus a filio iterum recuperat.*

Refert quidem Longinus, (*a*) rebellaſſe in parentem Premiſlaum dominandi cupidine incenſum; pellectiſque in ſuas partes nobilibus, illum regno cedere ac ſceptrum in ipſum, retento ſibi trium oppidorum dominatu, tranſmittere compuliſſe: ſed cum divina juſtitia fœdum adeo filii in parentem ſcelus impune abire non ſit paſſa, brevi rerum converſa facie, Premiſlaum, dum Barſonem in munitiſſima arce ob ſingularem in Wenceſlaum fidei conſtantiam obſidione cingeret, facta nocte intempeſta eruptione profligatum, ac Wenceſlaum collectis novis viribus regnum recuperaſſe, filium veniam flagitantem mancipaſſe carceri, præcipuoſque conjurationis præteritæ auctores crudeli ſupplicii genere perimi juſſiſſe. Inter cæteros Stiborio, qui inter Bohemos ingenti ſapientiæ gloria florebat, atque adeo, ut refert Longinus, ſibi præfidebat, ut Deum poſſe ſe in conſilium ſuum vocare gloriaretur; trabe caput colliſum. Premiſlaus vero caſtigato ita faſtu in parentis gratiam a proceribus reſtitutus Moraviæ principatu contentus eſſe juſſus. Ita in Bohemia Fridericianæ partes oppreſſis ſceleris auctoribus penitus conciderunt.

*Conjurationis auctores cæſi.*

*Stiborii de ſapientia ſua præfidentis juſtum ſupplicium.*

X.

*Ratiſponenſes in epiſcop. rebellant.*

Quod ad Ratiſponenſem epiſcopum, cui Bohemos proceres ad officium adducendi munus traditum vidimus, ſpectat; graviſſimas ille a Ratiſponenſibus, qui Friderici partes ſequebantur, injurias pertulit: ii enim poſt depulſum e ſua ſede ob promulgatam in Fridericum pontificiam ſententiam Siffridum prædeceſſorem; violatum eccleſiaſticum interdictum, quo erat Ratiſpona perculſa; negatas temere defuncto Siffrido honorificas exequias; novum epiſcopum urbe depulere, ſuiſque juribus, quæ in percutienda moneta, exigendis vectigalibus, exercendis judiciis, aliiſque ſimilibus obtinebat, exuerunt, ut ea in Conradum transfunderent. Ob quod ſcelus tum ab epiſcopo, tum ab electo Ferrarienſi A. S. L. anathemate ſolemni ritu percuſſi, ac ſacris interdicti fuere. Quæ vero poſtea iis pœnis efferati flagitia admiſerint, utque in ipſos ab eodem Ratiſponenſi epiſcopo animadverti juſſerit Innocentius deſcribit (*b*).

*Transferunt illius jura in Conradum.*

*Anathemate & interdicto percuſſi.*

*(b) Lib. 5. ep. 832.*

*Innocentius &c. epiſcopo Ratiſponenſi.*

*Tam tu, quam dilectus filius electus Ferrarienſis tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legatus in eos (nimirum Ratiſponenſes) excommunicationis, & in civitatem eandem interdicti ſententias proferentes, feciſtis eos excommunicatos denuntiari publice, ac ab omnibus arctius evitari.*

XI.

*Immania eorum ſcelera.*

*Sed ipſi, clavibus Eccleſiæ vilipenſis, ut prius mortuos ſuos excommunicatos ſepelientes in cœmeterio, & corpus cujuſdam comitiſſæ ad mandatum Eccleſiæ redeuntis quæ extra civitatem in campo, ut mortuis non communicaret quæ non communicarat & vivis ſepeliri petiit, exhumantes illud, quod deteſtabile eſt narrare, cum furore per medium civitatis in Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ contumeliam diutius tractum, tandem extra muros projecerunt canibus & aliis beſtiis ac avibus ad veſcendum. Præterea quendam ſacerdotem ad tuum mandatum, & Eccleſiæ redeuntem cædentes alapis, ac uſque ad effuſionem ſanguinis verberantes, conſpuerunt in eum: & in opprobrium Crucifixi extenſis manibus ducentes eundem, tandiu tenuerunt carceri mancipatum, donec pro redemptione ſua ſolvit eis pecuniam, quam petebant, alia ſibi damna plurima irrogando. Inſuper adiicientes peccata peccatis, quoddam inter ſe fecere ſtatutum, ut nullus cruceſignatus cum ſigno crucis veſtibus ſuis impoſito modo aliquo audeat apparere; & qui cum hoc ſigno repertus fuerit, pœnis affectus variis debeat morti tradi.*

XII.

*Incuſſæ illis ni reſipuerint a Pont. minæ.*

*Ne igitur tantæ temeritatis exceſſus, ſi repreſſi non fuerint, tranſeant aliis in exemplum; & facilitas veniæ incentivum tribuat aliis delinquendi, nos cupientes ipſos cives juxta officii noſtri debitum ad viam ab invio revocare, mandamus quatenus, niſi prænominati cives a te moniti diligenter, infra feſtum aſſumptionis beatæ Virginis proximo futurum ad Eccleſiæ mandatum redierint; & immobiles perſtiterint in fide ac devotione ipſius, & competenter ſatisfecerint de præmiſſis; ex tunc eos excommunicatos, & civitatem ipſam interdicto ſuppoſitam publice nunties, faciens utramque ſententiam auctoritate noſtra uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, arcte obſervari: ita quod in ea nullus religioſus, vel alius clericus prætextu alicujus ſedis Apoſtolicæ indulgentiæ, præter pœnitentias morientium, & baptiſmata parvulorum, celebret divinum officium, aut exhibeat eccleſiaſticum ſacramentum; & ipſos nihilominus omnibus feudis, quæ ab eccleſiis tenent, privans omnino; eis, ad quos illorum collatio pertinet, conferendi eadem devotis Eccleſiæ, ac impugnantibus indevotos eoſdem licentiam largiaris, diſtrictius inhibendo, ut nullus cum eis exerceat commercium, vel contractum, ac de debitis, ſeu depoſitis eis, quandiu in hujuſmodi duraverint pertinacia, debeat reſpondere; ac debitores, & depoſitarios a juramentis ſive pœnis, quibus forte tenentur, interim abſolvendo, eiſdem civibus omnibus actibus legitimis nihilominus interdictis. Ad hæc, ut vindicta tantorum ſcelerum in pœnam parentum ad eorum poſteros extendatur, volumus & mandamus, ut heredes clericos civium eorumdem uſque ad quartam generationem beneficiis prives eccleſiaſticis, & privatos publice ſtudeas nunciare; ac omnia privilegia, & indulgentias, a quibuſcunque illis conceſſa, decernas auctoritate noſtra caſſa, & irrita, & nullius eſſe penitus firmitatis. Dat. Lugd. III. id. Maii anno V.*



XIII.

*Urbes Fridericianar. partium interdicto ſubjectæ.*

*(a) Ib. ep. 656. 657. 658. & ep. cur. 47. 52.*

*Tyranni ſequaces bonis ſpoliari juſſi.*

*(b) Lib. 5. ep. cur. 46.*

*(c) Ext. apud Par. hiſt. Angl. an. 1246.*

*Quo ſtudio Willelmi partes auxerit Innoc.*

*(d) Lib. 5. ep. 597.*

*Friſiorum cruceſign. vota in Willelmi Reg. ſubſidium commutata.*

*(e) Lib. 5. ep. 731.*

Exerenda in Italia adverſus Friderici partium ſtudioſos eadem ſeveritas fuit: qua de re extant Octaviano S. Mariæ in via lata, & Rainerio S. Mariæ in Coſmedin diaconis Cardinalibus, ac Gregorio e Monte longo ſubdiacono & notario legatis datæ literæ (*a*); ut nimirum urbes Friderici partibus infectas interdicto ſubiicerent, ſequaces illius piorum conſortio pellerent; ac demum, ne cenſuræ haberentur ludibrio, hujuſmodi homines publicis muneribus ſubmovendos, evertendoſque bonis omnibus cenſuit: (*b*) cum Fridericus contra fortunis omnibus pontificios exueret, quorum ſpoliis auctum ſe & locupletatum in literis (*c*) ad Henricum Anglorum Regem gloriatur, illiuſque ac ſequacium armata impietas, niſi vi perrumpenda eſſet: neceſſitaſque eo adegit Pontificem, ut non modo ad crucem induendam propoſitis indulgentiarum præmiis, quæ in Syriam transfretaturis conceſſa ſunt, incitari juberet; quam provinciam in Germanico Imperio Cironiæ epiſc. commiſit (*d*); ſed in aliquibus etiam provinciis eorum, qui ſe ſacro in Sarracenos orientales bello obſtrinxerant, vota commutaret, atque arma in Fridericum convertere imperaret. Ita Willelmo Rege flagitante Petro Card. legato munus demandavit (*e*) ut Friſios qui ſe ad recuperanda ſancta loca obſtrinxerant, voti religione exolveret, ſi Guillelmi ſigna ſequerentur.

XIV.

*Aquiſgranum Willelmus Conrado eripit.*

*In ea urbe ſolemni ritu corona redimitur.*

*(f) Par. hiſt. Angl. hoc an.*

*(g) Siffr. epit. lib. 2.*

*(h) Trith. Hirſaug. chron.*

*(i) Cent. 13. cap. 6. col. 683.*

*Privilegia Rom. Ecc. confirmat.*

*(k) Baron. in notis MS.*

Felicem porro exitum Innocentii conſilia ſunt aſſecuta: innumerabiles enim cruceſignatorum copiæ ab Apoſtolicæ ſedis legato atque archiepiſcopo Colonienſi conflatæ Aquiſgranum, quamvis Friderici & Conradi milite præſidiario munitum eſſet, poſt arctiſſimam & diutinam obſidionem expugnarunt, [1] atque in ea urbe Willelmus omnium ſanctorum feſto die ritu ſolemni regni inſignia accepit. Hæc pluribus Matthæus Pariſius (*f*) ejus temporis ſcriptor: quibus conſentanea tradunt fragmenti hiſtorici incertus auctor Siffridus (*g*) atque alii; ex quibus redarguas Trithemium (*h*) & novatores (*i*) qui hæc ſequenti anno peracta ex illo affirmant. Cæterum novus Romanorum Rex Innocentio Papæ fidei ſacramento ſe devinxit, atque omnia Eccleſiæ privilegia ab aliis Imperatoribus conceſſa, ut ejus hoc anno datæ literæ teſtantur, quæ in libro privilegiorum Romanæ Eccleſiæ extant (*k*) confirmavit. Addit memoratus Pariſius non probatam a multis hujuſmodi regiam conſecrationem ob deſideratos in ea nonnullos electores, ut Saxoniæ & Bavariæ duces, qui ab ea diſſenſerunt.

XV.

*Hæretici in Germania exorti.*

*(l) Stad. in chron an. 1248.*

*Nefandi eorum errores.*

Felicibus Willelmi Regis ſucceſſibus territus Conradus, ad confirmandam parentis tyrannidem & evertendam Pontificis auctoritatem optimum ratus, ſi hæreticos foveret, qui ſuis erroribus populum irretirent, atque ab Eccleſia abductos in ſuo obſequio continerent, facinoroſis pſeudoprophetis diſſeminandarum plurium hæreſum fræna permiſit; quorum falſæ doctrinæ ſumma, ut ex Alberto Stadenſi, (*l*) qui ea narrat, hæc erat; ſacerdotem, lethali crimine obſtrictum, corpus Chriſti conficere non poſſe, nec prælatos hujuſmodi labe infectos ligandi, atque ſolvendi poteſtatem obtinere: interdici ſacris populos non poſſe: divina contra quælibet imperia pontificia frequentanda: religioſorum virorum inſtituta abhorrere a vera ſanctitate, atque injuſtitiæ & ſceleris macula non carere: Romanum Pontificem & epiſcopos

NOTÆ [1] OBſidionis Aquiſgranenſis, urbiſque captæ tempus & diem accurate deſignat anonymus Erfordienſis ad hunc annum ſcribens: *Rex VVillelmus in octava paſcha Aquiſgranum regiam ſcilicet Villam obſedit, ad cujus auxilium* (Willelmi) *multitudo Freſonum cruceſignatorum veniens navali bello ipſum oppidum impugnabat; tandem XIII. Kal. novembris civitatem ingreſſus a duobus cardinalibus I. Kalend. ejuſdem menſis, regalem coronatus accepit benedictionem.* Quinam fuerint cardinales illi prodit Nicolaus de Curbio in vita Innocentii cap. XXII. ſcribens legatum ab apoſtolica ſede miſſum fuiſſe ut Willelmo aſſiſteret. Hunc vero Petrum S. Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem appellat annaliſta noſter ad A. 1247. II. Alter vero, qui ſolemni huic inaugurationi adfuit cardinalis ab eodem Nicolao de Curbio deſignatur Guillelmus epiſcopus Sabinenſis, qui tunc de Norwegia revertebatur, ubi functus erat officio legationis. MANSI

pos hæreſi inquinari. Sed hæc aliaque ex ipſo auctore audienda potius videntur: (a) *Anno*, inquit, *Domini MCCXLVIII. cœperunt in Eccleſia Dei mirabiles, & miſerabiles hæretici pullulare: qui pulſatis campanis, & convocatis baronibus & dominis terræ, in ballis Suevorum ſic prædicaverunt in publica ſtatione. Primo quod Papa eſſet hæreticus: omnes epiſcopi & prælati ſimoniaci & hæretici: inferiores quoque prælati cum ſacerdotibus, quia in vitiis & peccatis mortalibus non haberent auctoritatem ligandi & ſolvendi; & omnes iſti ſeducerent, & ſeduxiſſent homines. Item quod ſacerdotes in peccatis mortalibus conſtituti non poſſent conficere*, nimirum Chriſti corpus in Euchariſtia. *Item quod nullus vivens, nec Papa, nec epiſcopi, nec aliqui alii poſſint interdicere divina, & qui prohiberent, eſſent hæretici & ſeductores. Et licentiaverunt in civitatibus interdictis, ut miſſas audirent ſuper animas ipſorum, & ſacramenta eccleſiaſtica libere perciperent, quia ipſis perceptis mundificarentur a peccatis. Item quod Prædicatores & fratres Minores perverterent Eccleſiam falſis prædicationibus, & quod omnes Prædicatores & fratres Minores, Ciſtercienſes quoque & omnes alii pravam vitam ducerent & injuſtam. Item quod nullus eſſet, qui veritatem diceret, & qui fidem juſtam opere ſervaret, niſi ipſi & eorum ſocii: & ſi ipſi non veniſſent antequam Deus in periculo dimiſiſſet ſuam Eccleſiam, prius ipſos de lapidibus ſuſcitaſſet, vel alios, qui Eccleſiam Dei vera doctrina illuminaſſent. Prædicaverunt etiam hucuſque veſtri prædicatores, ſepelierunt veritatem & prædicaverunt falſitatem: nos ſepelimus falſitatem, & prædicamus veritatem. Et in fine*, ſcilicet prophanæ concionis, *Indulgentiam quam damus vobis, non damus fictam, vel compoſitam ab Apoſtolico, vel epiſcopis: ſed de ſolo Deo, & ordine noſtro. Et ſic non audemus habere memoriam Papæ, quia ita perverſæ vitæ eſt, & tam mali exempli homo, quod eum tacere oportet. Et blaſphemando adiecit idem perfidus prædicator: Orate (inquit) pro domino Frederico Imperatore & Conrado filio ejus, qui perfecti & juſti ſunt. Item dixit quod Papa non haberet auctoritatem ligandi, nec abſolvendi, quia non haberet vitam apoſtolicam, & hoc probare vellet per quandam gloſſulam.* Erant hæ impoſtorum illorum blaſphemæ voces, quas Baronii (b) exemplo hac B. Hieronymi (c) ſententia refellere ſuffecerit: *Hæc ſunt quæ coargutione non indigent, perfidiam eorum expoſuiſſe, ſuperaſſe eſt*. Ad quid porro hujuſmodi damnatæ artes Conrado profuerint, ſubdit Stadenſis.

(a) *Albert. Stad. in chron. hoc ann.*

(b) *Baron. an. Chr.* 173. *n.* 34. (c) *Hier. ep.* 58.

Conradus hæreticorum patrocinium ſuſcipit.

XVI. *Iſtos hæreticos fovit & defendit Conradus filius Friderici Imp. quondam, & patrem ſuum, ſe per talia venena credidit defenſare. Sed res lapſa eſt in contrarium, quia catholicis prædicatoribus audacter reſiſtentibus, & fideles exhortantibus, liberi & miniſteriales a Conrado receſſerunt, ita quod quaſi exul & profugus de Suevia in Bavaria moraretur.* His conſentiunt Pontificis literæ (d) ad Augenſem abbatem in Conſtantienſi diœceſi, quibus gratulatur captata opportuna occaſione a Conradi partibus deſciviſſe, parumque abfuiſſe, ut Conradus caperetur: *Venerabilis*, inquit, *fratris noſtri Conſtantienſis epiſcopi & dilectorum filiorum nobilium virorum H. de Kyburch, L.. de Fonbuit, G.. de Signering. & H. de Cruenvigen comitum Romanæ Eccleſiæ devotorum per literas nobis extitit intimatum, quod, ſi hactenus circa negotium Eccleſiæ viſus fueris negligens & remiſſus, provenit ex induſtria, non contumacia, vel defectu, ut ipſis opportunitate captata magis poſſes reſiſtentes offendere, quam offendi; opinione pro ipſorum aſſertione manifeſtius faciente, quod cum nuper Conradus natus Friderici quondam Imperatoris, aggregatis undique viribus; non attendens, quod non in multitudine exercitus victoria belli, ſed eſt de cœlo tantummodo fortitudo; cum ipſis comitibus congredi attentaſſet, aſtitiſti eis viriliter & potenter cum decenti armatorum & honorabili comitiva; ita quod perſecutor Eccleſiæ terga vertens, relictis rebus quamplurimis, fere fuit manu valida captivatus, &c.* Subdit ſe epiſcopi & procerum illorum precibus permotum, ipſum in Eccleſiæ gratiam admittere; ac provocat ad expectationem, quam ii de ipſius virtute ſuis literis concitarunt, ſuſtinendam. *Dat. Lugd. idib. maii ann.* V.

(d) *Lib.* 5. *ep.* 968.

Vix ex hoſtium manibus evadit.

A ſuis deſeritur.

Diſcant ex eo Chriſtiani principes verum ac ſolidum regnorum fundamentum religionem eſſe; qua convulſa ac labefactata regna concidere neceſſe eſt: nec ſperent ex depreſſa Rom. Pontificis majeſtate, ſuam efferre, atque amplificare. Cæterum Stadenſem hæc de novorum dogmatum auctoribus differentem excripſiſſe videtur Crantzius (e) ex quo eadem perditi novatores (f) non ut illi improbantes facinus, ſed hæretico ſpiritu aſſerentes, decerpſere. Quamvis vero monumentis non ſit proditum, quid Innocentius in hujuſmodi hæreticos ſanxerit, cum ſextum & ſeptimum illius regeſtum non reperiantur; ex iis tamen quæ in alios hæreticos ſtatuta, prudens lector coniicere poterit.

(e) *Crant. Metr. l.* 8. *cap.* 18. *& Sax. l.* 8. *c.* 16. (f) *Cent.* 13. *c.* 13. *col.* 743.

XVII. Nec felicius per id tempus in Italia res Friderico ſucceſſere; cum enim Parmæ obſidioni, quam menſibus ſex cum toto ſui exercitus robore una cum Ezelino e Romano oppugnarat, incumberet; & urbem novam quam Victoriæ nomine



mine felices rerum exitus ſibi falſo ominatus inſignierat, anno ſuperiori condidiſſet; atque ob nimiam hiemis ſævitiam partem exercitus in hiberna miſiſſet, Parmenſes noctu eruptione facta, hoſtium caſtra aggreſſi, multis ex iis cæſis, nobiliſſimum de Friderico triumphum retulerunt, quæ monachus Patavinus his verbis expreſſit (a): [1] *Anno Domini MCCXLVIII. Friderico in Victoria reſidente in medio februario, legatus*, Gregorius ſcilicet de Montelongo, *& Parmenſes, inito conſilio de civitate unanimiter exiverunt: irruenteſque in Victoriam, ipſam ſine mora ceperunt, captamque protinus cremaverunt. Fridericus vero verſus Cremonam fugam arripiens vix evaſit; dimiſſis ibidem divitiis infinitis. Parmenſes autem, multis captis & occiſis de ipſius exercitu, carrotium etiam a Cremonenſibus habuerunt*. Eadem de obſeſſa Parma & nova Victoriæ urbe capta incenſaque narrant Matthæus Pariſius (b), Ricordanus, Malaſpina, (c) Joannes Villanus, (d) Jordanus (e) ac plerique recentiores.

Parmenſes facta eruptione hoſtem fundunt.

(a) *Monac. Pad. chr. lib.* 1.

Victoriam urbem incendunt.

(b) *Par. hiſt. Angl. an.* 1247. *&* 1248. (c) *Ricord. hiſt. Flor. c.* 138. (d) *Jo. Villan. l.* 6. *c.* 35. *& alii.* (e) *Jord. MS. Vat. bibl. ſign. n.* 1960.

XVIII. Addit Pariſius una cum aliis trucidatum Thadæum imperialis palatii judicem, virum eloquentiæ laude florentiſſimum, cui Fridericus exercitus curam atque theſauri ſui cuſtodiam crediderat; atque illius necem Fridericum acerbiſſime luxiſſe. Illum met fuiſſe exiſtimamus, qui in Lugdunenſi concilio Friderici cauſam defendit. Luit merito pœnas crudelitatis ſuæ Thadæus: ſcribit enim de eo Pariſius (f) cum Parmenſes facta eruptione propulſati ab hoſte magna clade, partimque capti fuiſſent, ſuaſiſſe Friderico, ut in caſtris proclamari juberet nullum Parmenſem vitæ aut carceri reſervandum, ſed mox caput amputandum. Addit etiam cum Parmenſes acti in deſperationem miſſis oratoribus Fridericum ad miſericordiam flectere pertentaſſent, Thadæi conſilio immaniter imprudenterque repuliſſe: *Immiſericors*, inquit, *Fredericus iracundia ſuccenſus, & in arrogantiam elevatus viſcera miſericordiæ clauſit exorantibus; nec miſeris aurem benignitatis alicujus, quod Deo diſplicuit, dignabatur commodare; ſed ipſis ſub occulto & aculeato conſilio, remandavit ironice, ut parce ac prudenter ſua uterentur annona, quia nunquam plus vita comite Frederici comeſturi: & hæc auſteritas a Thadæo creditur emanaſſe.*

Divinæ in Thadæum juſtitiæ exemplum ob crudelitatem in Parmenſes.

(f) *Par. hiſt. Angl. an.* 1247.

XIX. Adducendæ porro ex parte viſæ ſunt triumphales literæ, quas Parmenſes de profligato hoſte ad Mediolanenſes fœderatos miſere (g): *Laudes retribuimus Deo Patri, Filioque ſuo Jeſu Chriſto, & Spiritui ſancto, trino Deo & uni majeſtati, & Virgini glorioſæ, qui non propter noſtrorum exigentiam meritorum, ſed propter ſuam clementiſſimam pietatem civitatem noſtram protegit, defendit, viſitat, & gubernat. Quod manifeſte conſpicimus in victoria triumphali, quam die martis duodecimo februarii exeuntis contulit nobis Deus Genitricis ſuæ interventu. Quamvis enim mille quingenti de noſtris iviſſent inter Colvirum & Berſillum, & præterea duæ portæ in integrum; & ille ſæviens draco, qui per tantum temporis obſederat terram noſtram, nos omnino crederet deglutire, jam extra mœnia cunctis militum & peditum ſuorum agminibus ordinatis, & ſuis fidelibus commiſſis, & ipſo parum remoto; nos invocato Dei auxilio, & Virginis glorioſæ, cernentes, quod potens eſt Deus deponere ſuperbos & humiles exaltare; protinus exivimus contra ipſos populus, & milites uni-*

(g) *Ext. apud VVeſt. flor. hiſt. hoc ann.*

Triumphales eorundem de profligatis hoſtibus lit.



NOTÆ [1] VIctoriæ (quod urbis nomen eſt) memorabilis expugnatio ab omnibus coævis hiſtoricis fuſe & accurate deſcribitur. Sed ea, quæ continuator annalium Genuenſium prodit digna ſunt ut hic compendio perſtringantur. Narrat ille Fridericum nihil minus cogitaſſe quam quod externa ſpecie præferebat. Simulabat enim ſe paratum eſſe iter per ditionem ſuam tutum præſtare regi Francorum ad expeditionem in terram ſanctam profecturo; re tamen ipſa exercitum comparaſſe, ut illum impediret. Meditabatur autem ſtatim ac Parmam ſubjeciſſet in Siciliam cum exercitu properare, ut ibi ad omnia ſtaret intentus. Cum ſubito (die ſcilicet XVIII. februarii ut Rolandinus eſt author) Parmenſes eruptione facta inopino incurſu in arcem victoriæ, a Friderico præcedenti anno excitatam, irruperunt, eamque igne & cædibus vaſtarunt. Abfuiſſe tunc imperatorem agentem in loco, tribus mille paſſibus diſtanti ut venationi indulgeret affirmat Rolandinus. Inter captos in memorabili illa expugnatione numeratur Thadæus de Sinveſſa; inter captos, inquam; licet enim quidam cæſum affirmant author tamen chronici Parmenſis, qui in exordio ſequentis ſæculi ſcribebat, diſerte affirmat, captum quidem illum fuiſſe *ſemivivum cum manibus amputatis*. Quoad Fridericum author ille chronici Parmenſis ſcribit fugiſſe illum primo *uſque ad burgum* S. Donnini, & de burgo S. Donnini uſque Cremonam *ſine aliqua mora*. Hac clade proſtratus Fridericus, dein *venit in Aſte* verba ſunt continuatoris annalium Genuenſium, *& nuntios mandavit ad illuſtrem Francia regem, exponens ſe & terram, & homines ſuos ad paſſagium ſuum contra paganos, ſicut publice dicebatur, & ut ipſe dominus rex cum domino papa ſic faceret, quod relevaretur a ſententia excommunicationis & depoſitionis, quam tulit in eundem; ſed nihil facere potuit, ſtetitque per totam hyemem in Lombardia, & ceſſavit ipſo tempore non offendere hoſtiliter terram communis Janua vel cruceſignatos ad paſſagium.* MANSI

*verſi nequaquam veſtigia noſtra retardantes, quoad hucuſque dimicantes junximus nos cum eiſdem præcedente vexillo cum forma Virginis pretioſæ, cujus regebamur ſemita, & ducatu. Et quamvis duriter a principio reſtitiſſent; nos tamen, invaleſcentes durius in eoſdem, confregimus & proſtravimus omnes ipſos, & contrivimus univerſos. Et cum hoc audiſſet impius Fredericus, & cogitaret ſuis ſuccurrere, formidavit nobis occurrere, & deſcendens per ſubterfugia tamquam latro dimiſit ſuos, & ſpolia ſua prorſus univerſa, ex quibus tria millia cepimus & plures. Cepimus quoque carrochium Cremonenſium. Cepimus etiam mœnia quæ fecerat, & omnia caſtra ſua, & habemus omnia quæ habuerat. Interfecimus quoque Thadæum judicem ſuum, cubicularios, & camerarios ſuos: noſtros quoque bannizatos de ſuis militibus & populo interfecimus ultra mille quingentos; præter ſubverſos equorum pedibus & ruina, quos præ multitudine deſcribere non potuimus: alios autem de ſuis fugavimus uſquequaque, &c.* Subdunt ut æterno numini pro parta victoria laudes cecinerint, magniſque contendunt precibus, ut raptim, contractis undique auxiliis, Parmam ſe conferant ad Friderici reliquias diſſipandas, & propugnacula ſibi erepta recuperanda: præterea certiores faciunt omnes, quos e Parmenſibus & Placentinis tenebat hoſtis in vinculis, libertati fuiſſe reſtitutos.

XX. (a) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.* De Victoria exuſta elegans carmen.

Accepto clariſſimæ victoriæ nuntio tradunt (*a*) Innocentium gaudio ingenti delibutum hoc verſiculo luſiſſe.

*Ad laudem Chriſti Victoria victa fuiſti.*

Aretinus epiſc. triduo ante acceptam cladem in caſtris Friderici crudeliter interfectus.

Delenda ſane flammis erat urbs tyranni crudeliſſimi ſedes, ulciſcente ſuorum injurias numine: in qua tertio antequam everteretur, die Marcellinus epiſcopus Aretinus ab hoſtibus captus, ac diuturno maceratus carcere Friderici ſententia, ob Eccleſiæ partes ſtrenue adverſus ejus tyrannidem defenſas, ad patibulum damnatus eſt, & carnificum Sarracenorum, hi enim erant fidiſſimi tyranni adminiſtri, manibus traditus innumeris probris onuſtus, ac magno religionis Chriſtianæ ludibrio raptatus eſt; ut Cardinalis Rainerius in literis ſuis (*b*) apud Pariſium deplorat: *Hic impius dux prophanus habens, ſicut pater ſuus diabolus, contra Dei Eccleſiam iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet; protinus in furorem erumpens ore rabido ſuſpenſionis, & juguli contra chriſtum Domini ſententiam fulminavit apud Victoriam ab eo fundatam: ſed titulis fidelium adſcribendam. Hoc autem actum eſt, non ſine ſtupendo miraculo, tertio videlicet die ante ſuum & illius loci exterminium triumphale. Ipſa namque Victoria felici auſpicio, contra votum furentis, qui ei nomen indidit, victorioſi trophæi tripudium de ſeipſa parti ceſſurum Eccleſiæ, ſuo vocabulo præſignavit. Cæterum cum Averni Cyclopes, & Vulcani ſatellites hoc mandatum a ſuo principe recepiſſent; urgebant epiſcopum ut ipſe dominum Papam, Cardinales, & alios prælatos Eccleſiæ tunc excommunicaret publice coram plebe, & fidelitatem juraret perfido Frederico, impunitate ſibi ſuper hoc, & multis divitiis repromiſſis. Ipſe vero, Domini ſpiritu roboratus, fidenter aſſeruit, quod ipſum Fredericum ſathanæ * progenitum & alumnum frequenter excommunicaverat, atque ſuos: & tunc etiam in ipſum anathematis ſententiam iteravit. Cumque duceretur ad martyrium pontifex, ſe primum munivit tam lamentis pœnitentiæ, quam omnibus eccleſiaſticis ſacramentis. Verum cum ſe in abyſſum demergi æſtimans a circumſtantibus intellexit, quod tractus per villam debebat ſuſpendio interire, cantare cœpit: Te Deum laudamus; & hymnum Angelorum alta voce. Deinde ad patibulum trahi voluit velut Chriſtus ad crucem. Sed flentibus mulieribus & parvulis circa ipſum non eſt permiſſus ex toto nudari.*

(*b*) *Ext. apud Par. hiſt. Angl. an.* 1249.

* primogenitum

XXI. Contumelioſiſſime a Sarracenis habitus.

*Porro Sarraceni ligaverunt ſacras manus & pedes, velaverunt oculos; caput vero juxta caudam animalis eſt poſitum, ut alvi profluvium, ſi erumperet, ſacram verticem inquinaret. Cæterum vero illud brutum animal licet ſtimularetur calcaribus, moveri non poterat, donec pſalmum & orationem incœptam athleta Domini terminaret, & ab ipſo gradiendi ulterius data foret licentia. Sicque per caſtrum S. Plamiani Sarraceni traxerunt eum ad furcas, ac ſi eſſet vir ignobilis & plebejus; ſeu omnium abjectorum peripſema, vel perfidus parricida, ſeu ſicarius, aut plagearius, ſeu nocturnus depopulator agrorum. Sane Chriſto Domino, & fratribus Minoribus hinc inde aſſiſtentibus, inter alia eſt confeſſus, quod ſenſualitas murmurans ſuadebat, ut martyrium, quod ipſe, dum eſſet liber, cupierat, refugeret ſi valeret: ſed ipſe tam hæc, quam quæque minima quæ occurrebant memoriæ, non ceſſabat publice confiteri, omnibus ſibi nocentibus offenſas ex corde dimittens, & quæ inferebant ſuſtinens patienter.*

XXII.

*Fuit autem ſuſpenſus in patibulo in prima dominica inſtantis quadrageſimæ pene hora eadem, qua Redemptor noſter crucem aſcendit. Poſitis vero cuſtodibus ac triduo pendens in furcis, Minores tandem furati ſunt corpus ejus: ſed illud carnifices de tumulo extrahentes, ac trahentes per lutum iterum ſuſpenderunt; non deponendum abſque novi Pilati licentia ſpeciali, ad majus Chriſtianitatis opprobrium, cleri contumeliam, perpetuam ignominiam*

Illius corpus poſt multum tempus graviorem odorem non ſpirat.





*miniam ſacerdotalis ordinis, & honoris confuſionem pontificalis. Sane martyris corpus prius pœnarum ludibrio tabefactum, nunc miraculis illuſtratur, ut teſtantur fratres religioſi, qui exinde advenerunt, firmiter aſſerentes, quod jam elapſo * decennio non fœtebat, &c.* Subiicit immania alia Friderici ſcelera; inter quæ hoc inſigne eſt illius impietatis argumentum, cum impune patrari permitteret: *Inſuper, ut furor Domini contra malignum amplius incandeſcat, nuper apud Harniam Sarraceni, multis cernentibus, ad caudam ſubjugalis traxerunt imaginem Crucifixi, & beatæ Mariæ, & aliorum ſanctorum: deinde, ſuccisis Crucifixi cruribus & brachiis, ipſum ſibi & alias imagines in clypeos adaptabant, ut in bello Chriſtiani eas appetere cogerentur jaculis & ſagittis.*

* decendio.

XXIII. Fridericus acceptam cladem literis imminuit. (*a*) *Apud Petr. de Vin. MS. bibl. Vall.*

Nemini itaque mirum videri debet, ſi tum maxime, cum victrix impietas exultaret, Fridericus repentino caſu perculſus fuerit. Meminit ille (*a*) acceptæ hujus in Parmenſi obſidione cladis: qui tamen non ſine rhetoricæ artis lenocinio illius magnitudinem imminuit, ut dejectos ſuorum animos erigeret. Ad quos magis confirmandos aliquos Entii filii, de profligatis Pado Mantuanis, felices ſucceſſus deſcribit: *Per triduum tam Cremonenſium, quam Papienſium, aliorumque noſtrorum fidelium robore concorditer adunato, ſtatim caſtra noſtra in obſidione Parmenſi ex altera parte duximus repetenda: ubi eorum poterviam multo arctius ſolito tenentes obſeſſam, in Dei noſtri virtute, & fortunæ felicis, quæ ſolet gratius arridere dum provocat, proprietate confidimus, quod cum noſtra per id noſtrorumque fidelium ardentius ſint accenſa præcordia, de rebellibus ipſis in proximo vota noſtra infallibiliter attingemus.* Sed hæc ad inanem jactantiæ pompam effuſa eventus docuit.

XXIV. Reportatam ab Entio de Mantuanis victoriam amplificat.

*Unum veruntamen notitiam tuam non lateat, quod ſic nos dimittere fortuna non voluit ſuæ felicitatis expertes, quin poſt eundem diem martis, quo ſe adverſitatis caſus immiſcuit, proximo ſequenti die dominico nos ex parte altera marte gratifico demulceret, &c.* Addit Entium Regem filium, qui Padi imperium tenebat, Mantuanos, qui in Parmenſium auxilium confluxerant, magna clade deleviſſe, centumque naves majoris, vel minoris alvei cepiſſe; ac trecentos ex hoſtibus, præter ferro cæſos vel hauſtos fluctibus, in vincula abduxiſſe. Sed de Friderico ſatis. Jam ad præcipuum illius adminiſtrum, ac ſcelerum participem Ezelinum e Romano ſermonem convertamus.

XXV.

Exeruit hoc eodem anno Innocentius adverſus illum cœnæ Dominicæ die cenſuras eccleſiaſticas, uti pontificiæ literæ (*b*) ad præſules Inſubriæ, marchiæ Tarviſinæ, ac Romaniolæ exaratæ docent. Conſtituerat antea in eum inquiſitores, cum hæreſeos infamia aſperſus eſſet: ad quam a ſe depellendam nuntios ad ſedem Apoſtolicam miſerat, qui ſacramento ſolemni in ipſius anima ſe obſtringerent, recte illum de fide catholica ſentire. Sed cum nec ab epiſcopo Sabinenſi, qui auditor nuntiis traditus fuerat, nec a Pontifice ea purgatio eſſet admiſſa, cum rei gravitas præſentem reum deſideraret, illi Innocentius diem kal. aug. ad purgandum ſe præfixit; cavitque illius ſecuritati. Quæ vero inde ſecuta declarat Innocentius.

(*b*) *Lib.* 5. *ep. cur.* 45.

Ezelinus hæreſeos gravi ſuſpicione infamis.

Vocatur in judicium a Pontifice.

XXVI.

*Et quoniam in termino, nec poſt terminum ſic venire, nec mittere procuravit, qui plurium eſt excommunicationum alias vinculis irretitus; & quod de fide catholica male ſentiat certa ratione ſuſpectus; eodem anathematis laqueo in die ſancto jovis proximo præterito duximus innodandum: & ei mandavimus, ac id ſibi voluimus nunciari, quod niſi uſque ad feſtum B. Joannis proximo venturum comparuerit coram nobis, ſuper præmiſſis Eccleſiæ mandatis, & beneplacitis pariturus, ex tunc contra eum gravius procedemus juxta canonicas, & legitimas ſanctiones. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædicta omnia & ſingula publicetis, & publicari faciatis per loca in quibus videritis expedire. Datum Lugdun.* XIV. *kalend. maii anno* V.

XXVII. Pontificia in evellendis Albigenſium reliquiis opera.

Ad evellendas etiam in Galliis infelices Albigenſis hæreſeos propagines Pontifex Agennenſem epiſcop. in Toloſanos hæreticos inquirere, atque animadvertere juſſit (*c*): qua in re morem ſe gerere ait Toloſano comiti, qui ut ſedi Apoſtolicæ ſignificarat, hæreticam nequitiam in ſua ditione funditus deleri, evellique radicitus exoptabat; ob quem pium zelum ſummis illum laudibus commendavit. Cumque Hieroſolymitanam profectionem adornaret, ad ſtimulandam ejus pietatem iuvandamque, Hugoni Minoritæ hoc munus impoſuit (*d*). *Mandamus quatenus redemptiones & legata prædicta, quamdiu in expeditione ejuſdem terræ fuerit, per te vel alios, quibus hoc committendum duxeris, eidem comiti, ſeu cui ipſe mandarit, aſſignes, & aſſignari procures juxta traditam tibi formam.*

(*c*) *Lib.* 5. *ep.* 819. 820.

(*d*) *Ib. ep.* 821.

XXVIII. S. Ludovicus maritimam expeditionem in orientem aggreditur.

Hoc anno, affecta jam hieme, ſanctum Regem in procinctu traiiciendi exercitus fuiſſe, apoſtolicæ literæ teſtantur: tum maximam ſpem atque expectationem referendæ alicujus inſignis victoriæ ac liberandæ Terræ ſanctæ concitaſſe. Ad incendendos enim nobiles ac populos, ut ſub tanto duce arma ſacra induerent, hæc graviſſime diſſeruit Pontifex (*e*): videri divinam providentiam, quæ poſt ſuſceptas innumeras expeditiones paſſa erat,

(*e*) *Ib. ep.* 612.

ut Terra ſancta e barbarorum jugo nondum erepta eſſet; cæſiſque pro ea cauſa tot Chriſtianis dumtaxat quoad animarum ſalutem apertum iter ad regna cœleſtia videretur, nunc rei perficiendæ gloriam D. Ludovico reſervaſſe.

Magnis laudibus ornatur ab Innoc.

*Ineffabilis ſapientia Dei Patris unigenitus ſuus Deus & homo dominus Jeſus Chriſtus rem ſuam agi conſpiciens, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Franciæ illuſtrem, virum utique, qui cordis & corporis munditia nitidus, & virtutum opulentia plenus nunc pollet operibus ac militia, & divitiis noſcitur abundare, ad liberationem terræ ipſius inter alios mundi principes præelegiſſe videtur, qui ſe inſigniens vivificæ ſigno crucis, & ad conſummationem aſſumpti laboris deſiderans feliciter & celeriter pervenire, ſic per Dei gratiam in apparatu regio, prout decet tantum principem, & tanto expedit negotio, ſe munivit, quod per ipſum, ut ſperatur, imponi poterit negotio ipſi finis*. Hæc ipſe, qui triumphos ex humana conjectura ſibi fingebat, ut enim initio partas clariſſimas victorias funeſtiſſimi rerum exitus confuderint, poſtea dicetur.

XXIX. Subdit Pontifex ſe Tuſculanum epiſcopum, ſuis manibus cruce inſignitum, legatum creaſſe, ut illud munus in Chriſtiano exercitu, atque oris tranſmarinis obiret: ſummaque ipſum auctoritate ad bene gerendam provinciam inſtruxiſſe. *Dat. Lug.* VII. *kal. mart. an.* V. Eodem argumento exaratas literas ad patriarcham Hieroſolymitanum, Armeniæ, Cyprique præſules miſit (*a*). Antequam vero legatus e Gallia diſcederet, vetuit (*b*) Pontifex, ne quemquam nuncupati voti religione abſolveret; Ebroicenſique ac Sylvanectenſi epiſcopis mandavit, ad traiiciendum cum Rege proximo menſe martii omnes, qui militiæ ſacræ nomen adſcripſiſſent, paratos eſſe juberent (*c*); eademque Friſiæ, Hollandiæ, ac Zelandiæ cruceſignatis imperia fecit (*d*); atque adeo tum præſules tum alios Galliarum principes viros objecto cenſurarum metu ad promiſſa implenda adigerent (*e*).

(*a*) *Ib. ep.* 917.
(*b*) *Ep.* 918.
(*c*) *Ep.* 920.
(*d*) *Ep.* 919.
(*e*) *Ep.* 927. 928.

XXX. Porro S. Ludovicum hoc anno iter Hieroſolymitanum ſuſcepiſſe conſtat, tum ex ejus vitæ actis (*f*), tum ex auctoribus graviſſimis Jonvillæo (*g*), Pariſio (*h*), Nangio (*i*), Sterone (*k*), Bernardo (*l*) aliiſque. Nos vero geſta tum ab iis tum ab anonymo auctore tradita in medium afferemus. Ac primum de ea expeditione dicturi, quæ licet funeſtum exitum ſortita videretur, fuiſſe tamen Deo auctore, cujus adoranda, non ſcrutanda ſunt conſilia, ſuſceptam, nonnulla prodigia illuſtrarunt, quæ memoratus auctor anonymus recenſet. *Anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octavo crux prædicabatur in diœceſis Colonienſis pago, quem vulgo Bedonfriſium vocant: ibi tum menſe majo feria ſexta ante pentecoſten tres cruces viſebantur in aere; una candida verſus aquilonem, altera ejuſdem coloris ad auſtrum, tertia colore medio, in qua cernebatur ſuſpenſi hominis effigies extenſis brachiis, & capite inclinato, atque in manus, & pedes ejus adacti clavi; eaque medium tenebat, inter alias locum, in quibus nulla cernebatur hominis figura.*

(*f*) *Vit. S. Lud. apud Sur. loc. cit. c.* 7.
(*g*) *Jonvil. hiſt. S. Lud. part.* 2.
(*h*) *Par. hiſt. Angl.*
(*i*) *Nang. in geſt. S. Lud.*
(*k*) *Apud Caniſ. antiq. lect. t.* 1. *p.* 269.
(*l*) *Bern. chr. Rom. Pont. & chro. Reg. Franc.*

Crucifixi in cœlo conſpecta effigies.

XXXI. Alia prodigia tunc temporis viſa.

*Alio tempore in Enchuſen Friſiæ oppido, cum illic prædicaretur crux, alia crucis forma juxta ſolem apparuit colore cæruleo, quam multi viderunt. In Trajectenſi quoque diœceſi in Doccum, ubi S. Bonifacius martyr trucidatus fuit, crux viſa eſt in ejuſdem martyris feſto die, ingens ſane, & albi coloris; perinde, ac ſi trabi altera trabs tranſverſim artificioſe impacta eſſet. Creduntur autem bis apparuiſſe cruces, ne quis ambigeret de prima apparitione.* Paucis vero interjectis verbis, de D. Ludovici profectione inſtituto ſermone, hæc addit: *Rex Ludovicus ſexta feria a pentecoſte iter tranſmarinum ſuſcepit, multis eum e Lutetia cum proceſſionibus uſque ad S. Antonium deducentibus. Fuerunt cum eo Odo Tuſculanus epiſcopus A. S. L. & duo fratres Regis, Robertus comes Atrebatenſis & Carolus Andegavenſis comes cum uxoribus ſuis, & multis Franciæ epiſcopis & nobilibus. Erat quidem etiam Alphonſus comes Pictavienſis Regis frater cruceſignatus; ſed eo anno cum Blancha Regina matre ob regni tuitionem manſit domi. Die quinta & vigeſima auguſti Rex cum ſuis in navim ingreſſus biduo ſuſtinuit ventos * ſecundos. Vigeſimo octavo auguſti die a portu ſolvens, Chriſto duce, proſpere navigans, paulo ante B. Matthæi ferias nocte ad Cyprum appulit.* Hæc auctor, quæ iiſdem pene verbis paulo ante laudatus Nangius, qui hoc ſæculo floruit, atque ex eo Bernardus (*m*) aliique, ut conſueverunt, decerpſere.

* adverſos.

(*m*) *Ber. chr. Reg. Franc. Vinc. ſpec. hiſt. l.* 31. *c.* 99. *&c. & alii.*

XXXII. Tradit porro Nangius Regem ſecundo Lugdunum, ut ſummum Pontificem viſeret, ſe contuliſſe; atque apoſtolica benedictione ab Innocentio fauſta omnia illi precante donatum, majori ſtudio ad cœpta perficienda inflammatum proſiliiſſe. Digniſſimum vero atque æterna celebrandum memoria egregium modeſtiæ exemplum Regis piiſſimi, quod narrat Nangius (*n*): illum ex eo tempore, quo tranſmarinæ expeditioni ſe devoverat, nunquam purpura aut pretioſis veſtibus indutum: quæ cum in pauperes erogari ſolerent, ne ea res ipſis fraudi eſſet, præcepiſſe ut quædam vis pecuniæ iis inſuper traderetur: tum in reliquo omni apparatu luxum regium caſtigaſſe.

Singularis S. Lud. in caſtigando veſtium luxu modeſtia.

(*n*) *Nang. in vit. S. Lud.*



Servabat nimirum ſumma religione Pontificum monita, qui toties cruceſignatis inania ornamenta abiicere, ut opes in armis optimis, vel egentium levandis incommodis collocarent, fuerant adhortati: *Ab illo tempore nunquam indutus eſt ſcarleto, vel panno viridi, ſeu bonneta, nec pellibus variis, ſed veſte nigri coloris, vel camelini, ſeu perſei: & quia veſtes hujuſmodi minoris valoris eſſe videbantur ad dandum pauperibus, quam aliæ pretioſiores, quibus uti ſolebat, prout Reges Franciæ conſueverunt, inſtituit quod ad recompenſationem hujuſmodi veſtium eleemoſynarius ſuus erogaret quandam ſummam pecuniæ æquipollentem pretio veſtium pretioſarum, ultra id quod erogare ſolebat. Nolebat enim pius Rex, quod propter humiliationem ſuam exteriorem aliquid pauperibus deperiret. Similiter ex tunc nunquam uti voluit calcaribus vel frænis niſi omnino albis & ferreis, abſque aliqua auratura; nec ſellis ad equitandum niſi albis, ſine omni pictura.*

XXXIII. In Cyprum ſecundis ventis appellit.

(*a*) *Nang. in ejus geſt.*

Cum ſecundis auris vela feciſſet S. Rex, e procerum conſilio ad inſulam Cyprum applicuit (*a*); ac propter varias cauſas, tum quod magna copiarum pars nondum appuliſſet, ac tormenta bellica ad expugnandum hoſtem deeſſent, ad feſtum Paſchæ profectionem in Sarracenos diſtulit. Nec fruſtra conſumptum tempus: concordia enim inter Regem Cypri atque inſulæ viros principes conciliata: qui omnes odia mutua & inimicitias poſuere. Legati quoque apoſtolici opera Græcos inter & Latinos Cyprios diſſenſiones compoſitæ, ac Græcus archiepiſcopus, qui ſe a Latini archiepiſcopi obſequio ad officium ſubduxerat, eſt reverſus; atque alii qui anathemate defixi fuerant, in Eccleſiæ gratiam reſtituti. Et ad gaudii publici cumulum Sarraceni plures, qui in vinculis tenebantur, poſt ardentiſſimas eorum preces, ſacris baptiſmalibus luſtrati: ſed hanc lætitiam plurium ducum, comitum, & aliorum nobilium, qui alieni cœli ſolique intemperiem ferre non poterant, crebra funera turbavere.

Diſcordias inter proceres & Regem conciliat. Græcos Cyprios ad Rom. Eccleſiæ obſequium adducit. Plures Sarracen. ad baptiſmi ſacra pellicit.

XXXIV. Henricus Rex Cypri ſe una cum proceribus cruce conſignat.

(*b*) *Nang. ubi ſup.*

Dum in Cypro S. Ludovicus ageret, ac bello ſacro neceſſaria compararet, Henricus illius inſulæ Rex Hieroſolymitanique regni dominus una cum proceribus, ut refert Nangius (*b*) crucem induit ac S. Ludovicum adverſus Sarracenos ſecuturum ſacramento ſe adſtrinxit. Cujus expeditionis fama totum orientem peragravit, utque Sarracenos terrore percuſſit, ita Chriſtianos magna ſpe atque expectatione erexit; nam ſoldanus Babyloniæ, ut ſcribit idem auctor, qui inimicitias cum Damaſceno exercebat, ac per Chriſtianorum terras in ejus ditionem irrumpere parabat, ea fama accepta conſilium revocavit, ſubmiſitque ſicarios, qui S. Regem ferro aut veneno necarent, quorum aliqui in meditato ſcelere comprehenſi.

Sultan. Babylon. vitæ S. Lud. inſidias parat.

Armeniæ vero Rex ſuos ad Francorum Regem oratores, in quibus Armenorum archiepiſcopus erat, miſit; omniaque illi ſtudia & officia humaniſſime detulit. Excepti ſunt ii honorificentiſſime a S. Ludovico, qui cum accepiſſet Armenum inter & principem Antiochenum diſcordias exortas, conciliatis ad biennium induciis, ne res Chriſtiana ex iis affligeretur, ſopivit.

Induciæ inter Regem Armen. & princ. Antioch. conciliatæ.

Nec Armenus & Antiochenus modo, ſed etiam Ercalthay magnarum apud Tartaros opum atque auctoritatis oratores ad S. Regem cum literis Perſico & Arabico idiomate miſit, quas ab Andrea religioſæ Prædicatorum familiæ viro ex iis, quos Pontifex ad Tartaros legarat, traductas (*c*) in Latinum ſermonem ad Reginam Blancham miſit: *Per potentiam Dei excelſi miſſi a Rege terræ Cham verba Ercalthay Regi magno provinciarum multarum; ſtrenuo propugnatori, orbis gladio, Chriſtianitatis victoriæ, ac religionis apoſtolicæ defenſori, legis evangelicæ filio, Regi Franciarum. Augeat Deus dominium ſuum, & conſervet ei regnum ſuum annis plurimis; & impleat voluntates ſuas in lege, & in mundo nunc & in futurum per veritatem divinæ * conductricis hominum; & hominum prophetarum & Apoſtolorum. Amen. Centum millia ſalutum & benedictionum. Ex hoc rogo, quod recipiat ſalutationes iſtas, ut ſint grandes apud ipſum. Faciat autem Deus ut videam hunc Regem magnificum, qui applicuit. Creator autem excelſus faciat occurſum noſtrum in charitate, & fieri faciat, ut congregemur in unum. Poſt hanc autem ſalutationem noverit, quod in hac epiſtola non eſt intentio noſtra niſi utilitas Chriſtianitatis, & corroboratio manus Regum Chriſtianorum Domino concedente. Et peto a Deo, ut det victoriam exercitibus Regum Chriſtianitatis, & triumphet eos de adverſariis ſuis contemnentibus crucem. Ex parte autem Regis ſublimis; ſublimet eum Deus videlicet de præſentia Kyocay: augeat Deus magnificentiam ſuam.*

Ercalthay Tartarorum princeps ad eum oratores mittit.

(*c*) *Ext. apud Vincent. Bellovac. l.* 31. *c.* 91. *& Nang. in geſt. S. Lud.*

Honorificentiſſimi tituli illi in literis attributi.

* victricis

XXXV. *Volumus enim poteſtate & mandato, ut omnes Chriſtiani ſint liberi a ſervitute, & tributo, & angaria, & pedagiis, & conſimilibus: & ſint in honore & reverentia, & nullus tangat poſſeſſiones eorum; & eccleſiæ deſtructæ reædificentur, & pulſentur tabulæ, & non audeat aliquis prohibere, ut orent corde quieto & libenti pro regno noſtro. Iſta autem hora adhuc venimus pro utilitate Chriſtianorum, & cuſtodia dante Deo excelſo. Miſimus autem hæc per fidelem noſtrum virum venerabilem Sabeldim Monffat David & per Marcum, ut annuncient iſtos bonos rumores, & quæ*

*& quæ ſunt circa nos, dicent ore ad os: filius autem recipiat verba eorum, credat eis & literis ſuis. Rex terræ augeatur magnificentia ſua. Ita præcepit, quod in lege Dei non ſit differentia inter Latinum, Græcum, Armenium, Neſtorinum, Jacobinum, & omnes, qui adorant crucem: omnes enim ſunt unum apud nos. Et ſic petimus, ut Rex magnificus non dividat inter ipſos; ſed ſit ejus pietas ſuper omnes Chriſtianos. Duret ejus pietas & clementia. Dat. in fine Mercharram, & erit bonum concedente Domino excelſo.*

XXXVI. Addunt Nangius & alii Othonem epiſcopum Tuſculanum Apoſt. S. L. tum Elcarthay literas [1] tum alias, quas magiſter equitum Armeniæ ad Chamum orator miſſus Henrico Regi Cypri ac Reginæ Emelinæ dederat, Romano Pontifici tranſmiſiſſe. Expoſuiſſe vero inter cætera

Significat Sarracenos oppugnaturum

Tartari principis oratores S. Ludovico magnum Chamum jam a tribus annis una cum procerum ingenti multitudine Chriſtiana ſacra amplexum, fideique propagandæ deſiderio Sarracenicam ſuperſtitionem delere in animum induxiſſe:

Tartari a Malaſſia epiſc. converſi.

*Dixerunt quod ille, qui nunc agit in ſceptris, Hyocay nomine matrem habuit Chriſtianam, Regis, qui Presbyter Joannes vocatur, filiam: ad cujus exhortationem, & cujuſdam epiſcopi ſanctiſſimi, qui Malaſſias vocatur, ſuſcepit ſacramentum baptiſmi, & cum eo* XVIII. *filii Regum & plures alii, maxime capitanei.* His diſſentit (a) Cantipratenſis, qui nulla ratione Chamum ad Chriſtianam religionem, quamquam illius mater pietate exculta eſſet, adduci potuiſſe a Prædicatoribus ſcribit.

(a) Canti. l. 2. c. 54. n. 14.

(b) *Multi adhuc inter illos ſunt, qui nondum fidei ſacramentum ſuſceperunt. Ercheltay vero, qui nuncios miſerat, Chriſtianus erat jam ex pluribus annis, & non erat de ſemine regio, ſed tamen magnus & potens. Agebat in finibus Perſidis a parte orientis. Requiſiti vero nuncii de Batho duce, cur ſic male recepiſſet domini Papæ nuncios, reſponderunt quia homo paganus erat & Sarracenos habebat conſiliarios: ſed jam poteſtatem tantam, ut prius non habebat, quia modo ſub Ercheltay poteſtate conſtitutus erat. Præterea requiſiti de ſoldano Moyſac, ſive Muſſulæ, quæ quondam Nivive dicta eſt, an Chriſtianus eſſet, dixerunt eum fuiſſe cujuſdam Chriſtianæ filium, & quod ex corde Chriſtianos diligeret, ac feſta illorum obſervaret, nec in aliquo legi Mahometi obediret, & credebatur, quod ſi tempus & opportunitatem haberet, libenter Chriſtianus fieret. Dicebant etiam quod ſummi Pontificis nomen apud Tartaros jam celebre eſſet, & quod Ercheltay domini ſui propoſitum erat, ut in æſtate proxima Caliphum impugnaret, & injuriam Domino Jeſu Chriſto illatam vindicaret.*

(b) Nang. in geſt. S. Lud. & apud Vinc. Bellov. l. 31. c. 93.

Non caruiſſe omnino eam legationem Tartarorum aliqua fraudis ſuſpicione ex iis colligitur, quæ nuncii apoſtolici anno ſuperiore ad Bayothnoi tranſmiſſi retulere: multis enim interrogationibus a Tartaris, ut occidentalium conſilia explorarent, atque ipſos circumſcriberent, ajunt fuiſſe laceſſitos (c): *In primis quæſtionibus ſuis caute, multumque ſolicite a fratribus inquirebant, utrum adhuc in Syriam Franci transfretarent: audierant enim a mercatoribus ſuis, ut dicebant, quod multi Francorum in Syriam in brevi tranſfretarent. Ex tunc autem & antea fortaſſis apud ſe cogitabant quales pedicas, deceptioneſque eorum pedibus involvendis in ipſo eorum introitu præpararent; ſive ſub ſimulatione fidei Chriſtianæ ſuſcipiendæ, ſive ſub qualibet alia mendacii doloſitate, ut ipſos a terrarum ſuarum introitu Turquiæ, ſeu Halapiæ coercerent, ſeque ſaltem ad tempus amicos Francorum velle fieri ſimularent; quos ſuper omnes homines, qui ſunt in mundo, ſicut atteſtantur Georgiani, & Armeni, formidant & timent.* XXXVII

(c) Simon apud Vinc. Bellov. l. 31. c. 41.

Cæterum S. Ludovicus adhibito prudentiſſimorum, ut refert Nangius, virorum conſilio, oratores tum ad Erchaltay tum ad Chamum decrevit: ad quorum incendendam pietatem ſanctiſſimæ crucis particulas tranſmiſit. Adjecit quoque pretioſum e purpura conopœum phrygio opere intertextum, in quo omnia, quæ Chriſtus dominus pertulerat, ſupplicia elegantiſſimo artis lenocinio expreſſa ac deſcripta erant, ut ex dominicæ paſſionis memoria Imperator Tartarus in divino amore conſtans perſtaret: addiditque ſuas literas Odo Cardinalis legatus Apoſtolicus ad Regem Cham, ejus matrem, atque Ercalthay exaratas, quibus ſignificabat magno ex eorum converſione Eccleſiam Romanam gaudio perfuſam eſſe, at-

XXXVIII. Pia ad Tartaros munera tranſmittit S. Lud.

Tum oratores alios ad Ercalthay alios ad Chamum. Odo Card A. S. L. literis ad fidei conſtantiam hortatur.

NOTÆ [1] LIteras, quas Nangius hic in annalibus laudatus ab Ottone Tuſculano miſſas ad Romanum pontificem ſcribit, publici juris fecit Dacherius Spicileg. tom. III. pag. 624. nov. edit. In illis vero narrat legatus diſſidium inter Cyprios & alios cruceſignatos exortum, quod rex ipſe authoritate ſua componere non valuit. Tum addit die ſabbati ante natale Domini nuncios regis Tartarorum Caſtrochernios urbem leucis ſex Nicoſia Cypri urbe diſtantem ingreſſo, craſtina die introductos ad regem principis ſui literas tradidiſſe, de quibus literis hic in annalibus. Porro Francorum regem Cypri inſulam tenuiſſe die 28. ſeptembris ſcribit Bernardus Theſaurarius, vulgatus ſub nomine continuatoris ad hiſtoriam Tyrii. MANSI



atque amantiſſime gremio excepturam, modo agnoſcerent matrem illam, atque magiſtram omnium eccleſiarum, Romanumque Pontificem, ut ſummum in terris Chriſti vicarium, cujus curæ omnes fideles crediidiſſet: tum præſules, qui apud Tartaros verſabantur, literis aliis eſt adhortatus, ne ſententiis diſcreparent invicem, aut ſchiſmata alerent, ſed in una eademque fide a quatuor primis conciliis promulgata conſtantes hærerent.

XXXIX. Addit Jonvillæus (a) S. Ludovicum calices, libros, ornamenta, aliamque ad divina celebranda myſteria ſacram ſupellectilem tranſmiſiſſe. Se vero ex ipſorum oratorum geſtarum in legatione ſua rerum ſeriem exponentium ore excepiſſe: ipſos ad Antiochiæ portum applicuiſſe, indeque arrepto itinere, quamvis ſingulis diebus decem leucas conficerent, integrum annum collocaſſe; pluribuſque in locis ingentes oſſium humanorum acervos deletarum a Tartaris gentium triſtes reliquias conſpexiſſe.

(a) Jonvil. ubi ſup.

Nonnulla de initiis Tartarorum memoria digna quæ ab ipſis oratores excepere.

Cum vero Tartarici imperii vaſtitatem mirarentur, a Tartaris tantæ potentiæ initia eſſe ſciſcitatos; ipſoſque ſubjeciſſe, olim ſub Regis Perſarum, partim ſub Presbyteri Joannis jugo diutius ingemuiſſe, atque a viro ſtrenuo ad depellendam ſervitutem ſolicitatos: qui cum perſuaſiſſet iis, ut Regem crearent, ſtatuiſſe ut quinquaginta duæ ſagittæ, tot enim erant Tartarorum tribus, ſigillo gentis & nomine conſignatæ afferrentur, atque ex ea tribu Regem renuntiatum iri cujus ſagittam puerulus fraudis expers extuliſſet.

Ut primum ipſorum Regem elegerint.

Segregatis itaque cæteris tribubus, ex regia quinquaginta duos præſtantiſſimos viros eligi juſſiſſe, ac imperaſſe puero, ut telum acciperet ſortemque in illius auctorem cecidiſſe: moxque illum ſacramento omnes in ſua verba adegiſſe. Inde conflato exercitu adverſus Presbyterum Joannem duxiſſe, ſuiſque præcepiſſe, ut ſi victoria potiri contigeret, nullus ad ſpolia cæſorum, ſed ad reliquos cædendos procurreret; tantaque ferocia hoſtem inſecutos, ut tribus diebus ac noctibus ferro ſævitum fuerit, Presbyterique Joannis Imperium ſibi ſubjecerint.

Ut Chriſtianam religionem divino monitu ſuſceperint.

Rem vero admiratione dignam poſt eam victoriam contigiſſe, Tartaricæ unius tribus principem aliquot diebus deſideratum fuiſſe: cumque die tertio ad ſuos eſſet reverſus, narraſſe altiſſimum montem conſcendiſſe, atque in illius faſtigio multitudinem hominum incredibili vultus elegantia, ac ſuperbo veſtium cultu adornatam ſuſpexiſſe: in medio vero atque editiore loco conſpicatum cœleſtem Regem formæ præſtantia veſtiumque nitore cæteros omnes ſuperantem, ac ſolio ex auro puriſſimo ad miraculum radianti inſidentem, qui ipſi Chriſtiana ſacra amplecti imperaſſet. Cujus cœleſtis viſi meminit etiam Cantipratenſis, (b) atque oratores a S. Ludovico miſſos cum eo familiariter verſatos refert quanquam in nonnullis circumſtantiis a Jonvillæo diſcrepet.

(b) Canti. l. 2. c. 54. nu. 14.

XL. *Viderunt*, inquit, *ibidem in exercitu*, de religioſis Prædicatoribus ad Chamum miſſis loquitur, *virum nobilem, Regis ſcilicet conſobrinum, de quo talia ferebantur. Cum idem nobilis adhuc gentilis febri acutiſſima laboraret, materia ad cerebrum aſcendente in furiam raptus dormientibus omnibus, qui circa illum erant aufugit nudus & tribus diebus ac noctibus per eremum vaſtiſſimam oberravit. Tertia ergo nocte digeſta materia creticavit & ad ſe rediit compos mentis, qui in tenebris horrens ſolitudinem quid faceret, vel quo ſe verteret neſciebat. Et ecce poſt inſtans modicum diſcuſſis tenebris vidit in montis cacumine ingens lumen. Reptans ergo manibus & pedibus aſcendit in montem & ecce ſuper omnem ſolis fulgorem Regem admirabilem vidit in throno aureo reſidentem, & ad ejus dexteram Reginam incomparabili decore fulgentem: videt mixtim ſeniores & juvenes in thronis aureis aſſidentes miniſtroſque ex omni parte vultibus ſydereis rutilantes. Hæc ut vidit gentilis, ſupra id quod credi poteſt obſtupuit. Nec mora unus miniſtrorum a Rege miſſus eum veſtibus nudum induit & ad Regem duxit. Cui Rex: Nihil ait in rebus humanis ſimile quid vidiſti? & ille: Nihil, inquit, Domine; & Rex ad eum: Ego ſum (inquit) Chriſtianorum Deus, Rex & Dominus ſempiternus. Tu autem redibis ad populum tuum & perquirens invenies in gente Ungarica, quæ immixta eſt genti tuæ duos presbyteros Chriſtianos talis habitus, & talis formæ, a quibus erudieris ad normam fidei Chriſtianæ. Hæc ut audivit gentilis, renuit beatorum ſocietate fruſtrari. Et mox ad eum Rex: Impoſſibile eſt (inquit) talem te remanere nobiſcum: ſed ſi Chriſtianorum fidem ſuſceperis, ut præcepi, ſocietate iſta jucundiſſima perfrueris. Hoc dicto miles ſedens in equo albo ſuſcepit illum & in exercitum Tartarorum populo mirante reduxit, fuitque apud illum diebus tribus, & poſt repente diſparuit. Nobilis autem ut juſſus erat, presbyteros quæſivit & invenit: & eruditus ad fidem cum multis millibus Tartarorum ſacrum baptiſma ſuſcepit & poſtmodum Chriſtiane ac ſancte vixit. Veſtes autem quas, ut diximus, nudus acceperat, præcipui coloris erant, atque mollitiei, opus vero earum nec plumarium, ideſt, ex acu factum adverti poterat, nec textrinum, ſed ſuper omne artificium hominis divina virtute contextum. Dictum igitur virum fratres miſſi a Rege Franciæ ſæpe viderunt, & poſtea reverſi in Galliam fratribus rem geſtam,*

*ſtam, ut narravimus, retulerunt : & poſt, ut ab uno fratre percepi, mox memoriæ & literis commendavi.* Variat Jonvillæus a Cantipratenſi, dum ait ſacerdotes Chriſtianos non Ungaros, ſed e Presbyteri Joannis ditione extitiſſe, Chriſtumque imperaſſe addit, ut Chriſtiani, qui in vinculis erant, in libertatem vindicarentur: atque ad rem confirmandam adjunxiſſe, Perſas a trecentis Tartaris Chriſtianis ſacris imbutis profligatum iri. Divino itaque imperio ad Tartarorum caſtra reductum, ab Rege barbaro Chriſtianos ſacerdotes, ac religioſos expetiiſſe, perhumaniterque recepiſſe, atque una cum ſuis baptiſmalibus ſacris initiatum; & trecentos e neophytis lectiſſimos rite ſacramentis munitos arma adverſus Perſas corripere juſſiſſe, infidelemque principem Imperio ſuo depuliſſe. Cæterum Chriſtianam religionem in illius principis tribu adeo propagatam Jonvillæus addit, ut ex oratorum a S. Ludovico tranſmiſſorum ore acceperit, ipſos in illius principis caſtris pluſquam octingenta oratoria in curribus magnifice adornata conſpexiſſe; cujus hiſtoriæ fides ſit penes auctorem.

XLI. Cum plura de Tartaris orientalibus diximus, nonnulla de ſeptentrionalibus nobis ſunt delibanda. Imbuti erant ii gentilium ſuperſtitione, ac barbarie immaniſſimi, qui in Ruſſiam ac Pannoniam ſe infuderant. Ad quorum retundendos impetus Pontifex Hoſpitalarios equites, qui in Ungaria verſabantur, propoſitis indulgentiarum præmiis, ad corripienda adverſus Tartaros arma accendere conatus eſt: (*a*) tum Alexandrum Suſdalienſem ducem in Ruſſia ad Romanæ Eccleſiæ partes traducere, (*b*) quem ad egregia a Jeroſlao parente relicta ſibi exempla conſectanda provocavit; rogavitque ut cum Tartarica immineret irruptio, crucigeros Livoniæ periculi admoneret.

(*a*) *Inn. l. 5. ep. 952.*

Alexandrum Suſdalienſem ducem Ruſſiæ ad Eccleſiæ obſequium Pont. incitat.

(*b*) *Lib. 5. ep. cur. 42.*

*Nobili viro Alexandro duci Suſdalienſi.*

*Pater futuri ſæculi, princeps pacis, ſeminator caſti conſilii, redemptor noſter dominus Jeſus Chriſtus menti claræ memoriæ Jeroſlai progenitoris tui rorem ſuæ benedictionis infudit: ac idem inæſtimabilem ſuæ notitiæ gratiam admirabili largitate concedens, viam ſibi præparavit in eremo, per quam ipſe fuit ad ovile reductus dominicum, velut ovis quæ longo tempore oberraverat per deſertum. Quia ſicut dilecto filio fr. Joanne de Plano Carpino de ordine fratrum Minorum pœnitentiario noſtro, ad gentem Tartaricam deſtinato, referente didicimus, idem pater tuus novum hominem affectans induere, de conſcientia cujuſdam militis conſiliarii ſui obedientiæ Romanæ Eccleſiæ matris ſuæ in ejuſdem fratris manibus devote, ac humiliter ſe devovit, quod quidem confeſtim claruiſſet hominibus, niſi tam ſubito quam infeliciter mortis eventus eum de medio ſubduxiſſet (De Jeroſlao duce magno Ruſſiæ refertur apud Vincentium Bellovacenſem (c) exceptum convivio a matre Imperatoris Tartarorum, ubi e menſa conſurrexiſſet, morbo correptum, ac die ſeptimo extinctum, ejuſque corpus glauco colore ſuffuſum apparuiſſe: quæ res vehementi veneni ſuſpicioni locum dedit, Tartaros id ſcelus molitos, ut ipſius principatu libere potirentur). Unde cum ipſe præſentis ſæculi curſum tam felici termino conſummarit, pie credendum eſt, & omni ambiguitate ſemota tenendum, quod juſtorum aggregatus conſortio in æterna beatitudine requieſcat, ubi lux fulget, quam non capit locus; redolet odor, quem non ſpargit flatus; & charitatis viget amplexus, quem ſatietas non divellit.*

Jeroſlaus illius parens in Eccleſiæ obſequio defunctus.

(*c*) *Spec. hiſt. l. 31. c. 36.*

Ut a Tartaris veneno ſublatus fuerit.

XLII. *Cupientes itaque te una cum ipſo tantæ beatitudinis participem fieri, qui in paterna hereditate ſuus heres legitimus extitiſti, ad inſtar illius evangelicæ mulieris, quæ lucernam accendit, ut dragmam perditam inveniret, viam exquirimus, apponimus ſtudium, & diligentiam adhibemus, ut ad hoc te prudenter poſſimus inducere, quod tui patris veſtigia ſalubriter imiteris cunctis temporibus imitandi; ita quod ſicut corde ſincero, & mente non ficta ſe ad ſuſcipienda mandata, & documenta Rom. Eccleſiæ dedicavit, ſic tu relicto perditionis invio, quod ad æternæ mortis damnationem perducit, unitatem ejuſdem Eccleſiæ per obedientiam amplexeris, quæ per directionis ſemitam ſuos cultores proculdubio dirigit ad ſalutem. Nec eſt in hoc noſtra certe a te repudianda petitio, quæ noſtrum adimplens officium tuis eſt commodis profutura: quia cum a te ſolummodo poſtulemus, ut Deum timeas, & ex tota ipſum mente diligens ipſius mandata conſerves, profecto ſani ſpiritum non videreris habere conſilii, ſi tuam in hoc nobis immo Deo, cujus vices licet immeriti obtinemus in terris, negares obedientiam impertiri. In hac autem obedientia nullius quantumcumque potentis honor minuitur, ſed ex hoc omnis poteſtas & libertas temporalis augetur: quia illi digne populorum præſunt regimini, qui ſicut ipſi alios præcellere cupiunt, ſic divinæ ſtudent excellentiæ famulari.*

Hortatur ad imitanda patris exempla.

XLIII. *Hinc eſt quod nobilitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente quatenus Romanam Eccleſiam matrem recognoſcere, & ipſius Pontifici obedire, ac ad Apoſtolicæ ſedis obedientiam ſubditos tuos efficaciter ſtudeas invitare; ita quod ex hoc in æterna beatitudine fructum conſequi valeas, qui non perit. Sciturus quod ſi in hoc noſtris, immo Dei potius, beneplacitis te coaptes, te inter cæteros catholicos principes reputabimus ſpecialem,*

*& ad*



*& ad tui incrementum honoris ſemper diligenti ſtudio intendemus. Cæterum quia pericula poſſunt facilius evitari, ſi contra ipſa per providentiæ clypeum muniamur, pro ſpeciali munere petimus, ut quam cito tibi conſtiterit, quod Tartarorum exercitus verſus Chriſtianos dirigat greſſus ſuos, id quantocyus fratribus de domo Theutonica in Livonia commorantibus intimare procures, ut cum iſtud per eoſdem fratres ad notitiam noſtram pervenerit, qualiter ipſis Tartaris viriliter cum Dei adjutorio reſiſtamus, maturius cogitare poſſimus. Super eo autem, quod collum tuum noluiſti ſubdere jugo Tartaricæ feritatis, prudentiam tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Datum Lugdun. x. kalend. februar. ann. v.* Hæc erant ſoliciti paſtoris ſtudia, ut imminentia pericula a commiſſo ſibi dominico grege propulſaret. Hactenus de Ruſſis, ac Tartaris partim Chriſtianis, partim infidelibus: nunc quid in Hiſpaniæ Sarracenos geſtum proſequamur.

Crucigeros Livoniæ de imminentibus Tartaris faciat certiores.

XLIV. Adjuncta eſt Chriſtiano imperio, ut traditur in veteri chronico (*a*), Hiſpalis Ferdinandi Regis Caſtellæ virtute, quem tradit Mariana ſexdecim in obſidione menſes conſumpſiſſe; iiſque conditionibus in deditionem accepiſſe, ut Rex Maurus civeſque, aſportata omni ſupellectile quo vellent, incolumes abirent; Luciferi, fano, Aznalfarachio, ac Niebla oppidis retentis, reliquæ arces & oppida Hiſpali contributa victoribus traderentur. Igitur centum Maurorum millibus promiſcui ſexus atque ætatis urbe egreſſis; quorum pars in Africam trajecit, pars per alia Hiſpaniæ loca & urbes diſſipata eſt; Rex ſolemni ſupplicatione & apparatu Hiſpalim ingreſſus in templo maximo, quod ritu Chriſtiano expiatum eſt, ſacris interfuit. Quæ celebritas a Gutterio Toletano archiepiſcopo, qui in Joannis menſe julio defuncti locum ſuffectus erat, peracta eſt. Raymundus vero Loſana Hiſpalenſi urbi archiepiſcopus impoſitus eſt.

Hiſpalis a Rege Ferdinando Caſtell. expugnata.

(*a*) *Anon. auct. ex vet. MS. Marian. de rebus Hiſp. l. 13. cap. 7.*

XLV. Quod ad Joannem Toletanum archiepiſcopum attinet, cujus una cum Mariana modo meminimus; dum ſuo paſtore viduata ea eccleſia lugeret, cum ii ad quos pertinebat electio E.. SS. Coſmæ & Damiani diaconum Cardinalem communibus ſuffragiis elegiſſent, idque per oratores ardentiſſimis precibus a ſede Apoſtolica confirmari flagitaſſent, Innocentius ex Cardinalium ſenatus conſilio eorum vota repulit, Joannemque præficiendum cenſuit (*b*) qua de re ad Toletanum clerum IX. kal. mart. exaratæ literæ: quamquam paucis poſt menſibus e vivis diſceſſit. Silere porro non poſſumus D. Ludovicum iſtius archiepiſcopi precibus adductum Toletanæ eccleſiæ religionem ac venerationem, miſſis pretioſiſſimis reliquiis, quas e ſacro Conſtantinopolitano theſauro acceperat, auxiſſe; cujus literas ex autographo excriptas Mariana affert (*c*).

(*b*) *Inn. l. 5. ep. 605.*

(*c*) *Maria. de rebus Hiſp. l. 13. c. 8.*

*Ludovicus Dei gratia Francorum Rex dilectis viris in Chriſto canonicis & univerſo clero eccleſiæ Toletanæ ſalutem & dilectionem.*

XLVI. *Eccleſiam veſtram volentes xenio præclari muneris inſignire, per dilectum noſtrum Joannem venerabilem archiepiſcopum Toletanum, & ad preces ipſius de venerandis & eximiis ſanctuariis noſtris, quæ de theſauro Imperii Conſtantinopolitani ſuſcepi, pretioſas vobis particulas deſtinamus. Videlicet de ligno crucis Domini; unam de ſpinis ſacroſanctæ ſpineæ coronæ ejuſdem Domini; de lacte glorioſæ Virginis Mariæ; de tunica Domini purpurea, qua indutus fuit; de linteo, quo præcinxit ſe Dominus, quando lavit & exterſit pedes diſcipulorum ſuorum; de ſindone qua corpus ipſius ſepultum jacuit in ſepulcro; de pannis infantiæ Salvatoris. Veſtram itaque dilectionem rogamus & requirimus in Domino, ut prædictas ſacras reliquias in eccleſia veſtra cum debito recipiatis & cuſtodiatis honore; necnon in miſſis, & orationibus veſtris benignam noſtri memoriam habeatis. Act. apud Eſtampas anno Domini MCCXLVIII. menſe majo.* Hactenus S. Regis literæ. Qui pietatem, qua flagrabat, non in Gallos modo, ſed in Hiſpanos etiam transfundere ac propagare cupiebat. Sed ad Regem Caſtellæ redeamus.

Reliquiæ a S. Lud. Toletanæ Eccl. tranſmiſſæ.

XLVII. Cum Ferdinandus & Alfonſus religionis Chriſtianæ limites latius proferrent, ipſos adhortatus eſt (*d*) Innocentius, ut regia magnificentia epiſcopales ſedes in iis terris, quas Sarracenis eripuerant, locupletarent; cum maxime eccleſiaſtici ſuas opes in militum ſtipendia liberaliter contuliſſent.

Ferdin. Alfonſuſque ſolicitati ad locupletandas eccleſias Sarracenis ereptas.

(*d*) *Lib. 5. ep. 722.*

*Illuſtri Regi Caſtellæ & Legionis, & nobili viro Alphonſo primogenito ſuo.*

*Virtutum Dominus diſcretionis tantæ gratiam utrique veſtrum contuliſſe dignoſcitur, ut libere devotis mentibus agnoſcatis, quod ſuæ majeſtatis oculis pro eo placiti ſemper debeatis exiſtere; quia ipſe multa, & grandia veſtro dominio cum interventu famoſi nominis noſcitur ſubjugaſſe. Propter hoc itaque ſecura fiducia magnitudinem veſtram affectione, qua poſſumus, rogandam duximus & monendam, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus, ſedes epiſcopales terrarum illarum, quas virtus Altiſſimi principaliter per veſtra, & aliorum fidelium victorioſa ſubſidia de manibus paganorum eripuit, & ad lucem religionis Chriſtianæ deduxit, de multiplici bonorum veſtrorum affluentia pro divini honore nominis dota-*

*re magnifice ſtudeatis: ita quod præſentibus & poſteris nomen veſtrum ſemper effulgeat, & Deo propitio vobis augmentum gloriæ triumphalis accedat; ſuccedentibus poſtmodum illis felicibus præmiis, quæ recompenſat Regis æterni benignitas pro fructuoſæ operibus pietatis. Dat. Lugd.* III. *kal. apr. an.* V.

XLVIII. Suſtinebat tum in Hiſpaniis legati apoſtolici dignitatem Deſiderius vir religioſus, Pontificis pœnitentiarius: cui præcepit (*a*) Innocentius, ut nonnullorum defunctorum corpora, qui ſub Alphonſo Caſtellæ Regis majore natu filio Luſitaniam hoſtili furore ingreſſi erant; eaque de cauſa a quibuſdam epiſcopis anathemate defixi fuerant; eccleſiaſticæ ſepulturæ, præmiſſa ex ſacro ritu abſolutione, tradi juberet; ſi tamen jure damnatos, atque pœnitentiæ ſigna præ ſe tuliſſe comperiſſet. Alphonſum vero, in quem Luſitani præſules fulminarant, nullis cenſuris irretitum pronuntiavit, cum jam ante nullas in eum cenſuras ob rem Luſitanicam, de qua nos ſupra, ferri vetuiſſet. Digniſſimus quippe erat apoſtolico patrocinio Alphonſus, cum ob amplificatum religionis Chriſtianæ cultum una cum parente de Eccleſia optime meritus eſſet. De Hiſpanicis rebus hæc ſufficerint, ad Polonicas digrediamur.

(*a*) *Lib.* 5. *ep.* 515.

Cenſuræ in Alfonſum Regis Caſtellæ filium latæ a Luſitanis præſulibus diſſolutæ.

XLIX. In Polonia Jacobus Leodienſis archidiac. de quo ſupra mentio a nobis facta, Apoſt. ſedis nuncius ſynodum apud Wratiſlaviam, ut refert Longinus (*b*) indixit: in qua, congregatis patribus, Romanæ Eccleſiæ urgentiſſimas neceſſitates ob Friderici flagrantem tyrannidem in omnium oculis defixit, atque Innocentii nomine omnium eccleſiaſticorum reddituum tertiam partem ad triennium poſtulavit: ſed cum ea res gravior & intoleranda viſa eſſet, quintam partem illi concedendam patres decreverunt; atque ad ineundam a Pontifice gratiam, certo & conſtituto die omnem illam pecuniarum vim tribus annis colligendam in unum redegere, & Innocentio Gotfridi pœnitentiarii apoſtolici opera tranſmiſere: pro quo epiſcopis & clero Poloniæ publicæ a Pontifice gratiæ actæ; atque etiam ritus obſervandæ quadrageſimæ more orientalis eccleſiæ a ſeptuageſima inchoandæ, ab ipſis Polonicæ eccleſiæ incunabulis ſuſceptus, cum non leves controverſias pareret, penitus ſublatus. Populi enim negabant more occidentalium ea religione teneri: contra epiſcopi cenſuras in eos diſtringebant; quare Jacobus auctoritate apoſtolica in conventu illo ea difficultate hinc inde ventilata, Polonis eſum carnium ad diem cinerum permiſit.

(*b*) *Long. hiſt. Pol. l.* 7. *hoc an. Crom. l.* 8.

Poloni liberaliter Pontifici ſubveniunt.

Sublata a legato conſuetudo vetus qua a ſeptuageſima carnium abſtinentia indicta erat.

L. Præterire hic ſilentio non poſſumus, Innocentium quoſdam viros religioſos in Angliam, Hiberniam, & Scotiam miſiſſe, qui ſubſidia quædam in ea Eccleſiæ perſecutione flagitarent. Cum vero Willelmus Minorita, ab alio ejus ſodalitii viro in Scotia colligendi hujuſmodi ſubſidii provinciam ſuſcepiſſet, ab Alexandro Rege humaniſſime habitus magna pecuniarum ſubſidia contraxit: quæ res ne Scotorum fraudi verteretur, aut privilegia ipſorum infringeret, renovandum cenſuit (*c*) Innocentius Scotos nulli legato ad parendum teneri, qui ab Apoſtolica ſede miſſus non fuiſſet: *Humiliter ſupplicaſti, ut cum claræ memoriæ Vv. Regi Scotiæ patri tuo, & dicto regno fuerit ab Apoſtolica ſede indultum, ut nullus in ipſo regno poſſit legationis officium exercere, niſi de latere Rom. Pont. illuc ſpecialiter & per ſpeciales literas deſtinetur; providere ſuper hoc tibi & ipſi regno paterna diligentia curaremus; nos celſitudini regiæ gratiarum actiones multimodas exolventes, ac nolentes quod ex hujuſmodi prædicti fratris Vv. admiſſione aliquod ſentias detrimentum, tuis ſupplicationibus inclinati, ut per admiſſionem eandem nullum ſuper indultis tibi & regno ipſi a ſede præfata præjudicium generetur, auctoritate præſentium indulgemus. Dat. Lug.* II. *id. mart. anno* V.

Collecta in Scotia ſubſidia.

(*c*) *Lib.* 5. *ep.* 696.

LI. Præterea petenti eidem Regi ut quadrageſimæ tempore ſervandi jejunii religione abſolveretur, cum piſcium eſu morbum contrahere ſoleret, permiſit (*d*) Innocentius, modo id ex medici & ſacerdotis, qui ipſi a confeſſionibus erat, conſilio fieret: *Cum, ſicut ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, eſus piſcium & præſertim continuus tibi odioſus & nocivus exiſtat, quod omni fere quadrageſimali tempore infirmaris, nos tuis devotis precibus inclinati, quod ovis, butyro, caſeo, lacte, ac carnibus de confeſſoris tui & medicorum conſilio, cum neceſſitas propter corporalem infirmitatem exegerit, uti prædicto tempore valeas, auctoritate tibi præſentium indulgemus, &c. Dat. Lug.* II. *id. mart. anno* V.

(*d*) *Ib. ep.* 704.

Conceſſus Regi Scotiæ in quadrageſima certis legibus carnium eſus.

LII. His conjungendæ videntur aliæ prærogativæ, quas Innocentius hoc anno impertiit. Confirmavit in primis ſacræ Carmelitarum familiæ inſtitutam excolendæ vitæ religioſæ rationem, ut Nicolaus (*e*) IV. teſtatur. Placentiæ academiam erexit, omnibuſque prærogativis, quibus Pariſienſis gauderet ornavit (*f*). Januenſis archiepiſcopi auctoritatem in nonnulla Terdonenſis diœceſis oppida amplificavit (*g*). Quibus addimus Scemenſi epiſcopo permiſiſſe ut in divinis officiis libris Sclavonico charactere exaratis uteretur (*h*).

(*e*) *Nic. IV. l.* 2. *ep.* 186. *Paleanyd. l.* 3. *antiq. Carmelit.*
(*f*) *Inn. l.* 5. *ep.* 565.
(*g*) *Ib. ep.* 51.
(*h*) *Lib.* 5. *ep.* 753.

*Porrecta nobis tua petitio continebat, quod in Sclavonia eſt litera ſpecialis, quam illius terræ clerici ſe habere a B. Hieronymo aſſerentes, eam obſervant in divinis officiis celebrandis. Unde ut illis efficiaris conformis, & terræ conſuetudinem, in qua exiſtis epiſcopus, imiteris, celebrandi divina ſecundum dictam literam a nobis ſuppliciter licentiam poſtulaſti. Nos igitur attendentes quod ſermo rei, & non res eſt ſermoni ſubjecta, licentiam tibi in illis duntaxat partibus, ubi de conſuetudine obſervantur præmiſſa; dummodo ſententia ex ipſius varietate literæ non lædatur; auctoritate præſentium concedimus poſtulatam. Datum Lugdun.* IV. *kal. april. anno* V.





LIII. Concludemus hunc annum inſigni prodigio quod refert ſub hoc tempus Thomas Cantipratenſis (*a*) in ſolemni Pontificum conventu habito accidiſſe: *Clericus quidam in ſynodo* [1] *epiſcoporum prædicare compulſus anguſtiabatur non modicum, quidnam digne poſſet coram tot prælatis Eccleſiæ prædicare. At ubi acceſſurus in oratione jaceret, venit ad eum diabolus, & dixit ei: Quid anguſtiaris iſtis clericis prædicare? dicas eis iſtud & non aliud: Principes infernalium tenebrarum principes Eccleſiæ ſalutant: læti omnes nos gratias eiſdem referimus, quia cum ipſi & eorum nobis afferuntur ſubditi; & per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus pariter fere mundus. Invitus quidem tibi dico quod dico: ſed Altiſſimi juſſione coactus. Reſpondit clericus: Mihi quidem ſi hæc eis retulero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam ejus: Ecce, ait, ſignum; nigredo inſolita faciei. Hanc, antequam prædices, non contingas, quia fruſtra: poſt prædicationem vero aqua benedicta delebis. Proceſſit ergo clericus in ſynodo prædicaturus: & admirantibus cunctis in ſigno indito faciei, tantum illa, quæ ſibi juſſa ſunt recitavit; & ad horrorem maximum cunctorum corda permovit. Hæc anno ab incarnatione Domini MCCXLVIII. fuerunt Pariſiis coram omni clero & populo ſolemniter recitata.* Hujus narrationis fides penes auctorem ſit.

(*a*) *Canti. l.* 1. *c.* 20. *n.* 8.

Inſigni prodigio negligentia prælatorum caſtigata.



NOTÆ [1] THomas Cantipratenſis in annalibus hic ſynodi cujuſdam meminit; re ipſa vero ſynodus hoc anno habita fuit Pariſiis, cui Gilo Senonenſis archiepiſcopus præfuit. Vulgavit illam e MS. codice Trecenſi P. Martene in collectione monument. to. VII. col. 139. deditque ex ea canones XXIII. ad diſciplinæ monaſticæ correctionem fere omnes pertinentes. Ex quo ſi conjecturam capere licet, non inepte deduceremus, ea omnia, quæ de negligentia prælatorum ex Diaboli verbis clericus in eadem ſynodo verba faciens expoſuit (qua de re annales conſule) fabellam ſubolere, nam in eo concilio de negligentia prælatorum, ſeu epiſcoporum emendanda vix quidquam tangitur. Concilium hoc in collectionibus nondum legitur. MANSI

I.

Chriſtiani in Cypro ad invadendos Sarracenos ſe comparant.

FElicibus initiis res Chriſtiana effloruit in Ægypto anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono indictione ſeptima: quæ poſtea inſequenti anno triſtes exitus labefactarunt. Gerebatur ſacrum bellum a S. Ludovico, nec modo Gallicæ nobilitatis delibatum florem, verum Angliæ ſub duce Willelmo e longa Spatha, Græciæ ſub Achajæ principe & Cypri ſub Henrico Rege lectiſſimas copias trahebat. Quis non ſperaret ſub duce ſanctiſſimo impietatem Sarracenicam proſtratum iri, atque Eccleſiam de Mahumetica ſuperſtitione glorioſiſſime triumphaturam? Et ſane dum Chriſtiani integri animis conjunctique extitere, conceptoque illo primo pietatis ſenſu delibuti, in Sarracenos concurrere, non modo barbari illorum impetus, ſed ne præſentiam quidem, pugnante pro ſuis numine, ſuſtinere potuerunt. Quæ quomodo acciderint, oratione delibanda ſunt.

II.

(a) Nang. de geſt. Lud. Reg. hoc ann.

In Ægyptum ſigna convertunt.

Scribit Nangius (a) ſabbatho ab aſcenſione Domini proximo in Chriſtiano exercitu, qui jam mare conſcenderat, promulgatum, Peluſium in Nili faucibus ſitum bello petitum iri, ut Ægyptus ex qua Sarraceni in Terram ſanctam acies educere, atque effundere conſueverant, opprimeretur; cum aliquandiu reflaſſent venti & claſſem vi procellæ diſperſam Nimocii collegiſſent, feſto ſanctiſſimæ Trinitatis die, cum ſecundæ auræ increbreſcerent, vela explicuiſſe, atque ſequenti ſexta feria Ægyptum, ac paulo poſt Damiatam ſive Peluſium conſpexiſſe.

Peluſium oppugnatur.

Non defuerat Sarracenis animus vel militare conſilium: Nili enim oſtia triremibus ac navibus egregie inſtructis ſepſerant: tum littus equitatu ac magnis copiis ad propulſandos Chriſtianos, ne excenſionem in terram facerent, cinxerant. Quare Rex vocatis in conſilium proceribus impetum in hoſtem imprimere in ſequentem diem diſtulit, quo eductis ex navibus cymbis in terram deſilire ſummo mane appararunt. *Rex cum legato Pontificis*, inquit vitæ auctor (b) cui Nangius conſentanea ſcribit, (c) *ſacroſanctam geſtans crucem nudam & apertam in cymba vehebatur, juxta eum præcedente in alia cymba B.Dionyſii vexillo; fratribus quoque illius & aliis nobilibus & ſagittariis comitantibus*. [1]

(b) Apud Sur. t. 4. 25. aug. c. 11.

(c) Nang. ubi ſup.

III.

Ut excenſio in terram facta fuerit.

(d) Jonvil. in hiſt. S. Lud. 2. par. Jord. MS. Vat. bibl. ſign. n. 1960. hoc ann.

Cumque ob nimiam maris planitiem cymbæ ad ſiccum pertingere non poſſent, deſiliit (d) in aquas cum armis Rex, ejus exemplo magno ardore toto exercitu pariter exiliente; quamvis Sarraceni continuo telorum effuſo nimbo eos arcere littore conarentur. Mox Chriſtiani in barbaros procurrere, ac pugnante cum iis divino numine pauci ex ipſis ſauciati, magna vero infidelium ſtrages edita; inter quos nonnulli etiam ipſorum præcipui duces ceciderunt.

Infideles magna ſtrage propulſati.

Barbarorum claſſis repulſa.

(e) Jonvil. in hiſt. S. Lud. par. 2.

Eodem die qui in claſſe remanſerant, non minus ſtrenue ſe geſſere: barbarorum enim, qui fluminis oſtia obſederant, triremes repulerunt. Refert Jonvillæus (e) eo ipſo tempore, quo exſcenſio in terram facta eſt, arreptitium hominem ad templum, cui beatæ Mariæ Tortóſanæ nomen inditum; in quo ara prima ut fertur, Virgini dicata maximis ad eam patratis miraculis celebratiſſima eſt; adductum, dum alii in preces effuſi a B. Virgine contendebant, ut dæmonem e corpore illius depelleret, ſubito exclamaſſe: Non hic Virgo præſens eſt: in Ægyptum ſe contulit, ut Gallorum Regi, & Chriſtianis, qui hodie in terram exſcendunt adverſus gentiles, qui ſtant in equis ad prælium armis inſtructi, auxilium ferat. Diem vero quo hæc dæmon protulerat conſignatam, ac legato poſtea dum una cum Rege verſabatur, delatam: ex cujus ore rem accepiſſe auctor aſſerit. Quamvis porro dæmon rem in jocum detorſerit; credendum tamen eſt B. Virginem ſuis apud Deum precibus ſingulari tum ad frangendos hoſtes præſidio Chriſtianis fuiſſe.

Peluſio diffugiunt hoſtes.

Propulſatis igitur divina ope hoſtibus, cum Rex una cum cruceſignatis in littore caſtra locaſſet, Deus pro ſuis prælium in urbe confecit:

NOTÆ [1] RES a S. Ludovico in ſacra expeditione geſtas accurate in annalibus digeſtas agnoſco. Unum ſupereſt; ut ſingularum majoris momenti rerum diem certam aſſignemus quam non ab unico ſcriptore adnotatam fuiſſe ſatis conſtat. Cæterum nos id repetemus e ſcriptore, cujus authoritate, nullus adhuc hiſtoriæ eccleſiaſticæ collector uſus fuit, ex Bernardo ſcilicet theſaurario in hiſtoria Gallicana, quam ſub titulo continuationis ad hiſtoriam Tyrii dederunt PP. Martene, & Durand collectionis monum. to. V. Notat ille regem e Cypro ſolviſſe die XX. maii (alii diem XIII. aſſignant apud Ducheſnium pag. 353.) ac Damiatam perveniſſe die IV. junii (qua de re omnes conveniunt) die IV. junii Damiatam victorem ingreſſum, ibi ſubſtitiſſe uſque ad diem XXVII. novembris, (dies XX. ſubſtituenda eſt ex epiſtola S. Ludovici legenda in annalibus ad A. 1250. XIII.) qua in Maſſuram exercitum duxit. Diutius hic immoratum fuit Nili ramo, quem noſtri amnem Thenis appellabant tranſitum prohibente. Tandem Arabs quidam vadum monſtravit, atque ita tranſmiſſus amnis die VIII. januarii anni ſequentis. Reliqua in ſequentem annum referenda ſunt; nec niſi chronologiæ accurationis defectu annaliſta victoriam a noſtris relatam ad Maſſuram præſenti huic anno illigat. MANSI



fecit: tantum enim terrorem infidelibus injecit, ut ea nocte ac ſequenti dominica ex urbe, quamvis munitiſſima, propugnaculis & aggeribus circumdata, commeatu, armis, milite, opibuſque refertiſſima effugerint: quæ ne in Chriſtianorum poteſtatem venirent, injectis flammis abſumere conati ſunt: ut nemini dubium eſſet eos non humanis ſed divinis viribus depulſos eſſe; ac jure tantum triumphum Gaufridus (a) e Belloloco miraculo aſcribat: cui Jonvillæus (b) conſentit, noſtroſque Iſraelitis olim in terram promiſſionis adductis comparat.

(a) Gauf. e Belloloc. in vit. S. Lud. c. 25.

(b) Jonvil. ubi ſup.

IV.

In urbem inſtructa religioſa pompa ſanctus Rex ingreditur.

(c) Jonvil. in hiſt. S. Lud. par. 2.

(d) Nang. de geſt. Lud. Franc. Reg.

(e) Matt. Par. hiſt. Ang.

(f) Alb. Stad. in chron.

(g) Stero in annal.

(h) Monac. Pad. chr. lib. 1.

(i) Siff. epit. l. 2.

(k) Jord. MS. Vat. bibl. ubi ſup.

(l) Vinc. ſpec. hiſt. l. 31. c. 97. 98.

(m) Bern. chr. Rom. Pont.

(n) Cent. 13. c. 2. col. 15.

Cum ea res a noſtris exploratorum opera cognita eſſet, miſſum eſt ab Rege præſidium, & flammæ ne graſſarentur reſtinctæ, atque urbs equorum & aliorum animalium, quæ occiſa fuerant, cadaveribus, ne aerem inficerent, purgata. Aſcripſit numini victoriam ſanctus Rex, atque non ſuperbi triumphatoris, ſed pœnitentis Chriſtiani ſpecie, ac religioſo inſtructo agmine in urbem ingreſſus eſt, ut vitæ auctor deſcribit: *Legatus Pontificis cum patriarcha Hieroſolymitano, cum archiepiſcopis, epiſcopis & magna parte eorum qui convenerant; itemque Ludovicus Rex cum permultis aliis, nudis pedibus, præſente Rege Cypri cum non paucis nobilibus, in urbem ingreſſi ſunt. Cumque legatus ædem quamdam prohanatam reconciliaſſet, & gratias egiſſeut Deo, in honorem ſanctiſſimæ Matris Dei ab eodem legato ſacrificium oblatum eſt: Rex autem conſtituit Deo bene volente illic canonicorum inſtituere collegium, qui Domino ſervirent. Capta eſt Damiata quam alii Eliopolim vocant; anno ab orbe redempto milleſimo duceteſimo quadrageſimo nono*. Conſentiunt alii auctores eodem anno a Chriſtianis expugnatam, Jonvillæus (c), Nangius (d), Pariſius (e), Stadenſis (f), Stero (g), Patavinus monachus (h), Siffridus (i), Jordanus (k), Vincentius (l), Bernardus (m) & alii antiquiores; tum etiam recentiores, in quibus ipſi novatores (n).

V.

Cur poſt tantam victoriam ulterius non fuerint progreſſi Chriſtiani

Obtenta adeo facile munitiſſima Ægypti arce, tota Ægyptus mox ſubiicienda Chriſtianorum armis videbatur, ac nonnulli auctores erant, ut mox ad occupandam regionem excurreretur: ſed repugnarunt alii prudentiores, cum revocarent in memoriam ſimili caſu perditum Chriſtianorum exercitum, cum diffractis Nili molibus barbarorum arte in depreſſiores campos fluvius effuſus eſſet; atque adeo expectandum ut illius alveus, qui tunc aquis turgebat, detumeſceret; ſicque tota æſtas Peluſii tranſacta:

Alphonſus Pictaviæ comes Peluſium applicat.

tumque novæ copiæ cruceſignatorum e Galliis ſub duce Alphonſo Pictavorum comite Regis fratre Chriſtianis ſe adjunxerunt. Cum enim is relicta Regina Blancha cuſtodiendo regno, devexo jam menſe junii in portu, cui Aquæ mortuæ nomen eſt, mare conſcendiſſet, felicibus ventis uſus, ſub finem octobris Peluſium applicuit.

VI.

Depreſſo Nili alveo Ægyptum interiorem penetrant Chriſtiani

Interea fluminis alveus ſe depreſſerat, viſumque eſt in Sarracenos movendum, atque interior Ægyptus penetranda. Novembris ergo viceſimo die navali, ac terreſtri inſtructis exercitibus, præſidio validiſſimo Damiatæ relicto contra Maſſoram ſive Pharamiam, quo Ægyptiorum vires confluxerant, progreſſi ſunt Chriſtiani: qui toto itinere Sarracenos obviam factos magna clade fuderunt: commiſſoque etiam ante Chriſti natalem prælio, victoria a Chriſtianis ſtetit, infideles cæſi ferro Nilove hauſti periere.

Fluvium Thaneos ſuperant. Infideles fundunt.

Tum etiam fluvius Thaneos, cujus alveus altior erat, duce Ægyptio ſuperatus. Hactenus Chriſtianorum res, quæ etiam ex ſoldani morte auctæ videbantur, votis reſpondere. Ut vero ſequenti anno everſæ ac peſſundatæ fuerint, ne luctum ante tempus accerſamus, ſuo loco dicemus.

VII.

Comparata in occidente auxilia.

(o) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Non minus operæ navabat eodem tempore Pontifex, ut ex occidente Chriſtianorum exercitui, qui in Ægypto Chriſti religionem proferebat, ſupplementa mitteret: ſcribit enim Pariſius (o) ipſum in Angliam Prædicatores, ac Minoritas, ut populos ad ſequenda crucis ſigna pro concione concitarent, ac præmia indulgentiarum crucem amplexuris proponerent, miſiſſe: quibus obviam linteati ſacerdotes compoſito agmine religioſo præeunte ſigno crucis cum effuſa plebe occurrebant. Atque ita factum ut plures orientali profectioni ſe devoverent: quam rem in cæteris occidentis regnis ac provinciis celebratam colligi videtur. Tradit de eodem Rege, ipſum magno pietatis ſenſu delibutum a Benedictini ordinis abbatibus, qui ſua comitia coegerant, ſupplicibus precibus obtinuiſſe, ut pro ipſo ac Regina quotidie in miſſarum ſolemniis, in quibus memoria B. Virginis recolitur, ſacræ preces quarum initium: *Deus in cujus manu corda ſunt Regum*, Deo funderentur.

Secunda B. Edmundi tranſlatio.

(p) Par. ubi ſup.

In Galliis, cum in B. Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi honorem; cujus ſacrum corpus omnis corruptionis immune divinum numen ſervabat; feretrum ex auro argentoque elegantiſſimo opere conflatum, ac gemmis adornatum fuiſſet, confluente ex Anglia Galliiſque maxima populorum multitudine, Pontiniaci v. id. jun. ſecundam illius tranſlationem celebratam idem auctor (p) aſſerit.

VIII.

(q) Guill. e Podio Laurent. chr. hoc ann. c. 48.

(r) Bern. chr. Rom. Pont.

Eodem anno, ut ſcribunt Guillelmus e Podio Laurentii (q) & alii (r) v. kal. oct. Raymundus ultimus Toloſatium comes, qui anno præcedenti ſe ad expeditionem Hieroſolymitanam compararat, at-

atque Maſſilia adornatis omnibus, iter reflexerat, Æmiliani febre implicitus, omnibus Eccleſiæ ſacramentis rite acceptis munitus, e vita diſceſſit: ejuſque corpus ad monaſterium fontis Ebraudi juxta matrem Joannam Anglorum Regis filiam ſepeliendum delatum eſt. Ita comitatus Toloſanus ad generum ipſius Alphonſum comitem Pictaviæ pervenit (*a*); eoque ſine liberis decedente ad Reges Gallorum devolutus. Deſcribit accuratius illius principis extremum vitæ actum dictus Guillelmus e Podio Laurentii, cujus verba hiſtoriæ inſerenda duximus, cum fidei catholicæ zelo ac pietate floruiſſe; & ſi quod antea hæreſeos venenum hauſiſſet, penitus evomuiſſe perſpicue oſtendant. *Comes Toloſanus, qui remanſerat*, nimirum poſt ſuſceptum a S. Ludovico iter Aſiaticum, *tranſacta hyeme tempore verno intravit Hiſpaniam, & apud Lucronium in introitu regni Caſtellæ occurrit ei Alfonſus primogenitus Regis Caſtellæ, cum quo colloquium habuit, & fuit fere diebus quindecim apud eum, & reverſus ad propria, in via diebus aliquot ægrotavit.* Et infra.

(*a*) *Incert. auct. in chron. de præclaris Francor. facinoribus & alii.*

Raymundus ultimus Toloſatium comes.

IX. Hæreticos flammis damnat.

*Eiſdemque diebus circiter octoginta credentium hæreticorum in judicio coram ſe confeſſos de hæreſi, aut convictos apud Aginnum in loco, qui dicitur Berlaigas, fecit incendio concremari. Mox audito quod dominus Alfonſus comes Pictavienſis adveniſſet ſequens Regem fratrem ſuum, & domina Joanna uxor ejus cum eo filia ipſius comitis Toloſani eis apud Aquas mortuas occurrit, habens de negotiis ſuis colloquium & tractatum. Reverſus autem apud Æmilianum febre corripitur, & procedens inde in villam, quæ dicitur Pris, prope Rhutenum in lectum decidit, & ibi venit epiſcopus Albienſis, qui primo affuit, & famoſo eremitæ fratri Guillelmo Albaronco confeſſionem reddidit ſuorum peccatorum: de cujus epiſcopi manu communionem Euchariſtiæ humiliter & devote recepit, ſicut in ſignis exterioribus apparebat. Ingrediente enim corpore Chriſti ſalvatoris, exiens de lecto, quamvis multum debilis eſſet, in medio domus occurrit; & in ſolo communicavit flexis genibus, non in lecto. Convenerunt ad eum Toloſanus, Agennenſis, Caturcenſis, Rhutenenſis, Albienſis epiſcopi, & magnates: & multi milites terræ ſuæ, & conſules Toloſani; quorum omnium erat conſilium, ut ad partes deſcenderet Toloſanas, ſed neſcio quo ductus ſpiritu contra omnium vota ſe fecit referre Æmilianum, ubi eum invaſerat ægritudo: ibique diſpoſitio de ſepultura ſua in cœnobio fontis Ebraudi ad pedes matris ſuæ, & ordinato de rebus ſuis, & ſuſcepta extrema unctione, diem clauſit extremum* v. *kal. octob. anno Domini MCCXLIX. ætatis vero ſuæ LII.* Ipſum porro amicitia Innocentio Papæ conjunctiſſimum fuiſſe ſcribit Pariſius (*b*) atque ad hoſtes Eccleſiæ oppugnandos, & maxime Sabaudiæ comitem, theſaurum ab eo accepiſſe, quem ad Pontificem, cum jam in mortis diſcrimine ſe conſtitutum agnoſceret, tranſmiſit. Cum vero de Raymundi obitu mentio ſit edita, nonnulla principum funera adjungemus.

Magna pietatis ſigna in excipienda Euchariſtia præſefert.

Æmiliam moritur.

In cœnobio fontis Ebraudi ſepelitur.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Chriſtianus Siffrido in Mag. arch. ſuccedit.

Diſceſſit ex humanis hoc anno Siffridus Maguntinus archiepiſcopus, quem magnum Friderici adverſarium vocat Pariſius & alii, atque in ejus locum Chriſtianus ejuſdem Eccleſiæ præpoſitus ſuffectus eſt (*c*) qui eodem anno pallio eſt decoratus. [1]

(*c*) *Conrad. epiſc. Mag. Siffr. epit. l.2. Pariſ. & alii.*

X. Alexandri Regis Scotiæ mors.

Ereptum e vivis eodem anno Alexandrum Regem Scotiæ tradit Pariſius (*d*) dum Oenum Argetheleæ inter Scotiam & Orcadem interjacentis inſulæ dominum bello perſequeretur; cujus mortem in divinæ juſtitiæ exemplum vertit his verbis: *Rex antequam exiens de navi equum valeret aſcendere, quaſi ultione morbo ſubito & lethali percuſſus eſt. Et volens innocentem exheredare inter manus magnatum ſuorum ex improviſo cum ipſa ambitione vitæ ſpiritum exhalavit.* Hæc auctor, qui tum ſcribebat. A quo diſſonat Hector Boethius (*e*) qui Alexandri mortem humanæ tantum conditioni tribuit; traditque Sumerledum Argadiæ Thanum filium alterius Sumerledi, qui poſt alteram ſeditionem Macolmi imperio necatus ſuſpendio fuerat, paternis inſiſtentem veſtigiis ab Rege defeciſſe, ac vicinas Argadiæ terras fœdiſſime depopulatum: ſed a comite Merchiarum victum ea lege in deditionem acceptum, ut ſuſpenſo ex collo laqueo ſupplex ad Regem accederet: quod ubi factum, venia ab Alexandro donatum. Cujus principis mortem poſt interjecta alia ita deſcribit: *Correptus gravi morbo in Carnere inſula a continenti Argadiæ haud late diviſa, brevi poſt*, nimirum ſubmiſſas aliquot S. Ludovico delectas cohortes Syriam profecturas, *moritur ætatis ſuæ anno primo & quinquageſimo, & regni triceſimo quinto, ſalutis vero noſtræ ſupra milleſimum ducenteſimum quadrageſimo nono: corpus delatum, ut vivens voluerat, ac ſepultum eſt in Melrois.* Additque Alexandrum III. parentis ſceptrum anno ætatis nono capeſſiviſſe, ac non ſine procerum contentione regia inunctione delibutum. Cujus regni anno ſecundo rem memorandam ita deſcribit.

(*d*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(*e*) *Boet. Scot. hiſt. l.13.*

NOTÆ [1] SIffridi archiepiſcopi Moguntini obitus, qua die contigerit accurate definit anonymus Erfordienſis; narrat enim: *cum eſſet in expeditione cum rege* (Villelmo) *ante curtem regiam Ingelheim dictam capit infirmari, venitque Dinguiam, ubi VII. idus martii diem clauſit extremum, cui Chriſtianus Major prapoſitus Moguntinus ſucceſſit. Hoc etiam anno in die palmarum ſupradicta regalis curia* (Ingelheim) *a rege Villelmo viriliter expugnata eſt.* MANSI



Succedit Alex. filius eo nomine III.

XI. Tranſlatio Margaretæ illius ataviæ.

*Anno ſecundo regni ſui Alexander, convocatis ex toto regno cœnobiarchis, epiſcopis ac baronibus, ad Doumfermilem celebribus, ac multis ſupplicationibus habitis, oſſa Margaritæ ataviæ ſuæ, terra effoſſa, capſulæ argenteæ multis ornatæ gemmis impoſuit. Cumque ea epiſcopi omnium conſenſu in adytum templi deportare conarentur, ac perventum jam eſſet ad Malcolmi mariti ejus ſepulcrum, repente omnes immobiles conſtitere. Capſula enim, cui reliquiæ inerant, ſepulcro Malcolmi impreſſa adhæſit, nec ulla vi moveri potuit. Quo miraculo ſtupefacti omnes, cum haud invenirent tam novæ rei cauſam, venerandus quidam ſenex ſpiritu divino afflatus, ſublata voce ut cuncti eum facile exaudirent, Margaritam, inquit, marito quam vivo ſemper exhibuit reverentiam, eam mortuo denegare nolle: quamobrem non prius eam ſeſe veſtris manibus in adytum deportari permiſſurum, quam Malcolmus maritus humo effoſſus lateri adjungatur. Quod ubi factum eſt, tum denique ſublata cum marito in adytum delata eſt; atque in hodiernum uſque diem multa populi veneratione ibidem coluntur ambo.* Hæc de Scoticis rebus ſuffecerint: ad Italicas nos referamus.

Mutuus poſt mortem conjugum amor.

XII.

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc an.*

Senſit per hæc tempora Fridericus, qui ut ait Pariſius (*a*) Herode, Juda, & Nerone deterior exiſtimabatur, vltrices iras numinis, quæ cum anno præterito effundere ſe in illius caput cœpiſſent, hoc anno magis auctæ, tandem ſequenti penitus obruerunt. Ex filiis enim ipſius alter in Apulia obiit, alter Entius Sardiniæ tyrannus, dum Cremonenſibus & Reginenſibus ſtipatus Bononienſem agrum vaſtaret, ſuorum magna ſtrage deletus captuſque vinculis arctiſſime mancipatus eſt (*b*. Extant apud Petrum e Vineis *c*) Friderici ad Bononienſes de capto Entio literæ, quibus mixtis minis ac blanditiis ipſos ad emittendum e vinculis filium eorum conſtantiam infringere molitur: *Conſiderate* inquit, *provide, & attendite diligenter, quod Imperii noſtri ſerenitas, quamvis paſſa videatur aliquas tempeſtates, tamen digno Dei judicio multos de illis, qui rebelles eſſe noſtræ potentiæ præſumpſerunt, juſtitia mediante ad pœnam & mortem conduximus, exemplum cunctis hoſtibus monſtraturi. Non enim, ſicut putare videmini, ſopita eſt Romani Imperii fortitudo: nam ſemper vigilans ac attenta potentia non dormitat. Interrogate patres veſtros, & dicent vobis quoniam avus noſter felicis recordationis victorioſiſſimus Fredericus, cum voluit, Mediolanenſes priores veſtros expulit a propriis laribus, & ejecit; ac civitatem ipſam tentavit in burgis. Non igitur pateant faciles aures veſtræ ſuggeſtionibus & adulationibus Lombardorum, qui vos ſuæ damnationi aſſociare cupiunt, inducentes vos in foveam, de qua nullo auxilio poteritis liberari. Quapropter ſub pœna gratiæ noſtræ præcipimus & mandamus, quatenus dilectum filium noſtrum Hentium Regem Sardiniæ & Galluri cum aliis fidelibus noſtris Cremonenſibus, Mutinenſibus, & cæteris aliis, quos cepiſtis, viſis præſentibus de carceribus relaxetis: quod ſi feceritis, nos inter alias civitates Lombardiæ veſtram exaltabimus civitatem, &c.* [1] Entium e carcere laxarint, terrores incutit ſe in ipſorum urbem omnes impetus ſuos converſurum. Sed Bononienſes nec minis, nec promiſſis frangi potuerunt: atque ita in carceris horrore Entius contabuit, daturus documentum poſteris fallacem eſſe perſecutorum Eccleſiæ felicitatem.

Entius a Bononienſibus capitur.

(*b*) *Monach. Pad. chr. l.1. hoc an.*

(*c*) *Petr. de Vin. MS. Vallicell. bibl.*

Fridericus ſacro igne torquetur.

XIII.

At non in filiis modo, verum in ſeipſo divinas iras expertus: morbo enim, (*d*) qui lupus ac ſacer ignis dicitur, vexari cœpit, ut vivus arderet, qui tot ſacerdotes flammis injecerat (*e*). Atque ad malorum cumulum in fidiſſimorum ſuſpicionem, tanquam, ſibi inſidias inſtruerent, venit: accuſatum enim proditionis Petrum e Vineis, hujus ſæculi Achitophelem, magnæ virum ſcientiæ & eloquentiæ, ſed ſceleſtiſſimæ conſcientiæ, oculis orbavit. (*f*) Tradunt nonnulli a crimine hujuſmodi purum extitiſſe, ſed ab æmulis ejus auctoritatis & gloriæ in invidiam adductum. Scribit vero Pariſius præmonitum Fridericum ſibi a Petri medico venenum propinatum iri, juſſiſſe ut partem pharmaci ebiberet; eumque mox, quaſi offenderet ſimulantem, maximam potionis partem effudiſſe; reliquam ſontibus aliquibus e carcere eductis faciendi periculi cauſa porrectam & ipſos ea extin-

(*d*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(*e*) *Apud anonym. auct. vit. Greg. IX.*

Petrus e Vineis ob porrecti veneni ſuſpicionem oculis orbatus.

(*f*) *Par. ubi ſup.*

NOTÆ [1] ENtii, ſive Henrici filii Friderici imperatoris caſum in exitum ſuperioris anni referendum eſſe, unus, quem noverim, prodit Nicolaus de Curbio in vita Innocentii capit. XXVIII. ſcribens: *interea filius Friderici rex Henricus, qui adverſus eccleſiam Lombardiæ dominium tunc habebat, & qui ibidem remanſerat loco patris, a Bononienſibus apud Mutinam cum CCC. militibus XIII. Kal. januarii, anno quo capta eſt Victoria, Domino cooperante fuit & ipſe captus, & Bononiæ carceri mancipatus.* MANSI

*Inimicis Infenſiſſimis traditur. Ex deſperatione in rabiem actus ſibi mortem infert. Divina in eum ultio.*

extinctos eſſe; convictumque ita medicum laqueo præfocatum: Petrum vero e Vineis oculis orbatum vitæ reſervatum, ut crudelius periret: ac poſtquam in oſtentum calamitatis per Italiam circumductus eſſet, Piſanis, qui odio maximo in eum ardebant, occidendus traderetur: eoque accepto Petrum ex deſperatione in rabiem efferatum, dum columnæ alligatus eſſet, illi caput alliſiſſe. Ita periit infelix, qui eloquentiam ſuam in Romanos Pontifices exacuerat, ac juſtas ab eo pœnas accepit, quem aſſentationibus ſuis corruperat; ut plane in eum ſacrum illud proverbiorum cadat (*a*): *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt, & infelix*. Et rurſus: *Qui* (*b*) *maledicit patri ſuo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*. Fuit is Italus genere, Capua oriundus, cujus ingenii monumenta hactenus ſuperfuerunt.

(*a*) *Prover. c.* 19.
(*b*) *Ib. c.* 20.

XIV. Solicitati ad defectionem Apuli in Fridericum conſurgunt.

Conjecit etiam Fridericum in maximos metus, atque anxietates Cabochius, (*c*) ab Innocentio legati dignitate auctus, atque in Apuliam miſſus, ut adverſus ipſum Apulos commoveret. Nec ille impigre rem geſſit: plures enim viros nobiles a tyranni obſequio abduxit. Popoſciſſe vero pacem ab Innocentio Fridericum ſcribit Pariſius (*d*): atque inter cæteras conditiones eam adjeciſſe, ſe totam vitam in bello contra Sarracenos gerendo in Terra ſancta collocaturum, modo Henricus ipſius filius, quem cæteris præferebat, in Imperio ſuccederet; ſed eas fœderis leges Innocentium repudiaſſe. Ex quo auctor carpendi more ſuo Pontificis occaſionem aucupatur: at potius probabile videtur cum verſuto principe nullum fœdus iniri poſſe Innocentium advertiſſe, qui ex ficto fœdere novas ad opprimendam Eccleſiam vires collecturus eſſet.

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(*d*) *Id. ib.*

XV. Pontificis in ſchiſmaticis ad Eccleſiæ obſequium revocandis ſtudium.

Tractaſſe hoc anno cum Græcis orientalis Eccleſiæ cum Romana conjunctionem Innocentium; atque Joannem Parmenſem ſupremum Minoritarum ordinis magiſtrum in orientem miſiſſe, ut Imperatorem ac patriarcham ad id adduceret, affirmat in ſui ordinis accuratis annalibus P. Lucas Wadingus (*e*): conatum etiam eodem anno Pontificem Ruſſos ad Romanæ Eccleſiæ obſequium, a quo ſe ſubduxerant, revocare, atque ad Danielem ipſorum ducem Albertum Arcanonum olim epiſcopum, tunc Ruſſiæ archiepiſcopum miſiſſe, qui ipſum ad officium alliceret: ſed perfidum principem non juſſis apoſtolicis modo paruiſſe, verum ut hoſtem Eccleſiæ legatum illiberaliter acceptum a ſe amandaſſe.

(*e*) *Vvadin. annal. Min. tom.* 1. *hoc an.*

Danielis Ruſſorum Regis perfidia. Pragenſis ep. initæ cum Regis Bohem. filio coitionis accuſatus injuſto carceri traditus.

XVI. Libertati reſtituitur.

Nec minus turpiter Nicolaus Pragenſis epiſcopus tractatus eſt: ſcribit enim Longinus vocatum in invidiam ab æmulis ejus dignitatis apud Wenceſlaum Monoculum, ob fluxionem quæ alterum oculum corruperat ita dictum, Bohemiæ Regem; & accuſatum ipſius filii conjurationis participem extitiſſe, atque ob id ab Rege conjectum in vincula: ſed ob violatam illius dignitatem, ſub interdicto totam Pragenſem diœceſim luxiſſe, donec in libertatem vindicatus eſt. [1] Traditur (*f*) etiam de eodem Rege juſſum eſſe uxorem dimittere ob canonicum impedimentum, quo illam quarto conſanguinitatis gradu attingebat: illum vero cum a Pontifice retinendæ illius poteſtatem etiam ſuſceptis ex ipſa liberis obtinere non potuiſſet, Ungariæ Regis ſororem duxiſſe: præterea eccleſias, quas oppreſſerat, priſtinæ libertati aſſeruiſſe, ſanxiſſeque, ut electiones præſulum a Pontifice confirmarentur notat Baronius.

(*f*) *Baron. in notis MS. ex lib. privil. Rom. Eccl.*

Regis Bohemiæ matrimonium ob conſanguinitatis vitium diſſolutum. Eccleſiæ in Bohemia priſtinæ libertati reſtitutæ.

Suc-

**NOTÆ** [1] Quod attinet ad Nicolaum Pragenſem epiſcopum, extat apud Baluzium in VII. miſcellaneorum tomo regeſtum epiſtolarum anni VIII. Innocentii IV. pontificis; inter eas vero una legitur hoc anno ſcripta X. Kal. maii ad epiſcopum Meldenſem, in qua pontifex narrat Pragenſem epiſcopum cenſura plexum fuiſſe a Gotrimundo ordinis prædicatorum monacho, & pontificis pœnitentiario ibidem legatione fungente, eo quod filio regis Bohemiæ cohæſerit, & partes Conradi filii Friderici foverit. Mandat in ea epiſtola Innocentius, ut certus terminus conſtituatur archiepiſcopo, quo ante conſpectum ſuum veniat, rationem de rebus a ſe male geſtis redditurus. An vero poſtea archiepiſcopus ille in carcerem a rege detruſus fuerit, id plane ignorare me profiteor. Forte tamen ea, quæ de carceratione ejuſdem narrat Longinus poſterius acciderunt. Mansi



I. Præfectus Cayri defectionem a Sarracenis molitur.

Succubuit ſub potentia Sarracenica Chriſtiana res anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo quinquageſimo indictione octava; atque jam ante acti de Ægyptiis triumphi in luctum converſi ſunt. Quomodo vero clades acciderit, proſequamur. Præfectus (*a*) urbis, cui Cayri nomen eſt, vindicta in ſoldanum exæſtuans, ob ipſius fratrem ignominioſæ neci traditum, qui adeo facile commiſſum ſuæ fidei Peluſium expugnari eſſet paſſus, Templarios nonnullos equites e carcere eductos ad Galliarum Regem pergere juſſit, atque urgere, ut cum victrici exercitu Cayrum contenderet, ſe maxima ſuſcipiendæ Chriſtianæ religionis cupiditate ardere, urbemque totius Ægypti principem rerum omnium copia circumfluentem illi traditurum. Ea ſpe ducti Chriſtiani ſoldano pacem expoſcenti, & Hieroſolymam, ac Terræ ſanctæ loca Chriſtianis erepta reſtituere pollicenti, modo ſibi Peluſium redderetur, inducias fœduſve cum eo paciſci recuſarunt (*b*): confectiſque in itinere verſus Cayrum feliciter præliis, quæ anno ſuperiori enarravimus, Robertus (*c*) Atrebatenſis comes S. Ludovici Regis frater ſucceſſu proſpero elatus, cum Sarracenos adverſam fluminis ripam obſidentes in fugam verſos intueretur effuſis habenis fugientes in Maſſoram urbem barbaros eſt inſecutus: nulloque ordine permixti fugientibus Chriſtiani ingreſſi ſunt. Tum barbari cum Chriſtianos numero ſibi impares, ſecunda enim & tertia acies nondum flumen trajecerant; tum non inſtructo & compoſito agmine progredi cernerent inter primam enim quæ Templariorum erat, & ſecundam aciem orta erat de prima in hoſtem facienda impreſſione honoris contentio; collectis animis excitiſque novis auxiliis reſiſtere Chriſtianis cœperunt, lapidibus e tectis obruere, eiicere ex urbe, ac demum magnam illorum ſtragem edere; Atrebatenſis comes S. Ludovici frater, ſive in Maſlora, ut Nangius ſcribit (*d*) ſive flumine, dum equi fortitudine fretus illud tranare præſideret, abſorptus, ut Pariſius (*e*) tradit. Occubuit etiam Willelmus e longa Spatha regio Anglorum ſanguine natus, de quo nobis inferius ſermo erit, cum de matris illius conſtantia agemus. Quamvis vero plures e noſtris cæſi eſſent, longe tamen majori numero Sarraceni obtruncati fuerunt, & caſtris machiniſque barbarorum Chriſtianos potitos auctor vitæ S. Ludovici narrat his verbis (*f*).

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Reſpuunt Chriſtiani ampliſſimas pacis conditiones a ſultano oblatas.

(*b*) *Id. Ib.*
(*c*) *Jonvil. in hiſt. S. Lud.* 2. *par.*

Fluvium ſuperat. Robertus Atrebat. comes hoſtes fundit. Fugientes imprudenter inſecutus in Maſſoram irrumpit. Una cum aliis.

(*d*) *Nang. in geſtis S. Lud.*
(*e*) *Par. ubi ſupr.*
(*f*) *Apud Sur. to.* 4. *die* 25. *aug.*

II. *Tandem noſtris eo die victoria ceſſit. Proxima luce, jubente Rege, plures e Chriſtianis flumen tranſgreſſi Sarracenorum everterunt machinas, & pontes navales inſtituerunt, ut poſſent noſtri facile fluvium tranſire*. Meminit hujus pugnæ Jonvillæus (*g*) in qua Carolum Andegavenſem comitem egregia belli facinora explicuiſſe ait: ac de cæſis ſex equitibus ſuis rem non prætermittendam narrat. Defuncto enim in prima Maſſoræ oppugnatione Hugone Landricurtio, qui ſub illius ſignis meritus erat, dum ſacra pro illius animæ expiandis criminibus peragerentur, ſex equites immodeſte admodum ſe geſſiſſe: quorum inſolentiam cum gravibus verbis perſtringeret, ipſos elato cachinno adjeciſſe, de Hugonis vidua in matrimonium collocanda inter ſe conferre: cæterum quantum ea immodeſtia æterno numini ingrata eſſet, ſequenti die patuiſſe, quo ii ſex equites in acie occubuere, demumque ipſorum uxores aliis viris nupſiſſe.

(*g*) *Jonvill. in hiſt. S. Lud.*

III. Ut vero poſt confecta feliciter illa duo prælia ingraveſcente fame Chriſtianorum res peſſum ierint, deſcribit vitæ S. Ludovici auctor (*h*): *Poſt dies aliquot in caſtra eorum venit ſultani Ægyptii filius: jam enim pater ejus obierat. Quæ res auxit animos Sarracenorum. At Chriſtianorum res occulto Dei omnipotentis judicio deteriores reddebantur, multis eorum morbo abſumptis, ita ut ex triginta duobus millibus vix millia ſex ſupereſſent*. At irrepſiſſe in numerum militum error videtur: cum S. Ludovici chronicon vetus longe majorem collocet: *Magna enim commeatus penuria laborabant: nec pauci fame & inedia periere; Sarracenis itinera obſidentibus, ne poſſet a Damiata commeatus advehi in caſtra Regis. Ea res coegit eos Damiatam repetere*. De interceptis egregia Ægyptiorum arte bellica noſtrorum commeatibus refert Jonvillæus (*i*) ipſos nonnullas triremes probe inſtructas in fluminis regionem, quæ Peluſium inter & Maſſoram excurrit, induxiſſe; noſtrorumque naviculas ignaras periculi cepiſſe: graſſatam pariter epidemiam tum ex gravi paludum expiratione, tum ob cadaverum, quæ ſecundo flumine delata ad pontem hæſerunt, infectione, adeo ut ægrorum lamentis & ululatibus caſtra perſonarent.

(*h*) *Anonym. auct. vit. S. Lud. p.* 2.
(*i*) *Jonvill. ubi ſup.*

IV. Ingentia contrahunt auxilia. Fugam meditatur Chriſtianus exercitus.

Debilitato itaque adeo exercitu ex popularibus morbis atque ex ea annonæ difficultate, Rex cum ſuis deliberato conſilio, Maſſoræ obſidionem ſolvere redireque Peluſium decrevit; cum jam exercitus magna ex parte aut fame morbiſve confectus eſſet, viribuſque adeo debilitatus, ut ingruentis barbari, qui totam Ægyptum ſecum trahebat, impetus ſuſtinere poſſe diffideret. Pars ergo exerci-



tus

Ægri navibus impoſiti Græco igne exuſti a barbaris. Extremum noſtrorum agmen pontem non abrumpit.

tus una cum ægrotis, navibus impoſita, ut ſecundo flumine delaberetur: quorum plures in piratarum poteſtatem ceciderunt, atque ex iis maxime ægrotorum multitudo, poſt atrox prælium, igne Græco ab Sarracenis injecto funeſtiſſime conflagrarunt. Alii terreſtri itinere compoſito agmine redibant, cum barbari noſtros inſecuti in extremam aciem, quæ ob præcipitem receſſum pontes, ut erat juſſa, non diffregerat, impetum fecerunt, ac permittente ita numine maximam Chriſtiani ſanguinis ſtragem edidere: cæteri vinculis mancipati, adeo ut nullus ex ea clade ſalvus evaſerit: Rex una cum fratribus Carolo Andegavenſi, & Alphonſo Pictavienſi comitibus capti. Illius cladis cauſam in nefarii præconis, Marcelli nomine, proditionem refert Jonvillæus (a).

(a) Jonvill. hiſt. S. Lud. part. 2.

Sarraceni inſecuti Chriſtianos delent. S. Lud. una cum aliis capitur.

Cum enim fracta noſtrorum extrema acie, ſecunda fortiſſime cum hoſte dimicaret, ancipite adhuc victoria, ſceleſtus vir ad ſingulos ordines inclamare cœpit, ut protinus deditionem facerent, ſi Regem ſalvum vellent, hoſtium enim gladiis, ſi reſiſterent diutius, conciſum iri: enervatoſque mox omnium animos arma poſuiſſe. Potuerat S. Rex fuga ſaluti ſuæ conſulere, cum parata eſſet navis ac plures ipſum urgerent precibus, ut abiret, ſalvo enim ipſo & incolumi afflictas Chriſtianorum res reſtitutum iri: ſed conſtantiſſime renuit ſuos unquam deſerturum: ſtare fixum animo eandem cum ipſis aleam ſubiturum; additque hæc Nangius, quæ miram illius in adverſis conſtantiam commendant. *In illo inſtanti, cum videret Rex Chriſtianiſſimus horam diei nonam declinare ad veſperam, petiit a quodam ſuo capellano juxta ſe ſtante breviarium, ut horæ quæ præterierat, laudes Domino decantaret; magis enim erat ſolicitus devotus Rex, quomodo creatori ſuo ſervitium impenderet, quam fugæ & evaſionis præſidium præpararet.*

Ejus conſtantia in adverſis.

V. Reportata de Chriſtianis victoria, quæ die v. aprilis contigit; inflati animis Sarraceni crudelitatem, quam ira furorque accenderant, exercuere. Nec in vivos modo, ſed in mortuos etiam ſæviere; quorum corpora, brachiis cruribuſque amputatis, præmia ipſis ſoldano proponente, deformarunt. Et quaſi de Chriſto Domino triumphaſſent, ipſius pendentis e cruce imaginem in religionis noſtræ opprobrium inſpectantibus Chriſtanis, flagris ceciderunt, fœdarunt ſputis, lacerarunt manibus, pedibus conculcarunt; ut jam hæretici ævi noſtri, qui ſimilia flagitia perpetrant, habuiſſe olim Mahumetanos, quorum exempla imitarentur, gloriari poſſint. Mollivit tamen crudelem barbari animum divinum numen, ut S. Regem liberaliter tractaret: qui cum ea morbi contagione, quæ exercitum conflictarat perdideratque, laboraret; adeo ut modica illius vitæ ſpes, eludente medicorum noſtrorum induſtriam mali pertinacia, ſupereſſet; medicorum ſuorum opera, qui in curandis ſimillimis morbis longe peritiores erant, priſtinæ valetudini eſt reſtitutus, ut divinæ providentiæ conſilia in adverſis etiam ſuſpicienda ſint, quod Gaufridus e Belloloco juſtis ponderibus librat (b): *Advertendum quod ſi captus fuit a Sarracenis, non eſt multum admirandum: ſed eſt divino miraculo & ipſius potentiæ, necnon ſancti Regis meritis adſcribendum, quod ita de facili & ſatis pro modico pretio contra ſpem fere omnem ipſe & fratres ſui, & exercitus Chriſtianus fuerint ſatis incolumes & ſani de impiorum manibus liberati. Denique non ſilendum eſt, quod quando ipſe Rex captus fuit, graviter ægrotabat illa mortifera & generali infirmitate, qua maxima pars exercitus illis diebus eſt defuncta; ita quod de vita ipſius modicum ſperabatur. Sed eo capto, providente ipſo, qui diligentibus ſe omnia cooperari facit in bonum, ſoldanus per medicos ſuos, qui melius quam noſtri noverant artem curationis infirmitatis hujus, fecit eum cuſtodiri diligentius & ſanari; & omnia neceſſaria quæcumque Rex petiiſſet, abundanter & curialiter miniſtrari; ita quod de ipſo, atque de ſuis potuit vere dici: Et dedit (c) eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos.*

Sarracenorum crudelitas & impietas.

Divina providentia in curandos Rege Sarracenorum opera.

(b) Gaufr. de belloloco in vita S. Lud. c. 25.

A ſoldani medicis a morbo ancipiti curatur.

(c) Pſ. 105.

VI. Ad recuperandum ſane Peluſium barbari graves illi initio minas incuſſerunt: quanta vero conſtantia animi barbaricos terrores exceperit, atque improba pro ſe ipſo redimendo poſtulata repulerit, deſcribit Guillelmus Carnotenſis (d): *Quam prudenter, quam fideliter, quam conſtanter ſe geſſerit in omnibus erga ipſos Sarracenos importune & improbe ipſum aggredientes, & impugnantes exactionibus atque minis, non eſt meæ facultatis evolvere; licet fere ſemper præſens affuerim ei ubique. Hæc tamen poſſum veraciter aſſerere, quod in omnibus factis honeſtiſſime ſe habuit, prudentiſſime in reſponſis, in tractandis fideliſſime, & cautiſſime ſecuriſſimeque in negandis. In omnibus quidem oppreſſionibus conſtantiſſimus erat ſemper; ipſis etiam majoribus coram mirantibus admiratis & dicentibus ipſi Regi ad importabiles exactiones eorum inflexibiliter ſe habenti: De hoc ſupra modum miramur, quod vos, quem priſonem noſtrum & ſclavum reputabamus, talem in vinculis invenimus, & tales etiam nos reputatis, ac ſi nos in carcere teneretis. Nequaquam enim conſenſiſſet eis reddi Damiatam, ſi eam potuiſſent retinere tunc temporis Chriſtiani: prius enim illuc miſerat, & ſibi relatum inde fuerat, quod ſi obſiderent eam Sarraceni, non poterant contra tanti robur exercitus tunc defendi. Sed nec propter duras eorum oppoſitiones & comminationes aliquantulum flecti potuit, vel induci, ut aliquid promitteret, concederet, aut juraret, quod in aliquod Chriſtianitatis detrimentum cederet aut ſuæ conſtantiæ læſionem. Mirantibus cunctis qui aderant, magnatibus etiam Chriſtianis qualiter tam ſecurus tam imperterritus erat; cum ipſi non modicum terrerentur. Ipſe quidem tanquam vir juſtus in Domino confidebat, & ideo non timebat juxta illud ſapientis: Juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.*

(d) Guill. Carnot. de vit. & mirac. S. Lud.

Admiranda illius magnanimitas.



VII. Cum labefactare exaggeratam illius conſtantiam, nec ad imperandam Peluſii deditionem minis adducere poſſent, e barbaris verſutiſſimum arte facile Peluſium, reluctante etiam ipſo Rege, recuperatum iri cæteris perſuaſiſſe refert Pariſius (a). Monuit itaque ſocios militari utendum ingenio, induendas Gallorum veſtes, explicanda ipſorum ſigna, atque ita inſtructis Gallico more agminibus Peluſii ingreſſum tentandum, opprimendumque. Parum abfuit quin ars barbarica ſuccederet, quod etiam I.. Cornubiæ comitis ſigilli præfecti confirmant literæ (b). Sed cum excubiæ ipſos venientes conſpicatæ præſidio ſignum dediſſent, advertere Chriſtiani ipſos nimis clypeos barbarico more rotare: cumque acceſſiſſent propius, ex promiſſa eorum barba, vultibuſque ferinis ac partim ænei & atri coloris fraudem ſubeſſe cognoverunt. Conclamatum itaque ad arma, atque a mœnibus hoſtis propulſatus. Mox tota urbe terror luctus atque ululatus ſe diffuderunt, profligatum enim & cæſum Chriſtianorum exercitum ſibi finxere, cum ſuorum veſtibus indutos barbaros ac ſignis ſuperbire intuerentur. Præerat urbis cuſtodiæ Burgundiæ dux, atque in ea Regina Margareta (c) cum aliis feminis principibus verſabatur: quæ cum uterum geſtaret, triſti accepto nuntio partum effudit, cui Joannis Triſtanni nomen inditum eſt. Sed S. Regem in Ægyptiaco carcere, velut alterum Joſephum, in divinis laudibus celebrandis occupatum inviſamus. Hæc enim de ipſo Guillelmus Carnotenſis teſtis oculatus ſcribit (d).

(a) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

(b) Ext. apud Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Repelluntur a Chriſtianis.

(c) Jonvill. ubi ſup.

Regina Margareta audito capti viri nuncio abortum facit. Filio Joannis Triſtanni nomen impoſitum.

(d) Guill. de vit. & mirac. S. Lud.

VIII. *Non eſt omnino tegendum ſilentio, quod cum captus fuiſſet ab hoſtibus in Ægypto, quandiu detentus eſt in carcere, nunquam a ſolita devotione, & divina laude ceſſavit. Nam quantumcumque in illo gravis ergaſtulo carceris arctaretur, divinum tamen officium, ſecundum morem Pariſienſis eccleſiæ, matutinas ſcilicet, & horas canonicas tam de die, quam de B. Virgine; & totum officium miſſæ, abſque ſacramenti conſecratione aſſidue cum uno presbytero fratre Prædicatore, qui ſciebat Arabicum, me adjuncto ſibi tunc temporis clerico ſuo, ipſis etiam Sarracenis cuſtodibus ejus audientibus; jugiter exſolvebat devoto corde & ore, horis competentibus, habens ibi breviarium capellæ ſuæ, quod ei Sarraceni poſt captionem ejus pro xenio præſentaverunt, & miſſale.* Hæc Guillelmus, qui cum S. Ludovici clericum ſe tunc extitiſſe dicat, prætereundum non arbitror, quod ipſe de ſe ſcribit, ſanctum Regem ſpiritu prophetico afflatum adhuc agenti in ſæculo, religioſæ vitæ, remiſſo rebus humanis nuntio, ſe addicturum prædixiſſe: *Hoc fideliter poſſum aſſerere, quod accidit de me ipſo*, auctoris verba ſunt. *Cum ſemel nobis duobus, videlicet fratri Gaufrido bonæ memoriæ, & mihi tunc exiſtenti in ſæculo, cui unam pinguem theſaurariam, contulerat Rex de novo, de hoc familiariter loqueretur, præter alia ſermonem ad fratrem illum de me ipſo convertens: Hic, ait, dominus Guillelmus ludet modo de ſua iſta theſauraria per quinque annos, vel ſex, & poſt religionem intrabit. Hoc autem tunc, ſicut non propoſueram, non conſenſi; ſed quod prædixit veraciſſime rei exitus comprobavit. Nam poſt quintum & dimidium annum completum ordinem fratrum Prædicatorum, in quo ſum per gratiam, licet indignus, intravi, ſicut in ſpiritu præviderat ac prædixerat Rex devotus: nec tunc recordabar verbi quod dixerat, ſed poſtmodum occurrit mihi memoriæ quod audivi.* Hactenus Guillelmus: verum ab ipſo ad inſtitutam, a qua digreſſi ſumus, orationem recurramus.

Singularis illius in anguſtiis carceris pietas.

Prædicit Guillelmo Carnot. poſt plures annos religionem ingreſſurum.

IX. Tentato fruſtra Peluſio, barbarus, qui graviori ſolicitudine æſtuabat, ne ex ea arce, quæ Ægypti oſtium erat, toti regno bellum inferretur a Chriſtianis, qui ſubſidio venturi eſſent; tractare de recipiendo Peluſio, & ineundis induciis agitare cœpit, de quibus hæc vitæ S. Ludovici ſcriptor (e): *Egit apud Regem ſultanus minacibus verbis de paciſcendis induciis, de reſtituenda Damiata, de præſtandis damnis, ſarciendiſque ſumptibus, quos feciſſet ipſe a capta Damiata. Tandem initæ ſunt induciæ decennales his conditionibus: ut ſultanus Regem Ludovicum & captivos Chriſtianos omnes e ſuis ditionibus liberos a ſe dimittat: ut Chriſtiani retineant loca aliquot Terræ ſanctæ: porro Rex Ludovicus reſtituat Damiatam, & pro factis in illud bellum impenſis octo millia byzantiorum; reddatque captivos Sarracenos omnes.* Quod de octo millibus byzantiorum auri ſcribit auctor; mendum irrepſit, atque octingenta millia reponenda ſunt. Scribit enim Jonvillæus (f) ſultanum pro reſtituendis libertati Chriſtianis decies centena millia petiiſſe, conſenſiſſeque S. Ludovicum pro ſuis tantum auri refuſum iri; pro ſe vero liberando, cum pecunia æſtimandus non eſſet, Pelu-

Tractatur de pace cum Sarracenis.

(e) Anonym. vit. S. Lud. auctor apud Sur. to. 4. die 25. aug.

De eo redimendo agitatur.

(f) Jonvill. hiſt. S. Lud. part. 2.

Quibus legibus ineunda concordia.

ſium Ægyptiis redditum iri: eaque agendi ſinceritate raptum in admirationem ſultanum, ducenta millia aureorum e ſumma remiſiſſe. Pergit auctor.

X. Sultanus a ſuis necatur. Quæ cauſa ipſos impulerit ad id facinus.

*His confectis induciis ſultanus, dum cum exercitu proficiſcitur, a quibuſdam e ſuis fruſtatim gladiis conciditur.* Conjuraſſe in ſultanum præfectos Ægyptios ob erepta ſibi dignitatum inſignia, quæ in alios contulerat, quos ex oriente adduxerat, refert Jonvillæus (*a*): tum metu incitatos, ne Peluſio potius, ipſos partæ in capiendo Francorum Rege gloriæ invidia ſtimulatus lenta morte in carceribus conficeret, ut ipſius avus eo præmii genere uſus erat erga præfectum exercitus atque alios duces, qui Barenſem & Montisfortis comites profligarant. Addit idem auctor nonnullos Ægyptios jactaſſe cruentas ideo ſultano manus intuliſſe, cum Francorum Regem obtento Peluſio trucidaturus eſſet: res vero tota arcanis potius divinæ providentiæ judiciis aſcribenda, ut etiam Guillelmus perpendit his verbis (*b*): *Hoc inſuper maximum gratiæ & virtutis indicium oſtendit in eo præcipue Rex virtutum, quod cum poſt initas & conceſſas treugas inter ſoldanum & Regem conventiones habitas & firmatas, deliberatione noſtrorum, quadam die dominica in ſero præſente patriarcha Hieroſolymitano bonæ memoriæ Roberto, quem de Damiata Rex venire fecerat pro conſilio habendo, cum multis aliis magnatibus Chriſtianis; in craſtino mane majores admirati Babyloniorum confœderati ad invicem ſoldanum ſuum ſedentem ad prandium per quoſdam familiares ſuos feciſſent interfici, & ſicut canem mortuum, & fœtidum proiici ſuper terram; ſtatim ejectis cuſtodibus, qui Regem & ſuos ſervabant, & jam ipſis abſque cuſtodia exiſtentibus & nihil aliud expectantibus niſi gladium ſeu mortem; intraverunt ſubito quidam de interfectoribus cum quibuſdam de majoribus admiratis, & principalibus actoribus hujus necis quaſi leones vel urſi rabidi, truculentis animis, & cruentis manibus, adhuc etiam de tam nova nece fumantibus, & de recenter effuſo ſanguine, brachiis erectis. Qui ſtatim ad aſpectum glorioſi Regis omni priſtina feritate depoſita, quaſi agni manſueti vultibus, ac demiſſis ad terram capitibus, ac manibus adorantes, & eum ſalutantes dixerunt: Ne timeatis domine ſed ſecuri ſitis. Nec de facto iſto multum vos convenit admirari: ſic enim fieri oportebat. Faciatis quod veſtrum eſt celeriter juxta conventiones habitas, & cito eritis liberati.*

(a) *Jonvil. in hiſt. S. Lud. p. 2.*

(b) *Guill. Carnot. de vit. & mir. S. Lud.*

Divinæ ultionis exemplum.

XI. Deliberant Ægyptii de ſalutando ipſo Babyloniæ & Ægypti Rege.

Adjungit ſuperioribus Jonvillæus, (*c*) cæſo ſoldano, Ægyptios ante Ludovici tentorium feſtos tubarum clangores ediſſe; ac S. Regi præfectos Ægyptios diu inter ſe de ſalutando ipſo Babyloniæ Rege contuliſſe inſinuatum, parumque abfuiſſe ut ſceptrum Babylonicum illi non traderent: eaque tantum de cauſa ab eo conſilio revocatos, quod omnium, quos unquam vidiſſent, Chriſtianorum fidei ac religioni addictiſſimum ſuſpicerent: quoties enim e tentorio diſcederet, crucem flexis genibus induere & crucis ſigno totum corpus munire. Addit auctor Regem ab ipſo aliquando ſciſcitatum, num putaret admittendum ab ipſo ſceptrum Babylonicum, ſi illud ipſi transfudiſſent, ſeque negante cum adeo immanitate efferati eſſent, ut paulo ante Regem ſuum trucidaſſent, adjeciſſe non tam a ſe repudiatum iri. Propagandæ enim fidei Chriſtianæ cupidiſſimus ſanctus Rex omnium periculorum terrores, modo divinam augeret gloriam, protriviſſet. [1] Ut vero ſingulari providentia ex truculentiſſimis hoſtibus liberatus ſit, ex Guillelmo ſupra laudato excipiamus: *Poſt diem tertium*, nimirum a ſultano cæſo, *facta eſt liberatio*

(c) *Jonvill. ubi ſup.*

Ob ipſius ſummam religionem deterriti.

NOTÆ [1] POſt illud: *divinam augere gloriam, protriviſſet*, adde ex annalibus contractis: *accepta cladis fama pontifex animo conſternatus eſt, ac piis literis ſanctum regem ſolaturus de divinis judiciis ita diſſeruit*: Liceat quæſo, domine Jeſu, ſervorum tuorum ſervo ſciſcitari pauliſper quod tam aſpere pugnandum fuit in Chriſto tuo chriſtianiſſimo principum, tibi ſe, & ſuos & ſua in tanto fervore fidei exponente; aut quid duxiſti tam ſevere plectendum in devotiſſimo populorum populo, ducem ſuum tanta promptitudine in præceptorum tuorum laboribus ſubſequente? Oſtende clemens pater, oſtende, ne fidelium tuorum devotio ruat in ſcandalo, tibique cedant ſuperius vindicandi ſi punire voluiſti zelo animadverſionis congrue peccatores, aut probare juſtorum conſtantiam glorioſius coronandam: Si enim decreviſti eos ideo tanto tribulationis jugo purgandos, ut fierent parato ſibi inenarrabilis mercedis, quæ merita ſupplicum & vota præcellit, præmio digniores; tibi laus, tibi actio gratiarum, qui per hoc dignatus es prorogare laborantibus fructum, quem eis ſpes productior edidiſſet: ſi autem punire tam acriter quam temporaliter voluiſti tuorum vel ingratitudinem vel peccatum, miſericorditer cum illis diſpenſans, ne perpetuo damnarentur, quis dixerit ſuum hoc quantumlibet durum in hominibus iniquum eſſe judicium, qui terrenum habent & ſordidum fundamentum, & coinquinatione inevitabili domos luteas habitantes, cum luna non ſit munda in conſpectu tuo & in ſtellis repereris pravitatem? Intende, rex inclite, Dei potentia Damiatam Ægypti januam, quæ vix humanis laboribus obtineri multo tempore potuiſſet, miraculoſa facilitate in manibus tuis dedit, in quo forte & iis, quos tecum diſpoſuit, de hoſtium futura decipula eruendo benigna miſeratione providit, ut liberandis opportunum redemptionis præmium non deeſſet. Sed quis ſcit ſi congratulantium quiſquam ſucceſſibus, vel aliorum fidelium animis ex hoc in jactantiam erectis huma-



*tio Regis & ſuorum magnatum valde celebris & ſolemnis, Domino exercituum ſic mirabiliter ordinante: ut qui paulo ante dominum ſuum infidelem ſoldanum tam pompoſum, & in ſuperbiam de noſtra ſubjectione elatum, tam viliter interfecerant, & projecerant tanquam putridum & immundum; captivum Regem, & humilem, ſuum adverſarium, & Chriſti fidelem, tam honorabiliter redderent liberatum omnino. Sic enim per ſapientem prædictum fuerat: Juſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo.*

Divina in victore cæſo victoque liberando providentia.

XII. Non defuere, ut refert Jonvillæus, (*a*) nonnulli infidi, qui obtento Peluſio (quod poſtea ſolo æquaſſe ajunt, ne amplius bellorum cauſa eſſet) de occidendo Rege & cæteris Chriſtianis agitarent. Inter quos vir ſceleſtus producto alcorano legebat dominum ut pupillam oculi obſervandum, hoſtem vero Mahumeticæ religionis necandum atque inferebat admiſſam in occiſo ſultano ſceleris labem Chriſtianorum Regis ſanguine eluendam: ſed demum, æterno numine ſuorum miſerente, deliberatum e pactorum legibus Chriſtianos libertati reſtituendos; quæ porro ſint ſecuta, vitæ S. Ludovici auctor exponit (*b*).

(a) *Jonvil. ubi ſup.*

*Ad certum diem Damiata illis redditur; Rex & fratres ejus & nobiles Franciæ, ditionis Hieroſolymitanæ, & Cypri e carcere dimittuntur. Sperabat jam pius Rex fore ut etiam reliqui captivi, uti conventum erat, a Sarracenis dimitterentur: ſed cum diu expectaſſet, ex duodecim millibus ægre quadringentos recepit, impiis illis Sarracenis fidem jurejurando firmatam violantibus: qui etiam de cæteris nihil voluere remittere. Et quod eſt longe immanius, egregios quoſdam juvenes Chriſtianos e captivis illis coegerunt impuriſſimi Mahometis profiteri ſectam, Chriſtiana religione abjurata. Impoſuerant enim nudos enſes cervicibus eorum, & ſi qui nollent eis conſentire, illos jugulabant. Ex iis quidam imbecilliores a Chriſto ad Mahometem defecerunt: alii coronas martyrii contempta morte, reportarunt.* Eadem Nangius (*c*).

(b) *Anonym. S. Lud. auct. apud Sur. to.4. die 25. aug.*

(c) *Nang. de geſt. S. Lud.*

XIII. Deliberat S. Lud. in Syria conſiſtere. Alphonſum & Carolum fratres in Gallias tranſmittit.

Cum Sarracenos datam fidem infringere ſanctus Rex cerneret, agitato cum ſuis conſilio deliberavit quid ſibi agendum videretur: ſi enim diſcederet, maximi periculi metus impendebat, ne Chriſtianos Terræ ſanctæ auxilio omni deſtitutos Sarraceni invaderent, perderentque; ſi remaneret, ſpes non exigua rei bene gerendæ affulgebat, cum inter Ægyptios & Halapianum ſultanum maxima diſcordia exorta eſſet: quare demum remanere decrevit, (*d*) ac fratres ſuos Alphonſum, & Carolum ad levandum Reginæ matris dolorem in Gallias dimittere: qui ventis uſi felicibus in patriam pervenere. Agunt de iis Jonvillæus (*e*) S. Ludovici in ea expeditione ſocius, Gaufridus de Bello loco, (*f*) qui ſancto Regi a confeſſionibus erat, Guillelmus Nangius, (*g*) Bernardus, (*h*) qui Nangii dicta delibavit, Jordanus, (*i*) Albertus Stadenſis (*k*) monachus Patavinus, (*l*) Matthæus Pariſius, (*m*) Joannes Villanius, (*n*) Guillelmus de Podio Laurentii, (*o*) & alii veteres ac recentiores. Iis conſentiunt S. Ludovici literæ, (*p*) quas ad ſuperiora confirmanda, tum ob rerum, quas continent dignitatem, atque in penetrandis periculis, ac ſubeundis pro Chriſto laboribus illuſtrandam conſtantiam, adducendas cenſuimus. [1]

*Ludovicus Dei gratia Francorum Rex dilectis, & fidelibus ſuis prælatis, baronibus, militibus, civibus, burgenſibus ſuis, & a-*

(d) *Apud Jonvil. ubi ſup. Anonym. auct. vit. S. Lud. Nang. ubi ſup.*

(e) *Jonvill. in vit. S. Lud.*

(f) *Gaufrid. de bello-loco in vit. S. Lud.*

(g) *Nang. de geſt. Lud. Reg.*

(h) *Bern. ch. Reg. Franc.*

(i) *Jord. MS. Vatic. ſignat. n. 1960.*

(k) *Stad. in chr. hoc anno*

(l) *Monach. Pad. in chr. l. 2.*

(m) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(n) *Jo. Vill. l.6. c.37.*

(o) *Guill. de Podio Laur. chr. c.49.*

(p) *Ext. in notis Jonvill. adiectis.*

NOTÆ humanam homini aliquatenus, & non totaliter nomini Domini gloriam arrogaret? Ceſſemus igitur a curioſitate inquiſitionis hujus, quæ forſitan venia opus habet, & confiteamur in humilitate ſpiritus Domino Deo noſtro, benedicentes nomen ipſius excellentiſſimæ poteſtatis, & cantemus ei in conſolatione uberi in gaudio ſpiritus, & dicamus: Omnia quæ feciſti nobis, Domine, in vero judicio feciſti. Viciſti qui vincis per incommutabilem tuæ juſtitiæ veritatem, cum a ſuperbæ ſocietatis ignorantia in juſtitia judicaris &c. Excitavit deinde ad conſtantiam in adverſis ſanctum regem, regnumque Jeroſolymitanum, ut ab hoſtis furore illud vindicaret, commendavit. Datum Lugduni XI. idus auguſti anno VIII. MANSI

[1] CUm Ludovicus in epiſtola, quæ hic in annalibus recitatur, ſatis diligenter rerum a ſe geſtarum dies certas notet, non eſt cur aliunde hanc chronologiam ad majorem annalium illuſtrationem repetamus. Unum ſupereſt deſignemus, diem ſcilicet qua Soldanus ſuorum proditione trucidatus fuit. Hanc vero nobis inter ceteros ſervavit Bernardus Theſaurarius, ſive author continuationis ad Guillelmum Tyrium, notans Soldanum occubuiſſe die 11. maii. Qua vero die Damiata reddita fuerit Saracenis, nuſpiam adnotatum legi. Cum tamen die VIII. maii Acram ſeu Ptolemaidem liberum veniſſe regem tradat Bernardus, hinc facile deducitur, deditionem illam intra ſex illas dies, quot a die ſecunda ad octavam maii excurrunt, contigiſſe. Addit pariter Bernardus die S. Laurentii, ideſt X. auguſti Gallos quoſdam principes moviſſe ut in Galliam redirent; tum & menſe ſeptembri alios quoſdam e captivis reſtitutos a Sarracenis fuiſſe, inter quos Villelmum hoſpitalis magiſtrum cum aliis CXX. equitibus, ut captivorum ſolutorum numerum non quidem ad quadringentos, ut legitur in epiſtola S. Ludovici hoc anno menſe auguſto data, ſed ad octingentos provehat. Denique eodem Bernardo teſte, menſe ſeptembri Henricus Cypri rex Placentiam Antiocheni comitis filiam duxit. MANSI

*& aliis univerſis in regno Franciæ conſtitutis, ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem.*

*Ad decus, & gloriam divini nominis Crucis proſequi cupientes negotium, totis affectibus univerſitati veſtræ duximus intimandum, quod poſt captionem Damiatæ, quam dominus Jeſus Chriſtus per ineffabilem ſuam miſericordiam, quaſi miraculoſe præter vires humanas Chriſtianæ tradiderat poteſtati, ſicut, vos credimus non latere, deliberato communi conſilio, de Damiata receſſimus, viceſima die menſis novembris proximo præteriti: congregato tam navali exercitu, quam terreſtri, procedentes adverſus Sarracenorum exercitum congregatum, & caſtrametatum in loco, qui vulgariter Maſſora appellatur. In ipſo quidem itinere ſuſtinuimus aliquos Sarracenorum inſultus, in quibus aſſidue detrimentum ſuorum non modicum receperunt; quadam die nonnullis eorum, qui de exercitu Ægyptiorum noſtris occurrerant, interfectis. Intelleximus autem in ipſo itinere, ſoldanum Babyloniæ de novo vitam miſeram finiſſe: qui, ſicut publice dicebatur, miſerat ad filium ſuum morantem in partibus orientis, ut in Ægyptum veniret; & eidem a cunctis ſui exercitus majoribus fidelitatis fieri fecerat juramenta: relicta totius ſuæ terræ exercitus cuſtodia cuidam admirato ſuo, nomine Farchardino. Hæc quidem in acceſſu noſtro ad locum prædictum invenimus vera eſſe.*

XIV. *Accedentes igitur ad locum prædictum die martis ante feſtum nativitatis Dominicæ, in primis acceſſum habere nequivimus ad Sarracenos eoſdem, propter quendam fluvium inter utrumque exercitum defluentem, qui fluvius Thaneos dicitur; & in loco illo a magno flumine derivatur. Inter utrumque fluvium poſuimus caſtra noſtra protendentia a majori fluvio ad minorem: ubi aliquanto conflictu habito cum Sarracenis, multi ceciderunt ex ipſis, noſtrorum gladiis interfecti; maxima inſuper eorum multitudine ſubmerſa in aquis validis & profundis. Sane quia memoratus fluvius Thaneos non erat vadabilis, propter profunditatem aquarum, & riparum altitudinem, cœpimus facere ſuper eum calciatam, ut per eam pateret tranſitus exercitui Chriſtiano, ad hoc multis diebus cum immenſis laboribus, periculis, & ſumptibus inſiſtentes. Sarraceni autem e contra totis reſiſtentes conatibus, machinis noſtris, quas erexeramus ibidem, machinas oppoſuerunt quamplures, quibus caſtella noſtra lignea, quæ ſuper paſſum collocari feceramus eundem, conquaſſata lapidibus, & confracta, combuſſerunt totaliter igne Græco. Quo facto fere omni ſpe, & expectatione fruſtrata per calciatam illam taliter tranſeundi, tandem per quendam Sarracenum venientem ab Ægyptiorum exercitu, datum fuit nobis intelligi locum eſſe vadabilem aliquantulum inferius, quo poterat exercitus Chriſtianus fluvium tranſmeare. Inde communicato conſilio baronum, & aliorum majorum de exercitu, die lunæ ante cineres, fuit concorditer ordinatum, quod in craſtino, die videlicet carnis privii, ſummo mane conveniremus ad locum prædictum, fluvium tranſituri, quadam parte exercitus ad caſtrorum cuſtodiam ordinata. Die itaque craſtina, ordinatis aciebus, venientes ad locum, tranſivimus fluvium, non tamen ſine gravi periculo. Nam profundior & periculoſior erat locus, quam nobis fuerat intimatum: ita quod ibi oportuit natare equos noſtros, & propter altas & lutoſas ripas periculoſus erat exitus fluminis antedicti.*

XV. *Tranſacto itaque flumine, ventum eſt ad locum, ubi erant Sarracenorum machinæ, juxta calciatam prædictam: & habito cum Sarracenis aggreſſu, noſtri, qui præcedebant, multos ex ipſis trucidarunt gladiis, non parcentes ſexui vel ætati. Inter quos capitaneum eorundem, & quoſdam alios admiratos interfecerunt ibidem. Deinde vero diſpoſitis aciebus noſtris, quidam noſtrorum per caſtra hoſtium diſcurrentes venerunt uſque ad villam, quæ Maſſora dicitur; quotquot hoſtium occurrebant, gladiis occidentes. Sed tandem Sarraceni, cognito eorum inconſulto proceſſu, reſumptis viribus irruentes, in eos, & circumvallantes undique, oppreſſerunt eoſdem: ubi facta eſt noſtrorum ſtrages non modica baronum, & militum, tam religioſorum, quam aliorum, de qua non immerito doluimus quamplurimum, & dolemus. Ibi etiam illum præcordialem & præclarum fratrem noſtrum, recolendæ memoriæ, Atrebatenſem comitem, temporaliter amiſimus: quod cum cordis amaritudine recolimus, & dolore: licet de ipſo gaudendum ſit potius, quam dolendum; quoniam pro certo credimus & ſperamus, eum corona martyrii ad cœleſtem evolaſſe patriam, & ibi cum SS. martyribus perenniter congaudere.*

XVI. *Itaque die illa, Sarracenis ſuper nos irruentibus undique, ac imbrem emittentibus ſagittarum, graves inſultus ſuſtinuimus eorumdem uſque circiter horam nonam, deficiente nobis omnino balliſtarum ſubſidio: & tandem multis ibidem vulneratis ex noſtris, & equis noſtris pro majori parte diverſis ſauciatis vulneribus, aut occiſis, Domino auxiliante, campum retinuimus, noſtrorum viribus recollectis: & ibi, juxta Sarracenorum machinas, quas acquiſivimus, eadem die caſtra noſtra poſuimus, ubi cum paucis moram fecimus die illo; facto ibi prius ponte de lignis, per quem poſſent illi ad nos, qui erant ultra fluvium tranſmeare. In craſtino*



*ſtino vero plures e noſtris, de mandato noſtro fluvium tranſeuntes, caſtrametati ſunt juxta nos: & tunc deſtructis Sarracenorum machinis, licias fecimus ad pontes navales, per quos noſtri de uno exercitu ad alium tranſire libere poterant, & ſecure. Sequenti autem die veneris, filii perditionis, congregatis ex omni parte viribus ſuis, Chriſtianum exercitum omnino perdere intendentes, in fortitudine maxima, & in multitudine infinita convenerunt ad licias noſtras; ex omni parte exercitus tantos, tamque terribiles facientes inſultus, quantos, ſicut a pluribus dicebatur, in eis marinis partibus nunquam viderant facere Sarracenos. Quibus tamen, divina prævalente potentia, ordinata ex omni parte exercitus noſtrorum copia reſtitimus, & impetus repulimus eorumdem, maxima eorum multitudine noſtrorum gladiis incumbente.*

XVII. *Poſtmodum autem elapſis aliquot diebus adventavit apud Maſſoram ſoldani filius, veniens de partibus orientis: in cujus adventu tympanizantes & lætantes Ægyptii, receperunt eum ad dominum: & ex hoc augmentata eſt eorum non modicum fortitudo. Unde apud nos poſtmodum, neſcimus quo Dei judicio, omnia noſtris deſideriis in contrarium ſucceſſerunt: inolente diverſarum ægritudinum peſte, & mortalitatis etiam generalis tam in hominibus quam equis: ita quod vix erant in exercitu aliqui, qui mortuos ſuos non plangerent, aut ægrotantes ad mortem. Unde pro magna parte diminutus erat exercitus Chriſtianus & conſumptus. Tantus erat defectus victualium, quod plures inedia deficiebant & fame. Non enim vaſella navalia de Damiata ad exercitum tranſire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis, & vaſis piraticis, quæ per terram in flumine collocaverant antedicto. Sicque compluribus vaſis noſtris prius captis ab eis in flumine, tandem duas ſucceſſive caravanas victualia, & alia multa bona ad exercitum deferentes, cæſa mariniariorum & aliorum multitudine, ceperunt, in totius exercitus detrimentum. Unde deficiente omnino victualium & annonæ equorum ſuffragio, cœperunt in exercitu deficere fere omnes, in deſolationem, & terrorem non modicum incidentes.*

XVIII. *His igitur arctatos incommodis, tam propter ciborum carentiam & equorum annonæ, quam propter caſus ſuperius annotatos, inevitabilis neceſſitas nos induxit a loco prædicto recedere, & ad partes Damiatæ redire, ſi Dominus providiſſet. Sed cum viæ hominis non ſint in eo, ſed potius in illo, qui quorumque greſſus dirigit & diſponit juxta ſuæ placita voluntatis; dum eſſemus in itinere revertendi, quinta ſcilicet die menſis aprilis, Sarraceni totis ſuis viribus congregatis in unum, cum multitudine infinita aggreſſi ſunt exercitum Chriſtianum, & ſicut accidit permiſſione divina, peccatis noſtris exigentibus, in manus inimicorum incidimus; nobis, & chariſſimis fratribus noſtris A. Pictavienſi, & K. Andegavenſi comitibus, & cæteris, qui nobiſcum revertebantur per terram, nemine penitus evadente, captis, & carceribus mancipatis; non ſine maxima ſtrage noſtrorum, & effuſione non modica ſanguinis Chriſtiani: majori parte illorum, qui revertebantur per fluvium, ſimiliter capta, aut gladio interfecta; vaſellis navalibus ut plurimum incendio diſſipatis, in quibus incendii flamma combuſſit ægrotantium multitudinem doloroſam.*

XIX. *Sane poſt captionem noſtram, per dies aliquot jam dictus ſoldanus requiri nos fecit de treugis faciendis; petens inſtanter, non ſine minis, & auſteritate verborum, quod ſublato moræ diſpendio faceremus ſibi reſtitui Damiatam cum omnibus rebus ibidem inventis; & reſarciremus omnia damna, & expenſas, quas fecerat uſque ad tempus illud a die qua receperant Damiatam Chriſtiani. Tandem vero, poſt multos tractatus, treugas inivimus uſque ad decennium ſub hac forma, videlicet: Quod idem ſoldanus nos, & omnes, qui capti fuerant a Sarracenis, poſtquam venimus in Ægyptum, Chriſtianos captivos, necnon & omnes alios de quibuſcunque partibus oriundos, qui capti fuerant a tempore, quo ſoldanus Kyemel, avus ejuſdem ſoldani Caym, cum Imperatore treugas inierat, de carcere liberaret, & liberos abire permitteret ubi vellent: & quod terras, quas Chriſtiani in regno Hieroſolymitani tenebant in adventu noſtro, cum omnibus pertinentiis in earum pace tenerent. Nos autem tenebamur ei reddere Damiatam & octingenta millia biſantiorum Sarracen. pro liberatione captivorum, & damnis & expenſis prædictis, de quibus jam ſolvimus quadringentos: & liberare omnes Sarracenos captos in Ægypto a Chriſtianis, poſtquam illuc venimus; necnon & eos qui capti fuerant in regno Hieroſolymitano, a tempore treugarum olim factarum inter Imperatorem & ſoldanum prædictum. Adjecto, quod omnia bona noſtra mobilia, & omnium aliorum apud Damiatam remanentia poſt receſſum noſtrum ſalva forent, & ſub cuſtodia & defenſione ejuſdem ſoldani portanda ad terram Chriſtianorum, quandocunque opportunitas haberetur. Omnes etiam Chriſtiani infirmi, & alii, qui pro vendendis rebus ſuis, quas ibi habebant, in Damiata moram traherent, tuti ſimiliter eſſent, receſſuri per terram vel per mare, quando vellent ſine impedimento vel contradictione quacunque. Et omnibus illis, qui per terram vellent recedere, tenebatur idem ſoldanus uſque ad terram Chriſtianorum ſecurum præſtare conductum.* Un-

XX. *Unde cum hujuſmodi treugæ inter nos, & ſoldanum prædictum, præſtitis juramentis hinc inde firmatæ fuiſſent; & jam idem ſoldanus eſſet, cum ſuo exercitu in itinere veniendi adverſus prope Damiatam pro complendis omnibus ſupradictis; accidit divino judicio, quod quidam milites Sarraceni, non ſine conniventia, vel majoris partis exercitus, irruentes in ſoldanum prædictum ſurgentem in mane de menſa, poſt prandium, ipſum immaniter vulneraverunt, & de ſuo tentorio exeuntem, ut poſſet fugæ beneficio liberari, videntibus fere omnibus admiratis, & aliorum Sarracenorum multitudine, fruſtatim gladiis trucidarunt. Quo perpetrato, ſtatim multi Sarraceni armati in illo furoris calore venerunt ad noſtrum tentorium, ac ſi vellent, ut timebatur a multis, in nos & alios Chriſtianos deſævire: ſed divina clementia eorum furiam mitigante, ſuper firmandis treugis præhabitis cum ſoldano, & civitatis Damiatæ liberatione feſtina, nos requiſierunt inſtanter. Cum quibus, præmiſſis tamen ab eis verborum, & comminationum tonitruis, tandem ſicut Domino placuit, qui tanquam pater miſericordiarum, & pius in tribulationibus conſolator, gemitus compeditorum exaudit, firmavimus cum juramentis treugas, quas feceramus antea cum ſoldano, & ab omnibus & ſingulis eorum recepimus juramenta, juxta legem eorumdem, ſuper treugis noſtris obſervandis, determinatis certis temporibus, infra quæ captivi liberarentur hinc inde, & Damiatæ civitas redderetur. In cujus redditione & tunc cum admiratis eiſdem, & antea cum ſoldano ea de cauſa non ſine difficultate convenimus; quia ſpes nulla erat de retinenda civitate jam dicta, ſicut certiſſime per illos intelleximus, qui ad nos de Damiata venerant veritatem nullatenus ignorantes: propter quos, de conſilio baronum Franciæ, & quamplurium aliorum, potius elegimus Chriſtianitati fore conſultius, nos & captivos alios pro treugis hujuſmodi liberari, quam civitatem taliter amittere cum reſiduo populi Chriſtiani exiſtentis in illa, * quam nos, & alios ſub tantis periculis in carcere remanere.*

* ac

XXI. *Die igitur ſtatuta receperunt admirati prædicti civitatem eandem: qua recepta, liberaverunt nos, & fratres noſtros, necnon comites Britanniæ, & Flandriæ, & Sueſſion. & multos alios barones, milites de regno Franciæ, Hieroſolymorum, & Cypri. Et tunc ſpem firmam habuimus, ex quo nos liberaverunt, & alios ſupradictos, quod de reddendis, & liberandis omnibus aliis Chriſtianis juramenta ſua firmiter obſervarent, ſecundum continentiam treugarum. His itaque peractis, a partibus Ægypti receſſimus, certos nuncios dimittentes ibidem ad recipiendum captivos a Sarracenis, & ad cuſtodiam rerum, quas ibidem dimiſimus, & quod non habebamus, navigia quæ ſufficerent ad portandum. Poſtmodum autem venientes in actu de rehabendis captivis, quod multum inſidet cordi noſtro, ſolicite cogitantes, remiſimus alios ſolemnes nuncios, & navigia in Ægyptum, ad reducendum captivos, & res alias quas dimiſeramus ibidem: ſcilicet, machinas noſtras, arma, tentoria, quandam quantitatem equorum, & alia multa bona. Sed admirati prædicti nuncios noſtros cum inſtantia poſtulantes reddi ſibi captivos juxta formam treugarum, & alia ſupradicta, detinuerunt diutius in Babylonia, ſub ſpe reddendi omnia, quæ petebant.*

XXII. *Tandem vero poſt expectationem diuturnam de captivis omnibus, quos reddere tenebantur; qui ſunt, ut firmiter dicitur, numero pluſquam duodecim millia inter antiquos & novos; non liberaverunt nunciis noſtris niſi tantummodo quadringentos: de quibus pars quædam exivit de carcere pecunia mediante. De cæteris * tantum rebus, nihil omnino reddere voluerunt. Immo, quod eſt deteſtabilius, poſt treugas initas, & juratas, ſicut intelleximus per nuncios noſtros, & per captivos quoſdam fide dignos de illis partibus redeuntes, electos juvenes de Chriſtianis captivis ducendo ad victimam tanquam oves, quantum in eis erat, compellebant apoſtatare a fide catholica, appoſitis gladiis ſuper eorum cervicibus, & clamare legem ſceleratiſſimi Mahometi: quorum multi imbecilles, & fragiles exorbitaverunt a fide, legem illam deteſtabilem profitendo. Cæteri vero tanquam athletæ fortiſſimi, in fide radicati, & in firmo propoſito conſtantiſſime perſiſtentes, minis, vel flagellis hoſtium ſuperari nullatenus potuerunt: ſed certantes legitime, coronas martyrii receperunt ſanguine rubricatas: quorum ſanguis, ut pro certo tenemus, clamabit ad Dominum pro populo Chriſtiano, & advocati noſtri erunt coram ſummo judice in cœleſti curia, in cauſa quam agimus contra fidei inimicos, utiliores nobis in illa patria quam ſi nobiſcum converſarentur in terris. Multos etiam Chriſtianos, qui apud Damiatam remanſerant ægrotantes, gladiis trucidarunt. Nec de liberandis captivis Chriſtianis, nec de rerum reſtitutione noſtrarum aliquam certitudinem habebamus, quamvis plene ſervaverimus conditiones & pacta, quæ cum eis habuerimus, & parati fuerimus obſervare.*

* tamen

XXIII. *Ad hoc cum poſt treugas initas, & liberationem noſtram, firmam haberemus fiduciam, quod liberatis captivis, terra transmarina, quam Chriſtiani tenebant, in ſtatu pacifico permaneret uſque ad tempus in treugis diffinitum; voluntatem & propoſitum habuimus ad partes regni Franciæ*



*ciæ revertendi, & jam diſponi feceram de navigio, & aliis quæ ad noſtrum paſſagium neceſſaria videbantur: ſed aperte videntes, per ea quæ ſuperius ſunt expreſſa, quod admirati prædicti aperte contra treugas veniebant, & contra propria juramenta, nobis & Chriſtianitati illudere non verentes, requiſivimus conſilia baronum Franciæ, prælatorum, domorum templi, hoſpitalium S. Joannis & S. Mariæ Theutonicorum, & baronum regni Hieroſolymitani, & communicatum quidem eſſet nobis ineuntibus hujuſmodi faciendum, quorum major pars concorditer aſſerebat, quod ſi nos recedere contingeret his diebus, prædictam terram dimitteremus omnino in amiſſionis articulo conſtitutam, & noſter receſſus non eſſet aliud, niſi eam totaliter exponere Sarracenis: maxime cum in ſtatu tam debili, & tam miſerabili his diebus eſſet, proh dolor! conſtituta. Captivi etiam Chriſtiani, qui ab infidelibus detinentur, poſt receſſum noſtrum poterant pro perditis reputari, omni ſpe de liberatione ipſorum ſublata. Si autem contingeret nos morari, ſperabatur, quod ex mora noſtra poſſet aliquod bonum evenire, ex quo etiam liberatio captivorum, & caſtrorum, & villarum regni Hieroſolymitani retentio, & quædam alia toti Chriſtianitati utilia poſſent, auctore Domino, provenire: maxime cum inter ſoldanum Halapiæ & Babyloniæ gravis diſcordia ſit exorta; qui ſoldanus congregatis ſuis exercitibus jam cepit Damaſcum, & quædam caſtra ſub dominio Babyloniæ conſtituta; proceſſurus, ut a multis aſſeritur in Ægyptum, ad vindicandam mortem interfecti ſoldani, & ad terram illam quantum poterit occupandam.*

XXIV. *His igitur conſideratis attente, prædictæ Terræ ſanctæ compatientes miſeriis, & preſſuris, qui ad ejus ſubſidium veneramus, ac captivorum noſtrorum captivitatibus & doloribus condolentes; licet nobis diſſuaderetur a multis morari in partibus tranſmarinis, maluimus tamen adhuc differre paſſagium, & morari per tempus aliquod in regno Syriæ, quam negotium Chriſti totaliter relinquere deſperatum, & captivos noſtros in tantis periculis conſtitutos. Chariſſimos autem fratres noſtros Alphonſum Pictavenſem, & Carolum Andegavenſem comites ad chariſſimæ dominæ ac matris noſtræ, nec non & totius regni conſolationem in Franciam duximus remittendos.*

*Cum igitur omnes, qui in nomine Chriſtiano cenſentur, zelum habere debeant ad negotium memoratum, & vos præcipue clerici, qui de illorum ſanguine deſcendiſtis, quos Dominus ad Terram ſanctam acquirendam tanquam populum peculiarem elegit; quam acquiſitionis titulo propriam reputare debetis, univerſitatem veſtram ad * illud ſervitium invitamus, qui nobis in cruce ſervivit, & pro redemptione veſtra ſanguinem proprium effundendo .... ita quod corda veſtra nova in Chriſto Jeſu. Gens enim illa ſceleratiſſima in contumeliam Creatoris, præter blaſphemias, quas dicebant, in conſpectu populi Chriſtiani crucem flagellis cædebant, ſpuebant in eam, & deinde viliter pedibus conculcabant in opprobrium fidei Chriſtianæ.*

* illius

XXV. *Eja ergo milites Chriſti, peculiaris populus Dei vivi accingimini, & eſtote viri potentes ad vindicandas injurias, & opprobria ſupradicta: actus veſtros ad anteceſſorum veſtrorum exempla reducite, qui ſpecialiter inter cæteras nationes fuerunt in fidei exaltatione devoti, & ſinceritatis affectu dominis ſuis temporaliter obſequentes totum orbem geſtis inſignibus impleverunt. Præceſſimus vos in obſequium Dei, venite & vos, aſſequimini nos pro Deo tandem nobiſcum, licet tardius deveneritis, recepturi Domino largiente mercedem, quam evangelicus paterfamilias primis donavit vineæ ſuæ operariis & extremis. Inſuper præter indulgentiam generalem cruceſignatis indultam, venientes, vel competens ſubſidium tranſmittentes in noſtrorum ſubſidium; immo potius Terræ ſanctæ, dum ibi præſentes fuerimus, apud Deum & homines multum ſibi favoris & honoris acquirent. Expedite autem negotium, ut illi quibus virtus Altiſſimi inſpirabit venire, vel mittere in ſubſidium memoratum, præparent ſe venturos, vel miſſuros in paſſagio inſtantis menſis maii, vel aprilis: ipſi autem, qui parati eſſe non poterunt ad tranſmittendum in illo paſſagio, ſaltem in ſecundo paſſagio S. Joannis transfretare procurent in ſubſidium memoratum: acceleratione enim opus eſt, & mora diſpendioſa videtur juxta negotii qualitatem. Vos autem prælati & alii Chriſti fideles pro nobis ac memorato negotio Terræ ſanctæ ſpecialiter orationum inſtantia interpellare velitis Altiſſimum, ac in locis vobis ſubjectis faciatis ſpecialiter exorari, ut quod noſtra peccata præpediunt, divinæ ſuæ propitiationis annuente clementia, veſtrarum aliorumque bonorum orationum ſuffragiis valeat. * Actum Acon, an. Domini MCCL. menſe auguſto.*

* obtinere

XXVI. Cum percrebuiſſet in occidente acceptæ cladis rumor, omnia regna catholica horrore concuſſit; maxime vero Gallias, ubi matres, filios, uxores, viros, virgines, fratres, & conſanguineos ululatibus expoſcebant: eoque prorumpebat inſanus dolor, ut nefarias voces in divinam providentiam laxaret. Nec deerant viri pii, qui ſingultus hos comprimere, ac lacrymas detergere niterentur, inculcarentque cæſos in tam juſta cauſa Chriſtianos ea potiri felicitate, ut ii luctus ipſis admodum ingrati eſſent, cum marty-

Occidentalium terror audito cladis acceptæ nuncio.

tyrum palmis decori in aſtra evolaſſent, cœlumque aucto ſanctorum numero de ea clade triumpharent. Simillimis verbis repreſſum plurimorum dolorem ſcribit Pariſius, (*a*) qui egregium matronæ conſtantiæ exemplum, matris nimirum Willelmi e longa Spatha, regii Anglorum generis, ubi illius mortis nuntium accepit, adducit: *Memor*, inquit, *viſionis, quam viderat, glorioſæ de filio ſuo eo tempore, quo ipſe martyr, ut prædictum, occubuit manifeſtus, alacri ſpiritu junctis manibus, & flexis genibus prorupit in hanc Dei laudem Chriſto valde complacentem: O Domine mi Jeſu Chriſte gratias tibi ago, qui de corpore meæ indignæ peccatricis talem ac tantum filium voluiſti procreari; quem tam manifeſti martyrii corona dignatus es redimire. Spero utique quod ipſius patrocinio citius ad culmen cœleſtis patriæ promovebor*. Quod vero fuerit cœleſte viſum piiſſimæ fœminæ objectum enarrat auctor his verbis (*b*): *Nocte hoc prælium*, nimirum primum, quod ad Maſſoram commiſſum eſt, *antecedente viſum fuit matri ſuæ nobiliſſimæ dominæ comitiſſæ ac abbatiſſæ de Acoca Hælo nomine, quod cœlo aperto ſuſceptus eſt quidam miles omnibus armis redimitus, cujus clypeum cum per picturam cognoviſſet, ſtupefacta ſciſcitabatur, quiſquam eſſet ipſe, qui aſcendens ab angelis ad tantam ſuſcipiebatur gloriam, cujus noverat ſpolia; & reſponſum fuerat voce manifeſta & articulata: Vuillelmus filius tuus. Notata igitur nocte illa, viſio illa poſtea patuit declarata*. [1]

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Inſignis principis fœminæ conſtantia audita Willelmi filii nece.

(*b*) *Id. ib.*

XXVII. Henricus Angliæ & Alphonſus Caſtellæ Reges Syriacam profectionem vovent.

Non deterruit ea ſtrages Chriſtianos principes a meditanda in Terram ſanctam expeditione; ſed majori pietatis ardore accendit; illum nimirum palmarum campum, atque obtinendi martyrii locum videri. Alphonſus enim Caſtellæ, & Henricus Angliæ Reges cum maxima procerum multitudine defendendæ Chriſti cauſæ ac religioni induta cruce ſe devoverunt. Quo vero dolore ex triſti illo nuntio confoſſus fuerit, quave diligentia ad redintegrandas Chriſtianorum res uſus Pontifex, referre ſupervacaneum eſſet. Dolemus epiſtolas regeſti ſeptimi anni, quæ maxima ex parte ad hunc annum pertinent, non reperiri, cum hiſtoriam ornare ac locupletare potuiſſent. Nec revocari in dubium debet ipſum Reginam Blancam luctu confectam recreare ſtuduiſſe, atque auxilia in orientem tranſmittere. Argumento ſunt ejus litteræ ad Pariſienſem, Ebroicenſem, & Sylvanectenſem epiſcopos datæ, (*c*) quibus provinciam demandavit, ut Tectoſages & Provinciales cruceſignatos, cum vellet Regina Blanca, transfretare compellerent.

Cruceſignatos Gallos traiicere jubet Innocentius

(*c*) *Innoc l.8. ep. 183.*

*Cum ad præſens Terra ſancta ſubſidio indigeat bellatorum, mandamus quatenus omnes cruce ſignatos provinciæ, ac communitates Toloſanæ, & vicinos portubus, & totius regni Franciæ; illos quoque, qui crucem ſine auctoritate Eccleſiæ deponere præſumpſerunt, quod in proximo paſſagio a vobis ad beneplacitum chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Blan. illuſtris Reginæ Franciæ, ſtatuendo transfretent in ſubſidium Terræ ſanctæ; per vos & alios quos expedire videritis, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis, &c. Dat. Lugdun.* III. *decemb. anno* VIII. Exaratis eodem argumento literis e Germania, Friſia, ac Norvegia eos omnes, qui ſe Chriſti obſequio ſumpta cruce addixerant, in Terram ſanctam proficiſci imperavit (*d*).

XXVIII. Item Germanos Friſios Norwegos.

(*d*) *Ibid. ep. 183.*

XXIX.

Emerſit interea (*e*) in Galliis Paſtorellorum ſecta, quæ induendæ crucis atque inſtruendæ in Hieroſolymitanum regnum

(*e*) *Nangius & Pariſ. an. ſeq. Jord. MS. bibl. Vat. ſignat. n. 1960. & alii.*

NOTÆ

[1] POſt illud: *viſio illa poſtea patuit declarata*, adde ex annalibus contractis: *Luxit præ ceteris hanc cladem Innocentius IV. in literis encyclicis ad Rotomagenſem archiepiſcopum & alios Galliæ præſules miſſis, in quibus rem geſtam ita enarrat:* Cum rex contra Soldanum Damaſci & Babyloniæ ſuo exercitu comitante proceſſiſſet, tandem claræ memoriæ Roberto comite Atrebatenſi germano regis ejuſdem, & magiſtro, & fratribus dictæ militiæ templi Jeroſolymitani, & aliis quam multis commilitonibus validum cum Saracenis committentibus bellum, & poſt non modicum Saracenorum ipſorum excidium in bello ipſo non abſque ſalutaris triumpho martyrii paucis evadentibus intentatis, præfatus rex cum exercitu conſtanter inſiſteret, furorem irruentium ſuſtinuit paganorum, qui ſic illico terræ & fluminis tranſitus arctaverunt, quod idem exercitus defectum victualium patiebatur extremum: propter cujus intolerabilem tolerantiam, & præ ſuorum multitudine infirmorum vehementer obſtupuit; nec potuit non vereri, quoniam urgentibus undique incommodis premebatur, cumque mutuis congreſſibus fieret hinc inde ruina maxima pugnatorum: demum innumerabilitate hoſtium prævalente chriſtianæ militiæ agmina fere penitus corruere, dictuſque rex cum iis, qui ſecum ſupererant, hoſtilium populorum circumſtantium vallo cinctus, & coanguſtatus nimium, coactus eſt ad ultimum reſtituere Damiatam, & eo poſtea ingreſſo navigium ad receſſum, nonnullos de ſuis, qui in civitate ipſa in lectis ægritudinis decumbebant, & alios, qui navali caruere præſidio, indifferenter manus inimica peremit: non adfuit illis defenſionis brachium, nec pro eis locus refugii eſt inventus. Ah Domine Deus, ubi ſunt inclyti athletæ tui, ubi robuſti pugiles, ubi propugnatores electi, qui fide fulgentes, ferventes devotione, & experientia præcipui, ad tuum prælium contra tui blaſphemos nominis ſalvificæ crucis armis inſignibus ſe accinxerunt præliandum? *& infra.* Nequaquam ambigimus, quin hi feliciter concluſerint dies ſuos, quin tu Domine, pro quo dormitionem acceperunt in vitam eos tranſtuleris abſque termino duraturam &c. MANSI



gnum ad vindicandam S. Ludovici ſervitutem ac fuſum ſanguinem Chriſtianum expeditionis ſpecie multa flagitia patravit. Aggregarant ſe iis ruſticorum puerorum, aliorumque ſimplicium hominum multitudo, qui jactantibus divinitus objectis viſis ſe potitos ac miracula edidiſſe, fidem adhibuerant: eoque mali labes progreſſa erat, ut Pariſiis, qui inter ipſos ſe magiſtros affectabant, epiſcoporum ſibi auctoritatem arrogarent: aquam luſtralem conficerent: matrimonia ex arbitrio conjungerent, diſſolverentve: eccleſiaſticos injuriis graviſſimis ac morte ipſa afficerent: crucem accedentibus imponerent, aliiſque jam cruceſignatis detraherent.

Paſtorelli exorti in Galliis graviſſima mala infligunt.

XXX. Præcipuus omnium dux erat apoſtata Ungarus genere, provectus ætate qui Babyloniæ ſoldano, induta ſuperſtitione Mahumetica, erat pollicitus, ſe ipſi infinitam Chriſtianorum multitudinem proditurum. Callebat ille Germanicum, Gallicum, Latinum, & Sarracenicum idioma, ſuiſque præſtigiis, prætenta religionis larva, ſuos circumſcripſerat; cum re ipſa religionem perdere, atque eccleſiaſticos trucidare meditaretur. Edidit Aureliani magnam ſacerdotum & religioſorum virorum ſtragem: ac plura Bituricibus mala inflixit; cumque in laicos pariter & eccleſiaſticos ſævire cœpiſſet, a Bituricenſibus eum inſequentibus dum progrederetur, interceptus cum ſuorum audaciſſimis obtruncatus eſt: omniſque illa multitudo partim cæſa, partim diſſipata, partim veræ cruceſignatorum militiæ nomen adſcripſit.

Cæſo ſectæ auctore diſſipati.

XXXI. Lugentibus porro omnibus occidentis Chriſtianis, quos vel minimus religionis amor imbuerat, ſoli Friderici ſequaces Gibellini, ut qui de Eccleſiæ cladibus triumphare conſueverant, & cum impietatis omnis anteſignano Friderico cum Sarracenis ſentire; Florentiæ, ubi dominabantur, feſtos dies & convivia læta, ut refert Joannes Villanus, (*a*) celebrarunt: Fridericus vero, ut erat artibus omnibus inſtructiſſimus, miſſis ad ſoldanum oratoribus liberandi Regis Francorum ſpecie, creditus moliri ſoldanum ipſum inducere, ut S. Regem in vinculis detineret: plures enim Gallos proceres id opinatos refert Jonvillæus (*b*). Sed ſpe ſua ac fraudibus illi excidere, cum jam e carcere emiſſum reperiſſent. Galliis enim tyrannus ſpe & cupiditate imminebat, utque refert Pariſius, excreſcebat adeo tunc ipſius potentia, ut Willelmum Regem omnino deprimeret, & Cabochium legatum provincia ſua deturbaret: plures civitates ſuis partibus irretiret, atque etiam Arelatum & Avenionem, miſſo præſidiario milite, adactiſque ſacramento civibus, ſuæ ſubiiceret ſervituti.

Fridericiani de S. Ludovici clade lætos dies agunt.

(*a*) *Jo. Villan. l. 6. c. 37.*

(*b*) *Jonvill. in hiſt. S. Lud. p. 2.*

Doli a Friderico in S. Lud. conflati.

(*c*) *Ext. ea de re Friderici lit. apud Petr. de Vineis.*

(*d*) *Id. ib.*

Amplificatæ illius vires.

(*e*) *Stad. in chr.*

(*f*) *Monach. Pad. in chr. l. 1.*



Sed divina vindicta brevi illius potentiam, quæ magnis a Vatacio Imp. receptis auxiliis (*c*) terrorem omnibus incutiebat, evertit.

(*g*) *Ricord. Maleſp. hiſt. Florent. c. 143.*

XXXII. Hoc quidem anno extinctum infelicem principem teſtantur auctores Pariſius, (*d*) Stadenſis, (*e*) monachus Patavinus, (*f*) fragmenti hiſtorici incertus auctor aliique: ſed omnium inſtar Innocentius in literis, ſequenti anno ineunte exaratis. Quamquam non ita de loco in quo obiit conſentiant, cum alii in Sicilia, alii in Apulia defunctum ſcribant. Ricordanus (*g*) quidem atque ex ipſo, uti ſolet, Joannes Villanus (*h*) tradunt ipſum graviori morbo apud Aprutios tentatum in Apuliam commigraſſe: cumque illi a dæmone præſagitum fuiſſet, ipſum Florentiæ moriturum, quam ob cauſam eam urbem poſtea declinabat, quaſi tam inſana fuga immortalitatem eſſet conſecuturus, Florentiolam in Apulia pervenit: atque a maligno ſpiritu ita deluſus, in eo loco diem ſuum obiit, cui etiam conſentit rerum a Conrado & Manfredo geſtarum ſcriptor (*i*) his verbis: *Mortuus eſt ipſe Imperator apud Florentinum in Capitanata Apuliæ .. die menſis decembris*, IX. *indict.* Dies porro, quæ in hoc M.S. excidit ex aliis auctoribus colligitur, a quibus ſanctæ Luciæ ſacer dies conſignatur. Recenſent aliqui funeſtam illius mortem, atque vitæ quam duxerat reſpondentem: nimirum a Manfredo notho filio, impoſito ori pulvino, præfocatum (*k*): atque ita exauctoratum Imperio, defixum ab Eccleſia anathemate, ſine pœnitentia, nulliſque munitum ſacramentis manu parricidæ oppreſſum.

(*h*) *Jo. Vill. l. 6. c. 42.*

(*i*) *Long. hiſt. Pol. l. 7. hoc ann.*

Inanibus dæmonum oraculis deluditur.

(*k*) *Ricord. Maleſp. hiſt. Flor. c. 143. & alii.*

A Manfredo præfocatur chron. incert. auct. de præclaris Franc. facinoribus.

Dubiæ an in morte pœnituerit auctorum ſententiæ.

(*l*) *Stad. in chron.*

XXXIII. Verum alii ipſum pœnituiſſe ſcelerum in extremo vitæ actu, atque Eccleſiæ a Panormitano archiepiſcopo conciliatum, riteque ſacramentis expiatum, ut Stadenſis, (*l*) & Siffridus, (*m*) atque ex Crantzio novatores (*n*) aſſerunt: Pariſius (*o*) vero tanta eum pœnitentiæ ſigna præ ſe tuliſſe ait, ut cum cenſuris eccleſiaſticis, quibus devinctus erat, ſolutus eſſet, Ciſtercienſium habitum religioſum induerit, atque ingentis patratorum criminum doloris, & Chriſtianæ animi demiſſionis exempla explicuerit. Inter quæ Willelmus de Podio Laurentii hæc affert (*p*): *Suum in fine recognoſcens errorem exhiberi ſibi in morte funera imperialia, & plangi etiam interdixit, quod Eccleſiæ inobediens fuerit & rebellis*. Quæ Bernardus (*q*) & Jordanus (*r*) ex ipſo hauſere. Eliciuntur etiam aliqua illius pœnitentiæ ſigna ex teſtamento, (*s*) quo extremam voluntatem expreſſit; ut ponderat Cardinalis Baronius, (*t*) qui illius præcipuum caput affert, quo erepta Eccleſiæ terræ ac jura occupata reſtitui juſſa ſunt; additque: *Sicque illud propheticum* (*u*) *de ini-*

(*m*) *Siffrid. epit. l. 2.*

(*n*) *Novat. cent. 13. c. 7. col. 688.*

(*o*) *Par. hiſt. Angl. hoc an.*

(*p*) *Guill. e Podio Lauren. in chr. c. 49.*

(*q*) *Ber. chr. Rom. Pont.*

(*r*) *Jord. MS. bibl. Vat. ſignat. n. 1960.*

(*s*) *Ext. apud Par. ann. 251.*

(*t*) *Baron. XI. to. Annal. ann. Chriſt. 1097. n. 82.*

(*u*) *Jer. 12.*

*inimicis Eccleſiæ: Sanctifica illos in die occiſionis; hoc impio tyranno magna Dei miſericordia conceſſum, ut noviſſimo elogio, quæ pii principis eſſent, præſtare poſſet.* Hæc Baronius, e cujus M. S. notis (*a*) Friderici teſtamentum, quod ipſe e manuſcripto codice bibliothecæ Frumenti protonotarii apoſtolici decerpſerat, adducendum putamus: in quo etiam Conrado imperatum legitur, ut ditionem aliaque jura, quæ injuſte ſe invaſiſſe fatetur, Eccleſiæ reſtitueret: *Teſtamento nobis inſtituimus heredem illuſtriſſimum, & excellentiſſimum Regem Conradum filium noſtrum in corona & Romano Imperio, in omnibus facultatibus & theſauris, in omnibus & ſingulis bonis noſtris, quæ noſtro ſubjacent dominio, vel quæ ſubjacere debent ſub cœlo ſuper terram ab oriente uſque ad occidentem, a meridie uſque ad aquilonem. Præcipimus eidem Conrado illuſtri Regi, ut centum millia unciarum auri expendere debeat in recuperatione Terræ ſanctæ ultramarinæ, ſanctiſſimi ſepulcri Salvatoris noſtri: non prætermittentes quin eidem Regi injungamus, ut debeat reddere & reſtituere omnia jura, omneſque rationes ſanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ noſtræ matri, quæ & quas poſſidemus injuſte, ſi eidem Chriſtianiſſimo ipſa miſericors & pia mater jure debita facere non ceſſabit. Illuſtrem Regem Fred. nepotem noſtrum nobis heredem inſtituimus in ducatu Aſtiric & Sueviæ, &c. Henricum filium heredem inſtituimus regni Siciliæ, Manfredum filium heredem inſtituimus in principatu Tarenti, nepotem Corradinum heredem inſtituimus in comitatu Catanenſi.* Affert etiam Pariſius (*b*) Friderici teſtamentum: ſed in quo nonnulla ab hoc admodum diſcrepant. [1]

Subjungit Baronius in iiſdem notis Fri- XXXIV.
derici monita Conrado data ex ſuperiori codice delibata quorum exemplum ſubiicimus: *Fridericus Dei gratia, &c. Conrado Regi. Gloria genitoris eſt filius ſapiens, & ex obedientia filii, paterna quotidie benedicitur. Gaudium eſt nobis, o Cæſarei ſanguinis divina proles, quod regalis indoles tua laudabiliter clareat: quod ſcientia quotidie proficias & ætate, ut honorificetur nomen Auguſti patris in Rege filio, & eam impleas virtute regnantem. Benedicat itaque dextera noſtra tibi, & tuorum incrementis honorum ac ſtatui tuo paterno zelum ſolicitudinis * aſpirares. Hortamur filiationem tuam, quatenus per gratiam noſtram, quam in te gerimus paterno corde diffuſam, de bono in melius dirigas mores tuos, & de virtute proficiens in virtutem: & cum materiam virtutis habeas, proferas in actu. Conſiliariorum ac procerum tuorum prudentiam non abhorreas informare: ſervoſque bilingues aſpernari, viros honeſtate conſpicuos audire te volumus, & amare. Leves & levia non admittas. Palpans & adulator in aula tua locum non habeat, & detractoribus aures regias non impendas.*

XXXV. *Prælatos nobis & Imperio noſtro devotos, ac viros eccleſiaſticos indeſinenter honores ob auctoris reverentiam, qui regna conſtituit & imperat univerſis. Serenitatem tuam militibus & militiæ directoribus affabilem præbeas. Subditis juſte pius, & pie juſtus exiſtas; pacificus Rex & verax, ut junctæ ſibi miſericordia & veritas obviantes, juſtitia ſimul & pax tuum regale ſolium complectantur. Aucupationes & venatorum ſolatia Regibus aſſueta tibi non interdicimus loco & tempore cum exercitantibus hominibus exercendi: monemus tamen & id facere volumus ad cautelam, quod venationis exercitio, vel diductionibus avium non te exhibeas adeo familiarem venatoribus, vel baliſtariis, ut gravitatem regiam offendas, & .. alternes & inficias tuos mores. Ad nos autem memoriter reſpectum habeas, & velut nobis in pectore ſingula prævideas, & ſequaris aſſiſtentium lateri tuo de ordinatione noſtra conſiliariorum conſiliis inhærendo: & ſcias vitare noxia & ſalutaribus informari. Improviſa fratris tui quondam Henrici Regis, & incauta temeritas veniat frequenter in mente; qui pro eo quod nobis credere noluit, & obedire patri filius recuſavit, ſecutus eſt adulationes & blanditias, nec non prava conſilia diſſipantium bona ſua & pervertentium quotidie mores ejus; unde cecidit a ſede quam habuit, & tu fili bonæ indolis locum ejus, nobis cedentibus, accepiſti. Si ergo nobis obediens, & devotus verba noſtra memoria retineas, & tam affectu, quam opere proſequaris, augeatur in te benedictio noſtra, & regnum tuum optata felicitate firmetur.* Hactenus de Friderici vitæ geſtis; jam nonnulla de illius exequiis afferamus.

Magna pompa a Manfredo in montis XXXVI.
Regalis eccleſia ſepultum ſcribunt (*a*) Ricordanus & Joannes Villanus, atque hoc

(*a*) *Baron. in notis quæ apud nos extant e cod. MS. Petr. de Vin.*

Teſtamentum Friderici. Conradus heres in imperio relictus. Centum millia unc. auri in ſubſid. Terræ S. relicta.

Jura Eccleſiæ reſtitui juſſa. Fred. nepoti Auſtriæ & Sueviæ ducatus traditi. Henrico conceſſa Sicilia. Manfredo principatus Tarentinus datus.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. an. 1251.*

Friderici ad Conradum monita.

(*a*) *Ricor. & Jo. Vill. ubi ſup.*

NOTÆ [1] Obiit hoc anno Fridericus imperator, qua de re inter ſcriptores omnes accuratiores convenit; nec diſſident de menſe, & die emortuali, cum menſem decembris, & diem XIII. S Luciæ feſtam aſſignent. De mortis genere non conveniunt, cum morbo ſublatum alii affirment, alii morbo laboraſſe concedunt; ſed cum convaliturus videretur a Manfredo ſuffocatum tradunt. Quibus ſuffragari arbitror teſtimonium hac in re ſincerum Spinelli in Ephemeridibus Neapolitanis vulgatis primum a PP. Bollandianis in propilæo ad acta SS. maii, dein Italice, prout illas ſcripſit Spinellus, & Latine ex verſione PP. Bollandianorum Muratorius in to. VIII. rer. Italic. Vivebat autem Spinellius per hæc tempora, agebatque Juvenatii, quæ urbs eſt regni Neapolitani in Barenſi provincia, ab oppido Florentino, ubi Fridericus deceſſit VI. m. paſſibus diſtans. Scribit ille Fridericum obiiſſe die XIII. decembris, cum præcedentis diei veſpere adeo ſe convaluiſſe affirmaret, ut mane alterius diei, e lecto ſurgere propoſuiſſet. Inopina adeo mors ſuſpicionem de Manfredo vulgatam confirmat.

Ante obitum pœnituiſſe de iis, quæ in eccleſiam Romanam peſſime commiſerat, non ii tantummodo ſcriptores, quos hic laudat annaliſta, tradunt, ſed & confirmare videtur filius ejus nothus Manfredus, cujus epiſtolas duas, occaſione obitus Friderici ſcriptas ad Conradum imperatorem evulgavit Baluzius Miſcellan. to. I. pag. 475. In altera enim ex illis teſtatur: *Fridericus in ipſis mortis indiciis ſacroſanctam Romanam eccleſiam matrem ſuam in corde contrito veluti fidei ortodoxæ zelator humiliter recognovit, & damna, quæ dudum eccleſiæ, invitus forſitan, vel potius provocatus, intulerat integre reſtituenda ſancivit.* Sed verba iſta nullam majorem pœnitudinem deſignant, quam quæ in ipſo Friderici teſtamento exprimitur; in quo de damnis illius reſarciendis quid edixerit, quæ ibi pœnitudinis indicia exhibuerit inferius expendemus. Illud conſtat, S Romanam eccleſiam nec pœnitudinem ejus, nec a cenſuris abſolutionem agnoviſſe vel approbaſſe, ut eruo ex Nicolao de Curbio, qui cum arcanorum omnium Innocentii, cujus tunc conſcientiam mordebatur, conſcius eſſet, in vita ejuſdem Innocentii cap. XXIX. ſcribit: *In Apulia caſtro Florentini laborans, gravibus diſſenteriis, frendens dentibus, ſpumans, ſe diſcerpens, ac rugiens immenſis clamoribus excommunicatus & depoſitus, miſerabiliter expiravit.*

Ad teſtamentum Friderici quod attinet multa hucuſque ea de re diſputata ſunt inter ſcriptores. Neque enim deſunt qui inteſtatum deceſſiſſe ſcribebant apud Spondanum ad hunc annum num. XX. ſuſpicantes illud, quod pervulgatum tunc a filiis fuit Friderici teſtamentum eorum fraude ſuppoſitum fuiſſe. Favet huic conjecturæ mira codicum & authorum in eo referendo diſcrepantia. Nam aliud ex Vaticano codice a Baronio deſcriptum vulgavit Raynaldus hic, cui perſimile legiſſe in MS. codice Summontius hiſt. Neap. to. II. cap. 8. ex iis, quæ ibidem refert, intelligimus. Ab hoc diſcrepat teſtamentum Friderici, quod apud Pariſium legitur. Plane ab his diverſum teſtamentum Friderici, quod integrum recitat vetuſtus author chronici Siculi, vulgatus in anecdotis Martenii tom. III. cui fere per omnia cohærent eædem ſupremæ tabulæ quas in ſuo chronico inſeruit F. Franciſcus Pippinus Bononienſis ſæculi XIV. ineuntis ſcriptor (cujus pariter ætatis eſt anonymus Siculus) cujus opus extat rer. Italic. to. IX. Sed utriuſque hujus documenti fides ſuſpecta reddi poſſet ex nota temporis quam præfert; ita enim concepta eſt: *Anno ab incarnatione milleſimo ducenteſimo quinquageſimo die ſabbati, ſeptimo decimo menſis decembris VIIII. indictione. Nos igitur* Fridericus II. &c. Ita legit author Siculus. Pippini lectio fere congruit: Anno ab Incarnatione MCCL. die XVII. menſis decembris, VIII. indictione. Diſſidet uterque iſte codex in indictione; ſed facile utrinque convenire poteſt, cum annus iſte indictionem VIII. ita ſignaret, ut ſi in ſeptembri immutanda fuerit prout apud multos tunc obtinebat, nonam etiam in decembri admitteret. Verum die XVII. decembris quæ utrimque legitur, Fridericus jam deceſſerat. At forte nihil eſt mendi in anonymo Siculo, cum recta interpunctione adhibita ſanari optime poſſit. Ita enim legendus eſt: Anno ab incarnatione milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, die ſabbati ſeptimo (ideſt quæ dies ſeptima eſt inter hebdomadam) decimo menſis decembris &c. porro dies X. decembris anno illo in ſabbatum incidit. Hanc vero ſcribendi rationem minime aſſequutus F. Pippinus numerali nota exprimendum tempus illud quo teſtamentum ſignatur cenſuit, & numerum VII. poſt X. pro more adjecit, atque ita anachroniſmo manifeſto ſupremas Friderici tabulas vitiavit. Aliud etiam mendum in textum utriuſque monumenti a Siclo, & a F. Pippino producti irrepſit; inter teſtes enim legitur *Bertoldus marchio de Hoembruch*; cum litera B, quæ forte in autographo ſignata erat ad nomen teſtis hujus deſignandum legenda fuerit *Bartholomæus*. Id enim nominis marchioni de Hoemburch, a Conrado poſt biennium miſſo ad pontificem, tribuit Nicolaus de Curbio vitæ Innoc. cap. XXXI. Sed adhuc dubium ſuboritur apud quem hiſtoricum mendum irrepſerit; cum Nicolaus de Jamſilla, qui geſta filiorum Friderici a Raynaldo ſub nomine anonymi de geſtis filiorum Friderici ex MS. Vaticano laudata literis conſignavit, *Bertoldum* non vero Bartholomæum principem hunc nominet. Cæterum ſi a Friderico teſtamentarias tabulas relictas teneamus, tunc profecto genuinum ejus teſtamentum non illud quidem quod ex Baronio Raynaldus edidit, ſed illud quod ex anonymo Siculo & ex Pippino laudavimus cenſendum erit. Cum Raynaldi illud regnum Siciliæ Henrico alteri Friderici filio aſſignet; noſtrum vero Conrado imperatori tribuat. Congruit id cum epiſtola Conradi ad Manfredum, relata ab eodem F. Pippino chronic. lib. III. cap. 3. in qua idem Conradus in rem noſtram ſcribit: *Cum divina providentia nos ex conceſſione paterna poſt mortem ipſius tam ad imperii culmen, quam ad regni Siciliæ regimen duxerit erigendos*; & inferius Siciliæ regnum *inter alias omnes terras hereditatem ſuam pretioſam* appellat. In poſtremo etiam hoc teſtamento ab anonymo Siculo producto de comitatu Catanienſi relicto Conradino filio Conradi per hos annos nato, nihil legitur. Viciſſim autem regnum Hieroſolymitanum ſive Arelatenſe (ad electionem Conradi imperatoris) creditur Henrico alteri Friderici filio, qua de re nihil in monumento annaliſtæ. Multo ſunt etiam ad Friderici indolem ſuperbam accomodata ea, quæ de eccleſia Romana in eodem anonymi Siculi teſtamento leguntur. *Statuimus ut ſacroſancta Romana eccleſia matri noſtra reſtituantur omnia jura ſua, ſalvo in omnibus & per omnia jure & honore imperii, heredum noſtrorum, ſi ipſa reſtituat ſua imperii.* Veteres ſunt iſtæ Friderici cantilenæ, qui cum erga eccleſiam Romanam ſe geſſerit impudenter, tueri ſe jura imperii cauſabatur, profeſſus ſe ab injuriis receſſurum, ſi viciſſim eccleſia jura imperii remiſiſſet. Interim vero de regno Siciliæ ac de patrimonio ſuo in eodem teſtamento diſponit; quanquam in illo jus ſibi eccleſia non inane vindicabat. Hæc ſunt argumenta illius pœnitudinis, quam morientem Fridericum exhibuiſſe ſcriptores quidam teſtantur. MANSI

Ejuſdem epitaphium.

hoc epitaphium ejus ſepulcro inſculptum :

*Si probitas, ſenſus, virtutum gratia, cenſus*
*Nobilitas orti poſſent* * *reſiſtere morti;*
*Non foret extinctus Federicus, qui jacet intus.*

* *obſiſtere.*

Fuiſſe de re literaria bene meritum tradunt ſcientia rerum naturalium ac plurium lingarum cognitione inſtructum; atque etiam librum de natura & cura avium compoſuiſſe (*a*). Circumfertur aliud ejuſdem epitaphium, quo maximam Regum potentiam, dignitatem, opes in ſepulcri titulum redigi non ineleganter deſcribitur.

(*a*) *Anony. auct. MS. de reb. Conradi & Manfredi.*

*Qui mare, qui terras, populos, & regna ſubegit,*
*Cæſareum fregit ſubito mors improba nomen.*
*Sic jacet, ut cernis, Federicus in orbe ſecundus:*
*Nunc lapis hic, totus cui mundus paruit, arcet.*
*Vixit an. LVII. Imper. XXXIII. regni Hieruſalem XXXVIII. Et regni Siciliæ LI. obiit an. Domini MCCL.*

Eadem porro nocte, qua ille interiit, ipſius præfectum Florentiæ Ranerium e monte Merlo, concidente fornice cameræ, in qua jacebat, oppreſſum tradunt: (*b*) nec dubium ſignum extitiſſe ipſius dominationem brevi Florentiæ interituram. Ut vero ex tyranni morte res Eccleſiæ, quæ depreſſæ erant, aſſurrexerint, ſequenti anno dicemus; nunc de præcipuo illius tyrannidis adminiſtro nonnulla attingamus.

(*b*) *Ricord. ubi ſup. c. 143. Jo. Villan l. 6. c. 44.*

XXXVII. Edidit adverſus Ezelinum, cui nihil humani, quam vultus inerat, Willelmus Romanorum Rex regiam ſanctionem (*c*): ipſum ut hæreſeos infamia aſperſum graviſſimis ſubjecit pœnis; ejuſque bona in Albericum e Romano, qui pontificias partes ſtrenue tuebatur, transfudit.

(*c*) *Ext apud Inn. ep. l. 11. ep. 624.*

*Vvillelmus Dei gratia Rom. Rex ſemper Aug. Nobili viro Albrico de Rom. dilecto fideli ſuo grat. & bonum omne.*

*Nos diligentius attendentes præclaram fidem, & devotionem ſinceram, & inconcuſſam conſtantiam, quam erga ſanctam matrem Eccleſiam, ac ſacrum Romanum Imperium, in prompta & jugi proſecutione negotiorum ſuorum, non ſine gravibus & diſpendioſis laboribus, non ſine magnis perſonæ, & rerum tuarum periculis, dignoſceris habuiſſe, quem nulla tribulatio, nulla unquam potuit anguſtia ſuperare, ut te ab obſequio, & devotione Eccleſiæ ſepararet; conſiderantes etiam nefandam malitiam, & obſtinatam rebellionem Ezelini fratris tui, qui contemptor excellentiæ noſtræ, ac conculcator eccleſiaſticæ libertatis eo minus de fide habere connititur, quo in ipſius orthodoxæ fidei zelatores crudelius, & inhumanius deſævire probatur: qui etiam vilipenſis Eccleſiæ clavibus F. quondam Imperatori patenter aſſiſtens ad Eccleſiæ gremium pertinaciter redire contempſit; quem inſuper dominus Papa, tanquam hæreticum reputans, decrevit latis adverſus hæreticos ſanctionibus ſubjacere: præfatum Ezelinum ſuis culpis exigentibus, caſtris, villis, terris, poſſeſſionibus, juriſdictionibus, juribus, vaſſallis, mancipiis, & eorum peculiis, ac univerſis bonis, quæ occaſione diviſionis inter te, & ipſum hereditate de bonis paternis; ſive adhuc patre vivente, & ipſius conſenſu, ſive jam mortuo, & omnibus aliis bonis, quæ poſtea jure hereditario ex parte patris, vel aliunde; & inſuper quæ alias emptionis, donationis, permutationis, aut quoquo alio juſto titulo undecunque ad ipſum Ezelinum uſque ad præſentem diem quocumque tempore pervenerunt, aut ſi quid jure ulterius pervenerit ad eundem: auctoritate regia privamus omnino, & condemnamus eum in amiſſione omnium prædictorum: tibique ac tuis heredibus adjudicavimus omnia ſupradicta, & ad te pertinere decrevimus cum omni plenitudine rationis. Quicquid autem ad Imperium, vel fiſcum noſtrum in bonis memoratis pertinere dignoſcitur; ſeu poſſit, & debeat de jure devolvi pro eo, quod hæreticus reputatur idem Ezelinus, debeat prædictis ſanctionibus ſubjacere, ſive quod noſtram læſerit, vel offenderit majeſtatem, ſive quod in dictum F. de bonis ſuis aliquid duxerit transferendum; id tibi ac tuis heredibus pleno jure de ſpeciali gratia liberaliter concedimus, & donamus; ipſorumque bonorum omnium prædictorum intromiſſiones faciendi, & poſſeſſiones apprehendendi auctoritate tua, liberam tibi damus & concedimus facultatem ea pro tuis amodo pacifice poſſidendi, &c. Dat. in caſtris ante Geylenhuſem* VI. *non. octobr. indict.* XI. *anno Domini MCCL. regni vero noſtri* II. Confirmata eſt poſtea ab Innocentio (*d*) hæc Willelmi Regis ſententia in Ezelinum, cum in dies crudelius graſſaretur, ſed de eo ſatis. Jam ab immaniſſimo homine ad crudelem alium principem, Abelem ſcilicet vel alterum potius Cainum, qui in fratrem Ericum, ſive Henricum Daniæ Regem cruentas manus injecit, hiſtoriam traducamus.

(*d*) *Ead. ep. 624.*

XXXVIII. Abelis ducis in Ericum Regem dira proditio.

In Dania cum potiundæ tyrannidis cupiditate dux Abel ad atrox & immane facinus, ut majorem natu fratrem e medio tolleret, animum obfirmaſſet, Ericum ab illius inſidiis nil tale cogitantem in amœnum locum delitiarum cauſa invitavit: in mediis enim aquis domus aſ-



ſurgebat, atque ad temperandos æſtus, colligendaſque frigidiores auras magnis artis lenociniis condita fuerat. Quo cum pellectus Rex fuiſſet ac latrunculis luderet, Abel improviſus advenit, fratremque in paratam cymbam conjecit, quam in medias aquas impelli juſſit, ut ſecuri fratrem feriret, ferroque onuſtum corpus aqua ſubmergeret. Non expavit ad periculum Rex, ſed ut narrat Albertus Stadenſis (*a*) ad mortem chriſtiano viro dignam ſe comparavit: *Rex*, inquit, *cum mortem inevitabilem vidit, ſacerdotem petiit, & obtinuit: & facta confeſſione, ut dicunt, intime decollatori flagitium indulſit, & jam decollandus dixit: Frater meus, ſicut ante Deum heu merui, turpem mihi ingerit mortem: ſed ipſe ſi ſe non emendaverit, ſentiet turpiorem. Iſtud contigit in nocte Laurentii. Non multo poſt corpus inventum eſt a Prædicatoribus ipſo ferro onuſtum, & capite adhuc ad collum pendente. Sepelierunt eum Prædicatores in eccleſia ſua Sleſvvic.* Hæc Stadenſis, cui Siffridus (*b*), Bernardus (*c*), Joannes Longinus (*d*) & alii conſonant.

(*a*) *Albert. Stad. in chr. hoc ann.*

Erici in morte conſtantia.

(*b*) *Siffrid. epit. l. 2.*
(*c*) *Ber. chr. Rom. Pont.*
(*d*) *Long. hiſt. Pol. l. 7.*

XXXIX. Diſcrepat nonnihil Pariſius a Stadenſi, qui in annum proximum refert, quem Crantzius (*e*) & novatores (*f*) ſequuntur: addit vero Abelem fratris corpus ter in mare ferro graviſſimo alligatum projeciſſe, cum illius ſepulturæ inviderет, quo memoriam ipſius deleret: ſed divino miraculo in litus projectum, ac Minoritas eo viſo, ſepulcro in ſua eccleſia corpus tradidiſſe, illudque magnis poſtea miraculis colluſtratum. Corripuit mox Abel imbutum fraterno cruore Daniæ ſceptrum, atque in omnium ſanctorum feſto regia inunctione delibutus eſt; verum non diu ſceleris præmio potiri licuit: anno enim proximo vel altero a Friſiis, quos reprimere nitebatur, occiſus occubuit, ac Lago, qui Abel in necando Erico conſenſerat pariter interfectus cœleſtis iræ exemplum extitit; ſed de his ſatis jam ex Danicis rebus ad Suedicas digrediamur.

(*e*) *Crantz. Dan. hiſt. l. 7. c. 21.*
(*f*) *Cent. 13. c. 16. col. 1341.*

XL. Nefarius in electionibus præſulum mos ſublatus in Suecia.

Suſcepta erat improba apud Suecos conſuetudo, ut epiſcopi non a canonicorum collegio eligerentur, ſed ad nutum Regis ac procerum loci; tum ad tumultuantis populi confuſas voces, inſtituerentur: quem morem cum Epiſcopus Sabinenſis A. S. L. a canonicis inſtitutis abhorrere comperiſſet, convulſit: cujus acta Innocentius, datis hiſce ad Upſalenſem archiepiſcopum & ſuffraganeos, ac Sueciæ clerum literis, confirmavit (*g*).

(*g*) *Inn. l. 8. ep. 205.*

*Archiepiſcopo Upſalen. ejuſque ſuffraganeis, & dilecto filio toti clero regni Sueciæ.*

*Lecta nobis ex parte univerſitatis veſtræ petitio continebat, quod cum dudum in regno Sueciæ quædam conſuetudo, quæ corruptela dicenda eſt verius, inoleverit; videlicet, ut cathedralibus eccleſiis regni non præficerentur aliqui, niſi quos in eis inſtitui, vel deſtitui potius per poteſtatis ſæcularis potentiam, Regis ſcilicet & baronum; necnon & ad clamorem tumultuantis populi regni prædicti contra ſacrorum ſtatuta canonum contingebat; venerabilis frater noſter Sabinenſis epiſcopus, tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legatus, tam deteſtandæ præſumptionis abuſum diligenter attendens; ac volens ſuper hoc ſalubre remedium adhibere, provida deliberatione ſtatuit, ut in ſingulis eccleſiarum ipſarum, in quibus adhuc capitula nulla erant, unus prælatus idoneus, & ad minus quinque canonici habebantur, per quos eiſdem eccleſiis pro tempore vacaturis poſſit de futuro epiſcopo, per electionem canonicam provideri. Nos igitur, veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, ſtatutum hujuſmodi provide factum auctoritate apoſtolica confirmantes, præſentium tenore ſtatuimus, ne quis de cætero in aliqua eccleſiarum ipſarum in archiepiſcopum, vel epiſcopum per abuſum hujuſmodi præfici debeat, ſed ille præficiatur, quem ejuſdem eccleſiæ capitulum, vel eorum major & ſanior pars, forma ſervata canonica, ſibi duxerit eligendum: nec quiſquam ad jura, redditus, & bona ad menſam archiepiſcop. ſeu epiſcopalem ſpectantia, vel bona, quæ apud vos vel quemcumque ſucceſſorum veſtrorum tempore ſui obitus reperiri contigerit, occupare, vel invadere, ſeu contra diſpoſitionem ipſorum præſumptione damnabili aliquatenus detinere præſumat, quæ per capitulum eccleſiæ, vel alium ad hoc deputatum ab ipſis ad opus futuri epiſcopi fideliter conſerventur; diſtrictius inhibentes, ne aliqua ſæcularis perſona contra ſtatuta hujuſmodi quicquam attentare, aut a vobis, vel ſucceſſoribus veſtris homagii, vel fidelitatis exigere, ſeu oblatum recipere audeat juramentum: maxime cum, ſicut aſſeritis, pro aliquorum receptione regalium, ſeu feudorum obtenta eiſdem Regi, & baronibus, ſeu aliis perſonis ſæcularibus obnoxii nullatenus exiſtatis. Datum Lugdun.* VII. *id. decemb. anno* VIII. Hactenus Innocentius, qui in eo pontificias partes implevit.

XLI. Græci Cypri ad Eccl. Rom. obſequium traducti.

Pertinuit etiam ad munus apoſtolicum venientibus nonnullis Græcorum ſchiſmaticis atque in obſequium Eccleſiæ Romanæ procumbentibus, ſinum amantiſſime explicare. Cyprii enim Græci plures a fidelium communione alieni Innocentio Papæ ſe ſubiecerunt, ac nonnulla iis beneficia expoſcentibus, ut ſuæ nationis Præſules quatuordecim epiſcopatibus, ut antea conſueverant, præficerent, non ſubeſſent Latinis præſulibus; ſed pari cum ipſis libertate ſedi Apoſtolicæ tantum eſſent obnoxii; liberaliter indulſit: nonnullaque alia, quæ ad conciliandam cæte-

terorum Græcorum gratiam, ut eorum exemplo ad conjunctionem pellicerentur, pertinebant, adiecit; ut ex ſubjectis literis (*a*) epiſcopo Tuſculano miſſis conſpicuum eſt:

(*a*) *Ib. ep.* 19.

*Innocentius &c. epiſc. Tuſculano A. S. L.*

Egregiam in ea perficienda conjunctione operam Laurentius Min. contulit.

*Venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi Græcorum in Cypro tranſmiſſa nobis inſinuatio continebat, quod ipſe olim per dilectum filium fr. Laurentium pœnitentiarium noſtrum, tunc in partibus illis A. S. legatum ab exilio, in quod eum illata ſibi, ut aſſerit, a Latinis prælatis injuriarum moleſtia egerat, revocatus tibi poſtmodum, in eiſdem partibus exiſtenti, cum ſuffraganeis ſuis ſponte obtulit, & humiliter præſtitit Eccleſiæ Romanæ nomine obedientiam manualem: propter quod iidem archiepiſcopus & ſuffraganei de Apoſtolicæ ſedis clementia, quæ illis abundantius ſolet affluere, quos integritatis conſortio reconciliationis novitas inſerit; petitiones ſuas, quas miſſas per communes nuntios coram nobis & fratribus noſtris fecere proponi, ad gratiam exauditionis admitti ſuppliciter poſtularunt. Petierunt ſiquidem iidem nuntii eidem archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus ordinandi, & ſubſtituendi canonice in inſula Cypri quatuordecim ſuæ nationis epiſcopos, cum totidem ibi epiſcopales Græcorum ſedes eſſe conſueverint ab antiquo, permitti de noſtra licentia plenam & liberam poteſtatem: & concedi tam ſibi, quam eiſdem epiſcopis eorumque ſucceſſoribus in Eccleſiæ Romanæ obedientia permanentibus, ne prælatorum Latinorum juriſdictioni ſubiaceant, ſed in ſubjectione ſedis Apoſtolicæ pari cum illis gaudeant privilegio libertatis.*

Quæ Græci ut in fide Rom. Pont. perſtarent flagitarint.

XLI. *De cætero quoque in clericos, & laicos ſuos, liceat eis juriſdictionem ordinariam exercere, prout ante quam ab Eccleſia Romana reſilirent, obedientiam exercebant, eiſque clerus & populus Græcorum, quemadmodum a ſuis ſubditis Latinis prælatis intenditur, obediant in ſpiritualibus, & intendant; & inconcuſſa ſit apud eos canonica ordinum eccleſiaſticorum ſuſceptio, & libera monaſticæ profeſſionis electio, ſicut erat ante quam terra illa ſubderetur dominio Latinorum. Decimas vero, quas archiepiſcopus, & epiſcopi Latini a monaſteriis Græcorum de laboribus ipſorum, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolunt; necnon & a Surianis, & Græciæ liberis regni Cypri exigunt, petierunt omnino dimitti, eorumdem archiepiſcopi Græcorum, & ſuffraganeorum ſuorum uſibus profuturas. Et nihilominus eorundem, ac ſuorum ſuſtentationi clericorum a memoratis archiepiſcopo, & epiſcopo Latinis aliqua decimarum, quæ ipſis de laboribus, & nutrimentis animalium Græcorum præfatæ inſulæ proveniunt, portio aſſignetur.*

XLII. *Ad hæc quoque ipſorum ſupplicatio poſtulavit, ut liberum ſit eis Græcorum omnium ſæpe fatæ inſulæ ſpirituales cauſas audire, ac ſecundum canones, & rationabiles & antiquas ipſorum conſuetudines diffinire, ſuper quibus, ab eis, non ad archiepiſcopum, vel epiſcopos Latinos; ſed ad nos, vel legatum ſedis Apoſtolicæ, quem in partibus illis deputabimus, appelletur: qui ab archiepiſcopo Græcorum Cypri, pro tempore ſubrogato, vice Rom. Pontificis recipiat obedientiæ, & reverentiæ ſponſionem: ipſumque ac ſuffraganeos ejus protegat ab indebitis moleſtationibus, & defendat. Subjecit præterea petitio eorundem, ut quæcunque fuerunt in pœnam inobedientiæ ipſorum, vel ipſius occaſione per bonæ memoriæ. P. Albanenſem epiſcopum, tunc in partibus illis A. S. L. conſtituta, vel ſcripta, & quibuſlibet pactis, vel conditionibus ordinata, ſeu per quoſcumque alios contra archiepiſcopum, & epiſcopos, ac cæteros Græcos inſulæ ſæpe fatæ ab eadem ſede, vel ejus legatis obtenta in irritum revocentur, cum culpæ cauſa ſublata effectus vindictæ debeat ſubmoveri.*

*Quia vero de circumſtantiis, & cauſis, quæ ſuper hujuſmodi petitionibus erudire poſſent animi noſtri motum, reddi ſicut oportuit nequivimus circumſpecti; cum in talibus ita petentium affectibus ſit faciendum, ut circa ea, quæ utiliter expediunt, non erretur; nos plenam obtinentes de tua diſcretione fiduciam, & attendentes, quod de iis, quæ oportebit in conſiderationem deliberationis adduci, vicinitate ſuffragante locorum, tua poterit prudentia facilius informari; mandamus quatenus prælatorum, & aliorum prudentum virorum, quos ſine ſcrupulo ſuſpitionis videris conſulendos, communicato conſilio, ſuper præmiſſis, quæ ab eiſdem archiepiſcopo Græcorum, ejuſque ſuffraganeis poſtulantur, & aliis eorum juſtis deſideriis ſtatuere, ac diſponere providendo, & ordinando auctoritate noſtra procures, quod eorum intentioni pro animarum ſalute, Eccleſiæ pace perpetua, ac ſalutaribus catholicæ obedientiæ incrementis videris convenire. Datum Lugd. XII. kal. aug. anno VIII.* XLIII.

XLIII. Odoni Tuſculan. ep. A. S. L. impoſita provincia ut quod viſum fuerit ſtatuat.

Adjunxere ſe Romanæ Eccleſiæ eodem tempore nonnullæ provinciæ, quæ Græci ſchiſmatis, quo tenebantur, vincula diffregere, ut ſe in libertatem filiorum Dei aſſererent. Prætulit facem inter cæteros populis ſuis Albaniæ epiſcopus, qui nemini extra Romanam Eccleſiam ſalutem patere agnovit. Quem Innocentius benigne excipi juſſit, dataque archiepiſcopo Antivarenſi ſequentibus literis provincia imperavit (*b*) ut ſi nulli Latino epiſcopo antea obnoxius fuiſſet, illum ſedi tantum Apoſtolicæ pariturum decerneret. XLIV.

XLIV. Albania in Eccleſ. Rom. obſequium procumbit.

(*b*) *Eod. l.* 8. *ep.* 62.

*Ar-*





*Archiepiſcopo Antivarenſi.*

*In Græciæ partibus quædam habetur provincia, quæ Arbania nuncupatur, cujus epiſcopus ſolicita mente deſiderans & prudenter advertens, quod poſitis extra fidem, & devotionem ſedis Apoſtolicæ, non eſt datum ad perennis vitæ gloriam pervenire; maxime cum Dei virtus, & Dei ſapientia dominus Jeſus Chriſtus B. Petro Apoſtolorum principi, & ſucceſſoribus ejus Romanis Pontificibus regimen univerſalis Eccleſiæ ſub ſpeciali & præeminenti noſcatur privilegio commiſiſſe; cordi habere dicitur, ut ejuſdem membris Eccleſiæ ad æterni paſtoris gloriam indiſſolubili vinculo conjungatur.*

XLV. *Quia vero ſemper ad hoc noſtri cordis aſpirat affectio, ut ii, qui ab unitate ſedis Apoſtolicæ, reprobæ voluntatis impulſu, aut maligno ſpiritu inſtigante, vel quocunque alio modo diſceſſerunt, ad illius obedientiam redeant, & in divinæ inſtitutionis obſervantia ſincera devotione perſiſtant; nos ejuſdem epiſcopi piis deſideriis favore benevolo annuentes, præſentium tibi auctoritate committimus, ut eundem, ſi nulli prælato Latino fuit unquam, aut eſſe debet de jure ſubjectus, vice noſtra ſolemniter ac publice ad gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ reſumas, cum ſuper hoc fueris ab ipſo humiliter requiſitus; decernens eumdem nulli præterquam Romano Pontifici debere perpetuis futuris temporibus ſubjacere. His autem juxta mandati noſtri formam rite peractis, tu pro nobis & Eccleſia Romana fidelitatis ſolitæ juramentum ab ipſo recipias ſecundum formam, quam tibi ſub bulla noſtra mittimus interclufam. Formam autem juramenti, quod ipſe præſtabit, de verbo ad verbum nobis per ejus patentes literas, ſuo ſigillo ſignatas, quantocyus deſtinare procures. Dat. Lugd. VI. idus aug. an. VIII.*

Decernat Innoc. Albaniæ epiſc. ſedi tantum Ap. obnoxium futurum.

XLVI. Nec Albania modo; verum Unavia & Philot provinciæ, quæ latiſſime excurrunt, miſſo Græcorum ſchiſmate, ſedi Apoſtolicæ ſe ſubmiſerunt. Quo læto nuncio maximo gaudio delibutus Innocentius ſummo Prædicatorum in Ungaria magiſtro munus demandavit (*a*) ut in eas regiones ſocios ad inſtruendos populos, ac traducendos ad Eccleſiæ Romanæ obſequia, mitteret; quos etiam ea auctoritate, quæ ad auguſtum illud munus obeundum neceſſaria erat, inſtruxit; ut in ſubjectis his literis lector conſpicere poterit.

Aliæ provinciæ Eccleſiæ imperio adjunctæ.

(*a*) *Ib. ep.* 61.

*Quaſdam amplas & populoſas provincias Philot Arbaniam, & Unaviam prope Ungariam ſitas eſſe percepimus, in quibus aliqui epiſcopi, ac plurimi ſacerdotes, & clerici ſub Græcorum dominio conſtituti habitant, qui ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſincera mente diligunt, & pro viribus libenter obſervant. Quia vero, virtutum Domino inſpirante, in eorum affectu eſſe perſpicitur, quod ad ipſius Eccleſiæ redeant unitatem, & devotam obedientiam ac reverentiam impendant eidem; nos qui habemus in voto potiſſimum, quod in devio conſtituti convertantur ad viam rectitudinis, & univerſis nationibus per obſervantiam catholicæ fidei proveniat gloria perpetuæ claritatis; præſentium tibi auctoritate committimus, ut aliquos ex fratribus ordinis Prædicatorum tuæ curæ commiſſis, qui ſint probatæ converſationis & vitæ, ac potentes in opere & ſermone, mittas ad provincias memoratas: in quibus verbum Dei proponant, & clericis, ac laicis de ipſius provinciis oriundis, qui ad obedientiam ſedis Apoſtolicæ redeuntes ſunt parati ſatisfacere de commiſſis, reconciliationis, ac eiſdem, ſi aliqua excommunicatione tenentur, abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ largiantur: & cum clericis ex prædictis, qui nullum Eccleſiæ beneficium obtinent a Latinis, ſuper eo, quod excommunicati celebraverunt divina; necnon cum illis, qui juxta ritum Græcorum ordines infra ætatem legitimam, vel temporibus indebitis aut qui omnes eadem die, vel ſuperiores prætermiſſis inferioribus, aut etiam, ſoluto pretio aliquo, ſecundum ritum eundem recipere præſumpſerunt, valeant diſpenſare: ita tamen, ut quod circa ordinationem clericorum ipſorum pro ritus differentia omiſſum eſſe dignoſcitur, per catholicos epiſcopos obtinentes gratiam, & communionem ſedis Apoſtolicæ provide ſuppleatur. Cæterum liceat fratribus ſupradictis eis, qui de provinciis memoratis ad ſolemnem ipſorum prædicationem acceſſerint, indulgentiam quadraginta dierum de injunctis ſibi pœnitentiis elargiri. Datum Lugdun. VI. id. aug. an. VIII.*

XLVII. Illuſtri vero miraculo divinum numen hoc anno catholicæ fidei veritatem in Germania colluſtravit, dum ſacram Euchariſtiam, a facinoroſis hominibus in lacunam projectam, omni corruptionis labe prorſus expertem poſt plures menſes fidelibus oſtendit: *Fures* (*b*) *duo noctu e ſancti Martini templo hierothecam, in qua conſecratæ hoſtiæ novem, furati ſunt anno MCCXLIX. ipſo B. Virginis aſſumptæ pridiano: & argentum illi quidem acceperunt: ſacroſancta vero Dominici corporis fruſtula cum ſacro, quo involuta erant, linteolo in olidam quandam lacunam abjecerunt. Quinto autem vertente menſe contigit ſacrilegorum illorum alterum Iſenaci extrema conflictari ægritudine: ſcelerum pœnitentia tangitur, & cui de illis confiteatur bonum e Franciſcanorum ordine ſacerdotem vocat. Is Erfurti nunquam fuerat, ſed re illa comperta illuc venit: & confeſſionis arcano ſervato, primo-*

(*b*) *Serar. Moguntia car. rerum l.* 5.

Inſigne de veritate corporis Domini in Euchariſtia miraculum.

*mores e civibus ire ſecum, remque maximam quærere obſecrat. Annus jam erat* MCCL. *januarii dies* XIII. *poſt epiphaniam octavus, tum dominicus. Aquæ pro anni tempore congelarant omnes: illa tamen haudquaquam lacunæ pars, in qua Domini corpus, & juratus poſtea pius quidam dixit diaconus ſe perpetuum illic noctu lumen vidiſſe crebrius. Hic igitur Eucharistiam illi, quos quæſiiſſe dicebam, invenerunt & quidem in linteolo integro & ſicco. Re tanta cognita Chriſtianus archiepiſcopus, qui in ea urbe fors tunc erat, clerum populumque totum ſolemni cum proceſſione illuc duxit, auguſtiſſimum Domini corpus ſuſtulit, & in B. Virginis templo venerabunde poſuit. Optimus autem vir Ulricus Vierling, ne divini operis interiret ſenſim, ut in omnibus rebus fit, memoria, impenſis non parvis, prout etiam nunc apparet, curavit.*

XLVIII. Puerulus a Judæis in Hiſpania confixus miraculis eniteſcit.

XLVIII. Confudit quoque divinum numen Judæorum perfidiam ingentibus miraculis, quæ in illuſtrando martyre ſuo Dominico puero ſeptenni, quem Cæſarauguſtæ Judæi ex immenſo, quo flagrant in Chriſtum odio, parieti clavis confixerant, latuſque haſta crudeliſſime transfoderant, explicuit: cum enim ad tegendum ſcelus ſacrum corpus in litore ſepeliendum curaſſent, noctu clariſſimo fulgore locus radiavit. Quo prodigio commoti Chriſtiani eo accurrere; indeque erutas ſacras reliquias magna religioſa pompa in princeps templum extulere: ubi plura miracula patrata ſunt. Quibus viſis Judæus Moſes Albayhuzetus, qui innocentem puerum rapuerat, Chriſto nomen dedit. Cæterum portenderat martyri Deus glorioſiſſimum illud mortis genus, cum ex materno utero crucis humero dextro, coronæ vero figura capiti impreſſa decorum in lucem prodire voluit. Hæc pluribus Hieronymus Blanca (*a*) ex primarii templi, ut ait, tabulario decerpta.

Crucem impreſſa humero naſcens geſtarat.

(*a*) *Blanca comment. rer. Arag. in Jacob. I. Rege.*

XLIX. Inſtituta de Ambroſii Min. miraculis nova quæſtio.

XLIX. Conjungemus glorioſo martyris funeri, vel potius triumpho, ſanctiſſimos confeſſores, de quibus cœlitum albo adiiciendis cum ſummo Pontifice hoc anno actum eſt. Effloreſcebat in dies apud Urbevetanos Ambroſii Minoritæ, qui piiſſime vitam clauſerat, gloria, magniſque miraculis, quæ ediderat, hæreticorum perfidia retuſa fuerat: quare inſtitere apud Innocentium Urbevetani, ut ſanctorum catalogo illum aggregaret, atque acta Gregorii IX. juſſu conſcripta tranſmiſere: ſed cum Pontifex, qui inſtituendi de patratis ejus implorata opera miraculis examinis provinciam Urbevetano & Suanenſi epiſcopis, ac priori S. Joannis Urbevetani injunxerat, non ſervatum in omnibus Eccleſiæ morem comperiſſet, juſſit (*b*) iterum, quæ dicebantur patrata a ſancto prodigia, ad diligens & ſeverum examen revocare: eaſdemque literas, paucis immutatis, tranſmiſit ad Urbevetanos (*c*); tradidit porro ſacris cenſoribus formam, (*d*) ex qua omnes miraculorum circumſtantias erant diſcuſſuri. Cum vero hæ literæ Lugduni IV. non. decembris Innocentii pontificatus anno VIII. exaratæ ſint, dicendum recentiorem auctorem hallucinatum, qui eas ad ſequentem annum refert: tunc enim Innocentius nonum in pontificatu agebat; nec in Galliis, ſed in Italia, ut dicemus, verſabatur.

(*b*) *Lib. 8. ep. 194.*

(*c*) *Reg. Poſt eand. ep.*

(*d*) *Ib. ep. 195.*

L. Propoſitum etiam ſedi Apoſtolicæ rurſum fuit hoc anno, Auguſtinum Nidroſienſem epiſcopum, de quo ſupra memoravimus, poſt mortem multis miraculis effulſiſſe, dignumque omnino videri, cui ſanctorum cultus decerneretur: Innocentiuſque, librata rei gravitate, Bergenſi epiſcopo ac duobus Prædicatorum ordinis prioribus munus commiſit, (*e*) ut ſumma maturitate conſilii & diligentia de ejus rebus geſtis ac miraculis, quæ ipſius precibus patrata fama circumferebat, inquirerent. Agitatum quoque de B. Staniſlao Cracovienſi epiſcopo in martyrum catalogo collocando: atque ad rem urgendam Polonos hoc anno ad Innocentium oratores Lugdunum miſiſſe ſcribit Longinus, (*f*) cum jam Polonia illius ſanctiſſimi viri ſuffragiis maxima apud Deum beneficia, & cœleſtia contra Tartaros auxilia conſecuta eſſet; qua in re promovenda Boleſlaus Pudicus, & Prandothas epiſcopus eximium ſtudium collocarunt. Ut vero Innocentius provinciam nonnullis epiſcopis, quæ ferebantur edita miracula ad examen revocandi commiſerit, ſuo loco dicemus.

(*e*) *Inn. l. ep. 215.*

De Staniſlao Craco. ep. ſanctis annumerando agitatum.

(*f*) *Longin. hiſt. Pol. l. 7.*

LI. Contendere præterea ſequenti anno magnis precibus ab Innocentio Mantuani, ut Joannem Bonum, ex eremitarum ordine religioſum virum, in ſanctorum numerum referret. Quare Pontifex, ut rei poſcebat gravitas, Mutinenſi epiſcopo, Priori S. Marci, & præpoſito Mantuanæ eccleſiæ provinciam impoſuit (*g*) ſacrum examen de rebus illius geſtis, editiſque miraculis inſtituerent: atque in rogandis teſtibus ſervandam formam præſcripſit, (*h*) quæ illi prorſus conſentit, quam anno ſuperiore in ſimili Ambroſii ſervi Dei cauſa ad Urbevetanum, ac Suanenſem epiſcopos tranſmiſerat. Illos porro, ut juſſi erant, publica acta ſumma fide confeciſſe, comperiſſeque Joannem, dum in vivis ageret, & poſt mortem, miraculis inclaruiſſe, eoque apud cœleſte numen adhibito interceſſore mortuum ad vitam revocatum; ac plura alia prodigia patrata, refert Sixtus IV. Pontifex, qui ipſi ſanctorum cultum ac venerationem decrevit (*i*). *De fratrum*, inquit, *noſtrorum conſilio & aſſenſu auctoritate apoſtolica concedimus, quod ipſe beatus Joannes Bonus, ut pie inter ſanctos in ſuperna patria collocatus ad laudem & divini nominis, & altiſſimi gloriam, qui in cœlis habitat & humilia reſpicit, ſine hæſitatione & conſcientiæ ſcrupulo, vel canonis divini incurſu poſſit pro beato in omnibus & ſingulis civitatis, terris, & locis, ac monaſteriis & eccleſiis venerari: & ad eum ut beatum preces porrigi, & ſuffragia ejus implorari, donec aliud per nos, vel ſedem prædictam fuerit ſolemniter ordinatum, &c.* Hunc vero ſanctiſſimum virum anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono x. kal. novemb. ex hac vita migraſſe tradit Conſtantius Laudenſis ejuſdem ordinis theologus, qui ipſius vitam ex publicis actis, ut profitetur, excerpſit ediditque.

Joannis Boni vita & miracula ad examen revocata.

(*g*) *Ib. ep. 522.*

(*h*) *Ep. 523.*

(*i*) *Bull. Sixt. IV. que incip. Licet S. Ap. cujus exemplum extat in noſtra bibliot. MS. ſign. lit. Q.*

SS. numero adſcribitur.



LII. Pertinet ad inſtitutum de ſanctis ſermonem, tentatum imprudenter a nonnullis monachis Pontiniacenſibus facinus referre, qui S. Ædmundi reliquias omnis corruptionis hactenus immunes, amputato a reliquo corpore brachio violarunt: & quaſi humana induſtria divinæ omnipotentiæ præcelleret, balſamo, ne corruptionem contraheret, condiverunt. Sed ad puniendum illorum fidei defectum, ac temeritatem permiſit Deus, ut brachium quod poſt tot annos corruptionis expers extiterat, atrum colorem ita diVulſum indueret. Declamat ob id in eos Pariſius, (*a*) ac demum adiicit: *Hoc in*

Reliquiæ B. Aedmundi balſamo conditæ ſitum contrahunt quæ antea corruptionis erant immunes.

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*

*triſte præſagium totius Chriſtianitatis creditur eveniſſe.* Feciſſe vero ſcribendi finem hoc anno teſtari videtur his verbis: *Hic terminantur fratris Matthæi Pariſienſis monachi S. Albani chronica, quæ pro utilitate poſteritatis ſubſecuturæ, Dei pro amore, & B. Albani Anglorum protomartyris honore, ne memoriam eventuum modernorum vetuſtas, aut oblivio deleat, literis commendavit.*

*Virginis a partu jam mille volumina phœbus*
*Cum bis centenis & quinquaginta peregit, &c.*

Qualis porro & quantus ſit ipſius commentarius, optime cenſet Cardinalis Baronius, dum hæc, poſt alia, de eo ſcripta reliquit (*b*): *A quo libro ſi quis demat calumnias, invectivas, dicacitates & blaſphemias in Apoſtolicam ſedem frequenter iteratas, aureum ſane dixerit commentarium; utpote quod ex publicis monumentis totidem verbis redditis egregie contextum, & coaugmentatum inveniatur.* Sed poſt hæc hiſtoriam ſuam proſecutum eſſe ipſe auctor indicare videtur, qui Chriſti anno MCCLI. hæc de ſe ſcripſit: *Et hoc idem proteſtatus eſt idem Rex*, de Norvego loquitur quem adjerat, *mihi ipſi Matthæo, qui & hæc ſcripſi.* Non deſunt tamen qui reliqua poſt ann. MCCL. ab alio adjecta putent.

De Pariſii hiſtoria ſententia Baronii.

(*b*) *Baron. Annal. to. X. an. 996. n. 63.*

I. Lugduno, ubi tanquam in munitiſſimo aſylo Friderici tyrannidem eluſerat, in Italiam reverſus eſt Innocentius anno Chriſti quinguageſimo primo ſupra milleſimum ducenteſimum indictione nona: cum jam pervadente omnes regiones tyranni mortis fama, quam familiares aliquandiu ſuppreſſerant, pontificiæ res aſſurgerent; atque ii, qui carnem poſuerant brachium ſuum, Ægyptique arundineo calamo innixi fuerant, ſpes ſuas eversas ac fractas intuerentur. Verum antequam e Galliis diſcederet, pluribus literis fluctuantes Fridericianorum animos pertentavit, ut ipſos in Eccleſiæ triumphantis obſequium pelliceret; ac maxime Siculos ſedis Apoſtolicæ clientes ad officium revocare ſtuduit: tum alios, qui in fide conſtantes extiterant, confirmare; injunxitque partes Petro S. Georgii ad velum aureum diacono Cardinali Apoſt. S. L. quem ex Germanica legatione abduxerat, ut diligenter Siculorum voluntates, ac populorum (a) conſilia exploraret, num ſponte in Eccleſiæ obſequium procubituri viderentur; an adeo in pertinacia obduruiſſent, ut nonniſi vi & armis eſſent infringendi: ut ſecum ſtatueret an exercitu valido cinctus Italiam ingrederetur ad hoſtium omnes conatus obterendos; an vero ſine militari ſtrepitu reditum adornaret.

Innocentius audita Friderici morte in Italiam reditum meditatur.

(a) Inn. l. 8. ep. cur. 2.

*Petro S. Georgii ad velum aureum diac. Card. Apoſt. Sed. Leg.*

II. *Intellecto per devotionis tuæ literas, quod Fridericus quondam Imperator viam ſit univerſæ carnis ingreſſus, ad hoc tam cito noſtrum convertimus cogitatum, ut, ſicut nobis & fratribus noſtris diu votivum extitit, ad urbem Deo propitio rediremus. Poſtmodum autem meditandum nobis occurrit, quod vel omnibus de regno Siciliæ divina pietas inſpiravit, ut pro habenda plena pace, ac libertate perpetua, unanimiter ad ſinum matris Eccleſiæ revertantur; vel quod forte aliqui, maligno ſpiritu inſtigante, ſuper hoc obſtaculum apponere nequiter conceperunt. Quia vero clara, & ſalubris providentia eſt in tanto negotio adhibenda, volumus, & per apoſtolica ſcripta tibi mandamus, quatenus corde ſolicitus habearis, ut de univerſali affectu hominum ipſius regni ſuper reverſione ipſorum ad Eccleſiam plenam inveſtigare ſtudeas veritatem; & quid inveneris, nobis ſine dilatione reſcribas; quia ſi reverſio deſiderabilis hominum eorundem poſſit fieri, libere virtutum, Domino faciente, poterimus grandis militiæ poſtponere comitivam: aut alias ita decebit nos cum potenti venire brachio, quod malitia rebellium cito conteri, & devotorum pia voluntas de facili valeat adimpleri. Dat. Lugdun.* VIII. *kalend. februarii an.* VIII.

Petro Capocio provinciam tradit explorandi Siculorum voluntates.

III. Exaratis vero ad Siculos antiſtites literis (b) gratulatus eſt, ſublato de medio tyranno, e funeſta ſervitute, ſub qua tandiu ingemuerant, emerſiſſe, atque a malis, quibus erant circumfuſi recreatos: maximo ſe ex ipſorum præteritis anguſtiis dolore affectum; & agitare animo, legato præeunte, ipſorum provinciam adire, ut flagitato eorum conſilio, omnibus incommodis remedium adhibere, atque ex eorum cervicibus intolerabile hactenus jugum depellere poſſit.

(b) Ib. ep. 1.

Præſules ad recuperandam libertatem excitat.

*Archiepiſcopis, & epiſcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, & aliarum eccleſiarum prælatis, ac univerſo clero; & nobilibus viris, comitibus, baronibus, militibus, & populis civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum per regnum Siciliæ conſtitutis.*

*Lætentur cœli, & exultet terra, quod fulminis horrendi tempeſtas, qua mirabilis, & metuendus Dominus per prolixa temporum ſpatia univerſitatem veſtram ſuſtinuit vehementer affligi, vobis, per ipſius ineffabilem miſericordiam, in ventum roris flantem jam eſſe converſa videtur; illo ſublato de medio, qui vos ſpecialiter de numero fidelium perſecutionis malleo continuate contrivit; & Eccleſiam Dei graviter in multis, ſed in veſtra graviſſime vexatione turbavit: ſicut in eo de facili a veſtra poteſt circumſpectione notari, quod nos profundos gemitus, & plurima fundendo ſuſpiria, de Apoſtolica ſede ad loca remota tranſivimus, ut multorum afflictionibus, ſed veſtris præcipue anguſtiis finem imponere valeremus. Sane quod in hoc apoſtolica ſolicitudo non potuit, in complementum celebre perpetuis futuris temporibus recolendum, ſupernæ deduxit gratia pietatis; & expandit ſuper vos amictum ſuæ gloriæ, quos olim orbi terræ deſpectos, & miſerabiles fama publica revelavit. Propter hoc ſiquidem dilectiſſimi nobis in Chriſto a vobis lætitiæ canticum eſt unanimiter aſſumendum, & illis invigilandum ſtudiis, per quæ ad votum de cætero perfundi omnimoda proſperitate poſſitis.*

IV. *Nullius itaque ſuggeſtionis obſtacula, vel dilationis, aut difficultatis impedimenta retardent, quin effuſam ſuper vos affluentiam divinæ dulcedinis perfectum opus agnoſcentes, ad veſtræ matris Eccleſiæ gremium ſuaviſſimum recurratis; habituri perpetuam tranquillitatem, & pacem, ac illam tutiſſimam & delectabilem libertatem, qua cæteri ſpeciales Eccleſiæ filii feliciter & firmiter ſunt muniti; nobis ad hoc omni ſolicitudine vacaturis, ut qui ſpiritu exultamus vobis diem lætitiæ poſt noctem triſtitiæ proveniſſe, quicquid vobis ad commodum & honorem redundare ſenſerimus, promptis affectibus divina gratia cooperante faciamus. Ut autem mentem noſtram in iis plenius & clarius agnoſcatis vos ita præſentibus literis duximus viſitandos, quod etiam idoneos nuntios ad vos in proximo tranſmittemus; diſponentibus nobis interim, quod quamcitius poterimus nos ad felicem reditum, prævio ſalutis angelo, accingentes, veſtram deſiderabilem patriam noſtris oculis videamus; illa cum fratribus noſtris de veſtro diſpoſituri conſilio, per quæ tollatur a vobis anguſtioſæ ſervitutis opprobrium, & honor perpetuæ libertatis accedat, cum ſtabili plenitudine gaudiorum. Dat. Lug.* VIII. *kal. febr. an.* VIII.



V. Paſſus eſt tamen in Sicilia nonnullos antiſtites adverſarios Pontifex, quamvis tuendæ eorum dignitatis adeo cupidum ſe demonſtraſſet, conjunctaque cum pontificia eſſet ipſorum cauſa: & inter cæteros Panormitanum archiepiſcopum, cujus pertinaciæ ſe compati oſtendit: hortatuſque eſt (a) præterita male geſta inſigni aliquo officio redimeret: quos poſſet ad Eccleſiæ obſequium traheret; ac Barenſi archiepiſcopo, pro rebus Siculis miſſo, ſtrenue ſtudium operamque ſuam commendaret.

Panorm. archiep. pontificiis partibus adverſatur.

(a) Eod. l. 8. ep. cur. 73.

*Archiepiſcopo Panormitano.*

*Ætatis tuæ nos plurimum miſeret, & ex corde compatimur canis tuis, ſi ad inferos obſtinationis laqueo, vel quod abſit, perverſo deſperationis conſilio deducantur. Et ideo quia, ſicut tua tibi dictare poteſt conſcientia; niſi forte rationis extrema ſcintilla in te præ nimia peccatorum caligine penitus ſit extincta; enormiter coram Deo in totius Eccleſiæ ſcandalum deliquiſti. Recogita, quæſumus annos tuos, & in amaritudine multa dilue pœnitentiæ lacrymis culpam tuam: ſi forte tibi ex ſummæ pietatis fonte proveniat, quod in charitate multa, multa tibi crimina dimittantur. Nos quidem adeo vincit circa te pietas, ut ab evidentibus pœnitentiæ tuæ ſignis, cupiamus nobis aliquam violentiam irrogari, qua tui miſereri cogamur, & rigorem, quem adverſus te juſtitiæ diſciplina tetendit, abundanti clementia temperari. Cæterum ut aliqua tibi via ad veniam nobis ſuadentibus præparetur, prudentia tua, quæ malo cooperabantur in malum, in obſequium juſtitiæ convertere ſtudeat conſilio ſaniori; venerabili fratri noſtro Barenſi archiepiſcopo, quem ad partes regni tranſmittimus, in ejuſdem regni, ac Eccleſiæ negotiis aſſiſtendo fideliter, quos poteris ad Eccleſiæ fidelitatem ſolicite revocando; ita quod exinde non ſolum miſericordiam, ſed gratiam conſequaris. Datum Lug.* VI. *kal. feb. an.* VIII.

VI. Eodem argumento Salernitano archiepiſcopo datæ literæ (b): deque legationis munere Barenſi archiepiſcopo impoſito diploma extat (c). Alios etiam Siculæ rei incumbere juſſit: ut Matthæum (d) ſubdiaconum ac Rogerium Leucinianum ordinis Prædicatorum, quem nobilibus viris ac præſulibus impenſe commendavit. (e) Ita Manfredi conatus, qui ſibi Siciliæ adminiſtrationem arrogabat, ſeque Conradi proregem gerebat, re autem vera tyrannidem moliebatur, debilitare conabatur Innocentius. Ac ne ex Germania ſubmitterentur illi auxilia, Germanos præſules intentato anathematis terrore vetuit, cuilibet Siciliæ regnum affectanti auxilia porrigere, ejuſve partibus ſe irretire: quo argumento Colonienſi archiepiſcopo & ſuffraganeis extant ſcriptæ literæ, (f) quibus ipſos tum mortis exauctorati Friderici certiores fecit; utque eam famam diſſeminarent imperavit: extulitque ſummis laudibus archiepiſcopum ob navatam Regi Romanorum operam, illumque ut cœptis conſtanter inſiſteret eſt adhortatus (g).

(b) Ib. ep. 72.

(c) Ep. 70.

(d) Ep. 8. & 44.

(e) Ep. 50. 51. 52. 57.

Manfredus tyrannidem in Sicilia affectat. Comprimendo illi incumbit Pont.

(f) Ep. 11.

(g) Ep. 19.

VII. Ad ſubducendos vero ex Conradi obſequio Germanos proceres magiſtro Jacobo archidiacono Laudunenſi capellano pontificio, cujus probitas & induſtria explorata erat, eam provinciam commendavit (h): illique Theodoricum ſocium adjunxit, ac Germanis præſulibus opera & conſilio illi non deeſſe juſſit (i): *Quia per te tanquam per probatum virum volumus ejuſdem Eccleſiæ negotia promoveri, diſcretionem tuam rogamus, & hortamur attente mandantes, quatenus aſſumpto tecum fr. Theodorico magiſtro domus Theutonicorum Pruſciæ, qui linguam novit Theutonicam, accedas ad duces, marchiones, & comites Imperii, revoces eos ad devotionem Eccleſiæ; & ad præſtandum homagium chariſſimo in Chriſto filio Vuillelmo Regi Rom. illuſtri efficaciter inducere ſatagas juxta prudentiam a Domino tibi datam: nec expaveſcas onera Eccleſiæ Romanæ ſubire, quæ te virum induſtrium comprobarunt, ac filium in devotione ſedis Ap. generoſum. Dat. Lugd.* XII. *kalend. mart. ann.* VIII. Pluribus etiam aliis literis Bavariæ & Saxoniæ duces, Miſnenſem & Brandeburgenſem marchiones, alioſque magnates & populos conciliare Eccleſiæ; atque a Conrado ad Guillelmi partes traducere conatus eſt (k): quos ab epiſcopo Conſtantienſi ſacris reſtitui cenſuriſque abſolvi imperavit (l).

(h) Ep. 20.

(i) Ep. 21.

Jacobum archid. in Germaniam legatum mittit ut proceres ad Willelmi Regis partes traducat.

(k) Ib. ep. 23. 24. 31. 32. 33. 34. 35. 37. 38. 40.

(l) Ib. ep. 41.

VIII. Præterea quo Guillelmo Romanorum Regi eos principes neceſſitudinis vinculo adſtringeret, Saxoniæ ducem ſolicitavit, ut filiam electo Imperatori matrimonio conjungeret: Auſtriæ vero duciſſam ut (m) Florentium ejuſdem Guillelmi fratrem virum acciperet. Cæterum Stadenſis (n) tradit Guillelmum Regem non Sa-

Pro Augendis Guillelmi viribus Pontificis ſtudia.

(m) Ep. 16.

(n) Alb. Stad. in chr. hoc ann.

Will. prima nuptiarum nocte vix ex incendio evadit.

Saxoniæ ſed Brunſvici ducis, Othonis nimirum filiam uxorem duxiſſe, parumque abfuiſſe, ut in ipſa nuptiarum feſta nocte incendio conflagraret: *Anno Domini*, inquit, *MCCLII. Vuillelmus Rex duxit filiam ducis Othonis de Brunſvich, & in ipſa nuptiarum nocte, ſcilicet converſionis S. Pauli, palatium, in quo quieverunt ſponſus & ſponſa in Brunſvich juxta leonem penitus exarſit, ex luminis & ſtraminis incuria. Corona Regis exuſta eſt, & multæ res pretioſæ: duo ſartores, qui in conſuendis in quadam camera ſedebant veſtibus, ſunt exuſti. Rex & Regina vix evaſerunt. Regina tamen Regem tanquam in domo eſſet notior educente.* Hæc Stadenſis. Adiiſſe eodem anno maximum vitæ diſcrimen Guillelmi æmulum, Conradum ſcilicet, & caſu inopino ex conjuratorum cruentis manibus evaſiſſe, deſcribit Henricus Stero (*a*): *Chunradus Rex natali Domini Ratiſponæ fuit, ubi quia poſſeſſiones epiſcopi & miniſterialium Ratiſponenſium incendiis vaſtaverat, dum proxima nocte poſt feſtum innocentium in monaſterio S. Emmerani dormiret, Chonradus de Hohenuels, & alii miniſteriales Ratiſponenſes, quaſi media nocte in cameram ſuam irrumpunt: & eum per explorationis dicta non plures quam Regem cum quatuor ſociis ſuis in ea dormire putabant, duobus occiſis & tribus captis credebant ſe occidiſſe ipſum Regem: ſed noctu ſextus fortuito caſu ſupervenerat, & loco ipſius Regis interfectus eſt. Rex autem latitans ſub ſcamno valde miraculoſe imminens periculum mortis evaſit.* Addit Stero Ulricum abbatem a criminis ſuſpicione non abfuiſſe, ejuſque monaſterium vaſtatum; epiſcopum vero Ratiſponenſem clientum ſuorum turma ſtipatum extra Ratiſponæ mœnia rei exitum præſtolantem, ſua expectatione deluſum fuiſſe. Illum injuſte a Ratiſponenſibus ejectum ac ſpoliatum juribus a civibus, qui Conrado ſe ſuaque addixerant, ſuperius vidimus; ſed de ſuperatis a Willelmo & Conrado graviſſimis periculis ſatis. Jam quantum ſtudii collocarit Innocentius, ut dejecto Conrado Willelmum efferret, intueamur.

(a) *Stero in annal. apud Caniſ. ant. lect. t. 1. pag. 270*

Conradus quæſitis latebris conjuratorum cruentas manus evadit.

IX. Pollicitus in primis eſt Willelmo imperialia ornamenta conferre, illumque ac fidei erga Eccleſiam conſtantiam excitavit, ut exaratæ xv. kal. martii ea de re oſtendunt literæ (*b*).

Inn. Willelmo imperialia ornamenta pollicetur.

(b) *Inn. l. 8. ep. cur. 25.*

*Vuillelmo Regi Romanorum illuſtri.*

*Licet, poſtquam Dominus, ſervorum ſuorum humilium clamoribus excitatus, in Chriſtum ſuum ad liberandum devotos filios a jugo miſeræ ſervitutis, voluit te aſſumi, circa tuos profectus meditatione continua indefeſſe vigilaverit ſedes Apoſtolica mater tua, prout operum clara teſtimonia probaverunt; nunc tamen tanto amplius ad perſonæ tuæ ſublimationem ſtatum feliciter conſummandum intendimus, teque fovere proponimus auxiliis & favoribus opportunis, quanto proſperius negotium Eccleſiæ, ac Imperii, circa quod multorum ſtudia, quæ fervere debuerant, frigeſcebant, divina promovente dextera, progreſſum attingit cum deſiderio expectatum.*

X. *Proinde fili chariſſime hortamur ſerenitatem tuam in Domino: labora ſolicite per te ipſum, & Excelſi dexteræ collabora: promove fideles in negotio: infideles ad fidem ſatage prudentia, qua convenit revocare; glorioſius exinde proventurus ad Romani Imperii diadema, quo te Deo propitio, decorare tota intentione animi affectamus. Nec regalis excellentia credulitatis auditum accommodet praviloquiis aliquorum, in contrarium tibi forſan ſuggerentium, & intendentium tortuoſa veternoſi calliditate ſerpentis venenum aliquod ſinceris affectibus admiſcere; ut eam, quam ad Romanam habes Eccleſiam & qua ipſa te ſincere complectitur charitate, attenuent vel remittant; & tuam magnificentiam reddant in proſecutione imminentis negotii negligentem. Omni autem a talibus cautelæ ſtudio ſerva cor tuum; & aures tuas, ne blandis pateant ſuſurronibus, ſpinis ſepi, in Eccleſiæ devotione creſcere ſemper ſtudens, quæ te pure dilexit, & diligit; ac materno affectu diligere non deſiſtens, ad coronam Imperii, Deo propitio, ac vita comite, in proximo ſublimabit. Dat. Lugd.* xv. *kal. martii anno* VIII.

XI. Confirmavit etiam die cœnæ Dominicæ, ut teſtatur Stero (*c*) in magna epiſcoporum corona regnum Germaniæ Guillelmo: Conradum vero, ut docet Pariſius (*d*) Imperium affectantem anathemate perculit, juſſuque apoſtolico Hugo Cardinalis in Germania idem præſtitit; ut ſcribit Siffridus (*e*) & objecta religione omnes in Guillelmi obſequia adducere eſt conatus. Demum ad conflandas vires, ac propulſandos Conradi impetus religioſo viro de Eyka ordinis Prædicatorum partes impoſuit (*f*) ut propoſitis indulgentiarum præmiis ad induendam crucem populos excitaret, munuſque cruce milites inſigniendi aliis demandaret: *Prædicationem crucis contra Conradum natum quondam F. Imperatoris, ſuoſque fautores perſecutores Eccleſiæ, per totum regnum Alemanniæ tibi duximus auctoritate apoſtolica committendam, exequendi prædicationem hujuſmodi per te, vel per alios, quos ad eam idoneos eſſe cognoveris; largiendi etiam cruceſignatis ob cauſam hujuſmodi, & concedendi privilegia, & indulgentias quæ cruceſignatis in Terræ ſanctæ ſubſidium transfretantibus conceduntur; necnon remiſſionem quadraginta dierum iis, qui ad tuam ſuper hoc prædicationem, vel illorum, quibus eam commiſeris, acceſſerint audiendam; illoſque nihilominus cenſura eccleſiaſtica compeſcendi, qui ſuper iis vos forte præſumpſerint impedire, conceſſa vobis auctoritate præſentium plenaria poteſtate. Dat. Lugdun. non. februar. anno* VIII.

(c) *Ster. in annal. apud Caniſ. antiq. lect. to. 1. p. 270.*

(d) *Par. hiſt. Angl.*

(e) *Siffr. ep. l. 2.*

Conradum anathemate percellit.

(f) *Lib. 8. ep. 291.*



Suevos ad Conradi partes repudiandas ſolicitat.

(a) *Lib. 8. ep. cur. 67.*

Ad divellendos a Conrado Suevos, qui ſuos, & amicorum conatus omnes conſumebat, ut Germanicum ſceptrum invaderet, Innocentius ad illius provinciæ prænobiles viros datis literis (*a*) certiores fecit, nunquam Rom. Eccleſiam conſenſuram, ut Conradus Imperio, vel Suevico principatu potiretur.

*Herode ſublato, qui Chriſti animam in animabus fidelium impie perdere nitebatur, hereditario jure paternæ tyrannidis principatum alter ſibi vindicat Archelaus;* ita Conradum Friderici filium appellat, qui parenti crudelitate, artibuſque impar non erat. *Propter quod adhuc matrem oportet Eccleſiam devotorum ſuorum præcavere periculis, ac dextram protectionis extendere in filiorum præſidium contra eos, qui adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus in ſua ſuperbia eriguntur. Hinc eſt, quod nos volentes in proſecutione catholicæ libertatis & propriæ animorum veſtrorum conſtantiam roborare; univerſitatem veſtram volumus eſſe certam, quod quondam Friderici, qui olim pro Imperatore ſe geſſit, ſoboles nobis, ac vobis merito de paternæ perfidiæ hereditaria imitatione ſuſpecta, & traductæ ab avis & proavis ſævæ tyrannidis æmulatrix; nunquam ad Romanum regnum, vel Imperium, aut Sueviæ principatum conſurget ex permiſſione ſedis Apoſtolicæ, aut favore. In cujus certitudinis argumentum vobis præſentes literas duximus concedendas. Dat. Lugd.* IV. *kal. apr. ann.* VIII. Commendavit (*b*) eorundem nobilium erga Apoſtolicam ſedem ſtudium, & comitem Gutbergenſem ab iis oratorem miſſum benigne excepit. Tum H. e Prædicatorum familia religioſum virum ad incitandos in hoſtem torpentium animos, & crucis ſequenda ſigna inflammandos miſſurum adjecit.

(b) *Ib. ep. 66.*

XII. Dum fideles magnis animis ad comprimendas Conradi tyrannidem conſurgerent, Chriſtianus Maguntius archiepiſcopus, quem alii Conradum vocant, inertiæ accuſatus, cum ad defendendam armis Eccleſiæ cauſam ſegnior eſſet, gradu deturbatus eſt, ut refert Serarius: (*c*) *Dicebat*, inquit, *nequaquam decere talia*, nimirum belli opera exercere, *ſacerdotem, ſed quidquid debet per gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei, omnino ſe promptum aſſerebat & voluntarium ſervaturum. Cumque ejus prædeceſſorum ſequi veſtigia moneretur, reſpondit ſcriptum eſt: Mitte gladium in vaginam. Ob hoc in odium Regis*, Willelmi ſcilicet, *& multorum incidit laicorum, qui omnes eum accuſantes apud Papam obtinuerunt eum ab epiſcopatu omni ſubmoveri. Ceſſit ergo anno Dom. MCCLI. ſubſtitutus eſt autem ab eodem legato adoleſcens ſubdiaconus Gerardus nomine filius comitis Conradi, qui dicebatur Silveſter comes.* At jure epiſcopatu dejectum ob principatum illi conjunctum exploratum eſt: cum non modo præſulem, ſed etiam principem agere, ac vim inſultantium Eccleſiæ vi repellere oporteret. Suſceperat ſane initio Innocentius id conſilium ut adverſus Fridericum cenſuris tantum uteretur, ut ex literis (*d*) tum ad Ciſtercienſes datis conſtat: ſed cum tyrannum cenſuras contemptu proterere cerneret, infringendam armis illius tyrannidem cenſuit, inſigniſque fuit Chriſtiani protervia, tanta maturitate conſilii a Pontifice & Cardinalibus decreta ſpernere, ac fræna impietati laxanda arbitrari. Quod porro ad legatum ſpectat; is fuit Hugo tit. S. Sabinæ presbyter Cardinalis, ut literæ ineunte hoc anno exaratæ teſtantur (*e*): quibus provincia illi demandata eſt, ut Tarantaſienſis eccleſiæ adminiſtros ad veterem diſciplinam, & ſanctitatis cultum revocaret. Adjectum etiam illius nomen in diplomate (*f*) reperitur, quo Innocentius Guindeliburgenſium monialium in Alberſtadenſi diœceſi privilegia, ſuſcepto earum patrocinio, confirmavit; ad cujus calcem hæc appoſita: *Ego Innocentius Eccleſiæ catholicæ epiſcopus ſubſcripſi. Ego Petrus Albanen. epiſcopus ſubſcripſi. Ego Vuillelmus Sabinen. epiſcopus ſubſcr. Ego Petrus tit. S. Marcelli presb. Card. ſubſcripſi. Ego fr. Joannes tit. Sancti Laurentii in Lucina presb. Cardin. ſubſcripſi. Ego Fr. Hugo tit. Sanctæ Sabinæ presb. Card. ſubſc. Ego Richardus S. Angeli diac. Card. ſubſcr. Ego Jo. S. Nicolai in carcere Tullian. diac. Card. ſubſcr. Ego Vuillelmus S. Euſtachii diac. Card. ſubſc. Dat. Lugdun. per manum magiſtri Marini S. R. E. vicecancellarii* XIII. *kal. mart. indict.* IX *incarnat. dominicæ an. MCCL. pontific. vero D. Innocentii Papæ* IV. *anno* VIII.

(c) *Serarius rerum Mogunt. l. 5. in Chriſt. 11. ex MS.*

(d) *Ext. apud Par. hiſt. Angl.*

(e) *Ep. 227.*

(f) *Lib. 8. ep. 342.*

Qui Cardinales hoc anno Pontifici adſiderent.

XIII. Nec prætermittendum eſt fuiſſe Hugonem inſignem pietate ac literis, cum in ſacra Dominicanorum familia excultus fuiſſet, atque in omnia ſacra biblia elegantes lucubrationes ediderit. Ex eo denique Cardinalium numero dicto diplomati aſcripto Guillelmus Sabinenſis epiſcopus hoc anno piiſſime e vita diſceſſit, cum objecto cœleſti mortem divinitus ante præſagiiſſet, ſeque ad eam conſtanter chriſtiano more comparaſſet, de quo hæc narrat Pariſius (*g*): *Anni ſub ejuſdem tempore epiſcopus Sabinenſis Vuillelmus, vir quidem ſanctus Romanæque Eccleſiæ Cardinalis, qui in Suecia, & Norvuegia paucis ante elapſis annis exiſtens legatus,*

Guillelmi ep. Sabinenſis pia mors.

(g) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Re-

*Regem Haconem Norvvegiæ, ut prædictum, coronaverat, cum quadam nocte ſanus, & incolumis in ſtratu ſuo dormiret, vidit in viſione nocturna, quod Otho Cardinalis, qui paulo ante obierat, ſedit in quodam concilio generali populoſo nimis: & cum ſuperveniſſet prædictus Vvillelmus, nec aliquis ei aſſurrexiſſet, nec daret locum ſeſſionis, ſolus Otho, aſſurgens ei, palam dixit ipſi: Amice, aſcende ſuperius: locum tibi ſeſſuro reſervavi. Erant nempe ipſi duo revera dum viverent amiciſſimi. Vvillelmus autem, cum evigilaret, commotus eſt vehementer; & datum eſt ei deſuper ſcire, quoniam infra tertium diem ab hoc ſæculo foret migraturus. Illico igitur adiit Papam, & accepta licentia, & benedictione, dixit: Vale domine mi, vocat enim me Dominus ab hoc ſæculo; & eodem modo vale dicens omnibus fratribus, & amicis ſuis rediit devotus valde ad hoſpitium ſuum. Mirabantur autem omnes ſuper his, & fuerunt, qui deriderent eum, dicentes quoniam ſenuit, & deliravit: quia ſanum eum videbant, & nullam in corpore habentem læſionem. Ipſe autem Vvillelmus, diſpoſitis in domo ſua cum deliberatione diſponendis, & multis patefacta prædicta viſione, laudabili fine in craſtino ab hujus mundi tranſiit incolatu.* De Willelmo olim epiſcopo Mutinenſi nos plura ſuperius, cujus epitaphium, affert D. abbas Ferdinandus Ughellus [1] (a). Subiicit paulo poſt idem Pariſius piiſſimum matronæ cujuſdam Anglicæ nomine Cæciliæ obitum, quæ defuncto viro coram S. Edmundo Cantuarienſi archiepiſcopo, ut ait auctor, continentiæ votum nuncuparat, & abjectis muliebribus ornamentis, vitam magno virtutum exemplo inſignem duxerat: *Moritura ſuum advocari confeſſorem, videlicet fratrem Vvalterum de S. Martino de ordine Prædicatorum, virum eleganter moribus præditum, & ſcientia, fecit ſub feſtinatione: in cujus præſentia, cum facta pleniſſima confeſſione Dominici corporis viatico muniretur, extrema unctione delibuta, & morti exponeretur, frater Vvalterus, videns annulum aureum in digito ejus, ait ancillis: Deponite illico annulum illum, ne moriatur ſic adornata. Ipſa vero hæc audiens, licet ſemiviva, reſumpto ſpiritu ſic loqui conata eſt: Abſit, abſit hoc pater chare a me ut unquam recedat a me viva, vel mortua hic annulus, quem ante tribunal Dei ſponſi mei proferam in teſtimonium inviolatæ, quam ei per hunc annulum promiſi, continentiæ, ut recipiam quam pepigimus retributionem. Scio cui credidi, quoniam nobilium amplexus pro ipſo cum optimis dotibus recuſavi. Et ſic manum retraxit, & recurvato digito annulum, quem famulæ attentabant deponere, retinuit: & ſic ſermonem cum vita terminavit. Frater autem Vvalterus, utpote vir diſcretus tam verba devota, quam pium propoſitum commendavit. Hæc & alia ſanctitatis argumenta mihi hæc ſcripturo dictus frater veraci relatu patefecit.*

(a) Ferd. Ughell. Ital. ſac. t. 1. col. 198.

XIV. Adoleſcens e morte ad expianda crimina ad vitam revocatus.

His funeribus conjungendum aliud adoleſcentis prænobilis videtur, qui cum primo infelici exitu vitam clauſiſſet, B. Virginis ope, cujus cultui addictiſſimus erat, ad vitam revocatus, expiatis aqud ſacerdotem criminibus, feliciſſime iterum animam efflavit. Rem adeo admirandam narrat Cantipratenſis (b) his verbis: *Quid de triplici quinquagena in ſalutatione verſus angelici, Ave Maria; anno ab incarnatione Domini MCCLI. contigerit referamus. Vidi & cognovi juvenem in Brabantiæ partibus generoſum; qui quamvis eſſet totaliter ſæculo deditus, B. tamen Virgini devotus quotidie tres dictas quinquagenas in ſalutationibus exolvebat. Infirmatus autem ad extrema perductus eſt. Cumque per horas diei plurimas mortuus jacuiſſet, revixit ſubito, & ſorori moniali, quæ juxta ſe ſedebat, inclamavit, dicens: Soror ecce redii: cito advocari facias ſacerdotem. Mirantibus omnibus preſbyter advocatur, & in magna cordis lætitia palam omnibus confitetur dicens: Ad tribunal Chriſti judicis raptus, cum in tribus maxime a dæmonibus accuſarer, ferrique deberet ſententia contra me, piiſſima Chriſti mater rogavit filium, ut ad corpus reducerer, locum pœnitentiæ ſuſcepturus. Nec mora, factum eſt ut rogavit. Unum de peccatis erat pro quo damnandus eram, quia decimas de bonis & agris meis ſacerdoti ſubtraxeram. Secundum erat, quod cum ſodalibus meis piſces quorumdam religioſorum furto ſubtraxeram. Tertium erat, quod ſegetes & fruges pauperum cum canibus venaticis vagabundus deſtruxeram. Hæc cum coram omnibus loqueretur, quidam ex manſionariis reſpondit: Et cur, inquit, pro damno iſto extremo damnandus eras, cum nos omnes illud vobis puro corde remiſerimus? Et ille: Mihi quidem veſtra remiſſio nequaquam ſuffecerat, cum copioſior eſſem vobis in injuriis refundendis, quam vos mihi in injuriis dimittendis. Et his dictis reſtituenda damna protinus aſſignavit. Sicque diſponens rebus & domui in ſpe & pace mirabili ſpiritum exhalavit.* Hæc Cantipratenſis. Jam ad Innocentium, a quo digreſſa eſt oratio, redeamus.

(b) Cantipr. l. 2. c. 29. n. 8.

NOTÆ [1] Poſt illud: *de VVillelmo olim epiſcopo Mutinenſi nos plura ſuperius*, in annalibus contractis legimus; *hoc etiam anno* obiit Senis B. Andreas de Galerannis ſanctitate & miraculis illuſtris, qui ad ſanctiorem vitam ab impia converſus eſt inſigni prodigio: cum enim patrato homicidio crimen ſacra exhomologeſi non expiaret, una cum equo, quo vehebatur in ſublime raptus fuit a quodam ſpiritu atra nube circumfuſo per longum itineris intervallum; e quo diſcrimine implorata virginis ope ereptus, ac ſenſim terræ reſtitutus eſt, quo perculſus caſu, de flendis anteactæ vitæ ſceleribus, exercendiſque piis operibus & chriſtianæ demiſſioni ſe totum addixit. Tam eximio autem lacrymarum dono præditus fuit ut locum in quo orabat, madefaceret non aliter, quam ſi non modica aqua in eo fuiſſet profuſa. Pia vero ejus opera maxime in pauperum ægrorumque obſequio miraculis a Deo comprobata fuerunt adeo, ut Chriſtum peregrini ſpecie excipere meruerit, & panis pauperum uſui conſecratus divinitus multiplicatus fuerit, atque cœleſti lumine noctu dum orabat circumfuſus viſus fuerit: qua vero hora ſpiritum Deo reddidit conſpecta eſt ejus facies veluti nive alba candeſcere & redolentibus floribus conſperſa, poſt mortem vero multis miraculis inclaruit. Hæc & alia pluribus Sigiſmundus Titius in M. S. hiſtoria Senenſi, quam Alexander VII. benigne mihi communicavit. Mansi



XV. Diſceſſurus Lugduno Pontifex in clientelam ap. cives accipit.

Cum Lugduno diſceſſum adornaret Pontifex, ut egregium aliquod grati animi ſignum in cives, qui ſumma veneratione ipſum erant proſecuti, explicaret, eos fortunaſque in ſedis Apoſtolicæ patrocinium arripuit, de quo has literas dedit (a).

(a) Lib. 8. ep. 317.

*Civibus Lugdunenſibus.*

*Multa & devota ſervitia, quæ nobis & fratribus, cæteriſque officialibus, & familiaribus noſtris in civitate Lugdunenſi libenter, & liberaliter impendiſtis, ſecure ſedem Apoſtolicam interpellant, & ab ea exigunt confidenter, ut vos inter alios devotos Eccleſiæ filios præcipua benevolentia proſequentes, perſonas veſtras ſingularis privilegio gratiæ honoremus. Nullo etenim tempore ab ejuſdem ſedis memoria excidere poterit, cum quanta nos civitas veſtra veneratione ſuſceperit, & cum quanta ſtuduerit diligentia honorare. Sed hæc in armario pectoris perpetuo conſervabit, ut crebra horum rememoratione ſæpe vos mentis comprehendat obtutibus, quos in abſentia non poterit corporaliter intueri. Claruit ſiquidem erga nos, & ſedem ipſam veſtra ſinceritas, patuit fidei veſtræ puritas, & cordis conſtantia inconcuſſa permanſit: propter quod apoſtolicis vos favoribus proponimus amplius communire. Volentes itaque paternum affectum, quem ad vos pro tam acceptis obſequiis gerimus, demonſtrare, perſonas veſtras cum familiis & omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Dat. Lugdun. XVI. kal. mart. anno VIII.*

XVI. Ornavit (b) eoſdem pluribus aliis beneficiis, ac maxime eccleſiam S. Juſti, apud quam erat moratus, ampliſſimis privilegiis (c); tum canonicos auxit (d). Aliis vero encyclicis literis (e) ad omnes præſules orbis Chriſtiani tranſmiſſis certiores fecit, Lugdunenſes ob grata eorum in ſedem Apoſtolicam officia, Pontificiæ clientelæ, fuiſſe commiſſos: tum partes injunxit, ut ob cultum, quem erga eamdem ſedem geſſerint, Lugdunenſibus in eorum provinciis præſidio ſint, ab omnibus vindicent injuriis, publicis tabulis eorum ſecuritati caveant, & alia præſtent officia, quæ ab ipſis fuerint expetita.

(b) Ib. ep. 318. 319. 320.

(c) Ep. 412. 413. 414. 415. (d) Ep. 411. (e) Ep. 316.

Commendat ipſos omnibus præſulibus.

*Innocentius &c. Univerſis archiepiſcopis, & epiſcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & aliis eccleſiarum prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint.*

*Lucida Lugdunenſium devotio civium, plena erga Eccleſiam ſinceritate coruſcans, ſic tenaciter eſt aſcribenda memoriæ, ut nulla exinde oblivione, ſuccedente tempore, valeat aboleri. Sane vigente olim temporis qualitate, cum in Italiæ partibus contra Eccleſiam ipſam procella perſecutionis excreſceret, providimus ad partes alias deliberato conſilio declinare, ut defenſioni catholicæ fidei, & eccleſiaſticæ libertatis dare poſſemus operam potiorem: propter quod tempeſtatis Italicæ turbine devitato ad ciſmontanam, ubi viget tranquilla requies & quieta tranquillitas, pervenimus regionem, eligentes pro mora noſtra ſpecialiter Lugdunenſem civitatem, in quam titulo nobilitatis inſignem, fidei puritate pollentem, pacis unione concordem, rerum affluentia locupletem, & ſitu loci communem & habilem univerſis; in qua univerſali & celebri congregato concilio, ac in eo Eccleſiæ cauſa diligenter expoſita, contra tyrannos, & perſecutores ipſius conſtanter proceſſimus, & ſuper neceſſaria Terræ ſanctæ, ac Imperii Romaniæ ſubventione; necnon contra imminentes Tartarorum incurſus & generaliter ſuper ſtatu Eccleſiæ, ſolerti cum eodem concilio deliberatione præhabita, duximus ſalubriter providendum.*

XVII. Egregia Lugduni encomia.

*Hæc eſt utique civitas devotione conſpicua, quæ generalis paſtorem Eccleſiæ, & omnium fidelium ſpiritualem patrem cum magna veneratione ſuſcepit, ac ipſum cum fratribus, cæteriſque officialibus, & familiaribus ſuis multipliciter honoravit. Hujus quidem civitatis habitatores recte peculiares Eccleſiæ filii vocari merentur, qui humilitate tractabiles, manſuetudine lenes, affectione benevoli, & modeſtia compoſiti ſtuduerunt eam ut matrem & dominam in omnibus revereri. Merito itaque ſedes Apoſtolica ipſos tanquam ex multimodo famulatu condignos ampliori amore complectitur, proſequitur uberiori favore, ac erigit gratia potiori; ut ipſorum recognita, & remunerata bonitas ſit aliis ad Eccleſiæ obſequia inductio efficax, & effectivum exemplar.*

*plar. Verum quia volumus quod grata ipſorum merita non ſolum proximis, ſed remotis etiam innoteſcant, ut & apud illos clareant digna laude; providimus pro eis vobis noſtras affectuoſas literas, devota ipſorum exponentes ſervitia, deſtinare: quia non ſolum per nos, ſed & per vos, & alios profectum eorum procurare intendimus & honorem. Ideoque univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus eoſdem Lugdunenſes cives, quos ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcepimus; quandocumque ad terras, vel loca veſtræ juriſdictionis ipſos accedere, vel exinde tranſire contigerit; habentes pro noſtra, & ſedis Apoſtolicæ reverentia, tanquam filios ipſius ſedis ſpeciales præcipue commendatos; & eos in perſonis & rebus favorabiliter protegentes, ac de ſecuro conductu, ſi neceſſe fuerit, in eundo & redeundo providentes eiſdem, non permittatis ipſos a quoquam moleſtari aliquatenus vel offendi: & ſi ſuper injuriis, vel quibuſcumque negotiis juſtitiam ſibi fieri petiverint, illam eis a veſtris ſubditis, cum ſuper hoc vos requiſiverint, faciatis plenarie ſine mora & difficultate qualibet exhiberi, &c. Dat. Lugdun. id. febr. an.* VIII.

XVIII. Regina Blanca Pontifici redituro Galliarum vires offert.

Cum in Italiam reditum meditari Pontificem Regina Blanca accepiſſet, quæ agente in Syria ſanctiſſimo ipſius filio regni gubernacula tractabat, miſſo oratore regni vires Innocentio, & Cardinalium collegio obtulit ad ipſum Romanæ ſedi contra hoſtium omnium conatus reſtituendum; ac ſignificavit incredibili ſe deſiderio videndi Pontificis teneri, gerereque in votis, quamvis ex præterita valetudine recreata omnino non eſſet, Lugdunum petere, ut cum ipſo magnas res conferre, atque apoſtolica benedictione potiri poſſet. Quam Pontifex, poſt collaudatum eximium illius regnique Francorum in Apoſtolicam ſedem ſtudium, a ſuſcepiendo itinere revocavit: cum valetudinis diſcrimen, ex qua tot populorum ſalus pendebat, aditura eſſet eaque res ipſius diſceſſum, qui maturandus erat, retardatura videretur (*a*).

(*a*) *Ib. ep. cur.* 60.

*Reginæ Francorum illuſtri.*

XIX. Commendat illius erga ſedem Ap. ſtudium Innoc.

*Nota nobis eſt patenter & cognita illius ſinceritas charitatis, quæ erga Dei Eccleſiam in animo tuo ſemper ſic viguit, & radicata ſic viruit in ſacro ſolio regni tui, ut nullis unquam malignitatibus ipſa arefacta deciderit, nec in extremis neceſſitatum articulis aliquem fervoris ſui ſenſerit tepefacta languorem. Notam quidem certo indicio, & cognitam experimento probabili eandem non immerito dicimus charitatem, quam tot irrefragabilia promptitudinis argumenta pronuntiant, tot affectionum inſignia ſigna probant, tot irrevincibilia operum teſtimonia manifeſtant. Hæc quippe antiqua leguntur in libro illabilis memoriæ, quo apud ſedem Apoſtolicam meritoria cujuſlibet devotionis obſequia recoluntur; ſed non per oblivionem ingratitudinis aliquatenus antiquata, quæ prædicta ſedes efficit ſæpe recenſendo recentia, eaque apud ſe de cunctis temporum viciſſitudinibus, ne cum his a modernæ conſiderationis dilabantur aſpectibus, congregata in conſervationis ſuæ theſauris præcipuis conſignavit. Verum inter cætera certitudinis documenta, quibus nobis ſe hactenus prodidit tua puritas, tuus ardor, nunc experimentum charitatis, non ambigue objeciſti, mittens ad præſentiam noſtram nuntium fidelem, providum & prudentem, per quem te ac regnum tuum, munificentia pietatis in Deum, ejuſque ſponſam orthodoxam Eccleſiam exuberans inter alia regna mundi, noſtris & fratrum noſtrorum beneplacitis obtuliſti.*

XX. Collaudat pium adeundæ ſedis Ap. deſiderium.

*Et ut inſuper Romana Eccleſia mater tua de finibus tuis plenius a te ſalutata recederet; teque divinis augeret benedictionibus, & maternis dimitteret amplexibus lætiorem; propoſuiſti per nuntium memoratum, quod nos flagranti deſiderio videre affectes, & alloqui ante diſceſſum noſtrum de partibus Gallicanis. In tantum quidem ad hoc animum tuum bonæ voluntatis, ut accepimus, impellit inſtinctus, quod te, quamvis diuturnis corporalis ægritudinis laboribus fatigatam, necdum plene naturæ viribus redditam, labor longioris itineris non deterret; quin per debilitatem membrorum, cordis adhortante vigore, noſtris aſpectibus pro Chriſti reverentia, quam in ejus vicario, licet immerito, ſanæ fidei oculo conſideras, quoquo advehendi conamine geſtias præſentari. Benedictus itaque Deus, & Pater domini Jeſu Chriſti, omniſque laus jubilet nomini ſancto ejus, qui devotionem fidei catholicæ, qua regnum Francorum in ſuis dudum refulſit principibus, te ac glorioſis fructibus ventris tui tanta integritate ſervavit, quod ejus ſerenitas ex aliquo turbinis nubilo ulla mutationis in aliud detrimenta non ſentit. Sed ſuper iis quæ ex parte celſitudinis tuæ nobis ſunt propoſita, & oblata, & quæ tanquam de prælo regiæ puritatis expreſſa munera pretioſa tota cordis alacritate ſuſcepimus, & omni acceptionis favore judicavimus amplectenda; manſuetudini tuæ gratiarum exſolvimus actiones, retributorem omnium, quem per hoc in nobis regalis pietas veneratur & colit, ſuppliciter implorantes, ut hujuſmodi devotæ promptitudinis meritum ſignanter tibi reponat ad cumulum præmiorum: quia certi ſumus, nec eſt quo poſſimus fieri certiores, quod regiæ liberalitatis amplitudo magnifica ſuæ affectionis pollicita libenter proſequeretur effectu. Nec mirum ſi hæc tibi ſuggerit fœcunda innatæ devotionis benignitas, cujus fontem exuberantiæ multiplicitas non exhaurit: in te quidem, ab illuſtriſſimis & Chriſtianiſſimis traducta parentibus; deinde & in ſereniſſimo reperta conſorte, ac demum per tuæ inſtitutionis documenta ſalubria in divitem ſobolem propagata: ut jam inviolabilis Chriſtianæ religionis ſanctitas, & fidei orthodoxæ ſinceritas tuis de cætero poſteris de throno tuo videatur quaſi hereditaria provenire.*



XXI. Ad celerem reditum ſe urgeri ſignificat.

*Sane chariſſima filia hoc ex nobis noſſe te volumus, quod ad mutuum conſpectum atque colloquium votum noſtrum adeo cum tuo voto concurrit, quod in loco tibi commodo, ac vicino non piguiſſet, nos deſiderio tuo Apoſtolicæ ſedis afferre præſentiam, ut ea juxta poſita ſine aliquo laborioſæ profectionis incommodo fruereris; ſi id tempus admitteret, & rerum incumbentium urgens neceſſitas pateretur. Quippe noſtræ tibi, ac tuæ nobis præſentiæ commoditas proveniret captanda, ſicut confidimus, ex ſermone communi ſecundum Deum conſilia orirentur: ſed importune nos in Italiam revocant accelerandæ utilitatis manifeſta neceſſitas, & ardua Eccleſiæ Romanæ negotia, quæ de novis divinæ voluntatis diſpoſitionibus emerſerunt; ulteriorem non ferentia protractionem in his partibus moræ noſtræ ſine certa jactura, & diſcrimine manifeſto.*

XXII. Juſtas ob cauſas a ſuſcipiendo itinere revocat.

*Impedit præter hæc alternæ viſionis vota communia non injuſta formido de tua nos debilitate deterrens; ne tui convaleſcentiam corporis contingat ex aliquo motu inquietudinis retardari: ne dicamus incurrere, quod abſit, periculum recidivæ. Cum tibi multorum ſalus de tua vita dependeat, ſervanda eſt, & procuranda omni ſtudio tanquam publica tua ſalus; & nobis, ne læſionis eſſe tibi poſſimus occaſio, tanto diligentius eſt cavendum, quanto incolumitatem tuam ampliori zelamus affectu. Eam quidem fructuoſam eſſe cognovimus tui regni profectibus, robori fidei, ac munimini eccleſiaſticæ libertatis, quæ gaudet ſub tuo præcipue ſe favore florere. Præferantur ergo tuæ cautela ſalutis, publica neceſſitas nos accelerans ad receſſum; & his cedant æquanimiter vota noſtra, quibus ad mutuæ viſionis alloquium utrinque laudabilis intentionis invitabantur affectus; & corporum abſentiam ſpiritum in Domino præſentia recompenſet. Rogamus itaque celſitudinem tuam, ut itineris aſſumendi propoſitum omnino deponas, conſiſtens, & valens, ac convaleſcens filia in domino benedicta. Augeatur indeſinenter quæſumus fervor tuæ devotionis in Deum, & Eccleſiam ſanctam ejus, quæ te ſemper in intimis ſuæ dilectionis viſceribus continebit. Sit tibi, ſit natis tuis nobis in veritate chariſſimis; ſit regno tuo gratia, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, quatenus per bona temporalia feliciter deducamini ad æterna, & inconcuſſa ſtabilitate ſubſiſtat in ſæcula thronus tuus. Dat. Lugd. XV. kal. apr. anno* VIII.

XXIII. Henricus Angl. Rex Pontifici videndi ipſius pia cupiditate teneri ſignificat.

Eadem, qua Regina Blanca, videndi Pontificis cupiditate flagrabat Henricus Anglorum Rex, qui ſuis literis ſignificarat Innocentio ſe Lugdunum ea de cauſa profecturum. Cui Pontifex, commendatis egregiis ejus animi virtutibus, reſpondet (*a*) eodem ſe illius conſpectu potiundi deſiderio teneri; ſed ob arduam rerum ſibi incumbentem molem morari in Galliis diutius non poſſe.

(*a*) *Lib.* 8. *ep.* 68.

*Regi Angliæ illuſtri.*

Quid illi reſcripſerit Pont. Singulares Henrici virtutes effert.

*Manſuetudo, pietas & clementia, quæ ſolent potentiſſime inter alia virtutum genera principes inſignire, tuam quidem ſpecialibus titulis excellentiam efferentes in te videntur divina operante gratia convenire. Qui cum pius in operibus, in aſpectu clemens, & in ſermonibus dicaris ab hominibus manſuetus; integritate fidei, ſinceritate affectus, & devotionis ardore culmen regium in obſequiis divinis inclinans; te in eis non inutiliter lucidum ſpeculum exhibes, & cultorem. Quem inquam nos, qui ſumus, diſponente Domino, quamvis immerito, conſtituti ſupra mundi ſpecula, diligentius intuentes; ac intendentes, quod talia ſunt dona divinitus inſpirata, præter indiſſolubile vinculum ſpecialis dilectionis, quam ad tuam perſonam inexplicabili quodam affectu gerimus; tanto te habemus inter alios chariorem, quanto iis laudabiliter cæteros per continuum exercitium antecellis.*

XXIV. Excuſat ſe ab ineundo cum eo colloquio.

*Hac ſiquiqem conſideratione inducti tuo, ut corporali viſione ac collocutione mutua nos recrearemur ad invicem, deſiderio concordamus; ita quod omnino tuam expectaremus, immo expeteremus præſentiam, qui ad nos accedere ſuper quo tibi regratiamur quamplurimum, cauſa devotionis intendis, niſi quod nos trahunt ardua Eccleſiæ negotia, quæ propter mutationem temporis dilationem aliquam non expectant. Licet autem ad præſens adimpleri nequeant vota noſtra, ſperamus tamen quod fiet commodius alias, in tuo videlicet acceſſu, vel receſſu de tranſmarinis partibus aut forſan ex alia cauſa, quam Dominus procurabit. Quocirca celſitudinem tuam rogamus attentius, & hortamur, quatenus in Apoſtolicæ ſedis devotione conſtantia ſolita perſeverans, habeas nos ſuper eo, quod tuum deſideratum adventum in his partibus expectare non poſſimus, interpretatione laudabili excuſatos. Dat. Lug.* IV. *non. april. ann.* VIII. Cum in iis literis dicat Pontifex in mutuum conſpectum venire ipſos poſſe, cum iter Hieroſolymitanum

num adornabit, vel ex ea expeditione reditum compararit, conſtat Henricum, quod ſuperiore anno diximus, ſacro bello ſe devoviſſe.

XXV.
Flagitat ab Innoc. Henricus ut decimas Scotiæ ob Hieroſol. expeditionis apparatum concedat.

Popoſcerat ob eandem ſuſceptam expeditonem idem Rex ab Innocentio, ut ipſi Scotiæ decimas permitteret; tum decerneret, ne Rex Scotiæ ſine Anglorum Regum facultate obtenta, quorum ſtipendiarius erat, regia inunctione liniri poſſet. Cujus Innocentius in ea re preces his literis (*a*) repulit.

(*a*) *Lib.* 8. *ep.* 474.
Ne Rex Scotiæ ſine ipſius auctoritate regiis ornamentis rediмiri poſſit.
Repulſam Henrico obiicit Innoc.

*Ex parte tua fuit nobis cum inſtantia ſupplicatum, ut tibi, ne chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Scotiæ illuſtris abſque tuo aſſenſu inungi, vel coronari poſſet; cum ſit ligius homo tuus tibique homagium fecerit, concedere curaremus. Quia vero talia concedere ſedes Apoſtolica minime conſuevit, non mireris, ſi te non exaudivimus in hac parte. Noveris tamen, quod alicui non concederemus aliquid, quod redundare crederemus in præjudicium regiæ dignitatis. Super eo vero, quod petebas tibi decimam eccleſiaſticorum proventuum in ipſius regno concedi; petitionem tuam, de quo non turberis, non admiſimus, quia quod hoc in alterius regno concederetur alicui, eſt penitus inauditum. Dat. Lugd.* VIII. *id. april. anno* VIII.

XXVI.

Quod ad ſuſcepta ab Henrico Aſiaticæ profectionis conſilia ſpectat; tradit Pariſius (*b*) ſolicitatum ab Alphonſo Caſtellæ & Legionis ſceptri herede, ne Gallis ſe conjungeret, ſed ad ipſum potius accederet: ſe illi in ea peregrinatione ſocium additurum; eumque commeatu, armis, claſſe, cæteriſque neceſſariis inſtructurum. Et quidem ipſum numeroſiſſimam claſſem in Cantabriæ littoribus tunc conflaſſe, atque Africam invadere animo meditatum, ſcribit Mariana (*c*); ſubdit Pariſius ex Alfonſo nuncium retuliſſe, capta Hiſpali, quam Sibellam vocat, quidquid fere terrarum ad mare uſque excurreret, Caſtellani imperio adjunctum; atque Hiſpalim tantis abundaſſe opibus, ut Marrochitano Regi una cum circumjacente provincia hebdomadis ſingulis undecim millia talentorum pendere ſolita eſſet, quod fidem ſuperare videbatur. Henricum vero Regem magno gaudio delibutum grates Hiſpano retuliſſe; ſed mortem Regis Caſtellæ, Ferdinandi ſcilicet Alphonſi parentis, immaturam omnia ea conſilia evertiſſe: *Hujus*, inquit Pariſ. *mandati tenore gaudium ſuſcepimus, honorem ſuſcepturi, niſi mors immatura ipſum Regem magnificum* * *A. de medio ſuſtuliſſet. Eodem enim anno in fata conceſſit omnibus Chriſtianis deplorandus; veruntamen filios ſtrenuiſſimos ne moriturus penitus moreretur, Domino diſpenſante, regno ſuo poſt ſe reliquit gubernando.* Diſſentiunt a Pariſio Surita (*d*) & Mariana, (*e*) dum illum obiiſſe aſſerunt ad tertium kal. junii ſalutis anno MCCLII. cum regnaſſet in Caſtella annos triginta quatuor, menſes undecim, dies tres & viginti: vir, ut Mariana ſubdit, omnibus animi & corporis dotibus præditus, morum probitate tanta, ut ſancti cognomen adeptus ſit. Alphonſum vero filium heredem ſceptri reliquit, qui magna virtutum exempla regni ſui principio explicuit. Cum in res Hiſpanicas inciderimus, cætera eo ſpectantia, abrupto de Syriacis rebus ſermone, connectemus.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
Invitatur Henricus ab Alphonſo Regis Caſtellæ filio ut potius cum Hiſpanis quam Gallis arma conjungat.
(*c*) *Marian. de rebus Hiſp. l.* 13. *c.* 8.
* *Ferdinandum*
Regis Ferdinandi mors profectionis Aſiaticæ ſuſceptæ ab Alphonſo conſilia diſcutit.
(*d*) *Surit. l.* 3. *annal. c.* 48.
(*e*) *Mar. ubi ſup.*
Ferdinandi elogia.

XXVII.
Datæ ab Innoc. indulgentiæ pro anima Berengariæ Ferdinandi matris oraturis.

Optabat Berengaria Regis Ferdinandi filia, quæ vitæ religioſæ inſtitutis ſe addixerat, corpus Reginæ Berengariæ aviæ in honorificentiore mauſolæo, quod ipſa extruxerat, reponere: atque ab Innocentio flagitarat, ut pompam funebrem cohoneſtaturis, atque pro anima matris oraturis indulgentiarum præmia imperiretur. Cujus piis precibus ob navatam pro amplificanda Chriſtiana religione operam a Ferdinando optime de Eccleſia merito quem Berengaria ad gentiles debellandos excitarat, morem geſſit, dato hoc fidelibus diplomate: *Nos attendentes quod pium, & ſalubre ſit orare pro mortuis, ac volentes, ut a Chriſti fidelibus hujuſmodi orationum ſuffragia eo devotius frequententur, quo per hoc uberiorem ſibi fructum ſperaverint provenire; omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad eandem ſepulturam in die tranſlationis hujuſmodi, vel etiam uſque ad decennium devote acceſſerint memorata orationum ſuffragia impenſuri, quadraginta, necnon & illis, qui pro animæ ipſius B.. remedio orationem dominicam dixerint, decem dies de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Dat. Lug. id. feb. ann.* VIII.

XXVIII.
Sanctius Regis Ferdinandi filius creatus archiepiſcopus Toletanus

Cum eodem tempore Paſchaſius Toletanus epiſcopus obiiſſet, Sanctius Ferdinandi Regis filius, illius eccleſiæ archidiaconus, in archiepiſcopum electus eſt: atque ab Innocentio in ea dignitate confirmatus, ut gratulatoriæ ad decanum & collegium canonicorum oſtendunt litteræ. (*f*) Eodem argumento Toletanæ provinciæ clero ac populo obſervantiam ac ſtudium erga novum archiepiſcopum commendavit (*g*). Tum etiam Ferdinandum Caſtellæ ac Legionis Regem Sanctii parentem hortatus (*h*) erat, ut eccleſiam ipſius filii fidei commiſſam tueretur: *Licet te tanquam catholicum, & devotum generaliter, ad omnes eccleſias, & ſpecialiter ad ipſam credamus habere ſinceræ devotionis affectum, & eas velle diligere, ac fovere; ut tamen, ejuſdem eccleſiæ ad te dilectione creſcente, tua creſcat devotio ad eandem, quæ ſupradictum archidia-*

(*f*) *Lib.* 8. *ep.* 400.
(*g*) *Reg. poſt eand. ep.*
(*h*) *Reg. poſt eand. ep.*





*conum natum tuum, ſuum adamavit in ſponſum, ſperans & tuis adjuvari ſuffragiis, & ipſius induſtria feliciter gubernari; ſerenitatem tuam rogamus, & monemus attente, quatenus continuato favore, ac munifica gratia, & regalibus beneficiis proſequens eccleſiam memoratam, eam manuteneas, & defendas. Impendendo ipſi procuratori & per eum eidem eccleſiæ, in quibus circumſpectionem regalem decuerit, auxilium conſilium, & favorem.* Extant vero aliæ ad eundem Sanctium literæ, (*a*) quibus ipſum rogat Marrochitano epiſcopo, qui multos pro religionis cauſa labores tulerat, atque ſuſtinendis ſumptibus ad munus obeundum neceſſariis impar erat, provideret.

(*a*) *Lib.* 8. *ep.* 435.

XXIX.

Ut vero Pontifex Africanis Chriſtianis, qui ſub Marrochitano Rege ſtipendia faciebant, atque maritimam oram incolebant, conſuleret, barbaro ſcripſit, (*b*) ut ipſis tuta loca attribueret, quo liberos, uxores, ac fortunas ſubducerent; ne direptioni Sarracenorum paterent, dum illius ſigna ſequerentur: ni faceret, ſe ipſorum epiſcopo partes daturum, ut eos ab ejus obſequio abduceret.

(*b*) *Ib. ep.* 436.
Chriſtianos ſtipendiarios Marrochitano Regi commendat Pontifex.

*Miramamolino Marrochitano Regi illuſtri timorem divini nominis & amorem.*

*Conſtitutus in præſentia noſtra venerab. frater noſter Marrochitanus epiſcopus nobis expoſuit, quod cum nos olim tibi direxerimus preces noſtras, ut Chriſtianis illarum partium munitiones, & caſtra ſita ſupra ripam maris, in quibus ſecure habitare poſſent, & contra impugnatores ſuos neceſſitatis tempore ſe tueri, liberaliter largireris; tu, preces ipſas ſuper hoc negligens adimplere, id efficere omiſiſti; propter quod Chriſtiani præfati, tam in perſonis, quam rebus damna coguntur gravia ſuſtinere: nam cum oporteat multos ex illis frequenter ad exercitum tuum ire, vel alias pro tuis ſervitiis laborare; nec habeant tuta loca, ubi uxores, filios, ac alios conſanguineos relinquere valeant; Sarraceni, opportunitate captata, multos ex eis interficiunt, & nonnullos cogunt fidem catholicam abnegare. Cum igitur tua pati non debeat magnitudo, ut Chriſtiani qui ſic ardenter tuis inſiſtunt obſequiis, ex defectu locorum, in quibus neceſſitatis tempore ſe receptent, tot injurias & moleſtias ſub tuo dominio patiantur, excellentiam tuam iterato monendam duximus & rogandam, quatenus munitiones & caſtra præfata Chriſtianis ipſis, ut ibidem tueri ſe poſſint, abſque qualibet difficultate concedas. Alioquin memorato epiſcopo literis noſtris injungimus, ut Chriſtianos in illis partibus degentes a tuo ſervitio revocare, ac aliis, ne illuc tranſeant, inhibere procuret. Dat.* XVII. *kal. april. an.* VIII. Eodem argumento Marrochitano epiſcopo datis literis, (*c*) ut Chriſtianos a ſequendis ſub Miramamolino ſignis averteret, ſi monita neglexiſſet: idemque Chriſtianis oram illam incolentibus imperavit. (*d*) De Caſtellanis & Africanis rebus ſatis: ad Italicas jam nos convertamus.

Hortatur arces illis ſe ab hoſtibus tueantur attribuat.
(*c*) *Ep.* 437.
(*d*) *Ep.* 438.

XXX.
Lugduno diſcedit Pontifex.

Ardebat Italia videndi ſuaviſſimi parentis deſiderio, illiuſque expectatione ſuſpenſa erat; cum Innocentius feria IV. paſchalis hebdomadæ cum ſacro Cardinalium collegio, Lugdunenſi electo, magna prænobilium virorum multitudine & copiis egregie inſtructis ſtipatus, ad retundendos Fridericianorum conatus, atque eludendas inſidias Alpes tranſgreſſus eſt. Cui venienti Inſubriæ principes ac populos magno ſenſu pietatis delibutos, & omni obſervantiæ ſignificatione ſe effudiſſe, tradit monachus Patavinus (*e*); ac Januam feliciſſime, ſuperatis omnibus periculis, attigiſſe; qua in urbe menſem circiter ad decimum kal. julias commoratum compertum eſt, ut plures ex ea datæ literæ demonſtrant: ad Aragonum in primis Regem & Reginam, quibus ipſorum filiis Petro & Sanciæ permiſit, ut in contrahendis nuptiis quartus conſanguinitatis gradus non obeſſet (*f*): *Veſtris precibus*, inquit, *inclinati cum dilecto filio nobili Petro & Sancia, natis veſtris, quod libere poſſint matrimonia contrahere cum perſonis eos quarta conſanguinitatis, vel affinitatis linea contingentibus Eccleſiæ Romanæ fidelibus & devotis, auctoritate apoſtolica diſpenſamus. Nulli ergo, &c. Dat. Januæ* III. *kal. jun. an.* VIII. Tertio vero nonas junii Weſtmonaſterii Londinenſis abbati miſſo diplomate conceſſit, ut qui eccleſiam eo die, quo S. Eduardi, reliquiæ ſolemni pompa in eam erant transferendæ, ac ſequentibus octo diebus adituri eſſent, indulgentiam unius anni & centum dierum conſequerentur. *Cum ſicut (g) ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, corpus beati Eduardi glorioſiſſimi confeſſoris, quod prout aſſeritur, innumeris coruſcans miraculis in eccleſia veſtri monaſterii requieſcit; ad quem etiam chariſſ. in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Angliæ gerit intimæ devotionis affectum, præponatis a loco in quo eſt ad alium locum honorabilem transferre; nos volentes, ut eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui eandem eccleſiam in die qua idem corpus tranſlatum fuerit, & uſque ad octo dies ſequentes venerabiliter viſitaverint, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi unum annum & centum dies; & poſtmodum ſingulis annis in anniverſario tranſlationis ipſius die, centum dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat.*

(*e*) *Monach. Pad. in chron. l.* I. *hoc ann.*
Januam feliciter ingreditur.
(*f*) *Lib.* 8. *ep.* 493.
(*g*) *Ib. ep.* 501.

*Januæ* III. *non. junii anno* VIII. [1]

XXXI. Tum v. id. junii ad Viennenſem archiepiſcopum & epiſcopum Gratianopolitanum exaratis literis (*a*) provinciam injunxit, ut ad Sabaudiæ comitem ſe conferrent, atque præterita mala emendare monerent. Friderici partes Sabaudus extulerat, ac Rom. Eccleſiæ injurias graves intulerat: legatum apoſtolicum e Galliis exercitu ſtipatum Italiam ingreſſurum, ut pontificiis opem afferret, itinere regio arcuerat; unde graviſſima damna emerſerant: Taurinenſis Eccleſiæ poſſeſſiones invaſerat: profecturos ad ſedem Apoſtolicam ac redeuntes ceperat, ſpoliarat, occiderat, eaque flagitia a ſuis patrari impune permiſerat, quamvis hujuſmodi criminum reis apoſtolicæ cenſuræ quotannis in feſtis ſolemnibus incuterentur. At ſi comes Taurinenſi eccleſiæ erepta reſtituere, ſpoliatis jacturam refundere, ſedi Apoſtolicæ pro injuriis illatis facere ſatis recuſaret, denuntiarent ipſum devinctum iri anathemate, ejus ditionem ſubiiciendam interdicto, ac ſeveritatem legum, prout ſuaderet æquitatis zelus, diſtringendam. Paruit vero monitis comes atque in gratiam cum Eccleſia reverſus eſt; ſive Fridericianas partes proſterni ac ruere videret, ſive illum conſcientiæ & religionis amor tetigiſſet: id namque datum proximo anno diploma docet, quo Innocentius omnia illius principatus jura confirmat (*b*). Nec minus ſtudii & operæ collocavit, (*c*) ut fœderatos in Italia populos, qui tyranno adhæſerant, Cremonenſes, Ticinenſes, Terdonenſes, Alexandrinos, Vercellenſes, Taurinenſes, Patavinos, Aſtenſes, de quorum eccleſia ab invaſoribus vindicanda plures literas (*d*) dedit, atque alios in ſuas partes pelliceret. Cumque Fridericus Carfagnanæ agrum Lucenſibus, & Carpenſem Mutinenſibus, ad eos ſibi devinciendos, nullo jure tradidiſſet, cum ii agri ditionis eſſent pontificiæ; ipſos Pontifex literis ad injuſte parta reſtituenda ſolicitavit, perficiendæque rei Octavianum S. Mariæ in via lata diaconum Cardinalem navare operam præcepit (*e*). [2]

(*a*) *Ib. ep. cur.* 74.

Sabaudiæ comitem ad Eccleſiæ caſtra revocare ſtudet.

Comes Sabaudiæ Pontificis partibus ſe conjungit.

(*b*) *Lib.* 10. *ep.* 302.

(*c*) *Lib.* 8. *ep. cur.* 14. *& reg. poſt eand. ep.*

Pontificia ſtudia pro revocandis ad officium aliis populis.

(*d*) *Lib.* 8. *ep.* 518. 519. 520. 521.

(*e*) *An.* 1251. *pag.* 36.

Nec

NOTÆ

[1] INnocentii e Gallia in Italiam redeuntis itinerarium diligentiſſime perſequitur geſtorum ejus ſcriptor Nicolaus de Curbio cap. XXX. Narrat ille Willelmum imperatorem electum ad inviſendum pontificem Lugdunum ſe contuliſſe, & ambos ſimul ex ea urbe egreſſos die XIX. aprilis, quæ in feriam IV. paſchalem incidit. Regem vero in Alemanniam divertiſſe, quocum ivit a pontifice legatus Hugo cardinalis, de quo Raynaldus hic num. XII. Cum vero Willelmus diebus XV. cum pontifice egerit, ut ſcribit author geſtorum archiepiſcoporum Trevirenſium ex edit. Martenii veter. monum. to. IV. col. 253. hinc deducitur Lugdunum veniſſe regem aprili ineunte. Egreſſus Lugduno pontifex prima die Viennam adiit, tum Rhodano vectus Oringiam, (Oranges) ac demum Maſſiliam attingit. Hinc terreſtri itinere Genuam pervenit. Exceptus ibi ſolemni apparatu, atque inter cætera *milites & majores de terra ferebant* umbraculum ſericeum, cujus ſingula capita ſeu anguli, comiſſa erant ſingulis *perticis*, ut eo protectus pontifex ab urentis ſolis radiis defenderetur. Hinc autem cenſeo exordium duxiſſe morem velaminis, ſub quo hodie pariter excipiuntur principes cum ritu ſolemni prodeunt. Genuæ ante multos ab aſcenſione Domini dies agebat. Aſcenſionis vero feſtum anno illo in diem VII. Kal. junii incidit. Eo perveniſſe majo menſe notat author Memorialis poteſt. Reginenſ. Rer. Italic. to. VIII. Ibi ſubſtitit integro circiter menſe, & feſta aſcenſionis die omnium Longobardiæ urbium legatos audivit. Statuerat Romam iter arripere, at ſuadentibus legatis ſuis, Octaviano ſcilicet S. Mariæ in via lata diacono cardinali, & Gregorio de Monte longo flexit in Lombardiam, viæque ſe dedit feſta die nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, ac die feſta SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Alexandriam pervenit. *Deinde*, ſcribit Nicolaus de Curbio, *per terram Montis Ferrati ad pontem devenit. Ibi D. Thomas de Sabaudia comes, qui fuerat pro parte Friderici, venit ad mandata eccleſiæ, & per Aſſiſinatem epiſcopum extitit ab excommunicationis vinculo abſolutus.* Venit tandem Mediolanum die VII. julii ut notat Galvaneus Flamma in manip. Flor. Rer. ital to. X. *ubi cum ageret ipſius favore Mediolanen. Laudam civitatem cœperunt* (coacta ergo non ſponte, ut ſenſit annaliſta, urbs illa rediit ad obſequium) *quæ pro parte Friderici* erat cum *Cremonenſibus & Papienſibus fœderata*. Venit Lauda in poteſtatem die VI. auguſti. Mediolano Brixiam, tum Mantuam, ac demum Ferrariam die feſta S. Franciſci ſe contulit. Gradus deinde factus eſt Mutinam die IX. octobris, ut notatur in annalibus Mutin. rer. italic. to. XI. quam poſt 17 dies deſerens, ut Peruſium tenderet, feſtam diem omnium ſanctorum Faventiæ celebravit, unde demum quinta menſis die Peruſium tranſiit, *ubi tres cardinales in eccleſia ordinavit, D. epiſcopum Portuenſem, D. epiſcopum Peneſtrinum quondam Strigonienſem archiepiſcopum, & D. Octobonum S. Adriani diaconum cardinalem: D. autem Peneſtrinum de Barro tituli S. Marcelli presbyterum cardinalem conſecravit in epiſcopum Sabinenſem.*

Brixiam venit menſe ſeptembris ut notat Malvecius in chron. Brixienſi Rer. italic. tom. XIV.

Cæſenam intravit die feſta SS. Simonis & Judæ ex anonymo annaliſta Cæſenatenſi rer. Italic. to. XIV. MANSI

[2] COncilia hoc anno in Gallia duo celebrata ſunt, aliud apud Inſulam, quo ſub Arelatenſi præſule epiſcopi octo convenerunt *die maii poſt feſtum exaltationis S. Crucis* ut in iiſdem actibus legitur. Canones in illo XIII. ſanciti ſunt, in quibus adverſus hæreticos datæ leges, tum & quædam eccleſiaſticorum jura aſſerta, vetitum ne *Confratriæ*, conjurationes, conſpirationes, colligationes, ſocietates vel alia id generis fiant; quod cum antea in concilio Valen-



XXXII. Nec modo ad revocandos in Eccleſiæ gratiam, quos Fridericianæ perſecutionis æſtus ab ejus complexu, & ſtudio divulſerat, opem contulit Innocentius; verum ad excindendas hæreſes, atque ex Italia eiiciendas, quæ ſub tyranni dominatu pullularant, plurimorumque corruperant animos; dum paſſim opprimerentur eccleſiaſtici, & victrix impietas effuſis frænis exultaret: quare viris religioſis pietate, ac ſcientia præclaris, eas partes tradidit, & fidei cenſores inſtituit. Quo argumento epiſtolam ſcripſit (*a*) ad Vivianum Bergomenſem, & Petrum Veronenſem; quem illum putamus extitiſſe, qui anno ſequenti a Manichæis confoſſus, glorioſiſſimam martyrii palmam collegit.

Hæreſes quæ Inſubriam infecerant delere aggreditur.

Petro Veronenſi Prædicatorum familiæ ea provincia impoſita.

(*a*) *Lib.* 8. *ep. cur.* 76.

*Petro Veronenſi, & Viviano Bergamenſi fratribus ordinis Prædicatorum.*

XXXIII. *Miſericors & miſerator Dominus, cogitans cogitationes pacis & non afflictionis, Eccleſiam ſuam diutina vexatione concuſſam, rabie diſtractam tyrannica, duris afflictam tribulationibus, & incurſionibus fatigatam hoſtilibus; de excelſo ſolio ſuo mira benignitate reſpexit: & miſertus ſuper ipſius contritione nimia, quam callidus ille ſeminator diſcordiæ inſerebat, ſalutare ſibi remedium miniſtravit, extinguens funeſtæ diſſenſionis fomitem & peſtiferi odii incentorem: a quondam ſiquidem Frederico Rom. Imperatore hoc tantum Eccleſiæ malum, & tanti cauſa periculi pandebatur. Ipſe namque accenſus odiorum ignis, fomes diſcordiarum æſtuans, pacis invidus, Chriſtianæ unitatis ſalutiferæ diſſipator, & totius malleus Italicæ regionis; turbato ubique tranquillo, Eccleſiam ipſam validis perſecutionum fluctibus conquaſſabat: quinimo totam regionem eandem; & alia etiam mundi regna, immiſſo diſſenſionum turbine, commovebat: propter quod ille, cujus imperio cœleſtia obediunt & terrena, tot & tanta volens ſua clementi virtute ſubmovere pericula, dixit, & hujuſmodi procellæ ſpiritus ſtatim ſtetit: mandavit, & quievit ventus maximæ tempeſtatis; & facta eſt in Eccleſia ipſa tranquillitas communi deſiderio diutius expectata. Quam tribulantem procellam in auram convertit proſperam, & pacem, quam eidem Eccleſiæ mundus dare non poterat, ipſe dedit, tollens illum omnino de medio, qui diſcors concordiis, concors vero diſcordiis univerſalis ollam odii ignivomis nequitiæ ſuæ flatibus ſuccendebat. Unde cum ipſi Eccleſiæ de tantæ propitiationis beneficio dignanter providerit; & in grandem cum ea ſit miſericordiam operatus, debitum eſt & dignum per omnia, ut pro hac ineſtimabili gratia, ſic pie deſuper erogata, gratiarum ei actiones cum devotione reddamus, & offeramus ſacrificium plenæ laudis; ne tam magnificum ejus donum in vacuum recepiſſe, ſibique ingrati de illo exiſtere videamur; maxime quia generalis perſecutionis actore præcipuo jam ſublato, & quiete nunc Eccleſiæ reſtituta, reſtat nimirum, ut in divinas laudes cuncta noſtra ſtudia conferamus. Et quoniam verbis, & operibus honorificandus eſt Dominus, recognoſcenda eſt immenſa benignitas in utriſque; ut in utroque modo, dicto ſcilicet atque facto ſui nominis laudem & gloriam perſonamus.*

Ut hæreſis ob Friderici tyrannidem propagata fuerit.

XXXIV. *Quia vero tunc potiſſime acceptabile ſibi exhibetur obſequium, cum ei pro catholicæ conſervatione fidei, cujus eſt ipſe ſtabile ac perpetuum fundamentum, pura intentione ſervitur; providimus ſpecialiter in hoc ipſi ſtudioſum & placidum, eo cooperante, impendere famulatum, & præcipue in Italicis partibus propter ipſarum vicinitatem vigilare inſtantius, & validius ſatagere contra ejuſdem fidei diros hoſtes; ut cultura ſalubris per nos agris dominicis impenſa vicinis, utilis ſit longinquis; & verbi divini ſemen fuſum in proximis fructificet etiam in remotis: licet Apoſtolica ſedes tales hoſtes ubique indefeſſa ſolicitudine perſequatur, nec unquam ab hujuſmodi exercitio ceſſaverit cura ejus. Convenit namque, ut quia inquiſitiones contra peſtem hæreticam roborare, ac renovare per diverſas ſæculi volumus regiones; id agere in Italia, majori opportunitate nunc habita, nullatenus omittamus: cum quanto propior noſtris adeſt aſpectibus, tanto juſtius, niſi attente ſaluti proſpiceremus ipſius, poſſemus argui de negligentia. Olim enim, dum vivebat perfidus ille tyrannus, non potuit libere contra hujuſmodi peſtem præcipue in ipſa Italia, eo impediente procedi, cum non impugnaret, ſed foveret potius peſtem ipſam: de qua cum evidenter haberetur ſuſpectus, exigentibus nihilominus aliis multis & enormibus ſuis exceſſibus, fuit a nobis in Lugdunenſi concilio condemnatus. Ideoque diſcre-*

Sublato tyranno diligentiam in ea lue excindenda acuit Pont.

NOTÆ

Valentino anni 1248. ſancitum fuerit innovare viſum eſt in præſenti, id forte expoſcente, quæ tunc oriebatur, Paſtorellorum ſecta, de qua in annalibus ad annum 1250. n. 29. & 30. & Nangius in chronico ad hunc annum. Denique vetita ſunt conjugia clandeſtina, & preces pro negocio *terræ ſanctæ* indictæ. Præceſſit huic concilium a Gilone Sennonenſi archiepiſcopo apud Pruvinum collectum *die mercurii* poſt feſtum beatæ Mariæ Magdalenæ. Innovata ſunt in eo ſtatuta concilii Pariſienſis anni 1248. de quo nos ad eundem annum; addenda inſuper nonnulla viſa ſunt quoad diſciplinam in eos, qui excommunicatione inuſti ſunt ſervandam. Hujus concilii, quod nobis labor PP. Martene & Durand collect. to. VII. col. 142. peperit, mentio in collectionibus conciliorum deſideratur. MANSI

*cretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, in remiſſionem veſtrorum peccatorum injungentes, quatenus hujuſmodi fidei negotium, quod principaliter reſidet cordi noſtro, totis aſſumentes affectibus, & ferventibus animis proſequentes Cremonam perſonaliter accedatis; cum & per alias civitates, & alia loca Lombardiæ diſcretos alios ad exequendum idem negotium duxerimus deputandos: & ad extirpandam de civitate ipſa & ejus diſtrictu hæreticam pravitatem ſolicite ac efficaciter, præhabito diœceſano concilio laborantes, ſi quos ibidem pravitate ipſa culpabiles inveneritis, vel infectos, ſeu etiam infamatos, niſi examinati velint abſolute mandatis Eccleſiæ obedire, contra ipſos, & receptatores, defenſores, ac fautores eorum, humano timore poſtpoſito, juxta ſanctiones canonicas auctoritate apoſtolica procedatis, invocato ad hoc contra eos, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, contradictores, &c.*

XXXV. Sponte redeuntibus miſericordia explicanda.

XXXV. *Si vero aliqui, hæretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad eccleſiaſticam unitatem, eis juxta formam Eccleſiæ diœceſano ipſo conſulto, abſolutionis beneficium impendentes, injungatis eiſdem quod injungi talibus conſuevit; proviſo ſolemniter ne ſimulata converſione redeant fraudulenter, & vos immo potius ſe fallentes ſub agni ſpecie gerant lupum. Verum quia tam ſalubre negotium ſuper omnia promoveri cupimus, propter quod impedimenta quælibet ab ipſo intendimus penitus cum Dei adjutorio removere, ſcire vos volumus, & aliis aperte prædicere, quod ſi forte quod non credimus, aliqua civitas, ſeu communitas, ſive aliqui magnates, vel nobiles, aut potentes, huic negotio ſe opponere, ſeu illud præſumpſerint aliquatenus impedire, ut non poſſit per deputatos ad hoc a nobis procedi libere in eodem; immo niſi foverint illud, & juverint ſtudioſe; nos proculdubio ad comprimendam tam ſuperbam, & pernicioſam audaciam, & omnimodo confundendam, in illos gladium eccleſiaſticæ poteſtatis acriter extendemus: & Reges, & principes, alioſque Chriſti fideles, ſive pro Terræ ſanctæ ſuccurſu, ſive alias pro Chriſti ſervitio crucis charactere inſignitos: necnon & cæteros catholicos invocabimus contra eos, ut & cœlum, & terra adverſus deteſtabilem temeritatem ipſorum pariter moveantur: cum non minus expediat, immo fidem magis in locis prope poſitis quam procul diſtantibus defenſare. Quia enim futura volumus, in quantum poſſumus, præcipue in Lombardia, quam ſpeciali affectione diligimus, vitare diſcrimina, idcirco ſcribimus quod iſta palam exponere, ac prænuntiare curetis, Cremonenſem populum & alios de ipſorum diſtrictu diligentius admonentes, ut debitum habentes reſpectum ad negotium memoratum, nullum prorſus promotioni ejus inferant nocumentum, ſed potius vobis in exequendo illo favorem tribuant, & auxilium opportunum: quia ſi forſan contrarium agere attentaverint, nullatenus dimittemus, quin per Reges ipſos & principes, alioſque fideles dictum promoveamus negotium, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Ut autem prædicta poſſitis liberius & utilius exercere, vobis largiendi viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad veſtram prædicationem propter hoc faciendam acceſſerint, plenam tenore præſentium concedimus poteſtatem. Dat. Januæ id. junii an.* VIII.

Intentatæ hæreticorum fautoribus minæ.

Admoniti Cremonenſes ne inquiſitionem diſturbent.

XXXVI. Inſtituta adverſus Ezelinum de hæreſi ſuſpectum quæſtio.

XXXVI. Graſſabatur quoque in marchia Tarviſina mali labes, atque adeo eam regionem infecerat, ut monachus Patavinus in ſuis ad annum ſequentem annalibus hæc de Ezelino Fridericianæ perſecutionis incentore qui in ea provincia non tam dominatum, quam carnificinam exercebat, tradiderit: *In diebus ejus ceſſavit prædicatio, obmutuit confeſſio peccatorum, & devotio fidei eſt extincta*. Ne ergo ſub illius improbiſſimi tyranni religio extingueretur, cum hæreſis infamiæ nota inuſtus eſſet, illum Innocentius ad ſedis Apoſt. tribunal accerſiverat, ut de impoſito crimine ſe purgaret, fideique rationem redderet. At Ezelinus miſſis oratoribus, qui pro ipſo reſponderent, præſens accedere detrectavit; ſed cum rei gravitas præſentem virum expoſceret, Pontifex Tarviſino epiſcopo & priori Prædicatorum Mantuanorum munus injunxit (*a*), ut denuntiarent ipſum omnibus pœnis in hæreticos latis ſubjectum iri, niſi intra proximas kalendas auguſti ſedi Apoſtolicæ ſe ſiſteret; atque excipiendis illius imperiis ſe ſubmitteret: ſi vero parere recuſaret, promulgarent ab omnibus ut hæreſi inquinatum declinandum, expoſitum invaſuris illius corpus, & bona direptioni patere, atque cruceſignatorum copias in eum ac ſequaces immittendas.

(*a*) *Ib. ep.* 75.

XXXVII. Intentatæ Ezelino pœnæ.

XXXVII. *Quod ſi forte veſtris non acquieverit monitis, ſed inductione ſalutifera vilipenſa elegerit arreptum proſequi mortis iter, volumus, & ſub obedientiæ debito cum quanta poſſumus diſtrictione præcipimus, ut poteſtatibus, conſiliis, & communitatibus, tam civitatum, quam caſtrorum totius marchiæ Tarviſinæ; ac patriarchatus Aquilejenſis auctoritate noſtra firmiter in publico injungatis, ut eundem Ezelinum, cujus pater, & nonnulli alii de genere ſuo notorii fuerunt hæretici, & in errore hujuſmodi dies ſuos miſerabiliter & damnabiliter finierunt; in cujus etiam terra, ſeu diſtrictu hæretici aperte morantur; pro manifeſto habentes hæretico omnino de-*





*vitent, & a ſua prorſus communione repellant: quinimo perſonam ejus velut labe hæretica reſperſam, ſi poſſunt, capere ſtudeant, & alias contra eum ſuaque bona ſecundum ſtatuta contra hæreticos edita, quibus eum jamdudum ſubjacere decrevimus, animoſe conſurgant, denuntiando ipſis expreſſe, ac publice conteſtando, quod ſi hoc plene non fecerint, vel in iis forſan extiterint negligentes, nos non ſolum contra dictum Ezelinum, ſed & pariter contra eos tanquam defenſores, ſeu adjutores & fautores pravitatis hæreticæ faciemus crucem generaliter prædicari, & tam Italiæ, quam aliarum provinciarum catholicos; necnon Reges, & principes, alioſque fideles crucis charactere pro quocumque Chriſti ſervitio inſignitos, conceſſa eis illa indulgentia, eoque indulto privilegio, quæ in Terram ſanctam proficiſcentibus in generali concilio conceduntur, invocabimus contra ipſos: cum firmo intendamus propoſito mortificare virus tam mortiferum animarum, & eradicare de vinea Domini tantam peſtem. Dat. Januæ* XVI. *kal. junii ann.* VIII.

XXXVIII. Nonnulli Siculi proceres & Neapolitani oratores ad Innocentium transmittunt.

XXXVIII. Agebat adhuc Januæ Innocentius, cum ex Sicilia a Caſertæ & Acerrarum comitibus, tum Neapolitanis & Capuanis civibus ſedi Apoſtolicæ addictiſſimis oratores excepit, atque ad ornandam inſignibus prærogativis ipſorum fidem hæc ſcripſit (*a*).

(*a*) *Lib.* 8. *ep.* 77.

Excipiuntur amantiſſime atque ad meliorum ſpem excitantur.

*Innocentius & poteſtati, conſilio, & communi Neapolit.*

*Nos devotione veſtra, qua paribus votis ad exaltationem Eccleſiæ Rom. ferventer intenditis, per eos ſolicite intellecta, vos & civitatem veſtram multis magnificare gratiis, & ſingularibus inſignire privilegiis intendentes; vobiſque illam omnino libertatem in aſſumendis poteſtatibus, & ſtatutis edendis, ac aliis, quam fideles noſtri de patrimonio B. Petri habere noſcuntur, auctoritate apoſtolica concedentes; præſentium tenore ſcire vos volumus, & pro certo tenere, quod in iis, quæ veſtro expedire cognoſcimus honori, benigni ſemper & benevoli vobis, tanquam peculiaribus ejuſdem Eccleſiæ filiis, exiſtemus; & in noſtro ad partes illas adventu, qui erit in proximo, Deo duce, probitatem veſtram in omnibus reſpicientibus civitatis veſtræ profectum, curabimus favorabiliter exaudire. Dat. Januæ* X. *kal. julii an.* VIII. quæ etiam literæ ad Capuanos tranſmiſſæ (*b*).

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

XXXIX. Prærogativæ ab Innoc. Neapolitanis conceſſæ.

XXXIX. Eadem privilegia Neapolitanis conceſſa devexo jam hoc anno renovavit, atque poſt collaudatam egregiam illorum erga ſedem Apoſtolicam operam, ita ipſis flagitantibus ſanxit (*c*) ut nulli in poſterum principi ac Regi, ſed tantum Romano Pontifici ſubeſſent, ac magiſtratus ſibi præficiendi libera facultate potirentur, modo tamen eccleſiaſticæ libertatis cuſtos, Romanæque Eccleſiæ addictus eſſet.

(*c*) *Lib.* 8. *ep.* 148.

*Dilectis filiis Communi Neapolitano in perpetuum.*

*Puræ fidei claritate conſpicua Neapolitana civitas, & lucidis in ſe, ac magnificis proficit actibus, & cunctis aliis regno Siciliæ ſpectabili, ſectandæque probitatis exemplo, libertatis amplectendæ profectum manifeſte propinat. Propter quod civitas ipſa, quæ a mœnium fundatione ſuorum generoſa, populo nobilis, nobilior geſtorum ingenuitate conſpicitur; ſic apud proximos & remotos multipliciter redditur ſuorum proceſſuum ſtrenuitate laudabilis, & penes nos & Apoſtolicam ſedem præcipuis attollenda favoribus, & gratiis potioribus honoranda, quod non ſolum per ſingulas vicinæ Italiæ regiones clare reſonat ſuæ præconium bonitatis; ſed & longius tuba intonat laudis ejus, ſuaque remotius acta volantis famæ diffuſione noteſcant; & nos, dictaque ſedes totis affectibus ducimur, ut condignis eam honoribus ſublimemus.*

*Sublato namque Frederico quondam Romano Imperatore, ac Siciliæ Rege de medio; qui auſteritate Pharao, Herodes impietate, ſævitiaque Nero prædictum regnum continuæ afflictionis jugo depreſſerat, & furoris immanis gladio laniabat; eadem civitas, ut regnum ipſum ad ſtatum reduceretur liberum & tranquillum; & a priſtinæ oppreſſionis erueretur oneribus, quæ adhuc illius peſtilentis reliquiæ, ipſius videlicet filii paternæ malitiæ ſucceſſores, eidem inferre regno more præterito, utpote genimina viperina venenoſa egreſſa de colubro moliuntur; nec non & ad devotionem præmiſſæ ſedis, ad quam illud ſpecialiter pertinere dignoſcitur, cordis ſtabilitate rediret; ferventis vigore ſpiritus animata, virium collecto robore ſtatim ipſius regni; quinimmo & dictæ ſedis negotium, prout etiam ante præfati Frederici deceſſum propoſito firmo conceperat; de divino, & matris Eccleſiæ confiſa ſuffragio conſtanter aſſumpſit, reſiſtens patenter præfatis nequitiæ filiis, eorumque conatus aſſiduos virtuoſe propulſans; ſicque in reliquos dicti regni ex hujuſmodi repugnandi audacia, commendanda reſiſtendi transfuſa fiducia, prædictorum iniquorum temerarius refrænatus eſt auſus, & ſuperbus eorumdem proceſſus non modicum impeditus. Non in hoc utique civitas ipſa proprium dumtaxat attendit commodum; non ſuis tantum utilitatibus inhiavit; ſed ad profectus profecto communes puræ intentionis direxit affectum, publicæ quodammodo tranquillitati & commoditati proſpexit, in libertatis quidem antiquæ recuperatione præambula, in exhibitione plenæ devotionis anterior, prior ac potior contra hoſtes, & in magni-*

XL.

Collaudat ipſorum conſtantiam ob fractos Manfredi aliorumque impetus.

Datum aliis adipiſcendæ libertatis exemplum.

*ſica tanti negotii proſecutione conſpectior; unde valde promeruit ſpecialium privilegiorum inſigniis a ſede Apoſtolica decorari.*

XLI. In clientelam Apoſt. ſuſcipit illorum bona.

*Nos igitur præmiſſis omnibus diligenti conſideratione penſatis, volentes propterea ejuſdem Neapolitanæ civitatis honorem prædictæ ſedis donis ſublimibus & perpetuis ampliare, veſtris in hoc deſideriis aſſenſu benevolo concurrendo; perſonas veſtras, & civitatem ipſam in devotionem ſedis perſiſtentes ejuſdem, cum omnibus bonis &c. uſque, communimus; de fratrum noſtrorum conſilio ſtatuentes, ut eadem civitas perpetuo præfatæ ſedis remaneat: ita quod Romana Eccleſia ſemper abſque ullo medio retinens illam ſibi, ſicut terram Campaniæ vel Maritimæ, nunquam eam a ſuo excludat gremio, neque aliquando ipſam, vel jus quodcumque in ea, ſeu pertinentiis, aut in territorio ejus cuiquam ſive Imperatori, ſive Regi, ſeu duci, aut principi, vel comiti, ſeu cuicumque alii perſonæ concedat. Sane ut ex affluentia beneficiorum ſedis ejuſdem exultet ipſa civitas gaudio pleniori, vobis illam omnino libertatem in aſſumendis poteſtatibus, dummodo fideles, vel devotos Eccleſiæ aſſumatis; & in ſtatutis edendis, ita tamen, quod nihil in eis contra præfatam Romanam Eccleſiam & libertatem eccleſiaſticam præſumatis; ac aliis apoſtolica auctoritate concedimus, quam fideles de patrimonio D. Petri habere noſcuntur. Porro rationabiles conſuetudines approbatas dudum in civitate ipſa, & pacifice obſervatas uſque ad tempus, quo jam dictus Fred. ſuas conſtitutiones in regno edidit memorato; necnon & ordinationes poſt ipſius F. obitum inter milites, & populares civitatis ejuſdem, & pro bono, & pacifico ipſius civitatis ſtatu ad honorem Eccleſiæ factis, ſuper quibus inſtrumenta dicuntur eſſe confecta; vobis de ſpeciali gratia confirmamus.*

Decernit ſedi tantum Ap. obnoxios futuros.

Præficiendi ſibi magiſtratus auctoritatem concedit. Veteres probæ conſuetudines confirmatæ.

XLII. Erepta præterita jura in antiquum ſtatum reſtituit.

*Ad hæc ea omnia quæ civitas ipſa, vel cives aliquando tenuerunt, quorum quidem juſta per ſuperiorem privatio non apparet, exceptis iis, quæ per ſingulares perſonas præfatæ civitatis teneri noſcuntur; univerſitati veſtræ confirmamus de prædictæ ſedis munificentia liberali. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis, conſtitutionis, conceſſionis, confirmationis, & collationis infringere, vel in aliquo ei auſu temerario contraire. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona paginam ipſam ſciens, contra eam venire tentaverit, &c. uſque ultionis. Cunctis autem paginam ipſam obſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. uſque Amen.*

*Ego Innocentius catholicæ Eccleſiæ epiſc. ſubſcripſi. Ego Raynaldus Oſtienſis & Vercellenſis epiſc. ſubſcripſi. Ego Petrus epiſcopus Albanenſis ſubſcripſi. Ego Stephanus ſanctæ Mariæ Tranſtyberim presbyter Cardin. tit. Calliſti ſubſcr. Ego Petrus tit. S. Marcelli presbyter Card. ſubſc. Ego fr. Joannes ſancti Laurentii in Lucina presbyter Card. ſubſcripſi. Ego Richardus S. Angeli diac. Card. ſubſcripſi. Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum diac. Card. ſubſcripſi. Ego Vvillelmus S. Euſtachii diac. Card. ſubſcripſi. Dat. Peruſii per manum magiſtri Marini ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vicecancellarii id. decemb. indict. x. incarnationis Dominicæ anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, pontificatus vero D. Innoc. Papæ* IV. *an.* IX.

XLIII. Non Neapolitanos modo & Capuanos, verum etiam Andrenſes, Fogitanos, ac Barolitanos ad pontificias partes ſe convertiſſe meminit antiquus rerum a Conrado & Manfredo geſtarum ſcriptor (*a*) (cujus auctoris manuſcriptum codicem D. Ferdinandus Ughellus Ciſtercienſis abbas, pro ſingulari ſuo erga me ſtudio communicavit) addit ſuperioribus Manfredum ad Neapolitanos ſibi ſubiiciendos ingentem exercitum coegiſſe: *Poſt modicum tempus a morte Imperatoris, ex qua etſi non in aperto, in occulto tamen multorum ſunt corda concuſſa, cœpit in terra laboris & Apulia quædam occulta fieri conjuratio, non abſque aliquorum inſtigatione, qui olim honoris & nominis imperialis æmuli fuerant. Quæ quidem conjuratio in Apulia, in Andrenſibus, Fogitanis, & Barolitanis, apud terram laboris in Capuanis & Neapolitanis primo viſa eſt manifeſtari: rebellantibus autem Neapolitanis & Capuanis, factaque ab eis confœderatione cum quibuſdam ipſarum partium magnatibus, qui propter odium & inimicitias Bertoldi marchionis de Honebruch a principis latere diſceſſerunt, princeps prædictis magnatibus precum ſpe dimiſſus; imo eos ſibi eſſe adverſarios cognoſcens, cum non haberet tunc tantas armatorum hominum vires, ut prædictas civitates & magnates oppugnare poſſet, venit in Apuliam, ut exercitu ibi congregato ad expugnationem prædictarum civitatum & magnatum potentior interea reverteretur.* Verum illum populorum ad libertatem aſpirantium repentina converſione perculſum, quam regni adminiſtrationem ſuſceperat, abiicere deliberaſſe; atque ad res ſuas ſtabiliendas, deſerto Conrado, cum marchione e Frimborch ſuos oratores ad Innocentium miſiſſe, ut in illius gratiam admitteretur, ac relictum ſibi a Friderico principatum aſſereret; ex pontificiis literis (*b*) conſtant, quibus Petro S. Georgii ad velum aureum diacono Cardinali munus commiſit, ut communicato cum Acerrarum Caſertæque comitibus, & Capuanis ac Neapolitanis conſilio, Tarentinum principatum Manfredo, Andriæ comitatum marchioni fiduciario jure traderet, atque eos in verba Romanæ Eccleſiæ adigeret.

*(a) Anonym. auct. rerum a Manfr. geſt. MS.*

Manfredus populorum defectione perculſus pontificiam gratiam ambit.

*(b) Eod. l. 9. ep. cur. 1.*





*P. ſancti Georgii ad velum aureum diac. Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato.*

Quibus legibus in gratiam reſtitui juſſus.

*Cum dilectum filium fratrem Petrum Oſtiarium, & conſanguineum noſtrum ad te pro eo, quod nobilis vir Manfredus natus quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris, & marchio de Frimborch volunt, ut per tuas & ipſorum literas accepimus, ad mandatum noſtrum, & Eccleſiæ devotionem redire, ut tibi ſuper hoc noſtræ voluntatis exponat beneplacitum, deſtinemus; ſicque nobis fiducia, & ſpes detur, quod iidem ad ipſius Eccleſiæ beneplacita, & obſequia ejus præventi gratiis & beneficiis, eo inſiſtent ferventius, & ſtudioſius ſe convertent, quo eam impetiverunt majoribus nocumentis; mandamus quatenus, ſi de conſilio nobilium virorum Caſertani & Acerrarum comitum; necnon Neapolitanæ, & Capuanæ civitatum, & communium, quibus ſuper hoc dirigimus ſcripta noſtra, iidem nobiles ad mandatum Eccleſiæ redierint, & recepti fuerint ab eadem; tu eidem Manfredo principatum Tarentinum, & marchioni præfato Andrenſem comitatum in feudum auctoritate noſtra concedas, receptis prius ab eis noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine fidelitatis & homagii ligii juramentis: ac dilecto filio nobili viro nato dilecti filii nobilis viri marchionis Eſtenſis (e Raynaldo Azonis filio loqui Pontificem ex monacho Patavino colligi videtur, quem ait (a) hoc anno in Apulia obiiſſe relicto notho filio Obizone, qui juſtorum natalium dignitate a Pontifice & Romanorum Rege decoratus Eſtenſem principatum obtinuit) ac Arcion germano tuo; necnon iis, qui adhæſerunt Eccleſiæ, ac adhærent, & ejuſdem fidelibus, & devotis, datis omnimoda libertate, ac etiam primitus civitatibus, caſtris, villis, terris, & munitionibus omnibus, quocumque nomine cenſeantur, quæ detinentur ab eis, prædictorum principatus, & comitatus exceptis, in ejuſdem fratris P. vel aliorum, quibus idem frater commiſerit, manibus reſtitutis; ut de ipſorum caſtrorum, & munitionum cuſtodia ordinent, & diſponant prout eis videbitur expedire. Dat. Mediolani* IX. *kal. aug. an.* IX.

*(a) Monach. Pad. l. 1. hoc ann.*

XLIV. Reſilit a ſuſcepto conſilio.

Reſpuit Manfredus fiduciarium ſe Ap. ſedis profiteri, cum novas interea vires collegiſſet: ac præfecturæ Siciliæ, quam pro Conrado gerebat, retenta dignitate acerrimum illius vindicem & hoſtem Eccleſiæ ſe exhibuit. Exponit enim pluribus anonymus geſtorum illius ſcriptor (*b*) ut Germanicas copias, quæ ob ſtipendiorum defectum ab ejus partibus deſciſcere moliebantur, erogatis pecuniis in ſuo obſequio confirmarit, atque Andriam, quæ ad pontificias partes transfugerat, primo impetu oppreſſerit: inde Nuceriam profectus Fogitanos, qui defectionis conſilia inibant, ſeque aggeribus cœperant communire, ad deditionem compulſos, propugnacula recens excitata ſolo æquare coegerit: tum Barolum facta impreſſione expugnarit, ejuſque mœnia everterit. Quo expugnationis Baroli die Avellinum a marchione de Honebruch copiarum illius præfecto captum addit, iiſque victoriis perculſos Siculos, Capuanis, & Neapolitanis exceptis, ad quos oppugnandos ſe accinxit, in illius obſequium procubuiſſe. Ac ſane Neapolitanos diuturna cinxiſſe obſidione & circumjacentes agros ferro, flammaque vaſtaſſe, cum ipſos vi frangere non poſſet, fuſius deſcribit: quam ſolvere ſequenti anno eſt coactus, ut venienti Conrado occurreret de ejus in Siciliam appulſu ſuo loco dicetur. Jam pontificium iter perluſtremus.

*(b) Anony. auct. de reb. Conradi & Manfredi.*

Andriam opprimit. Fogiam evertit.

Barolum expugnat.

Avellum ſibi ſubiicit. Neapolitanum agrum vaſtat.

XLV. Innocentii itinera.

Deſcribit illud breviter monachus Patavinus: *Circa paſcha exiens de Lugduno venit ad Januenſem civitatem, ubi omnes magnates Lombardiæ, qui viam Eccleſiæ ſectabantur, ei in reverentiam occurrerunt. Deinde venit Mediolanum, & recuperata Laudenſi, civitate tranſiens per Lombardiam feſtinanter, Peruſium properavit.* Exceptum porro Mediolani ingenti apparatu a civibus obviam effuſis tradit Pariſius, (*c*) qui in eo errat dum feſto natalis Deiparæ die eam urbem ingreſſum aſſerit, cum plures literæ, quibus Mediolani dies longe ante aſcripta, contrarium demonſtrent: idibus enim juliis Novarienſium erga ſedem Apoſtolicam fidem & in adverſis conſtantiam literis commendavit (*d*) atque eorum omnium poſſeſſionem, quæ hoſti eripuiſſent ex eo die, quo a Friderico reſilierant, confirmavit; initas ipſos inter ac Laudenſes, quos Innocentium ad ſuas partes traduxiſſe ſcribit monachus (*e*) Patavinus, fœderis leges ratas eſſe juſſit, atque a Guillelmo Romanorum Rege corroborari voluit: (*f*) contra vero eodem die Placentinis, qui ſe hoſtibus Eccleſiæ conjunxerant, pœnas graves intentavit: ſeditionem enim in nobiliores plebeculam, concitaſſe tradit idem auctor, atque Ubertum Palavicinum ſibi præfeciſſe; deſcivere etiam ab Eccleſia Fulginates a quorum jure imperioque Trebarum oppidum exemit (*g*).

*(c) Par. hiſt. Angl. hoc ann. Mon. Pad. chron. l. 1. hoc ann.*

*(d) Lib. 9. ep. 65.*

Laudenſes Pontificis partes amplectuntur.

*(e) Mon. Pad. chr. l. 1.*

*(f) Ib. ep. 66.*

*(g) Eod. l. 9. ep. 42.*

XLVI. Ubertus Palavicinus Placentinos ab Eccleſiæ partibus divellit. Lithuani ad eccl. Rom. ſinum confugiunt.

Conceptum ex Placentinorum defectione dolorem Lithuanorum ad ſedis Apoſtolicæ gremium concurrentium converſio permulſit. Mendog enim ſive Mindanus gentis princeps ethnicorum abjectis erroribus, in Eccleſiæ obſequium tanto pietatis ſenſu atque ardore ſe demiſit, ut principatum etiam D. Petro piiſſime detulerit, ſeque illius ſtipendiarium fuerit profeſſus. Cui Innocentius amantiſſime ſinum explicuit, ejus ditionem in clien-

clientelam apoſtolicam arripuit; denique ad ornandam præclaro aliquo præmio ejus pietatem regia illum dignitate inſignivit (*a*).

(*a*) *Lib.* 9. *ep.* 1.

*Chariſſimo in Chriſto filio illuſtri Regi Luthavviæ.*

Mendog illorum Rex in clientelam apoſtolicam admiſſus.

*Multa cor noſtrum eſt ſuper eo jucunditate perfuſum, quod Dei & redemptoris noſtri Jeſu Chriſti benignitas, ſuper te faciem tuam illuſtrando, tibi miſericorditer inſpiravit, quod te olim in tenebris poſitum cum numeroſa multitudine paganorum ad gloriam divini nominis regenerari fecit per undæ gratiam baptiſmalis; perſonam, regnum, & omnia bona juriſdictioni, ac protectioni ſedis Apoſtolicæ totaliter ſubmittendo. Quia vero per ſolemnes, ac ſpetiales nuntios nobis humiliter ſupplicaſti, ut te admittere in ſpecialem filium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac paterna benevolentia proſequi deberemus; nos tuis juſtis deſideriis, quæ digna favore pleniſſimo reputamus, affectu benevolo annuentes, regnum Luthavviæ, ac terras omnes, quas per divinæ virtutis auxilium jam eripuiſti de infidelium manibus, vel eripere poteris in futurum, in jus, & B. Petri proprietatem ſuſcipimus; & ea cum uxore, filiis, & familia tua ſub protectione, ac devotione ſedis Apoſtolicæ permanere facimus, diſtrictius inhibentes, ne quis te in fide ac * ſedis Apoſtolicæ perſiſtente ſuper præfatis regno & terris temere impedire, ſeu moleſtare præſumat. Nulli ergo, &c. Datum Mediolani* XVII. *kal. aug. ann.* IX.

* devotione.

XLVII. Scribit Longinus in ſuis ad annum proximum annalibus, (*b*) illum non ex animo, ſed ficte Eccleſiæ ſe aggregaſſe, cruciferorum equitum, quibus nonnullas poſſeſſiones in Lithuania tradiderat, conſiliis inductum, ad regium nomen ſibi comparandum: & Culmenſi epiſcopo, quem ait Prædicatorum diſciplina excultum fuiſſe, ac magna religione præditum, atque etiam hoc ipſo anno canonicorum ſæcularium collegium eccleſiæ ſuæ ad inſtituta regularia, ut in una domo ſub eadem vivendi ratione virtutibus perpolirentur, traduxiſſe; provinciam fuiſſe demandatam, ut Mendog regia inunctione ſolemni pompa ex ritu ſacro liniret. Extant in pontificio regeſto hujuſcemodi literæ, quibus, id munus ipſi injunctum (*c*) eſt.

(*b*) *Longin. hiſt. Pol. l.* 7. *an.* 1252.

(*c*) *Lib.* 9. *ep.* 3.

*Innocentius, &c. epiſcopo Culmenſi.*

XLVIII. Culmenſi epiſc. illius regiis ornamentis induendi provincia data.

*Mandamus quatenus accerſitis aliquibus eccleſiarum prælatis, & religioſis perſonis dictum Mindovum in totius Luthovviæ, ac terrarum omnium, quas per divinæ virtutis auxilium jam eripuit de infidelium manibus, vel eripere poterit in futurum, auctoritate noſtra corones in Regem, & ſibi ab omnibus conſtitutis ibidem tanquam Regi catholico ſuper omnibus diligenter intendi facias, quæ ſpectare ad dignitatem regiam dignoſcuntur. Ita tamen quod ipſe, ac ſucceſſores ſui, Regnum prædictum & præfatas terras, quæ ad ſuarum precum inſtantiam in jus, & proprietatem beati Petri ſuſcepimus, ſe ab Apoſtolica ſede tenere perpetuo recognoſcant. Contradictores autem ſi qui fuerint, vel rebelles, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota compeſcas. Dat. Mediol.* XVII. *kal. aug. anno.* IX.

XLIX. Partes etiam ipſi impoſuit (*d*) ut Lithuaniæ epiſcopum præficeret gerendo tanto muneri, excolendæque novæ illi eccleſiæ idoneum, excitis duobus epiſcopis ſacris pontificalibus initiaret: *Præſentium tibi auctoritate committimus, quatenus virum honeſtum & providum, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, qui pontificali conveniat oneri & honori, prædictæ Luthovviæ auctoritate noſtra præficias in epiſcopum & paſtorem, ac duobus, vel tribus accerſitis epiſcopis ſibi munus conſecrationis impendas: prius tamen ei a prædicto Rege optimo terræ ſolo pro fundanda cathedrali eccleſia, & honorabilibus ac decentibus dotibus aſſignatis: cui licitum eſſe volumus ut quoties opportunum fuerit, terram ipſius Regis viſitet, & cuncta ibidem exerceat, quæ non poſſunt niſi per epiſcopum exerceri. Cæterum poſtquam de præfato epiſcopo, quem ſoli Romano Pontifici volumus ſubjacere, proviſum fuerit juxta mandati noſtri tenorem, tu ab ipſo fidelitatis ſolitæ juramentum noſtro, & Eccleſiæ Romanæ nomine recipias juxta formam, quam ſub bulla noſtra tibi mittimus incluſam. Formam autem juramenti, quod ipſe præſtabit de verbo ad verbum per ejus patentes literas, ſuo ſigillo ſignatas, nobis per proprium nuntium quantocyus deſtinare procures. Dat. Mediolani* XVI. *kal. aug. anno* IX.

(*d*) *Eod. l.* 9. *ep.* 4.

Et præficiendi Lithuaniæ antiſtitis.

L. Ad convertendos vero reliquos Lithuanos, qui gentilium erroribus erant adhuc irretiti atque improborum temeritatem coercendam, qui naſcentem fidem præfocare niterentur, ſolicitus Pontifex VII. kal. aug. dum adhuc Mediolani verſabatur, Rigenſi, Tharbatenſi, & Oſilienſi epiſcopis præcepit, Regi in ſubditis ad religionis cultum traducendis laboranti operam. At deferbuit cito, ut indicavimus ille pietatis ardor, quem præ ſe tulerat Mindanus, ſive larvam religionis tantummodo tunc induiſſet, ſive poſtea bonam mentem in nefas detorſerit.

LI. Cum duobus menſibus, ut ex aſcripta literis pontificiis die colligitur, Mediolani egiſſet, Innocentius Peruſium ſe contulit (*e*) in qua urbe dum conſiſtebat, Octaviano S. Mariæ in via lata diac. Card. legationis munus in Inſubria, patriarchatu Aquilejenſi, atque Æmilia impoſuit; datiſque ad earum provinciarum antiſtites hiſce literis, legato ſuo operam, & auxilium porrigerent, imperavit (*a*): *Ut ipſæ partes eo magis in Dei, & Eccleſiæ devotione proficiant, quo ſpecialius per ſedem Apoſtolicam velut matrem ſe viſitationis officio ſenſerint, refoveri; ecce dilectum filium noſtrum O. ſanctæ Mariæ in via lata diaconum Cardinalem, virum utique ſcientia præditum, morum honeſtate decorum, & conſilii maturitate præclarum ad partes eaſdem tanquam pacis angelum de fratrum noſtrorum conſilio, commiſſo ſibi plenæ legationis officio; ut evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, ſicut viderit expedire; duximus deſtinandum. Quia vero ipſum inter alios fratres noſtros ſpecialis dilectionis brachiis amplexamur, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum, immo potius nos in ipſo benigne recipientes, & honeſte tractantes, eidem tanquam Apoſtolicæ ſedis legato intendatis humiliter & devote, ipſius monita, & præcepta, & quæ vobis ex parte noſtra mandaverit, efficaciter adimplendo: alioquin ſententiam, quam idem tulerit in rebelles, &c. Datum Peruſii* IV. *id. novemb. an.* IX. Hactenus de occidentalibus, rebus jam orientales delibemus.

(*e*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann. & Mon. Pad. chr. l.* 1. *hoc an.*



(*a*) *Lib.* 9. *ep. cur.* 5.

Octaviano S. Mar. diac. Card. legatio in Inſubria commiſſa.

LII. Tradit Jonvillæus (*b*) ſultanum Damaſcenum oratores ad ſanctum Ludovicum, dum Ptolemaide agebat, tranſmiſiſſe: quibus graviſſime de Ægyptiis proceribus, qui ſultanum conſanguineum ſuum neci tradiderant, expoſtulabat, ac regni Hieroſolymitani quas obtinebat terras pollicebatur, ſi ad expetendam de iis ultionem armorum ſocietatem iniret. Qua de re cum deliberaſſet, Yvonem Prædicatorum familiæ virum religioſum Sarracenæ linguæ peritum ad ſultani oratores, ut conſilia exponeret, direxiſſe; rem vero admiratione & memoria digniſſimam Yvoni contigiſſe, quam ex ipſius ore excepiſſe Jonvillæus aſſerit; dum oratorum Damaſcenorum domum adibat, in medio vico feminam ſenio venerandam, quæ dextera accenſam facem, ſiniſtra hydriam aqua plenam geſtabat, eunti occurriſſe: quo ſpectaculo permotum eſſe ſciſcitatum quorſum hæc geſtaret: illamque ſubjeciſſe facem cœlo iniicere, ac ſuccendere, aqua inferorum ignes extinguere meditari, ne quis amplius vel ſuppliciorum metu, vel præmiorum ſpe, ſed ſolo divini amoris intuitu numini obſequeretur. Cujus rei fides ſit penes auctorem. Cæterum fœdus illud cum Damaſceno firmatum non fuiſſe, dicetur ſuo loco.

(*b*) *Jonvil. in hiſt. S. Lud. p.* 2.

Sultanus Damaſc. S. Ludovicum de ineundo in Ægyptios fœdere interpellat.

His addit Jonvillæus (*c*) dum Ptolemaide verſabatur Ludovicus, Aſſaſinorum principem ad eum oratores tranſmiſiſſe, qui de S. Rege expoſuerunt ipſum Germaniæ Imperatoris, Regis Ungariæ, ſultani Babylonici, aliorumque principum exemplo, quos non ignoraret, diutius hac vita niſi quantum Aſſaſinorum principi collibitum eſſet, perfrui non poſſe: muneribus illius amicitiam ſibi non comparare, atque adeo denuntiarunt, vel donis placaret, aut vectigal, quod Templariorum, Hoſpitaliorumque magiſtris pendebant, remitti curaret, ad quos quidem occidendos ſicarios ſuos princeps non ſubmitteret, cum iis cæſis mox alius æque ſtrenuus ſufficeretur; parem vero Regum conditionem non videri: acerbeque ob id increpitos a Templariis dimiſſos, ac juſſos meliora principis nomine ad Regem verba afferre: tumque honorificentiſſimam legationem ad S. Ludovicum decreviſſe, unaque cum pluribus muneribus annulum aureum, cui nomen erat inſculptum, tranſmiſiſſe: ac Regem viciſſim alia munera, & Yvonem Prædicatorum ordinis religioſum virum, ut ad Chriſti cultum barbarum alliceret, deſtinaſſe. E cujus ore excepiſſe addit auctor, cum hæc Regi referret, quoties barbarus incederet, præferre armigerum ſecurim manubrio argenteo, cui plures gladioli acutiſſimi erant infixi, adornatam; atque alta inclamare voce: Abſcedite, fugite ante illius ora, qui Regum mortem in ſuis manibus circumfert.

(*c*) *Jonvill. hiſt. S. Lud. part.* 2.

Audax Aſſaſinorum legatio.

Illorum princeps factum emendat.

Yvo relig. Præd. ad barbarum miſſus.

Veſana Aſſaſinorum principis jactantia.

LIII. Opperiebatur porro Ptolemaide S. Rex nova ex occidente auxilia ad afflictas res redintegrandas, contigitque; ut ingens pecuniæ vis, quam Regina Blanca ad ſolvendam reliquam redemptionem miſerat, hauſta fluctibus navi periret; quo adverſo caſu audito S. Ludovicus in egregiam vocem prorupit, quam Pariſius (*d*) ad commendandam illius conſtantiam, ſcriptis commendavit: *Diebus ſub eiſdem mater & fratres Regis Francorum pecuniæ quantitatem non minimam ad redemptionem Regis tranſmiſerunt. Et dum eſſet in mari, ſuborta tempeſtate, navis cum omnibus contentis eſt ſubmerſa. Quod cum audiſſet Rex Francorum Chriſtianiſſimus ait: Nec hæc, nec alia quælibet adverſitas a charitate Chriſti me poterit ſeparare. Et ſic Rex magnanimus alios quos vidit puſillanimes confortavit, ut ſecundus Job vere poſſit cenſeri; infideles etiam miſerti ſuam admirabantur conſtantiam.* Quanta vero aliarum virtutum exempla Rex ſanctus in Syria explicuerit, quamque res Chriſtianorum erexerit; ut etiam poſt acceptam illam cruentiſſimam cladem illius in Syriam acceſſus maximas utilitates religioni pepererit, quamvis ſequentibus annis tranſacta ſint, hic unum in locum congerere viſum eſt. Integro pene quinquennio, quo in Syria manſit, Chriſtianorum urbes ſuis ſumptibus mœnibus, aggeribus, ac

Regina Blanca ad S. Lud. ærarium tranſmittit.

(*d*) *Par. hiſt. Angl. ann.* 1251.

Perit fluctibus.

Egregia in eo adverſo caſu S. Lud. ſententia.

Plures arces magnis molibus munit.

(a) *Gaufrid. e Bello loco in vit. S. Lud. c. 26.*

ac turribus ad repellendos hoſtes firmavit, qua de re hæc Gaufridus (*a*) e Belloloco teſtis oculatus tradit.

LIV. *Moratus eſt in Terra ſancta per annos quinque vel circa: nec mora ſua fuit inanis & vacua. Nam in ſpatio illo cum magnis ſumptibus ædificavit Cæſaream muris fortiſſimis in circuitu civitatis. Eodem modo Joppen, & Sidonem. Multa inſuper poſuit in ampliando & fortificando muros civitatis Achon. Licet autem labores hujuſmodi, quamvis plurimum ſumptuoſi, modicum effectum utilitatis Chriſtianitati viſi fuerint contuliſſe; credimus quod per ipſum non ſtetit: ſed potius ex ſecreto, & nobis ignoto Dei judicio hoc proceſſit; & culpis aliorum hoc exigentibus potius quam ſuis.* Tantis vero molibus ſumptibuſque opus perduxiſſe ſcribit Nangius, ut ea res in maximam Sarracenos admirationem rapuerit (*b*): *Sarracenorum*, inquit, *principes non minimum mirabantur, non putantes potentiorem principem de toto mundo ad tantas expenſas poſſe ſufficere: poſt tanti exercitus ſtipendia, ſupellectilis amiſſionem, & redemptionis ſuæ ſolutionem, cum manu valida inter hoſtes ſuos novis muris urbes accingere, & aliorum ruinas propriis ſumptibus reſtaurare; unde quidam Admirati, admirantes ejus magnanimi cordis conſtantiam ſibi fiebant benevoli.*

(b) *Nang. in geſt. S. Lud.*

LV. His adiicienda videntur nonnulla memoria digniſſima, quæ dum inſtaurandis illis arcibus incumbebat, contigerunt: hortatum ſæpius ſui exemplo operas ad urgendum opus, ac leborem ſubeundum hujuſmodi verbis refert Jonvillæus: Macti animis, ſæpius enim ad lucrandas indulgentias corbem geſtavi. Sed mirari deſinet ſanctiſſimum Regem in vallo egiſſe militem, ac terram humeris evexiſſe, qui ex eodem auctore acceperit ipſum propriis manibus putrida cadavera, ad quorum aſpectum horrebant ſenſus, ad ſepulturam extuliſſe. Ad quam rem adeo inſignem confirmandam alterius oculati teſtis, Guillelmi nimirum Carnotenſis, (*c*) verba adducimus: *Illud non ſilendum, quod humilitatem & fervorem fidei Regis ipſius commendat plurimum, quod cum veniens Sidonem audiiſſet de Chriſtianis illuc miſſis, qui civitatem ipſam reædificare inceperant, interfectis ibidem a Damaſcenorum exercitu, quod multa corpora atque membra eorum jacebant in littore penitus inſepulta, acceſſit ad locum Rex pius antequam cibum ſumeret, una cum venerabili patre bonæ memoriæ domno Odone Tuſculano epiſcopo A. S. L. Et cum alii, qui aderant, quaſi quandam abominationem, & horrorem haberent levandi corpora, & truncata membra, & jam quaſi ſemiputrida contrectandi, ſive etiam oſſa tangendi; ipſe magnanimus, & devotus Rex, quaſi nihil abominationis hujus ſentiens, & a mane uſque ad meridiem ibidem, ac ſi eſſet in cella aromatica converſans; propriis manibus ipſa etiam inteſtina & horrida membra Chriſtianorum, quos vere martyres reputabat, ſic benigne levabat a terra, ſic dolenter contrectans & colligens ponebat in vaſculis ad locum ſepulturæ, quem prope caſtra parari fecerat, deportanda, quod omnes, qui aderant, & quamplures, qui præ abominatione fugerunt, mirabantur humilitatem, & magnanimitatem ipſius. Sicque nullo omnino, vel minutiſſimo oſſe relicto, quidquid inventum eſt, traditum eſt honorifice, cum exequiarum celebratione ſolemni, eccleſiaſticæ ſepulturæ. Ut plane de ipſis poſſit intelligi illud pſalmi: Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: unum ex iis non conteretur, & illud etiam ſapientis: Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt: & vivent nomina eorum in æternum.*

(c) *Guill. Carn. de vit. & mirac. S. Lud.* Putrida Chriſtianorum cadavera apud Sidonem propriis manibus ſepelit.

Perfecto eo pio officio Sidonem, everſam a barbaris, magnis molibus inſtauratam, ac munitam propugnaculis ſcribit Jonvillæus: & Cæſaream Philippi, quamvis triplici cinctam muro, ab eodem non minus forti, quam pio impetu expugnatam: alteram vero Cæſaream jam antea ab ipſo juſtis operibus firmatam, cujus reficiendis mœnibus dum inſiſtebat vocatum in judicium equitem in lupanari deprehenſum refert, atque a S. Rege præſente ſe hanc latam ſententiam, vel ut per regia caſtra a meretrice, ligato ad genitalia fune nudus circumferretur: vel equo, armis ac ſupellectile mulctatus caſtris turpiter pelleretur. Qua data illi optione, rebus omnibus amiſſis, eiici maluiſſe; eaque mox pœna affectum cæteris frænandæ incontinentiæ exemplo extitiſſe. Tantus erat in S. Rege pudicitiæ amor, ut eam non ſolum in ſe religioſiſſime coleret, verum in ſuis militibus, quos ad fundendum pro Chriſto ſanguinem in eam expeditionem adduxerat, ſummam continentiam exigeret. Militaris quippe licentia abeſſe longe debebat ab exercitu, ex quo plures martyres prodiere. LVI.

Sidonem inſtaurat.

Cæſaream Philippi expugnat.

Alteram Cæſaream propugnaculis munit.

Illius ſeveritas in equitem in lupanari deprehenſum.

Inſtaurata Cæſarea; Joppem ad excitanda illius propugnacula ſe contuliſſe tradit idem auctor. Ubi dum aggeribus moliendis, mœnibuſque erigendis occupatus erat, ipſi inſinuatum addit, ſultanum Damaſcenum dato fidei & ſecuritatis pignore, ut Hieroſolymas adiret, permiſſurum: ſed ab eo conſilio a proceribus revocatum: non enim ipſius dignitati conſentaneum videri, ut urbem impiorum poteſtati diſceſſurus relinqueret, atque hoc exemplum attuliſſe. Quo tempore Philippus Rex Francorum Ptolemaide in Gallias vela feciſſet, relictis in Hugonis Burgundiæ ducis caſtris copiis LVII.

Joppem reficit.

Deliberat an Hieroſolymis S. Sepulcrum luſtraturus ſit. Quibus rationibus a conſilio fuerit revocatus.

ſuis,



ſuis, Hugoni ac Richardo Anglorum Regi perlatum nuncium, ipſos Hieroſolymas facile oppreſſuros, cum Ægyptiorum vires ſultano Damaſceno adverſus Neſſanum auxilio perrexiſſent: cumque inſtructis aciebus, quarum primam Richardus Rex ducebat, Chriſtiani Hieroſolymas certi de victoria peterent, Richardo denuntiatun fuiſſe, Burgundum cum Gallicis copiis abſcedere, ne captæ Hieroſolymæ gloria Anglo tribueretur. Inter hæc virum nobilem ad Richardum inclamaſſe, ut propius accederet, ſe ipſi Hieroſolymas oſtenſurum: illum vero ſubortis ob ſpes everſas lacrymis avertiſſe oculos, atque in hæc verba erupiſſe: *Abſit domine Deus ne tuam ſanctam conſpiciam civitatem, quandoquidem ita caſus ferat, ut ipſam ex hoſtium manibus eripere non poſſim.* Huic etiam exemplo adieciſſe fore, ut ſi ipſe omnium Regum Chriſtianorum maximus peregrinationem Hieroſolymitanam, urbe non recuperata, obiret, cæteros Reges cum in Syriam accederent, officii ſui partes impleviſſe exiſtimaturos, ſi ſancta loca ea ratione, qua Francorum Rex, perluſtraſſent. At ſi ſepulcrum Domini luſtrare non potuit, Nazarethanam tamen domum, in qua divinæ incarnationis myſterium peractum eſt, adiit. Deſcribit Gaufridus e Bello loco (*a*) quo ſenſu pietatis delibutus eam peregrinationem obierit. Cujus verba exſcribenda cenſemus ad Regis tanti pietatem in luce collocandam.

Richardi Regis Angl. exemplum ipſi propoſitum.

(a) *Gaufr. e Bello loco in vit. S. Lud. c. 22. ex eoque Nang. in geſt. S. Lud.*

LVIII. Quo pietatis ſenſu Nazaret. domum adierit.

*Nec ſilendum arbitror quam humiliter, quam catholice ſe habuit Rex devotus in peregrinatione, quam fecit de Accon in ſancta ac devota civitate Nazareth. Nam in vigilia annuntiationis Dominicæ ivit, indutus ad carnem cilicio, de Sophera, ubi ea nocte jacuerat in Cana Galilææ. Inde per montem Thabor: inde eadem vigilia deſcendit in Nazareth. Cum autem a longe locum ſanctum videret, deſcendens de equo flexis genibus devotiſſime adoravit: & ſic pedes inceſſit, donec humiliter civitatem ſacram, & pium locum incarnationis intravit. Ea die in pane & aqua devote jejunavit, quamvis plurimum laboraſſet. Quam devote ibidem ſe habuerit, quam ſolemniter & glorioſe fecerit celebrari veſperas, matutinas, miſſam & cætera, quæ ad ſolemnitatem tam celebrem pertinebant, teſtes eſſe poſſunt, qui affuerunt; de quibus nulli atteſtari veraciter, ſive edere potuerunt, quod poſtquam Filius Dei in eodem loco de glorioſa Virgine carnem aſſumpſit, nunquam tam ſolemne, tamque devotum officium fuerit ibi factum. Ibidem devotus Rex, miſſa in altari annuntiationis celebrata, ſacram communionem accepit, & dominus Odo Tuſculanus A. S. L. ad majus altare eccleſiæ miſſam ſolemnem celebravit, & ſermonem devotum fecit.*

Abſolvimus hunc annum pio Rudolphi Habſpurgenſis comitis facinore, cui numen ob donatum ſacerdoti, Euchariſtiam in ſalebroſo loco deferenti, equum præmii ergo Germanicum Imperium, quo adhuc ejus poſteri potiuntur, contulit, ut quondam Abrahamo ob immolatum voluntate Iſaac progeniem, ſtellis cœli & arenæ maris numero æquandam, ac divino conſecrandam germine, conceſſerat: (*b*) *Anno MCCLI. Rudolphus comes in Habſpurg juxta Brug in Ergovv, vir timens Deum, die quodam optimo ſedens equo, trans campum equitans cum quodam ſervo, ſacerdotem quemdam ſacramentum Euchariſtiæ ad infirmum geſtantem, præcedente miniſtro, obvium habuit. Cui comes ait: Cur bone domine tam digna ſarcina onerate aſperum & lubricum iter non equitatis? Et ille: Non habeo, inquit, præbendam valoris tanti, ut poſſim equum comparare. Et comes: Accipite hunc meum equum, & deinceps pro Dei honore utamini. Compunctus in hoc facto ſocius itineris & ipſe ſuum caballum ſacerdotis dedit miniſtro. Cumque veniſſent ad quandam incluſam, cui Deus hæc revelaverat, inter alia audierunt ab ea: Domine, inquit, Rudolphe, vos hodie honoraſtis Deum in equo, ecce Deus largus remunerator infra triginta annos vos honorabit, & ad magnum honorem aſcendetis. Factum eſt enim poſtea Imperator poſt viginti duos annos.* Confirmat Serarius hanc hiſtoriam adductis plurium ſcriptorum auctoritatibus, ut merito fides miraculo detrahi non poſſit. LIX.

(b) *Serar. rerum Mogunt. l. 5. in Gerardo I. ex MS.* Rudolphus Habſpurg. comes ſacerdoti Euch. deferenti equum donat.

Præmii ergo a numine Germanico donatur imperio.

Fluctua-

I.

FLuctuavit occidens dubiis bellorum eventibus anno a partu Virginis milleſimo quinquageſimo ſecundo indictione decima; hinc pontificiis ad tuendam Eccleſiæ majeſtatem, illinc Fridericianis ad tyranni ſucceſſores ſtabiliendos, inter ſe Italiam, ac Germaniam ferro flammaque partientibus. Hæc ut enucleatius exponamus, a Siculis rebus, quæ depreſſæ admodum fuere, hujus anni hiſtoriam auſpicamur. Ingemiſcebat tunc infelix Sicilia ſub intolerabili jugo, quod jam olim cervicibus populorum Fridericus impoſuerat, atque in dies filiorum ipſius, ac miniſtrorum crudelitate augebatur. Inter cæteros vero eccleſiaſticorum conditio longe infeliciſſima erat, cum direptioni improborum ipſorum fortunæ expoſitæ eſſent. Ad infringendam porro hoſtium temeritatem Innnocentius Papa omnia Friderici vetera decreta, quibus libertas eccleſiaſtica evertebatur, convulſit (*a*): *Qui pro regnorum clariſſimo regno Siciliæ dudum ſub dira, ſeu duriſſima poſito ſervitute profundos gemitus, & amara fudimus ſæpe ſuſpiria, id ſemper in mente gerimus, quod libertatem eccleſiaſticam, ibi quaſi ad nihilum jam redactam, in ſtatum priſtinum, auctore Domino, reformemus; maxime cum regnum ipſum juris & proprietatis Apoſtolicæ ſedis exiſtens, nunc Rege careat, & aliqua ſibi, niſi per Deum, & Eccleſiam reſurgendi poſſibilitas non exiſtat. Hinc eſt quod nos cum fratribus noſtris diligenti conſideratione præhabita, de conſilio ipſorum omnes leges, ſeu conſtitutiones, aut ſtatuta, ordinationes, diſpoſitiones, juſſiones, & univerſa ſimilia in derogationem, vel præjudicium libertatis, aut immunitatis, auctoritatis, ſeu juriſdictionis eccleſiaſticæ, vel quorumcumque jurium eccleſiaſticorum a perſecutore ejuſdem quondam Frederico Imp. ante vel poſt depoſitionem ipſius edita; necnon quaſlibet conſuetudines contra hæc in eodem regno ab ipſo, vel ſuis prædeceſſoribus Regibus Siciliæ, aut quibuſcumque aliis introductas; irritas omnino decernimus, & inanes: ſingulis eccleſiis ipſius regni, tam ſæcularibus, quam regularibus, cathedralibus, & aliis, ac domibus religioſis, civitates, caſtra, villas, terras, prædia, poſſeſſiones, homines, vaſſallos, & cætera bona, & jura, quibus eas idem Fredericus & aliquis filiorum, ſeu miniſtrorum ejus per inquiſitiones, ſeu conceſſiones, aut venditiones, vel concambia, ſive quocumque alio modo injuſte deſtituit, reſtituentes plenarie, ab ipſis de cætero, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, integre poſſidenda. Eiſdem etiam eccleſiis, & domibus, ac prælatis ipſarum reparandi, & reædificandi de novo civitates, terras, villas, & caſtra de mandato ejuſdem Frederici aut filiorum, ſeu fautorum ipſius in parte, vel tota diruta, ſeu deſtructa; & faciendi inhabitata rehabitari, concedimus liberam facultatem. Præterea, ut electa & prædilecta civitas Beneventi, camera utique ſedis Apoſtolicæ ſpecialis, quam ejuſdem F. perverſitas, everſa tandem præpotenti virtutis divinæ brachio, impia feritate deſtruxit, ſe per ejuſdem ſedis auxilium condigna gaudeat conſolatione perfundi, eam in præmiſſis omnibus, & aliis libertatibus univerſis prædicto regno parem reddimus, & æqualem; omnes ſibi fidantias, quas olim alicui ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ in præjudicium ſuæ libertatis antiquæ feciſſe dignoſcitur, nihilominus remittentes; ac diſtricte injungentes illis, qui fidantias hujuſmodi receperunt, quod eas ſine omni dilatione ac difficultate remittant, & ipſas de cætero exigere non præſumant. Nulli ergo omnino hominum liceat hæc noſtra ſtatuta infringere, vel eis auſu quolibet contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, animadverſione dura ſe noverit puniendum. Datum Peruſii* x. *kalend. ſeptembr. an.* x.

(*a*) *Lib.* 10. *ep. cur.* 9. *ſine tit.*

Injuſtæ Friderici in eccleſiaſticos ſanctiones a Pontifice reſciſſæ.

II. Ad ornanda meritis præmiis prænobilium virorum officia, nonnullas regni Siculi terras ipſis attribuit, inter quos Henrico Frangipani Tarentini principatus, atque Hydruntinæ ditionis jura contulit, ut ea ex hoſtis manibus avelleret (*b*): *Cum conceſſionem claræ memoriæ Conſtantiæ Roman. Imperatricis & Reginæ Siciliæ, ac etiam quondam Friderici Roman. Imperatoris tunc Regis Siciliæ factam olim O. Frajapano avunculo tuo, ejuſque ſucceſſoribus de principatu Tarentino & tota terra Hydruntina, tibi, qui ejuſdem O.. heres exiſtis, liberaliter duxerimus confirmandam; facientes te de principatu, & terra prædictis poſtmodum inveſtiri, prout in aliis literis noſtris plenius continetur; nos circa te gratiam merito gratiæ cumulantes, te quoque volentes ſuper præmiſſis principatu & terra favore gaudere apoſtolico ſpeciali, tuis benigne ſupplicationibus inclinati præſentium tibi auctoritate concedimus, ut nulli alii, ſed nobis, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris tantum de principatu & terra eiſdem, pro quibus immediate præfatæ ſedi ſubeſſe te volumus, reſpondere de cætero tenearis: diſtrictius inhibentes, ne cuiquam alii deinceps liceat te ſuper memoratis principatu & terra, & omnibus pertinentiis, ac juribus ſuis temere perturbare, vel quomodolibet vexare, aut aliquam inferre tibi moleſtiam ſuper principatum & terram jam dictos: ſeu te pro eiſdem aliquibus datiis, collectis, aut taliis, ſeu quibuſcumque aliis exactionum impetitionibus fatigare; nihilominus decernendo, ut ea omnia ad jus, & proprietatem Rom. Eccleſiæ pertinentia integra tibi perpetuo & quieta permaneant, tuis commodis, & uſibus libere profutura. Nulli ergo, &c. Datum Peruſii* XII. *kal. febr. ann.* IX. Licienſem præterea comitatum Marco Ziano Petri Venetorum olim ducis filio, ad cujus avum ſpectaret, omni Tigenti comitis jure ob ſecutas Friderici partes abrogato, abjudicavit (*a*). Verum ea liberalitas parum iis profuit, cum hoſtis eas terras occuparet, cujus potentiam armis frangere non potuerunt. Manfredus enim Tarentino principatu, ac Siciliæ legatione a Friderico donatus, Siculos in ſuo obſequio continebat, ac ſibi adverſantes Neapolitanos arctiori obſidione urgebat, quorum vaſtatis agris audito adventus Conradi nuntio caſtra removit, ut venientem exciperet, regnique adminiſtrationem in eum transfunderet; ut rerum ab ipſo geſtarum ſcriptor exponit (*b*): *Facta depopulatione ibidem*, ſcilicet Neapoli, *in quantum placuit ſibi, & æſtivi temporis intemperies paſſa eſt, receſſit de loco illo ad alias partes terræ laboris in ſtatu pacifico & fide regia reformandas incedens: proceſſuque temporis intelligens Regem Conradum fratrem ſuum de Alemannia in regnum per mare eſſe venturum, reverſus eſt in Apuliam; ibique moram trahens, & pro adventu Regis opportuna quæque diſponens, dictum Regem cum magna Theutonicorum comitiva per mare venientem apud Sypontum debita reverentia & devotione recepit ſub ann. Domini MCCLII. regnumque, cujus pro ipſo bajulum geſſerat, in pace totaliter fere conſtitutum, ſibi aſſignavit.* Quæ porro urbes Conradi imperia detrectarint, exprimuntur in M. S. chronic. Cavenſi, (*c*) quod nobis D. Lucas Holſtenius vir doctiſſimus S. Petri baſilicæ canonicus, una cum aliis veteribus monumentis pro ſua liberalitate communicavit: *In hoc anno*, nimirum MCCLII. quo rem conſignat. *Conradus Rex venit de Alemannia, & obedivit ei totum regnum præter Neapolim, Capuam, & Nuceriam, & quaſdam alias terras.* [1] His Conradi & Manfredinarum rerum ſcriptor addit: *Rex autem valde principi gratificatus eſt, recognoſcens regnum ipſum in abſentia ſua poſt Imperatoris patris ſui mortem pro ejuſdem principis induſtria ſapienter, atque viriliter fuiſſe gubernatum: cum vix credidiſſe potuerit ſe ſic quietum & pacatum regnum inventurum eſſe, ſicut invenit; propter quod principem in magna benevolentia eſt amplexatus, &c.* Interjectis nonnullis ſubiicit Conradum livore in Manfredum ſuffuſum ſenſim illius potentiam elidere ac labefactare jura cœpiſſe. Hæc de Siculis rebus ſuffecerint: ad reliquas Italicas digrediamur. Flagrabat hoc tempore civili bello Hetruria, hinc enim Piſani, ac Senenſes Fridericianas partes, hinc Lucenſes, & Florentini pontificias ferro flammaque tuebantur.

Henrico Frangiapani Tarentum Hydruntumque attributa ab Imperatrice Conſtantia confirmat.

(*b*) Lib. 9. ep. 93.

Licienſem comitatum in Zianum tranſmittit.

(*a*) *Lib.* 9. *ep.* 121.

(*b*) *Anony. auct. MS. de rebus Conradi & Manfr.*

Conradus e Germania in Siciliam maritimo itinere appellit.

Manfredus regni habenas illi relinquit.

(*c*) *Chron. MS. incert. auct.*

III. Ad confirmandos ergo Eccleſiæ clientes legatos in Hetruriam ſumma auctoritate inſtructos Albanenſem epiſcopum, & Guillelmum ſancti Euſtachii diaconum Cardinalem miſit Innocentius, ut Fridericianos ad pontificias partes pellicerent (*d*): *Cum pro pacis negotio inter diſcordes Tuſciæ reformandæ vos ad partes illas de-* no-

Duo legati Cardinales in Hetruriam miſſi.

(*d*) *Lib.* 10. *ep. cur.* 7.





NOTÆ

[1] RAynaldus hic Conradi filii Friderici adventum anno iſto collocans in ſuam ſententiam laudat anonymum de geſtis Conradi & Manfredi, & chronici Cavenſis ſcriptorem anonymum. Sed utrumque falli valde ſuſpicor, perſuaſum habens adventum hunc anno integro anticipandum eſſe. Id ſuadet authoritas Mathei Spinelli, quem his annis ephemerides ſuas ſcripſiſſe ſatis conſtat. Notat ille ad annum MCCLI. *Die* 20. *maii intellectum eſt regem Conradum appuliſſe Veronam, ut poſſeſſionem regni iniret.* Et inferius: *XXVI. auguſti venit Corradus cum claſſe Veneta, & excenſionem fecit Peſcara ad montem S. Angeli.* Tum: *menſe* ſeptembri *cum omnibus ſuis copiis progreſſus eſt contra comitem Aquinatem.* Denique additur: *Primo die decembris obſedit Neapolim.* Vix credo Spinellum, qui tam diligenter itinerarium Conradi proſequitur, anno integro hallucinatum fuiſſe. Quanquam hallucinationem aliquam in Spinello agnoſco, neque enim menſe majo anni 1251. in Italiam veniſſe Conradus potuit, cum eodem anno menſe auguſto adhuc Norimbergæ agens ſignaverit diploma, quod profert Ludewig Reliquiarum to. II. pag. 227. Hujus pariter teſtimonio cohærere credo vetuſtum authorem appendicis ad hiſtoriam Siculam Malaterræ, quæ ex codice Marchionis Terratanæ vulgata eſt a Murat. rer. Ital. to. V. pag. 603. hæc enim habet author vetuſtus, deſinens in annum 1265. *Anno Domini* 1250. *indictione decima* (errat anonymus iſte in indictionibus vel forte aliam earum ſupputandarum rationem tenet, cum anno 1250. indictionem nonam aſſignent, & decimam huic 1251. nam ita legendum eſt pro 1250. quod forte ex Typographi oſcitantia irrepſit; ac denique anno 1252. menſe octobris indictionem 12.) *menſe januarii* (legendum facile menſe junii, cum ex junio in januarium facilis ſit in MSS. hallucinatio.) *dominus rex Conradus venit de Alemania per mare, & applicuit Apuliam octavo januarii dictæ indictionis.* Poſtrema hæc plane mendoſa ſunt, nec cohærent ſibi. Viciſſim autem cum Spinello fere quadrat monachus Patavinus, qui tunc ſcribebat & Conradi adventum anno 1251. aſſignat. Idem pariter eruitur ex authore chronici Veronenſis, qui deſinit in annum 1278. cujus dein opus anonymus alius uſque ad annum 1375. continuavit, vulgatumque eſt cum eadem continuatione rer. Italic. to. VIII. hic enim ſcribit ad annum 1251. *Eodem anno menſe octobris Conradus rex Apuliæ & dominus Icerinus* (Ezerinus) *de Romano cum populis Veronæ, Paduæ, & Vicentiæ cum magno exercitu & multis exercitis Theutonico-*

*noſtro latere deſtinamus; dignum videtur & congruum, ut onus laboris injuncti auctoritatis honor de noſtræ poteſtatis plenitudine comitetur. Hinc eſt, quod de circumſpectionis veſtræ prudentia confidentes, recipiendi ad Apoſtolicæ ſedis gratiam civitates, aliorumque locorum communitates, ac perſonas quaſlibet partium prædictarum ejuſdem ſedis communionem, & gratiam non habentes, ac eis abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ impendendi, necnon & relaxandi quorumlibet interdicta locorum; ac etiam in pertinaces eccleſiaſticam aggravandi cenſuram, & contumacibus pœnas tam ſpirituales, quam etiam temporales, prout ſingulorum protervitas exegerit, imponendi, quemadmodum in præmiſſis omnibus veſtra viderit diſcretio faciendum; plenam & liberam vobis, & utrique veſtrum concedimus auctoritate prædicta poteſtatem. Nulli ergo, &c. Dat. Peruſii* VII. *kal. ſeptemb. anno* X. Alias eodem die literas ad Florentinos de impoſita dictis Cardinalibus legatione dedit (*a*).

(*a*) *Lib. 10. ep. cur. 8.*

IV. Florentini Piſanos & Senenſes fundunt.

Erexere Florentini admodum res ſuas partis de hoſtibus glorioſiſſimis victoriis, vaſtato Piſtorienſi agro, captoque caſtro, cui Tizani nomen eſt: atque increbreſcente fama Lucenſes magna clade a Piſanis deletos fuiſſe, motis caſtris victoribus occurrere: & inito prælio Piſanos fudere, ac paulo poſt de Senenſibus victoriam retulere (*b*). Quibus ſucceſſibus elati florenos ex auro puriſſimo percuſſerunt (*c*).

(*b*) *Ricord. hiſt. Flor. cap. 150. 152. Jo. Vill. l. 6. c. 50. & 53.*
(*c*) *Ricord. ib. c. 5. & Jo. Vill. c. 54.*

Quod genus monetæ novæ miratus poſtea Rex Tunetanus, cum de Florentinorum re publica quæſiiſſet; iiſdem prærogativis ac Piſanos ornavit, ut inferre merces, atque evehere poſſent; templumque Tuneti permiſit, in quo Chriſtiana ſacra peragerent.

His elati ſucceſſibus florenos aureos cudunt.

In eo ſecundarum adverſarumque rerum æſtu Interamnenſes ad Eccleſiæ obſequium ſe contulere; quos Innocentius recepit in gratiam ac beneficiis eſt complexus (*d*): Fulginates ob pervicaciam inſignem pontificias iras exaſperarunt, ut aculeatæ Innocentii literæ demonſtrant; (*e*) Laudenſes, qui maximis in Friderici gratiam ſceleribus ſe inquinarant; ob quæ a Gregorio IX. eorum civitas epiſcopalis ſedis dignitate exuta fuerat; in caſtra Eccleſiæ transfugere: promeruereque ab Innocentio, ut priſtinum decus illorum patriæ reſtitueret (*f*); quo argumento ad novum deſignatum epiſcopum literæ exaratæ.

Interamnenſes ad eccleſiæ obedientiam revocati.
(*d*) *Lib. 10. ep. cur. 28.*
(*e*) *Lib. 10. ep. 110.*
Laudæ reſtituta epiſcopalis ſedis dignitas.
(*f*) *Lib. 9. ep. 83.*

V. Adria & Penna coniunctæ epiſcopali ſede decorantur.

Ornavit eodem tempore Albanenſis epiſcopus A. S. L. Adriam epiſcopali ſede; cui eccleſiam Pennenſem conjunxit: quod legati factum ad devinciendos arctius illius cives de Apoſtolica ſede benemeritos confirmavit Pontifex (*g*). Eodem argumento Adriæ & Pennæ epiſcopo datæ literæ (*h*) ut Adriæ adminiſtrationem capeſſeret: tum ad Adrienſes (*i*), ut epiſcopo ipſorum benevolentiam, atque obſequia debita conciliaret. [1] Nec prætermittendum viſum eſt Innocentium hoc anno appetente vere Peruſii honorificentiſſime exceptum, ſacri ſenatus numerum creatis ſeptem Cardinalibus, amplificaſſe, ut Pariſius teſtatur (*a*). Præterea nonnullos alios, ut Turonenſem archiepiſcopum, Mantuanum, Verulanum, & Bartholomæum S. Dominici religioſa diſciplina excultum ſacris pontificalibus initiaſſe (*b*). Cum vero Dominicanorum mentio inciderit; addimus Innocentium ipſos regendarum monialium onere liberaſſe (*c*) ne a ſacrarum literarum lectione, & habendis concionibus diſtraherentur. Duo tamen ſacrarum Deo virginum cœnobia, nimirum alterum urbanum S. Xiſti, quod ſingulari ſtudio complectebatur Pontifex; alterum S. Mariæ Pruliani Toloſanæ provinciæ, quod S. Dominicus condiderat, excepiſſe.

(*g*) *Ib. ep. 160.*
(*h*) *Ep. 166.*
(*i*) *Ep. 167.*
Peruſium Pontifex proficiſcitur.

(*a*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(*b*) *Lib. 9. ep. 174. 217. 243. 285.*
Prædicatores monialium regendarum onere a Pontif. liberati.
(*c*) *Lib. 10. ep. 132.*

VI. B. Roſa miraculis clara.

Flagitavere ab Innocentio Viterbienſes, ut piiſſimam virginem, cui Roſæ nomen erat, quæ dum vixerat egregiis virtutibus præluxerat, ac poſt mortem magnis miraculis claruerat, ſanctorum catalogo adiiceret, atque ad religioſum examen eos, qui illius ſuffragiis magna a Deo beneficia comparaſſe aſſerebant, evocari juberet, ut in publicas tabulas referrentur. Qua in re conſilii maturitatem ſolitam adhibiturus, priori Prædicatorum, & S. Xiſti Viterbienſis archipresbytero cenſorum munus demandavit (*d*): *Sic in ſanctis ſuis mirabilis & benedictus in ſæcula Dominus noſter venerandæ memoriæ Roſam, virtute, ac fortitudine in hujuſmodi vitæ ſolitudine dicitur ſolidaſſe, ut inter mundanos incurſus, & vitiorum illecebras virginei floris integritate ſervata, per virtutum ardua immaculato calle pertranſiens, ac nitorem in conſcientia præferens, foris aliis velut roſa redoluerit per exemplum: ac tandem ſecundum pietatis fidem thronum gloriæ conſcendere meruerit choris virgineis ſociata, prout clara miraculorum indicia, quæ in terris divina bonitas operari dicitur, proteſtantur, ne lucerna ſub modio lateat, ſed luceat ad veritatis agnitionem infidelibus & fidelibus ad fidei fulcimentum. Iis ſane miraculorum ſignis, ac prodigiis dilecti filii noſtri electus, clerus, conſilium, & populus Viterbienſes merito, quin potius meritorie excitati, nos humiliter, & humaniter ſupplicarunt, ut fidelium teſtimonia ſuper ipſius novellæ Roſæ fragrantia, videlicet vitæ meritis, & miraculorum aſſertionibus recipi faceremus; ita quod, quæ felicitatis potiri creditur præmiis in Eccleſia triumphante, in militanti quoque honore congruo celebris habeatur; & quæ glorioſa Dei virgo coram hominibus claruit, pia innoteſcat patrona pro hominibus coram Deo. Nos igitur ipſorum laudabile votum favore benevolo cupientes proſequi; cum in re tam profundi judicii tanta expediat maturitatis cautela procedi, ut iis, qui perverſitatis hæreticæ fermento corrupti loqui audent mala de bonis, & in electis pingere maculam, ut Eccleſiæ ſponſæ Chriſti ſpecies decoloretur in membris, nullus inſultandi fidelibus aditus relinquatur; diſcretioni veſtræ, de quo plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper ipſius Roſæ vita & miraculis teſtes fide dignos, atque legitimos, quos undecumque produci contigerit, coram vobis legitime recipere, ac de ſingulis circumſtantiis juxta interrogationis formam, quam vobis ſub bulla no-*

De illa ſanctis annumeranda agitatum.
(*d*) *Ib. ep. 240.*
Tranſmiſſa eſt interrogandorum teſtium formula.

NOTÆ *nicorum iverunt ultra Menzum ad caſtrum Goiti diſtrictus Mantuæ, & ibi ſteterunt per XV. dies ad parlamentum cum Cremonenſibus, Parmenſibus, Placentinis, & aliis rectoribus civitatum Lombardiæ cum complicibus imperatoris, & tranſactis XV. diebus reverſi ſunt Veronam, & de præſenti dictus rex cum ejus comitiva per portum Naonem cum navigio & maximo apparatu tranſivit* (ſeu rediit) *in Apulia*. Eadem tradit author vetus, & accuratus Memorialis poteſtatum Regienſium, qui hiſtoriam ſuam cum anno 1290. claudit. Aſſerit ille Conradum anno 1251. Longobardiam veniſſe, primo Veronam, poſtmodum Cremonam, & e Cremona rediiſſe Veronam. Denique Riccobaldus Ferrarienſis coævus ſcriptor in hiſtoria Iperiali rer. Italic. to. IX. col. 132. huic noſtræ chronologiæ, quoad annum conſonat. Hæc latius deducenda fuerant ad extenuandam fidem ſcriptoris de rebus Conradi & Manfredi, qui mendo manifeſto hunc Conradi adventum uno anno poſtponit. Quoad ſcriptorem hunc vero adnotaſſe hic juvat, adhuc latuiſſe in manuſcripto codice, cum Raynaldus hæc ſcribebat, ſed non diu poſt beneficio V. Cl. Ferdinandi Ughellii in appendice tomi IX. Italiæ ſacræ lucem vidit. Demum vero anno 1726. Cl. Muratorius opus illud reproduxit, idemque ex MS. codice latentem ejus authorem *Nicolaum de Jamſilla* extruſit, a quo tamen ſcriptore, ut idem oculatiſſimus Muratorius vidit, nonniſi priorem totius operis partem ad annum ſcilicet 1258. habemus; reliqua vero uſque ad annum 1265. decerpta ſunt ex hiſtoria Sicula Sabæ Malaſpinæ a Baluzio Miſcellan. to. VI. pag. 197. vulgata.

Anonymus vero Cavenſis, qui pariter Raynaldo in MS. codice ſuppetebat, modo prodiit in tomo VII. rer. italic. patuitque tandem authorem eſſe his, quæ hic notat, recentiorem, cum chronicon ſuum ad annum uſque 1318. produxerit. MANSI

[1] QUæ hic narrat Raynaldus de tempore adventus Innocentii Peruſium, ſicut & de renunciatis ibidem cardinalibus fœde turbata ſunt & confuſa, quanquam facile ex ſerie narrationis Nicolai de Curbio recto ordine reſtitui poſſunt. Nicolaus igitur in cap. XXX. vitæ Innocentii narrat pontificem die dominica V. novembris anni 1251. Peruſium veniſſe (non ergo hoc anno 1252. vere appetente, ut aſſerit annaliſta) *Dum autem*, pergit Nicolaus, *ibi perſiſteret & illuc curiam ordinaret, cum jam ibidem per annum & dimidium reſideret, tres cardinales in eccleſia ordinavit, dominum epiſcopum Portuenſem*, (ſcilicet Jacobum Herebertum) *dominum epiſcopum Praneſtinum quondam Strigonienſem archiepiſcopum*, (Stephanum Hungarum) *& dominum Ottobonum S. Adriani diaconum cardinalem. Dominum autem Praneſtinum de Barro* (Cicconius Petrum de Barro appellat) *tituli S. Marcelli presbyterum cardinalem conſecravit in epiſcopum Sabinenſem, ubi quidem non poſt multum temporis a Domino ad vitam aliam eſt vocatus, qui ſe fecit in eccleſia S. Franciſci de Aſſiſio tumulari*. Cum ordinatio iſta cardinalium poſt moram unius anni & ſemis Peruſii factam ab Innocentio contigerit, eoque venerit Innocentius ineunte novembri anni 1251. ſatis conſtat non citius anno 1253. forte in ipſo Paſchæ pervigilio, die nempe XIX. aprilis conſignandam eſſe, prout ante me animadvertit P. Franciſcus Pagius in Breviar. chronol. pontif. Roman. to. II. pag. 184. edit. Luc. Niſi forte reputaverimus eam cardinalium renunciationem non quidem aprili menſe, ſed in quatuor anni temporibus vernis martio menſe habitam, cum Pariſii continuator illam ad annum 1252. referat. Martio enim menſe, non vero aprili ex veteri ſtilo adhuc annus 1252. currebat. Fateor equidem martio menſe anni 1253. non adhuc moram anni cum dimidio Peruſii Innocentium traxiſſe; ſed notum eſt hiſtoricos, cum tempora his vel ſimilibus phraſibus definiunt, accuratiſſimæ chronologiæ leges minus plerumque curare. Cæterum Pariſii continuator in eo errat, quod ſeptem cardinales renunciatos notat, cum non ultra quatuor aſſumpti fuerint.

Hæc ſcripſeram cum legenda occurrit bulla Innocentii qua privilegia cœnobii Piſani ordinis FF. Prædicatorum confirmat, quæ data legitur Peruſii VI. Kal. . . . . indictione X. incarnationis dominicæ anno MCCLI. pontificatus Innocentii anno IX. Bullam hanc, licet eraſus ſit menſis quo ſignata eſt, pertinere ad annum 1252. cum veteri ſtilo adhuc cenſeretur annus 1251. ex indictione X. ſatis conſtat. Data eſt igitur ſaltem ante diem 25. martii ejus anni, & cum inter nomina cardinalium adſcriptum ferat *Ottobonum S. Adriani diaconum cardinalem*, ſatis demonſtrat ſaltem in quatuor anni temporibus quadrageſimæ ejus anni 1252. cardinales illos, de quibus Nicolaus de Curbio renunciatos fuiſſe. Ex quo intelligas Nicolai mentem cum ſcriberet Innocentium cum reſediſſet Peruſii anno integro & dimidio cardinales renunciaſſe, aliam plane fuiſſe ab ea quam Pagius interpretatur; id enim tantummodo ſpectaſſe ut aſſereret pontificem moram anni cum dimidio traxiſſe Peruſii, & ibidem cardinales elegiſſe. Bullam hanc exhibet Bremond in ſupplem. bullarii ordinis Prædicatorum to. VII. pag. 25. MANSI

(a) Vide ſup. an. 1240. n. 22. & an. 1250. n. 49.

(b) Ep. 241.

Redintegratum de Ambroſii Minoritæ miraculis examen.

(c) Lib. 9. ep. 331.

*noſtra tranſmittimus, prudenter examinare curetis, &c. Dat. Peruſ.* VII. *kal. decembr. ann.* X. Diſcutiendorum teſtium eadem atque in cauſa Ambroſii (*a*) piiſſimi viri, cujus ſacræ exuviæ Urbevetere ſervabantur, forma Marino de Ebulo præſcripta eſt, quo argumento eidem Marino literæ exaratæ (*b*). Similem provinciam Spoletino & Eugubino epiſcopis de perſcrutandis, atque in acta publica redigendis Simonis Minoritæ geſtis, cujus opera plura prodigia patrata circumferebantur, Spoletanorum adductus precibus, injunxit (*c*).

VII. Prandothas epiſcop. referendi inter SS. Staniſlai ep. cauſam urget.

Inſtabat etiam eodem tempore ſummis precibus Prandothas epiſcopus Cracovienſis, ut ejuſdem olim eccleſiæ antiſtes Staniſlaus ſanctorum numero aſcriberetur; & quamvis Gneſnenſis archiepiſcopus, epiſcopus Wratiſlavienſis, atque abbas e Lucedio commiſſam ſibi provinciam excuti, confectas de miraculis beati viri beneficio patratis tabulas ad Innocentium miſiſſent; is tamen, quo nullas humanæ prudentiæ partes in re tanti momenti prætermitteret Jacobum Velletrenſem Minoritam in Poloniam miſit, ut arctorum prototypa exploraret, excuteret teſtes, ac illorum ſenum dicta, qui annos centum erant egreſſi, quos martyrem noviſſe fama erat, ad examen revocaret:

(d) Lib. 9. ep. 281.

Innocentii ſtudium in exploranda rei veritate.

(*d*) *Diſcretioni tuæ auctoritate præſentium in virtute obedientiæ diſtricte injungimus, ut a dictis inquiſitoribus, ſi ſuperſtites & præſentes in provincia fuerint, an ſic proceſſerint ſicut ſub ipſorum ſigillis recepimus, perſcruteris; & ipſorum actorum exempla ad majorem certitudinem tecum portes, faciens præſentari tibi eos, qui dicuntur fuiſſe a diverſis infirmitatibus liberati, quos & quot potueris; ac illos duos centenarios, ſi ſuperſtites fuerint, de quibus mentio eſt in actis, qui dicuntur ab aliquibus accepiſſe, vel eorum alterum, quod ſanctum noverunt eundem, & de ipſius clara, & honeſta converſatione, dum viveret, audiverunt; inquiſiturus ab ipſis an ita ſit: & inſpecturus nihilominus devotionem populi & famam communem ſuper martyrio, & cauſa martyrii, nec non & ſanctitate ipſius. Inquiras inſuper, utrum Cracovienſis diœceſis paganis, & Ruthenis ſchiſmaticis ſit confinis; ut per hoc ex ipſorum confinio lucrum provenire valeat animarum. Ad hæc librum chronicorum, quoad capitulum pertinens ad negotium memoratum ex archivio ducis Poloniæ editum; & etiam librum annalium, & epitaphium conſidera diligenter: & his ſummatim ſub obteſtatione juramenti, ubi tibi viſum fuerit, coram prioribus inquiſitoribus præſtiti plenius intellectis, ſi aliqui teſtes ſuper prioribus, vel novis articulis tibi fuerint præſentati, eos juratos ſecundum formam recipiendorum teſtium prudenter recipias, & diligenter examinare procures; & ſic inſtructus ad nos, ut per te ſuper iis inſtruamur plenius, revertaris. Datum Peruſii* VII. *kalend junii anno* IX.

VIII.

(e) Longin. ubi ſup.

Has literas hiſtoriæ ſuæ inſinuavit Longinus: (*e*) qui in eo emendandus eſt; dum ipſas ad annum Chriſti MCCL. refert. Cæterum ex eodem auctore liquet, Jacobum Minoritam ſtrenue ſuo munere perfunctum, cujus occaſione data, addimus Innocentium Minoritis confirmaſſet (*f*) urbanam eccl. S. Mariæ Capitolinæ donationem, jam ante Lugduni adhibitis Raynaldo Oſtienſi epiſcopo & Stephano Sanctæ Mariæ Tranſtyberim presbytero Cardinal. a ſe factam v. kalend. jul. pontif. anno. VII.

(f) Lib. 10. ep. 39.

IX.

(g) Mon. Pad. chr. l. 1. hoc ann.

Ezelinus crudelitate & hæreſi infamis.

Eodem anno Gregorius e Montelongo, uti monachus Patavinus ſcribit (*g*) patriarchatu Aquilejenſi ab Innocentio ornatus, [1] eccleſiæ poſſeſſionem iniit, ut egregias virtutes, quas in continendis in fide Eccleſiæ Inſubribus, infringenda Fridericianorum tyrannide, atque Ezelini e Romano, qui non tam principem, quam immaniſſimum carnificem agebat, conatibus debilitandis, in ampliſſimo munere explicaret. Ezelinus porro, non Fridericiana tantum, ſed etiam hæretica lue infectus erat, quem ut ad pietatem revocaret Pontifex, vel juſtas in contumacem pœnas decerneret, jam ante illi ad purgandam, & amovendam a ſe publicam infamiam diem (*h*) apud ſedem Apoſtolicam dixerat, judiciumque vir improbus variis artibus eluſerat. Cui iterum Pontifex, ne inanes perfidiæ colores, ac periculi metum obtenderet, permiſit, ut in Inſubria, marchia Tarviſina, aut Germania locum deligeret, ubi tuto eccleſiaſtico ſolio ſe ſiſteret. Quo argumento hoc decretum pontificium promulgavit.

(h) Lib. 9. ep. cur. 11.

*Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis.*

*Licet pridem nobili viro Ezelino de Romano certum duxerimus terminum præfigendum, quo perſonaliter ad ſedem Apoſtolicam accederet, ſuper impreſſa ſibi nota hæreſis recepturus, quod dictaret juſtitia, & facturus, alioquin ex tunc contra ipſum*

NOTÆ [1] GRegorium a Montelongo anno iſto infulis Aquilejenſibus donatum fuiſſe tam exploratum eſt, quam ignotum quo menſe aſſumptus fuerit. Id vero demum patuit ex authore chronici Eſtenſis, vulgato a Muratorio rer. italic. to. XV. ita enim habet: *Gregorius de Montelongo* ordinatus fuit *patriarcha Aquilejenſis ab Innocentio de menſe januarii. &c.* MANSI



*ipſum gravius ſuper hoc procedere curaremus; volumus tamen, providentiæ ſuggerente conſilio, eidem nocivam cujuſlibet excuſationis auferre materiam, ne adverſus manum ſalutis ejus remedia perſcrutantem de impoſſibilitate parendi, vel periculo noſtris conſpectibus comparendi aliqua ſibi poſſit veriſimilitudinis aſſuere tegumenta; & nobis negotium catholicæ fidei proſequentibus modeſtia, qua poſſumus, circa ipſum, cunctis liquido liqueat, quod pia fidelium omnium mater cum injuſto animoſitatis inimicæ calore non impetit, ſed ſinceræ charitatis deſiderio repetit ad ſalutem. Hinc eſt, quod dicto nobili præmiſſæ citationis formam ad ſedem prædictam perſonaliter veniendi hoc æquitatis moderamine temperamus, ut ſiquidem uſque ad feſtum aſſumptionis proximo venturæ certum, & idoneum locum in Lombardia, vel marchia Tarviſina, aut Forolivii, ſeu etiam Alemannia, ſive regione alia commode adjacenti viderit ſibi tutum; dummodo idem locus ſit in plena conſtitutus Eccleſiæ, ipſiuſve fidelium poteſtate; ejus ſibi permittimus optionem: & in eo parati ſumus ſibi ſecuritatem plenariam providere, ut ibi, quod eidem in prædictis faciendum incumbit, perſonaliter implere procuret. Ad quem locum parati ſumus deſtinare perſonas, quæ ipſum nobilem efficientem in hac parte humiliter quod debebit, ibidem recipiant vice noſtra. Hoc autem in communem volumus veniſſe notitiam, ut nota factum ratione probetur, & quod de publico agitur fidei negotio cunctos tangente fideles, publicis auribus innoteſcat. Dat. Peruſii* IX. *kalend. julii anno* IX.

X. Reſpuit Pontificis imperia.

(a) Monach. Pad. ubi ſup.

Inauditam carnificinam exercet.

Contempſit Pontificis imperia Ezelinus, ac paulo poſt conflatæ in ſe a Marchianis conjurationis ſuſpicione efferatus crudelitatem Neronianam exercuit, quam monachus Patavinus deſcribit (*a*): *Incipiens a Carnorolo milite Veronenſi, quem conjurationis principem aſſerebat, tam in Verona, quam in Padua, Vicentia, & in tota Marchia inauditam ſtragem & occiſionem hominum perpetravit. Ubique luctus erat, ubique dolor & triſtitia, ubique dira mortis imago. Catervatim milites & majores natu in foro gladiis necabantur, membra fruſtatim præcidebantur, & rurſum collecta & impoſita rogis igne ſuppoſito cremabantur. Frater fratrem, conſobrinus conſobrinum, amicus amicum tradebat ad mortem, & propriis manibus trucidabat. His ſceleribus credebat quilibet ſe obſequium præſtare tyranno. Et tamen iſti, qui hoc faciebant, poſt paucos dies in ſimilem mortis gladium, ſeu laqueum incidebant. Filii nobilium & aliorum civium oculis privabantur, & eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebroſis, ubi moriebantur famis horribili cruciatu. Matronæ nobiles & delicatæ, & virgines ſpecioſæ fame, peſte, injuriis, & afflictionibus inauditis in cuſtodiis tabeſcebant. Quotidie diverſis generibus tormentorum indifferenter tam majores, quam minores a carnificibus necabantur. Voces terribiles clamantum in tormentis die noctuque audiebantur in altis palatiis, quæ dolorem & horrorem maximum hominibus inducebant, nulluſque publice audebat plorare ſuper his malis: ſed quilibet vitam & victoriam, etſi non corde, ſaltem verbis affectuoſis Ezelino nequiſſimo domino affectabat.* Pergit effuſam in omnes nullo ætatis, ſexus, dignitatis, religionis diſcrimine crudelitatem, circumventos calumniis plures, ut bonis exuerentur, eccleſiaſtica vectigalia occupata deſcribere, ſubiicitque: *In diebus ejus ceſſavit prædicatio, obmutuit confeſſio peccatorum, & devotio fidei eſt extincta. Viſitare etiam loca ſancta publice homines non audebant.* Et paucis interjectis: *Reſidere ſub Ezelini tyrannide intolerabile: effugere impoſſibile videbatur, quod nequiſſimus dæmon foſſatis magnis diſtrictum ſuum circumdederat, & ſuper ipſa fecerat ſpeculas, quas Marchiani muros appellabant, in quibus erant die noctuque ſpeculatores, qui nec intrare, nec exire aliquos permittebant. Si quis in fuga deprehenſus fuiſſet, ſine audientia oculis, vel pedibus & manibus privabatur, nec aliqua eum poterat excuſatio liberare, &c.*

Divinus cultus in illius ditione obſoleſcit.

XI. Petrus Veronenſis exercendæ quæſtioni in hæreticos ſtrenue incumbit.

Freti illius potentia, atque auctoritate hæretici in Marchia, aliiſque regionibus circumjectis graſſabantur. Friderici enim ac ſequacium id conſilium fuerat, Sarracenis, hæreticis, improbiſſimiſque aliis ſectis, quæ ex omnium vitiorum colluvione emerſerant, fræna laxare, quo eorum opera, atque inſolentia in Chriſti vicarium uterentur: tum apud Mediolanenſes alioſque Inſubres ob inteſtina bella hæreſis admodum ſe propagarat. At Pontifex ad evellendum enaſcens zizania ex agro dominico, cenſores fidei pleriſque in locis inſtituerat: atque anno præterito inter cæteros Petro Veronenſium Prædicatorum magiſtro defendendæ religionis cauſæ contra hæreticos provinciam, ut vidimus, commiſerat. Qui vir divinus, pietate ac doctrina inſtructus, cum zelum quo flagrabat, in hæreticos explicare cœpiſſet, eorum ſibi immaniſſimum odium, quorum ſalutem ſitiebat, conflavit: atque hoc anno (*b*) ab iis crudeliſſime gladiis transfoſſus martyrii palmam adeptus eſt; de quo hæc veteris chronici, in quo præclara Francorum facinora continentur, incertus auctor: *Ann. Dom. MCCLII. nonis aprilis ſabbato in albis, fr. Petrus de Verona inquiſitor hæreticorum per ſedem Apoſtolicam deputatus, pro pietate fidei in territorio Mediolanenſi eſt occiſus; virgo,* do-

(b) Cantip. l. 1. c. 5. n. 2.

(a) *Bern. chr. Rom. Pont. & alii.* (b) *Ext. apud Sur. to. 2. die 29. april.*

*doctor, & martyr, corona triplici laureatus.* Illius porro martyrii hiſtoriam ex Thoma Lentino (*a*) patriarcha Hieroſolymitano (*b*) decerpendam putamus.

XII. Ab hæreticis ex inſidiis trucidatur.

*Anno ſalutis milleſimo duceteſimo quinquageſimo ſecundo die ſabbati illius, quod eſt finis ſeptuageſimæ, diciturque ſabbatum in albis annotinum & paſcha, athleta Chriſti, de ſuo cœnobio ad certamen fidei Mediolanum contendens, nitebatur præfixum terminum prævenire. Cumque iter medium carperet, quidam funeſtus hæreticus, & cruentus hæreticorum ſatelles eorum precibus adductus, & pretio librarum quadraginta conductus in beatum virum iter ſalutaris propoſiti perſequentem, in agnum utique lupus, in mitem ferus, in pium impius, furibundus in manſuetum, prophanus in ſanctum auſu ſacrilego incurrit; & de Chriſti ſacerdote victimam faciens, ſacrum illius caput enſe cruento ferit, diraque illi ſemel atque iterum repetitis ictibus, vulnera imprimit. Deinde nihil divertentem ab hoſte, ſed protinus hoſtiam ſe ſe exhibentem, illiuſque ſe cruces ictus patienter excipientem, ſeminecem humi proſtratum reliquit, & ad fratrem Dominicum ſancti viri comitem, aerem miſerandis vocibus implentem opemque & auxilium implorantem, mox cruentus carnifex ſe convertit, & quatuor illi lethalia vulnera inflixit.*

XIII. Inter ultima ſuſpiria ſymbolum fidei recitat.

*Interea B. Petrus in parte alia ſe Domino commendans: In manus tuas Domine, inquit, commendo ſpiritum meum; a fidei catholicæ profeſſione & præconio etiam in hoc articulo minime deſiſtens, ſed ſymbolum fidei, quod propter patrui blandimenta puer abnegare noluit, in ipſis mortis angoribus tanquam egregius fidei propugnator, nequaquam oblitus recitare, quemadmodum etiam ille ſceleſtus carnifex fugæ præſidio deſtitutus, & a fidelibus, quos fratris Dominici clamores excitaverant, poſtea captus, atque idem quoque frater Dominicus aliquot diebus ſupervivens teſtati ſunt. Cum autem adhuc palpitaret vir ſanctus, cultrum homo ille ſanguinarius per ejus latera adegit, eoque confoſſo, beatum illius martyrium abſolvit.*

XIV. Pulcherrimis ejus veſtigiis, quæ in hæreticis inſectandis ſodalibus exararat; inſtitere Dominicani: atque ſtrenuam navavere operam quo impietas in iis locis interiret. Adeo ut merito glorioſus Chriſti athleta cum Sampſone (*c*) conferri poſſit, qui cæſus hoſtes numinis plures obtriverit, quam vivus debellarat; quam rem vir ſanctus Mediolani in publica concione prædixerat, ut ejus vitæ auctor narrat: *Mediolani coram multa populi frequentia e ſuggeſtu palam dixit ſe non ignorare hæreticos ipſi necem meditatos eſſe, & jam pecuniam ſicario numerandam alicubi depoſitam eſſe: ſed agant illi, inquit, quidquid volent, plus me ſentient facturum contra ſe etiam poſt obitum quam fecerim vivens.* Agunt de eo plerique alii auctores, in quibus Cardinalis Baronius (*d*) ipſo die, quo martyrio affectus III. kal. maii ejus memoria ab Eccleſia anniverſariis ſacris celebratur.

(c) *Jud. 16.*

Ut mortem ſuam prædixerit.

Graves pœnæ ab Innoc. in hæreticos ſtatutæ.

(d) *Baron. ad Martyr. Rom. die 29. apr.*

XV. Pontifex ex ejus morte magno dolore afficitur.

Indoluit ob ejus mortem Innocentius ac majori zelo in hæreticos exarſit. Paucis enim poſt diebus, nimirum id. maii, pontificatus ſui anno nono plures ſanctiones adverſus hæreticos, eorumque ſtudioſos, ac fautores a magiſtratibus urbium locorumque, & provinciarum præfectis ſervandas promulgavit; quibus hujuſmodi præfixa eſt inſcriptio.

*Poteſtatibus ſive rectoribus, conſiliis & communitatibus civitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & marchiam Tarviſinam conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* Cum vero id pontificium diploma jam typis excuſum in manibus omnium teratur, avidum lectorem eo dimittimus (*e*); jam conſtantiſſimo martyri puriſſimam virginem noſtra oratione conjungemus.

(e) *Bull. to. 1. in Inn. IV.*

XVI. Jutta S. Elizab. pediſſequa miraculis & ſanctitate clara.

Evolavit in cœlum eodem ferme tempore Jutta ſanctiſſima fœmina, quæ pudoris florem Deo voverat, atque egregia exempla virtutum hauſerat a S. Eliſabetha Lantgravia Thuringiæ, cujus pediſſequa fuerat: de qua hæc Trithemius (*f*): *Hoc anno obiit devotiſſima Chriſti virgo Jutta* XIV. *kal. april. quæ olim fuerat pediſſequa B. Eliſabeth Lantgraviæ Turingiorum. Hæc ſancta virgo multis & ſignis & miraculis, tam in vitam quam poſt mortem claruit: & omnium virtutum dominæ ſuæ, dum adhuc viveret, conſcia & cooperatrix ſemper fideliſſima fuit; ejuſque ſanctiſſimam converſationem, qua in tantum prævaluit, in omnibus imitari ſtuduit, pauperumque ſingularis advocatrix fuit.* Hactenus auctor, atque ex eo recentiores. Cum vero in Germanicam virginem inciderit oratio, nunc Germanicas res decurramus.

(f) *Trithem. in chron. Sponheim. hoc ann.*

XVII. Celebratis Francofurdi ſolemnibus comitiis, [1] Romanorum Rex Guillelmus, aſſentientibus Imperii principibus, eorum omni-

NOTÆ [1] CElebris conventus Francfordienſis anno iſto habiti dies, & menſis nobis ſervatur ab anonymo Erfordienſi, qui ad hunc annum notat: *Rex indixit curiam Kalendis julii Franchevurt celebrandam, in quo tamen eodem fere tempore defunctum ſuum graviter lugebat ſocerum,* (ducem Brunſvicenſem) *eidem itaque curiæ iſti principes interfuiſſe referuntur, epiſcopi Moguntinus, & Colonienſis, & Leodienſis, Spirenſis, Argentinus, dux Brunſvicenſis imperatoris defuncti* (forte ducis defuncti) *præter abbates plures & comites & barones ubi rex ſententia proſcriptionis ducem Bavariæ innodaſſet, ſi per quoſdam interceptum non fuiſſet.* MANSI



Willelmus Rex Francofurdi procerum bona publicat qui evolvente ſe anno illi fidem non obligaſſent.

omnium bona vectigalia aulæ Germanicæ ad Imperium revocarat, qui intra evolutum ab acceptis Aquiſgrani regiis ornamentis annum, clientum, ac ſtipendiariorum debita officia ipſi non detuliſſent. Quam ſententiam Innocentius ejuſdem Regis precibus adductus, confirmavit, (*a*) ac provinciam Fuldenſi abbati impoſuit, (*b*) ut apoſtolica auctoritate legis rigor in reos exerceretur.

(a) *Lib. 10. ep. 252.* (b) *Reg. poſt. eand. ep.*

Ea ſententia ab Innocentio confirmata.

*VV. Regi Romanorum illuſtri.*

*Dignum eſt ſententias, quæ ſolemniter regio promulgantur oraculo, ut illibatæ permaneant, apoſtolicæ firmitatis patrocinio non carere. Tua ſiquidem, chariſſime fili nobis exhibita narratio continebat, quod tu in generali curia nuper apud Franchefort de antiqua Imperii conſuetudine celebrata per diffinitivam ſententiam, de communi conſenſu principum Imperii ejuſdem tibi fidelium ibidem præſentium, promulgatam, illos omnes bonis quibuſcumque, quæ ab Imperio tenebant in feudum, privare curaſti, qui ſuper iis inveſtituram infra annum a die, quo apud Aquiſgranum in Romanorum Regem fuiſti, divina favente gratia, coronatus, a tua celſitudine recipere non curarunt, prout in authenticis literis confectis exinde, & regio ſigillo ſignatis plenius continetur. Nos itaque tuæ ſublimitatis precibus inclinati, quod a te ſuper hoc factum eſt, & ratum habentes & gratum, illud auctoritate apoſtolica confirmamus, &c. uſque communimus. Nulli ergo noſtræ confirmationis, &c. Dat. Peruſii* IV. *non. decembris anno* XI. In eo ordinum conventu adverſus Conradum Friderici filium Imperium ſibi arrogantem plura ſtatuta; juſque omne in Sueviam, quam obtinebat, illi abrogatum, cui decreto regio Innocentius pontificium robur adjecit (*c*).

Abrogatus Conrado Sueviæ principatus a Willelmo.

(c) *Lib. 10. ep. 446.*

XVIII. Ea ſententia a Pont. rata habita.

*VV. Regi Romanorum illuſtri.*

*Cum ſicut ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, nobilis vir Conradus natus quondam Frederici olim Imperatoris, tam a claræ mem. Henrico Rege Romanorum prædeceſſore tuo, quam a tua celſitudine poſtmodum in curia generali a te apud Franchef. ex more principum congregata, non ſolum ducatu Sueviæ, ſed etiam omnibus bonis ſuis, quæ ad ipſum dicebantur in Regno Alemanniæ pertinere ejuſdem Regis principum accedente conſenſu ex eo fuerit rite privatus, quod erat perſecutor Eccleſiæ, & adverſarius manifeſtus, nec de prædictis ducatu, & aliis inveſtituram a te, vel eodem prædeceſſore tuo recipere procuravit; nos privationem hujuſmodi ratam habentes & gratam illam auctoritate apoſtolica confirmamus, &c. Dat. Peruſii* XIII. *kal. aug. anno* X.

E ſuperioribus refellendus Pariſius, dum tradit Guillelmum bello fatigatum promiſſis pontificiis irretitum ſe fuiſſe conqueſtum, malis auſpiciis capeſſitas regni habenas deſeruiſſe, ſeque in Hollandiam ſubduxiſſe; non negaverim tamen Guillelmum aliquid adverſarum rerum expertum: ita enim fluctuabat Germania, ut pari ancipitique contrariarum partium victoria in hunc modo, modo in illum inclinaret. Suſcepit quidem graves & juſtas iras Innocentius in Treverenſem archiepiſcopum, cum eo jubente, vel connivente Confluentiæ, quæ ditionis ipſius erat, Sculteto duce a militibus præſidiariis, civibuſque in arma concurrentibus, Guillelmi quædam crueſignatæ copiæ partim cæſæ, partim diſſipatæ, aut præterlabentis fluminis aquis merſæ fuiſſent.

Nonnullæ Willel. copiæ deletæ in Germania.

*Hugoni tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato.*

*Ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod Scultetus, milites, & homines caſtri de Confluentia Treveren. diœceſis ad venerab. fratris noſtri Arch. Treveren. eorum domini temporalis inſtinctum in chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Romanorum illuſtrem, cruceſignatos, & alios de exercitu dicti Regis manu irruentes armata, nonnullos ex ipſis vulnerare, alios occidere, quoſdam ſpoliare, ac captivare temere præſumpſerunt, aliquibus miſerabiliter in Rheni flumine ſuffocatis in ipſius Regis injuriam, & Eccleſiæ, ac Imperii negotii generalis non modicum detrimentum. Ne igitur tantæ præſumptionis temeritas propter impunitatem tranſeat aliis in exemplum, mandamus quatenus ſi de plano, & abſque judicii ſtrepitu ſuper hoc per te, vel per alium inquirens inveneris ita eſſe, dictum archiepiſcopum moneas, vel moneri facias, ut plenariam ſuper iis ſatisfactionem ſtudeat exhibere, quam ſecundum Eccleſiæ, ac Regis honorem, & atrocitatem facti videris exhibendam: verum ſi monitus plenam humilitate debita ſatisfactionem ad mandatum tuum, immo noſtrum impendere forte contempſerit, tu ex parte noſtra peremptorie cites eumdem, ut infra duos menſes poſt citationem hujuſmodi compareat perſonaliter coram nobis, prout decuerit recepturus. Si vero in ſtatuendo ſibi termino ad noſtram venire perſonam recuſabit, ſubditos ejus ab obedientia ipſius in pœnam inobedientiæ ſuæ uſque ad ſatisfactionem congruam abſolvere non poſtponas. Quod interim feceris per tuas, &c. uſque intimare. Dat. Peruſii* II. *id. decemb. anno* X.

XIX. Pontificia ſeveritas in virum nobilem eccleſiæ Conſtantienſis oppreſſorem.

Ut ſeveritatem in archiepiſcopum, qui regiam ſuorum opera majeſtatem violarat, diſtrinxit; ita eandem in eos exeruit, qui læſerant præſulum dignitatem. Devinxerat ſe tunc nefario ſcelere Walterus e Clivigen, qui epiſcopum Conſtantienſem comprehenderat, atque adeo in ſe Pontificis iras exaſperavit. Abbati enim Campidovenſi provinciam tradidit

(a) Lib. 10. ep. 9. Elanus ab Abele Eccleſiæ Bulgavenſi impoſitus ab ea deiicitur.

didit (a) viro nobili denuntiaret pontificio nomine, ut epiſcopo injuriam & damna illi eccleſiæ illata ſarciret, ac parere detrectantem ea percelleret pœna: *Nullus de ipſius progenie uſque ad quartam generationem in Conſtantienſi, vel alia cujuſcumque civitatis collegiata eccleſia in canonicum vel in clericum admittatur: quod ſi ſecus præſumptum fuerit, decernimus irritum & inane.* Exeruit quoque eccleſiaſticæ diſciplinæ in rigorem Elanum præpoſitum, qui Abelis Daniæ tyranni (hunc enim non Regem vocat, ſed Regem tunc ſe geſſiſſe ait, cum fratrem Regem ad invadendum ſceptrum, ut vidimus (b) ſecuri feriri, & aquis mergi juſſiſſet, ac tunc ſceleris pænas vita ac ſceptro amiſſis luerat) potentia fretus diſſentientibus canonicis, Bulgavenſem ſedem occuparat. Wiburgenſi enim epiſcopo datis Peruſii XIII. kalend. januar. anno pontificatus x. literis, provinciam demandavit (c) ut ab ea eccleſia deturbari, & alium juſte eligi, ac ſubrogari operam daret. [1]

(b) Ann. Chr. 1250. n. 38.

(c) Lib. 10. ep. 301.

XX. Sueciæ Rex optime de Eccleſia meritus.

Quanto obſoleverat in Dania impii Abelis ſcelere libertas eccleſiaſtica, tanto magis in Suecia egregiis Waldemari Regis & Birgeri ducis ſtudiis effloreſcebat: qui potentiam non ad opprimendas, ut ille nefarius merito repentino divinæ juſtitiæ impetu e vivis exciſus; ſed ad defendendas eccleſias converterant: quare ut benemeritis Innocentius gratiam referret, hæc Upſalenſi archiepiſc. ejuſque ſuffraganeis præſcripſit (d). *Cum chariſſimus in Chriſto filius noſter VV. Rex illuſtris & nobilis vir B. dux Sueciæ, prout decet catholicos principes, cupiant, ſicut intelleximus, eccleſias & perſonas eccleſiaſticas in regno Sueciæ conſtitutas in ſua confovere juſtitia, & a malignorum incurſibus defenſare; mandamus quatenus præfatis Regi, & duci contra perturbatores ipſius regni viriliter aſſiſtatis; ita quod iidem, veſtro mediante auxilio, tenere valeant in pacis pulchritudine terram ſuam, & nos devotionem veſtram poſſimus exinde in Domino commendare. Dat. Peruſii* XII. *kal. nov. an.* x.

(d) Ib. ep. 186. Defendendarum illius partium provincia præſulibus impoſita.

XXI.

Defixerant præſtantiſſimi illi principes præcipuas in pietate excolenda, atque omni labe repurganda conſcientia curas: quorum pia deſideria ut promoveret Innocentius, criminum veniam depoſcentibus hæc præmia dato ad ipſos atque ad uxorem ejuſdem ducis diplomate (e) ex ſacro meritorum Chriſti ærario effudit, ut reliquiæ criminum, quæ apud ſacerdotem intra trium ab acceptis apoſtolicis literis menſium ſpatium rite depoſuiſſent, maculæ delerentur.

(e) Ibid. ep. 297.

*Cum deſideres, ſicut accepimus, in cordis mundicia deducere dies veſtros, nolentes currere in incertum; nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnium peccatorum veſtrorum abſolutionem & veniam, de quibus eſtis vel infra tres menſes a receptione præſentis eritis corde contrito vere confeſſi, vobis miſericorditer elargimur, Domini clementiam deprecantes, ut veſtrorum immemor delictorum, bonorum cœleſtium faciat vos eſſe participes in æterna retributione juſtorum. Dat. Peruſii* x. *kal. nov. anno* x.

Illi ac duci Sueciæ uxorique crimina ſacra confeſſione expiaturis indulgentias impertitur.

XXII. Rex Norvegiæ in Syriam transfretaturus in clientelam apoſt. accipitur.

Non inferior Sueco pietatis laude erat Haquinus Norvvegiæ Rex, qui illuſtre illius ſpecimen, induta cruce, & conſecratis propagandæ fidei armis explicuit. Cujus eximium facinus magnis laudibus commendavit (f) Innocentius, atque illius ditionem in clientelam apoſtolicam accepit (g).

(f) Eod. l. 10. ep. 232.

(g) Ib. ep. 290.

*Illuſtri Regi Norvvegiæ cruceſignato.*

*Dignum eſt ut cœleſtis Regis obſequiis inhærentes prærogativa gaudeant gratiæ ſpecialis. Cum igitur zelo fidei ac devotionis accenſus, ſigno vivificæ crucis aſſumpto, pro ſubſidio Terræ ſanctæ, non ſolum terram propriam relinquere, verum etiam perſonam exponere ſis paratus; nos tuis precibus inclinati perſonam tuam cum uxore, familia, regno, terris, & omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſides, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis, &c. uſque confirmamus. Statuentes, ut ex nunc ea omnia integra maneant & quieta, donec de reditu tuo, vel obitu certiſſime cognoſcatur. Nulli ergo, &c. Dat. Peruſii* II. *idus decemb. anno* x. Extant aliæ (h) ad Nidroſienſem archiepiſcopum atque Aſloenſem & Bergenſem epiſcopos exaratæ, quibus ſolerti opera ſervandæ in regno paci, comprimendiſque improborum conatibus, ac tuendæ regiæ dignitati incumbere jubet.

(h) Ep. 291.

XXIII. S. Ludovicus agens in Syria alios Reges ad ferenda auxilia invitat.

Verſabatur adhuc in Terra ſancta Ludovicus Galliarum Rex, cujus ſanctitatem ac virtutes in iis locis divina providentia expoliebat. Urebat illum immenſa amplificandæ religionis cura: adeoque æſtuabat zelo, ut totam vitam in bellicis laboribus pro divino amore conterere, abjectis opulentiſſimi regni deliciis, cuperet. Ex iis locis ſolicitabat Chriſtianos principes, ut in orientalium auxilium proſilirent, utque inter cæteros An-

NOTÆ

[1] AD res Daniæ quod attinet præteriiſſe pigeret Abelem impium Daniæ tyrannum hoc anno ſublatum fuiſſe, qua de re hæc notat anonymus Erfordienſis: *Hoc anno pridie Kal. julii Abel rex Daniæ juſto Dei judicio a Friſonibus occiſus eſt, qui non ſolum germanum fratrem,* ( Henricum ) *ſed multos Lubecenſium civium noviter in dolo peremerat.* MANSI



(a) Par. hiſt. Angl. hoc ann. Normanniam Henrico ſi acceſſerit pollicetur. Galli proceres negant eam provinciam a regno poſſe divelli.

glorum Regem ſtimularet magis, ſcribit Pariſius (a) hanc conditionem ipſi obtuliſſe. Normanniam illi traditurum, ſi cum exercitu cruceſignatorum in Syriam ſe conferret: adeo parum ſua curabat, modo Chriſto novas provincias compararet. Sed addit auctor, Francorum proceres obſtitiſſe: non videri ita magna conſilii maturitate a prædeceſſoribus ſancita facile revocanda, nec rem adeo arduam ſine parium aſſenſu perficiendam: Anglorum Regem jam antea expeditioni ſacræ ſe devoviſſe, atque ad id præſtandum officium ex conſcientia devinciri: demum ſciret Angliæ Rex, prius per horrentes haſtas, ſtrictoſque gladios iter ſibi faciendum, quam Normanniam ingrederetur: atque ita Gallorum perſpecta conſtantia Henricum a cœptis deſtitiſſe.

XXIV. Henricus a Pontifice ad maturandum bellicum apparatum excitatur.

(b) Lib. 10. ep. 182. & 214.

(c) Ead. ep. 182. In clientelam recipitur.

Dum vero Henricus Anglorum Rex expeditionis in Terram ſanctam adornandæ ſpeciem præ ſe ferebat, Innocentius pietatem illius magis excitare, ac ſtudium promovere omnibus modis contendit; adſcivit (b) illum in apoſtolicam clientelam, ac Londonienſem & Ciſtercienſem epiſcopos conſervandæ publicæ paci incumbere, cenſuriſque perturbatores percellere præcepit (c): *Quia Regem tam nobilem, tam præclarum, cujus progenitores inclytos gaudet Eccleſia ſemper habuiſſe devotos, decet dictæ ſedis auxilio ſic protegi, ſic foveri, ut eidem ſuper bonis ſuis nulla indigne irrogetur injuria, vel jactura; ſed ipſa potius illibata maneat, & ſecura conſiſtat; mandamus quatenus eundem ſuper regno, & terris ſuis, juribus ac bonis ejuſdem, quouſque ad propria de tranſmarinis partibus feliciter Deo propitio revertatur, non permittatis ab aliquo moleſtari; moleſtatores aut invaſores, ſeu turbatores ipſius ſuper præfatis regno, terris, & bonis quacunque dignitate vel honore præfulgeant, monitione præmiſſa per excommunicationis in perſonas, & in terras eorum interdicti ſententias, appellatione poſtpoſita, compeſcatis. Dat. Peruſii* XV. *kal. novemb. ann.* x.

XXV. Solemnes ſupplicationes pro eo inſtitutæ.

(d) Ib. ep. 178.

Ad conciliandam illi divinam gratiam, ſolemnes ſupplicationes in Anglia, Hibernia, & Vaſconia indixit; ac viros religioſos preces ad Deum pro felici ſacrorum armorum ſucceſſu fundere imperavit (d): *Cum ad felicem conſummationem tam ardui ſui conſideratione negotii, & aſſumpti hactenus a multis mundi principibus, cognoſcat idem Rex humanam potentiam, niſi divino fulciatur officio, non poſſe ſufficere, quia non in multitudine exercitus eſt belli victoria, ſed fortitudo de cœlo, ac per hoc veſtris aliorumque fidelium orationibus, & aliis Eccleſiæ ſuffragiis indigeat adjuvari; univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus pro ipſo Rege, ac ſocietate ſua ex nunc, & poſtquam ad terram ipſam tranſierint, thus orationum veſtrarum in corde contrito, & humili pure Domino adolentes, ac offerentes veſtrorum vitulos labiorum, inſtetis ſuppliciter apud ipſum proceſſionibus, & litaniis, præcipue diebus dominicis, & feſtivis, ut qui de abundantia pietatis ſuæ merita ſupplicum excedit & vota, ejuſdem Regis & comitivæ ſuæ greſſus feliciter dirigat, & ipſum in propoſito bono corroboret, & conſervet; ac terram, quam ipſe Chriſtus proprio ſanguine conſecravit, prædicti Regis ſtudio mediante de manibus inimicorum crucis eripiens, reſtituat cultui Chriſtiano, votum ejuſdem Regis, & ſequentium eum ad ejus liberationem inſtantium in viam ſalutis æternæ miſericorditer dirigendo. Dat. Peruſii* XIV. *kalend. novembr. anno* x. Præterea Anglicanis, Hibernis, & Vaſconibus præſulibus provinciam impoſuit, (e) ut omnes, qui ſe bello ſacro voverant, ad arripiendum iter accingerentur, excitarent; ac repugnantes, ni ejuſmodi impedimenta occurrerent, ut eorum vota ex ſedis Apoſtolicæ auctoritate differenda permutandave eſſent, cenſuris compellerent.

(e) Ib. ep. 120.

XXVI. Fideles e ſacro ſuggeſto ad induendam crucem incendi juſſi.

(f) Lib. 9. ep. 120. Avenion. epiſc. cruceſignatos alicujus criminis reos abſolvendi poteſtatem committit.

Impoſuit etiam præſulibus, qui eloquentiæ ſacræ laude, atque apud populos auctoritate florebant, provinciam, ut pro concione ſacra auditores ad ſequenda crucis ſigna ac ſuſcipiendam tranſmarinam profectionem excitarent, & incenderent: atque inter cæteros epiſcopo Avenionenſi id munus commiſit pluribuſque prærogativis ad illud cum dignitate exequendum ornavit (f): *Largiendi omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad hujuſmodi prædicationem acceſſerint, certam dierum indulgentiam a quadraginta diebus infra, ſecundum tuam prudentiam moderandam; & abſolvendi, juxta formam Eccleſiæ, manuum injectores in clericos ſæculares, & perſonas religioſas, ac incendiarios eccleſiarum; & diſpenſandi cum clericis, qui ſic ligati facti immemores, vel juris ignari, celebrando divina, ſeu ordines ſuſcipiendo, irregularitatem aliquam contraxerunt, & illegitime natis prædictorum locorum, qui non ſint geniti de adulterio, regularibus, vel inceſtu, & alias ſint honeſtæ converſationis, & vitæ; quod eorum quilibet defectu natalium, quem patitur, non obſtante, poſſit ad omnes ſacros ordines promoveri, & eccleſiaſticum beneficium obtinere; nec non & alia vota, religionis votis exceptis, in votum hujuſmodi commutandi, plenam tibi auctoritate præſentium concedimus poteſtatem: proviſo quod præfati manuum injectores, & incendiarii injuriam, & damna paſſis ſatisfaciant* com-

*competenter, & illos quorum fuerit gravis, & enormis exceſſus, mittas ad ſedem Apoſtolicam abſolvendos. Dat. Peruſii id. febr. an.* IX.

XXVII. Moderabatur tum Hieroſolymitanum regnum Henricus Cypri Rex, cui illius adminiſtratio conſentientibus orientalium votis erat demandata, dum Fridericus, Conraduſve in perfidia perſtarent: quem Pontifex Tuſculani epiſcopi A. S. L. opera monendum ſtuduit, (*a*) ut quaſdam vectigales poſſeſſiones, quæ ad Toſſitum prænobilem civem Januenſem Pontificis conſanguineum, & familiarem pertinebant, reſtitueret. Cum vero idem Rex jura ſua ab epiſcopis, qui cauſas ad forum ſæculare ſpectantes ad eccleſiaſticum avertebant, invadi quereretur patriarchæ Hieroſolymitano provinciam dedit, (*b*) caveret ne quid in ea re novaretur.

(*a*) *Lib.* 9. *ep.* 124.
Vetat Pontifex regia jura ab eccleſiaſticis Syriæ invadi.
(*b*) *Lib.* 10. *ep.* 34.

*Chariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Cypri, & regni Hieroſolymitani dominus nobis ſignificari curavit, quod licet cauſæ, quæ inter viduas & orphanos, ac inter ipſos & alios laicos regni Hieroſolymitani interdum emergunt, de antiqua & approbata, & hactenus pacifice obſervata conſuetudine in ſæculari foro conſueverint terminari; prælati tamen regni prædicti laicos ipſos coram ſe trahunt in cauſam ad viduarum, & orphanorum inſtantiam eorumdem; ipſoſque per excommunicationis ſententiam ſub eorum examine reſpondere compellunt invitos, & cauſas ipſas in eorum curiis terminare, iis ſub quorum juriſdictione laici ipſi conſiſtunt nullatenus monitis, nec etiam negligentibus eiſdem orphanis & viduis, exhibere juſtitiæ complementum, in ipſius Regis non modicum præjudicium, & gravamen; mandamus quatenus dictos prælatos auctoritate noſtra efficaciter moneas, & inducas, ut de cauſis ipſis, quæ ante monitionem, & negligentiam hujuſmodi ad ipſos non pertinent de conſuetudine vel de jure, ſe de cætero nullatenus intromittant, &c. Dat. Peruſii* VII. *kalend. auguſti anno* X.

XXVIII. Quod ad Hieroſolymitani regni ſtatum attinet; ſolicitatus, ut Jonvillæus teſtis oculatus refert, a ſultano Damaſceno S. Ludovicus, (*c*) ut cum eo armorum ſocietatem adverſus Ægyptiarum copiarum præfectos iniret, reſpondit ipſius oratoribus, ſe primum ipſis denuntiaturum num promiſſis ſtare, ac violatas inducias redintegrare vellent, & ſi petita reſpuerent, cum ipſo arma ad ſultani Babylonici vindicandam injuriam conjuncturum. Miſſis itaque oratoribus ad Ægyptios proceres, ut de illatis injuriis expoſtularent, illi facturos ſatis polliciti ſunt, ſi adverſus ſultanum Damaſcenum opera non defuturum ſponderet: ac tum omnes captivos e vinculis laxavere. His vero non contentus pius Rex flagitavit, ut ſibi Chriſtianorum capita, quæ a Monfortii, & Barenſis comitum cladis tempore pro mœnibus Gazarorum affixa pendebant, una cum omni juventute, quam terroribus ad fidem Chriſti abjurandam adegerant, mitterentur: tum ducenta millia auri pondo, quæ nondum erant perſoluta, remitterent. At Ægyptii petitis omnibus aſſenſere, ac miſſis oratoribus convenere, ut Joppe de ineundo fœdere agitaretur. Sultanus vero Damaſcenus copias, ut Ægyptiis iter Joppenſe impediret, immiſit: & contracto maximo exercitu in Ægyptum irrupit; commiſſoque prælio cruentiſſimo, in quo altera Damaſcenorum acies ab Ægyptiis cæſa, Ægyptiorum vero altera deleta a Damaſcenis, ſultanus graviſſimis vulneribus exceptis ſaucius Gazaram ſe recepit. Cum Ægyptii belli exitum pertimeſcentes, miſſis oratoribus pacem cum ſultano pepigere: atque ita ſanctus Rex ab utraque parte deluſus pacis induciarumque beneficio potiri non potuit.

(*c*) *Jonvil. hiſt. S. Lud. p.* 2.
Sultanus Damaſcenus S. Lud. de fœdere interpellat. Quid ab ipſo reſponſum.
Quas leges Ægyptiis ipſius amicitiam ambientibus impoſuerit.
Damaſcenus Ægyptiis oratoribus iter ad S. Lud. abrumpit. Cruento prælio cum Ægyptiis dimicat. Sarraceni inter ſe pacem coeunt. S. Lud. ab utraque parte deluſus.

XXIX. Dum ſanctus Rex incredibili traducendæ in ſanctis locis reliquæ vitæ, religioniſque amplificandæ cupiditate arderet, Regina Blanca ipſius mater, cui regni adminiſtrationem crediderat, extremo hoc anno occubuit. Cujus egregia elogia Gaufridus e Belloloco his verbis delibavit: (*d*) *Solerti providentia matris ejus, quæ tota virago ſemper extitit, & fœmineæ cogitationi ac ſexui maſculinum animum jugiter inferebat, perturbatores regni ſemper confuſi ſuccubuerunt. Nec prætereundum de quodam religioſo, qui a falſis relatoribus audierat, quod dominus hic Rex ante matrimonium ſuum concubinas habebat, cum quibus quandoque peccabat conſcia, vel diſſimulante matre ſua. Quod cum ille religioſus cum multa admiratione, quaſi eam redarguendo, dominæ Reginæ dixiſſet; illa ſuper hac falſitate ſe & filium humiliter excuſavit, verbum laudabile ſubinferens, videlicet, quod ſi dilectus filius ſuus Rex, quem ſuper omnes creaturas mortales diligebat, infirmaretur ad mortem, & diceretur ei, quod ſanaretur, ſemel peccando cum muliere non ſua, prius permitteret ipſum mori, quam ſemel peccando mortaliter ipſum offendere creatorem. Hoc ego ab ore ipſius domini Regis audivi.*

(*d*) *Gaufr. e Belloloco in vit. S. Lud. c.* 4.
Regina Blanca prius filium Regem morti quam peccato ſuccumbere optat.

Non minus eximia virtutum exempla in ancipiti mortis vitæque lucta illam explicuiſſe, quam in proſpera valetudine, indicat Pariſius, qui hæc de extremo illius vitæ actu ſcribit (*e*): *Videns mortem imminere, corpus ſuum legavit ad ſepeliendum domui ſanctimonialium apud Pontoyſe, quam ipſa a fundamentis magnifice conſtruxerat. Facta eſt autem ſanctimonialis profeſſa velata ante mortem: & ſupra velum appoſita eſt corona, & veſtita eſt reginaliter, & ſic ſepulta eſt, ut decuit, redimita.* Quibus verbis auctor indicat, quod alii plures teſtantur, ipſam lethali implicitam morbo religioſæ vitæ ſe devoviſſe: ſive etiam, ut contendunt alii, ſe ſe illi antea addixiſſe, atque inter cæteras moniales Ciſtercienſes, quibus Pontiniaci ædes regia magnificentia excitarat, nomen dediſſe. Cæterum diſceſſiſſe e vivis affecto jam ac devexo anno nimirum kal. decembris tradit pariſius.

(*e*) *Par. hiſt. Angl. hoc an.*
Pia illius mors. Sanctimonialium diſciplinam amplectitur.



XXX. Quantum vero amantiſſimæ matris obitus nuntius in Syriam ſequenti anno delatus S. Ludovico dolorem attulerit vix credi poteſt (*a*). Sed tamen ne excreſceret nimium, Chriſtiana conſtantia frænavit, preceſque apud Deum pro ipſius anima, ſi quæ forte illius noxæ in igne purgatorio expiandæ eſſent, effudit: hæc vero ſatius fuerit ex Gaufrido e Belloloco (*b*) decerpere, qui ubi in Joppenſium murorum inſtauratione occupatum, Odonemque A. S. L. Cardinalem ad lugubrem nuntium ſolatiumque afferendum acceſſiſſe deſcripſit, ſubiicit: *Attendens Rex gravem legati faciem, cognovit, quod aliquid triſte dicere ſibi vellet. Duxit itaque vir Deo plenus legatum & nos de camera in capellam ſuam, quæ cameræ erat conjuncta, & clauſis cameræ oſtiis, ſedit coram altari, & nos cum eo. Tunc legatus prudenter expoſuit varia & magna beneficia, quæ divina bonitas ſibi abundanter contulerat ab ineunte puerili ætate: inter alia autem, quod per gratiam ſuam ſibi providerat talem matrem, quæ ipſum tam catholice inſtruxerat, & tam fideliter; tamque prudenter tractaverat, & adminiſtraverat negotia regni ſui. Subjuncto poſt modicum cum ſingultu & lacrymis dictæ Reginæ obitu, tam damnoſo tamque plangendo; Rex catholicus, ejulans alta voce & in lacrymas reſolutus, coram altari genua flexit; & manibus junctis, ac devotiſſime plorans ait: Gratias ago tibi domine Deus, qui dilectiſſimam matrem ac dominam, quamdiu bonitati tuæ placuit, mihi commodaſti: & nunc Domine per corporalem mortem eam tibi ſecundum tuum beneplacitum accepiſti. Verum eſt Domine quod ego nuper eam ſuper omnes mortales creaturas, prout bene meruerat, diligebam: ſed ex quo beneplacitum eſt ante te, ſit nomen Domini benedictum in ſæcula, amen.* Et infra ubi auctor expoſuit illum magno pietatis ſenſu divinum officium, remotis arbitris, in oratorio pro defunctæ matris anima exolviſſe, ſubjungit: *Fidiſſimus filius extitit animæ piæ matris: nam infinitas miſſas, & multiplicium orationum devota ſuffragia in religioſorum collegiis impetravit. Item & ex tunc quotidie ſpecialem miſſam voluit celebrari, niſi diebus dominicis, & feſtis præcipuis. Poſtmodum manſit adhuc in Terra ſancta pluſquam per annum; nam, peracta inſtauratione murorum Joppenſium, ivit ad ædificandos muros fortes in circuitu civitatis Sidonienſis.* Ut porro ad repetendas Gallias S. Regem ob Reginæ Blancæ exceſſum temporum neceſſitas coegerit, ſuo loco dicetur.

(*a*) *Jonvil. in hiſt. S. Lud. p.* 2.
(*b*) *Gaufr. e Belloloco in vit. S. Lud. Nang. de geſt. S. Lud.*
Acerbe illius mortem plangit S. Ludovicus.
Ipſius diligentia in conciliandis ipſi precum ſuffragiis.

XXXI. Addenda hic videntur cætera quæ ad res Gallicas pertinent. Excindere ſtuduit Innocentius barbarum ac ferinum morem, monomachiam nimirum, qua interdum controverſiæ dirimebantur; atque ex gladiatoria ethnicorum arte, non ex ratione prima cauſarum argumenta petebantur. Extant enim literæ pontificiæ, (*c*) quibus ab ea execranda conſuetudine eccleſiaſtici eximuntur.

Barbarus monomachiæ mos in Galliis inolitus.
(*c*) *Lib.* 10. *ep.* 25.

*Archiepiſcopis & epiſcopis, abbatibus, prioribus, & aliis eccleſiarum prælatis, & capitulis, ac eccleſiaſticis perſonis univerſis in regno Franciæ conſtitutis.*

*Conſuetudo quædam, quin potius corruptela in pleriſque locis regni Franciæ, ut accepimus, inolevit, quod videlicet quando eccleſiarum homines de corpore ad alienum dominium ſe convertunt, ſi eos veſtrum aliqui, quorum ipſi ſunt homines, forte conveniant coram judice competenti, neceſſe habent ſuam per duellum intentionem fundare; alioquin ab actione propoſita repelluntur, licet per teſtes, vel alia documenta intentionem ipſam velint & valeant legitime comprobare.*

Damnatur ab Innocentio.

*Cum igitur clerici abſque ſui ordinis periculo duella ſuſcipere nequeant, vel offerre pro eo, quod ſive per ſe, ſive per alios in duello pugnaverint, ipſos ab executionis ſacrorum ordinum canonicæ conſtitutionis ſeveritas alienat; nos huic pravæ conſuetudini remedio, quo poſſumus, obviare volentes, & duellorum præſertim, cum de rebus eccleſiaſticis agitur, penitus interdicentes abuſum, quo Deus tentatur, & veri ſæpius judicia pervertuntur; ut in quibuſlibet judiciis omni probationum genere a jure conceſſo liceat vobis uti, prædicta conſuetudine non obſtante, auctoritate vobis præſentium indulgemus; edicto perpetuo ſtatuentes, ut ſi aliquibus veſtrum in quibuſlibet caſibus defendere per duellum recuſantibus cauſam ſuam, aut in hujuſmodi reprobo probationis genere ſuccumbentibus, propter hoc contra tales ſententia, ſeu executio quæcumque proceſſerit, eadem & quicquid ex ea ſecutum fuerit, vel ob ipſam, nullius penitus ſit momenti. Nulli ergo, &c. Dat. Peruſii* x. *kal. aug. anno* x. Extant aliæ (*d*) proximo anno datæ in eandem ſententiam ad Senonenſem archiepiſcopum, quibus illam monomochiam reprobum probationis genus pariter vocat.

Clerici legum æquitate non ſingulari certamine ſua jura perſequi juſſi.
(*d*) *Ib. ep.* 327.

XXXII. E Gallicis rebus ad Hiſpanicas nos conferimus. Corripuerat recenter Caſtellæ ac Legionis ſceptra Alphonſus: qui cum præ-

Alphonſus Rex Caſtell. & Legionis Africanæ expeditioni incumbit. Ineundi cum Sarracenis aliquibus fœderis poteſtatem obtinet.

claro aliquo facinore regni auſpicia ornare, atque inſignire cuperet bellum in Africam traducere eſt meditatus: utque rem ſuam ex Sarracenorum diſcordia augeret, amplificaretque Chriſtianum nomen, cum nonnullis barbaris fœdus pepigit, aliis bellum intulit. Extant enim Innocentii ad ipſum literæ (*a*) IV. non. octob. anno pontificatus x. datæ, quibus ea fœdera cum Sarracenis ineunda, quæ ad Dei gloriam & Eccleſiæ honorem redundent, confirmaturum pollicetur: eodemque die Carthaginenſi & Zamorenſi epiſcopis ſignificavit (*b*) ut Regi contra Africanos Sarracenos profecturo viros religioſos ad ſacramenta conferenda ſubſidio mitterent, clericique illius caſtra ſequi permiſit in tam pia cauſa, in qua de proferendis Chriſtiani imperii limitibus & comparandis Eccleſiæ novis ſubditis agebatur; tum nonnullis privilegiis expeditionem ſuſcepturos, ſuiſve opibus adjuturos munivit. Datis aliis litteris (*c*) ad eoſdem epiſcopos munus commiſit, ut qui uſurarii, aliive qui in alienas opes graſſati eſſent, pœnitentia ducti, in divinam gratiam redire cuperent; nec perſonæ extarent, quibus ſua reſtitui poſſent; eam auctoritatem ſacerdotibus, quos Rex deſignaret, conferrent, ut ea bona in ſacræ expeditionis ſumptus ac ſtipendia derivare poſſent.

(*a*) *Ib. ep.* 157.
(*b*) *Ep.* 172.
(*c*) *Ep.* 173.

XXXIII. Antequam ex Hiſpanicis rebus digrediamur, adjungimus Innocentium, juſtitiæ zelo incitatum, in Pontium epiſcopum Urgellenſem maximorum criminum infamia aſperſum inquiri juſſiſſe (*d*) eamque provinciam Raymundo e Pennaforti ordinis Prædicatorum, cujus ſanctitas Aragoniam illuſtrabat, ac Minoritarum magiſtro impoſuiſſe: tum omnia quæ epiſcopus in archidiaconum & canonicos, qui ipſum apud ſedem Apoſtolicam in judicium vocarant, geſſerat, reſcidiſſe, ut exemplum ſeveritatis in eo ſtatueretur. Diſcrepabat longe ab ejus epiſcopi obſoletis moribus Ægidius SS. Coſmæ & Damiani Cardinalis, qui antequam ex Burgenſi eccleſia inter purpuratos patres adſciſceretur, optimas leges ad probe inſtituendos canonicos ac perpoliendos virtutibus tulit: quibus Innocentius apoſtolicum robur hoc anno adjecit (*e*). Ut enim eccleſiaſticorum, qui dignitatem turpibus moribus fœdabant, eſt inſectatus; ita alios, qui ipſam vitæ ſanctitate ornabant, tum religioſos viros, ac prærogativis ſingularibus, ut ejus oſtendunt literæ eſt complexus. Stephanum etiam archiepiſcopum Turritanum Sardiniæ & Corſicæ creatum legatum hoc privilegio honoris affecit (*f*): *Cum tibi in Sardinia, & Corſica conceſſerimus plenæ legationis officium, ejuſdem officii plenitudine in omnibus fungi te volumus, quam prædicti noſcuntur Apoſtolicæ ſedis legati, qui de noſtro latere tranſmittuntur, prærogativa gaudentes, præ aliis potiri. Dat. Peruſii* II. *non. ſeptemb. an.* x.

(*d*) *Lib.* 9. *ep.* 156.
(*e*) *Ib. ep.* 287.
(*f*) *Lib.* 10. *ep.* 105.

Stephanus arch. Turritan. creatus in Sardinia legatus.

Ne vero ſanctitatis flos, qui tunc in nonnullis religioſis ordinibus emicabat, temporum injuria emarceſceret, omnia quæ illum labefactare poſſent ſubmovere ſategit. Hæc enim ad frænandam ambitionem eorum, qui ex S. Dominici ſodalitio irreperent ad honores, dato ad Dominicanæ familiæ magiſtrum diplomate, ſanxit (*g*).

(*g*) *Lib.* 10. *ep.* 20.

XXXIV. Religioſorum dignitates affectantium ambitionem coercet Pontif.

*Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum aliqui fratres tui ordinis in aliquibus eccleſiis in epiſcopos eliguntur, vel etiam poſtulantur, iidem fratres, licet proprium velle non habeant, aut nolle pro eo quod renunciaverunt mundo & propriæ voluntati, & per ſe nequeant conſentire; tamen irrequiſitis prioribus ſuis provincialibus, quorum licentia, & teſtimonium eſſent in talibus requirenda, interdum electionibus, ſive poſtulationibus de ſe factis temere conſentiant, & locorum archiepiſcopi fratres ipſos aſſumere in epiſcopos, ac ordinare præſumunt, propter quod plerumque in eodem ordine ſcandalum generatur, ſuper quo provideri per ſedem Apoſtolicam humiliter poſtulaſti. Quia vero prædictum ordinem, cum ſit rectæ vitæ ſpeculum, & ſalutiferæ converſationis exemplum, ſemper de bono in melius cupimus, Deo propitio, proſperari, auctoritate præſentium de ſpirituali gratia diſtrictius inhibemus, ut nulli præfati ordinis fratres, ſi eos in epiſcopos eligi, aut poſtulari forte contigerit, electioni, ſive poſtulationi de ſe factæ audeant conſentire; nec aliquis archiepiſcopus, ſeu quicumque alius prælatus, vel etiam legatus ſedis ipſius dictos fratres, niſi de tua, vel ipſorum priorum provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia & conſenſu, aut ſedis ejuſdem ſpeciali mandato, nomen promovendi fratris ſpecialiter exprimente, ad epiſcopatus, vel alias dignitates extra dictum ordinem aſſumere, vel ordinare præſumat, &c. Dat. Peruſii idib. julii anno* x.

Simillimum antea diploma ad continendam ordinis Minoritarum diſciplinam, (*h*) ac frangendam adipiſcendarum eccleſiaſticarum dignitatum cupiditatem Franciſcanorum magiſtro conceſſerat, quod P. Lucas Wadinghus (*i*) in ſuos annales retulit, aliaque ad ſacrum illum ordinem ſpectantia adducit Ad hæc pertinet Innocentii aliud diploma, quo ad ſacræ religionis Chartuſianorum ſplendorem tuendum, prioribus, qui ad ſolemnia comitia confluxerant VII. kal. decembris ſequenti anno exarato, editam juſſu ſuo ab I.. Cardinale conſtitutionem confirmavit (*k*).

(*h*) *Lib.* 9. *ep.* 246.
(*i*) *Vvadin. annal. Min. to.* 2. *hoc ann. n.* 22.
(*k*) *Lib.* 11. *ep.* 726.

XXXV. Suſcepit etiam magno ardore Cluniacen-

cen-



Cluniacenſes protegit.

cenſium clientelam, quorum nonnulla bona a regiis adminiſtris ob non ſolutas trium annorum decimas occupata cum eſſent, dum abbas in Anglia conſcio Rom. Pontifice verſabatur, Innocentius apud S. Regem queſtus eſt, (*a*) atque ad defendenda eorum jura hæc inter cætera de illius monaſterii privilegiis pervetuſtis ſcripſit: *Sane tuam excellentiam credimus non latere, quod Cluniacenſe monaſterium, quod inter alia monaſteria regni tui nobile, & prædives habetur, florens in ſpiritualibus, bonorum temporalium ubertate refertum, cum villa Cluniacenſi, caſtro de Lordun. & aliis ipſius pertinentiis conſiſtentibus infra cruces, & metas poſitas circa ipſum; Eccleſiæ Romanæ juris, & proprietatis exiſtit, ac ea gaudet per privilegia Romanorum Pontificum libertate, ut nullus mortalium, Imperatorum ſcilicet, regum, ducum, comitum, marchionum, archiepiſcoporum, vel epiſcoporum, aut quæcumque perſona in idem monaſterium, vel ejus pertinentias poteſtatem aliquam poſſit, vel audeat exercere; ſeu poſſeſſiones, terras, & caſtra, vel alia bona ejus infra cruces, & metas exiſtentia ſupradictas auferre, capere, invadere, vel tenere: quod ſi quiſquam præſumpſerit, anathema ſit apoſtolicæ maledictionis transfoſſus aculeo, & excommunicationis vinculo innodatus, nec poteſt ſuper hoc, niſi per condignam ſatisfactionem benedictionis, vel abſolutionis gratiam promereri.*

(*a*) *Lib.* 9. *ep.* 161.

Illorum inſigne privilegium.

XXXVI. Puer bimulus miracula patrat.

Abſolvemus hujus anni periodum Pariſii (*b*) verbis, qui narrat puerum bimulum patrandorum miraculorum munere a Deo donatum plura prodigia explicuiſſe: *Ipſo quoque anno erat quidam infans, qui in feſto exaltationis ſanctæ crucis bimatum in ætate expleverat, in villa Canciæ, quæ Eſtanes dicitur, juxta Dertheford, neſcitur qua virtute, mirabilia operabatur. Pater autem pueri Vvillelmus Crul dicebatur: mater autem Eſtachia; puer autem nomine patris Vvillelmus nuncupabatur. Hic puer, facto per aliquem etiam aſſiſtentem crucis ſignaculo, & nominato infirmo, curabat omnes languentes, gravi licet infirmitate detinerentur. Propter quam gratiam omnes infirmi de vicinis partibus ad ipſum ob gratiam recuperandæ ſanitatis confluebant, nec a ſuo, quod mirum erat, deſiderio fruſtrabantur. Mater autem ejus requiſita, unde hoc tali infantulo? reſpondit ſe ſuper hoc adhuc gravidam fuiſſe, & etiam poſt partum ſe ſuper hoc divinitus præmunitam. Sed quia hoc mirabile diu non perduravit, ſed diatim in effectu ſuſcepit diminutionem, letheæ traditum eſt poſt pauca temporis ſpatia tam incuriæ, quam oblivioni.* Dicta a Pariſio non aliena a veritate cenſebit, qui ea, quæ theologi de gratiis gratis datis ex Apoſtolo (*c*) ediſſerunt perpenderit.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(*c*) 1. *ad Cor.* 12.

Recru-

I. Conradus Sicilia potitur.

RECruduit Fridericiana perſecutio in filio Conrado, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio, indictione undecima, qui non modo parentis immanitatem æquare, ſed ſuperare viſus Apuliam, Siciliamque rapida victoria ſubegit, Neapolim, Beneventum, & Capuam, quæ pontificiæ clientelæ ſe addixerant, arctiſſima cinctas obſidione ad deditionem compulit, nulliſque concordiæ legibus ſervatis mœnibus exuit. Quos felices Conradi, quem ſtipabat Manfredus, progreſſus anonymus auctor ipſius Manfredi ſtudioſiſſimus, ita deſcribit (*a*): *In terra Laboris Rex*, de Conrado loquitur, *civitates Aquini, Sueſſæ, S. Germani, pluraque vicina caſtra, quæ per Regis adventum rebellaverant, vicit. Civitatem quoque Capuanam, & quodammodo Neapolitanorum obſidionibus terra, marique ordinatis, machinis quoque circumcirca diſpoſitis; cavis etiam ſubterraneis ad murorum everſionem & foſſis, ad deditionem coegit, magnaque victoria ex illarum civitatum deditione Rex illuſtratus eſt*. Conſentit huic auctori chronicon Cavenſe, (*b*) in quo cum geſtarum rerum tempora accuratiſſime conſignentur, illius verba ad rem illuſtrandam adjungenda viſa ſunt: *In hoc anno omnes terræ, quæ rebellatæ fuerant Conrado Regi, reverſæ ſunt ad eum præter* Neapolim: *unde iratus congregavit totum regnum, & obſedit eam* XVIII. *junii a mari & a terra, & circumdata eſt civitas viriliter, & fecit contra eam multas machinas, & exquiſita ingenia. Decimo itaque die intrantis menſis octobris, cogente eos fame ſimul & exercitu, reverſi ſunt ad eum, & præcepit Rex & deſtruxerunt murum ejus per circuitum uſque ad ſolum, & multos ex eis exiliavit. Similiter fecit Capuæ*. Partas etiam has a Conrado victorias referunt Pariſius, (*c*) & alii: quamvis aliqui aut nullo certo anno conſignet, vel in alium conferant.

(*a*) *Anony. auct. MS. de rebus Manfredi.*

(*b*) *Chron. Caven. MS.*

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Adverſantes ſibi opprimit.

Elatum tantis ſucceſſibus Conradum, viros pios ac probos, Pontificis ſtudioſos, bonis ſpoliatos in exilium pepuliſſe; quos Innocentius perhumaniter excepit, exiliique ipſorum incommoda permulcere paterna providentia ſategit; oſtendunt ipſius literæ, (*d*) devexo jam anno, electo Neapolitano datæ, quibus ipſi provinciam tradit, ut cives Neapolitanos, quos tyrannus patria deturbarat, colligeret, eorumque malis mederetur. Quamobrem Sabinenſis epiſcopatus illi adminiſtrationem concredidit, eodemque argumento Sabinenſi clero ſcripſit, (*e*) ut epiſcopatus obventiones ad levandam exulum inopiam derivaret. Portuenſem quoque eccleſiam electo Beneventano adminiſtrandam commiſit, (*f*) ut exulum Beneventanorum egeſtati opitularetur.

(*d*) *Lib. 11. ep. 303.*

(*e*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*f*) *Ib. ep. 327.*

II. Externa auxilia implorat Innocentius.

At ne Conradus reliquos clientes Eccleſiæ perderet, Innocentius ad frænandam illius principis tyrannidem, cum Italia ſuſtinendo bello civili non ſufficeret, externa auxilia imploravit & Carolo Andegaviæ, & Provinciæ comiti Siciliam e Conradi manibus eripiendam obtulit, qua de re ſubjectæ ad eum literæ exaratæ.

*Nobili viro Carolo Andegaviæ, ac Provinciæ comiti in perpetuum.*

Albertum notarium in Gallias legatum mittit.

*Dum adverſitates, & pericula, quæ paſſa eſt hactenus Eccleſia per regnum Siciliæ, Apoſtolicæ ſedis peculium ſpeciale, recolimus; dum non ſuperflua meditatione penſamus quot, & quantis, & quam inexcogitatis offenſionum modis quondam Fredericus dudum Imperator, ipſius regni tunc feudatarius, & contrectator iniquus, turbabat per nequitiam propriam, & regni ejuſdem incredibilem opulentiam, totum orbem; apparet protinus, quod de regno ipſo, quo inter alia prædictum Fredericum, ſacro approbante concilio, privavimus, ad Rom. Eccleſiam devoluto, ſic diligenti deliberatione præhabita, ordinare nos convenit; ut cum idem regnum, ſi bonus ibi Rex fuerit, ſit in ſe regnum pacis, talis præficiatur ibidem, de quo nulla poſſit haberi ſiniſtra ſuſpicio, ut intervertant ſubitæ divitiæ mentem ejus: quin potius plena de ipſo per approbatam experientiam geratur fiducia, ut tanquam aurum in fornace probatum, non quærat quæ ſua ſunt; immo tamquam Chriſti verus athleta deſideret, ut per hoc Deo thurificet, obſequatur Eccleſiæ, ac ſerviat, ſedatis ubique diſcordiis, earum obſtructa, vel verius exſiccata radice, cuncto Chriſtiano populo, & maxime Terræ ſanctæ, quæ niſi per idem regnum ſuccurratur eidem, vix aut nunquam poterit de Sarracenorum manibus liberari.*

Offertur Sicilia ab Innoc. Carolo Andeg. & Provinciæ comiti.

*Super iis itaque cum fratribus noſtris opportuna & neceſſaria deliberatione tractantes, dum de multorum idoneitate quis foret præferendus regno tam opulentiſſimo conferremus; nolentes a noſtris recedere, nec noſtra ad extraneos derivare; evidenti & manifeſta ratione comperimus, quod tu, quem ſemper invenimus ad beneplacita noſtra paratum, & in negotiis Eccleſiæ non remiſſum; cujuſque progenitores a longis retro temporibus fide ferventes, devotione ſinceri Eccleſiam de proprio multis opibus, & libertatum privilegiis ampliarunt; ad tantum dignoſceris faſtigium merito attollendus. Ut igitur te tanquam Eccleſiæ Rom. ſpecialem filium, & ſingulare ſignaculum, ac in perſona tua chariſ-*





*riſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Franciæ illuſtrem fratrem tuum, quem præcipua inter alios prærogativa favoris proſequimur, cum ſe offert opportunitas, exaltantes promoveamus, utpote benemeritum, ad coronam; dilecto filio magiſtro Alberto notario noſtro A. S. L. quem dudum propter hoc ad tuam præſentiam deſtinavimus, concedendi tibi tuiſque heredibus regnum Siciliæ, & totam terram, quæ eſt citra pharum, cum omnibus juribus, juriſdictionibus, honoribus diſtrictibus, & pertinentiis ſuis, excepta civitate Beneventana cum omnibus juribus, diſtrictibus, & pertinentiis ſuis, in feudum libere, ſub conditionibus ſub bulla noſtra contentis; teque noſtro & Eccleſiæ Rom. nomine inveſtiendi de prædictis regno & terra, cum ſolemnitate, quæ deſideratur in tanto negotio; ac obligandi nos, & Eccleſiam Romanam ad prædictas conditiones ſervandas, & recipiendi a te obligationem, noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine de ſervandis eiſdem; plene de fratrum noſtrorum conſilio concedimus auctoritate præſentium facultatem. Dat. Aſſiſii* II. *id. jun. indict.* XI. *an.* X.

III. Miſſo in Gallias Alberto notario, quem legati Apoſt. dignitate auxit (*a*) munus illi demandavit, ut cum Andegavenſi comite Carolo, de Sicilia fiduciario illi jure tradenda, ageret; illique conditiones, quæ ipſi exponendæ eſſent, diplomate apoſtolico contentas commiſit (*b*).

(*a*) *Lib. 10. ep. cur. 39.*

(*b*) *Ib. ep. cur. 40. & 53.*

Quæ donationi leges adjectæ.

*Iſtæ ſunt conditiones petendæ in conceſſione regni Siciliæ, ducatus Apuliæ, Capitinatæ, & Calabriæ, ac principatus Capuæ, & totius terræ, quæ eſt citra pharum uſque ad confinia terrarum Eccleſiæ in feudum; excepta civitate Beneventana cum juribus, & diſtrictibus ſuis; nobili viro Carolo Andegaviæ, ac Provinciæ comiti per magiſtrum Albertum domini Papæ notarium legatum ſedis Apoſt. facienda, ſuper quibus concordatum eſt hinc & inde.*

Obliganda a comite Pontifici fides.

*In primis idem comes in ipſa conceſſione præſtabit eidem legato, recipienti nomine domini Papæ & Eccleſiæ Romanæ juramentum fidelitatis. Eidem domino Papæ faciet homagium ligium, cum fuerit in ejus præſentia; & tam ipſe, quam heredes ſui legitimi regnum & terras prædictas tenebunt a domino Papa & Eccleſia Romana in feudum. Ita tamen quod ſi contingat regnum ad feminam devenire, illa non nubat adverſario Eccleſiæ, nec Imperatori, aut filio ſeu fratri ejus, aut alii, de cujus electione ad Rom. Imperium ageretur, abſque conſenſu domini Papæ & Eccleſiæ Romanæ.*

Si ad fœminam regnum perveniat hoſtem Eccleſiæ virum non ducat.

Sicilia cum Imperio amplius non conjungenda.

*Item regnum Imperio nullo modo ſubdetur, ſeu ſibi unquam tempore in eadem perſona aliquatenus unietur.*

Improbæ leges a Frider. & Conrado latæ revocandæ.

*Item revocabit omnes conſtitutiones, ſeu leges per quondam Fridericum dudum Imperatorem, vel Reges Siciliæ, ſive per Conradum ipſius filium editas contra eccleſiaſticam libertatem: & in juramento fidelitatis, quod præſtabit, addetur quod privilegia Apoſtolicæ ſedis a Regibus, & principibus, vel aliis Chriſti fidelibus conceſſa ſuper regno, aut rebus ſitis in ipſo, illibata ſervabit: alia vero privilegia, æquitatem continentia, ſervabit: nec ſtatuta, vel conſtitutiones aliquas edet, aut etiam promulgabit, per quæ juri, vel libertati eccleſiaſticæ derogetur.*

Prælatorum electiones libere celebrandæ.

*Item electiones, proviſiones, poſtulationes, & confirmationes cathedralium eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum locorum religioſorum, tam in prælatis, quam clericis, & aliis perſonis eccleſiaſticis libere fiant, ſecundum quod canones mandant & maxime ſtatuta concilii generalis. Denunciatio tamen mortis prælati Regi fiat ſi fieri conſuevit: ſed ejus conſilium, vel cenſenſus in prædictis non requiratur, nec ante electionem, nec poſt electionem.*

Eccleſiaſtici ſuis ſedibus reddendi.

*Item reſtituantur omnes epiſcopi, & alii prælati & clerici, & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ ad ſedes, & loca ſua.*

Jura occupata reſtituenda.

*Item reſtituet quicquid occupatum eſt hactenus per Fredericum, & miniſtros ſuos, ſeu alios quoſcunque de caſtris, juribus, poſſeſſionibus, hominibus, cujuſcumque conditionis exiſtant, & aliis rebus immobilibus & mobilibus, quæ extent & ad manum ſuam, vel ſuorum devenerint, vel ad eos qui erunt in ſua poteſtate, prælatorum, Templariorum, Hoſpitalariorum, & aliorum religioſorum, eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum. De occupatis autem per Reges Siciliæ ab antiquo juſtitia plena ſit.*

*Item generaliter omnes de regno, vel extra regnum, cujuſcumque conditionis exiſtant, vel ordinis; ſive mares, ſive feminæ ſive civitates, ſive caſtra, ſive quæcunque loca Eccleſiæ adhærentes, ad quos aliqui in eodem regno de jure pertineant; recipiet ad gratiam ſuam, ipſoſque affidabit, niſi poſtquam regnum receperit ei; vel regno ſuo adverſentur: & eis omnia bona ſua ſtabilia, & mobilia, quæ extant, & ad manum ſuam, vel ſuorum devenerint, vel ad eos, qui erunt in ſua poteſtate, plene reſtituet & bona eis impoſita ad voluntatem domini Papæ relaxabit.*

Pro inſtaurando hac vice Benevento opera conferenda.

*Item pro civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponet pro lignaminibus omnia nemora regni, & omnem materiam ad ædificia opportuna, puta lapides, arenam, quæ puteolana vocatur, cæmentum, & ſimilia abſque juris præjudicio ſingularium perſonarum, ad unam dietam prope Beneventum; præſtabit eis ſecuritatem per totum regnum, niſi in terra ſua de novo delinquant, propter quod ad ipſum de jure juſtitia pertineat. Privilegia quoque prædictæ civitati a Regibus & principibus conceſſa illibata ſervabit. O-*

omnia ſtatuta per Fredericum, ſeu quoſcumque Reges Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejuſdem revocabit, & in omnibus, & per omnia, quoad ea quæ libertatis fuerint, cæteris regnicolis parificabit eamdem: nec aliqua ſtatuta, ſeu leges condet in poſterum, per quæ civitati eidem directe, vel indirecte, poſſit præjudicium generari: nec e converſo eadem civitas condet vel ſtatuet aliqua, per quæ Regi vel regno præjudicium generetur. Et pro Apoſtolicæ ſedis, & B. Bartholomæi reverentia ipſius civitatis patroni, fidancias ab omnibus remitti faciet, & remittet eiſdem. Fidanciarum remiſſio eſt conceſſio libertatis, ut cives Beneventani poſſint libere proprias terras, & vineas excolere, earumque fruges, & fructus colligere, ac eaſdem terras, & vineas vendere, & de ipſis ad ſuam voluntatem diſponere ſine aliqua exactione vel munere, ſeu datione.

Quinto quoque anno equus offerendus.

Item in quolibet quinquennio dabit Rex domino Papæ unum palafridum album, pulchrum, & bonum in recognitionem veri dominii regni ejuſdem.

Nullus ſpurius in regno ſucceſſurus.

Item in regnum ipſum nullus ſuccedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Imminente feſto SS. iter a comite arripiendum.

Item idem comes uſque ad feſtum omnium ſanctorum proximo venturum perſonaliter, viriliter & potenter cum exercitu iter arripiet ad negotium proſequendum: & ſiquidem humanitus de ipſo contingeret, unus, vel duo capitanei, viri ſtrenui & potentes in forti manu nomine filii, vel filiæ teneantur ad omnia, & ſingula ſupradicta.

Beneventum Eccleſiæ reſtitutum iri.

Item Beneventum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Eccleſiæ remanebit.

Heredes regni in minori ætate cuſtodiæ ſedis Ap. committendi.

Item heredes, qui non erunt legitimæ ætatis, ſi pater præmoreretur, in cuſtodia Rom. Eccleſiæ remanebunt: ita quod expenſis neceſſariis pro herede, & cuſtodia terræ deductis, reſiduum convertatur in utilitatem heredis, & conſervetur, niſi Rex aliud ordinaverit. De proventibus regni cuſtodia non fiat * quod prædictus legatus cum eodem comite ordinabit. Poteſtas autem collocandi in matrimonium heredem pertinebit ad amicos propinquiores cognatos aut ad illum vel illos, quibus Rex duxerit committendum; ſalvis omnino conventionibus ſupradictis.

* niſi

Nunquam fœdus cum hoſtibus Eccleſiæ coeundum.

Item nullam confœderationem, ſeu pactionem, vel ſocietatem faciet cum aliquo Imperatore, vel Rege, ſeu principe, vel barone, Sarraceno, Chriſtiano, vel Græco; aut provincia, ſeu civitate, communitate, vel loco extra regnum ſuum contra Rom. Eccleſiam, vel in damnum Eccleſiæ.

Revocandi exules.

Item exultantes pro Eccleſia reſtituantur ad propria, & debita jura ſua in eodem regno exiſtentia.

Captivi eccleſiæ clientes aut fœderati in libertatem vindicandi.

Item reſtituet omnes captivos, & obſides, qui tenentur in regno, Romanos, regnicolas, & alios de terra Eccleſiæ, Tuſcos, Lombardos, & illos de Tarviſina marchia libertati bona fide pro poſſe ſuo. Super comitatibus vero Fundano, & Sorano, & Salpien. & Treſſant. nec non & aliis, ſi quæ ſunt in regno, Eccleſiæ Rom. aut aliis Eccleſiæ Rom. fidelibus, & Regibus, & principibus conceſſa, ſalvum ſit jus Eccleſiæ Romanæ ac ipſorum fidelium omnino: nec per regni conceſſionem comitatuum ſeu conceſſorum eorumdem cuiquam, quoad proprietatem, ſeu poſſeſſionem, præjudicium generetur; regio in iis omnibus jure ſalvo.

IV. Conditiones quas Pontifex negavit temperandæ.

Iſtæ infraſcriptæ ſunt conditiones, quas infraſcriptus comes moderari petit; ſed idem dominus Papa moderationem aliquam non admittit: immo vult quod remaneant ſic omnino.

De eccleſiaſticis ad laicorum tribunalia non vocandis.

Idem comes promittet, quod nullus clericus, vel perſona eccleſiaſtica ejuſdem regni in civili, vel criminali cauſa conveniatur coram judice ſæculari, niſi ſuper feudis conveniatur civiliter: ſed omnes eccleſiæ, & perſonæ eccleſiaſticæ omnimodo erunt liberæ, & in nullo Regi, ſeu principi ſubjacebunt.

Non imponendis clero vectigalibus.

Item nullas tallias, vel collectas imponet eccleſiis, monaſteriis, clericis, & viris eccleſiaſticis, vel rebus eorum.

Item in eccleſiis vacantibus Rex, ſeu princeps nulla habebit regalia. Hanc conceſſerunt ejuſdem comitis nuncii, poſtquam regum privilegia bullata bulla aurea inſpexerunt. Super reliquis vero conditionibus, illis omnino amotis, de quibus hic non fit mentio, placet eidem domino Papæ, ut taliter procedatur. Prædictus legatus inducet eundem comitem, & rogabit eum affectuoſe ex parte ipſius domini Papæ, ut placeat ſibi, ſi dictum regnum ad perſonam, quod abſit, pervenerit extraneam, quod Eccleſiæ Rom. mille ancias auri ad minus pro relevamine in ſignum dominii perſolvantur.

Item quod pro eodem regno ſolvat idem comes annuatim eidem Eccleſiæ cenſus nomine duo millia, vel ad minus mille marcas.

Item quod ſerviat domino Papæ, & Eccleſiæ Rom. in expenſis propriis per ſex menſes de quingentis militibus in terris Eccleſiæ, videlicet marchia Anconitana, ducatu Spoletano, patrimonio B. Petri, Campania, & Maritima.

In Sardinia vero ſerviat in navigio ad æquivalens, quandocumque dominus Papa, vel Eccleſia Rom. ibi guerram habuerit, & fuerit requiſitus.

Item promittet, quod pro reædificatione Beneventi, & ſpecialiter eccleſiarum, ac locorum religioſorum, & palatii domini Papæ cum habuerit regnum in pace, decem millium unciarum auri ſubſidium exhibebit.

Quod



Quod ſi præfatus comes has conditiones admittere, quod non creditur, recuſaret omnino, vult idem dominus Papa, quod dictus legatus nihilominus ad ipſius regni & aliarum terrarum conceſſionem, & inveſtituram ſine aliqua dilatione procedat, ita tamen quod idem comes ad cenſum ſe obliget conſuetum. Cæterum præfatus comes ad idem negotium potentius exequendum petiit, quod habeat quolibet anno ab Eccleſia mutuum quadringentarum millium librarum Turonenſium quouſque terra ſit acquiſita, de quibus infra kal. ſeptemb. proximo venturi ſolventur ducenta millia Pariſiis, vel in nundinis Campaniæ, aut in Provincia. Alia autem ducentarum millia ſolventur ſtatim quando erit in regno, vel ante, ſi neceſſe fuerit, & de neceſſitate credetur bonæ fidei comitis &c. Nonnullæ adjectæ ſunt conditiones de ſumma ea pecuniæ mutuo conferenda ad bellicum apparatum inſtruendum.

Quadringenta millia argenti pondo a comite pro ornanda expeditione mutuo petita.

V. Tractatus caret exitu.

Non potuit tunc ea res in opus perduci, cum Galliarum Rex ſanctus Ludovicus in oriente ageret; nec tunc ex Galliis educere exercitum liceret, ne regnum viribus bellicis exhauſtum prædæ exponeretur, ac potius Gallorum arma ad inſtaurandam in Syria rem Chriſtianam S. Rex convertere meditaretur, & ob id magno animorum æſtu novam aliquam crucesignatorum expeditionem expectaret. Tentaſſe Pontificem anno ſuperiori Richardi fratris Anglorum Regis, comitis Cornubiæ animum, qui magnis opibus florebat, ſcribit Pariſius (a); Albertumque in Angliam ob id trajeciſſe narrat: ac demum re in conſilium adducta, Richardum ſive Conradi potentiam, ſive conſanguinitatis jura, quibus Henricum nepotem attingebat, violare veritum, regnum oblatum reſpuiſſe.

Solicitatur Cornubiæ comes ad Siciliæ regnum capeſſendum.

(a) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

VI. Excitati in Germania adverſus Conradum fideles.

Dum victor in Sicilia Conradus ſæviebat, converſæ ſunt curæ pontificiæ in Germaniam, ut Guillelmi Regis partes efferret, & Hugonem S. Sabynæ presbyterum Cardinalem opera, conſilioque Regi Guillelmo adeſſe juſſit (b): ac præſulum, qui eloquentiæ laude, & auctoritate florebant, ut Guillelmi Cichenſis ordinis Prædicatorum, ac Joannis Minoritæ Sambienſis induſtria eſt uſus, ut populus ad induendam contra Conradum crucem incitaret, eoque argumento datæ ad illos literæ, quibus arma capeſſituris opeſve in militum ſtipendia ſuppeditaturis, indulgentiarum præmia attribuit (c). Hunc vero Joannem poſtea ex Sambienſi ad Lubecenſem ſedem traduxit (d). Proſiliere in ſacram expeditionem contra Conradiſtas plures, quos pietatis zelus incenderat: inter quos Henricus Lotharingiæ ac Brabantiæ dux, ad vindicandam ab impiorum tyrannide Dei Eccleſiam, ſe Pontificiis obſequiis devovit. Cujus pia conſilia dato ad ipſum diplomate magnis laudibus Innocentius extulit, & omnia illius bona apoſtolicæ clientelæ commendatum iri pollicitus eſt: (e) Nobilitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ſpiritu fortitudinis roboratus, conſtantis animi munimenta ſuſcipiens, & ad defenſionem Eccleſiæ prædictæ matris tuæ viriliter te accingens, in fide ac devotione ipſius inviolabiliter perſeveres. Nos enim perſonam tuam, in Eccleſiæ præfatæ devotione manentem, cum familia & bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſides, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, &c. uſque communimus. Te volentes pro certo tenere, quod Eccleſia cum hoſtibus ſuis ad eam non veniet concordiam atque pacem, ut Conradus natus quondam Frederici, qui ſe pro Imperatore gerebat, in Alemannia regali honore remaneat decoratus. Nulli ergo, &c. Datum Peruſii III. id. martii anno X. Quo magis comparatum egregie ad tuendam Eccleſiæ & Guillelmi cauſam inflammaret, propoſita peccatorum condonatione, ad navandam ſtrenue Guillelmo Regi operam pellicere ſtuduit (f).

(b) Lib. 10. ep. 634. 790.

(c) Ib. ep. 447. 448. 465.

(d) Ib. ep. 793. & l. 11. ep. 490.

Dux Brabantiæ Lotharingiæque partes pontificias amplectitur.

(e) Lib. 10. ep 540.

In clientelam apoſtolicam accipitur.

(f) Ib. ep. 552.

VII.

[1] Retulit hoc anno Guillelmus inſignem victoriam de Belgis, qui a Flandriæ comitiſſa in Hollandiam inſtructa validiſſima claſſe immiſſi fuerant: qui partim cæſi, partim in vincula abducti. Ex quibus magna, ut ait Stadenſis, (g) pecuniæ vis coacta eſt. Cui auctori conſentit Pariſius, (h) qui in comitiſſam ut malorum omnium incen-

(g) Stad. in chr. an. 1253.

(h) Par. hiſt. Angl. ann. ſeq. Siffr. epit. l. 2. ann. 1253. & alii.





NOTÆ [1] INſignis victoriæ a Willelmo rege hoc anno de Belgis relatæ diem anonymus Erfordienſis retulit, ſcribens Belgarum claſſem in Zelandiam ductam terras illas tenuiſſe, copiaſque ſuas in die III. nonas julii expoſuiſſe. Ad cauſas vero ejus belli quod attinet quanquam non nego Willelmum partes Johannis de Avenis adverſus fratrem ejus uterinum Guidonem defendiſſe, cauſa tamen alia fuit, qua Belgas in ſe concitavit. Cum enim Flandrenſis comitiſſa terras quaſdam imperii, Hannoniam ſcilicet, feudali jure teneret, adeoque pro more Willelmo novo regi ſacramentum præſtare juberetur, parere recuſavit. Ex quo factum eſt, ut cum Willelmus literas a pontifice impetraſſet, quibus cenſura animadvertendum edicebatur in eos, qui feudalem inveſtituram de terris imperii ab ipſo recipere neglexiſſent, Henricus abbas Fuldenſis cenſuræ ejuſdem ſententiam in comitiſſam Flandriæ dixerit. Hinc comitiſſæ in Willelmum odium, ac tandem bellum. Has cenſuras Innocentius datis prid. idus martii e Laterano ad epiſcopum Tornacenſem literis ſuſpendendas decrevit. Extant literæ illæ tum & ſuperiores Henrici Fuldenſis abbatis in anecdotis Martenii to. I. col. 1053. & 1057. MANSI

Belgæ a Guillelmo Rege profligati.

tricem, & cauſam invehitur: diviſo temere principatu filios uterinos in arma concitaſſe, ac tum Romanorum Regem alterius Joannis de Avenis, cui ſororem thoro junxerat, patrocinium ſumpſiſſe; atque in eo conflictu cruentiſſimo ultra viginti hominum millia occubuiſſe. Fuiſſe vero divinitus Belgas attritos ad frangendam eorum ſuperbiam indicat Thomas Cantipratenſis (*a*) ex cœleſti reſponſo, dato viro ſanctiſſimo, qui ardentiſſimis cœlum precibus pro felici Belgarum ſucceſſu fatigabat: *Antequam in Vvalatria ſub rege Vvillelmo moderatore Romanorum, a comite Florentio, & Zelandenſibus Flamingorum exercitus feriretur, oranti cuidam pro dicta gente ideſt, pro Flamingis, in oratione reſponſum eſt: Sine ſuperbos humiliari. Quod tertia poſt die factum inſpeximus; licet tamen multi cum eis, & in eis occiſi fuerint, qui talem nullo modo mortem meruerunt.* Elatus ea victoria Guillelmus cum Galliis immineret, Galli proceres ſanctum Ludovicum e Syria revocarunt, de quo anno proximo dicetur: jam ad Innocentium pontificii muneris partes obeuntem redeamus.

(*a*) *Cantip. l.2. c.2. n.4.*
Ea clades divinitus oſtenſa.

VIII. Conciliandæ etiam inter populos pacis ſolicitus Mantuanum epiſcopum concordiæ inter Inſubres conficiendæ operam dare juſſit (*b*). Populis vero Caſtellanenſibus, Urbinatibus, Ariminenſibus, Feretranis, Bobienſibus, Cæſenatibus, Foropopulienſibus, Faventinis, Immolenſibus, Cervienſibus, Comaclenſibus, Ravennatibus, atque Aretinis eximium, quem erga ſedem Apoſtolicam gerebant, animum ac ſtudium legato explicare mandavit (*c*). Neque prætereundum ipſum hoc tempore nonnullas conſtitutiones apoſtolicas edidiſſe, quas archiepiſcopo Bononienſi tranſmiſit (*d*). Delibatæ eæ maxima ex parte e Lugdunenſi ſynodo fuere, atque libro decretalium ſexto inſertæ.

Diſſentientes Inſubres conciliare nititur Pont.
(*b*) *Lib.* 10. *ep. cur.* 28.
Plurium populorum erga eccleſiam ſtudium commendat.
Nonnullæ ab eo conſtitutiones editæ.
(*c*) *Lib.* 11. *ep. cur.* 4.
(*d*) *Eod. l.* 11. *ep.* 117.

*Archiepiſcopo Bononienſi.*

*Ad explicandos nodos multiplicium quæſtionum, quos in rebus jugiter emergentibus circa varios poſitivi juris articulos humanæ indaginis nectit infirmitas, nonnulla temporibus noſtris novarum conſtitutionum, & decretalium epiſtolarum remedia emanarunt, quæ prædeceſſorum noſtrorum ſtrenuis ſunt ſubjecta laboribus, per quos fuit ad communem omnium, & maxime ſtudentium utilitatem vigilantiſſimis deſudationibus excogitatum. Verum ſicut accepimus, eiſdem conſtitutionibus, & decretalibus, quædam, aliæ ſub noſtro confectæ nomine ab aliquibus inſeruntur, quas noſtræ approbationis eo non provexit auctoritas, ut cum aliis, quas locum habere cenſuimus in judiciis, & ſcholis, debeant eiſdem juris vinculis contineri. Ne igitur per commixtionem hujuſmodi opinionis cujuſlibet umbra ſpeciem ſibi veritatis uſurparet, aliquos in confuſionis deducat errorem, conſtitutionum & decretalium epiſtolarum principia, quas tempore noſtri pontificatus edidimus, quaſque in corpore juris contineri decrevimus, tibi competentibus aſſignata titulis duximus tranſmittenda; mandantes quatenus ea magiſtris, & ſcholaribus diligenter exponens ex parte noſtra diſtricte prohibeas, ne quis alia ſub noſtro nomine editas, vel edendas in judiciis, vel in ſcholis admittat abſque mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali.*

IX. *Principia vero illarum hæc ſunt, & hi ſunt tituli, quibus competenter diſponuntur: De reſcriptis: Cum in multis juris articulis, præſenti decreto duximus ſtatuendum. Diſpendia litium æquitatis compendio, &c. De electione & electi poteſtate: Statuimus, ut ſi quis electionem, poſtulationem, vel proviſionem in electionibus, poſtulationibus ac ſcrutiniis, &c. De ſupplenda negligentia prælatorum: Romana Eccleſia; & infra: Edictum vero per Rhemen. &c. grandi non immerito; &c. De officio vicarii: Romana Eccleſia; & infra: Cum Rhemenſis archiepiſcopus, &c. De officio & poteſtate judicis delegati: Statuimus, ut conſervatores. De officio legati: Officii noſtri debitum remediis, &c. De officio ordinarii: Romana Eccleſia; & infra: Prohibemus, &c. De judiciis: Juris eſſe, ambiguum non videtur. De foro competenti: Romana Eccleſia; & infra: Ne appellationis, &c. De lite non conteſtata: Exceptiones peremptoriæ, &c. De reſtitutione ſpoliatorum: Frequens, & aſſidua nos querela, &c. De dolo & contumelia: Actor, qui venire, &c. De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ: Cum qui ſuper dignitate perſonarum, vel beneficio. De confeſſis: Statuimus, ut poſitiones negativas. De teſtibus: Romana Eccleſia; & infra: In appellationis cauſa ad hoc, quod in quadam epiſtola: De exceptionibus. Pia conſideratione ſtatuit. De ſententia & re judicata: Cum æterni tribunali judicis. Ad apoſtolicæ dignitatis; & infra: Sane abbas de Bonifacio abbate, &c. De appellationibus: Cordi nobis eſt lites minuere. Legitima ſuſpicionis. Romana Eccleſia; & infra: Cum ſuffraganeorum Rhemenſis: De conceſſione prævendæ & eccleſiæ non vacantis: Quia cunctis. De rebus Eccleſiæ non alienandis: Dudum; & infra: Dictus vero archidiaconus. De cenſibus & procuratoribus: Romana Eccleſia; & infra: Statuimus, ut quilibet archiepiſcopus. De homicidio: Pro humani redemptione generis. De privilegiis: Volentes libertatem. De pœnis: Romana Eccleſia; & infra; Licet autem Rhemen. De pœnitentiis & remiſſionibus: Romana Eccleſia; & infra: Quæſtoribus autem. De ſententia excommunicationis: Cum*



*Cum medicinalis. Solet a nonnullis. Statuimus, ut nullus judicum. Quia periculoſum. Romana Eccleſia; & infra: Cæterum interdicti. Dilecto filio decano Aurelianenſi; &c. De verborum ſignificatione. Veniens; & infra: Per illa verba. Dat. Aſſiſii* v. *id. ſeptemb. an.* XI.

X. Antequam Peruſio ſe conferret Aſſiſium Pontifex, Petrum ordinis Prædicatorum anno ſuperiori ab hæreticis martyrio affectum, cum maximis miraculis certa comparatæ ab illo æternæ felicitatis argumenta illuſtrata effloreſcent, non cunctandum cenſuit ipſum numero ſanctorum ſolemni ritu adiicere, ut Thomas (*a*) Lentinus patriarcha Hieroſolymitanus, martyri coævus, in ejus vita prodidit.

Petrus ordinis Prædicatorum SS. catalogo appoſitus.
(*a*) *Apud Sur. t.2. die 29. ap.*

*Ubi perſpicue cognovit*, nimirum Pontifex, *famam*, miraculorum ſcilicet, *vinci rerum veritate; majoraque comperiſſet, quam ad ipſum perlata fuerant, de communi conſilio Cardinalium & prælatorum omnium, qui per id tempus apud Apoſtolicam ſedem reſidebant,* VIII. *kal. april. nondum exacto poſt martyrium anno primo, illum Peruſii in platea eccleſiæ fratrum Dominicanorum, aſtante ipſi cleri, plebiſque, itemque religioſorum, nobilium, ac procerum multa frequentia; aliis ubertim flentibus præ gaudio, aliis Deum magna voce laudantibus; univerſis denique mirifice tripudiantibus & ſolemni ritu diem feſtum celebrantibus, cum mirabili cereorum ardentium multitudine, & eximio ſacrarum veſtium apparatu, ſanctorum martyrum catalogo ſtatuit adſcribendum. Sed quia dies paſſionis ejus, qui fuit ſeptimus aprilis in feſta paſchalia crebro incidit, ejus feſtum diem* III. *kal. maii juſſit ab omnibus fidelibus devote & ſolemniter celebrari.* Hactenus ille. Extant ea de re typis cuſæ Innocentii literæ, (*b*) in quibus, poſt ampliſſima encomia in ſanctum virum congeſta, patrata hæc illius opera divina prodigia adducit.

(*b*) *Ext. in Bullar. t.* 1. *in Inn. IV.*

*Nec in vita latere ſic potuit, quin miraculorum claritate pateret: cujuſdam etenim nobilis filium præ nimio & horribili totius gulæ tumore nec loqui, nec ſpirare valentem, levatis ad Deum manibus & crucis in eum facto ſignaculo, illoque accipiente ipſius cappam, & infirmo ſupponente loco, ſanavit. Idem quoque nobilis vehementi poſtmodum corporis torſione gravatus credens, & metuens inde ſibi mortis imminere diſcrimen, cappam ipſam, quam ex tunc conſervaverat, reverenter fecit afferri: qua ſuo appoſita pectori, mox vermem villoſum evomuit, plena liberatione ſecuta. Cuidam etiam juveni muto, immiſſo digito in os ejus ſuæque linguæ ſoluto ligamine, beneficium loquelæ conceſſit. Hæc & alia plura, dum viveret dignatus eſt per eum Dominus operari.*

Miracula ab eo adhuc vivo patrata.

XI. *Poſt mortem vero ipſius lampades ad ſepulcrum ejus venerabile dependentes, pluries per ſe ipſas abſque omni humano ſtudio & miniſterio divinitus ſunt accenſæ; quia conveniens nimis erat, ut quoniam igne ac lumine fidei excellenter claruerat, ſingulare de ipſo ignis & luminis miraculum appareret. Quidam autem dum veſceretur cum aliis & illius ſanctitatem & miracula depravaret, ſumpto quodam ſub hac atteſtatione morſello, quod cum non poſſet, ſi circa hæc delinqueret tranſglutire, ſenſit eum mox ipſum gutturi ſuo ſic hærentem, ut illum educere, vel inducere non valeret. Quare illico pœnitens, & jam vultus mutato colore, quaſi ſentiens vicinæ mortis eventum, facto intra ſe voto, quod linguam de cætero ad talia non laxaret, fuit protinus, illo evomito, liberatus. Hidropica quædam ad locum paſſionis ipſius auxilio viri perveniens, fuſa ibi oratione, ſanitatem integram mox recepit. Obſeſſis a dæmonibus longo tempore mulieres martyr ipſe dejectis illis cum multo ſanguinis vomitu de corpore, liberavit: febres expulit, languores curavit plurimos & diverſos, cujuſdam ſiniſtræ manus digitum ex morbo fiſtulæ plurium foraminum concavitate defoſſum mira conſolidatione ſanavit. Quidam inſuper puer ex caſu graviſſimo ſic oppreſſus, ut motu & ſenſibus penitus deſtitutus tanquam mortuus defleretur, mox appoſita de terra ſuo pectori ſacro ejuſdem martyris cruore contacta incolumis exſurrexit. Quædam cujus carnem cancer edax ſedula corroſione vorabat, linitis hujuſmodi terra vulneribus, eſt curata: alii etiam diverſis infirmitatibus occupati, qui ſepulcrum ejus in vehiculis & aliis ſuſtentaculis adierunt, exinde poſtmodum plena incolumitate recepta, ſine aliquibus ſubſidiis rediere. Ad hæc magna hæreticorum & ipſorum credentium multitudo, cum tantam fidei adverterent efficaciam, & ad eam tot certis & apertis ſignorum indiciis, tanquam quibuſdam clamantibus præconibus vocarentur; nec poſſent quaſi tam validæ illorum inſtantiæ non parere, ad ipſius lucem fidei de ſui erroris nubilo eſt converſa. Quid plura? his & quam multis aliis miraculis glorioſis magnificavit Dominus ſanctum ſuum, & colendum exhibuit univerſis, &c.* Subiicit tot tantiſque miraculis confirmata Petri ſanctitate e Cardinalium conſilio in ſanctorum martyrum numerum illum retuliſſe. *Dat. Peruſii* IX. *april. anno* X. Quo argumento ſequenti anno, ad commendandam illius venerationem, cum in dies ipſius gloria latius ſe diffunderet, literas (*c*) exaravit: quas cum in lucem editas nos lateat, ob egregia, quæ continent, tanti martyris elogia, adducendas arbitramur.

Quanta poſt mortem geſſerit.
Obtrectator ipſius gloriæ divinitus caſtigatus.
Hydropica morbo liberata.
Plures alii e variis malis recreati.
Hæretici abjurata perfidia ad eccleſiam revocati.
(*c*) *Inn. l.* 12. *ep.* 123.

*Univerſis archiepiſcopis, & epiſcopis, ac dilectis filiis abbatibus & prioribus, ar-*

*archidiaconis, archipresbyteris, decanis, præpoſitis, & aliis eccleſiarum, & religioſorum ordinis cujuſcunque prælatis.*

Collata in eum a Pontifice præclara encomia. *Magna magnalia de B. Petro martyre ordinis Prædicatorum, natione Lombardo, per oras ubilibet innotuere Italicas; & jam uſque ad longinquum terrarum per univerſalem notitiam effulſere. Qui dum in carne viveret, a carnis delitiis & illecebris alienus ſic virtuoſe pro fide Chriſtiana certavit, quod ſtabili animo ſuſceptum proſecutus agonem, glorioſum tandem de ipſius fidei hoſtibus reportavit, martyrio prævalente, triumphum. Hujus, inquam, triumphi fama in omnem quaſi fidelium terram exivit, & ad extrema fere orbis illius ſigna lucida radiarunt. Fulget jam inter clara ſanctorum agmina recens martyr, & in firmamento Eccleſiæ novum jam rutilat luminare. O mira martyris victoria! in quo dum caro conteritur, ſpiritus roboratur; dum certator videtur deficere, fortius convaleſcit: in quo tunc magis Chriſti miles prævalet, cum acrius comprimitur; quia re vera tunc glorioſius hoſtem convincit, cum inter paſſiones atroces conſtantius mortem ſuffert. O quam admiranda catholicæ fidei per certamina martyrum defenſio provenit! nam in illorum oppreſſione ac cæde robur ipſa ſuſcipit & vigorem: quia nequaquam ei demitur, cum ſui ſibi pugiles taliter adimuntur; quinimmo tunc ſtatus ejus erigitur potius, & firmatur, cum illi ſic moriendo non deſunt, ſed pluſquam antea vivunt, & aſſumunt fidei munimentum & tunc magis clara fulget fidei lampas, cum ardentes lucernæ martyrum ſuppliciorum incendiis corporaliter extinguuntur. Quod plene ac liquido patuit in ipſius B. Petri martyris paſſione, quia poſt glorioſum, & recolendum ejus martyrium, ſic ſuorum multitudine, atque eminentia miraculorum fides reſplenduit, quod quamplurimi hæretici, eorumque credentes ipſius fidei, tot & tantorum oſtenſione ſignorum, agnita virtute, ad illius lumen de ſuorum errorum tenebris propere redierunt. O quam laudandum, & honorandum athletam, qui hoſtiles non paveſcens occurſus, pro lege Dei ſui perſeveranter in ſtudio uſque ad mortem invicta ſtabilitate pugnavit! O venerandum virum, & ubique ſonoris præconiis declarandum! Hic eſt religionis norma, munditiæ nitor, morum decus, theſaurus ſcientiæ, prædicationis fulgor, charitatis ardor, fidei paries, cumulus gratiarum, virtutum ſpeculum, & fragrantis ſinceritatis aroma. Hic timor hæreticorum & tremor, & vivus expugnavit eorum perfidiam, & jam ab ipſis occiſus illos deterret; vehementius, & confundit. Hic ſidus cœli fulgidum, & dignus cœleſtis regni coheres, illuſtris concivis martyrum, inclytus menſæ ſupernæ conviva, & ſecurus patriæ ſempiternæ poſſeſſor.*

*Merito itaque tam reverendi martyris univerſa plebs catholica recenſere debet memoriam, & tota Chriſti Eccleſia ejus feſtum ſolemniter celebrare, ne tantum Dei donum recepiſſe in vacuum videantur, ac non recognoſcere immenſam, quam in hoc eis largitus eſt gratiam, magnificando ipſas tam eximio martyre, ac tanti patroni ſuffragio muniendo. Et certe cum de ipſius conſortio univerſi beatorum chori aſſidue coexultent, inconveniens, & reprehenſibile nimis eſſet, ſi Chriſti fideles ſolemnitatem ejus non ſuſciperent, & agerent reverenter. Quem enim Dominus mirificavit in terris, & ſublimavit in cœlis, debemus etiam nos & crebris attollere laudibus, & celebri feſtivitate honorare, ut de illius magnificentia, & gloria communem gerentes lætitiam, & voto, voce, ac opere, quaſi quodam pariter pſallentes tripudio, congaudeamus, in hoc ſanctorum collegiis, & digne ipſius patrocinium mereamur.*

*Quapropter volentes penitus, ut prædicti beati Petri martyris ſolemnitas aliquatenus non negligatur, quem pridem ſanctorum martyrum catalogo, de communi fratrum noſtrorum, & prælatorum omnium, tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, conſilio, & aſſenſu duximus cum ingenti gaudio adſcribendum, ſicut per alias noſtras literas plenius notificavimus ad univerſas provincias deſtinatas; univerſis vobis per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus conſiderantes attente, quod in tanti claritate martyrii altis titulis fides orthodoxa refulſit, & hæreticum dogma funeſtum ad confuſionis & ignominiæ ima ruit; ejuſdem martyris feſtum, quod ſolemniter agit Romana Eccleſia, quod etiam principaliter, & ſtudioſe propter inſigne illius martyrium ab omnibus catholicis generaliter agi volumus; cum devotione, ac ſolemnitate omnimoda celebretis, & faciatis a veſtris ſubditis veneratione congrua celebrari, matutinale officium de ipſo martyre omnino cum IX. lectionibus, & alia de eo nihilominus officia ſolemniter, prout convenit, exequentes.* Præſcribit quo ritu colendus ſit. *Illi vero, qui non conſueverunt paſchali tempore, quo ipſius martyris ſolemnitas agitur, feſtum aliquod cum IX. lectionibus celebrare, nocturnum & diurnum officium cum magna reverentia & celebritate, juxta morem & modum ſuum ſolitum, de martyre ipſo agant. Et ne de ipſius feſtivitate intervenire unquam poſſit oblivio, ſub ſimili diſtrictione injungimus, ut diem feſti ſui, qui videlicet occurrit III. kal. maii, in kalendariis veſtris ſcribendo, ibi ejuſdem ſancti nomen, cum ſpecificatione ordinis Prædicatorum, ſolicite deſignetis. Sic autem præmiſſa omnia efficaciter exequi*



*qui ſtudeatis, quod ipſum pretioſum martyrem apud Deum habere poſſitis ſedulum adjutorem. Dat. Anagniæ VI. id. aug. anno XII.*

De eodem ſanctorum catalogo appoſito meminere etiam Matthæus Pariſius, (*a*) Colmarienſis chronici auctor, (*b*) Bernardus, (*c*) aliique recentiores: quorum nomina, ne electori tædium creemus, ſilentio præterimus. Nec tamen novatores omnis oſores ſanctitatis, Petrum, ac Staniſlaum, de quo infra, martyres ſuo more carpere, eorumque obſcurare gloriam non omittunt (*d*). Sed cæcos ſuis involutos tenebris relinquamus.

(*a*) *Par. hiſt. Angl.* (*b*) *Dom. Colm. chr.* (*c*) *Bern. chr. Rom. Pont.* (*d*) *Cent. 13. c. 7. col. 720.*

XIII. Celebrata igitur Peruſii beati Petri martyris conſecratione, ſummus Pontifex Aſſiſium contendit: ubi ſanctiſſimam Chriſti famulam ac virginem Claram ad ſponſum proxime migraturam inviſit, ut jam ante illi virgini cœlitus prænunciatum erat. Quæ ex ipſo auctore juvat decerpere, qui ejus res geſtas, ab Alexandro IV. juſſus, monumentis conſignavit: (*e*) *Dominus Papa cum Cardinalibus de Peruſio tranſivit Aſſiſium, ut de tranſitu ſanctæ præoſtenſa viſio ſortiretur effectum, quo viſo prædictum fuerat Claram non antea ex hac vita exceſſuram, quam Dominus cum ſuis diſcipulis veniſſet*, ut paulo ante idem auctor narrat, ſubjungitque: *Ipſe namque ſummus Pontifex ultra hominem, citraque Deum exiſtens, perſonam Domini repræſentat, cui in templo militantis Eccleſiæ familiarius hærent, velut diſcipuli domini Cardinales*. Et paucis interjectis verbis: *Artubus itaque ſacris veteri morbo detritis, nova cumulatur debilitas, quæ & proximam vocationem ad Dominum indicat, & ſanitatis perpetuæ viam parat. Feſtinat ſanctæ memoriæ Innocentius IV. una cum Cardinalibus viſitare Chriſti ancillam, & cujus ultra fœminas noſtri temporis probaverat vitam, mortem non dubitat papali præſentia venerandam. Ingreſſus monaſterium pergit ad lectulum, & infirmantis ori manum applicat oſculandam: quam illa gratiſſime ſuſcipit, & pedem Apoſtolici ſumma cum reverentia oſculandum expoſcit. Aſcenſo ligneo ſcabello curialis dominus dignanter pedem accommodat. Super quem illa, ſurſum & deorſum inculcans oſcula, vultum reverenter acclinat. Petit exinde a ſummo Pontifice vultu angelico remiſſionem omnium peccatorum, qui cum diceret: Utinam ego tanta venia indigerem; perfectæ abſolutionis * manus, & amplæ benedictionis gratiam impertire feſtinat. Recedentibus autem omnibus, quia die illa manu provincialis miniſtri ſacram receperat hoſtiam, ſublevatis in cœlum oculis, & junctis ad Deum manibus, cum lacrimis ait ſuis ſororibus: Laudate Dominum filiolæ meæ, quia tale beneficium hodie Chriſtus mihi eſt dignatus tribuere, quod cœlum, & terra non ſufficeret compenſare: ipſum hodie recepi altiſſimum, & ejus vicarium videre commerui.*

(*e*) *Apud Sur. to. 4. die 12. aug. c. 25. 26. 27. 28.*

B. Claram Innocentius inviſit Aſſiſii. Prædictum B. Claræ id fuerat myſticis verbis.

* *munus*

XIV. Felix B. Claræ mors. Et infra: *In craſtino B. Laurentii egreditur anima illa ſanctiſſima præmio perpetuo laureanda: temploque carnis ſoluto, ſpiritus feliciter migravit ad aſtra.* De ejus vero funere ſubdit: *Commovetur die ſequenti curia tota. Chriſti vicarius cum Cardinalibus accedit ad locum, totaque civitas verſus ſanctum Damianum dirigit greſſus ſuos. Ventum erat ad celebrandum divina, cum fratribus, incipientibus officium mortuorum, repente dominus Papa officium de virginibus, non de mortuis fieri debere proloquitur, ut prius eam canonizare videretur, quam corpus traditum eſſet ſepulturæ. Reſpondente autem viro eminentiſſimo domino Oſtienſi moroſius in his fore agendum, miſſa de mortuis celebratur. Conſidente poſtmodum ſummo Pontifice, Cardinalium quoque & prælatorum cœtu, Oſtienſis epiſcopus, de vanitate vanitatum ſumpta dicendi materia, vanitatis egregiam contemptricem nobili ſermone commendat. Circumdant illico ſanctum funus devota dignatione presbyteri Cardinales, & circa virginis corpus ſolita officia complent. Tandem nec tutum eſſe cenſetur, nec dignum, ut tam pretioſum pignus tam longe diſtet a civibus. Levatur cum hymnis & laudibus, cum tubarum clangore, ac jubilatione ſolemni ad ſanctum Gregorium honorifice deportatur: nam & illic locus ille eſt, ubi S. patris Franciſci corpus primo conditum fuerat, ut qui viam vitæ viventi paraverat, etiam morienti locum quodam præſagio præpararet.* Subdit poſtea de Agnete S. Claræ ſorore: *Paucis interjectis diebus Agnes ad Agni nuptias evocata ſororem Claram ad æternas delicias ſubſecuta eſt: ubi ambæ Sion filiæ natura, gratia & regno germanæ Deo jubilant ſine fine. Et vere conſolationem illam, quam Clara repromiſerat, Agnes antequam migraret, accepit. Nam ſicuti ſorore prævia de mundo ad crucem tranſierat, ſic dum Clara ſignis, & miraculis rutilaret, Agnes poſt ipſam de luce finibili mature volavit ad Deum.*

XV. Joan. olim Boſſienſis epiſc. pie moritur. Sacræ illius virginis funeri piiſſimi ſacerdotis funus, Joannis nimirum, qui Boſſinenſi epiſcopatu abdicato, Prædicatorum ordinis magiſter ſupremus creatus, hoc anno, ut ferunt, (*f*) conjungemus. Quanto vero ille zelo, ac rerum humanarum deſpicientia eccleſiam ſuam regeret, deſcribit Cantipratenſis (*g*): *Cum multo tempore pœnitentiarius domini Papæ in Roma fuiſſet, eum Boſnenſi eccleſiæ præfecit epiſcopum. Et cum haberet in epiſcopatu pluſquam octo millia marcharum in redditibus, in uſus tamen proprios, quaſi nihil inde expendebat, ſed omnia pauperibus eroga-*

(*f*) *Colvenerius in notis ad Cantipr.* (*g*) *Thom. Cantip. l. 2. c. 57. n. 55.*

Egregia illius in pauperes liberalitas dum epiſ. gerebat.

*rogabat. Nec ſolum quidem equum habuit, ſed aſellum, qui libros, & epiſcopales infulas deportabat: ipſe vero pedes cum fratribus incedebat. Hinc poſtmodum abſolutus ab epiſcopatu, electus eſt in magiſtrum ordinis Prædicatorum, & his præfuit multis annis.*

XVI. Helias generalis olim Minoritarum miniſter in morte reſipiſcit.

Longe illi virtutibus diſpar extitit Helias primus a S. Franciſco Minoritarum generalis miniſter, qui hoc anno diem ſuum obiit. Is enim ſuperbiæ ſtimulis agitatus, honorumque avidus, exauctorato Friderico ſe conjunxerat, & ordinem ac religioſum habitum deſeruerat. Sed demum lethali morbo a numine caſtigatus, reſipuit: veniaque a Pontifice petita & obtenta, Eccleſiæ eſt conciliatus. Quæ antea ſanctus Franciſcus, divino afflatus ſpiritu, prædixerat: ac fuſius Lucas Wadinghus (a) proſequitur: nobis hæc perſtrinxiſſe ſuffecerit: ad decretos enim B. Staniſlao Cracovienſi epiſcopo ſacros honores, adſcripto illius nomine ſanctorum martyrum catalogo, noſtra properat oratio.

(a) *Luc. Vvad. an. Min. to. 2. ann. 1253. n. 30. & ſeqq.*

XVII.

Ardebant deſiderio incredibili Poloni, ut epiſcopo illi ſanctiſſimo, cujus beneficia ſæpius ſenſerant, ſanctorum cultus exhiberetur, ſummoſque labores ob id ſuſceperant; ac Joannes Gajetanus, tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis, cui teſtium diſcutiendorum provincia erat commiſſa, eo rem adduxerat, ut propediem confecta videretur: ac felici adeo nuntio Polonos, miſſis literis, gaudio perfuderat, cum verſis ſtudiis novæ difficultates exortæ, ita ut cœpta nunquam ad exitum perducenda viderentur. At demum, inſigni miraculo valetudine Reginaldo epiſcopo Oſtienſi, qui Innocentio quarto in Petri ſede Alexandri quarti accepto nomine ſucceſſit, a Staniſlao reddita, Pontifex miraculi magnitudine perculſus, moras omnes abjecit, illumque ritu ſolemni ſanctorum numero aggregavit. Prodigium tantum, enarrat Longinus, (b) ex quo hiſtoriam hanc decerpimus: *Reginaldus epiſcopus Oſtienſis, prædictus canonizationis viri Dei Staniſlai præcipuus hoſtis & adverſarius*, utpote qui in re graviſſimi momenti ſummam conſilii maturitatem, quod etiam in S. Claræ exequiis vidimus, deſideraret; *cujus etiam ſententiis & conſiliis propter notam hominis in utraque ſcientia ſolertiam & probitatem Innocentius Papa differebat, gravi adeo morbo correptus eſt, ut tam ſuo, quam phyſicorum judicio propinquam ſibi mortem imminere ſperaret: in qua cum dies aliquot laboraret, vigilanti illi & in camera privata exiſtenti ſolitario, B. Staniſlaus in pontificali amictu cum magno ſplendore apparuit, & in grabato jacenti, de viſioneque ignotæ perſonæ, & inſoliti fulgoris ſtupenti vir Dei Staniſlaus ait: Agnoſcis ne me? Qui tremens & ſtupens, ac verba vix formans: Non agnoſco reſpondit; quæſo tamen qui ſis qui cum tanta luce clauſis etiam januis in cubile meum intraveris, edicas: Ego ſum*, ait, *Staniſlaus Cracovienſis epiſcopus, pro nomine Jeſu Chriſti ejuſque Eccleſia & veritate glorioſo martyrio a Boleſlao Rege Polonorum damnatus: cui tu te adverſarium, non recte de vita & miraculis, martyrioque meo, propitia divinitate a me patratis, ſentiendo, conſtituiſti. Ad quem Reginaldus Cardinalis ſpiritu reſpumpto: Ignoſce, ait, mihi & ignorantiæ meæ præſul ſanctiſſime, & veniam præſtare digneris meo errori: fortiorem promotorem canonizationis tuæ, quam impeditorem pertuleras, habiturus. Cui vir Dei Staniſlaus: Ut me*, inquit, *in conſpectu Dei & ſanctorum glorificationem & ſanctificationem martyrio, quod accepi, conſecutum eſſe cognoſcas, a grabato & ægritudine, quibus detineris, valens, & incolumis illico conſurge; caveque ne canonizationi meæ de cætero adverſeris: quam non in meam amplitudinem & gloriam tantummodo, qua ego jam pleniſſime in videndo Deo perfruor, ſed in omnium fidelium ſalutem & profectum divina decrevit conſummare clementia. Cardinali Reginaldo omnia, quæ jubebantur, expleturum ſe pollicente, viſio diſparuit. Qui accerſitis ſervis ſuis ſterni ſibi equum, quo ad palatium papale vehatur, imperat: qui etſi illum primum delirare credidiſſent, eo tamen ſine adjutorio, & de lecto conſurgente, & equum aſcendente, in magnam & ipſi eſtaſim de ſubita domini ſui convaleſcentia verſi, illum uſque ad papale palatium jucundi comitantur. Innocentius denique Papa Reginaldum Cardinalem veniſſe, & plene ſanum, quem prope horam moriturum ſperaverat, intelligens; etiam advenienti occurrit, & quomodo ad valetudinem tam ſubito redierit, ſolicite inquirit. Cui Reginaldus Cardinalis: Beatiſſimus*, inquit, *martyr Dei Staniſlaus Cracovienſis epiſcopus, cujus ego canonizationis apud tuam ſanctitatem fui impeditor, hac eadem hora mihi cum claritate vix ferenda apparuit, & ignorantiæ meæ facinore benigne correpto, etiam mihi in evidentiſſimum ſuæ ſanctitatis ſignum ſanitatem, qua me ex homine paulo ante infirmo & ad mortem judicato, pollere vides, reſtituit, & beneficium pro injuria rependit, interminatus etiam ultionem, ſi illius canonizationi obſtitero. Scelere itaque ignorantiæ meæ apud te recognito, & in viri beatiſſimi Staniſlai canonizationem pronus eo, & pro illa ſupplex ad pedes tuos, ne diutius illam differas, procumbo; interceſſionem etiam ſuam pro lapſu teſtatus. Id miraculum dum in Peruſiorum urbe grandi, & celebri ſermone vulgatum eſſet, & omnium mentes ac pectora Polonorum præcipue & nun-*

Reginaldus Oſtienſis epiſc. a B. Staniſlao valetudini reſtitutus.

(b) *Longin. hiſt. Pol. l. 7. an. 1253.*

tio-



*tiorum, atque procuratorum canonizationis viri Dei gaudio immenſo oppleſſet; virum Dei Staniſlaum certatim canonizatione digniſſimum depromebant. Sed & Papa Innocentius, cœtus quoque Cardinalium miraculi, quod in Reginaldo Cardinale acciderat, prodigio permoti, omnibus impedimentis, quæ interponebantur, circumſcriptis, & quaſi quodam ſole ſiccatis, virum Dei Staniſlaum in ſua ſanctitate glorioſum & magnificum canonizandum decernunt, & diem nativitatis B. Mariæ Virginis, quæ tempori, quo ea agebantur, vicinior erat in Aſſiſio; illuc enim Innocentius Papa verſus Neapuliam exercitum deducens venturus erat; conſtituunt.*

XVIII. Adoleſcens defunctus B. Staniſli precibus e morte ad vitam excitatus.

Subdit auctor, ut comparatis jam omnibus ad referendum ſolemni ritu inter ſanctos Staniſlaum, atque Pontifice in eccleſia ſancti Franciſci Aſſiſiana jam ſacra operaturo exanime prænobilis adoleſcentis corpus implorantibus ejus parentibus interciſis ſuſpiriis vocibus B. Staniſlai ſuffragia: templo invectum fuerit, ac poſt fuſas preces ad vitam excitatum. *Natali dominæ noſtræ excellentiſſimæ Virginis Mariæ adveniente die, Pontifex ſummus Innocentius cum collegio Cardinalium, & multitudine prælatorum, ad baſilicam S. Franciſci in Aſſiſio, in qua ſuum & ſuorum ſociorum corpora recondita ſunt, ex palatio, canonizationem B. viri Staniſlai epiſcopi Cracovienſis expleturus, deſcendit; illamque multitudinem plebis, quæ futura viri Dei canonizatione vulgata pene ex omni Italia confluxerat, refertam reperit. Quo in eccleſia præfata miſſarum agente ſolemnia, divina etiam pietas agni cœleſtis ipſi ſummo Pontifici Innocentio quanti meriti ſanctus canonizandus apud ſe eſſet declaravit. Adoleſcens enim quidam ex Aſſiſio in ipſo articulo canonizationis præfatæ defunctus ad eccleſiam S. Franciſci parentibus, fratribus, neceſſariis magno ejulatu mortuum illum lugentibus, inferebatur aut tumulandus, aut meritis ſancti canonizandi vivificandus. Propinquis itaque & cognatis pro ejus reſuſcitatione obſecrationes, & voces emittentibus, Innocentius Papa ante altare, cui inſiſtebat proſtratus, fudit cum fiducia orationem ſuam in hæc verba: O pater & clementiſſime domine, ſi ea, quæ de beato Staniſlao Cracovienſi epiſcopo martyre tuo, in noſtro conſpectu ſunt enarrata, vera per omnia quemadmodum humana habet credulitas, probantur, declara quæſo hodierna die novum ſanctum a me canonizandum novo ſigno. Vix Pontifex ſummus orandi fecerat finem, & mortuus nunciatur illi ſurrexiſſe. Tunc itaque mirum in modum & ſtupentibus & gaudentibus, ardenteſque cereos & luminaria accenſa, ut eccleſiam arſiſſe putares, geſtantibus; ſummus Pontifex miſſarum ſolemnia proſequitur. Quibus expletis ſermone in longum de vita, martyrio, & miraculis B. Staniſlai recitato, ambona conſcenſa, virum beatiſſimum Staniſlaum glorioſum martyrem Cracovienſem pontificem canonizat, & ſanctorum catalogo aſcribit, mandans ejus feſtum* VIII. *idus maii ab univerſa catholica Eccleſia inter præclaras martyrum feſtivitates cum debita veneratione venerari: præſentibus autem omnibus unum annum, & dies quadraginta de indulgentiis largitus eſt, & orationem de S. Staniſlao, tangens in ea ipſius ſanctitatis merita, edidit, & per ſe publice pronuntiavit, quæ incipit: Populum tuum quæſumus intercedente B. Staniſlao, &c.* Hæc Longinus, atque ex ipſo Chromerus (a).

(a) *Chro. de reb. geſt. Pol. l. 9.*

XIX.

Extat in pontificio regeſto apoſtolicum diploma ad eccleſiarum antiſtites datum, quo venerationem in S. Staniſlaum (b) ut certiſſimis argumentis cœleſti gloria potitum, & apud Deum magna gratia pollentem commendat: & de ſanctiſſimi epiſcopi martyrio ediſſerit, ut nimirum Boleſlaus Poloniæ Rex, qui ob impudicitiam a viro ſancto ſaluberrimis monitis caſtigatus erat, efferatus in iras illum trucidaſſet, ac ſacrum corpus juſſiſſet concidi in fruſta, & feris exponi, quod aquilæ ab animalium impetu defenderunt, ac divina virtute, coaleſcentibus invicem membris, integritati reſtitutum ſit; verum hæc ex ipſo Pont. audire præſtat.

(b) *Inn. l. 11. ep. 198. quæ extat Bull. to. 1. in Inn. IV.*

*Innocentius &c*

Boleſlai impudicitia & inhumanitas. Corripitur a S. Staniſlao.

*Cum non ſine internæ mentis anguſtia Regem Polonorum nomine Boleſlaum in tantum horrendis voluptatibus ſubiici, carniſque nefandis illecebris cerneret enervari, ut in paſſiones ignominiæ traditus, & inhumanis contumeliis afficiens corpus ſuum, mulierum mamillis, avulſis propriis exinde liberis, catulos apponeret, miſerabiliter educandos; ne execrandam fovere malitiam, & iniquitati ejuſdem Regis videretur præfatus pontifex pro diſſimulatione favere, poſtquam ipſum a præmiſſis flagitiis ſedula, & paterna correptione evocare non potuit, in ipſum conſulte medicinalem Petri gladium exeruit in ſpiritu lenitatis; ſperans ut percuſſus dolens ad percutientem ſe in humilitate rediret, Dominum exercituum ſuppliciter requirendo. Sed ipſe indurato corde medicinam exhorrens, & increpationem abhorrens diſciplinæ, immo malleum velut ſtipulam reputans, non ſolum nulla pœnitudine ſe correxit, verum etiam ad pejora in ſuæ damnationis cumulum provocatus, juxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, juſſit pontificalibus indutum antiſtitem per ſuos ſatellites duris corporis cruciatibus deputari; ſed ipſi quotiens in eum irruere tentant, totiens compuncti, totiens manſueſcunt proſtrati. Et tunc idem Rex, ſuæ*

Percellitur anathemate.

inſer-

Sanctum epiſcopum occidi & in fruſta conſcindi jubet.

*inſerviens impetuoſius tyrannidi, manus in eum convertit ſacrilegas, ſponſum e gremio ſponſæ, paſtorem abſtrahit ab ovili, patrem intra filiæ amplexus, & filium in viſceribus pene obtruncavit maternis, faciens, iritatus atrocitate ferali, ipſius, proh dolor! corpus inhumaniter in fruſta concidi, velut ſingulis membrorum partibus pœnæ inflictio deberetur. Sed ille, apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non ſolum rutilantibus hujus ſanctiſſimi corporis partes ſplendoribus illuſtravit, verum etiam ipſum nullo in eo cicatricis apparente veſtigio integritati reſtituens aquilarum ſuarum præſidio miraculoſe a ferarum morſibus præſervavit. Guſtato denique acerrimæ ob zelum juſtitiæ calice paſſionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur conſumptus, ecce ut lucifer oritur, & quaſi meridianus fulgor in firmamento conſurgit, propter quod ejus faciem in ſuis nonnulli neceſſitatibus devotiſſime deprecantur. Ipſe quidem defoſſus ſecurus dormit, requieſcit, & non eſt qui jam ipſum exterreat. Nec mirum, quia civitatem illam honoris & gloriæ corona inſignitus inhabitat, ubi eſt manſio ſecura, populus ſine murmure, ac patria totum id continens quod delectat.*

Martyris corpus diſſectum ſervatum ab aquilis.

Priſtinæ formæ & compagibus ſuis reſtitutum.

XX. *Verum ne militans Eccleſia de tali ac tanto patrono ſic atrociter ſibi ſubtracto inconſolabiliter, quaſi gemitus ſingultuoſos emitteret, ſi beneficiorum ipſius affluentia eam non contingeret, ſæpius delectabiliter irrigari, ecce glorioſus in ſanctis ſuis Dominus volens ejuſdem patris plenitudinem * glorioſe indiciis exprimere manifeſtis, & præſtolanti Eccleſiæ grata conferre ſuper hoc recreationis remedia, tot & tantis fecit ipſum famoſis miraculis coruſcare (de quibus facta nobis, & fratribus noſtris, prout debuit per teſtes idoneos plena fides extitit) quod ejus inter ſanctos cæteros implorare præſidium reputavimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen cæcis, auditus ſurdis, verbum mutis, claudis greſſus, epilepticis cerebri robur, & dæmoniacis immundis ab eis ejectis ſpiritibus corporum requies ad ejus invocationem nominis cœleſti dextera ſubito conferuntur. Propter quod ne hujuſmodi rutilantem lucernam ſub modio periculoſe abſcondi contingeret, quam idem Dominus tot mirificis ſignis recte diſpoſuit ſuper Eccleſiæ candelabrum honorifice collocari; præſertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur perverſum hæreticorum dogma, & fidelium beata credulitas augeatur; eorundem fratrum, necnon & prælatorum tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium communicato conſilio, prædictum beatum Staniſlaum epiſcopum digne ſanctorum catalogo duximus adſcribendum. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus* VIII. *id. maii, die videlicet quo mortis abſolutus vinculo victurus perenniter ad fontem ſupernæ prodiit voluptatis, feſtum ejuſdem, prout miranda ipſius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari, &c.* Ad alliciendam excitandamque populorum pietatem adeuntibus martyris ſepulcrum feſto illius die, atque excurrentibus ab eo octo diebus annum unum & quadraginta dies indulgentiæ impertitur. *Datum Aſſiſii* XV. *kal. octob. anno* XI.

* gloriæ

Plura miracula martyris ſuffragio edita.

Inſtitutus illius nomini ſacer dies.

Idem de honoribus B. Staniſlao decretis diploma affertur a Longino, qui ſanctiſſimi epiſcopi res geſtas literis mandavit; ex quo Surius (*a*) in compendium ſancti vitam coegit. Datis præterea Cracovienſi epiſcopo, & canonicorum collegio literis, quibus dies III. kal. octob. (*b*) adſcripta eſt, tranſlationis pompam cohoneſtantium crimina condonavit. Celebratam porro magnifice ſequenti anno a Prandotha epiſcopo Cracovienſi tradit Longinus (*c*) his verbis: *Ad levandum oſſa S. Staniſlai de tumulo octavam diem maii, quo feſtum ejuſdem a Pontifice Romano celebrari ſancitum eſt, Prandotha Cracovienſis epiſcopus indixit, & per univerſam Polonicam eccleſiam prædicari & divulgari ordinavit.* Addit maximam non ex Polonia modo, ſed etiam Ungaria populi multitudinem ampliſſimumque præſulum & principum numerum Cracoviam confluxiſſe: *Sub quorum,* inquit, *præſentia & populi multitudine infinita, oſſa viri S. Staniſlai ex tumulo prope portam meridionalem, in eccleſia Cracovienſi conſiſtente, a pontificibus, qui convenerant, vino lota, levata ſunt, & populo plaudenti, atque vociferanti, ac patrocinium S. Staniſlai imploranti oſtenſa, & in eccleſias cathedrales, & alias principaliores collegiatas eccleſias conventuales, & parochiales portio illorum, capite, brachiis & aliis inſignioribus apud Cracovienſem eccleſiam, cum cineribus, ſacri corporis membris remanentibus, diſtributa.* Hactenus de S. Staniſlao; reliquas res Polonicas conjungamus.

(*a*) *Sur. to.* 3. *die* 8. *maii.*

(*b*) *Inn. l.* 11. *ep.* 214.

(*c*) *Longin. l.* 7. *anno ſeq.*

XXI. Invaſit hoc tempore Poloniam circumjectaſque regiones Tartaricæ excurſionis graviſſimus metus: quos cum a Ruſſiæ Rege Innocentius imminere accepiſſet, tuendæ rei Chriſtianæ cupiditate incenſus, Mezanenſem abbatem, demandato illi legationis munere, in Poloniam miſit, (*d*) ut Chriſtianos ad retundendos barbarorum impetus cruce muniret; eoque argumento Polonis, Ruſſis, Bohemis, Moravis, Sarbiis, & Pomeranis literas encyclicas exaravit (*e*); *Nuper chariſſimo in Chriſto filio noſtro Rege Ruſſiæ illuſtri, quem loci vicinitas ſuorum ſecretorum plerumque reddit participem, per literas ſuas accepimus referente, præfatos Tartaros fore paratos ad delendas reliquias, quas divina benignitas in pleriſque locis per fugæ præſidium ab ipſorum clementer manibus liberavit, & ipſius vicinia Chriſtianitatis veſano ſpiritu, niſi Deus eis reſtiterit conculcanda. Propter quod ne tam infelicis propoſiti præconceptum ſortiantur effectum, ne feralis eorum impetus in multorum debacchetur excidium, obſiſtentium robore non repreſſus, intereſt veſtra præcipue, qui prioribus ipſorum incurſibus eſtis expoſiti, ſic diſponi, quod per vos eorum conatibus, ne cervicoſa ipſorum amplius invaleſcat ſuperbia, irretuſa acie viriliter reſiſtatur. Aliter enim reipublicæ ac veſtro detrimento non parum accederet, ſi vobis negligentibus, & non obſerantibus eis oſtium, cum poſſitis, ipſos ad alios Chriſtianos peſtiferum per vos contingeret habere progreſſum.*

Imminente Tartarorum metu ſeptentrionales cruce inſigniri jubet Pontifex.

(*d*) *Lib.* 10. *reg. poſt ep. cur.* 25.

(*e*) *Lib.* 10. *ep. cur.* 25.





XXII. *Cæterum etſi in tam diſcriminoſo belli congreſſu arma materialia utiliter requirantur, non ſunt tamen poſtponenda, immo præferenda ſalutiferæ crucis inſignia, ut vos athletæ Chriſti, eis laudabiliter inſigniti, cui duci deſerviatis, evidenter appareat; ac per ejus virtutem, in qua Chriſtus debellavit aereas poteſtates, ipſorum Tartarorum adverſitas, mirifice vobis cedat. Non videtur itaque præſtolandus buccina clangor, non invitatis ſuggeſtio creditur opportuna, ut in tanto neceſſitatis articulo ad prælium hujuſmodi vos excitet præliandum, cum in vobis æſtimemus illius vigere rationis judicium, quod nullo etiam vos ad id invitante, maturato præſidio caſibus curabitis occurrere tam votivis. Veruntamen ne ſalutem veſtram videamur negligere, ac ſanguis veſter requiratur, a nobis gerentibus ſpeculatoris officium, ſi eum, nobis tacentibus, gladius effuderit impiorum; dilectum filium abbatem de Mezano, virum morum honeſtate conſpicuum, præditum ſcientia literarum, ac nobis & fratribus noſtris merito ſuæ probitatis acceptum, ad vos provide duximus deſtinandum, ut per ſe ac alios, quos ad hoc idoneos noverit, in ſapentia ſæpius ſibi divinitus attributa, vobis contra ipſos Tartaros, ac etiam alios paganos, Chriſtianorum ſanguinem non minus eiſdem Tartaris ſitientes, prædicans verbum crucis, ipſius inſigni charactere vos ſtudeas præmunire.*

XXIII. *Tollat ergo fideliter quilibet crucem ſuam, ſequens in ſplendore armorum Domini vexillum gloriæ ſummi Regis, ad hujuſmodi ſaltem abolendam verecundiæ maculam, quæ vobis adſcribitur, quod nunc miſerabiliter infidelibus terga datis, quibus nomen veſtrum eſſe terribile conſuevit. Ut autem nihil omnino deſit ad tam ſalubre negocium proſequendum, omnibus, qui ab ipſo commoniti contra prædictos Tartaros receperint ſignum crucis, illam ſuorum peccatorum veniam, illudque privilegium elargimur, quæ accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceditur. Dat. Aſſiſii* II. *id. maii an.* X.

XXIV. Commiſit etiam eidem abbati Mezanenſi Apoſt. S. L. provinciam, (*a*) ut Polonorum, qui a ſuſceptæ ab ipſis fidei tempore ſedis Apoſtolicæ vectigales erant effecti, juribus contra omnium, vel etiam Willelmi Romanorum Regis conatus defendendis incumberet.

(*a*) *Lib.* 10. *ep.* 693.

*Licet apoſtolatus officium nos univerſis conſtituat debitores, illis tamen ſpecialius, & efficacius adeſſe nos convenit, qui nullo medio ſubeſſe ſedi Apoſtolicæ dignoſcuntur. Cum itaque, ſicut ex parte dilect. fil. nob. virorum principum Poloniæ fuit propoſitum coram nobis progenitores eorum, poſtquam Chriſtianæ fidei notitiam habuerunt, eidem ſedi ſolummodo ſubjecti fuerint, & ipſi adhuc exiſtant; & in ſignum ſubjectionis hujuſmodi cenſum, qui denarius ſancti Petri vulgariter appellatur, iidem & habitatores Poloniæ ipſi ſedi annis ſingulis perſolverint hactenus & perſolvant; mandamus quatenus eiſdem principibus & habitatoribus per te, vel per alium efficaciter præſidio defenſionis aſſiſtens, ac non permittens eos ab aliquibus moleſtari, ſi quas infeudationes, diſtributiones, aut occupationes de terra Poloniæ inveneris tam a Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Vuillelmo Rege Romanorum illuſtri, quam ab aliis factas, denunties auctoritate noſtra per te, vel alium aliquatenus non valere, &c. Dat. Aſſiſii* XVI. *kal. jul. an.* X.

Poloni ob ſingulare in Eccleſiam ſtudium adverſus omnium impetus a legato defendi juſſi.

XXV. Ad propagandam vero in ſeptentrione religionem Cracovienſi duci, (*b*) & ducis Lanchitiæ & Cujaviæ filiis conceſſit, (*c*) ut terras, quæ ethnicis parebant, armis compararent, ſuæque adjungerent ditioni, modo nullius diœceſeos terminis continerentur. Significantibus quoque Cracoviæ ac Lanchitiæ Cujaviæque ducibus Polexianos barbaros ad ſuſcipiendam Chriſtianam fidem paratos, modo ab ipſo in clientelam admitterentur, ac priſtina libertate frui liceret, annuit (*d*) Innocentius, ſanxitque, ut Polexiam ſuo dominatui conjungerent.

(*b*) *Ib. ep.* 733.

(*c*) *Ep.* 732.

Polexiani ad fidem amplectendam ſe paratos exhibent.

(*d*) *Ep.* 741.

*Nobili viro duci Lachintiæ, & Cujaviæ.*

*Cum, ſicut te intimante, accepimus, quidam pagani terræ, quæ Polexia vulgariter appellatur, & adjacet terræ tuæ, parati ſint ad fidem Chriſtianam converti; dummodo ipſos ſub dominio, & protectione tua recipias temporali, eis libertate ſervata; nos ipſorum paganorum converſionem nolentes prætextu alicujus obſtaculi, quod vitari valeat, retardari, præſentium tibi, tuiſque ſucceſſoribus auctoritate concedimus, ut dictæ terræ paganos ſub tua poſſis protectione recipere ac dominio retinere, ſi ſpon-*

Lanchitiæ & Cujaviæ duci auctoritas data ut eos in ſuam clientelam admittat.

*te propter hoc velint fidem Chriſti recipere per baptiſmum. Non obſtante quod fratribus domus Theutonicorum tota terra Pruſſiæ, quam gladio ſibi ſubjugare poterunt, dicitur eſſe ab Apoſtolica ſede conceſſa: cum ſponte, non coacti gladio, velint ipſi pagani, ut dictum eſt ad fidem Chriſtiani nominis convolare. Nulli ergo, &c. Dat. Aſſiſii* IV. *kal. junii an.* X. Ejuſdemque exempli literæ ad Cracoviæ ducem miſſæ fuere (*a*).

(*a*) *Reg. poſt eand. ep.*

XXVI. Lithuaniæ Rex cathedralis eccleſiæ erigendæ deſiderium præ ſe fert.

Monuerat Innocentium Lithuaniæ Rex; qui ſacris Chriſtianis nuper imbutus fuerat, gerere in votis, ut epiſcopus Lithuanis præficeretur, cum eccleſiam cathedralem regia magnificentia in regno excitare boniſque augere paratus eſſet, cujus Pontifex: piis deſideriis obſecundaturus, Livoniæ ac Pruſſiæ archiepiſcopo munus demandavit, ut virum pietate & doctrina gerendæ dignitati parem Lithuanis imponeret, (*b*) ac ſacris pontificalibus initiaret, utque ab omnibus debita obſervantia exciperetur operam daret. Quod vero ad Livoniam & Pruſſiam attinet; tradita (*c*) erat provincia Prædicatorum ordinis religioſis viris, pro tuenda re Chriſtiana populos ad arma accenderent.

(*b*) *Ib. ep.* 788.

(*c*) *Lib.* 11. *ep.* 129.

Cumani plures a Prædicatoribus ad chriſtum traducti.

Navarant ejuſdem familiæ ſodales ſtrenuam adeo apud Cumanos operam, ut magnam eorum partem prædicatione evangelica ad Chriſtianam fidem traducerent. Quo accepto nuntio Pontifex magna lætitia delibutus, ad conciliandam præconibus evangelicis auctoritatem, illis conceſſit, (*d*) ut Chriſti fidelibus ipſorum conciones audituris triginta, vel quadraginta dierum indulgentias impertirentur. Præterea Pannoniæ archiepiſcopis conceſſit, (*e*) ut ſuſcepta ab iis, qui ſe ad Chriſti cultum traduxerant, canonicæ irregularitatis impedimenta, dummodo facinus atrox & immane non foret, amovere poſſent.

(*d*) *Ib. ep.* 416.

(*e*) *Ib. ep.* 418.

XXVII. Præneſtin. epiſc. in Ungariam legatus miſſus.

Decrevit eodem anno in Ungariam legationem ſummus Pontifex, cujus obeundæ auctoritatem Præneſtino epiſcopo S. R. E. Cardinali commiſit: atque ad comparandam illi populorum obſeruantiam, & antiſtitum prolectandum ſtudium literas exaravit, (*f*) quarum potiorem partem affero: *Venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum epiſcopum, magnum quidem & honorabile membrum Eccleſiæ, virum morum honeſtate conſpicuum, præditum ſcientia literarum, & providentia circumſpectum; quem inter cæteros fratres noſtros admodum charum habemus, pro ſuorum excellentia meritorum; in regnum Ungariæ, & ducatum Sclavoniæ, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, de latere noſtro providimus deſtinandum, ut tanquam diligens cultor evellat, & deſtruat, diſſipet ac diſperdat, ædificet & plantet, prout quæque ipſi Dominus miniſtrabit. De quo utique, cum ei adſit puritas conſcientiæ, & præſto ſit judicium rationis, malitiam odiat, & innocentiam tueatur, ſperamus firmiter quod, dirigente Domino greſſus ejus, ita regia via curabit incedere, ut non declinet ad dextram, vel ſiniſtram, ſed plus creſcet converſationis laude, quam etiam profecerit dignitate. Porro licet ſalvatoris exemplo, quod uni ex minimis noſtris fit, nobis fieri reputemus, quia tamen illos volumus propenſius honorari, qui per ſe honorabiles in parte ſolicitudinis honorant in nobis plenitudinem poteſtatis, &c.* Addit preces & imperia, ut legatum honore debito proſequantur. *Dat. Aſſiſii* III. *non. maii anno* X.

(*f*) *Lib.* 10. *ep. cur.* 16.

XXVIII. Crudele Bellum Ungaros inter & Bohemos accenſum.

Gerebatur tunc bellum atrox Ungaros inter & Bohemos: ad quod extinguendum, ac ſopienda ingentia, quæ inde erumpebant mala; Moraviam enim a Bela Rege Ungariæ, qui Cumanos in expeditione duxerat, adeo immaniter vaſtatam Longinus ſcribit, (*g*) ut horrorem audientibus cladis magnitudo incuteret; Innocentius Velaſcum pœnitentiarium ad eos Reges miſit, quo exaſperatos ipſorum animos conciliaret; ac literas apoſtolicas Bohemorum Regi, (*h*) tum ejus filio duci Auſtriæ, (*i*) & Regi (*k*) Ungariæ eo argumento dedit.

(*g*) *Long. hiſt. Pol. l.* 7.

Illi extinguendo incumbit Innocentius.

(*h*) *Lib.* 11. *ep.* 5.

(*i*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*k*) *Ibid.*

XXIX. Datæ ad Wenceſlaum eo argumento literæ.

*Regi Bohemiæ.*

*Si conſiderarent, ut expediret, guerrarum diſcrimina dimicantes; cum hinc tamen vix, aut nunquam niſi animarum pericula, excidia perſonarum, & rerum damna reportent; ab eorum forſan inchoatione, vel ſaltem exercitio abſtinerent. Sed quia quoſdam ſic plerumque impetus furoris involvit, ut eo plus ſe bellis exercitent, quo magis ipſorum non ſine amaritudine detrimenta deguſtant, oportet nos, qui non tam puri hominis quam veri Dei vicem in terris gerimus, partes noſtras contra talia interponendo diſcrimina, removere ſcandala, ſedare litigia, & revocare ad concordiam diſcordantes. Accepimus ſiquidem veridica relatione multorum, quod inter te & Premiſlaum natum tuum ducem Auſtriæ ex parte una, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Ungariæ illuſtrem ex altera, adeo ſcintilla diſcordiæ, ſufflante inimico humani generis, eſſet ſuccenſa, ut quos antea familiaris decorabat dilectio, & familiaritas confovebat alterna tempeſtatis exagitet ſpiritus, & in profundum vorago jurgiorum abſorbeat, dum ad non neceſſaria bella, ſed pernicioſa prorſus inſurgitis, & adinvicem dimicatis, ſicque fit quod vobis regna veſtra prædantibus, & depopulantibus circumpoſitas regiones, terra remanet habitatoribus, proh dolor! deſolata. Quia vero noſtræ ſolicitudinis intereſt, ut nos, qui diſponente Domino univerſali regimini*



*ni præſidemus, ex officio noſtro; pro eo maxime, quod eccleſiæ, quæ inde conſueverunt nunc lædi, nunc deſtrui, præſerventur, & Chriſtianus populus taliter non perdatur; tantis occurramus periculis, remediis opportunis, celſitudinem tuam rogamus, monemus, & hortamur, atque in remiſſionem tuorum peccatorum imponimus, quatenus ab his guerris omnino deſiſtens, cum prædicto Rege ſic ad pacem & concordiam pro Apoſtolicæ ſedis & noſtra reverentia, ſine dilatione ac difficultate qualibet revertaris, quod exinde apud Deum & homines valeas non immerito commendari. Nos enim dilectum filium fratrem Velaſcum pœnitentiarium noſtrum ad partes illas, ad reformanda inter vos pacis fœdera, deſtinamus, dantes ei cogendi contradictores, & rebelles per excommunicationis in perſonas, & terras ipſorum interdicti ſententias plenariam poteſtatem. Non obſtantibus ſi vobis ab Apoſtolica ſede conceſſum ſit, ut in vos, ſeu terras veſtras non poſſint hujuſmodi ſententiæ promulgari. Dat. Aſſiſii kal. julii anno* XI.

XXX. Auſtriæ ducatum ducta Margareta obtinebat Premiſlaus.

Adeptus fuerat Auſtriæ ducatum Regis Bohemiæ filius Othacherus, juncta ſibi thoro Margareta duciſſa Auſtriaca, quam cum tertio & quarto conſanguinitatis gradu attingeret, ab Innocentio obtinuit, ut apoſtolica auctoritate ipſum a canonicis legibus, quæ id vetabant, eximeret: elicitum tamen ab eo ac patre Rege ſacramentum, ipſos Romanæ Eccleſiæ ac Willelmi Romanorum Regis partes contra Conradiſtas ſtrenue ſuſcepturos: qua de re Velaſco (*a*) pœnitentiario pontificio duæ epiſtolæ III. non. jul. & pridie non. ejuſdem menſis exaratæ. Traductas in illius principis poteſtatem Auſtriam, ac Stiriam perfecto eo matrimonio, conſentit Stero (*b*) his verbis: *Dominus Premizel, qui Othacher, filius Venezlai Regis Bohemorum, Auſtriam & Stiriam ſibi attraxerat, ducta in uxorem domina Margareta relicta Henrici quondam Regis Romanorum, quæ fuit filia illius nobiliſſimi quondam ducis Auſtriæ & Stiriæ Luipoldi*. Hæc ille, qui ſubdit Venceſlaum Bohemorum Regem hoc anno, menſe ſeptembris mortem obiiſſe. Eadem de ejus obitu Siffridus (*c*) & Longinus (*d*) qui Monoculum appellatum ſcribit, ob amiſſum alterum in venatione oculum, cum in ſilva ramus arboris vi adductus illum eliſiſſet; additque viginti quatuor annis, ac menſibus octo ſceptrum tenuiſſe. Ex Bohemia in proximam Daniam orationem traducimus.

(*a*) *Eod. l.* 11 *ep.* 2. & 3.

(*b*) *Ster. in ann.* 1253. *apud Can. antiq. lect. to.* 1. *pag.* 272.

Wenceſlai mors.

(*c*) *Siffr. epit. lib.* 2. *ann.* 1253.

(*d*) *Long. hiſt. Pol. l.* 7. *eod. ann.*

XXXI. Daniæ Rex Lundenſis eccleſiæ privilegia infringit.

Infregerat Danorum Rex conceſſas a majoribus Lundenſi eccleſiæ prærogativas, atque in deſignandis iis, quibus ſacerdotia conferrentur, ſe temere ingeſſerat: cumque canonicorum collegium juſto accenſum zelo, illi reſtitiſſet, graviores in eos iras conceperat: quem permulcere Pontifex conatus (*e*) eſt, monuitque hiſce literis ut edicta regia, quibus vetera privilegia deleverat, reſcinderet.

(*e*) *Inn. l.* 11. *ep.* 121.

*Chariſſimo in Chriſto filio illuſtri Regi Daciæ.*

Corripitur ab Innocentio.

*Optamus, fili chariſſime, tibique in ſinceritate cordis, & animi ſuademus, ut aſſuefacias temetipſum timori divini nominis, & amori non ſolum diligendo ſanctam Eccleſiam ſponſam Chriſti, quæ te per baptiſmum regeneravit in ipſo, ſed ab ipſius offenſa penitus abſtinendo, quia per hoc ſerviens Deo, cui ſervire regnare eſt, vere regnabis, & poſt præſentis vitæ inevitabilem exitum regnum temporale commutabis feliciter in æternum. Sane ſicut dilecto filio capitulo Lundenſis eccleſiæ intimante, non ſine animi turbatione accepimus, tu, prout convenit, non conſiderato prudenter quam ſit abominabile apud Deum, laicos quantumcunque religioſos diſponere de perſonis & rebus eccleſiaſticis, pœna quam Ozias Rex pertulit, qui accepto thuribulo, volens offerre incenſum Domino ut ſacerdos, fuit in facie lepra percuſſus, indicat manifeſte, quod cum in collegiatis eccleſiis jus eligendi non cadat in laicos, quantumcumque patronos; motus ex eo dumtaxat, quod eccleſia ipſa vacante iidem præſentatos ſibi a te noluerunt, ſicut nec debuerunt, nec potuerunt eligere in paſtores; privilegia ſuper libertatibus, & immunitatibus, a claræ memoriæ progenitoribus tuis eccleſiæ prædictæ conceſſa, per tuas literas revocaſti. Ut igitur his literis non ex deliberatione, ſed calore animi proceſſiſſe credantur, regalem excellentiam rogamus attentius, & hortamur quatenus ob divinam, & Apoſtolicæ ſedis reverentiam & noſtram revocans literas memoratas, ipſi eccleſiæ conceſſas, ei libertates & immunitates illibatas ſtudeas conſervare; revocando novis epiſtolis ad debita & conſueta ſervitia ipſius eccleſiæ homines, & vaſallos ejuſdem, quos ab iis per ſupradictas literas diceris ſubduxiſſe, ac ab eorumdem eccleſiæ, & capituli oppreſſionibus & moleſtiis abſtinendo; ita quod Deum, quem ex hoc offendiſſe dignoſceris, placatum tibi reddere valeas: noſque ſinceritatis tuæ zelum dignius poſſimus in Domino laudibus commendare. Dat. Aſſiſii* XVI. *kal. ſeptemb. anno* XI.

Traduxerat Pontifex paucis ante diebus ad archiepiſcopalem illius eccleſiæ ſedem Jacobum Roſchildenſem epiſcopum, ut literæ apoſtolicæ de ea re tum ad ipſum (*f*) tum ad clerum, ac Regem (*g*) datæ illuſtrant: contra Ludolphum ab Alberſtadenſi ſede, in quam fraude irrepſerat, evertit, ac latæ in eum ana-

(*f*) *Ibid. ep.* 120.

(*g*) *Reg. poſt eand. ep.*

anathematis ſententiæ robur apoſtolicum adjecit (*a*).

(*a*) *Ib. ep.* 313

XXXII. Otho dux Bavariæ divino juſtitiæ exemplo moritur.

Statuit hoc anno divinum numen inſigne juſtitiæ ſuæ in eccleſiarum direptores exemplum in atrociſſimo illarum hoſte Othone duce Bavariæ Conradi ſocero: illius enim partes adverſus Pontificem ob junctam cum eo affinitatem, omni ſtudio & contentione efferebat: clericos ſæviſſime inſectabatur, invadebat bona eccleſiaſtica, templa incendebat, ac ſpoliabat: effuſis denique furori habenis ita graſſabatur, ut nil illi ſacrum videretur. Percuſſus ob hæc flagitia cenſuris pontificiis & fidelium conſortio abactus, non reſipuerat; ut etiam hoc anno ab Innocentio epiſcopo Friſingenſi coercendi illius provincia data ſit. Sed demum cum in dies cumulatis novis facinoribus divinam fatigaſſet patientiam, juſtitiamque exaſperaſſet, lata eſt in eum divinitus mortis ſententia: & quidem adeo formidanda, ut nullis perceptis Eccleſiæ, quam toties violarat, ſacramentis, magno æternæ reprobationis argumento, cum ſaginatus opipare, & lætus veſpere decubuiſſet, noctu repente a divino ſatellitio ad Chriſti tribunal raptus fuerit; quæ res antea innocenti ruſtico, objecto cœleſti viſo, oſtenſa fuerat, & ab eo promulgata. Quam hiſtoriam ex Auguſtenſibus annalibus decerpimus (*b*).

(*b*) *Chron. Aug. hoc ann*

XXXIII. Illius mors homini ruſtico divinitus præoſtenſa.

*Otho dux in principio ſui regiminis ſeverus judex & princeps manſuetus, poſtea propter favorem, quem impendere videbatur Friderico quondam Imperatori, & Conrado filio ejus, ab Innocentio Papa IV. & epiſcopis jamdiu & ſæpe excommunicatus; perſequi cœpit clerum: & mala malis addens, in vigilia S. Andreæ apoſtoli, cum in ſero cum uxore & familiaribus ſuis valde jucundus fuiſſet, præſentem vitam ſubitanea morte finivit. Eodem tempore menſe novembri famoſus ille prædicator frater Bertholdus in Lantzhut prædicationis officium exercebat, & morabatur in caſtro cum duce prædicto, cupiens eum inducere ad obedientiam Eccleſiæ, & ſuum erga eccleſias & clerum animum mitigare. Tunc ſupervenit quidam pauper ruſticellus aſſerens ſe in nocte præterita feſtum* * *Michaelis raptum & ductum ad tribunal judicis cujuſdam: ubi audiviſſet & vidiſſet, quod ad querimoniam ſanctorum ſententia mortis data eſſet in Othonem ducem, & cæteros principes pacis turbatores & eccleſiarum ac pauperum vaſtatores. Aſſerebat etiam, quod ſub pœna mortis a ſanctis ex parte Dei eſſet injunctum, ut hæc duci & aliis principibus nuntiare deberet: quod ſi non admitteretur, deberet aliis propalare. Is igitur homulus, cum non fuiſſet admiſſus ad præſentiam ducis, prædicto fratri Bertholdo & aliis quibuſdam talia propalavit. Sed & ſexto die ante obitum ducis idem homo venit ad monaſterium Altahenſe, & dixit H.. abbati, & Alberto abb. de Metem ex parte illius judicis, quod cum non admitterent talia manifeſtare dicti abbates cum Henrico abbate de Eberſperg, deberent intimare duci prænotato, quod niſi citius monetam novam deſtrueret, & reſipiſceret a vexatione pauperum & eccleſiarum, mortis eſſet in brevi ſententiam ſubiturus.* Sed ex Germanicis rebus ad Gallicas ſermonem convertamus.

* *feſti*

Excitatam hoc anno in Galliis gravem adverſus Judæos perſecutionem narrat Pariſius, (*c*) atque, exceptis iis, qui artes mechanicas exercerent, in exilium actos. Quod edictum a S. Ludovico in oriente adhuc agente emanaſſe ait, cujus cauſam hanc affert: *Improperatum enim fuit eidem Regi a Saracenis, quod parum diligimus, aut veneramur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui peremptores ejus inter nos degere toleramus.* Gravia vero ipſos damna intuliſſe Chriſtianis, ac ſuo conſortio eos infeciſſe; unde ii, qui literarum periti erant, ea pœna mulctati, ne ſimplices ſuis erroribus irretirent: ex literis Viennenſi archiepiſcopo ab Innocentio hoc anno miſſis conſtat (*d*): *Sicut tua nobis fraternitas intimavit, ex converſatione Judæorum in tua provincia quos aliquandiu de mandato ſedis Apoſtolicæ in eadem provincia, non ſine Chriſtianorum diſpendio & multorum ſcandalo, toleraſſe te aſſeris, gravia ipſis Chriſtianis animarum noſcantur pericula imminere; nos ad animarum ſalutem totis affectibus aſpirantes, expellendi de ipſa provincia prædictos Judæos vel per te, vel per alios; præſertim cum ſtatuta contra eos a ſede prædicta edita, ſicut accepimus, non obſervent; plenam tibi auctoritate præſentium concedimus facultatem, &c. Dat. Aſſiſii* x. *kal. aug. an.* XI. [1]

XXXIV. Judæi in Galliis exagitati.

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

(*d*) *Lib.* 11. *ep.* 160.

Rabini ipſorum pelli in exilium a Pontifice juſſi.

Fer-

NOTÆ [1] HOc anno Gallia concilium dedit collectum Pariſiis ex patribus Senonenſis provinciæ ſuffraganeis. In eo vero decretum fuit, ut capitulum Carnotenſe ex urbe illa removeretur in pœnam cantoris cujuſdam Carnotenſis impio facinore cæſi. Extat datum a patribus illis decretum quod ſignatur anno MCCLIII. die mercurii poſt feſtum S. Martini apud Martenium collect. monum. to. VII. col. 143. ex quo in novam, ſi quæ fiet, conciliorum collectionem transferendum erit.

Hoc pariter anno a Petro Lamballe Turonenſi archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis concilium Salmuri habitum eſt, cujus canones XXXII. in collectione Labbeana to. XIV. col. 136. edit. Venet. vulgati ad eccleſiaſticorum & monachorum diſciplinam reformandam plerumque ſpectant. Maanus in ſua metropolitana Turonenſi concilium iſtud produxit, celebratumque ſtatuit a Juhel-



XXXV. Fervebat hoc tempore Anglia bellico in Terram ſanctam expeditionis apparatu, quanquam is poſtea fuit diſſolutus. Pontifex tamen, quo Henricum incitaret, graves ea de re hoc anno literas ſcripſit, (*a*) quibus ipſius regnum, atque alios principatus clientelæ apoſtolicæ commendatum iri, eſt pollicitus: *Cum in ſuccurſum Terræ ſanctæ, quam in contemptum Chriſti, & fidelium ejus opprobrium occupatam detinent Agareni, velut fidus athleta fidei, & ultionis & injuriarum Domini anxius, cum honorabili commilitonum exercitu crucis jam aſſumpto ſignaculo transfretare proponas; nos tuum tam laudabile propoſitum commendantes, ac volentes apoſtolicis tibi adeſſe favoribus in hac parte, tuam & chariſſimæ in Chriſto filiæ nobilis Alienoræ Angliæ Reginæ illuſtris uxoris, nec non Eduardi primogeniti & heredis, ac aliorum liberorum tuorum perſonas cum familiis, & Angliæ regno, Hibernia, Vvallia, Vvaſconia, & aliis terris, poſſeſſionibus, juribus, libertatibus, rationabilibus conſuetudinibus, & cæteris bonis tuis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſides, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poteris adipiſci, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripturæ pagina communimus. Nulli ergo, &c. Datum Aſſiſii non. ſeptembris anno undecimo.*

(*a*) *Ep.* 165.

Henricus cruceſignatus in clientelam apoſtolicam acceptus.

XXXVI. Eodem argumento miſſis literis Angliæ epiſcopis data provincia eſt, (*b*) ut tuendæ publicæ paci incumberent, & cenſuras in regios hoſtes ferrent. Tradit etiam Pariſius (*c*) eccleſiaſticorum decimas ad triennium ad ſuſtinendos bellicos ſumptus decretas Regi fuiſſe: tum alia a viris nobilibus ſtipendia coacta; illumque magnam chartam (ita quaſdam leges vocat) religioſiſſime ſervaturum ſacramento ſpopondiſſe. Anglicanos vero patres ſacris ornamentis magnifice indutos anathematis ſententiam ſolemni ritu in eos tuliſſe, qui illas infringerent; cumque Regi fax accenſa oblata eſſet, accipere recuſaſſe adjectis his verbis: *Non decet me candelam talem tenere; non enim ſum ſacerdos: cor autem majus perhibet teſtimonium. Et ex tunc tenuit manum expanſum ad pectus donec tota ſententia finiretur:* quæ poſtmodum ſententia ab Innocentio ſequentis anni XI. kal. oct. confirmata eſt, literiſque (*d*) apoſtolicis inſinuata; quas ob rei dignitatem afferendas duximus.

(*b*) *Ep.* 169.

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Renovatæ in Anglia ſolemni ritu nonnullæ leges.

(*d*) *Lib.* 12. *ep.* 241.

*Univerſis archiepiſcopis, & epiſcopis regni Angliæ.*

XXXVII. Confirmantur Ap. ſedis auctoritate.

*Cum ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, vos cupientes, prout ad veſtrum ſpectat officium, libertatem eccleſiaſticam in regno Angliæ illibatam ab omnibus conſervari, cum voluntate ac beneplacito chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Angliæ illuſtris, in omnes illos, qui malitioſe, ac ſcienter eccleſias ipſius regni ſuo jure privaverunt vel ſpoliaverunt, & libertates eccleſiaſticas, & antiquas regni conſuetudines, & præcipue illas libertates & liberas conſuetudines, quæ continentur in chartis communium libertatum, & de foreſta conceſſis a dicto Rege vobis ac aliis ejuſdem regni prælatis, violaverint, infregerint, diminuerint, ſeu immutaverint; & qui contra illas ſtatuta ediderint, vel edita obſervaverint conſuetudines introduxerint, vel ſervaverint introductas; necnon in ſcriptores, executores, & conſiliarios ſtatutorum ipſorum, excommunicationis ſententias duxeritis proferendas, prout in literis ſuper hoc confectis plenius continetur; nos veſtris ſupplicationibus inclinati, quod a vobis provide factum eſt, in hac parte ratum habentes & gratum, id de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica confirmamus, tenorem literarum ipſarum præſentibus inſeri facientes, qui talis eſt.*

XXXVIII Forma vibrati a præſulibus Anglis anathematis in eos qui ipſas violarent.

*Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, glorioſæ Virginis & Dei genitricis Mariæ, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque Apoſtolorum, B. Thomæ archiepiſcopi & martyris, omniumque ſanctorum martyrum, B. Edvvardi Regis Angliæ, omniumque confeſſorum, atque virginum, omniumque ſanctorum, & ſanctarum Dei. Nos B. miſeratione divina Cantuarienſis epiſc. totius Angliæ primas, F. Londonienſis, H. Elienſis,*

NOTÆ hello archiepiſcopo anno MCCXLIII. ſed integro decennio erraſſe illum conſtat tum ex dupli-
ci quem Coſſartius, aliiſque pariter MSS. codicibus quos Bochellus conſuluit, in quibus omni-
bus legitur annus MCCLIII. dies martis poſt feſtum S. Andreæ apoſtoli; cum pariter ex cano-
ne concilii ejus VIII. in quo ſtatutum quoddam innovatur *olim editum*, ut ibi legitur, *a præ-
deceſſoribus noſtris in caſtri Honteri & vallis Guidonis conciliis*. Concilium hoc vallis Guidonis
habitum fuit a Juhello adhuc Turonenſi, nondum Remenſi archiepiſcopo anno 1242. idemque
præſul anno 1243. nondum Turonenſem cathedram deſeruerat. Minus ergo accurate archiepiſ-
copus ille ſcripſiſſet concilium apud vallem Guidonis a prædeceſſoribus ſuis olim habitum fuiſſe,
cum rectius dixiſſet a ſe anno præcedenti habitum. Igitur concilium iſtud recte anno 1253.
conſignatum eſt.

Eoſdem pariter epiſcopos hoc ipſo anno conveniſſe iterum in concilium ad caſtrum Gonte-
rii, diſcimus ex unico ejus ſynodi decreto, quo conſtitutio Gregorii IX. *Quia nonnulli de
reſcriptis*, ſervanda edicitur, datumque illud inſcribitur anno 1253. apud caſtrum Gonterii
in concilio provinciali. Tria hæc concilia in editione Veneto-Labbeana adnotanda ſunt. MANSI

*ſis, R. Lincolnienſis, VV. VVigornienſis, VV. Norvicenſis, P. Herefordenſis, VV. Sareſbirienſis, VV. Dublinenſis, R. Exonienſis, S. Karleonenſis, VV. Bathonienſis, S. Roffenſis, Th. Menevenſis epiſcopi, de aſſenſu & voluntate venerabilis patris VV. Dei gratia Eboracenſis archiepiſcopi anathematizamus, & a liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtramus omnes illos, qui amodo ſcienter, & malitioſe eccleſias privaverint, vel ſpoliaverint ſuo jure. Item omnes illos, qui eccleſiaſticas libertates, vel antiquas regni conſuetudines, approbatas, & præcipue libertates, & liberas conſuetudines quæ in chartis communium libertatum, & de foreſta continentur a domino Rege conceſſis archiepiſcopis, epiſcopis, & cæteris Angliæ prælatis, comitibus, baronibus, militibus, & libere tenentibus quacumque arte, vel ingenio violaverint, diminuerint, vel infregerint, ſeu immutaverint clam, vel palam facto, verbo, vel conſilio contra illas, vel illarum aliquam in quocunque articulo temere veniendo.*

XXXIX. *Item omnes illos, qui contra illas, vel earum aliqua ſtatuta ediderint, vel edita ſervaverint, conſuetudines introduxerint, vel ſervaverint introductas: ſcriptores etiam ſtatutorum ipſorum, necnon conſiliarios, & executores: & qui ſecundum ea præſumpſerint judicare. Qui omnes & ſinguli ſuperius memorati hanc noſtram ſententiam incurſuros ſe noverint ipſo facto, qui ſcienter aliquid commiſerint de prædictis. Qui vero ignoranter, niſi commoniti intra quindenam a tempore commonitionis ſe correxerint, & arbitrio ordinariorum plene ſatisfecerint de commiſſis: & tunc ſint hac ſententia involuti. Eadem etiam ſententia innodamus omnes illos, qui pacem Regis & regni præſumpſerint perturbare. In cujus rei memoriam ſempiternam, nos ſigna noſtra præſentibus duximus apponenda. Actum in majori aula regia, apud VVeſtmonaſterium, an. Dom. MCCLIII. id. maii ſub præſentia, & aſſenſu Henrici Dei gratia Regis Angliæ illuſtris & dominorum Richardi egregii comitis Cornubiæ fratris ſui; R. comitis Norfolchiæ, & mareſcalli Angliæ. H. comitis Herefordiæ, H. comitis Hexoniæ, I. comitis Vvarvvic, & aliorum optimatum Angliæ ad hoc, quaſi ad conſilium ſpecialiter vocatorum.* Nulli, &c. Noſtræ confirmationis, &c. *Dat. Anagniæ* XI. *kal. octob. an.* XII.

XL. Geſta reſcindere molitur Henricus. Vetat Innoc. exteros in Anglia ſacerdotia gerere.

Subornatum porro paulo poſt ab aſſentatoribus Henricum facti pœnituiſſe ſcribit Pariſius, ac modos ad convellenda ea, quæ ſacramento ſanxerat, excogitaſſe: cum illi inſuſurratum eſſet regiam auctoritatem iis legibus labefactari.

Expoſtularant apud Innocentium Anglicani patres, in eo conſilio congregati, ad libertatem eccleſiaſticam in eo regno oppreſſam priſtino reſtituendam ſplendori ſacerdotia peregrinis hominibus ab Romano Pontifice ſæpius conferri; cui rei modum poſiturum eſt pollicitus, ac paulo poſt ea de re conſtitutionem edidit (*a*).

(*a*) *Lib.* 10. *ep.* 696.

XLI. (*b*) *Lib.* 11. *ep.* 249. Richardus Ciceſtrenſis epiſc. pie moritur.

Hoc anno IV. non. aprilis, ut ait Pariſius, (*b*) pulcherrimum Angliæ lumen Richardus Ciceſtrenſis epiſcopus, ſanctitate & doctrina inſignis, beati olim Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi clericus, ac familiaritate ipſi conjunctiſſimus; quem ſanctus archiepiſcopus ſuis conſiliis adhibere erat ſolitus, & illi eccleſiæ præficiendum prædixerat: extinctum eſt, ut cœlo fulgeret, quamquam multis poſt mortem miraculis Angliam illuſtravit: quæ Rodulphus Ciceſtrenſis duobus libris, una cum cæteris ejus rebus geſtis, eſt proſecutus; illa vero in compendium ab incerto auctore redacta Surius in lucem edidit (*c*). Incumbebat porro vir ſanctus magno ardore incitandis ad ſequenda crucis ſigna populis, cum ad colligenda laborum præmia in cœlum eſt receptus.

Miraculis effulget.

(*c*) *Sur. to.* 2. *die* 3. *april.*

XLII. (*d*) *Cent.* 13. *c.* 10. *col.* 1136.

Agunt de Richardo novatores, (*d*) qui anno ſuperiori defunctum male aſſerunt, utque viri improbi eximios quoſque ſanctitate viros canino dente proſcindere ſolent, non perhorreſcunt aſſerere, illum non modo ſalutari pabulo oves ſuas non paviſſe, verum falſo doctrinæ veneno interemiſſe. Ut vero ab Urbano IV. in ſanctorum numerum relatus fuerit in ſequenti tomo collocavimus (*e*). Conjunctum ſanctiſſimo epiſcopo in cœleſti gloria fuiſſe Thomam archidiaconum Northumbriæ, ut illi ac D. Edmundo, cujus fuerat diſcipulus, in terris amicitia extiterat conjunctiſſimus; ac multis miraculis ejus beneficio patratis effulſiſſe tradit Pariſius; (*f*) atque ex auctoris verbis, quibus Richardo nondum a Rom. Pontifice ſanctorum honores decretos inſinuat, colligitur illa ante annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum ſecundum conſcripſiſſe.

(*e*) *Anno Chr.* 1262.

(*f*) *Par. hiſt. Angl.*

XLIII. Robertus Lincoln. fidelium cœtu ejectus moritur.

Addit idem auctor eodem anno vita functum Robertum Lincolnienſem epiſc. quem veluti inſignem ſanctitate celebrat: ac tamen jactatas ab illo inſanas in Romanum Pontificem voces ſchiſmatico odio imbutas affingit; refertque literas ab eo ad Innocentium, qui nonnulla pecuniarum ſubſidia repoſcebat, ſcriptas; quæ viri ſancti zelum non redoleant, ſed efferati potius ſchiſmatici rabiem, projectamque impudentiam redarguant. Floruere in Dei Eccleſia antiſtites ſanctitate & zelo divino inſignes, infelici illo ævo, quo nonnulli Pontifices Romani parum digne demandatas ſibi a Chriſto vices gerebant (de quibus Baronius *g*) nec tamen illi unquam, niſi ſumma cum modeſtia, ipſos corripuerunt. Certe hoc tempore vigebat S. Richardus Ciceſtrenſis, qui maximis miraculis, ut dictum eſt, effulſit: atque divino ſpiritu longe magis, quam

(*g*) *Baron. in annal. tom.* X.



quam Robertus agebatur; nec ille tamen adverſus Innocentium ita invectus eſt: immo ſummo honore eſt proſecutus, atque in demandato ab illo incitandi pro concione ad arma ſacra populi Chriſtiani munere vitam collocavit. Beata etiam Clara, quam ſanctitate & miraculis eo tempore effloruiſſe omnes teſtantur, ſummo honore Innocentium eſt proſecuta. Atrox etiam & felle plena eſt oratio, quam Roberto in extremis vitæ confiniis agenti affingit auctor, in qua ineptis argumentis Papam hæreticum eſſe & antichriſtum inſinuat, quæ non divino ſpiritu afflatum, ſed diabolica vertigine agitatum coarguunt. Aut ergo ficta ſunt ea miracula, quæ Pariſius ipſius mortis tempore ait contigiſſe, auditos nimirum ab epiſcopo Londinenſi, & Minoritis quibuſdam ſuaviſſimos campanarum concentus; aut longe a jaciendis illis in Rom. Pontificem maledictis abfuit, quibus ab eo laceratum Innocentium ſcribit Pariſius, quem dedita opera ſimillimis figmentis, atque artibus Rom. Pontifices in odium vocare ſolitum, alias a Card. Baronio, atque a nobis demonſtratum eſt. Commentitium pariter videtur, quod tradunt (*a*) cum Innocentius Roberti oſſa ob aculeatas & ardentes ab eo acceptas literas e ſepulcro extra eccleſiam eiicere meditaretur, Robertum in ſomnis ipſum increpuiſſe, ac paſtorali pedo magna vi lancinaſſe, ut acerrimum inde dolorem Pontifex acceperit. Sed hæ Pariſii, aliorumque nugæ abunde jam convictæ; ad graviora nos conferamus.

Refutantur ea quæ Pariſius de ipſo fingit.

(*a*) *Par. ubi ſup. & Vveſtmonaſterien. Flor. hiſt.*

XLIV. Alfonſus in Africam ducere expeditionem parat.

In Hiſpania meditatam a patre Ferdinando in Africam expeditionem Alphonſus Caſtellæ & Legionis Rex urgebat; jamque ab elapſis retro annis in Cantabrico littore conflandæ claſſi incubuerat, cum Romanum Pontificem hoc anno rogavit, ut viris piis munus demandaret ad ſolicitandos pro concione populos, ut in arma ſacra proſilirent: tum crucem ſumpturis e ſacro Chriſti meritorum ærario indulgentias liberaliter largiretur. Cujus piis deſideriis reſpondit Innocentius, atque Prædicatorum & Minoritarum in Caſtella magiſtris provinciam dedit, (*b*) ut vel ipſi populos ad ſequenda crucis ſigna incitarent, vel ſuorum, qui pietate & eloquentia valerent, operam ad id adhiberent; atque profecturis ſtipendiave ſuppeditaturis crimina a numine condonatum iri pollicerentur.

Illius ſigna ſecuturis propoſitæ indulgentiæ.

(*b*) *Ep.* 355.

XLV. *Chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Caſtellæ, ac Legionis illuſtris, ut princeps catholicus & Deo devotus aſpirans ad augmentationem fidei, & nominis Chriſtiani, prout nobis intimare curavit, contra Sarracenos de Africa inimicos crucis transfretare proponit cum bellatorum multitudine copioſa. Quia vero ad proſecutionem hujuſmodi negotii auxilium Chriſti fidelium eſt plurimum opportunum, mandamus quatenus in ejuſdem Regis ſuccurſum contra Sarracenos ipſos per regna Caſtellæ, ac Legionis crucem per vos, vel per alios fratres veſtrorum ordinum, quos ad hoc eligendos duxeritis, prædicetis, & ſtudeatis ipſam recipere volentibus impertiri; conceſſuri omnibus illis, qui propter hoc in perſonis propriis, & expenſis, aut in perſonis tantum cum eodem Rege transfretabunt, ſive in expenſis ſuis miſerint idoneos bellatores; & eis etiam, qui juxta facultatem & qualitatem ſuam ſecundum veſtræ ac illorum, quibus hoc commiſeritis, diſcretionis arbitrium de bonis ſuis contulerint pro conducendis, vel remunerandis idoneis bellatoribus, in ipſis regnis ſubſidium deſtinandis, ſeu alias aliqua de bonis propriis pro hujuſmodi ſubſidio erogabunt; juxta qualitatem, & quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum illam ſuorum peccaminum veniam, de quibus veraciter corde contriti, & ore confeſſi fuerint, quæ ſuccurrentibus, & mittentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium in generali concilio eſt conceſſa. Volumus autem, quod vos, & illi, quibus hæc commiſeritis, ea quæ pro conducendis hujuſmodi bellatoribus, & alia etiam, quæ pro prædicto ſubſidio fuerint erogata, fideliter colligatis, depoſituri eadem penes aliqua tuta loca Regi aſſignanda prædicto, cum per ſe, vel per vicarium ſuum iter arripere voluerit contra Sarracenos hujuſmodi transfretandi. Dat. Peruſii* IV. *idus januar. an.* X.

Eodem argumento gemini illius ordinis religioſis viris, qui in Navarræ regno verſabantur, ſcripſit (*c*). Cum vero in ea expeditione Chriſti cauſa ageretur, cenſuit Pontifex ſacras Eccleſiæ opes optime in illa collocatum iri: quare conceſſit, ut ob id Regi Alphonſo ad triennium tertia decimarum pars, quæ ad templorum ſartatecta derivanda erat, attribueretur. Cumque in Compoſtellano archiepiſcopatu ejuſmodi decimæ ad uſus templorum convertendæ conſuetudo non valeret, juſſit (*d*) ex aliis eccleſiarum vectigalibus tanta pecuniarum ſubſidia confici, Alphonſoque ad ornandum belli apparatum ſuppeditari.

(*c*) *Lib.* 10. *ep.* 356.

(*d*) *Ib. ep.* 459.

De Luſitanis rebus illud occurrit, Innocentium, ne regni illius Eccleſiæ vectigalis effecti, memoria lapſu temporum obſoleſceret, publico diplomate (*e*) prædeceſſoris Lucii II. literas promulgaſſe; quibus fertur, ut Alfonſus Portugalenſis dux ob accepta a Deo beneficia, partaſque de infidelibus victorias, Chriſto ſe, ſuaque conſecrarit, atque ejus vicarii ſe ſtipendiarium, promiſſo quatuor unciarum auri vectigali, conſtituerit. XLVI.

(*e*) *Lib.* 10. *ep. cur.* 18. Ut Luſitania eccleſiæ vectigalis fuerit conſtituta.

*Omnibus Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis.*

In-

Inſpeximus literas felicis recordationis Lucii Papæ II. prædeceſſoris noſtri formam hujuſmodi continentes: *Lucius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Alphonſo illuſtri Portugalenſi duci ſalutem, &c. Devotioni tuæ dilecte in Domino fili maxime congaudemus, quod temetipſum de illis omnibus recognoſcens, quibus, dominus noſter Jeſus Chriſtus B. Petri cuſtodiæ commendavit, cum ad expugnationem paganorum intentus, multiſque negotiis ſæcularibus occupatus, Apoſtolorum limina viſitare non poſſes, per manum dilecti filii noſtri G.. diaconi Card. tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legati, prædeceſſori noſtro felicis memoriæ Papæ Innocentio hominium laudabili devotione feciſti, & terram tibi a Deo commiſſam B. Petro Apoſtolorum principi contuliſti, atque perſonam tuam, & terram ipſam ipſius patrocinio humiliter commiſiſti. Poſtmodum vero tam per literas tuas, quam per venerabilem fratrem noſtrum I. Bracharenſem archiepiſcopum, nobis etiam promiſiſti, ut tam tu, quam heredes tui de terra ipſa quatuor uncias auri annis ſingulis Rom. Pontifici perſolvatis. Nos itaque, qui licet indigni, B. Petri loco reſidere conſpicimur, tam te quam filios tuos, & ſucceſſores veſtros inter heredes ipſius Apoſtolorum principis ipſo adjuvante ſuſcipimus, ut in ejus ſemper benedictione, & protectione tam animarum, quam corporum maneatis, per quam ab hoſtium viſibilium & inviſibilium expugnatione defenſi ad cœleſtia regna pervenire, largiente Domino, valeatis. Dat. Later. kalend. maii. Quarum literarum tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus ad memoriam futurorum. Datum Perusii* II. *non. januarii anno* x. Meminit harum Lucii II. literarum Innocentius III. (*a*) in ſuis ad Sanctium I. Regem Luſitaniæ, quibus in mentem revocavit Alphonſum Luſitaniæ ducem ad pendendum quatuor unciarum auri vectigal ſe ſuoſque obſtrinxiſſe: qui poſtea ob præclaras de Sarracenis partas victorias ab Alexandro tertio regia dignitate decoratus, regnum Luſitanum ſedi Apoſtolicæ jure fiduciario, ob accepta a numine ingentia beneficia, ſubjecit. De his Card. Baronius (*b*) qui pluribus vetuſtis monumentis rem probat; adducitque alias Innocentii tertii literas ad Alphonſum ſecundum, quibus ipſi regnum ut ſedis Apoſtolicæ fiduciarium confirmavit, & duas marchas auri ab eodem Alphonſo Sanctii ſucceſſore cenſus nomine oblatas admiſit: quarum etiam nos literarum præcipuam partem ſuo loco edidimus (*c*).

(*a*) *Lib.* I. *ep.* 59. *vide ſup. an.* 298. *n.* 35.

(*b*) *Baron. Ann. Chr.* 1179. *n.* 16. 17.

(*c*) *Ann. Chr.* 1212. *n* 38.

In Navarra Theobaldus Rex octavo julii die ſceptrum Theobaldo filio moriens reliquit (*d*): qui ut ob ſtudium inſtaurandæ rei Chriſtianæ in Syria magnam laudem pepererat, ita non levi macula ob eccleſiaſtica oppreſſa jura nomen inquinavit. Ferunt (*e*) enim ea de cauſa regnum toto triennio ſacris interdictum: pulſumque Remigium epiſcopum Pampelonenſem, annitentibus proceribus magno omnium gaudio regiæ gratiæ ac ſuæ ſedi reſtitutum. Illum etiam ea laude ornat Mariana, poeticæ & muſicæ fuiſſe peritiſſimum, & compoſita a ſe carmina in aula dijudicanda proponere ſolitum. Eo vero extincto Margareta Regina confirmandi ac tuendi regni ſolicita fœdus, de quo fuſius Surita (*f*) cum Jacobo Rege Aragonum ad Caſtellæ Regis conſilia comprimenda, accepta dataque fide, percuſſit; eoſdem ipſis amicos & hoſtes futuros. Suſcepit præterea Innocentius ſequenti anno novum Regem ad magnas ſpes pubeſcentem in clientelam apoſtolicam ad quinquennium, ut imbecilli ipſius ætati præſidio eſſet; qua de re has ad ipſum literas (*g*) dedit: *Etſi cunctis Regibus, & principibus Chriſtianis ex injuncto nobis ſervitutis officio defenſionis præſidio aſſiſtere teneamur; circa illos tamen ſpecialis patris officium exequi nos oportet, quorum faciem pubertas non novit, & qui carnalis patris ſunt regimine deſtituti. Hinc eſt, quod tuis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonam tuam cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſides, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Nulli ergo, &c. præſentibus poſt quinquennium, &c. Dat. Aſſiſii* v. *kal. jun. an.* XI.

(*d*) *Surit. annal. l.* 3. *c.* 48.

(*e*) *Mari. an. de rebus Hiſp. l.* 13. *c.* 9.

(*f*) *Surit. ubi ſup.*

(*g*) *Lib.* 11. *ep.* 705.

Attexere hoc loco viſum eſt collata ab Innocentio ſimillima apoſtolica beneficia. Recepit (*h*) in ſuam protectionem magiſtrum eccleſiæ Deiparæ ſacræ, cui Sempinghami nomen eſt, & canonicos regulares; vetuitque ne quis religioſi illius ordinis inſtituta a B. Giliberto conditore ſcriptis tradita, atque a Romanis Pontificibus confirmata, immutare auderet: privilegia denique ab Henrico ſecundo, & Richardo ejus filio ipſis tributa rata ac firma eſſe juſſit, cui diplomati ſua quoque ſuffragia ac ſigilla Cardinales adjecere.

(*h*) *Lib.* 10. *ep.* 507.

XLVIII. His adjungimus Innocentium abrogaſſe (*i*) legem a legato apoſtolico latam, ut omnes eremitici ordinis fratres quocumque irent baculum geſtarent, cum id non levi ipſis incommodo foret: *Petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod olim a quibuſdam legatis ſedis Apoſtolicæ de ſpeciali mandato ejuſdem ſedis, ut dicebant, ſtatutum extitit, ut quilibet frater veſtri ordinis, quocumque ipſum ire contingat, geſtare in manu propria baculum teneatur. Cum autem, ſicut aſſeritis, delatio baculorum hujuſmodi certis ex cauſis moleſta vobis exiſtat, & nimium tædioſa, & per hoc veſtris mentibus obducto*

(*i*) *Ib. ep.* 560.



*turbationis nubilo contingat multoties apud vos ſanctæ contemplationis otium impediri; nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, quieti veſtræ in hac parte conſulere pro remedio cupientes, ut eoſdem baculos, non obſtante ſtatuto prædicto, inviti deferre minime teneamini, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Datum Peruſii* II. *id. mart. anno* x. Approbaſſe (*a*) vero, quæ a Joanne Bono in ſummo priore eligendo ſancita erant, tum etiam conſtitutionem a Richardo tit. S. Angeli diacono Cardinali ſuperiori anno de eorumdem fratrum veſtibus editam corroboraſſe: (*b*) indulſiſſe Minoritis Aſſiſianis (*c*) ut ad augendam S. Franciſci gloriam, cujus corpus in ipſorum templo ſervabatur, pretioſiſſimis quibuſcumque ornamentis veſtire altaria, atque decorare poſſent, ac plures Minoritis prærogativas, quas P. Lucas Wadinghus recenſet, contuliſſe (*d*): dimiſiſſe in varia terrarum loca religioſos Prædicatores ad Sarracenos, paganos, Græcos, Bulgaros, Cumanos, Ætyhiopas, Syros, Iberos, Alanos, Cazaros, Scythas, Tartaros, Zichos, Rhutenos, Jacobitas, Nubianos, Neſtorianos, Georgianos, Armenos, Indos, Moſcelitas, Ungaros majoris Ungariæ, Chriſtianos captivos, alioſque populos a fide catholica aberrantes in ſinum Eccleſiæ revocandos pontificiæ oſtendunt literæ (*e*).

(*a*) *Ep.* 635. Auguſtiniani ne baculum geſtare teneantur.

(*b*) *Lib.* 11. *ep.* 15.

(*c*) *Ib. ep.* 88.

(*d*) *Luc. Vvadin. annal. Min. to.* 2. *an.* 1253.

(*e*) *Lib.* 11. *ep. cur.* 1.

*Innocentius, &c.*

*Cum hora undecima ſit diei hominibus, ut exeant ad opus uſque ad mundi veſperam deputati, & illud Apocalypſis eulogium cito credatur cum matris Eccleſiæ conſolatione complendum, videlicet oportere viros ſpirituales vitæ munditiam, & intelligentiæ gratiam cum Joanne ſortitos populis, & gentibus, linguis, Regibuſque multis denuo prophetare, quia non ſequitur reliquiarum Iſrael per Iſaiam prophetam ſalvatio, niſi juxta Paulum Apoſtolum prius introeat gentium plenitudo; nos licet immeriti, ſuper Apoſtolicæ ſedis ſpeculam conſtituti fideliter, & prudenter diſpenſandis miniſteriis & operibus coadiuvandis intendimus, ſi urgente plenitudine temporis poſt pia ipſorum ſtudia in vineam domini Sabaoth novos, & pene noviſſimos, qui ſapientiam longam didicere, per otium operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos juxta profeſſæ religionis officium zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, quam variis chariſmatum donis, & fidei fortitudine trahitis ubique diſcutere, ac vexillum Regis gloriæ procul levare geſtitis ad gentes, quæ Jeſum Chriſtum Dominum non cognoſcunt, & ad ſubtractionis filios qui ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non obediunt, deſtinamus, vobis in remiſſionem peccatorum omnium injungentes, quod ſeminaturi ſuper aquas multas in illo tantum, qui mundum dixit ſe viciſſe, confiſi ad illuminationem cæcæ multitudinis, & exterminium hæreticæ falſitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos in luce ſermonis, & certitudine operis propoſitum vobis iter ſine quorumlibet offenſione curratis, &c.* Inſtruit auctoritate ampliſſima ad munus arduum ſtrenue obeundum. *Dat. Aſſiſii x. kal. aug. an.* XI. Odoni Cardinali epiſcopo Tuſculano A. S. L. commiſit ut e Prædicatorum, & Minoritarum ordinibus religioſos viros pietate & doctrina illuſtres, epiſcopos crearet, qui fidem Chriſtianam inter Tartaros diſſeminarent, atque auctoritate inſtrueret, ut earum provinciarum Chriſtianos, nondum in religione corroboratos, ſervandis jejuniorum legibus abſolvere, ac matrimonii in gradibus canonibus tantum pontificiis vetiti, contrahendi poteſtatem tribuere poſſent. Ad quod S. Ludovici precibus, qui amplificandi Chriſtiani nominis modos omnes ſtudioſiſſime explorabat, eaque de cauſa oratores ad Tartaros miſerat, adductus eſt (*f*).

S. Ludovici adductus precibus ad Tartaros prædicatores mittit.

(*f*) *Lib.* 10. *ep.* 508.

XLIX. *Epiſcopo Tuſculano A. S. L.*

*Athleta Chriſti præcipuus, & Chriſtianiſſimus princeps chariſſimus in Chriſto filius illuſtris Rex Franciæ, ad ampliandum cultum Chriſtianæ fidei ardenter aſpirans, ſuis nobis literis intimavit, ut cum, ſicut ipſe accepit a ſuis nunciis, quos miſit ad Tartaros, nonnulli ex eis fidem Chriſti ſuſceperunt per baptiſmum, & quamplures ex ipſis, prout creditur, ſi proponeretur eis verbum ſalutis, ad viam veritatis, quæ Chriſtus eſt, per lavacrum regenerationis redirent; conveniens & ſalutiferum ſibi videtur, & multis, ut quia, procurante Calipho de Baldach, Chriſtiani, qui ſunt in partibus illis, pauciſſimos habent epiſcopos, aliqui de fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, qui ad prædicandum eis ſunt deſtinandi, promoverentur ad vacantes illarum eccleſias ad epiſcopalis apicem dignitatis, qui poſſent * conferre, & alia eccleſiaſtica ſacramenta, quæ ad epiſcopos pertinent, exercere, ac haberent etiam facultatem diſpenſandi cum illis, qui ad fidem noviter convertentur; ut in gradibus non prohibitis in lege divina, ſi neceſſitas, vel utilitas exigit, matrimonialiter valeant copulari, & quo ad obſervationem jejuniorum ſecundum conſtitutiones eccleſiaſticas paſſim non tenerentur aſtricti, donec per inhabitantem gratiam in fide catholica fortius radicati ad hæc, & aliis convenientia Chriſtianis ritibus, obſervanda ſe reddiderint aptiores. Quia vero fratrum induſtriæ earundem partium habere potes notitiam pleniorem, præmiſſa omnia tuæ providentiæ committimus, ut ſuper his ordines, diſponas, & facias, prout animarum ſaluti, & utilitati,*

* ordines

*tati, & promotioni hujuſmodi negotii videris expedire. Datum Peruſ.* x. *kal. martii anno* x.

L. Verſabatur adhuc in Syria ſanctus Ludovicus ad Chriſtianam rem, quæ in anceps diſcrimen adducta erat, ſuſtentandam. Sarraceni enim Dameſceni atque Ægyptii, & Babylonii, ut ex Jonvillæo (*a*) diximus, poſitis mutuis odiis inter ſe conciliati ſunt, bellique molem in fideles verterunt, & excurſionibus in terras, quæ Chriſto parebant, factis, obvia quæque ferro flammaque vaſtaverunt. Quo triſti nuntio perculſus Pontifex incubuit, ut in Galliis ſub Alphonſo Pictaviæ comite S. Regis fratre, qui crucem induerat, expeditio conflaretur, & Gallos flebilibus literis ſolicitavit, ut ſuo Regi in auxilium procurrerent ne penitus res Chriſtiana in Syria interiret; provinciam vero Prædicatorum Pariſienſium præfecto contulit (*b*) ut ſacras conciones de capeſſenda cruce, ac ſuſcipienda Hieroſolymitana profectione haberet.

(*a*) *Jonvill. hiſt. S. Lud. par.* 2.

Pictaviæ comes ad ferenda Syriæ auxilia ſolicitatus.

(*b*) *Lib.* 10. *ep.* 612.

*Innocentius &c. priori fratrum Prædicatorum Pariſienſium.*

*Planxit hactenus non paululum mater Eccleſia dolorem ſuum, videlicet miſerabilem ſtatum illius terræ ſanctiſſimæ, quam olim ſanctis promiſſam patribus Dei Filius, inclinatis cœlis homo factus inhabitans, ipſam in propriam hereditatem, & exhibenda ibidem myſteria humanæ redemptionis electam ſuo pretioſo ſanguine conſecravit. Luget adhuc amaritudine plena, & mœrore confecta, quod præter id, quod foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt, tamen hoſtibus ejus alienos deos colentibus factis in capite, ac prophanam immittentibus ad ipſius deſiderabilia manum, ſanctuarium Domini, cujus etiam ingreſſum divina eis interdicit prohibitio, polluitur: hinc Chriſticolis in Chriſti ſponſam inſurgentibus, & filiis vipereo more lacerantibus matrem, cujus ubera lactaverunt; ex inſperato cecidit in illis partibus exercitus Chriſtianus. Quorum, & maxime chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Franciæ illuſtris, caſum lacrymarum inundante diluvio Eccleſia ipſa deplorans, emittit luctus, multiplicat fletus; & inter ſingultus & ſuſpiria vix reſpirans, clamat ad proximos, recurrit ad notos & exponit domeſticis fidei Salvatoris inſtantiam: qui ſine intermiſſione ſingulos fideles ad tyrocinium ſuum vocat, & neceſſitatem ingentiſſimam Terræ ſanctæ, cui niſi celeriter ſuccurratur, timendum eſt, ne Sarracenis invaleſcentibus vix poſſit poſtea de ipſius recuperatione ſperari. Attendite itaque univerſi catholici, quam ignominioſum ſit locum illum ſalutis noſtræ primordium coinquinari ſpurcitiis, & tanto tempore ab immundiſſimis gentibus contrectari. Conſideret quilibet quam deteſtabile ſit largitori omnium claudere dexteram, & non ſuccurrere Salvatori, & apparebit aperte, quod nec ad profliganda hujuſmodi opprobria, nec ad impendenda ei, qui omnia largitur auxilia, eſt ipſius fidelibus dormiendum. Nonne crimine læſæ majeſtatis involvitur, qui temporali domino inter inimicos poſito negat auxilium, ejuſque terram ab hoſtibus non defendit? Unde cum plus ſit divinam quam humanam lædere majeſtatem, non debet aliquis ad ſuccurrendum Deo vivo & vero domino Jeſu Chriſto excitantis tubæ ſonitum, vel hortantis vocis præconium expectare; ſed ſine interpellatione currere, ut non tam pœnam effugiat, quam Regi cœleſtis mereatur fieri particeps & coheres.*

LI. *Conſurgite igitur ſtrenui pugiles Domini athletæ, & ad tam ſanctum, & laudabile opus virium veſtrarum extrema conflantes, armemini crucis galea contra eos, qui ſancta ſanctorum coinquinant, & abominationes in ea, & immunditias introducunt. Ne vero dictus Rex & dilectus filius comes Pictavenſis, crucis aſſumpto ſignaculo, in ſuccurſum dictæ terræ potenter & magnifice ſe accingens; qui non projecerunt animum, projecti, ſed reſurgunt conſtantiores; videantur in illis partibus ſoli crucem Domini bajulare, ut ſitis una cum eis, & momentanei laboris participes, & æterni præmii non expertes; exurgite in ſuccurſum eis viriliter, & potenter apprehendentes arma, & ſcutum ad ulciſcendam illius injuriam, qui probra noſtra diluit, & ſeipſum in cruce pro nobis vivam hoſtiam immolavit, &c.* Conſueta indulgentiarum præmia arma ſacra correpturis, ſuppeditaturiſve ſtipendia proponit. Tum pluribus eos prærogativis exornat, prioremque Prædicatorum crucesignatam expeditionem in Francorum & Navarræ regnis, Provincia, Britannia minori, Burgundia, atque Alphonſi comitis ditione promulgare jubet: denique ſumma ad reos criminum abſolvendos auctoritate inſtruit. *Dat. Peruſii* IV. *non. april. anno* X.

LII. Exaſperarant ſane divini numinis juſtiſſimas iras immania orientalium Chriſtianorum ſcelera, quos Mahometica labes non parum infecerat, cum in nummis Ptolemaide vel Tripoli percuſſis execrandum Mahometis nomen inſculperent, vel annos etiam infeliciſſimi illius natalis ritu Sarracenico ſignarent; non inani præſagio illas urbes a Mahometanis deletum iri, quorum ſuperſtitionem æmulari videbantur. Tantum nefas Tuſculanus epiſcopus ſedis Apoſtolicæ legatus pœnis eccleſiaſticis tollere conatus (*c*) eſt, cujus ſententiam Pontifex dato ad ipſum diplomate ſua mox auctoritate corroboravit: *Tranſmiſſa nobis inſinuatione monſtraſti, quod cum tibi liquido conſtitiſſet, quod in biſanciis,*

Sarracenicæ conſuetudines Tripoli & Acconæ inductæ.

(*c*) *Ib. ep.* 479.



*& dragmis, quæ in Acconenſi, & Tripolitana civitatibus fiebant, a Chriſtianis nomen Machometi, ac annorum a nativitate ipſius numerus ſculpebantur, tu in omnes illos, qui nomen & numerum in eiſdem biſanciis & dragmis, ſive in auro, ſive in argento ſculperent de cætero, vel ſculpi facerent in regno Hieroſolymitano, principatu Antiocheno, ac comitatu Tripolitano, excommunicationis ſententiam promulgaſti; quare petiiſti, ut eandem ſententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Nos igitur attendentes non ſolum indignum eſſe, ſed etiam abominabile hujuſmodi blaſphemum nomen tam ſolemni memoriæ commendare, mandamus quatenus ſententiam ipſam facias auctoritate noſtra, ſublato appellationis obſtaculo, inviolabiliter obſervari. Dat. Peruſii* XI. *id. febr. anno* X.

LIII. Abſolvamus hujus anni periodum collocatis hoc loco orientalis Imperii rebus: quæ cum ingraveſcente Græcorum potentia fractæ admodum eſſent, Innocentius ad eas erigendas apoſtolicas curas intendit. Cum enim Pantaleonem Juſtinianum patricium Venetum capellanum ſuum ad patriarchatum Conſtantinopolitanum extuliſſet, mox illi excitandi pro concione ad induendam crucem Veneti populi munus demandavit; ut comparatis validiſſimis copiis ad fulciendum Imperium, cum quo res Chriſtiana grave adibat diſcrimen, proſilirent: *Inter cætera*, inquit, (*a*) *deſiderabilia cordis noſtri Conſtantinopolitani liberationem Imperii principaliter affectantes, ad eam vigili ſolertia non ceſſamus intendere; ac ut juxta noſtri deſiderii plenitudinem valeat auctore Domino provenire, continuæ diligentiæ ſtudium adhibemus.* Et infra: *Quia tamen ipſius Eccleſiæ corpus ex membri tam chari, videlicet Imperii præfati, carentia notam probroſæ deformitatis incurreret, & ſuſtineret debilitatis dolendæ jacturam, firma intentione proponimus eidem Imperio efficaci ſubſidio ſubvenire.* Demum adjungit ampliſſimam indulgentiarum ex ſacro Chriſti meritorum ærario ſtipendia conſecuturos omnes, qui tam juſtam cauſam armis ſuſceperint defendendam. Tum permiſit (*b*) eidem patriarchæ, ut ad cogendas pro ſuſtinendis bellicis ſumptibus, aliqua pecuniarum ſubſidia, mille nimirum marchas ſterlingorum mutuo accipiendas, bona eccleſiarum Conſtantinopolitani Imperii oppigneraret. Illum vero & ob egregias virtutes, quibus ornatus erat & ob enixiſſimam Venetorum commendationem, ad patriarchatum evectum oſtendunt literæ pontificiæ, quibus Innocentius nobiliſſimæ illius reipublicæ ſtrenua in ſedem Apoſtolicam ſtudia ita collaudavit (*c*): *Ut in te providæ circumſpectionis deflectamus intuitum, hæc ſpecialiter ſuggerunt inter multa, devotio videlicet Veneti populi, unde te natales conſpicui produxerunt, quæ Eccleſiæ Romanæ fœdere inconcuſſo cohærens, ab ejus obedientia nunquam evelli funditus potuit, inundatione quacumque in fundamentum catholicæ fidei pro tempore irruente.* Tum excurrit in patriarchæ laudes, quem legati apoſtolici in exercitu Chriſtiano, atque in Imperio Conſtantinopolitano munere decoravit (*d*); ea tamen lege, ut ab illo obeundo abſtineret, cum legatus a latere eo ſe contuliſſet: quo argumento ad archiepiſcopos, epiſcopos, cæteroſque eccleſiaſticos literas exaravit (*e*).

Pantaleo Juſtinianus creatus patriarcha Conſtantinop.

(*a*) *Lib.* 11. *ep.* 26.

Venetos ad imperium Conſtantinop. defendendum incitare juſſus.

(*b*) *Ib. ep.* 29.

(*c*) *Lib.* 10. *ep. cur.* 37.

(*d*) *Lib.* 10. *ep.* 816.

(*e*) *Ib. ep.* 808.

I.

AFfulſit Eccleſiæ orientalium Tartarorum ad Chriſtum converſione, plurium ſchiſmaticorum ad illius gremium redeuntium piis obſequiis, atque evangelii apud ſeptentrionales nationes amplificatione felix annus a redempto humano genere milleſimus ducenteſimus ſupra quinquageſimum quartum indictione duodecima. Utque a Tartaris ducamus initium, Sattachus Tartarorum Rex divino colluſtratus lumine, atque baptiſmalibus ſacris ablutus Joannem presbyterum ad Innocentium tranſmiſit, ut ſupremum in terris Chriſti vicarium agnoſceret. Quo ingenti gaudio delibutus Pontifex, Sattacho ipſi gratulatus eſt Chriſtianam fidem una cum principibus amplexum, omnes criminum ſordes baptiſmo deterſiſſe; paternique amoris notis inſignibus literis (a) ad formandos ex divina lege mores, ſectandas virtutes, divinam amplificandam gloriam, ſubditoſque ad Chriſti cultum adducendos excitavit.

Sattach Tartarorum Rex Chriſtianos ritus amplectitur.

(a) Lib. 12. ep. cur. 10.

*Sattach illuſtri Regi Tartarorum.*

II.

Gratulatoriæ ad eum Innocentii literæ.

*Gratias & laudes agimus Deo Patri, omnium rerum viſibilium & inviſibilium creatori, & unico Filio ejus coæterno ſibi domino Jeſu Chriſto redemptori, & ſalvatori hominum, toto noſtræ mentis gaudio exultamus, quia ſicut jam univerſo mundo incipit prædicari ipſe Deus Pater, in facie cordis tui vitæ ſpiraculum inſpiravit, revelans tibi lumen charitatis ſuæ; ut de ſpeculo fidei, quo ad cognitionem inviſibilis gloriæ intellectus humani oculus illuſtratur, radium ſummæ veritatis accipias, quo ad veram, & præſentem ſcientiæ divinæ certitudinem perducaris, immortalitatis & incorruptionis deſiderabili munere fruiturus. Nec mirum ſi ſuper illuminationis tuæ beneficio, quo de tenebris ignorantiæ, in quibus alieni a Dei veri notitia homines evaneſcunt, ad lumen veræ cognitionis adduceris. Applaudens tibi exultat humanitas, & fidelium Chriſti univerſitas collætatur, cum non ſit dubium in cœleſti curia, incrementum ex modo receptura, non modicum de tua & tuorum converſione creviſſe gaudium angelorum, quibus, ſicut dominus Jeſus Chriſtus Rex eorum, homo factus nunciavit hominibus, de reconciliatione pœnitentium naſcitur in cœlo lætitia principalis. Propterea cum dilectum filium Joannem presbyterum capellanum tuum, latorem præſentium, quem ad noſtram miſiſti præſentiam, nobis innotuit, quod tu cum nonnullis de populo tuo, relicto infidelitatis errore, veterem gentilitatis hominem in ſacro Chriſtiani baptiſmatis lavacro exuiſti; & per fidem, & confeſſionem domini noſtri Jeſu Chriſti Filii Dei novum induiſti hominem, qui ſecundum Deum in juſtitia, & ſinceritate creatus ad immortalitatis & incorruptionis beatitudinem jugiter innovatur; repletum eſt os noſtrum Dei laude feſtina, & in ſpiritu noſtro pro modulo imbecillitatis humanæ ineffabilem cum Angelis gaudii dulcedinem ſenſimus, quia coram Deo in libro vitæ ſcriptum legitur nomen tuum, & per libertatem gloriæ filiorum regni Dei heres, & coheres Chriſti Filii ejus effici meruiſti.*

III. Accepti beneficii magnitudinem ob oculos proponit.

*Gaude igitur chariſſime fili, & non fatigeris aſſiduis laudibus divinæ pietatis rememorari clementiam, quæ tantam benignitatis miſericordiam tecum fecit, ut te ad lucem ſuam mirabilis inſpirations electione vocarit, ne per antiquos cæcitatis errores in æternas ſpiritualis mortis tenebras trahereris. Gaude, inquam, inceſſanter, & lauda, quod ex tumulo mortuorum, qui de tuba evangelii Chriſti non hauſerunt audiendo & credendo vitæ ſpiritum, ſuſcitatus rationabilem ſenſuum motum, quo in ſanctam reſurrectionem viventium procedere valeas, recepiſti. Ergo nos, quos licet immeritos idem dominus Jeſus poſt Petrum Apoſtolorum principem, cui quidem in ſummo apoſtolatu tempore noſtro ſucceſſimus, tenere voluit ſuper homines vices ſuas, collata nobis in eodem Apoſtolorum principe poteſtate ſuper terram in cœlo quodcumque ligandi pariter, & ſolvendi; de omnipotentis Dei auctoritate confiſi ſuper te, tanquam chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, theſauros paternæ, ac apoſtolicæ benedictionis effundimus, ut ſis a Deo, & nobis in ſæcula benedictus; & in præſenti tempore augearis ſpiritualium, & temporalium bonorum gratia; & in futuro ſæculo felicitatis æternæ præmio ſublimeris.*

IV. Apoſtolicam benevolentiam pollicetur.

*Proficiat quoque tibi, nobis pro te Dominum exorantibus, ſuſceptum Chriſtianæ fidei ſacramentum ad uberem meritorum gratiam promerendam, quod proculdubio tibi profuit ad plenam omnium tuorum indulgentiam peccatorum: & per quod tibi patuit aditus ad regnum æternum, per illud invenias perventionis introitum ad ſalutem. Eum ſiquidem concepimus erga te devotionis affectum, quo afficitur in filio ſuo pater: immo tanto majorem, quanto potentior, & affectuoſior eſt ſpiritualis patris charitas, qua tibi vice Dei conjungimur, quam carnalis, qua quis ad tempus diligit filios carnis ſuæ. Ideoque fili amantiſſime nobis, in Domino tuam celſitudinem obſecramus, quatenus in fide, ſpe, ac dilectione Creatoris, & Salvatoris noſtri, qui te vocavit in gratiam ſuam, ſuſcepit ad miſericordiam, elegit ad gloriam, per meditationem legis ipſius aſſiduam, & voluntariam diſciplinam mandatorum ejus, ſtudeas exerceri. Illa quæſumus ſcrutare ſolicitus, in illis verſare quotidie, & in ipſis viarum Dei ſemitas inveſtiga, ut per hæc qualiter te Deo placere oporteat eruditus, in potentias Dei, cum te de infirmitate mortalis corporis educi contigerit, inducaris. Verum quia ſicut docuit ex conſcientia Dei divinus apoſtolus Paulus, corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, oportet, excellentiſſime princeps, ut ſuſceptam Chriſti fidem claro confeſſionis præconio declarare ſtudeas, & piæ actionis teſtimonio dilatare. Sumat igitur ex te rationabilis creaturæ multitudo, quam contines, Chriſtianæ inſtitutionis exemplar: & quia Salvator omnium dedit omnibus hominibus poteſtatem filios Dei fieri, credendo in nomine ipſius, qui neminem vult perire, largiendi ac recipiendi adoptionem filiorum hujuſmodi per verbum evangelii omnes, te protegente, ſecuram habeant libertatem; ita quod ad ſummam tibi copioſæ retributionis accreſcat ſalutaris converſio plurimorum. Sane præfati capellani tui mora prolixior excuſationis legitimæ apud regalem clementiam debet eſſe tuta præſidio, quia dudum cum ad nos accederet procurantibus, ut dicitur, quibuſdam malevolis, a quondam Conrado, nato quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, in regno Siciliæ captus fuit, & non niſi poſt mortem ejuſdem Conradi libertati proſequendi itineris, ſuis tamen rebus & literis, quas afferebat, perditis, reſtitutus. Dat. Anagniæ IV. kal. ſeptemb. anno XII.*



V.

Turcarum Sultanum ad religionem Chriſtianam invitat Pontifex.

Diſſeminandæ apud alios Tartaros ac Turcas religionis Chriſtianæ zelo pari incitatus, religioſos viros e Prædicatorum familia ad Turchiæ ſultanum tranſmiſit, quem apoſtolicis literis (a) vero numinis cultu imbuere contendit.

(a) Lib. 10. ep. cur. 28.

*Nobili viro ſoldano Turchiæ Deum unum colere & timere.*

*Deus creator omnium * ipſius fator & amator hominum, qui neminem vult perire, cunctos, ut ſalvi fiant, venire deſiderat voluntarios ad ſuæ notitiam veritatis, quæ rationabiles creaturas ſpiritu immortalitatis inſtaurat. Eos enim, ut ipſis in ſe credentibus innoteſceret, condidit, & illis capaces conditoris ſui animas * divinæ mentis imagine decoratas, propoſito eis creaturarum viſibilium ſpeculo, creatoris innuente veſtigium, quo ad perceptionem inviſibilium, quæ auctorem ſuum probant inviſibilem & æternum, intellectualis inquiſitio convaleſcit. Ad liberandam autem hanc humanæ dignitatem naturæ ob peccatum originis, ignorantiæ tenebris & carnalium ſenſuum infectionibus involutam; ut hauſto priſtinæ lucis radio ad contemplationem veri Dei ſolutis errorum vinculis raperetur; per Unigenitum ſuum, coæternum ſibi, etiam majeſtate poteſtatis æqualem, ſine impaſſibilis & immortalis injuria divinitatis, paſſibilem, & mortalem hominem factum, miſit in fine ſæculorum hominibus verbum vitæ per illud dans eis, qui a Dei gratia fuerant alienati, per culpam, filios Dei fieri poteſtatem, & ad vitam de morte transferri mortis legibus abſolutam. Hujus ſane verbi miniſterium idem Dei Filius multis videntibus in cœlum, unde deſcenderat, vehiculo propriæ virtutis aſcendens, non omnibus, ſed præordinatis ad hoc hominibus, quos novæ doctrinæ diſciplinis imbuerat, delegavit: prælato cæteris uno, beato videlicet Petro, penes quem in diſpenſatione cœleſtis gratiæ ſumma præ hominibus, divinæ poteſtatis auctoritas reſideret. Cui nos longa intercedentium patrum ſeries, ſecundum divinæ diſpoſitionis ordinem, ſubdidit paris poteſtatis, licet imparis meriti, ſucceſſores.*

* ipſorum

* infudit

Auguſtiſſima illius myſteria proponit.

*Injunctum itaque principaliter divinitus nobis cœleſtis verbi præconium, quo ad cognoſcendum ſolum verum Deum, & quem miſit Filium ſuum unicum dominum Jeſum Chriſtum, non debet aures tuas, ac tibi ſubditæ multitudinis præterire: cujus ſonus; Eccleſia Romana, cui præſumus, prædicante, quam idem Jeſus in ſeipſo fundavit in ſæcula, & primitivorum prophetarum, & Apoſtolorum fundamentis originalibus ſtabilivit; exiit in omnes terminos orbis terræ quo ſepulti peccato, ſpiritus ad vitam, quæ in Deo cum Chriſto eſt abſcondita, ſuſcitantur. Hinc eſt quod nos tuam, tuorumque ſalutem, in quibus conceptum de Deo rectæ fidei ſemen, copioſam, ut credimus, filiorum Dei reperiet genituram, totis deſideriorum viribus affectantes, dilectos filios fratres ordinis Prædicatorum, viros in Dei lege peritos latores præſentium ad tuam nobilitatem deſtinamus: in quibus divinus Spiritus pias aures omnem docebit de Deo, ejuſque juſtitia, & futuro ſæculo veritatem; rogantes attentius, & pro animæ tuæ commodo depoſcentes, quatenus fratres ipſos in Dei nomine benigne ſuſcipiens, & charitative pertractans, in tuo dominio eos vivere patiaris, ut Deo vivo patri ſpirituum per æternæ vitæ verba, quæ continent, in te pariter, & in tuis; nec non & in aliis nationibus, ad quas, juxta noſtræ miſſionis debitum, procedere ſub tuo conductu voluerint; fructum poſſint proficere animarum: & ob hoc ipſe cœli Deus, creator tuus, tibi recta fide veraciter, ipſis aperientibus, innoteſcens, pietati tuæ immortalitatis gloriam, & felicitatis gratiam, quæ niſi per ipſum & ab ipſo non provenit, largiatur. Dat. Lat. XIV. kal. martii anno XII.*

Viros religioſos ad eum tranſmittit.

Cum evangelici illi præcones per Georgianorum, qui religione Chriſtiana exculti VI.

Georgiæ præſulibus ipſos commendat.

culti erant, terras iter habituri eſſent, ipſos Pontifex Georgiæ antiſtitibus, ac viris eccleſiaſticis commendavit (*a*): *Univerſos*, inquit, *vos rogamus attentius, & hortamur, in remiſſionem vobis peccatorum injungentes, quatenus fratres ipſos pro divina & noſtra reverentia benigne recipientes, & charitative pertractantes, faciatis eiſdem in vitæ neceſſariis, & de ſecuro conductu, cum oportuerit, provideri.* Hæc Pontifex. Præterea ut adverſus ſeptentrionales Tartaros, qui Chriſtianis bellum inferebant, crucem promulgari juſſerit, dicetur inferius; nunc alia quæ ad amplificatam hoc anno fidem ſpectant, adjungimus. Acceſſiſſe hoc anno nonnullos Græcos proceres ad ſedem Apoſtolicam, ut catholicis dogmatibus imbuerentur, tradit Pariſius, (*b*) quos gravem de proceſſione Spiritus ſancti diſceptationem propoſuiſſe ait: demum poſt illuſtratam multis argumentis veritatem, orthodoxa fide informatos Pontificis Romani obſequio ſe demiſiſſe, ac maximis muneribus veſtibuſque pretioſiſſimis ab Innocentio decoratos. Et ſane Pontificem, ut eos ad Rom. Eccleſiæ conjunctionem pelliceret, ſtudium collocaſſe atque ipſis in iis, quæ cum fide, & bonis moribus non pugnarent, ſe accomodaſſe ex ejus literis (*c*) ad Tuſculanum epiſcopum A. S. L. colligitur: in quibus ardens antiqui ſchiſmatis abolendi deſiderium explicuit, ac nonnullas controverſias, quas Græci, & Latini magna animorum contentione ventilabant, diremit. Quæ, cum plura ad fidem ac morum honeſtatem ſpectantia contineant, in medium adducendæ viſæ ſunt (*d*).

(*a*) *Ib. ep.* 29.

(*b*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Nonnulli proceres Græci ſchiſma abiurant.

(*c*) *Lib.* 11. *ep.* 495. 502.

Jactatas Græcos Cypr. inter & Latinos controverſias dirimit Innocentius.

(*d*) *Ead. ep.* 502. *quæ extat in bullar. in Innoc. IV.*

*Innocentius &c. Epiſcopo Tuſculano A. S. L.*

De ſacramento baptiſmi.

*Sic deliberatio noſtra reſedit, ut Græci ejuſdem Regni in unctionibus, quæ circa baptiſmum fiunt, morem Eccleſiæ Romanæ teneant, & obſervent. Ritus vero, ſeu conſuetudo, quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, ſi tolli ſine ſcandalo, vel removeri non poteſt, cum ſive fiat, ſive non, quantum ad baptiſmi efficaciam, vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam utrum in frigida, vel calida aqua baptizent; cum parem vim & effectum in utrumque baptiſmum habere aſſeverare dicantur.*

Sacramentum confirmationis a ſolis epiſcopis conferendum.

*Soli autem epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujuſmodi unctio non debet niſi per epiſcopos exhiberi; quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vicem gerunt epiſcopi, per manus impoſitionem, quam confirmatio, vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum ſanctum tribuiſſe leguntur.*

Chriſma ab iis conficiendum ex balſamo & oleo.

*Singuli quoque epiſcopi in ſuis eccleſiis in die cœnæ Domini poſſunt ſecundum formam Eccleſiæ chriſma conficere, ex balſamo quidem, & oleo olivarum; nam Spiritus ſancti donum in chriſmatis unctione confertur, & columba utique quæ ipſum deſignat ſpiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retuliſſe. Sed ſi ſuum antiquum ritum in hoc Græci potius ſervare voluerint, videlicet quod patriarcha una cum archiepiſcopis, & epiſcopis ejus ſuffraganeis, & archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis ſimul chriſma conficiant, in tali eorum conſuetudine tolerentur.*

Ut patriarcha cum epiſcopis illud conſecret permittitur.

*Nullis autem per ſacerdotes, vel confeſſores pro ſatisfactione pœnitentiæ unctio aliqua ſolummodo injungatur. Infirmis vero juxta verbum Jacobi Apoſtoli unctio exhibeatur extrema. Porro in appoſitione aquæ ſive frigidæ, ſive calidæ, vel tepidæ in altaris ſacrificio, ſuam ſi velint conſuetudinem Græci ſequantur, dummodo credant & aſſeverent quod ſervata canonis forma conficiatur pariter de utraque.*

Unctione extrema infirmi liniendi. Aqua in ſacrificio miſcenda cum vino.

VIII. Euchariſtia ultra dies quindecim non conſervanda.

*Sanctam Euchariſtiam in die cœnæ Domini conſecratam uſque ad annum prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipſos communicent, non reſervent. Liceat tamen eis pro infirmis ipſis corpus Chriſti conficere, ac per* XV. *dies, & non longiore temporis ſpatio conſervare, ne per diuturnam ipſius reſervationem, alteratis forſitan ſpeciebus, reddatur minus habile ad ſumendum: licet ejus veritas, & efficacia ſemper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate, ſeu volubilitate temporis evaneſcat. In celebratione vero ſolemnium, & aliarum miſſarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel conſecratione formam verborum a Domino expreſſam, & traditam obſervent, & celebrando non tranſgrediantur horam nonam, ſuam ſequi conſuetudinem permittantur. Sacerdotes autem dicant horas canonicas more ſuo: ſed miſſam celebrare prius quam officium matutinale compleverint, non præſumant.*

Miſſa ante officium matutinum non perfectum non celebranda.

*Promovendi vero ad ſacerdotium, & presbyteri, qui præficiendi fuerint eccleſiarum regimini, examinentur antea diligenter; ſi præcipue de horis canonicis, & miſſarum officiis, ſecundum diſtinctionem temporum exequendis ſint ſufficienter inſtructi, ut ad hæc non niſi digni & idonei admittantur. Cæterum unuſquiſque ſacerdos in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtagneo calice ſacrificet, habens corporale de lino candidum, & nitidum, & altare mundis veſtimentis opertum, vel decentibus paramentis. Mulieres autem ſervire ad altare non audeant: ſed ab illius miniſterio repellantur omnino.*

Fœminæ ab altaris miniſterio abigendæ.

*De jejunio vero diei ſabbati quadrageſimali tempore; quamquam honeſtius, & ſalubrius Græci agerent, ſi ſic toto illo tempore abſtinerent, ut nec unico die inſtitutum jejunium violarent; teneant & ſervent pro libito morem ſuum.*

Permittitur Græcis die ſabbati in quadrageſima non jejunare.

IX.

*Sacerdotes quoque conjugati, & alii, quibus parochiarum cura, vel eccleſiarum paro-*



Conjugatis ſacerdotibus confeſſiones audire.

*parochialium regimen per epiſcopos ſuos committitur, licite ac libere poſſint parochianorum ſuorum confeſſiones audire, ipſiſque pœnitentiam injungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur quod eſt majus, competit nimirum, nec negari convenit quod eſt minus. Liberum tamen ſit ipſis epiſcopis viros alios idoneos coadiutores, & cooperatores habere in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis ac cæteris quæ ad ſalutem pertinent animarum; ipſiſque in iis per eorum diœceſes, abſque ſacerdotum ipſorum præjudicio, & gravamine committere vices ſuas: cum propter occupationes multiplices, & occaſiones varias poſſit contingere, quod nequeant per eaſdem diœceſes officium ſuum exequi per ſeipſos.*

Fornicatio ſoluti cum ſoluta noxa lethalis ex Apoſtolo definitur.

*De fornicatione autem, quam ſolutus cum ſoluta committit; quin ſit mortale peccatum, non eſt aliquatenus ambigendum: cum tam fornicarios, quam adulteros a regno Dei Apoſtolus aſſerat alienos. Ad hæc volumus, & expreſſe præcipimus, quod epiſcopi Græci ſeptem ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucuſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicantur. Illi tamen, qui jam ſunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipſorum multitudinem in ſic ſuſceptis ordinibus tolerentur.*

Tolerantur in ſacerdotio ob multitudinem qui tres minores ordines non ſuſcepere.

X. Viduis ſecundæ & ulteriores nuptiæ permittendæ.

*Quia vero ſecundum Apoſtolum mulier, mortuo viro ab ipſius eſt lege ſoluta, ut nubendi cui velit in Domino liberam habeat facultatem; ſecundas & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent: ſed potius illas approbent inter perſonas, quæ alias licite adinvicem matrimonio jungi poſſunt: ſecundo tamen nubentes, presbyteri nullatenus benedicant. Et quoniam apud eos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſe juxta eorum computationem octavo gradu, qui ſecundum computationem & diſtinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id præſumant deinceps firmiter prohibemus, diſtricte præcipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu copulari ulterius non præſumant; ſtatutum in hoc generalis concilii obſervantes. Illos tamen qui jam in gradu hujuſmodi contraxerunt, diſpenſative permittimus in ſic contracto matrimonio remanere.*

XI. De purgatoriis pœnis quibus leviora animarum crimina expiantur veritas catholica explanatur.

*Denique cum veritas in evangelio aſſerat, quod ſi quis in Spiritum ſanctum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi quaſdam culpas in præſenti, quaſdam vero in futuro poſſe ſæculo relaxari; & Apoſtolus dicat, quod uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit, & cujus opus arſerit detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamem quaſi per ignem; & ipſi Græci vere ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, animas illorum, qui ſuſcepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui ſine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari poſt mortem, & poſſe ſuffragiis Eccleſiæ adjuvari; nos, quia locum purgationis hujus dicunt non fuiſſe ſibi ab eorum doctoribus certo & proprio nomine indicatum; illum quidem juxta traditiones, & auctoritates ſanctorum patrum Purgatorium nominantes, volumus quod de cætero apud ipſos iſto nomine appelletur. Illo enim tranſitorio igne peccata utique non tamen criminalia, ſeu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remiſſa, ſed parva & minuta purgantur, quæ poſt mortem etiam gravant, ſi in vita non fuerint relaxata. Si quis autem abſque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur. Animæ vero parvulorum poſt baptiſmi lavacrum, & adultorum etiam in Chriſtianitate decedentium, qui nec peccato, nec ad ſatisfactionem aliquam pro ipſo tenentur, ad patriam protinus tranſvolant ſempiternam.*

De monaſtica diſciplina.

*Ordinationes demum, & inſtituta regularia ſanctorum patrum de vita, & ſtatu monachorum præcipimus ab abbatibus, & monachis, Græcis inviolabiliter obſervari, &c. Dat. Lat.* II. *non. mart. an.* XI. [1] Hactenus Pontifex ad Cypriorum Græcorum controverſias decidendas, diſcutiendo-

NOTÆ [1] IN ea quam Innocentius ad epiſcopum Tuſculanum ſcripſit epiſtola conſuetudines quaſdam Georgianorum reprobari, nonnullas vero tolerari permittit. Ex his pleraque nota & plana ſunt; unum eſt in quo hærere lectores poſſent. Mandat enim pontifex ne deinceps permittatur mos ille Græcorum, qui euchariſtiam in die cœnæ Domini conſecratam toto anno reſervabant, ſtatuitque ne ultra quindecim dies ſervaretur; *ne*, ait, *per diuturnam ipſius renovationem, alteratis forſitan ſpeciebus reddatur minus habile ad ſumendum: licet ejus veritas & efficacia ſemper eadem omnino remaneat; nec ulla unquam diuturnitate, ſeu volubilitate temporis evaneſcat.* Nunquid ergo corruptis euchariſticis ſpeciebus Chriſtus in euchariſtia perſeverare adhuc cenſendus erit? Nunquam equidem, quantum novi, in eccleſia veteri quæſtio iſta agitata fuit. Licet enim plures eccleſiaſtici ſcriptores poſt ſacramenti euchariſtici ſumptionem ſub ſpeciebus in ventriculo corruptis, ſeu immutatis Chriſtum minime perſeverare contra Rabanum, qui id affirmare accuſatus fuit (merito ne an injuria non diſputo) evicerint; nemo tamen diſcutiendum aſſumpſit, utrum euchariſtia computreſcente, ſeu corrupta in tabernaculo veritatem corporis & ſanguinis Chriſti adhuc contineat. Qua tamen in re hanc fuiſſe veterum ſcri-

doſque errores. Cum vero hoc anno amplificatam barbararum gentium, atque ſchiſmaticorum converſione Eccleſiam viderimus, nonnulla hic de pluribus Sarracenis a S. Ludovico ad Chriſtum pellectis videntur delibanda.

XII. Eximium S. Ludovici ſtudium in convertendis infidelibus.

(a) Gaufr. e Bello loc. in vit. S. Lud. c.27.

Explicuiſſe S. Regem in tam præclaro opere eximium zelum, dum in Syria conſiſtebat, teſtatur Gaufridus, qui cæteris egregiis illius facinoribus hoc adiicit: (*a*) *Inſuper in moræ illius ſpatio Sarraceni multi ad ipſum pro Chriſtianitate ſuſcipienda venerunt, quos gaudenter recipiebat & baptizari faciebat, & in fide Chriſti inſtrui diligenter: & eos in omnibus propriis ſumptibus ſuſtentabat, & in Franciam ſecum adduxit, & ipſis & uxoribus ac pueris eorum, quandiu viverent, proviſionem aſſignavit: ſclavos & multos Sarracenos, ſive gentiles de proprio emi fecit & baptizari, & proviſionem eis ſimiliter aſſignavit*. His conſentit Pariſius, dum infideles plures virtutum S. Ludovici ſplendore perculſos, exuta Mahumetica ſuperſtitione, Chriſtianorum numero ſe aggregaſſe ſcribit (*b*): *Hæc fuit*, inquit, *eorum cauſa converſionis: viderant utique Regem miraculoſe a manibus potentiſſimi Babyloniæ ſoldani liberatum, & ipſum ſoldanum illico poſt captionem trucidatum. Viderant inſuper maximam Regis in adverſitate patientiam, in propoſito inflexibilem conſtantiam: nam poſt ſuam captionem in Terra ſancta moram adhuc continuavit, caſtra firmavit, civitates contra Domini ſui hoſtes communivit. Viderant præterea fidei ſuæ firmitatem, quod ſicut Job in tot adverſis labiis non peccavit. Cæterum conſiderabant, quod pro amore Domini Dei Jeſu Chriſti dulce regnum Franciæ deſeruerat, ſe maris, ventorum, & bellorum, & alienorum ac remotorum regnorum periculis & bellatorum expoſiturus, & pro animabus infidelium lucrandis omnem operam impenſurus: quod nullo modo poſſet feciſſe ſine numinis adminiculo, & divinæ maieſtatis conſolatione.*

(b) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Quæ cauſæ plures barbaros ad Chriſtiana ſacra amplectenda permoverint.

XIII. Excitum porro piiſſimum Regem Ludovicum e Terra ſancta, cui defendendæ contra infidelium conatus vitam addicere decreverat, magna Francorum procerum contentione reditum hoc anno maturaſſe ſcribunt (*c*) auctores, cum poſt Blancæ Reginæ ipſius matris, prudentiſſimæ feminæ, quæ regnum moderabatur, obitum magna bellorum diſcrimina ex Henrico Angliæ Rege, qui in Aquitania verſabatur, atque a Willelmo Rege Romanorum imminerent: ac Flandria vectigalis regni Francorum provincia ſub Margaretæ comitiſſæ adminiſtratione periclitaretur. Exarſerat enim inter comitiſſæ filios ex Bochardo de Avenis, atque filios ex Guillelmo Dompetra ſecundis nuptiis ſuſceptos de principatus ſucceſſione bellum atrox. In quo Willelmus Romanorum Rex, qui prioris illegitimi matrimonii filiorum partes amplexus erat, cruentiſſimo prælio Margaretam ac Francos fuderat. De his agunt Nangius (*d*), Pariſius (*e*), Meyerus (*f*), & alii. Deſcribit ſanctiſſimi Regis, qui niſi magno dolore a terra illa Chriſti Domini ſanguine olim imbuta & conſecrata divelli potuit, reditum Gaufridus e Belloloco, & ex eo Nangius & alii, utque mare conſcenſurus ex magno, quo erga ſanctiſſimum ſacramentum pietatis ſenſu erat delibutus, ab Odone Tuſculano epiſcopo A. S. L. obtinuerit, ut in altari eleganti cultu adornato, ad ipſius atque aliorum piorum preces ac venerationem excipiendas, exponeretur.

Cur in Gallias reditum maturarit S. Lud.

(c) Gaufr. e Belloloco in vita S. Lud. c.28. Par. hiſt. Angl. hoc ann. Nang. de geſt. S. Lud. Franc. Reg. Bern. chr. Rom. Pont. Chr. Colmar. eod. an. & alii.

(d) Nangius de geſtis S. Ludov. (e) Par. hiſt. Angl. hoc ann. (f) Meyer. in annal. Flandr. & alii.

*Navem aſcenſurus ex devotione ſua*, inquit Gaufridus, (*g*) *fecit poni in navi corpus Domini Jeſu Chriſti pro communicandis infirmis, ac pro ſeipſo, & ſuis, quando ſibi expediens videretur. Et quia alii peregrini, quantumcumque magni, hoc facere non ſolebant, obtinuit ſuper hoc a domino legato licentiam ſpecialem. Hunc autem ſacrum theſaurum in loco navis digniſſimo & convenientiſſimo fecit poni, & pretioſum tabernaculum ibi erigi, panniſque ſericis, & aureis operiri. Fecit inſuper ibidem altare collocari, & decenter ornari,* XIV.

(g) Gauf. e Bello loco in vit. S. Lud. c.29.

Obtinet a legato ut in navi regia ſanctiſſimum Sacramentum exponatur.

NOTÆ ſcriptorum & theologorum ſententiam opinor: Sive enim euchariſtia ita diſſolvitur ut panis & vini ſimilitudinem omnem deponat; ſive ita corrumpitur, ut panis tamen ſimilitudo non deleatur. Si primum id effici in euchariſtia etiam in tabernaculo reſervata credo, quod illi poſt ſumptionem accidere, eccleſiæ fides docet: ſecus vero definierim, ſi priſtinæ ſimilitudinis aliquid perſeveret. Utrumque illud docet Innocentius III. de myſter. miſſæ lib. 4. cap. 16. primo enim ſcribit: *In quo ſimilitudo deficeret, in eo ſacramentum non eſſet*. Et paulo inferius addit: *Species quandoque corroditur vel maculatur, ſed veritas nunquam corrumpitur, aut coinquinatur*. Id vero ſcribebat Innocentius eam quæſtionem agitans, utrum ſi forte tranſmiſſæ jam in ſtomachum euchariſtiæ aliquid pene jam corroſum evomatur, perſeverare ibi Chriſtus cenſendus ſit. Affirmat vero ille, ſi aliqua ſaltem vini aut panis ſpecies perſeveret, ſecus vero negat. Ita enim S. Thomas in diſt. XII. ubi eandem Innocentii ſententiam laudat. Nec alia eſt mens S. Bonaventuræ, qui in eundem magiſtri textum agens de corruptione ſpecierum, ex qua Chriſti corpus tollitur; ſolius reſolutionis euchariſtiæ in cineres meminit. Similitudine ergo ſymbolorum manente Chriſtus ſemper manet. In hanc ſententiam aſſeruiſſe credo Innocentium *nulla temporis diuturnitate* euchariſtiam *evaneſcere*, cum præſertim ad Græcos ſcriberet qui euchariſtiam in fermentato confectam ad annum reſervabant. Fermentatum enim panem ita corrumpi ut ſimilitudo omnis tollatur, vix unquam acciderit. MANSI



*ri, ubi quotidie divinum officium ſolemniter audiebat, videlicet omnes horas canonicas, & præter canonem, quæ pertinebant ad miſſam ſacerdote & miniſtris ſacris veſtibus indutis ſecundum quod congruebat, diei. Diligens erat valde circa infirmos, quod haberent neceſſaria, ſecundum quod eorum infirmitas exigebat, ſcilicet ſacram communionem, & unctionem extremam. Mortuis vero debitas exequias a capellanis ſuis exhiberi faciebat*. Subdit auctor, (*a*) ut ſanctus Rex firmiſſima illa ſpe, quam in Chriſto itineris duce, collocarat deluſus non fuerit, ac precibus ſuis e periculo graviſſimo, una cum omnibus vectoribus, ſit ereptus.

(a) Id. ib. c.30.

XV. E magno naufragii periculo divinitus evadit.

*Dum prope Cyprum eſſemus, navis ſubito impegit in rupem, ſive in lingulam terræ, vel arenæ induratam quaſi in lapidem; rupes illa ſive lingula procul protendebatur in mari. Ubi igitur auræ impulſione navis fortiter eſt colliſa, clamantibus cunctis & ejulantibus, & vere æſtimantibus, quod navis eſſet in fundo ſentinæ quaſſata, nautæ quaſi penitus deſperabant, quærentes quid agere, vel qualiter ſe habere deberent. Rex autem catholicus, fidem & ſpem in Deo concipiens, intellecto periculo, quaſi corporis ſui oblitus, necnon uxoris ſuæ Margaretæ Reginæ, ac liberorum ſuorum, qui prope ipſum, quaſi conſternati jacebant; concitus ad orationem ante altare, & coram ſacro corpore Chriſti, ac ſanctis reliquiis devote proſtratus humiliter exorabat, ut omnipotens Deus præſenti periculo ſubveniret: & credere debemus, quod meritis ejus & precibus divina pietas navem, & ea quæ in ea erant, a naufragio liberavit, cum de ſimili periculo vix duæ de centum navibus evaſiſſent. Nam navis fortitudine ſua, ſive potius virtute divina rupem ſive lingulam illam rupit, & viam per medium ſibi fecit. Nautæ igitur, accenſo lumine, ſentinam navis ſcrutantes, & nullam navis læſuram invenientes, ſecuri a periculo anchoras ſubmiſerunt diem expectantes. Mane facto, Rex fidei plenus reverſus eſt ſecreto ante altare, proſtratuſque devotas gratias retulit ſuper tanto, & tam mirabili beneficio ſibi & ſuis exhibito ab omnium Salvatore. Sacerdotes autem, qui adhuc circa altare in lectis quieſcebant, excitati, & videntes Regem in oratione devote proſtratum, ſtupuerunt: ſed ipſe eis veritatem humiliter recognovit.*

Illius pietas in gratiis Deo agendis.

XVI. Agit fuſius de iiſdem Jonvillæus, (*b*) ac ſubdit paulo poſt aſperiorem tempeſtatem in mari concitatam, ac Reginam Margaretam ipſius conſilio argenteam navim B. Nicolai templo appenſuram voviſſe, ipſumque illud nudis pedibus adituram ſe devinxiſſe, ac brevi ſerenitatem adductam: & tum S. Regem proceres ſuos, ſumpta e periculo occaſione, ad pietatem erudiiſſe, cœleſte nimirum numen ſuam ipſis potentiam aperte explicuiſſe, cum levi aura Regem, Reginam, prolem regiam, totque alios ſtrenuos viros undis mergere potuiſſet: adjeciſſeque, cum hujuſmodi adverſi caſus, vel ægritudines acciderent, ſanctiſſimos viros uſurpare eam ſententiam ſolitos, cœleſtes tum minas incuti, & quodammodo nobis Deum hujuſmodi verba inſinuare: Num vos haurire fluctibus ac perdere, ſi libuiſſet, potui? atque adeo excutiendos mox omnes conſcientiæ ſinus, ac ſi quid divinæ majeſtatis oculos læſerit, lacrymis delendum, atque ita divinam benevolentiam conciliatum iri: ſi vero contraria egerimus, ipſum poſtquam frequentibus minis perculerit, ingenti nos aliquo malo obruturum, ac detrudi ad inferos permiſſurum. Uſurpaſſe etiam hanc ex Job ſententiam: *Domine, ut quid terrores ingeris? ſi enim funditus nos perdideris, non propterea egentior, ac ſi nos ad te pellexeris, non locupletior ac potentior fueris;* e quibus S. Rex cœleſte numen minas ex ſingulari in nos amore, ac noſtri non ſui commodi gratia intentare: ut perſpicue crimina noſtra contemplemur, & quæ ingrata ipſi fuerint, ex animis eiiciamus: hoc enim ſummum opus humanæque ſapientiæ faſtigium futurum.

(b) Jonvil. in hiſt. S. Lud. par. 2.

Pia ejuſdem ad proceres monita.

Subjungit Jonvillæus ingens miraculum ſuis oculis conſpexiſſe, equitem nimirum e navi prænobilis Provincialis, Argonii nomine, fugiente greſſu in undas excidiſſe; cumque ventus impleret vela, ac navicula ad eum excipiendum deeſſet, in extremo diſcrimine deſtitutum; tum conſpectum ab iis, qui in regia navi erant uno milliari & amplius longe ab ea, e qua lapſus erat, diſſitum; nec tamen ullo modo brachia pedeſve agitantem, ſed immobilem hærere: cumque propius ad eum acceſſiſſent, ex undis eripuiſſe: illum vero exceptum navi caſus ſeriem expoſuiſſe; interrogatumque cur nec ad nandum brachia commoviſſet, nec auxilium nautarum imploraſſet, ſubjeciſſe, ſe dum præceps ruebat B. Virginem inclamaſſe, illamque ipſum humeris in aquis, dum regia navis acceſſerat, ſuſtinuiſſe. XVII.

Miles in mare lapſus in undis a B. Virgine ſuſtentatus.

Prætereundum hic non videtur, quod refert Gaufridus (*c*) e Bello loco, piiſſimum Regem ſummam nautarum curam ſuſcepiſſe, ut dum mare tranquillum arridebat, doctrina Chriſtiana imbuerentur, atque hæc de illius, in iis ad ſacram exomologeſim adducendis, ſtudio affert: *Voluit inſuper, quod nautæ prædicti ſinguli confiterentur ſacerdotibus ad hoc electis: & ad hoc ipſemet ore ſuo exhortationem fecit eiſdem valde ſalutarem & efficacem, perſuadens ipſis & exprimens, quam frequenter eſſent in mortis periculo propter maris diſcrimina repentina. Inter cætera autem* XVIII.

(c) Gaufr. e Bello loco in vit. S. Lud. c.23.

Nautas excitat S. Lud. ad expiandam confeſſione conſcientiam.

Notanda illius vox.

*dixit eis verbum notabile & memoria dignum; videlicet quod ſi interim, dum unus nautarum confiteretur peccata ſua, navis officio ſuo forſitan indigeret. Ego, inquit Rex, libenter manum meam apponam, ſive ad chordam trahendam, ſive ad aliquid aliud faciendum. Nec fuit inanis ipſius exhortatio: nam nonnulli nautæ tunc fuerunt confeſſi, qui per annos plurimos nunquam confeſſi fuerant.*

XIX. Appellit in Gallias.

Appulit demum Ludovicus ſalvus & incolumis in Gallias, ac peragrato regno Lutetiam pervenit, ubi S. Dionyſii Gallorum patroni ſepulcrum pretioſis donis exornavit. His addit Pariſius S. Regem crucem, veluti perfecta expeditione, non exuiſſe, ut qui ſuſceptum vindicandæ e Sarracenorum manibus Syriæ conſilium non abjeciſſet; ſed præſentibus periculis coactus intermiſiſſet: propulſata vero divina ope atque ipſius præſentia omnia pericula, quorum terror Galliis impendebat. Willelmus enim Romanorum Rex poſtea a Friſiis cæſus occubuit, atque Henricus Anglorum Rex a novandis rebus ſibi temperavit, qui cum reditum in Angliam appararet; atque ancipites periculorum maris æſtus pertimeſceret, a S. Ludovico flagitavit, ut terreſtri itinere Gallias peragrare liceret: cujus votis pius Rex non modo obſecutus, venientem magnificentiſſima etiam pompa excepit. Subdit auctor graviſſimam ſancti Ludovici ſententiam, qui dum in familiari ſermone cum Henrico de initis a ſe periculis ac perlatis ad divinam proferendam gloriam in Aſia, ac Ægypto laboribus loqueretur, qua fortitudine animi adverſos caſus excepiſſet, prorumpens in hæc piiſſima verba ſignificavit: *Si omnia mihi evenerunt adverſa, grates tibi refero Altiſſime: reverſus autem ad meipſum, & ad cor meum regreſſus & ingreſſus, plus gaudeo de patientia quam mihi Dominus per ſui gratiam conceſſit, quam ſi totus mihi mundus ſubderetur.*

Crucem non exuit.

Singularis illius patientia.

XX.

At non conſtantiæ modo, ſed virtutum etiam cæterarum exemplo omnibus præluxiſſe deſcribit his verbis Gaufridus (*a*): *Poſtquam in Franciam feliciter eſt reverſus, quam devote ad Deum, quam juſte ad ſubditos, quam miſericorditer ad afflictos; quamque humiliter ſe geſſerit ad ſeipſum, denique quantum pro viribus in omni virtutum genere proficere ſtuduerit, teſtes ſunt, qui ipſius converſationem diligenter viderunt. Ita quod ſecundum judicium diſcretorum quanto aurum pretioſius eſt argento, tanto converſatio ipſius ſancta & nova, quam de Terræ ſanctæ itinere reportavit, converſationi priſtinæ præeminebat: quamvis ſtatus juventutis ſuæ ſemper bonus & innocens, ac commendabilis multum eſſet.* His conſentientia ſcribit Jonvillæus, (*b*) qui de contempto ab illo faſtu regio, calcatis delitiis, ſuavitate morum, in pauperes miſericordia refert poſt reditum a peregrinatione Aſiatica nunquam eleganti cultu, veſtibuſque viridis coloris, nec purpura, nec calcaribus, aut ſtapetibus aureis uſum: in victu fuiſſe temperantiſſimum: nullum unquam de lautis cibis apponendis inſtruendiſque gulæ lenociniis verbum feciſſe: vinum multa aqua diluiſſe: ut plurimum pauperes a tergo menſæ aſſidere juſſiſſe, quibus cibos tranſmittebat, ac poſtea eleemoſynas erogabat: ſublata vero menſa ſacerdotes ad gratias Deo perſolvendas adhibere conſueviſſe.

(*a*) *Gaufr. e bello loco in vit. S. Lud. c.31.*

Exempla virtutum omnium explicat.

(*b*) *Jonvil. in hiſt. S. Lud. 2. p.*

De ejus modeſtia.

Benevolentia in pauperes.

XXI. Regni ſtatum componit.

Incubuiſſe vero ſtrenue componendo regni ſtatui, qui dum abeſſet, improborum temeritati, ac magiſtratuum effrænata licentia non parum labefactatus erat, ut Nangius (*c*) ſcribit: qui etiam latas ab eo ad coercendam regiorum præfectorum audaciam leges affert, e quibus colligitur ipſum libertatem eccleſiaſticam, quam ejus adminiſtri afflixerant, ſuo ſplendori reſtituiſſe. Et quidem cum ad frænandos proceres regioſque adminiſtros Innocentius, illius in ſuum decus vindicandæ cupidus, conſtitutionem Honorii, qua in omnes anathematis ſententia lata erat, qui leges contra eccleſiaſticorum jura dignitatemve edidiſſent, renovaſſet; edixiſſetque, ut in publicis epiſcoporum conventibus, ac provinciis latam ſententiam in legum improbarum conditores, ſcriptores, & obſervatores promulgarent; S. Rex ſedandi illius tumultus, atque eccleſiaſticæ libertatis reſtituendæ cupidiſſimus, ex ea diſſenſione non levem dolorem percepit; ſignificavitque Innocentio nil ſe magis mente animoque verſare, quam ut jura eccleſiaſtica in ſuum decus aſſererentur. Quo reſponſo placatus Pontifex literis encyclicis omnibus Galliarum archiepiſcopis, & epiſcopis partes hoc ineunte anno dedit, ut latam anathematis ſententiam revocarent (*d*).

(*c*) *Nang. in geſt. S. Lud.*

(*d*) *Lib. 11. ep. 360.*

*Archiepiſcopis & epiſcopis per regnum Franciæ conſtitutis.*

XXII.

*Gravem dudum ad ſedem Apoſtolicam Gallicana eccleſia univerſaliter querimoniam deferente, quod maligna quorundam improbitas, & audacia improba malignorum, poſtquam chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Francorum illuſtris ad terræ Hieruſalem transfretavit ſubſidium, eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, quantum in eis erat, libertate ſubverſa deprimere, ac deiicere quarundam conſuetudinum, quinimmo abuſionum potius, & ſtatutorum prætextu, quæ de novo minus provide fecerant in divini nominis injuriam, ac derogationem non ſolum Gallicanæ, ſed & univerſalis Eccleſiæ depreſſionem non modicam, nequiter conarentur; nos ab hujuſmodi clamoſa conculcatione querelæ auditum*

*aver-*



*avertere, vel ipſam diſſimulare aliquatenus non valentes; præſertim quia ſi ſuffragaretur iis veritas, quam hujuſmodi deferebat querela, erectus in regno Franciæ videretur nutare ſolidus catholicæ fidei paries in graviſſimum diſpendium libertatis ejuſdem; taliumque volentes, prout noſtra intereſſe videtur ex commiſſi nobis apoſtolatus officio, pravis conatibus refragari; bonæ memoriæ H. Papæ prædeceſſoris noſtri inhærendo veſtigiis, excommunicationis ſententiæ per literas ſubjecimus omnes illos, qui de cætero ſervari facerent ſtatuta edita in regno prædicto, uſus, & conſuetudines introductas contra eccleſiaſticam libertatem, niſi ea de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt illius publicationem ſententiæ, nullatenus reſumenda ulterius, facerent amoveri: nihilominus ejuſdem excommunicationis vinculo innodantes ſtatutarios, & ſcriptores ſtatutorum ipſorum; necnon dominos, poteſtates, & conſules, rectores, & conſiliarios locorum, ubi de cætero hujuſmodi ſtatuta, uſus, & conſuetudines fierent, vel etiam ſervarentur: ac illos etiam, qui ſecundum ea judicare præſumerent, vel in publicam formam ſcribere judicata.*

XXIII. *Ad repreſſionem quoque inſolentiæ prædictorum, & coerctionem audaciæ deteſtabilis, providentes, diſtricte vobis in virtute obedientiæ noſtris duximus literis inter alia injungendum, ut cum pro ſanctuario Domini, ne in conculcationem veniret, oporteret, vos, deceretque prædictæ libertatis propugnatores eſſe conſtantes, ſicque reſiſtere viriliter aſcendentibus ex adverſo: quatenus Eccleſia Dei adverſus exteriores inſultus muros fortitudinis vos habere probaretur, non parietes inclinatos; prædictam excommunicationis ſententiam tam in provincialibus conciliis, & epiſcopalibus ſynodis, quam alibi per veſtras civitates & diœceſes ſolemniter publicare, ipſamque contra eos, qui in edictum præfati prædeceſſoris noſtri committerent, obſervare inviolabiliter curaretis, & faceretis uſque ad ſatisfactionem plenariam obſervari, contradictores, &c. Cæterum, ſicut nuper ad audientiam noſtram pervenit, mandatum apoſtolicum, ſuper præmiſſis vobis directum, præfatum Regem, poſtquam eidem innotuit, plurimum contriſtavit; pro eo quod inter cuncta, quæ ſibi accidere poſſunt ad cumulum ſalutis & famæ, ſuis præcipue affectibus eſt votivum, ut libertatis Eccleſiæ favor, & eccleſiarum ac perſonarum eccleſiaſticarum tranquillitas, & integritas jurium & bonorum ad ipſas ſpectantium inconcuſſa ſerventur, ſemperque in regno vigeant memorato; & ſi talia circa præmiſſa committerentur interdum a ſuis officialibus, & ballivis, nequaquam poſtquam ad ſui perferrentur notitiam, eadem regalis ſuſtinere poſſit æquitas incorrecta: propter quod ex parte regia petitum extitit, ut regali ſuper hoc deferre honori; & ne prædicti ballivi, & alii hujus auctoritate mandati, ipſo in partibus Hieroſolymitanis agente vexentur, adhibere apoſtolicæ proviſionis remedium curaremus. Volentes igitur regiis concurrere precibus in hac parte, univerſis vobis mandamus quatenus per præmiſſas literas contra officiales & ballivos Regis præfati nullatenus procedatis. Nos enim, ſi quid per vos ipſorum fuerit auctoritate præſumptum, irritum decernimus & inane. Dat. Laterani id. januarii anno* XII. Reſtitutam in priſtinum decus non multo poſt libertatem eccleſiaſticam ex ſancti Regis æquitate; & in numinis miniſtros propenſione, ambigendum non videtur; ſed de Gallicis rebus ſatis, ad Hiſpanicas digrediamur.

XXIV. Alphonſus expeditionem in Africam cogitat.

Meditabatur per idem tempus expeditionem adverſus Sarracenos Africæ Alphonſus Rex Caſtellæ ac Legionis: cujus præclara conſilia ut efferret Innocentius, a ſacris concionatoribus claſſicum in barbaros cani, & Chriſtianam juventutem ad crucem induendam excitari juſſit: quam ut prærogativis ad id pelliceret, inter cæteras clientela apoſtolica ornavit (*a*): *Cum contra Sarracenos de Africa crucem per Hiſpaniam mandaverimus prædicari, nos perſonas & bona cruceſignatorum, qui ad partes illas cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Rege Caſtellæ ac Legionis illuſtri, vel ejus vicario transfretabunt, ex quo crucem aſſumpſerint, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus; ſtatuentes, ut donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſime cognoſcatur, integra, & quieta maneant; necnon ſub archiepiſcoporum, epiſcoporum, & omnium prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant, &c. Datum Anagniæ* XI. *non. aug. anno* XII. Gratulatus vero eſt aliis literis (*b*) Alphonſo ſacro illi bello accepta cruce ſe devoviſſe: atque ad trahendos ad illius ſigna viros eccleſiaſticos, conceſſit (*c*) ut ſacerdotiorum vectigalibus, dum in eo bello verſarentur, potiri poſſent. Cæterum Alphonſum, cum Eduardo Henrici Anglorum Regis majori natu filio, tradita illi in uxorem Alienora ſorore affinitatem junxiſſe, cinguloque donaſſe militari, tradit Pariſius.

(*a*) *Lib. 12. ep. 128.*

Propoſitæ illius ſigna ſecuturis indulgentiæ.

(*b*) *Lib. 11. ep. 640.*

(*c*) *Ib. ep. 641.*

XXV. Navarræ & Arag. Reges in clientelam Apoſt. ſuſcepti.

Ornavit Pontifex apoſtolica clientela Theobaldum (*d*) Navarræ, & Jacobum (*e*) Aragoniæ Reges, quos, hoc anno arctiſſimum inter ſe fœdus percuſſiſſe, atque armorum ſocietatem ſanxiſſe ſcribit Surita (*f*). Cæterum incubuiſſe Jacobo graviſſimi in Mauros, qui in Valentino regno conſidebant, belli molem addit auctor: ac Regem, Alaſdraci Sarracenorum principis conjuratione detecta, infideles omnes regno eiicere meditatum,

(*d*) *Lib. 11. ep. 705.*

(*e*) *Lib. 12. ep. 217.*

(*f*) *Surita l. 3. ann. c 49 eod. l. cap. 60.*

Mauri Valentino regno ab Rege Aragon. ejecti.

& cognito illius conſilio barbaros ex deſperatione collectis animis, atque in rabiem efferatos bellum crudele moviſſe; demum Jacobi bellicum robur veritos, in eas leges conſenſiſſe, ut ſalvis rebus regno excederent: illorum porro numerum, qui bello idonei forent, feminis ac pueris exceptis, ad ſexaginta millia hominum aſcendiſſe: ſeque in Granatenſe regnum & alias Sarracenorum terras recepiſſe. Hæc de Hiſpanicis rebus ſuffecerint, ad ſeptentrionales jam nos conferamus.

XXVI. Lwcovenſis provinciæ catholicis conſulit Pontifex.

Procurandæ animarum ſalutis ſtudio Innocentius cum accepiſſet provinciam inter Ruſſiam & ducatum Cracoviæ interjectam, Lvvcou, vulgo dictam, Cracovienſis epiſcopi auctoritati obnoxiam, ob nemorum interjacentium denſitatem, viarumque diſcrimina paſtorum præſidio, quibus fide Chriſtiana excolerentur deſtitutam, in fide periclitari, abbati e Mezzano Apoſtol. S. L. partes demandavit (a) ut epiſcopum Cracovienſem ad mittendos viros pietate & doctrina conſpicuos pro excolendis Chriſtiana religione populis impelleret: *Ad audientiam noſtram pervenit, quod inter Ruſſiam, & ducatum Cracoviæ, quædam exiſtit provincia, quæ a civitate Cracovienſi quatuor diſtans dietis Lvvcou vulgariter nuncupatur, in qua homines habitantes, licet Chriſtiano nomine cenſeantur, quia tamen venerabilis frater noſter Cracovienſis epiſcopus loci diœceſanus, propter loci diſtantiam, & difficultatem viarum, quas immeabiles facit denſitas nemoroſa, non poteſt iſtructioni eorum intendere, in ruditate ſua & cæcitate fere priſtina perſeverant: ibi pueri niſi grandiuſculi, & greſſus potentes firmare veſtigium ad fidei januam, regenerationis videlicet ſacramentum a parentibus adducuntur, propter quod multi decedunt ibidem unda baptiſmatis non renati, & alia infinita pericula proveniunt animarum: nos itaque volentes ſuper iis, quo poſſumus, remedio providere, mandamus quod eundem epiſcopum moneas attentius, & inducas, ut circa erudiendos populos regionis illius, quos fidei ſacramenta ſignarunt in fide, & Chriſtianæ religionis moribus, & alios ad veritatis Chriſti notitiam invitandos efficaciter laboret. Si autem hoc dictus epiſcopus neglexerit adimplere, vel tu cogitatione habita diligenti perpenderis, quod propter interjacentium locorum diſtantiam, aſperitatem viarum, vel difficultates alias idem epiſcopus nequeat illis populis curam impendere, ſicut oportuerit, paſtoralem; tu venerabili fratri noſtro Gneznenſi archiepiſcopo metropolitano loci, & epiſcoporum illarum partium communicato conſilio, prædicti diœceſani requiſito conſenſu, pontificalem ibi ſedem conſtituas; & aliquem virum ordinis fratrum Minorum opere, ac ſermone potentem illi plebi præficias in epiſcopum, & paſtorem, faciens ei a ſuis ſubditis reverentiam, & obedientiam debitam exhiberi. Dat. Anagniæ* III. *id. julii anno* XII.

(a) *Lib.* 12. *ep.* 37.

XXVII. Lithuaniæ epiſc. Rom. tantum Pontifici obnoxius eſſe juſſus.

Erexerat antea in Lithuania Innocentius epiſcopalem ſedem, cui Chriſtianum equeſtris ordinis ſanctæ Mariæ Theutonicorum presbyterum impoſuerat: ac Livoniæ & Pruſſiæ archiepiſcopo imperaverat ſacris ipſum epiſcopalibus initiaret, ſacramentoque in verba Pontificis adigeret: ſed antequam literæ perveniſſent, archiepiſcopus Chriſtianum in Lithuanorum epiſcopum conſecrarat, & ipſum jurejurando ſibi adſtrinxerat. Quæ res cum Lithuaniæ libertatem imminueret, quam ſedis Apoſtolicæ auctoritati tantum fore obnoxiam Pontifex ſanxerat, Lithuani principis, quem regiis inſignibus ornarat, precibus adductus Pontifex ſacramentum Livoniæ & Pruſſiæ archiepiſcopo nuncupatum reſcidit, (b) ac ſignificavit Chriſtiano ipſum eccleſiaſtica jura non ab Livoniæ archiepiſcopo, ſed ab ſede Apoſtolica tantummodo petiturum; parteſque Sluenburgenſi epiſcopo impoſuit (c) ut Romani Pontificis nomine ſacramentum a Chriſtiano exigeret: *Sane idem archiepiſcopus, priuſquam ad ipſum noſtræ literæ perveniſſent, eccleſiæ memoratæ de prædicto fratre providit, juramentum fidelitatis ſuo, & eccleſiæ ſuæ nomine ab illo recipiens, licet hoc de intentione noſtra nullatenus extitiſſet; maxime cum terra Lethoviæ ſit juris & proprietatis B. Petri, ac pro ejuſdem Regis honore, quem a ſuæ converſionis initio aſſumpſimus, & filium Eccleſiæ ſpiritualem & regiæ dignitatis titulo fecimus inſigniri; nullum ibi eſſe velimus epiſcopum, qui alii quam Romano Pontifici ſit ſubjectus. Quia vero idem Rex poſtmodum per affectuoſas literas poſtulavit a nobis, ut ſuper hoc providere de circumſpectione ſedis Apoſtolicæ curaremus; nos ejuſdem precibus annuentes, mandamus quod eundem epiſcopum ad obſervantiam prædicti juramenti præfato archiepiſcopo taliter præſtiti denuncians aliquatenus non teneri, recipias ab ipſo pro nobis & Eccleſia Romana fidelitatis ſolitæ juramentum juxta formam literarum, quas ſuper hoc tranſmiſimus archiepiſcopo memorato. Dat. Aaagn.* III. *non. ſeptembr. anno* XII.

(b) *Lib.* 11. *ep.* 212.
(c) *Ibid. ep.* 178.

XXVIII. Indicta ad repellendos Tartaros expeditio.

Quod ad Livoniæ & Pruſſiæ archiepiſcopum ſpectat; cum ſeptentrionales Tartari infideles in Livoniam, Pruſſiam, Eſtoniam, atque alias provincias Chriſtiana religione magno labore excultas, irrumpere pararent; illi Pontifex cæteriſque earum regionum eccleſiaſticis præſulibus munus demandavit, ut ad conſcribendum crucesignatorum exercitum zelum pro ſacris concionibus explicarent: *Non abſque cordis anxietate percepimus, quod ſæviſſimi Tartari, Chriſtiani nominis inimici, & ipſorum complices terras Livoniæ, Eſtoniæ, Pruſſiæ, ac alias, quas in partibus illis dilecti filii fratres hoſpitalis ſanctæ Mariæ Theutonicorum non ſine magnis laboribus, & expenſis, ac propriis effuſione ſanguinis, divina potentia ſuffragante, reduxerunt ad culmen catholicæ veritatis occupare ac deſtruere moliuntur. Cum autem dignum ſit, & congruum, ut per ſedem Apoſtolicam, cui divinitus omnium cura fidelium commiſſa eſſe dignoſcitur, ſuper hoc ſalubre conſilium apponatur, nos de veſtra circumſpectione confiſi univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus contra Tartaros, & complices memoratos in dictis terris verbum crucis per vos & alios ad hoc idoneos prædicetis, eam auctoritate noſtra peccatorum veniam, & illas immunitates aſſumentibus crucem hujuſmodi conceſſuri, quæ transfretantibus in Terræ ſanctæ ſubſidium in generali concilio ſunt conceſſæ. Dat. Aſſiſii* XIV. *kal. junii anno* XI.



XXIX. Bartha & Galanda Chriſtiano imperio a Tetrico adjunctæ.

Propagatam hoc tempore, Tetrici crucigerorum equitum magiſtri virtute, in finitimas provincias religionem Chriſtianam, ac majorem Bartham & Galandam infidelibus ereptas, e literis pontificiis (a) conſtat, quibus Culmenſi, Pomezanenſi & Warinienſi epiſcopis data provincia eſt, ut religioſis equitibus in earum terrarum dominio obtinendo præſidio eſſent, cenſuriſque invaſores percellerent: *Frequenter ad noſtrum pervenire gaudemus auditum, quod religio dilectorum filiorum fratrum hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum ad hoc vigil, & fervens eſſe dignoſcitur, per quod Chriſtiani gloria nominis augeatur. Sane, ſicut ex relatu dilecti filii fratris Tetrici præceptoris ejuſdem hoſpitalis in Alemannia, & Pruſſia, necnon & veſtrarum, & aliorum nobilium de partibus illis, ſerie litterarum accepimus, fratres ipſius hoſpitalis cum peregrinorum & aliorum Chriſti fidelium ſubſidio terras, quæ major Bartha vulgariter appellatur, Vvarmienſis diœceſis, ac terra nomine Galanda prope poſita ad cultum fidei catholicæ, idoneis de prædicta terra Bartha receptis obſidibus, de novo per Dei gratiam deduxerunt. Quia vere dictis fratribus, pro terris eiſdem ſalubriter conſervandis veſtrum ſubſidium eſſe dicitur plurimum opportunum, fraternitatem veſtram rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus eis ad hoc pro divina, & noſtra reverentia, impendatis conſilium, auxilium & favorem. Nec permittatis ipſos ſuper illis ab aliquibus indebite moleſtari. Dat. Aſſiſii idib. maii anno* XII.

(a) *Inn. l.* 11. *ep.* 776.

XXX.

Effulſit hoc tempore Dania cœleſtibus prodigiis; quæ Numen ad piorum ſolatium B. Nicolai Canuti olim Regis Daniæ filii opera explicabat: Danorumque precibus ſolicitatus Innocentius, ne viri ſanctiſſimi gloriam obſoleſcere pateretur, illumque ſanctorum catalogo aggregaret, ut ſolitam conſilii maturitatem in re graviſſima adhiberet, Slewicenſi, ac Wiburgenſi epiſcopis, & abbati e Cara inſula Ciſtercienſis ordinis miraculorum, quæ ad beati Nicolai ſepulcrum edita ferebantur, cognitionem detulit (b).

Nicolaus Canuti Regis Daniæ filius miraculis conſpicuus.

(b) *Lib.* 11. *ep.* 70.

De exploranda eorum veritate inſtituta quæſtio.

*Innocentius, &c.*

*Chariſſimus in Chriſto filius noſter Chriſtophorus illuſtris Rex, ac venerabilis frater noſter arch. Lundenſis, epiſcopi, necnon clerus & religioſi regni Daciæ per ſuas nobis literas intimarunt, quod recolendæ memoriæ Nicolaus natus claræ memoriæ Canuti Regis Daciæ, divina miſericordia faciente, aggregatus exiſtat collegio ſupernorum, gloriam conceſſæ ſibi beatitudinis ſignis exprimens glorioſis. Nam circa ſepulcrum ejus & loca alia per invocationem ſui nominis, & devotionis ſinceræ ſuffragia, multa miracula circa multos mirabiliter in altis Dominus multipliciter operatur; ita ut illius ſanctitas manifeſtis indiciis comprobetur, & ipſius inter alios ſanctos non invocare ſuffragia ſit indignum. Quare dicti Rex, archiepiſcopus, epiſcopi, clerus, & religioſi nobis humiliter ſupplicarunt, ut ſuper hujuſmodi miraculis teſtimonia recipi mandaremus. Verum quia in tam ſancto & pio negotio eſt cum gravitate & maturitate prævia procedendum, de fide ac circumſpectione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus aſcitis vobis viris religioſis, & Deum timentibus, de virtute morum, & veritate ſignorum, operibus videlicet & miraculis diligentiſſime inquirentes, quæ inveneritis nobis veſtris literis fideliter intimetis. Dat. Anagniæ* VIII. *kal. auguſt. anno* XII.

XXXI. Maguntino arch. anathemate devincto conſulit Pontificem Bohem. Rex a quo inungendus ſit.

In Bohemia cum Rex Othacherus regia inunctione liniri optaret, atque ad Maguntinum archiepiſcopum imponendi illi diadematis partes ſpectarent, qui tamen ab Hugone tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali devinctus anathemate obire munus non poterat; rogatus Pontifex a Bohemo Rege, ut ejuſmodi rei conſuleret, Neapolitano electo hanc provinciam dedit: *Cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Otacherus Rex Bohemiæ illuſtris, ſicut eo inſinuante accepimus, regni diademate cupiat coronari; quia Maguntinus archiepiſcopus, de cujus manibus deberet idem Rex coronam ſuſcipere, per dilectum in Chriſto filium noſtrum H.. tit. S. Sabinæ presbyterum Cardinalem tunc legatum Apoſtolicæ ſedis excommunicationis vinculo dicitur innodatus; volumus, & præſentium tibi auctoritate mandamus, quod eidem archiepiſcopo, ut libere ad coronationem ejuſdem Regis poſſit procedere, abſolu-*

*ſolutionis beneficium, dummodo ſatisfaciat ſuper iis, pro quibus excommunicatus habetur, juxta Eccleſiæ formam exhibere procures. Quod ſi recuſaverit ſatisfacere, tu dilecto filio capitulo Maguntino auctoritate noſtra præcipias, ut ipſi loco archiepiſcopi, & eccleſiæ Maguntinæ nomine, per aliquem de ſuffraganeis ipſius eccleſiæ Regem eumdem faciant coronare: & ſi præfati capitulum noluerint efficere, tu hoc uni de ſuffraganeis ipſius, vel alicui alii pontifici, quem ad id idoneum fore cognoveris, eadem auctoritate committas, qui ejuſdem archiepiſcopi vice coronationis ipſius officium, ſeu miniſterium exequatur. Datum Lateran.* VI. *id. april. anno* XI.

XXXII. Ungaros inter & Bohemos crudele bellum.

Adduxerat porro Pontificem ad imponendum electo Neapolitano legationis apoſtolicæ in Ungaria, Bohemia, Auſtria, Styria, & Moravia gerendæ munus, ardens conciliandæ inter Belam & Othacherum Reges, qui ſe diuturno bello confecerant, pacis deſiderium: quem propterea præſulibus eorum regnorum ac provinciarum commendavit (*a*). Cumque legatus iter in provinciam arripuiſſet, venientibus ad ſedem Apoſtolicam Zagabrienſi epiſcopo & religioſo viro Minorita oratoribus, qui Belæ Regis nomine, quem Innocentius ad dicendam cauſam feſto natali ſancti Joannis Baptiſtæ vocarat, deferrent Pontifici, Ungarum ad redintegrandam pacem, fideique ſedis Apoſtolicæ provinciæ arces, de qua exarſerat contentio, committendas, ſi Othacherus ſuas pariter Pontifici cuſtodiendas traderet, paratiſſimum; legatum ex ſuſcepto itinere revocavit, munuſque impoſitum datis Anagniæ III. id. julii literis abrogavit (*b*).

(*a*) *Lib.* 11. *ep.* 570. & *ep. cur.* 30.

(*b*) *Lib.* 12. *ep. cur.* 4. *extat apud Vvading. tom.* 2. *in ejus regeſt.*

XXXIII. Felici concordia ſopitur.

Sopitum denique bellum tradit Henricus Stero (*c*) his verbis: *Bela Rex Ungariæ, qui jam plus quam per biennium Auſtriam, Styriam, & Moraviam vaſtaverat, multis millibus hominum interfectis & in captivitatem abductis, concordiam facit cum Othachero duce, recipiens ducatum Styriæ, ſuæque poteſtati ſubiiciens terram ipſam. Ipſe autem Othacherus in tribus ſuis principatibus, videlicet Bohemia, Moravia, & Auſtria tanquam princeps omni probitate præclarus, inopinatam & optimam pacem facit, vadens in hyeme ſubſequenti in Pruſſiam cruceſignatus: & magnam partem ipſius terræ cultui ſubdidit Chriſtiano.*

(*c*) *Stero in annal. apud Caniſ. antiq. lect. to.* 1. *pag.* 274. *chr. Auſtr. eod. ann.*

XXXIV. Othacherus arma adverſus infideles Pruſſos vertit. Petrus S. Georgii diac. Card. in Germ. miſſus.

Cum inteſtino adhuc alio bello Germania arderet, quæ hinc a Willelmo Rege, inde a Conradi ſequacibus lacerabatur, Innocentius ad Willelmi partes efferendas, pelliciendamque in illius obſequium Germaniam, Petrum ſancti Georgii ad velum aureum diaconum Cardinalem tranſmiſit, inſtruxitque auctoritate, ut eos, qui Conradi partes abiicerent, fidelium communioni reſtitueret, illatas ab iis Eccleſiæ injurias remitteret, conſcriberet in rebelles exercitus. De qua illi impoſita provincia ad cunctos principes Germaniæ viros hæc ſcripſit (*d*): *Salubrem & proſperum partium veſtrarum ſtatum, exaltationem Eccleſiæ, ac Romani honorem Imperii totis deſideriis affectantes, dilectum filium noſtrum P. ſancti Georgii ad velum aureum diaconum Card. virum ſcientia præditum, honeſtate decorum, & in conſiliis circumſpectum, ad partes ipſas pro ejuſdem Eccleſiæ, ipſius Imperii promovendo negotio, ac utilitate dictarum partium procuranda, tanquam pacis angelum duximus tranſmittendum; ſibi plenæ legationis officio, ac libera poteſtate, relaxandi excommunicationis ſententiam, quam nonnulli partium earundem adhærendo quondam Frederico olim Romanorum Imperatori, ſuiſque fautoribus contra Eccleſiam ipſam, & quaſcunque alias in eiſdem partibus exiſtentes incurrerunt, vel incurrent; & remittendi liberaliter injurias, & offenſas, ſi quas eidem intulerunt Eccleſiæ, ipſoſque in noſtram & ipſius Eccleſiæ gratiam admittendi; congregandi quoque contra ejuſdem Eccleſiæ hoſtes exercitum, & omnia faciendi tam in ſpiritualibus quam temporalibus, prout ejuſdem Eccleſiæ utilitati viderit expedire; conceſſis, &c.* Addit preces, & imperia, ut legatum debito honore ac ſtudio proſequantur, ſuamque operam commendent. *Dat. Lat.* XV. *kal. maii anno* XII. Ad comparanda Willelmo ampliora auxilia, & conciliandam legato majorem auctoritatem, eodem argumento ad Pomeranos, Suecos, Polonos, aliarumque borealium regionum principes ſcripſit (*e*). Extant etiam plures de eadem legatione literæ, quibus Petrum Cardinalem prærogativis exornavit: tum aliæ quibus Sabinenſem epiſcopum ad Lubecenſem ſedem traducere juſſit (*f*).

(*d*) *Lib.* 11. *ep. cur.* 20.

(*e*) *Ib. ep. cur.* 22. *ib. ep.* 490.

(*f*) *Ib. ep.* 476.

Navabat is præſul ſtrenuam in defendendis Eccleſiæ & Willelmi Regis partibus operam: cui Pontifex promulgandæ in Conradum ſacræ expeditionis atque indulgentias Willelmi ſigna ſecuturis proponendi provinciam impoſuit: utque plures ad ſacras conciones alliceret, auditoribus, quos verus criminum dolor afficeret, viginti, vel quadraginta dierum veniam condonavit: & clericis, qui crucem induerent, ut vectigalia eccleſiaſtica creditoribus ad triennium obligarent, permittendi poteſtatem fecit.

XXXV. Ezelinus ob hæreſis crimen in judicium accerſitus.

Diſtrinxit porro Innocentius adverſus Ezelinum præcipuum Conradi in Italia ducem, & conſiliorum Friderici nequiſſimum olim participem: qui cum graviſſimis argumentis juſta hæreſis ſuſpicione infectus eſſet, atque ad purgandum crimen ſæpius vocatus in judicium ſedem Apoſtolicam eluſiſſet, obque contumaciam anathemate percuſſus, obfirmato animo cen-



ſuras pluribus annis ſpreviſſet: demum hoc anno die cœnæ Domini hæreſis crimine damnatus, & omnibus hæreticorum pœnis pontificia ſententia irretitus eſt. Cujus ſcelera, atque inhumanam crudelitatem ita deſcribit Innocentius (*a*).

(*a*) *Lib.* 11. *ep. cur.* 9.

*Ad memoriam rei geſtæ in perpetuum.*

*Truculentam unius inhumani hominis rabiem, ſævamque barbariem, Ezelini videlicet de Romano; quem diræ malignitatis enormitas fecit inſignem, & mundo non incognita factorum atrocium multitudo ſpectabilem; humana ſocietas ad elidendum improbas malepotentium tyrannides inſtituta, indigne forſitan pertuliſſe videtur; ſed indignum proculdubio noſcitur ſuſtuliſſe. Hic ſiquidem ſub humani vultus effigie bellualem animum retinens, Chriſtiani ſanguinis ſitibundus, & viribus rigidus alienis, impacabile adverſus communia humanitatis fœdera bellum gerit. Non enim ſolum ferali hominum excidio debacchatur in corpora, verum & ſuper omnem modum, menſuram, & numerum, exhauſti cruoris profluvio non contentus, per catholicæ fidei corruptores ſpiritualis vitæ operatur exitium in interitum animarum: nimirum ſi in ſuis atrocitatibus propria contra infenſos exequeretur odia, vel patientia jam deferbuiſſet in eo incaleſcens animi feritas, peractæ ultionis refrigerio mitigata in his, quos habere videbatur exoſos. Sed ejus effera crudelitas ſic in omnes excandet, ut nec fortunæ, nec vitæ pepercerit etiam amicorum, nec ſexum miſeratus fuerit in quibuſlibet, vel ætatem; nec alicujus religionis, vel ordinis vereatur honorem, cæcans parvulos innocentes, adultos nequiter perimens, diverſis excogitatis in eos generibus tormentorum, & quod puderoſum eſt cogitare vel eloqui, horrido ſectionis impiæ cultro tam feminas, ut dicitur, eunuchizante quam mares, ſpem futuræ prolis occidens in ſuperſtitibus occiſorum, ut ex intentione quodammodo fiat eorum etiam, quos adhuc de lumbis natura non protulit, homicida. Quis ergo dubitet eum in hominibus non tantum perſonas perſequi, ſed naturam? Quis ambigat illum, quaſi non hominem, humani generis fore publicum inimicum?*

XXXVI. Hæc a Pontifice non iracundiæ in hoſtem ardore, ſed minora tyranni ſceleribus jactata intuebitur, qui duobus ante annis ab eo patrata, atque ex monacho Patavino ſuo loco excerpta meminerit, & ab eodem auctore de eo immaniſſimo carnifice anno ſuperiori ſcripta legerit: (*b*) *Ezelinus nullas, niſi ſanguine fuſo, gaudens habere vias, tam in Verona quam in marchia univerſa vehementer iterum manum ad incarcerandum & occidendum extendit, implevitque civitates & caſtra multitudine captivorum, quos fame horribili affligebat. Præ famis autem & ſitis anguſtia, proh dolor! quælibet immunda miſeri comederunt, ac urinam cum aviditate inopinabili bibere cogebantur: & non parvum impendere beneficium putabatur, qui urinæ ſuæ potum dignabatur ſociis impartiri. Fœtor etiam intolerabilis, & aer corruptus calorque nimius & tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ezelini, quod captivi vix poterant reſpirare, multique his de cauſis ſpiritum exhalabant. Præterea tanta erat in his hominum miſerabilium multitudo, quod ita unus alium comprimebat, quod nec jacere poterat aliquis, nec ſedere: corporis vero debilitas nullo modo ſuper pedes conſiſtere permittebat. Clamor autem lugentium, & dicentium: Væ, væ, ac percuſſiones manuum ita horridæ perſonabant, quod non carceres manu facti, ſed ergaſtula infernalia, & pœnæ inflictæ a dæmonibus merito putabantur: quia ibi nulla requies, nulla conſolatio, nulla ſpecies redemptionis a malis illatis, & imminentibus habebatur. Mors ibi ſummo deſiderio quærebatur, ut finem imponeret tantis malis: moriens enim in tali ſtatu vivente felicior credebatur: in mortis vero articulo conſtituti, confiteri cum ſacerdotibus, & rerum ſuarum diſponendarum licentiam nullo modo poterant obtinere. Efferebant itaque quotidie corpora extincta de carceribus tenebroſis, nec permittebant aliquem ſepeliri, niſi prius evidentiſſime probaretur quis eſſet, vel unde, qui beneficium conſequi debebat ſepulturæ.* Prodierat ex hæreſi, atque alebatur ea ferina barbaries: qua labe inquinatum fuiſſe docent quæ ſubiicit Pontifex.

(*b*) *Monach. Pad. l.* 1.

*Hunc ex genere cum publice damnati hæretici filius fuerit, hæreticorumque cognatus; hunc etiam ex moribus, cum eum perfidum eſſe contraria religioni Chriſtianæ opera manifeſtent; nos cum publicæ opinionis concurrentes aſſenſu, unam de ſubdolis præſumpſimus eſſe vulpeculis, quæ vineam Domini ſabaoth demoliri non ceſſant, teſtamentum æterni evangelii corrumpentem. Ad hunc autem nequiſſimæ intentionis effectum, eo ingenii ſui calle proceſſit, quia in quos potuit vaſa ſceleratiſſimæ interfectionis arripiens, per corporalis necis formidinem, quæ plerunque cadit in fortes, reſiduos regionis ſuæ viros redegit in parvulos, ut eis animorum confidentia libertatis privilegio, & veritatis oraculo deſtitutis, facile per magiſtros errorum ſub prædicti Ezelini præſidio ad ſubvertendas fidelium mentes in marchiæ Terviſinæ partibus emergentes in publicum, perverſa hæreticæ infectionis dogmata ſuggerantur. Execrans præterea commune omnibus gentibus, & magnum in Chriſto & Eccleſia matrimonii ſacramentum; quod non humanæ voluntatis inventio ſtatuit, ſed divinæ inſtitutionis commendat auctoritas, quod tem-* XXXVII.

*temporaliter orientis ex homine Salvatoris nativitas honoravit, quodque cunctis fere animantibus ſuggerit inſitus eis ordo naturæ; damnabili, & de typo abominationis hæreticæ procedente præſumptionis audacia ſeparat, contra legis evangelicæ interdictum legitimæ conjunctionis fœdere copulatos a Deo, inter complices ſuos fœda connubia, & adulterina contubernia conjungendo, ex quibus ſpuria vitulamina prodeunt radices altas poſteritatis proſperæ non datura.*

XXXVIII *Nos itaque quos, licet immeritos, ſummus fidelium paſtor ad arcendos a redempto ſanguine Chriſti grege ferales impetus, ſalutem Chriſtiani populi lædentes & vitam; nec non ad hujuſmodi inveſtigandas aſſiduis vigiliis, capiendaſque vulpeculas, Eccleſiæ ſuæ voluit præſidere, valido clamore Chriſtiani ſanguinis, quo idem Ezelinus terram operuit, nec minus evangelicæ fidei, quam molitur evertere, periculo excitati; per religioſos viros deſcendere curavimus, & videre an idem Ezelinus illud circa Eccleſiam catholicam naufragium pateretur, quod de ipſo & deteſtanda nunciabant opera, & vulgata infamia prædicabat. Cum autem ipſi religioſi ſuper his cum diligentia inquirentes eundem, qui de fide Chriſti non recte ſentiret, haberi debere ſuſpectum certis indiciis comperiſſent; tandem ipſe ad ſedem Apoſtolicam nuntios deſtinavit, quibus bonæ memoriæ Sabinenſem epiſcopum conceſſimus auditorem. Coram quo ad jurandum in ipſius Ezelini anima ſe obtulere paratos, quod idem de Deo, & catholica fide credebat, ſecundum quod Romana tenet Eccleſia, & docet eſſe credendum. Sed quoniam a dicto epiſcopo, vel a nobis hujuſmodi purgatio admiſſa non extitit; cum in tanto crimine non per nuntios, ſed per propriam perſonam præſtanda eſſet purgatio coram nobis; ſibi præfiximus terminum, quo apoſtolico ſe aſpectui præſentaret, facturus ſuper iis, quæ ordo exigeret rationis, oblata ſibi de ſecuritate perſonæ in veniendo, & redeundo plenaria cautione. Unde quia nec in eodem termino, nec poſt venire, vel mittere procuravit, ipſum, qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus, & quod de fide catholica male ſentiret, certa ratione ſuſpectus, anathematis duximus vinculo innodandum, alium eidem terminum aſſignantes quo in noſtra compareret præſentia, ſuper præmiſſis mandatis Eccleſiæ pariturus; denunciato publice quod, niſi uſque ad terminum ipſum id faceret, ex tunc procederemus gravius contra eum juxta legitimas, & canonicas ſanctiones.*

XXXIX. *Cum autem venire, ſeu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, damnabili obſtinatione deſpexiſſet; & non ſolum per annum, ſed per biennium, vilipenſis Eccleſiæ clavibus, præfatum ſuſtinuiſſet contemptibiliter anathema; nos, quia non debebamus ulterius contra eum canonicum differre judicium, quem tam longum diffugium & tam dura pertinacia reum tanti criminis oſtendebant; præſertim quia hujuſmodi judicii tarditas periculoſam forte aliquibus præbebat audaciam, & quos a malis feſtinata in unius perſonam pœna compeſceret, protelata forſitan ad illa laxaret; eundem Ezelinum tanquam hæreticum reputantes decrevimus ipſum, habito fratrum noſtrorum conſilio, prolatis adverſus hæreticos ſententiis, ſanctionibus ſubjacere, niſi uſque ad kal. aug. tunc proxime ſecuturas coram nobis comparere curaret noſtris, & Eccleſiæ pariturus præciſe beneplacitis, & mandatis: quem ſiquidem terminum tunc ſibi ex multa benignitate Apoſtolicæ ſedis indulſimus, cum eum ſalvari vellemus potius quam perire. Ipſe vero contra Deum & homines collo rebellionis extento, & ad omnem Chriſtianæ fidei inobedientiam ſpiritu confirmato, tanquam prolapſus in deſperationis abyſſum, & humani pudoris, divini judicii, ac ſalutaris conſilii pertinax aſpernator, imminentia ſibi diſcrimina quæcunque contempſit: & perire potius eligens quam parere, nec in termino ſibi ex multa eccleſiaſticæ miſerationis lenitate conceſſo, nec poſtmodum diutius expectatus venire curavit. Nos autem illius periculo condolentes, adhuc voluimus ejus duritiam ſolita ſedis Apoſtolicæ benignitate mulcere, ſi forte ad ſuſcipiendum ſalutis remedium aliqua in eo ſcintilla ſanioris conſilii remanſiſſet; ipſumque non ſolum ſemel, vel ſecundo, ſed pluries immo multotiens ad miſericordiæ judicium edictis legitimis evocatum, duximus prolixis ad convincendam inexcuſabilem ejus malitiam temporum ſpatiis expectandum: porro idem, ſicut aſpidis ſurdiſſimæ filius ad omnem monitoris vocem obturans auditum, jam per ſex annos & amplius vocationis, longanimitatis, & expectationis noſtræ patientia eſt abuſus.*

*Nos igitur ex iis attendentes, quod diuturnior erga eundem Ezelinum tolerantiæ pietas in communem multorum poſſet redundare perniciem, & ulterior expectatio nil operaretur in eo niſi contumaciam, & contemptum; ne tantum malum in medio Chriſtiani populi diutius toleratum latius pervagetur, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio, præſente fidelium populo, qui in die cœnæ Domini ex diverſis mundi partibus ad Apoſtolorum limina de more confluxit, præfatum Ezelinum ſicut manifeſtum hæreticum ſententialiter judicamus, ipſum excommunicatum, & anathematizatum, cum damnatis hæreticis deputando, adſcripta illis damnationis ſtipendia recepturum, quem ſi forſan uſque ad feſtum aſcenſionis Dominicæ proxime venturum ad præſentiam noſtram perſonaliter venerit, audiemus, quod de abundantiſſima prædictæ ſedis clementia duximus adjungendum. Dat. Later. v. idus. april. an.* XII. Impoſita (*a*) etiam omnibus præſulibus provincia, ut Ezelinum hæreſeos damnatum crimine divulgarent, omneſque illius ſtudioſos propoſitis hæreticorum ſequacibus pœnis, percellerent

(*a*) *Reg. poſt eand. ep.*

XL. Ezelini bona Alberico adjudicata.

Cum pontificiam clementiam ſperneret Ezelinus, meritis eum pœnis Innocentius affecit. Extant enim ad Albericum ipſius fratrem eo argumento literæ, quibus bona Ezelini, quem pœnis hæreticorum ſubjecerat, in eum transfudit; Vvillelmique Regis Romanorum ſententiam, qua ipſum perduellionis damnarat, omnibuſque vectigalibus Imperii terris exuerat, confirmavit. (*b*)

(*b*) *Lib.* II. *ep.*624.

*Innocentius &c. nobili viro Alberico de Romano noſtro & Eccleſiæ Rom. devoto.*

*Tuæ nobilitatis aſſertio continebat, quod nos olim Ezelinum de Romano, qui de fide catholica male ſentiret, habentes certa ratione ſuſpectum, ipſumque, qui pluries citatus legitime, ut compareret propter hoc perſonaliter coram nobis, venire contempſit, tanquam hæreticum deputantes, ac decernentes ipſum promulgatis adverſus hæreticos ſanctionibus ſubjacere, ipſius bona tibi adjudicavimus univerſa: & chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Romanorum illuſtris propter præmiſſa, & quod idem Ezelinus ſibi obſtinata rebellare perfidia præſumebat, diligenter attendens, ipſum caſtris, villis, poſſeſſionibus, juriſdictionibus, vaſſallis, mancipiis, & eorum peculiis, ac univerſis bonis ſuis regali auctoritate privavit omnino, ipſumque in amiſſione eorum eadem auctoritate damnavit, tibi hæc adjudicans univerſa, & ad te cum omni plenitudine juris pertinere decernens; nos quoque quod per Regem ipſum ſuper hoc factum extitit ratum habentes & gratum id auctoritate apoſtolica duximus confirmandum. Cum igitur nuper præfatum Ezelinum ſicut manifeſtum hæreticum ſententialiter duxerimus judicandum ipſum excommunicatum, & anathematizatum, cum damnatis hæreticis deputando, adſcripta illis damnationis ſtipendia recepturum; nos devotionis tuæ precibus inclinati, prædictos ipſius Regis proceſſus, ac noſtros robur obtinere decernentes perpetuæ firmitatis, tibi denuo dictas ipſius Ezelini villas & omnia ſupradicta ſuprabundantis cautelæ ſtudio conferimus & adjudicamus, ac alias collata, & adjudicata auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripturæ pagina communimus; intrandi, & apprehendendi corporalem poſſeſſionem omnium prædictorum per te, vel per alios auctoritate propria contrariis conſtitutionibus canonicis, vel civilibus nequaquam obſtantibus, plenam tibi concedentes ac liberam*





*facultatem. De Ezelino ſatis. Jam ab eo ad Conradum hæreſis ſuſpicione inquinatum ſermonem convertamus.*

XLI. Conradus in judicium ab Innoc. vocatus.

Indixerat illi Pontifex peremptorium diem, ut objecta crimina coram ſede Apoſtolica purgaret: qui miſſis oratoribus ea diluere eſt conatus. Cum vero illius ad gremium Eccleſiæ revocandi ſummo deſiderio Innocentius teneretur, Montiſfortis & Sabaudiæ comitum precibus adductus dictam illi diem ad rem totam facilius componendam prorogavit: qua de re hoc diploma edidit (*c*).

(*c*) *Lib.* II. *ep. cur.* 6.

*Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis.*

Prorogata illi ad dicendam cauſam dies.

*Super diverſis articulis, fidem moreſque religionis Chriſtianæ tangentibus, nobilem virum Conradum natum quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, propoſitis publicæ citationis edictis, ad præſentiam noſtram ſuadente officii paſtoralis debito duximus evocandum, præfixo ſibi peremptorio termino, quo veniret ſuam, ſi Domino volente valeret, coram nobis innocentiam oſtenſurus. Ipſe vero audita citatione hujuſmodi ad ſtatutum terminum ſolemnes procuratores, & nuncios ad ſedem Apoſtolicam deſtinavit, qui ſuper prædictis articulis excuſationes ſuas in noſtro auditorio publice proponere curaverunt. Nos itaque iis intellectis, quoniam ejuſdem quærimus affectu paterno ſalutem, dilectorum filiorum nobilium virorum I.. Montis fortis, & T.. de Sabaudia comitum, precibus inclinati, uſque ad medium proximæ quadrageſimæ de ſolita ejuſdem ſedis miſericordia prædictæ citationis terminum prorogamus, in eodem ſtatu, in quo erat, negotio per omnia remanente. Datum Aſſiſii* II. *non. februar. anno* XII. Quid geſtum ſit condicta die nobis exploratum non eſt.

XLII. Henrici violenta mors Conrado objecta.

Objeciſſe porro Conrado inter cætera atrocia ſcelera Innocentium Henrici fratris necem refert Pariſius (*d*): atque multis argumentis Conradum ſceleris fœditatem diluere conatum: *Papæ*, inquit, *graviter eum accuſanti reſpondit, dicens quod in ejus obitu partem ſui corporis reputat amiſiſſe potiſſimam. Sed re vera quidam flagitioſiſſimus Joannes Maurus ipſum potionatum, & adhuc ſub morte palpitantem quodam manutergio ſtrangulavit. Rex autem Conradus poſt mortem dicti fratris ſui nunquam, ut antea, vultum oſtendit ſerenum.* Adhæſit Conrado illius criminis infamia, cum juſtæ ſuſpicioni pateret locus illum, ut Siciliam teſtamento, ut vidimus, Henrico relictam ſine metu obtineret, e medio ſuſtuliſſe: ſed diu flagitii præmio potiri non licuit; nec Joannes Morus divinam ſeveritatem evaſit. Tradit enim Conradi ac Manfredi rerum ſcriptor (*e*) hoc ipſo anno converſis rebus, a Sarracenis, quos habebat comites fidiſſimos, obtruncatum.

(*d*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

Illius ſuſpicionis cauſæ.

(*e*) *Anonym. auct. MS. de rebus Conrad. & Manfredi.*

*Conradus & Manfredus mutuo flagrant odio.*

Ad confirmandum præterea in Sicilia dominatum Conradum Manfredi potentiam debilitaſſe admodum opeſque fregiſſe narrat idem anonymus auctor quem ait tacito in eum livore fuiſſe ſuffuſum: *Parum duravit hæc affectio*, inquit, *Regis ad principem; nam proceſſu dierum videns Rex iſtius principis ſolertiam, ſuſpicionem de ipſo in certo recipiens quod ratione magnæ ſapientiæ, quæ in ipſo erat, homo eſſet magis dominandi, quam obſequendi conditione dignus, mutari cœpit adverſus eum, ipſumque deprimere quomodocumque poſſet intendebat. Ut autem animi ſui motum ſub quadam generalitatis ſpecie occultaret, ut eum quidem læderet, lædere tamen nolle videretur, fecit eidem principi notum ſe omnes donationes poſt Imperatoris obitum factas revocare velle: principique ſuggeſſit, ut quo magis aliis regni majoribus daret exemplum, revocationem factarum ſibi donationum æquanimiter patiendi: ipſe princeps primus, atque ſpontaneus Honorem montis S. Angeli, & civitatem Brunduſii, quam ratione principatus Tarenti poſſidebat, Regi reſignaret. Sicque factum eſt quod princeps Regis voto ſatisfaciens, animique motum plene cognoſcens, Honorem montis S. Angeli & civitatem prædictam Regi obtulit, atque dimiſit.*

XLIII. *Manfredi potentiam opeſque Conradus paulatim atterit.*

*Rex autem generalem prædictarum conceſſionum revocationem faciens, cœpit prædicto principi paulatim favorem ſubtrahere, terramque illam, quam princeps tenebat ex conceſſione paterna non quidem ſimul, ſed ſucceſſive quibus poterat occaſionibus ab ejus dominio & poſſeſſione revocavit; ſolumque principatum Tarenti mutilatum comitatibus Gravinæ, Tricarici, Montiſcaveoſi, & prædicta Brunduſina civitate ſibi dimiſit. Et ne princeps de ipſa quoque terra, quæ ſibi remanſerat, ſubſidium habere poſſet, hominibus ipſius principatus collectam generalem graviſſimam imponi & exigi mandavit, regio ærario applicandam. Juſtitiarium quoque in principatu ipſo a principe ordinatum removit, & juſtitiarium ſuum, ſicut in aliis regni partibus, in ipſo conſtituit, ſubtracta ſibi in eodem principatu mera imperii poteſtate, quam ex conceſſione patris Imperatoris habuerat, ut princeps nonniſi in civilibus tantum juriſdictionem in principatu ipſo retineret. Princeps vero prudentiſſimus in tali quidem adverſitate fortunæ minime frangebatur, virtutumque ſuarum auxilio, cum magis neceſſarium ſibi erat, utens propter ea, quæ Rex ſibi faciebat. Nec quidem tantis malis in fratrem Rex exaturatus eſt; ſed majorem extremamque ipſius principis depreſſionem Gualvanum Lanceam, qui Imperatori diu ſerviverat, quem propter magnam ejus fidem, atque prudentiam Imperator vicarium ſuum in Tuſcia per multum temporis ſpatium habuit; Fredericum quoque Lanceam fratrem ejus, & Bonifacium de Anglono ipſius principis avunculum, omneſque ipſius principis conſanguineos & affines ex parte materna, conficta in eos occaſione, cum uxoribus, matribus, ſororibus, ac filiis & filiabus magnis & parvis regnum exire mandavit: qui omnes exeuntes regnum, cum ſe ad Imperatricem Romaniæ ſororem ipſius principis contuliſſent, miſit Rex poſtmodum Bertholdum marchionem de Honebruch in Romaniam, qui prædictos Gualvanum & fratres ab Imperatore Romaniæ,* nimirum Vatacio, *fecit de Imperio ſuo licentiari, multum diſplicuiſſe Regi aſſerens ſi Imperator eos circa ſe retineret. Licet autem Rex ita graviter contra principem moveretur, princeps tamen libenter omnia patiens Regi cum omni devotione obſequebatur.* Verum alto pectore conceptum dolorem preſſiſſe Manfredum, ut facilius lædere poſſet, apparet ex iis, quæ e Ricordano, atque aliis infra dicemus. Pergit anonymus ſcriptor exponere, ut Manfredus ſtrenuam Conrado operam in expugnandis pluribus munitiſſimis urbibus explicuerit.

*Illius affines in exilium ejicit.*

XLIV. *Signa in Germaniam adverſus Vvillelmum convertere meditatur.*

Ingraveſcebat quidem adeo Conradi Potentia, ut niſi repentina mors illius conſilia oppreſſiſſet, Romanam Eccleſiam, atque omnes illius clientes fœderatoſque in diſcrimen adducturus timeretur. Jam ille adjuncta ſuo imperio Sicilia, Aquino, Sueſſaque obtentis, Capua, & Neapoli, aliiſque urbibus pontificiarum partium expugnatis, in Germaniam expeditionem comparabat adverſus Willelmum in Imperio æmulum, cujus majeſtas, atque auctoritas admodum obſoleverat, ut ex iis, quæ Stadenſis narrat colligitur (a): *Anno Domini MCCLIV. Inter Regem Vvillelmum & Colonienſem archiepiſcopum in Nuſſia tanta controverſia ſurrexit, quod Colonienſis applicato igne valido ad domum, in qua erat legatus cum Rege voluit ambos incendio ſuffocare, vix evaſerunt.* Affulgebant ergo Conrado ſecundarum rerum ſpes certiſſimæ, atque humanæ felicitatis apicem facile conſcenſurus videbatur, cum repentino implicitus morbo decubuit, ut anonymus rerum Conradi, & Manfredi, ſive dixerimus Sicularum ſui temporis ſcriptor narrat his verbis (b): *Reverſus in Apuliam hyeme ſequenti*, ſcilicet poſt expugnatam ſuperiore anno Neapolim, *mortuoque Henrico minore fratre ſuo, diſponebat Rex verſus partes Imperii procedere, & cum circa veris initium ordinato exercitu proceſſurus caſtrametari cœpiſſet in campis prope Lavellum infirmitate correptus, cum eſſet circa annos ætatis* XXVI. *in triumphorum ſuorum primordiis acerbo mortis fato ſuccubuit. Mortuus eſt autem idem Rex* XXI. *menſis maii anno Domini MCCLIV. XII. indict. ſuperſtite ſibi filio nomine Conradino duorum jam annorum ex Eliſabeth Regina ſuſcepto.* At illius obitum aliquot ante diebus collocant Stero, (a) ac Patavinus monachus, (b) Pariſius (c) vero in aliquot poſteriores dies reiicit, qui omnes aliique hoc anno acciſſe conſentiunt. Ex quibus atque e pontificiis literis refellendi nonnulli, qui Conradi obitum in ſuperiores annos contulere.

(a) Stad. in chron. hoc ann.

*Colonienſes in Willelmum rebellant.*

(b) Anonym. auct. MS. de reb. Conradi & Manfred.

*In expeditionis apparatu moritur Conradus. Conradinum heredem relinquit.*



(a) Stero in annal. 1254. apud Caniſ. antiq. lect. t.1. pag. 273.
(b) Monach. Pad. chr. l.2.
(c) Par. hiſt. Angl. hoc an.

XLV.

Quod ad ejus mortis genus ſpectat; innuit Pariſius partim e concepto ob ſibi atrociſſima objecta ſcelera dolore, partim veneno contabuiſſe: *Interim*, inquit, *Papa non mediocriter diffamavit Regem Conradum, imponens ei enormia crimina, ſcilicet cædem fratris ſui Henrici, ut ſic provocaret Regem Anglorum, & omnes Anglos contra eum; & quod contemptor extitit clavium Eccleſiæ, & multa alia, quæ non oportet recitare: ſcripta autem ſunt in libro additamentorum, & in hoc prætacta. Rex igitur Conradus irruptiones hoſtiles, comminationes, opprobria Papæ ſuſtinens & diffamationes,* nimirum ob necatum Henricum, *cœpit ſupra modum contriſtari, & gravi dolore contabeſcere; & ut dicitur, veneno propinato impellere.* Porrectum illi a Manfredo, qui tyrannidem affectabat, ſcribit Ricordanus (d) quem Joannes Villanus, (e) & nonnulli alii ſequuntur, ac languenti clyſtere infuſum tradit. Certe mutua quæ interceſſerant, odia illatæque Manfredo injuriæ, de quibus ſupradictum eſt, tentati facinoris ſuſpicioni locum dedere. Pergit Pariſius lugubrem Conradi mortem deſcribere, triſteſque ab illo in extremis vitæ confiniis emiſſas voces adducit: *Væ mihi miſero, væ, væ mihi miſero. Ut quid me fudit mater mea e gremio? ut quid pater meus me genuit tot ærumnis exponendum? Eccleſia quæ mater patri meo, & mihi eſſe debuit, potius novercatur: Imperium quod ante Chriſti nativitatem uſque nunc floruit, modo marceſcit & datur lethææ oblivioni. Maledicens ergo diei nativitatis ſuæ, miſeram & afflictam animam exhalavit.* Diſceſſiſſe e vivis non expiatis ſacra confeſſione criminibus, atque anathematis vinculis irretitum ſcribunt (f) laudati Ricordanus & Joannes Villanus: (g) juſto Numinis judicio, ut ſacerdotum miniſterio in extremo vitæ articulo, e quo pendebat æternitas, ad ſolvendos cenſurarum nexus, atque eluenda ſcelera careret, quos ob defenſam Eccleſiæ cauſam acerrimis etiam tormentis aliquando confeciſſet. Funeſto mortis generi funeſtæ exequiæ reſpondere, ſi vera ſunt quæ nonnulli referunt (h); extincti Conradi corpus in Meſſanenſe templum, ut ſepulturæ mandaretur illatum, ex cereorum multitudine funebri apparatu flammam corripiente una cum templi tholo conflagraſſe, eaque de re elegans hoc carmen compoſitum.

*Creditus Manfredus venenum illi porrexiſſe.*

(d) Ricord. hiſt. flor. c.146.
(e) Joan. Vill. l.6. c.44.

(f) Ricord. & Jo. Vill. ubi ſup.

(g) Id ib.

(h) Maurol. & Conſtant. in hiſt. Sicil. Surmont. in hiſt. Neap.

*Conradi corpus in eccleſiam deportatum conflagrat incendio.*

*Funere Conradus caruit tumuloque: rebelli*
*Utraque namque negat munera religio &c.*

XLVI.

Sublato itaque e medio Conrado, Bertoldum marchionem Conradini vice Siculi regni adminiſtrationem ex Teſtamento Conradi arripuiſſe ſcribit auctor anonymus ſupra memoratus (i): *Pueri balium prænominatus Bertholdus de Honebruch per magnam ſui aſtutiam procuravit ſibi a Rege committi propter favorem Theutonicorum, quos omnes ratione communis nationis munerum allectione adeo ſibi devinxerat, quod de eis omne ſuum beneplacitum facere poterat.* Et infra: *Aſſumpto itaque baliatus officio a marchione Bertholdo, tota camera, cunctaque Regis gaza in auro, argento, lapidibus pretioſis, & aliis, quæ in ipſa camera continebantur, ad ipſius marchionis manus & dominium pervenerunt. Cumque inter alia, quæ dictus Rex Conradus de filio & regno ſuo in ultima voluntate diſpoſuit, filium ſuum manibus & gratiæ ſedis Apoſtolicæ ſubmittendum eſſe mandaſſet, Papa Innocentius IV. qui ſedi tunc Apoſtolicæ præerat, ex Regis diſpoſitione quandam ſumens occaſionem, aſſerens regnum Siciliæ ad Eccleſiam Rom. ſpectare, regnum ipſum vendicare intendebat. Cumque prædictus marchio, regni balium gerens, miſiſſet legatos ad Papam ſuper petenda Regi pupillo ſedis Apoſtolicæ gratia, prout pater ſuus in ultima voluntate ſtatuiſſe videbatur, ſummus Pontifex illam legatorum miſſionem & apoſtolicæ gratiæ poſtulationem magis debilitati partis regiæ, quam devotioni adſcribens, reſpondit præciſe ſe habere velle regni poſſeſſionem, atque dominium promittens Regi pupillo, cum ad pubertatem veniret, de jure ſi quod haberet in regno, gratiam eſſe faciendam.* Hæc auctor Manfredi ſtudio in Pontificem parum æquus.

(i) Anonym. auct. MS. de rebus Conrad. & Manfr.

*Bertoldus Marchio Siciliæ adminiſtrationem ſuſcipit.*

*Oratores mittit ad Innoc. ut Conradinum a patre clientelæ Ap. relictum tueatur. Reſpondet Pont. regni poſſeſſionem inire velle. Adulto Conradino ſua jura reſtitutum iri.*

XLVII.

Explicuiſſe Innocentium in Conradinum apoſtolicam clementiam, eique regnum Hieroſolymitanum, cujus dominium in Henricum Cypri Regem, ut ſupra vidimus, ob Conradi de Eccleſia male meriti ſcelera; ne res Chriſtiana in oriente funditus everteretur, transfuſum fuerat; atque Sueviæ principatum, quo ipſius pater dejectus erat, & alia jura, ſi quæ in Siciliam obtineret, adſcripſiſſe oſtendunt ad univerſos fideles exaratæ pontificiæ literæ (k).

*Regnum Hieroſolymit. & Sueviæ principatum illi confirmat.*

(k) Inn. l. 12. poſt ep. 505.

*Univerſis Chriſti fidelibus.*

*Benigna mater Eccleſia, circa devotos & humiles filios ſolicite vigilans, eorum pro-*

*profectibus & ſaluti pietatis oculo inſtanter proſpicit, & attente. Sed cum ſemper miſericordiæ beneficiis affluat abundanter, illud præcipue inter clementiæ opera ipſam reddit conſpicuam, & inſignem, quod de pupillorum ſtatu, & ſuffragio indigentium alieno, propenſius meditans, in opportunum patrocinium ad illorum numinem inundanter exuberat, & ad tutelam & præſervationem ipſorum manus extendens propitias, brachiaque favorabilia explicans, miniſterium circa eos conſtantis exequitur adjutricis. Quia igitur competit Eccleſiæ congruis pupillos fulcire favoribus, piiſque præſidiis communire, nos circa chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Conradum Regem Hieroſolymitanum illuſtrem ducem Sueviæ filium quondam Conradi nati quondam Friderici olim Rom. Imperatoris, nunc in annis teneris, & pupillari conſtitutum ætate, apoſtolicæ benevolentiæ gratiam effundentes, ut ſuæ propitiationis ſalubre munimen, magnumque commodum per effectum teneat, ſentiat, & agnoſcat, ac noſtra, & Apoſtolicæ ſedis benigne ſibi largientis juvamina; regnum Hieroſolymitanum, & ducatum Sueviæ, & alia jura ſua, ubicunque illa, ſive in regno Siciliæ, ſive alibi habeat, integra & illæſa ſibi, deliberatione cum fratribus noſtris habita, proponimus & volumus conſervare, & permittimus, quod univerſi de ipſo regno Siciliæ in ſerie juramenti fidelitatis, quod nobis, & Eccleſiæ Rom. præſtabunt, poſſint adiicere, Conradi pueri jure ſalvo. Ideo autem hæc vobis inſinuamus & ſcribimus ut ex tenore præſentium notitia, & certitudo de iis in poſterum habeatur.*

XLVIII. Guillelmus tit. S. Euſtachii diac. Card. in Siciliam cum exercitu legatus miſſus.

Ut Siciliæ porro regnum, cui Manfredus dominandi cupidine allectus inhiabat, ad Eccleſiam revocaret, Guillelmum S. Euſtachii diaconum Card. A. S. L. cum ampliſſima auctoritate, vel ad rebellium pertinaciam comprimendam; vel aliorum ſtudia allicienda ſuppenditandave militi ſtipendia miſit, ut ex literis (*a*) tum ipſi datis perſpicitur: *Diſcretioni tuæ, quam firmiter, & pro certo tenere volumus, quod nos & fratres noſtri te ac prædictum negotium in omni eventu conſtanter manutenebimus, tibique pro eo auxilia continua impendemus, præſentium tenore concedimus, ut poſſis pro eodem negotio noſtro, & Eccleſiæ Romanæ nomine contrahere mutuum, quantumcunque a mercatoribus Romanis, vel aliis, & obligare propter hoc Rom. Eccleſiam, & caſtra, & poſſeſſiones eccleſiarum Urbis, campaniæ, & maritimæ, nec non caſtra, & poſſeſſiones circumadiacentium locorum, & regni Siciliæ ſupradicti. Poſſis etiam pro ipſius promotione negotii fructus & proventus omnes eccleſiarum tam cathedralium, quam aliarum in eodem regno vacantium libere accipere, ac etiam non vacantium, ſi earum prælati negotium ipſum non juverint juxta tuum beneplacitum, & mandatum. Imponendi quoque ac exigendi collectas in eodem regno, ſi expedire videris, & novam ibi cudi faciendi monetam, ac exheredandi omnes de regno ipſo quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, & natorum ſuorum fautores, qui ad mandatum Eccleſiæ, poſt denunciationem eis ſuper hoc auctoritate noſtra factam, minime redierint, & cunctos alios, qui poſtquam ipſis denunciaveris, redire contempſerint. Omnia inſuper curiæ demania, & quæcunque ſive in comitatibus, ſive baroniis, ſeu feudis, vel ſcandentiis, aut quibuſlibet aliis ſunt in eodem regno conceſſa, libere revocandi; privandi præterea univerſos ipſius regni, quos Eccleſiæ proditores eſſe conſtiterit, ſi ad ejus mandatum redire noluerint, omnibus ſuis feudis, & illa concedendi fidelibus, ac accipiendi rebellium de regno ipſo depoſita ubicunque ſunt, vel fuerint, & faciendi reddi in eodem regno, cum neceſſe fuerit, per illius pares judicia; tribuimus tibi plenariam poteſtatem. Ideoque prudentiæ tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad ejuſdem proſecutionem negotii, de divino, & apoſtolico confiſus ſuffragio, forti aſſurgens animo circa illud cunctis invigiles ſtudiis, & ut optatæ promotionis favente Deo incrementa ſuſcipiat, inſtanti ſolicitudine, ac ſolicita inſtantia elabores. Dat. Anagniæ* IV. *non. ſept. an.* XII. Auxit pluribus prærogativis (*b*) legatum, ut majorem illi conciliaret auctoritatem, datiſque ad Siculos præſules literis (*c*) tum eccleſiaſticis, ac laicis ſacerdotia, aut vectigales eccleſiarum poſſeſſiones eripi juſſit, qui Manfredi ſequacium partes tuerentur.

(*a*) Eod. l. 12. ep. cur. 11.

(*b*) Ib. ep. 11. & ſeqq.

(*c*) Ep. 33.

XLIX. Siculi ad Pontificias partes transfugiunt. Bertoldus regni adminiſtratione cedit.

Plures Siculos, quos diuturna Friderici, & Conradi tyrannis fatigarat, ad pontificias partes traductos indicat rerum Sicularum ſcriptor (*d*): qui ſubdit, mox certatim populis liberas manus attollentibus, atque in Eccleſiæ obſequium procumbentibus, perculſum marchionem Honebruchenſem, regni adminiſtrationem, quam pro Conradino ſuſceperat, in Manfredum contuliſſe: *Cœpit*, inquit, *ex parte ſummi Pontificis caute tractari cum aliquibus regni magnatibus, qualiter regni poſſeſſionem adipiſci Eccleſia poſſet. Cum autem jam aliqui de regni majoribus ad partem Eccleſiæ inclinari cœpiſſent, & prædicti marchionis non eſſet tanta potentia, quod tam gravi diſſidio vigenti poſſet obſtare, videns marchio ſe in tanta difficultate perplexum, cum ſummus Pontifex exercitum jam congregare cœpiſſet, ad occupandum regnum, pluresque magnates, quos ipſe marchio habere ſperabat in auxilium, alii occulte, alii manifeſte ad partem Eccleſiæ declinarent; baliatus officium ſe aſſumpſiſſe*

(*d*) Anonym. auct. rerum Conrad. & Manfred.

ſe



*ſe pœnituit, & ex tunc onus quidem incaute ſuſceptum non ſine pudore deponendum exiſtimavit.* Et infra:

L. Manfredus illam arripit.

*Marchione itaque dimittente baliatus officium, comites, barones, & alii magnates regni in Regis*, nimirum Conradini, *fidelitate manentes, ipſe etiam marchio unanimiter convenerunt, rogantes principem Manfredum, ut balium nepotis Regis pupilli a marchione dimiſſum, quod eidem principi jure agnationis legitime offerebatur, aſſumeret, publice proteſtantes, quod ſi ipſe princeps balium ipſum non reciperet, negotium pupilli Regis in regno Siciliæ penitus periclitabatur, quod eidem principi præcipue poſſet imputari ad culpam, quod ipſe qui ſingulariter regnum ipſum defendere poterat, ipſum in præjudicium Regis pupilli nepotis ſui, & ſuum relinqueret indefenſum.* Interjectiſque nonnullis, quibus auctor Manfredo addictiſſimus probare nititur, illum regni Siculi habenas corripere debuiſſe, ſubdit, ut marchionem Honebruchenſem, & alios proceres fidei ſacramento ſibi adſtrinxerit: *Tam ipſe Marchio* de Bertoldo loquitur, qui Siciliæ moderandæ a Conrado præfectus erat, *quam comites, barones, aliique regni fideles eidem principi juraverunt fidelitatem Regis, & ſuam, ita videlicet ut ſi Rex parvulus viveret, eidem principi tanquam generali balio ejus intendere, & parere; ſin autem ipſe puer vel jam defeciſſet, vel poſt liberis non ſuſceptis, deficeret, ipſum principem Manfredum ex tunc in Regem & regni dominum haberent.* Ut vero Manfredus, conficta Conradini morte tyrannidem invaſerit, ſuo loco dicetur. Subiicit ad confirmandam quam arripuerat poteſtatem, cum regium ærarium marchio Honebruchenſis ſibi non reſtitueret, in comparandis copiis proprias opes effudiſſe, & Capuam ac nonnullas alias arces firmiſſimis præſidiis muniiſſe.

LI. Pontifex Manfredum & alios conjuratos ad uſurpatam regni adminiſtrationem reſtituendam in judicium accerſit. Gravium pœnarum terrorem incutit. Willelmum Regem ſolicitat ut bonis exuat.

Ad evertendam interea improborum defectionem, ac Manfredi tyrannidem, Innocentius Anagniæ, quo ſe, ut propius conſuleret Siculæ rei, contulerat feſto Aſſumptæ in cœlum Virginis die Manfredum, marchionem ex Honebruch, Conradum ex Antiochia, atque alios conjuratos, incuſſo cenſurarum, aliarumque graviſſimarum pœnarum, ac mulctæ fortunarum, & dignitatum terrore, publica acta, ſervato juris ordine, confecit: quos evoluto ad natalem Deiparæ diem temporis ſpatio ad Eccleſiæ obſequium redire juſſit. Cumque iis minis frangi nondum potuiſſent, ſtato die pontificiis ipſos cenſuris perculit, atque omnibus vectigalibus, bonis, & juribus exuit; qua de re ad Willelmum Romanorum Regem literas dedit, (*a*) ut bona quæ marchio ex Honebruch, aliique factionis Siculæ participes obtinerent in Germania, in alios traduceret, aliiſque gravibus pœnis, ut Cæſareæ majeſtati viſum eſſet, afficeret.

(*a*) Lib. 12. ep. cur. 41.

LII. Manfred. Frid. de Antiochia Bertoldus aliique ſequaces anathemate percuſſi.

*Vuillelmo Regi Romanorum illuſtri.*

*Excellentiæ tuæ notum eſſe volumus, quod nos in feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis proxime præterito marchionem de Houmburch, Manfredum, qui ſe nominat, & vocari facit principem Tarentinum, Fredericum de Antiochia, & fratres marchionis ejuſdem, ac alios de Theutonia, ac partibus aliis extra regnum Siciliæ præſente copioſa fidelium multitudine publice, ac ſolemniter monuimus, eiſque auctoritate apoſtolica diſtricte præcepimus, ut uſque ad proximum ſequens feſtum nativitatis ipſius Virginis, quod jam præteriit, quodque ipſis pro peremptorio præfiximus termino, regnum prædictum, & civitates, caſtra, villas, roccas, & alia ipſius loca Rom. Eccleſiæ; ad quam regnum ipſum cum diſtrictu, & pertinentiis ſuis totaliter pertinere dignoſcitur; libera & expedita dimitterent, per ipſius rectores, balivos, officiales, & nuncios juxta ſuum beneplacitum gubernanda; nullum impedimentum, nullamque turbationem, offenſam, ſeu moleſtiam iiſdem rectoribus, officialibus, & nunciis, ſeu aliis eidem Eccleſiæ adhærentibus, aut iis, quos pro ipſius regni negotio vel ejus gubernatione illuc deſtinavimus, inferentes.*

LIII. Denuntiatum omnibus exteris qui in Sicilia vectigales terras obtinerent jus fiduciar. a ſede Ap. petere.

*Illis etiam, qui de regno ipſo non exiſtentes, comitatus, baronias, feuda, ſeu alia hujuſmodi jura in regno eodem obtinent, eadem auctoritate injunximus, ut infra eundem terminum ad noſtram accederent præſentiam, inveſtituram, ſeu conceſſionem, aut confirmationem de iis a nobis, ſeu de noſtris manibus, ſicut juſtum exiſteret, recepturi: & ſi noſtris ſuper iis non parerent monitis, & præceptis, ſed horum exiſterent potius contemptores, ex tunc ipſos univerſos & ſingulos propter hunc contemptum tam temerarium, & ſuperbum; ac principaliter prædictos marchionem, Manfredum, Fredericum, & marchionis fratres anathematis vinculo innodantes, eos comitatibus, baroniis, feudis, cunctiſque dignitatibus & honoribus, jure patronatus, advocariis, & quibuſlibet aliis juribus, quæ habent in eodem regno vel alibi, tanquam rebelles & hoſtes prædictæ Rom. Eccleſiæ, ſuorumque jurium invaſores, occupatores, & detentores ſacrilegos, ac inſuper eorum filios, & fratres, omnibus dignitatibus, & beneficiis eccleſiaſticis duximus prædicta apoſtolica auctoritate privandos; ſtatuentes, ut nullus ipſorum deinceps ad hujuſmodi dignitates, & beneficia promoveri valeret: & concedentes illis, a quibus iidem rebelles, & hoſtes comitatus, baronias, feuda, & alia præmiſſa tenent, reſumendi, & retinendi ea propria auctoritate, ac diſponendi, prout*

Imperia detrectantibus incuſſæ pœnæ.

ad

*ad ipſos pertinet de eiſdem, & illis, ad quos ſive ſua ordinaria, ſive noſtra ſpeciali, ſeu legatorum ſedis Apoſtolicæ auctoritate dignitatum, & beneficiorum ipſorum eccleſiaſticorum collatio pertinet, conferendi ea perſonis idoneis, liberam facultatem: ac omnes, qui præfatis marchioni, Manfredo, Frederico, & ipſius marchionis fratribus, & aliis de regno ipſo non exiſtentibus, fidelitate, homagio, vel juramento, ſeu pactis, aut promiſſionibus, ſeu quibuſcunque obligationibus ſive quoad fidelitatem, ſive quoad ſponſalia, ſive quoad alia ſunt adſtricti, ab hujuſmodi vinculis & obligationibus penitus abſolventes.*

LIV. *Verumtamen quia præfati marchio, Manfredus, Fredericus, & ipſius marchionis fratres, ac alii prædicti, tanquam in ſua malitia obfirmati contempſerunt hujuſmodi apoſtolica monita, & præcepta, nolentes a ſua tanta temeritate ceſſare; nos in prædicto feſto nativitatis ejuſdem Virginis ipſos univerſos, & ſingulos, aſtante multo fidelium populo, declaravimus, & denunciavimus præmiſſis pœnis, & ſententiis ſubjacere: ac illos a quibus ipſi comitatus, baronias, feuda, & alia prædicta tenent, & eos ad quos dignitatum, & beneficiorum eorumdem collatio pertinet, habere diſponendi de iis liberam poteſtatem; ac omnes qualitercunque prædictis modis ipſis aſtrictos ab omni eſſe vinculo, & obligatione penitus abſolutos. Ideoque celſitudinem tuam ſolicitamus, & requirimus, monentes, & hortantes attente, quod comites, duces, marchiones, barones alioſque principes & nobiles de Alemannia, a quibus præfati marchio, ac ipſius fratres, & alii de Theutonia, in regno exiſtentes prædicto, baronias, feuda, vel alia hujuſmodi tenent, moneas, eiſque diſtricte injungas, inſinuato ipſis hujuſmodi noſtro proceſſu, quod infra certum terminum, quem eis præfixeris, baronias, feuda, & alia prædicta omnino ad ſe capiant, & reſumant illa prædictis marchioni & aliis auferentes, diſponendo alias de iis prout pertinet ad eoſdem. Quod ſi forte non fecerint, tu ex tunc hac regia poteſtate capiens ordines de illis, prout videris expedire. In hoc autem promptum te, ac ſtudioſum exhibeas, & ſolertem, cum in iis omnibus & Eccleſiæ honor, & tuus communiter procuretur. Datum Anagniæ* II. *id. ſeptemb. anno* XII.

Urgetur Willelm. ut Bertoldum alioſque Germanos perduelles bonis deturbet.

LV. Eodem argumento Spirenſi epiſcopo datis literis (*a*) præcepit, ut perduellium poſſeſſiones in alios derivaret, atque ſacerdotiis ipſorum filios fratreſque exueret. Diſſolutam brevi Siculorum procerum coitionem Pontificis diligentia ex memorato Manfredi rerum geſtarum ſcriptore colligitur; ubi enim Manfredi ſolicitudinem in urbibus ac populis, qui in ejus obſequio fluctuabant, continendis deſcripſit, ſubjungit: *Interea ſummus Pontifex in Sicilia, nuncios miſerat ad Petrum Ruffum de Calabria, qui Siciliæ, & Calabriæ bajulus fuerat ordinatus ſub marchione Bertoldo: quorum nunciorum tractatu ad id deventum erat, quod dictus Petrus Ruffus Fulconem nepotem ſuum & alios ſolemnes nuncios pro parte ſua in civitate Meſſana miſit ad Papam, cum duobus galeis per mare uſque Terracinam venientes; factumque erat, quod tam Sicilia, quam Calabria ad convertendum ſe in partem Eccleſiæ diſponebatur. Richardus enim de monte nigro, qui propter odium, & inimicitias quas habuerat cum marchione Bertoldo, in partem contrariam declinaverat, qui in regni finibus terras & caſtra tenebat, confœderationem jam fecerat cum Campanis, & exercitui papali tranſitum in regnum dare promiſit: alii etiam per occultos nuncios ſuos donationes ſibi a ſede Apoſtolica impetraverant.* Et paucis interjectis: *Conjuratio quoque facta erat a quibuſdam in Capua, ut ſtatim quod papalis exercitus regno appropinquaſſet, ipſi uno impetu in principem latenter inſurgerent, & ipſum aut caperent, aut interficerent. Prædictus quoque marchio Bertoldus in promiſſione, quam principi fecerat de mittenda ſibi pecunia, & de veniendo ad eum cum exfortio de Apulia, ſibi defecerat: immo per Apuliam diſcurrendo negotia ſua, commodaque tractabat; & requiſitus etiam per Gualvanum Lanceam ex parte principis ad eum miſſum de periculis, in quibus principem dimiſerat, non curabat.* Nonnulliſque in Manfredi laudem congeſtis, qui rebus in extremum diſcrimen adductis vincere aſtu quam audacia maluiſſet, ſubiicit.

(*a*) Ep. 42.

Manfredi aliorumque procerum coitio diſſolvitur.

Plures a Manfredo ad Pontificias partes ſe conferunt.

LVI. *His ergo aliiſque rationibus circumſcriptis, nunciis, qui ad ſe a ſummo Pontifice miſſi erant, princeps reſpondit; & talem per eum & ſuos nuncios miſſos ad Papam deprecationem cum ea devotione, qua decuit, fecit: ut videlicet ſanctus Pater apoſtolicus, ad quem cauſa, & præcipue pupillorum defenſio, Dei vice defertur, ipſum principem, qui cauſam pupilli Regis nepotis ſui gerendam ex ſola ætatis imbecillis miſeratione ſuſcepit, in ipſius adminiſtratione contra debitum pietatis apoſtolicæ non turbaret: immo ſibi ſuper hoc auxilium tribuens, prædictum pupillum Regem in matris Eccleſiæ ſinu reciperet, ut pater ſuus Conradus in ultima decreverat voluntate. Et ſi eidem ſummo Pontifici prorſus placebat terram pupilli regere, paratum ſe obtulit idem princeps eundem ſanctiſſimum Patrem in regnum recipere ſine præjudicio Regis, & ſuo; & tam ipſius Regis, quam ſuo in omnibus jure ſalvo, ſub cujus auctoritate petitionis expoſitæ finibus tractatum eſt, quod Papa ſine præjudicio pupilli Regis, & principis cum juris utriuſque proteſtatione ex permiſſione principis ingrederetur regnum.* Sed Manfredum ſuis viribus diffidentem ſe tempori accommodaſſe, ac pontificiam clementiam, ne res ſuas omnino everteret, eblanditum, e pontificiis literis conſtat: quibus Innocentius principatum Tarentinum, Gravinæ & Tricarici comitatus, Honorem montis S. Angeli a Friderico relictos confirmavit: præterea Andrenſem comitatum adjecit; & Galvanum Lanceam, ipſius avunculum in Cardinalium conſeſſu, dato annulo, ampliſſima ea ditione induit: tum ſententias, quibus illius dignitas ob præteritam rebellionem infringeretur, reſcidit, atque apoſtolicam clientelam eſt pollicitus (*a*).

Suorum defectione perturbatus Manfredus Pontificis gratiam ambit. Plena fucis & dolis illius oratio.

Regnum Pontificio arbitrio ſubmittit.

Principatus Tarentinus aliæque terræ ipſi confirmantur.

(*a*) Lib. 12. ep. 205.



*Nobili viro Manfredo principi Tarentino fideli noſtro.*

LVII. *Clemens ſemper, & mitis in ſuis actibus mater Eccleſia illum benignitatis circa ſuos filios, & ſubditos tenet modum, ut tanquam vehementer in operibus pietatis exultans, & quaſi amœnas ſibi delicias exiſtimans miſereri, eligat magis ſervare manſuetudinem, quam rigorem, & ignoſcere potius, quam ſævire. Veruntamen ſi culpam in quoquam reperiat, vel offenſam, quia delectabile ac jucundum eſt ſibi dimittere delinquentem in pœnæ dimiſſionem, vel moderationem jucundum, libentius parcit quam feriat; & plus ſe illi propitiam exhibet, quam ſeveram. Nam & agnoſcit quod revera tunc egregie de aliquo vindicta ſumitur, cum ei magnanimiter indulgetur: id enim in ſuis præcipue quærit, & optat Eccleſia, quod in ſuo benigno collecti gremio amore ac devotione proficiant, & in ſuorum dulcedine uberum continue delectentur: quibus ſponte nos in donis, & gratiis largifluos exhibemus, ut benevolentia & liberalitate noſtra percepta, in noſtris, & ejuſdem Eccleſiæ beneplacitis fortius roborentur. Quia igitur* * *ipſius Eccleſiæ brachiis totaliter commiſiſti, eam matrem, & dominam recognoſcens, tua firmata ſalubriter ad ipſius mandata, & obſequia voluntate; nos de hoc multo concepto gaudio, recipientes te in noſtram, & Apoſtolicæ ſedis gratiam, patris, & fratrum tuorum, ac tuis culpis nequaquam obſtantibus; tibique omnes injurias, & offenſas, quas nobis & eidem Apoſtolicæ ſedi, ac Eccleſiæ intuliſti, totaliter remittentes; quoniam per te, in quo generis claritas, potentia, induſtria, & alia quamplura digna laude concurrunt, honor, commodum, & exaltatio Eccleſiæ potuerunt multipliciter, & efficaciter procurari; providimus perſonam tuam muneribus ſublimare magnificis, ejuſque ſtatum inſignibus honoribus illuſtrare: ut tu de tot effuſorum circa te beneficiorum affluentia corde lætus, & Eccleſiæ valde gratus ad devotionem, & dilectionem ejuſdem vehementer inardeſcas.*

* te

LVIII. *Hinc eſt quod cum regnum Siciliæ cum omnibus diſtrictibus, & pertinentiis ad Apoſtolicam ſedem plene pertineat, ſitque ad ejus dominium totaliter devolutum; nos volentes te in illo principaliter & amplifice honorare, conceſſiones de principatu Tarentino, cum Gravini & Tricarici comitatibus, ac de Honore montis S. Angeli dudum tibi factas a quondam Frederico olim Romanorum Imperatore, ac Rege Siciliæ patre tuo, prout in ejus literis, ſeu privilegiis confectis exemplum continetur; nobilitati tuæ de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica confirmamus, &c. uſque communimus. Ac inſuper apoſtolicum circa te favorem ampliando, præmiſſa omnia ab eodem Frederico conceſſa, de novo tibi & heredibus tuis in perpetuum, de fratrum conſilio eorundem, plene conferimus ex gratia ſpeciali. Comitatum etiam Andrenſem pro comitatu montis Caveoſi, quem nunc tenet nobilis vir B.. marchio de Houmburch, tibi gratioſe in concambium duximus concedendum: ita quod & principatum, & Honorem, & comitatus prædictos cum civitatibus, caſtris, villis, portubus, baroniis, hominibus, infeudatis, & non infeudatis; terris cultis, & incultis, ſylvis, aquis, aquarumque decurſibus, & paſcuis; cum honoribus, dignitatibus, & iis quæ ad merum & mixtum imperium pertinent, & cum juribus, & rationibus & pertinentiis omnibus eorundem; tu & iidem heredes immediate a Rom. Eccleſia, nullum alium præter ipſam recognoſcendo in iis ſuperiorem, vel dominum, teneatis perpetuo. De quibus omnibus dilectum filium nobilem virum Galvanum Lanceam avunculum tuum tuo nomine in eorundem fratrum noſtrorum præſentia curavimus per annulum inveſtire: non obſtantibus quibuſcunque excommunicationum, ſeu privationum, aut depoſitionis ſententiis, in perſonam memorati Frederici auctoritate apoſtolica promulgatis, ſeu aliis circa ipſum impedimentis, & quibuſlibet ſtatutis, ſeu legibus editis, vel edendis, per quæ prædictæ ipſius Frid. conceſſiones infringi, ſeu irritari, vel vacuari poſſent, aut etiam revocari, & qualibet alia in te privationis dignitatis, & honorum, aliorumque jurium ſententia per nos lata.*

Comitatum Andrenſem tribuit Pont.

LIX. *Volumus autem, ut quotieſcunque ipſa catholica Eccleſia pro defenſione regni præfati generalem exercitum congregaverit, vel indixerit, tu dictique heredes teneamini pro prædictis quinquaginta milites equis & armis bene munitos ad ſerviendum per quadraginta dies veſtris ſumptibus eidem Eccleſiæ infra regni confinia exhibere. Nos quoque ac ipſa Eccleſia te, ac ipſos heredes in prædictorum principatus, & aliorum omnium poſſeſſione manutenebimus,*

Ad quæ officia ipſum adſtrinxerit.

*mus, & contra omnes, qui vos moleſtaverint, impetierint, vel turbaverint ſuper illis, defenſione vobis curabimus aſſiſtere opportuna. Et ſi aliquem jus in eis, vel aliquo eorum habere conſtiterit, de condigno illi concambio in eodem regno ſtudebimus providere. Ad hæc pro terris aliis, quas prædictus marchio & Gualterus de Ocra in eiſdem principatu, comitatibus tuis tenent, æquivalens in ipſo regno tibi concambium concedemus. Nulli &c. Datum Anagniæ per manum Guillelmi magiſtri ſcholarum Parmenſium S. R. E. vicecancellarii* v. *kalend. octob. indict.* XIII. *incarnat. dominicæ MCCLIV. pontif. vero domini Innocentii Papæ IV. anno* XII. Explicuit adhuc in Manfredum, quo magis illum ſibi devinciret, pontificiam liberalitatem Innocentius ſuaſque illi vices in ampliſſimis provinciis demandavit, ut ſubjectæ literæ oſtendunt.

LX. *Noſtrum te ibi vicarium a Faro uſque ad flumen Silens, & ab eodem flumine infra per terram Beneventanam, & comitatum Moliſii, uſque Trignium excepto juſtitiariatu Aprutii, duximus in temporalibus, & iis quæ ad merum, & mixtum imperium pertinent, de fratrum noſtrorum conſilio ſtatuendum: ita quod vicariam hujuſmodi immediate ab Apoſtolica ſede recognoſcas, & teneas; & in vita tua, quandiu fidelis, & obediens, & devotus Eccleſiæ Rom. fueris, eandem exerceas vicariam: ordinantes & præcipientes, quod de proventibus ex terris, locis, & univerſis diſtrictibus ipſius vicariæ obvenientibus; deductis exinde prius ſumptibus, qui fient in cuſtodia munitionum, caſtrorum, aliarumque terrarum infra terminos ejuſdem vicariæ conſiſtentium, & expenſis officialium, qui ad colligendum proventus hujuſmodi fuerint deputati; octo millia unciarum auri habeas, & percipias annuatim; ita quod tertia pars horum octo millium in kal. decembris, & alia tertia in kal. aprilis, & reliqua tertia kalen. auguſti tibi annis ſingulis integre perſolvantur.*

LXI. Venienti in Siciliam Innocentio occurrit. Stratoris officia illi exhibet.

(a) *Anony. auct. MS. de reb. Conrad. & Manfred.*

His illectus beneficiis Manfredus, venienti in Siciliam Pontifici occurrit, utque ſuum ſtudium commendaret, ſtratoris etiam officium exhibuiſſe, rerum ab illo geſtarum ſcriptor his verbis tradit (*a*): *Ad majorem ſui devotionem ad ſacroſanctam Eccleſiam oſtendendam, princeps ſummo Pontifici obviam proceſſit, uſque ad Ceperanum, & Papa regnum intrante, princeps ſtratoris ei officium exhibens, frænum tenuit quouſque ad pontem Garigliani tranſiret. In ipſo autem ingreſſu Papæ in regnum, res mira contigit: nam crux, quæ ante ſummum Pontificem de conſuetudine dignitatis apoſtolicæ ferebatur capitulo funis crucem circumplectente conſciſſo de manu illius qui ipſam portabat, ſtatim poſt tranſitum pontis in terram cecidit.*

LXII. Capuam proficiſcitur Inn.

Exceptus itaque magno honore a citerioribus Siculis Innocentius Capuam ſe contulit, ubi ipſum plurium civitatum oratores, ut ſuam illi fidem obligarent, adiere. Quorum obſequiis receptis, ipſos in clientes admiſit. Eo enim argumento ad Melfienſes extant exaratæ literæ (*b*): *Sicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, temporibus claræ memoriæ omnium regum Siciliæ ſemper de demanio extitiſtis. Cum autem per ſpeciales nuncios, propter hoc ad præſentiam noſtram deſtinatos, nobis fidelitatis debitæ præſtiteritis juramentum, nos ſupplicationibus veſtris annuentes, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut vos, & prædicta civitas in devotione ſedis Apoſtolicæ permanentes, de noſtro, & Eccleſiæ Rom. demanio, ſicut fuiſtis temporibus eorundem regum, in perpetuum exiſtatis. Nulli, &c. Dat. Capuæ* x. *kal. novemb. an.* XII. Tranſmiſſæ ad alios paucis immutatis eædem literæ, (*c*) quibus a ſede tantum Apoſtolica jura petere juſſi ſunt, ejuſque clientelæ commendati.

(*b*) *Ib. ep.* 267.

Plures populos beneficiis exornat.

(*c*) *Ep.* 264.

LXIII. Graviora a Frid. & Conrad. impoſita vectigalia abolet.

Paucis vero ante diebus ad pelliciendos ad officium reliquos Siculos, ut pontificii imperii ſuavitatem experirentur, ac vincula quibus tamdiu crudeliſſime conſtricti ingemuerant, diſſolverent, dato diplomate ad omnes Siculi regni ordines graviora a Frederico & Conrado impoſita vectigalia abrogavit, (*d*) & erepta ab iis eccleſiis proceribus, atque aliis quibuſcumque jura & bona reſtitutum iri ſanxit. Præterea ipſis patrocinium explicuit: (*e*) tum veteres probas conſuetudines, jura, prærogativas, libertateſque redintegravit.

(*d*) *Ep.* 276.

(*e*) *Ep.* 276.

*Archiepiſcopis, & epiſcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & aliis eccleſiarum prælatis: ac nobilibus viris comitibus, baronibus, juſtitiariis, vicariis, & cæteris officialibus, militibus, burgenſibus, communi Meſſanenſi, & univerſis per Siciliam, & Calabriam conſtitutis, noſtris & Eccleſiæ Romanæ fidelibus.*

*Communi ſuorum fidelium voto libenter Eccleſia benevola mater concurrit, digne illos, qui ſincera ſe fide, ac obſequia ei devote præſtiterint, apoſtolicis attollens favoribus, & largifluis beneficiorum magnificans donativis. Ut igitur vobis exultationis, & gaudii de peroptato ipſius regimine, pro quo diuturna ſunt tracta ſuſpiria, grata proveniat plenitudo, vos eccleſias inſuper univerſas, & loca religioſa Siciliæ, & Calabriæ, & cuncta veſtra, & ipſorum bona ſub B. Petri, ac noſtra protectione, ac defenſione ſuſcipimus ſpeciali. Libertates vero, & immunitates, uſus, & laudabiles conſuetudines a priſcis temporibus vobis, & eccleſiis, ac locis prædictis, regali, vel alia quorumcumque fide-*



Sancit Siciliam & Calabriam nulli quam ſedi Ap. obnoxias fore.

*fidelium munifica largitione conceſſas, illibatas ſemper ſervare volentes, illas vobis, ac eiſdem eccleſiis ac locis auctoritate apoſtolica de ſpeciali gratia confirmamus. Statuimus præterea, ut prædictæ Sicilia, & Calabria perpetuo ſint de demanio Eccleſiæ Rom. atque noſtro; eædemque cum pertinentiis, diſtrictibus, & juribus ſuis, & cum univerſis hominibus ſub dominio ſemper Apoſtolicæ ſedis conſiſtant: nec cuiquam aliquid concedere, quo minus verum dominium apud Eccleſiam Rom. remaneat, vel quomodolibet alienare, vel transferre, ſive in illuſtres ſeu in alias quaſcunque perſonas liceat: eiſdem ſemper hominibus cum bonis ſuis permanſuris ſub poteſtate, juriſdictione, ac præſidio dictæ ſedis, & habituris optatæ ſolatia libertatis. Nulli, &c. Dat. Capuæ* XIII. *kalend. novemb. anno* XII.

LXIV. Capua Neapolim ſe confert.

(*a*) *Ep.* 284. 337. 353.

(*b*) *Ep.* 295.

Meſſanenſes atque alios plures prærogativis auget.

His Capuæ geſtis Innocentius Neapolim profectus, plures proceres ac populos ad obſequium redeuntes benigne excepit. Inter quos Joannem Morum (*a*) & Guillelmum Cynardum ampliſſimis beneficiis affecit, atque Alifanos (*b*) ut majori libertate potirentur, Romanæ tantum Eccleſiæ dominio ſubiiciendos ſtatuit. Accepti pariter in clientelam pontificiam Meſſanenſes reſtitutique priſtinæ libertati; redintegrata vetera jura, eademque reipublicæ forma, quæ apud Neapolitanos, & Capuanos floreret, ipſis permiſſa: qua de re Petro Ruffo Siciliæ, & Calabriæ præfecto, de quo ex rerum a Manfredo geſtarum ſcriptore memoravimus, literæ exaratæ (*c*).

(*c*) *Ep.* 289.

*Nobili viro Petro Ruffo de Calabria comiti Cathacenſi, regni Siciliæ mareſcalco ac ejuſdem Siciliæ, ac totius Calabriæ generali, nec non & civitatis Meſſanæ vicario: ac conſilio & communicati Meſſanenſi fidelibus noſtris.*

*Apoſtolica ſedes, quæ ſemper æquitatis ſtatera librat merita ſingulorum, non ſine diſcretionis deliberato judicio, propria per ſuos diſtribuit munera gratiarum, oculo debitæ providentiæ, ac lance conſiderationis dijudicans, quos quando, & quibus beneficiorum ſuorum lætificet donativis. Dignum igitur, & congruum ſedes eadem arbitratur ſe circa civitatem Meſſanenſem ejuſque cives impendere gratioſa, & eam, quæ inter civitates regni Siciliæ potentiæ, ac nobilitatis antiquæ fama præfulget, privilegiis efferre conſpicuis, & præcipuæ prærogativa gratiæ honorare: præſertim cum per ipſam, dictoſque cives grata ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & grandia poſſint commoda provenire. Veſtris itaque ſupplicationibus affectu benevolo concurrentes, ut illa inſignis fidei & fidelitatis devotio, qua vos ei, cujus eſtis regenerationis lavacro filii, cujuſque ditionis dominio vos reverenter proſternitis, nova pariat gaudia vobis, & deſiderata præmia libertatis producat; vos & civitatem eandem ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus ſpeciali. Et ut ex cumulata matris ad filios gratia eorum ſemper fides, & devotio augeatur, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut vos & dicta Meſſanenſis civitas de demanio ſitis Romanæ Eccleſiæ libertatum, honorumque privilegiis, quæ a priſcis habuiſtis temporibus, de cætero gaviſuri: auctoritatem vobis eandem nihilominus concedentes, ut ſub ſimili regimine vivatis, & maneatis deinceps, ſicut Neapolitani & Capuani manere, & vivere dignoſcuntur. Nulli, &c. Datum Neapoli* III. *non. novembr. anno* XII.

LXV. Manfredus a Pontifice deſciſcit.

Efflorverant hactenus ſecundis ſucceſſibus pontificiæ res cum funeſta converſione ob Manfredi perduellionem, atque Innocentii immaturam mortem funditus conciderunt. Defectionis Manfredi cauſas has affert geſtarum ab illo rerum ſcriptor (*d*). Exulceratum Manfredi animum ob nimiam a legato apoſtolico, nimirum Guillelmo S. Euſtachii diacono Cardin. quem juvenem, & Pontificis conſanguineum fuiſſe ait, uſurpatam auctoritatem: *Cœpit*, inquit, *legatus non tanquam rector, aut gubernator in regno agere, ſed tanquam regni dominus pupilli Regis & principis jura ſubvertere; & a comitibus, baronibus, & aliis tanquam Rex juramenta fidelitatis exigere nullo jure regio, & principis ſalvo: ſibique tanquam Regi Siciliæ intendi ab omnibus faciebat. Ipſumque etiam principem requirebat, ut ſibi ſimile juramentum præſtaret.* Adactos jure ſacramento fidei in Pontificis verba exploratum eſt, cum regnum ad ſedem Apoſtolicam, ut literæ Innocentii teſtantur, devolutum eſſet; nec Conradinus illud poſſet juſte capeſſere, niſi ab ſede Apoſtolica illud accepiſſet. Pergit auctor.

(*d*) *Anony. auct. MS. de rebus Conradi & Manfr.*

Nonnullæ illius defectionis obtentæ cauſæ.

LXVI. Recuſat in legati verba ſacramento ſe aſtringere.

*Princeps autem ſibi reſpondit, quod cum ex pactionibus habitis inter ſummum Pontificem, & ipſum de regni negotio cautum eſſet nepotis, & ſua jura ſalvari, nec uſque ad tempora pubertatis ipſius pupilli aliquid de regni ſtatu immutari debere: cum exiſtimandum eſſet de jure pueri, & quod Eccleſia in regno habere contendit, juramentum ipſum ab eo exigi non debebat. Licet autem ad juramentum tale præſtandum nullatenus princeps induci potuerit, cœpit tamen apud eundem principem reverentia hominum conſueta diminui, cum dictus legatus ipſum principem, ſicut & alios regni magnates, nulla contemplatione habita Cæſareæ nobilitatis, qua ipſe aliis excelleret, ſuo intenderet ſuppeditare dominio.* Hæc anonymus auctor, qui improbe ſugillat Eccleſiam, initas cum Manfredo fœderis leges violaſſe, ut Manfredi perduellionem aliquo colore juſtitiæ cohoneſtet:

ſtet: ex ipſo enim pontificio diplomate ſuperius allato refellitur, in quo confirmatis Conradino regno Hieroſolymitano & Sueviæ principatu una cum aliis juribus ſive in Sicilia, vel aliis terris ea obtineret, permiſit Siculos ſacramento fidei Rom. Eccleſiæ exhibendo Conradini jura excipere. De Manfredi vero juribus ſervandis nulla injecta mentio, cum nulla, utpote e vetito thoro oriundus, obtineret. Licet auctor ipſius, ut dictum eſt, ſtudioſiſſimus, paſſim ut de legitimis natalibus decorato loquatur. Defuit itaque Manfredo ob Siculos in verba Eccleſiæ adactos juſta rebellandi occaſio, ſceluſque inani prætextu coloravit; ſi enim ab ipſis Regibus Siciliæ, ut in Friderico vidimus, Eccleſia ſacramentum fidei exigeret, multo magis a principe inferioris dignitatis accipiendum fuit.

LXVII. Interea dum Pontifex adverſa valetudine implicitus Theani ſubſiſteret, ac Bertoldus de Honebruch ex Apulia ad pontificiam aulam ſe conferret, refert memoratus ſcriptor Manfredum marchioni obvium perrexiſſe, ac Burellum ex Anglonorum familia, qui ob exortam de Aleſinæ comitatu contentionem cum Manfredo inimicitias exercebat, egredienti Theanum occurriſſe, accenſiſque ex mutuo conſpectu iracundia animis, nonnullos e Manfredi ſatellitio Burellum facto impetu avertiſſe in fugam, fugientemque verſus Theanum invito ipſo Manfredo obtruncatum: eoque caſu exterritum Manfredum ſibique metuentem, cum ſuorum extremæ copiæ Cardinalium, qui Pontificem Capuæ cum exercitu operiebantur, juſſu captæ eſſent, Nuceriam Sarracenorum urbem munitiſſimam contentis itineribus perrexiſſe, noctuque a Sarracenis excubitoribus perfractis ſecuribus portis, cum interim Joannes Morus arcis præfectus ad Pontificem, ut ſe ac Nuceriam illi ſubiiceret, contuliſſet; primo novembris die inductum; ſubdit auctor, ut Sarracenorum ſtudiis fretus mox defectionis a Pontifice conſilia aperuerit. [1]

Burellus coorta rixa a Manfredi ſatellitio trucidatus.

Confugit Manfredus ad Sarracenos Nuceriæ.

LXVIII. *Congregato univerſo populo civitatis ante palatium regium, princeps in ipſo palatio reſidens ad feneſtram, quæ proſpicit inter meridiem & occaſum, de qua ipſe populum reſpiciebat, totuſque populus ipſum videbat, prælocutus eſt ad populum, ſicut negotii qualitas requirebat, exponens cauſam, propter quam a ſummo Pontifice receſſerat; & qualiter voluntatis ſuæ erat jura Regis nepotis ſui, & ſua, & libertatem, bonumque ſtatum regni, & civitatis ipſius viriliter manutenere, atque defendere; ſtatimque omnes ſe in perſonis & rebus ad ſervitium & beneplacitum Regis, & principis obtulerunt: & juramenta fidelitatis & homagii ſibi pro parte Regis & ſua, ſecundum eorum ritum, corporaliter præſtiterunt.* [2]

Ipſos ad defectionem trahit.

LXIX. Adactis igitur in ſua obſequia Sarracenis, qui Romani Pontificis imperium exhorreſcebant, Manfredus theſauros, qui in regia Nucerina a Frederico, & Conrado, atque Odone & Joanne Moro marchionibus reconditi erant, invaſit, eoſque liberaliter, ad pelliciendum militem, ſpargere cœpit: adeo ut maxima equitum & peditum multitudo, tum Germani maxime, ad eum undique confluxerint, ac plures e Bertoldi marchionis ac legati apoſtolici exercitu, audita illius liberalitate, ad ipſum transfugerint, auctaque potentia magnum ſui terrorem circumferre cœperit, marchionem Odonem pontificii exercitus præfectum fuderit, impetuque ceperit Fogiam: ex cujus expugnatione tantum metum legatus ſedis Apoſtolicæ conceperit, ut Troja, in qua verſabatur, noctu diſcedens, relictis impedimentis præcipiti fuga Neapolim contenderit, de quo hæc ſubiicit: *Cum tanta feſtinantia ibat, quod marchioni Bertholdo, qui pridie ab ipſo fuerat miſſus ad Papam, in via ſe adjunxit: & deinde ambo ſimul Neapolim pervenientes, invenerunt, quod ipſis diebus, videlicet .. die decembris Papa defunctus erat. Tantus autem Cardinalibus & aliis de Romana curia ex illa victoria principis timor acceſſit, quod viſo legato & marchione omnes voluere de Neapoli recedere, & in Campaniam redire: ad magnam autem inſtantiam & reconfortationem marchionis ipſius ſteterunt in unum collecti ad electionem novi ſummi Pontificis, &c.* De Alexandri electione, arreptaque a Manfredo tyrannide in ſequenti tomo agemus: nunc quæ ad Innocentii obitum ſpectant proſequamur. [1]

Magnas opes Nuceriæ reperit.

Iis militem ad ſe allicit.

Odonem pontificii exercitus ducem profligat.

Fogiam expugnat. Guillelmus legatus diſſipato exercitu Neapolim fugit. Innocentium recenter e vivis abiiſſe reperit. Perturbati victoriis Manfredi Cardinales.

Con-

NOTÆ

[1] QUæ hic & in ſequentibus narrat annaliſta vera ſunt, ſed non recto ordine digeruntur. Antequam enim pontifex Capuam veniret (quam urbem die XIX. octobris ingreſſus fuit) in ipſo itinere, cum Theani eſſet die XVIII. octobris, quæ in dominicam incidit, *Burellus de Agone* (ita legit Nicolaus de Curbio) *juſſu Manfredi ab ejus ſatellitibus interfectus fuit. Quo facto ipſe Manfredus aufugit.* Tum Capuam tranſivit pontifex, ex qua demum urbe Neapolim in pervigilio SS. Simonis & Judæ ſe contulit. Ex hac fideli itineris narratione a Nicolao de Curbio adornata, cui fidem adſtruunt literarum pontificiarum ſubſcriptiones, ex quibus conſtat pontificem Capuæ adhuc egiſſe die X. Kal. novembris. Neapoli vero fuiſſe die III. non. novembris; oſcitantiæ plane incredibilis arguitur Mattheus Spinelli, qui Ephemerides per hos annos ſcripſiſſe videri voluit, cum perſæpe erret. Ac primo quidem fallitur in anno, quo pontifex Neapolim venit, id aſſignans anno 1253. Errat & in menſe, nam veniſſe illum Neapolim menſe junio aſſerit, addens ſe die 26. junii anni 1253. cum ætatem ageret annorum 23. Neapolim ſe contuliſſe viſurum pontificem. Profecto anni illius menſe julio Aſſiſiis egiſſe pontificem Nicolai de Curbio teſtimonio certum eſt; anno vero ſequenti 1254. menſe julio Anagniæ verſabatur, unde die VIII. octobris digreſſus fuit, ait Nicolaus de Curbio, cui literæ pontificis apud annaliſtam hoc anno relatæ conſonant, quarum una data eſt Anagniæ VIII. Kal. auguſti. MANSI

[2] IN victoria a Manfredo relata de copiis nonnullis pontificiis quædam animadvertenda ſunt ex Nicolao de Curbio, quibus Nicolai de Janſilla authoris ob favorem partium ſuſpecti, narratio corrigitur. Igitur teſte Nicolao de Curbio magnum victoriæ adverſariis ferendæ momentum fuit Odo de Hoihemburch, qui *perſonaliter ſine ictu terga vertit in fugam, & ipſius ſemitam ſecuti ſunt de exercitu quaſi omnes.* De legato vero hæc addit: *Quo audito* (fuga ſcilicet exercitus ad Fogiam) *a legato, & militia apud Trojam ſecum ſtante, idem legatus infidelium & aliorum debilium uſus conſilio, contra votum, rebus conceſſis omnibus occupanti, apud Arianum, devotam eccleſiæ civitatem, greſſus ſuos cum militia præparavit.* Eo pariter ſe recepiſſe ſubdit reliquam illam copiarum partem, quæ pro caſtris ad Fogiam manſerat; pedem referentes acie inſtructa, & ante ipſos ſpectantis Manfredi oculos. Ex quo intelligimus Manfredum clade aliqua affeciſſe exercitum, non vero fudiſſe. Ibi copiæ illæ omnes cum legato juſſa pontificis expectabant, ait Nicolaus de Curbio, qui proinde ſatis demonſtrat legatum non quidem Neapolim, ut ex Nicolao de Janſilla, ſeu ex anonymo rerum Conradi & Manfredi ſcriptore annaliſta narrat, ſed Arianum profugiſſe, ibique uſque ad obitum pontificis ſe continuiſſe. MANSI

[1] INnocentius papa anno, menſe, & die, de quo hic annaliſta, ſcilicet die VII. decembris deceſſit, ut etiam Nicolaus de Curbio, in ea, quam ſcripſit de rebus hujus pontificis, hiſtoria adnotavit cap. XLII. qui hora veſpertina ſpiritum emiſiſſe, addit, ejuſque feretro tota illa nocte fratres minores & prædicatores ſacras preces fundentes adſtitiſſe ſubdit. Mane vero alterius diei ſolemni funere defuncto pontifici parentatum; ac deinde ſepulturæ traditur *in majori eccleſia Neapolitana.* Virum fuiſſe pietate eximium, tum geſta per totam vitam probant, cum etiam demonſtrant ſubitæ illæ, & prodigioſæ morborum curationes ſepulcrum ejus inviſentibus conceſſæ, teſte eodem Nicolao de Curbio. Sunt qui auſteritatem ejus in agendo cum ſummis principibus accuſent, & condemnent. Verum id egit pontifex poſtquam Friderici pervicaciam mollire variis ac mitioribus artibus procuravit; & cum nihil ſe obtinuiſſe ſe intelligeret, tunc demum ad violenta confugit. Cæterum noſſe illum debitam in principes obſervantiam ex eo conſtat, quod privatus adhuc Friderici animum adeo ſibi devinxerit, ut idem Fridericus de ejus electione in pontificem ex animo gaviſus fuerit, teſte epiſtola ejus ad ducem Brabantiæ vulgata in collectione Martenii to. II. col. 1144.

Erga fratres minores & prædicatores iniquior fuiſſe in eo videbatur, quod eorum privilegia corripuerit bulla, cujus fit mentio in altera Alexandri IV. in qua revocata ab Innocentio privilegia reſtituit, legenda in anecdotis Martenii to. I. col. 1059. & data Neapoli XI. Kalen. januarii, pontificatus Alexandri anno primo, nempe hoc anno. Re tamen ipſa animum geſſit erga illos benevolum, & propenſum. Nam & ex Minorum ordine Nicolaum de Curbio a ſacris confeſſionibus ſibi delegit; quo pariter Nicolao teſte ſcimus, Innocentium, cum Aſſiſiis ageret multa humanitatis & benignitatis argumenta Minoritis exhibuiſſe, adeo ut fratrem ſe cum ipſis fratribus gereret.

Scientias præſertim canonicas diligenter, prout ætas illa ferebat, excoluit, *pater & organum veritatis* merito appellatus, qua de re legendus Langius in chron. Citizenſi ad A. 1254. Hujus eruditionis ſuæ ſpecimen exhibuit editis commentariis in quintum decretalium, quod opus *Apparatum* in decretales inſcripſit. In eo vero præter capita multa diſciplinæ feliciter explicata, illud præſtitit utiliſſimum, quod vitiatam canonum quorundam lectionem conſultis Vaticanis regiſtris ſuæ puritati reſtituit, ut ipſe in præfatione exponit. Operis hujus editio prima an illa fuerit, quæ paruit Tridini oppido in ditione marchionis de Monteferrato anno 1511. ignorare me profiteor, quanquam editio eſt longe ſuperans omnes quotquot enumerat Jacobus a S. Carolo in ſua bibliotheca pontificia. Scripſit & librum exceptionum, necnon & *apologeticum de poteſtate eccleſiaſtica*, quod MS. extare in Vaticana bibliotheca teſtatur Jacobus a S. Carolo idemque plane opus eſſe cenſeo ac illud, quod ex Poſſevino idem Jacobus recenſet ſub titulo: *De poteſtate imperii, & eccleſiæ.* Vitam S. Guillelmi Briocenſis ab ipſo ſcriptam in Vaticano extare idem a S. Carolo affirmat, quam certum eſt latuiſſe Bollandiſtas, qui ad diem XXIX. julii alteram Stephani Clavi, quam & Surius edidit, dederunt. Hunc virum ſanctum Innocentius in ſanctorum album retulit. Dedit & Clariſſarum regulam, quam pariter in Vaticano codice legi ſub titulo *Forma vitæ ordinis* idem author adnotavit; ſed nullam aliam regulam deſignari his opinor, quam reformationem illam regulæ primitivæ quam dedit Lugduni anno V. pontificatus ſui VIII. auguſti, ideſt anno 1247. ad quem annum de illa agit Waddingus, qui & integram illam in regiſtro ejuſdem anni exhibuit. Digeſſiſſe pariter *Interpretationes in vetus teſtamentum* ex eodem authore diſcimus. Quid ſint vero ſcripta ejus in VI. decretalium, quæ illi Poſſevinus aſſignat, ignorare me profiteor, cum præſertim liber VI. decretalium nondum ætate illa paruiſſet; forte tamen nihil ſunt aliud, quam *Authenticæ* quas ad decretales Gregorii IX. adjecit, quæque dein in ſextum decretalium tranſierunt. Res ab hoc pontifice geſtas, rudi quidem ſtilo, at ſincero ſcripſit Nicolaus de Curbio minorita, qui *non ſolum ab exordio ipſius epiſcopatus, ſed etiam in cardinalatu ejus cappellanus, & confeſſor aſſidue extitit, & uſque ad ipſius obitum familiariter ſecum manſit*, quibus verbis author ipſe opus ſuum claudit, paucis adjectis, quæ ad ſucceſſoris electionem pertinent. Nicolaus iſte idem eſt Nicolaus Anglus theologus inſignis quem Alexander IV. Innocentii hujus ſucceſſor, ad cathedram Aſſiſienſem promovit anno 1258. teſte Ughellio to. I. pag. 542. vet. edit. quem & eidem Alexandro a ſacris confeſſionibus adſtitiſſe affirmat. Lucubrationem hanc e tenebris primus eruit Baluzius in ſeptimo miſcellaneorum volumine pag. 353. quem vulgavit anno 1715. & ex eo retulit Muratorius rer. italic. to. III. MANSI

Contigiſſe VIII. id. decemb. ſcribit Pariſius, (a) ut mittamus cæteros, qui longius a veritate aberrant: at Stero (b) certius rem aſſequitur, dum ſeptimum decembris diem collocat; conſentitque cum Alexandro IV. qui in encyclicis literis eodem die mortem Innocentii conſignat his verbis (c): *Sane felicis recordationis Innocentio Papa prædeceſſore noſtro* VII. *idus decembris in regno Siciliæ, in civitate ſcilicet Neapolis, de anguſto & tetro carnis carcere vocato, ſicut ſperamus, ad ſpatioſum & lucidum cœli palatium, ut de multis laboribus, quos pro Eccleſiæ honore ac libertate conſtanter pertulit, mercedem quietis percipiat ſempiternæ: ac deinde ipſius ſolemniter celebratis exequiis ejuſque corpore honorifice, prout decuit, tumulato; nos tunc Oſtienſis, & Velletrenſis epiſcopus, & cæteri fratres noſtri mox pro eligendo ſucceſſore ſimul convenimus, &c.* Hæc Alexander de morte & exequiis Innocentii, qui Ecelеſiæ catholicæ annos undecim, menſes quinque, ac dies quatuordecim præfuit.

(a) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(b) *Stero in annal. apud Caniſ. ant. lect. to. 1. pag. 274.*
(c) *Alex. IV. l. 1. ep. 2.*

LXX. Extinctum cœleſti ultione tradit Cantipratenſis (d) ob Prædicatorum, & Minoritarum privilegia reſciſſa, repentinaque percuſſum paralyſi vocis officium ad mortem amiſiſſe. Sed hæc aliaque hujuſmodi conficta fuiſſe, quivis prudens animadvertere poterit. Quæ porro fuerint ea privilegia ab Innocentio abrogata, P. Lucas Wadingus (e) ſui ordinis annalium præclarus ſcriptor ex pontificiis diplomatis edocet, cujus verba afferenda viſa ſunt: *Præcepit in virtute ſanctæ obedientiæ, ut parochianos alienos diebus dominicis & feſtivis de cætero in ſuis eccleſiis, ſeu oratoriis temere non reciperent ad divina: nec ipſos ullatenus ad pœnitentiam admitterent ſine ſuorum licentia ſacerdotum: nec eis in ſuis prædicarent eccleſiis ante miſſarum ſolemnia, pro quibus audiendis prima diei parte idem parochiani conſueverunt, & debent in ſuis eccleſiis convenire: nec ſermones etiam ſolemnes facerent illa hora, ſed nec ad prædicandum ſelemniter ad parochias alienas accederent, niſi eſſent ab eorum ſacerdotibus invitati, vel ſaltem niſi ſe ad id humiliter peterent & obtinerent, admitti: nec ea die qua diœceſanus epiſcopus, vel alius loco ejus prædicaret ſolemniter, maxime in eccleſia cathedrali, aliquis ipſorum in eadem civitate, vel loco præſumeret prædicare. Si vero in caſu licito parochianum alterius eos in ſuis eccleſiis recipere ad ſepulturam contingeret, omnium, quæ obtentu conſequerentur hujuſmodi ſepulturæ, portionem canonicam etiam non requiſiti, infra octo dies a tempore receptionis eorum epiſcopo, vel ſacerdoti, de cujus parochia mortuus eſſet aſſumptus, exhibere curarent. Si autem aliquis religioſorum ipſorum, hujus præcepti tranſgreſſor contra prædicta, vel aliquod prædictorum venire præſumeret; præter inobedientiæ vitium, & excommunicationis ſententiam, quam eum incurrere voluit ipſo facto, gradus ſui periculo ſubjaceret; & nihilominus a diœceſano ad præmiſſa univerſa & ſingula obſervanda per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, diſtrictius cogeretur, nullis ei contra hæc indulgentiis, vel privilegiis apoſtolicis valituris. Omnia hæc habentur inſerta bullis duabus Alexandri IV. in quibus anno primo ſui pontificatus, reſtituit res omnes ſuo priſtino ſtatui.*

(d) *Thom. Cantipr. l. 2. c. 10. n. 21.*
Conficta de Innoc. morte fabula.
(e) *Vvadin. in annal. Min. hoc an. n. 2.*
Quæ Prædicatorum & Minoritarum privilegia ab ipſo reſciſſa fuerint.

Qui hæc allata a Wadingo mature perpenderit, ut laudabit Alexandrum ſacris iis ordinibus privilegia priſtina reſtituiſſe, ita non negabit Innocentium ad ea reſcindenda adduci potuiſſe, ut cleri ſplendorem tueretur, cujus auctoritas populis ad religioſorum eccleſias deſertis parochialibus concurrentibus facile obſoleſcebat: vel ne adverſus præſules religioſi viri aliquando ſe efferrent, aut ex nimio mundi commercio aliquam contraherent labem, quæ nitorem conſcientiæ obſcuraret. Singulari vero benevolentia Innocentium inter cæteros religioſos ordines, qui magno cum animorum emolumento vineam Domini excolebant, Prædicatores ac Minoritas complexum, pluribus frequentaſſe officiis, atque eorum opera in magnis fidei negotiis ad verſus hæreticos uſum eſſe plura hoc argumento diplomata (f) confecta oſtendunt.

(f) *Ext. in bullar. to. 1. & apud Luc. Vvad. to. 2. an. 1254.*

LXXI. Mendacii porro convincitur, quod de vocis officio amiſſo refert idem Cantipratenſis, cum tradant ſcriptores ipſum aſtantium conſanguineorum ipſius mortem imminentem plus æquo lugentium puſillanimitatem increpuiſſe, (g) ac ſæpius ea verba in extremis vitæ confiniis repetiiſſe (h): *Domine propter iniquitatem corripuiſti hominem;* quæ ab alio etiam quovis Chriſti cultore demiſſe dicenda, ac ſæpe ſæpiuſque iteranda eſſent. Ex humana ergo infirmitate, non divina vindicta, ut effutiunt, deceſſiſſe quæ ſupra inſinuavimus ex rerum a Manfredo geſtarum antiquo ſcriptore confirmant: cum antequam Capuam perveniret, adverſa valetudine implicitum Theani decubuiſſe aſſerat. Refellenda ſimiliter Pariſii figmenta, qui ob Roberti Lincolnienſis epiſcopi, extra fidelium communionem defuncti, oſſa e ſepultura eccleſiaſtica eruta, ſcribit Robertum in ſomnis ſe videndum Innocentio objeciſſe, ac pedo epiſcopali latus percuſſiſſe, ex eoque contracto morbo laterali deceſſiſſe.

(g) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*
(h) *Monach. Pad. l. 2. eod. ann.*
Figmenta Pariſii confutantur.

LXXII. Explodendum pariter, ut fictitium viſum illud, quod idem auctor Cardinali cuidam objectum ſcribit his verbis: *Accidit eadem ſeptimana, qua Papa Innocentius*



*tius IV. migravit ab hoc ſæculo, viſio quædam nocturna mirabilis cuidam Cardinali, cujus nomen ſupprimitur ad cautelam. Videbatur enim ſibi, quod fuerat in cœlo coram majeſtate Domini ſedentis pro tribunali, a cujus dexteris ſtabat B. Virgo mater ejus, a ſiniſtris vero quædam matrona nobiliſſima corpore & habitu venerabilis, quæ extento brachio ſupra manum ſiniſtram deferebat quaſi templum, & ſcribebatur in fronte templi illius literis aureis: Eccleſia. Coram vero majeſtate divina incurvatus Innocentius IV. junctis manibus & erectis, flexiſque genibus, petens veniam, & non judicium. Nobiliſſima autem mulier ait ex adverſo: Juſte judex recte redde judicium: accuſo enim eum ſuper tribus. Primo cum in terris Eccleſiam fundaſſes, libertatibus eam donaſti, quæ a te ipſo proceſſerunt: hic vero eam reddidit ancillam viliſſimam. Secundo fundata eſt Eccleſia ſalus peccatorum, ut ſcilicet lucrifaceret animos miſerorum: hic vero fecit eam menſam nummulariorum. Tertio fundata eſt Eccleſia in fidei firmitate, juſtitia, & veritate: hic vero fidem & mores fecit vacillare, juſtitiam ſuſtulit, veritatem obumbravit: juſtum ergo judicium redde mihi. Ait autem Dominus: Vade & pro meritis tuis mercedem apprehende: & ſic ablatus eſt. Cum vero ex terrore ſententiæ evigilaſſet Cardinalis, clamans effectus eſt, quaſi extra ſe, ut omnes ſui dicerent ipſum furere. Tandem mitigato dolore, viſionem ſuam plenius cœpit enarrare, & publica facta eſt in partibus illis. Iſta viſio neſcitur ſi fantaſtica, multos perterruit, & utinam cum effectu caſtigans emendavit.*

LXXIII. Hactenus Pariſius, a quo allatam hiſtoriam ſi non ab ipſo effictam, ſaltem ab Innocentii invidis, & obtrectatoribus ſubornatam fuiſſe quique prudens & cordatus facile agnoſcet; cum tria illa accuſationis capita Innocentii animæ objecta perpenderit. Num enim Eccleſiam in ſervitutem redegiſſe putandus eſt, qui ad tuendam illius libertatem, atque hoc ipſo anno ad vindicandam in Aragonia ab improborum injuriis rem eccleſiaſticam a Benedicto Tarraconenſi archiepiſcopo concilium provinciale celebrari juſſit (a), tot labores adiit, atque adverſus Friderici, & Conradi in Sicilia, Italia, & Germania opprimentium tyrannidem tot annis generoſiſſime dimicavit, eamque in Luſitania adverſus Sanctium propugnavit, defendit in Galliis adverſus fœderatos principes illam labefactare meditantes, quorum nefaria conſilia diſſolvit? Denique, ut cætera brevitatis gratia mittamus, toto pontificatu in ea aſſerenda omnem operam, cogitationem, induſtriam, vimque omnem adverſus quoſcunque collocavit. Quod ad ſecundum ſpectat, omnis ab eo criminis labes abeſt ſi ad ſuſtinendos belli pro Eccleſiæ cauſa geſti ſumptus ab eccleſiaſticis ſtipendia collegerit: quod quidem ab eo quanta maturitate conſilii ſuſceptum fuerit, ſuis locis a nobis dictum eſt. Tertium vero crimen, idque graviſſimum, nimirum fidem in diſcrimen adduxiſſe, ac mores Chriſtianos depravaſſe, longe ab eo abhorret: quantum enim ſtudii ad extinguendas hæreſes, revocandos ad Eccleſiæ conjunctionem Ruſſos, Græcos, cæteroſque ſchiſmaticos, Tartaros & alios infideles evangelii luce colluſtrandos defixerit, ex recenſitis a nobis conſpicuum eſt, probantque graviſſimæ leges (b) ab eo ad aſſerendam contra hæreticorum errores fidem, ac tum ipſos ipſorumque ſtudioſos meritis pœnis afficiendos hoc anno promulgatæ, quæ cum a pluribus typis editæ ſint (c) indicari ſuffecerit. Quod denique ad depravatos mores ſpectat; contra ad eos componendos apoſtolicam ſolicitudinem attuliſſe, tot egregiæ ab eo latæ conſtitutiones, atque exarata diplomata illuſtrant. His adde juſtam rei confictæ ſuſpicionem ex ſuppreſſo a Pariſio Cardinalis, cui viſum illud oblatum fertur, nomine augeri: ex induſtria enim ſubticuiſſe ne mendacii argueretur; probabili argumento eſt. Faceſſat ergo invidorum temeritas, quæ tanti Pontificis exiſtimationem laniare non perhorruit. Obgannire etiam deſinant novatores, qui ex pura mentiendi libidine, & exiſtimationis Romanorum Pontificum, quo majori virtutum ſplendore effulſerint, lacerandæ cauſa, libidinis crimen Innocentio aſpergunt, (d) quo ſane ſi laboraſſet, nec Pariſius nec alii ſedis Apoſtolicæ hoſtes ſilentio diſſimulaſſent. Verum ſi illi S. Franciſco ac B. Claræ, quos nota atque illuſtrata maximis miraculis ſanctitas omni criminis ſuſpicione exemit, id flagitium imponere non perhorruerunt (e) mirum videri non debet, ſi in Innocentium maledicentiæ virus evomuere: in cujus quidem conſignando mortis tempore non minus, quam vita traducenda a veritate aberrarunt, dum anno MCCLXXIII. menſe januario ſubita morte oppreſſum imperite ſcripſere (f).

(a) *Lib. 11. ep. 571.*
(b) *Inn. l. 11. poſt ep. cur. 37. 38. 40. l. 12. ep. 402.*
(c) *In bull. to 1. in Innoc. IV. & apud Luc. Vvad. hoc ann.*
Calumniæ novatorum diluuntur.
(d) *Cent. 13. c. 7. col. 734.*
(e) *Ib. col. 720.*
(f) *Cap. 10. col. 997. & 998.*

LXXIV. Vindicata igitur a malevolorum obtrectationibus tanti Pontificis gloria, illud vere ab iis omnibus prædicari poterit, qui rerum ab eo geſtarum magnitudinem attenderint, pontificias partes pro dignitate impleviſſe. Reliquit magnum ſui deſiderium bonis omnibus, ipſiuſque ſepulcro in principe templo Neapoli epitaphium ab Umberto Burgundo e monte aureo archiepiſcopo ſexaginta poſt annos, & amplius, inſcriptum eſt, rudi & obſoleto carmine compoſitum, quod a nonnullis recentioribus (g) circumfertur.

(g) *Summont. in hiſt. Neap. p. 2. atque ex ipſo alii.*

tur. Evolútis demum multis temporum curriculis, Annibal arch. Neapolitanus ad Innocentii memoriam conſecrandam poſteritati hæc elogia ipſius ſepulcro affixit.

Illius epitaphium recens.

*Innocentio IV. Pontifici maximo de omni Chriſtiana republica optime merito, qui natali S. Joannis Baptiſtæ an. MCCXLIII. Pontifex renuntiatus, die Apoſtolorum principi ſacra coronatus; cum purpureo primus pileo Cardinales exornaſſet, Neapolim a Conrado everſam ſtatui priſtino reſtituendam curaſſet, innumeriſque aliis præclare, & prope divine geſtis pontificatum ſuum quam maxime illuſtrem reddidiſſet, anno MCCLIV. deceſſit.*

*Annibal de Capua archiep. Neapolitanus in ſanctiſſimi viri memoriam abolitum vetuſtate epigramma reſtituit.*

In Eccleſia Neapolitana principe ſepelitur.

Porro quamvis Innocentii corpus in archiepiſcopali eccleſia Neapoli conditum jaceat, nonnulli tamen in S. Laurentii templo ſepultum ſcripſere, quos ideo hallucinatos arbitramur, quod Innocentius III. Peruſii in præcipua S. Laurentii eccleſia ſepulcro traditus fuerit; nominiſque ſimilitudine decepti Innocentio IV. tribuere, quod de altero refertur. Nec probamus, quæ, ad conciliandos diſſentientes inter ſe auctores, recentior aliquis ſcribit, primum Innocentii IV. corpus in ſacris S. Laurentii ædibus tumulo datum ac poſtea in eccleſiam principem illatum; cum nullius veteris ſcriptoris auctoritate nitatur, immo antiqui chronici (*a*) teſtimonio refellatur: MCCLIV. VII. *non. decemb. obiit Innocentius Papa IV. in civitate Neapoli, & ſecundo die obiit ibidem Stephanus Cardinalis; quorum corpora tumulata ſunt in majore eccleſia prædictæ civitatis.* Idem etiam aperte indicat Alexander, dum in eccleſia Neapolitana ſepultum ſcribit, non enim aliam quam loci principem intelligendam exploratum nobis videtur.

(*a*) *Chron. Caven. MS.*

LXXV. Chriſtus in euchariſtia multis ſe videndum exhibet.

Imponimus finem huic annalium tomo adducto inſigni miraculo, quod Numen ad comprobandam illuſtrandamque præſentiæ Chriſti in euchariſtia veritatem in Belgio edidit; cujus oculatus teſtis extitit Thomas Cantipratenſis, qui rem ſingularem hiſtoriæ his verbis conſecravit: (*b*) *Oppidum Duacenſe amplum, & magnum eſt inter Cameracum a dextris viæ, & Atrebatum, nobiliſſimas civitates. Hic in eccleſia S. Amati epiſcopi, cum ſacerdos in paſcha, communicato populo, corpus Chriſti ſuper nudam terram * ſtupidus inveniſſet, & flexis genibus elevare tentaſſet, mox per ſe in aera ſublevatum, panniculo, quo conſecratos digitos ſacerdos detergere ſolet, inhæſit. Clamans ergo presbyter, canonicos vocat: accurrunt illi, ſpectant in panno corpus vivificum in ſpecie faciei venuſtiſſimi pueri, & mox convocato populo ad ſpectaculum præſentatur, & indifferenter nulli tanta cœlitus viſio denegatur. Hæc cum audiſſem, fama vulgante, veni in oppidum quod prædixi. Acceſſi ad decanum eccleſiæ, cui optime notus eram, petii videre miraculum: annuens ille, præcepit ut fieret: aperta eſt theca, concurrit populus, moxque ubi pixis revolvitur, clamant omnes: Ecce jam video, ecce conſpicio Salvatorem. Stabam ergo attonitus nihil videns, niſi tantum ſpeciem panis albiſſimi, nihil quidem conſcius mihi, quare ſacroſanctum corpus cum cæteris non viderem. Nec diu mecum iſta volvebam, cum ecce vidi faciem in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti ſpineam habentem in capite coronam, & duas guttas ſanguinis de fronte ex utraque parte naſi per faciem deſcendentes. Mox igitur genibus flexis cum lacrymis adoravi. Surgens autem, nec coronam in capite, nec ſanguinem vidi, ſed faciem hominis ſuper omnem effigiem honoratam converſam ad dexteram, ita ut vix dexter oculus videri poſſet. Naſus erat admodum longus, directus valde, ſupercilia arcuata, oculos ſimpliciſſimos, & demiſſos habebat: cæſariem longam ſuper humeros deſcendentem, barbam intonſam, & ſub mento curvatam, exterminatamque ſub rictu jucundiſſimi oris, ex utraque parte menti nudas prope a pilis habebat vallicula, ut in juvenibus apparere ſolet, qui a puero barbam nutrierunt: frontem lætam, macilentas genas, & collum longum cum capite parum inflexum. Hoc ſchema, hic decor benigniſſimæ faciei. Eam autem diverſi, diverſimode ſub unius horæ ſpacio videre ſolebant. Alii in cruce extenſum, alii quaſi ad judicium venientem; plerique & hoc ex magna parte, ſub pueri forma.* Licet vero tanti miraculi hiſtoriam anno certo conſignare auctor omiſerit, e Colvenerio (*c*) tamen, qui notas Cantipratenſi appoſuit, in hunc incidiſſe colligitur: *Hujus*, inquit *admirandi miraculi, cujus hodie apud nos Duaci habitantes eſt celeberrima memoria, quæ & quotannis renovatur ſolemni celebritate feria quarta paſchæ, & in proceſſione ſtatis diebus defertur capſula argentea in qua hoſtia illa eſt repoſita. Contigit autem miraculum hoc anno MCCLIV. ut patet ex tabella dependente ad ſacellum parochiale collegiatæ eccleſiæ B. Amati, in quo eadem hiſtoria depicta eſt, & exculpta.*

(*b*) *Cantipr. l.* 2. *c.* 40.

* *ſtupefactus*

(*c*) *Colvener. in notis ad c.* 40 *l.* 2. *Cantipr.*

JE-



I. [1] COmplexi ſuperiori Annalium Eccleſiaſticorum tomo annum excurrentis decimitertii ſæculi quinquageſimum quartum ad obitum uſque Innocentii Quarti, divini auxilii ſpe confirmati, fretique B. Virginis ſuffragiis novum tomum una cum novo Pontifice ab extrema ejuſdem anni calce auſpicamur. Exegerat Eccleſia integros dies tredecim in orbitate, ac luctu, cum Neapoli Cardinales paribus votis Raynaldum, ſive Reginaldum, epiſcopum Oſtienſem XII. kal. januar. abeunte ſcilicet anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto, ad pontificiæ dignitatis apicem, ob egregia virtutum ornamenta, indito Alexandri IV. nomine excitarunt: non diſparem prædeceſſoribus, quos ſanguine attigerat (*a*) nimirum Innocentio III. ac Gregorio IX. cum genus ex prænobili Comitum Signiæ ſtirpe, patre Philippo (non Gerardo, qui error Alexandri ipſius teſtimonium (*b*) refellitur) Anagniæ traxerit, ubi diu verſatus, & inter eccleſiæ illius canonicos meruit (*c*). Quem divina providentia rebus ingentibus reſervaſſe non obſcure innuerat, cum graviſſimo implicito morbo, B. Staniſlai epiſcopi ſeſe illi magno ſplendore circumfuſum obiicientis opera valetudinem ut ſupra diximus (*d*) reſtituit.

Reginal. epiſc. Oſtien creatus. Pont. Alexander IV. appellatus. Ejus genus, & patria.

(*a*) *Pariſ. hiſt. Angl. hoc an. & alii.*

Panvini error confutatur.

(*b*) *Alex. l.* 3. *ep.* 778.

(*c*) *Alex. l.* 4. *ep.* 234.

(*d*) *Ann. Chr.* 1253. *n.* 17.

Divinæ circa Alexand. providentiæ argumentum.

II. Silere non potuit ejus laudes Pariſius (*e*) quamquam ex inſito in Romanos Pontifices odio ad eas obſcurandas non levem nimiæ facilitatis in adulatorum ſuſurris excipiendis, & cupidorum ſequendis voluntatibus nævum aſperſit his verbis: *Sublato de medio Innocentio IV. Papa ſubrogatus eſt alius vir, ut ajunt, ſatis benignus & bene religioſus: aſſiduus in orationibus, in abſtinentia ſtrenuus, ſed ſibilis adulantium ſeducibilis, & pravis avarorum ſuggeſtionibus inclinativus: epiſcopus videlicet Oſtienſis, nepos Gregorii Papæ pridem defuncti, qui ipſum in epiſcopatum promoverat, & vocatus eſt Alexander, videlicet IV. Scripſit autem in principio creationis ſuæ cunctis eccleſiarum prælatis, poſtulans humiliter, ut orarent pro ipſo, ut Dominus daret ei poteſtatem, gratiam & voluntatem Eccleſiam Dei congrue gubernare; & vicarius Dei, & Petri ſucceſſor competenter appellari.* Extant eæ literæ (*f*) in Vaticano codice, quæ ſingularem ipſius abjecte de ſe ſentientis chriſtianam animi demiſſionem oſtendunt, e quibus hæc decerpſimus.

(*e*) *Pariſ. ubi ſupr.*

Dotes ejuſdem Pont. deſcriptæ a Pariſio.

Præſules de adepto pontificatu certiores facit.

(*f*) *Alex. l.* 1. *ep.* 1.

*Alexander, &c. Quia fragilis eſt & caduca conditio terrenorum, quibus ingruit ſenectus ex tempore, ex exercitio laſſitudo, languor ex permanentia, ex conſiſtentia caſus, & ex diuturnitate defectus labilis humana natura, huic legi corruptionis addicta, quanto longius ſuum eſſe producitur, tanto tendit propius ad non eſſe: propter quod vivendi ſpatium in unoquoque mortali ſua innata infirmitate reſtringitur, & propriæ fragilitatis caſu deſinit in quolibet vitæ curſu. Hic profecto ſtatus occiduus omnibus communiter imminet, magnis quippe & parvis, prælatis & ſubditis, ſublimibus pariter atque imis. Sed licet eccleſiaſtico gregi paſtorum ſuorum deceſſus eveniens turbationem non modicam ingerat, & dolorem, magnam tamen affert ſibi lætitiam grata ſubrogatio ſucceſſorum, & præſertim cum in ſubſtitutione non intervenit tarditas, & voluntatum communio intercedit.*

Petitum ab humanæ naturæ imbecillitate liter. exordium.

III. *Sane felicis recordationis Innocentio Papa prædeceſſore noſtro* VII. *idus decembris in regno Siciliæ, in civitate ſcilicet Neapolis, de anguſto & tetro carnis carcere vocato, ſicut ſperamus ad ſpatioſum & lucidum cœli palatium, ut de multis laboribus, quos pro Eccleſiæ honore, ac liberta-*

Innocentii obitus.

NOTÆ [1] HOc anno decembri menſe electus fuit in pontificem Raynaldus *de Jenne*, quod oppidum eſt diœceſis Anagninæ abbati Sublacenſi ſubjectum. De anno & menſe electionis hujus nihil eſt cur annaliſtam reprehendamus, recte enim utrumque conſignat; diem vero non item; ſcribit enim electum fuiſſe die XII. Kal. januarii, cum re ipſa pridie idus decembris *hora quaſi tertia die ſabbathi* aſſumptus fuerit, teſte Nicolao de Curbio in capit. XLIII. vitæ Innocentii IV. qui proinde recte ſtatuit: *Ceſſavit epiſcopatus diebus quinque;* cum Innocentius die ſeptima decembris obierit. Authorem hunc utpote oculatum teſtem cur aliis aliter aſſerentibus poſtponamus, nihil eſt. MANSI

Celebrantur pro ſucceſſore creando comitia.

*tate conſtanter pertulit, mercedem quietis percipiat ſempiternæ; ac deinde ipſius ſolemniter celebratis exequiis, ejuſque corpore honorifice, prout decuit, tumulato; nos tunc Oſtienſis & Velletrenſis epiſcopus & cæteri fratres noſtri mox pro eligendo ſucceſſore ſimul convenimus, dirigentes mentes ad Deum, ut gregi ſuo paſtorem idoneum conſueta miſericordia largiretur. Cumque, ut moris eſt, Spiritus ſancti poſtulato ſuffragio ſingulorum vota diligenter exquiſita fuiſſent, in nos demum ſuum converterunt intuitum, direxerunt animos, & conceptus expreſſere, ac firmavere conſenſus, præeligentes indignitatem noſtram ad exequendum tantæ officium dignitatis, cum noſtrorum parvitatem meritorum deceret ſubeſſe potius, quam tanto culmini præſidere.*

De collatis in Alexandrum ſuffragiis.

IV. *Nos autem noſtram attendentes imbecillitatem, & in ſufficientiam cogitantes; penſantes quoque tam gravis ſarcinæ molem, & tanti honoris altitudinem advertentes, nimium trepidavimus, validoque membra noſtra obriguere pavore, ac intra nos cor noſtrum vehementi quaſi ſtupore gelavit, & eorundem intentioni fratrum pro poſſe reſtitimus, contra concordes ipſorum affectus plurimum reluctantes, renuendo prorſus ad ſummi pontificatus apicem ſublimari, & exorando inſtanter, ut imponerent alii onus iſtud. Ipſi vero, ſuo propoſito fortius inſiſtentes, noſtra recuſatione, ac deprecatione omnino repulſa, perſonam noſtram, quantumcumque renitentem, quadam violentia coegerunt, & extenſis in eam manibus ad aſſentiendum eorum deſideriis nos pertinaciter attraxere.*

Oblatæ dignitati ſe ſubducere tentavit.

V. *Unde ne divinæ videremur providentiæ obviare, ſuæque diſpoſitioni obicem protervæ difficultatis inferre; ac ne ſcandali vel diſſenſionis materiam præberemus, devicti dura & ferventi prædictorum fratrum inſtantia, votis ad ultimum, quamquam inviti, acquievimus eorumdem, ſubmittentes noſtræ debilitatis humeros ad portandum: non quod de aliqua noſtra virtute fiduciam habeamus, ſed quia de illius ſperamus auxilio, qui pro eo laborantibus dat ferre jugum ſuaviter, & leniter onus ſuum portare, qui de affluentis ſuæ bonitatis irriguo ſperantium in ſe pectora largiflue compluit & fœcundat, qui balbutientium linguas ſuæ virtutis potentia eloquentes efficit, & facundas. Porro quia noſtrum recognoſcimus inperfectum, propter quod aliis ſubſidiis potiſſime indigemus, ad ſinceram devotionem veſtram confidenter recurrimus, veſtraque ſuffragia fiducialiter poſtulamus, rogantes vos, & attentius exhortantes, quatenus ſedula nos apud Deum interceſſione juvetis: ſolventes linguas in preces, & in juges pro nobis orationes labia exercentes, ex intimis, quæſumus, affectibus ſupplicationes ad cœlum dirigite; ac ſine intermiſſione nos Deo ſacris veſtris interventionibus commendate, crebra ob hoc ſibi munera, & ſacrificia offerentes, ut ſuper nos imbrem gratiæ ſuæ pluat, & rorem ſolitæ benignitatis infundat, quod nos actus noſtros dirigentes ad ipſam, Eccleſiam ſuam, quam nobis committere voluit, ſalubriter regere, ac de univerſo ipſius grege vigilantiæ noſtræ credito curam gerere debitam juxta ſuum beneplacitum valeamus, &c. Dat. Neapoli II. kal. januarii anno I.*

Victus precibus divinæ voluntati aſſentit.

Spes in numine locat.

VI. Ex adſcripta his literis die atque Innocentii IV. obitus tempore conſignato, eorum error confutatur, qui interpontificium unius anni, vel duorum finxere: cum aliquot tantum diebus vacaſſe ſedem exploratum ſit. Cujus maturatæ electionis cauſam rerum Sicularum anonymus auctor, qui poſt Richardum e S. Germano hiſtoriam in aliquos annos perduxit, cujus man. ſcrip. commentaria D. Ferdinandi Ughelli abbatis beneficio mihi communicata fuere, in objectum Cardinalibus terrorem ob Manfredi rebellionem, & Guillelmi Cardinalis legati apoſtolici præcipitem fugam derivat: *Tantus*, inquit, *Cardinalibus & aliis de curia Romana ex illa victoria principis*, parta nimirum ad Fogiam decembri menſe, ut Manfredus in ſuis triumphalibus literis (*a*) teſtatur, de qua nos tomo ſuperiore diximus, *quod viſo legato & marchione, Bertholdo ſcilicet Honebruchenſi, omnes voluere de Neapoli recedere, & in Campaniam redire. Ad magnam autem inſtantiam & reconfortationem marchionis ipſius ſeceſſerunt, & in unum collecti ad electionem novi Summi Pontificis Cardinales de mane procedentes, elegerunt dominum Raymundum * epiſcopum Oſtienſem, vocatuſque eſt Papa Alexander.*

Nonnullorum error de interpontificii tempore.

(a) Ext. apud *Summont. l.2. hiſt. Neap.*

Ob Manfredi victoriam ac ſubitam trepidationem Cardinales illius creationem mature expediunt.

* *Raynaldum.*

VII. Suſcepto pontificatu Alexander, addictiſſimos quoſque ſedi Apoſtolicæ magnates Italos in prioribus ſtudiis ad tuendas ſtrenue illius partes contra Eccleſiæ hoſtes confirmavit: atque inter eos Albericum e Romano adverſus impium fratrem Ezelinum ad conſtantiam eſt adhortatus, (*b*) quam antea in adverſis oſtentatam meritis afficiendam præmiis eſt pollicitus: *Nos*, inquit, *latere non poſſunt jacturæ multiplices, & preſſuræ, quas tu & Terviſina civitas, tuo commiſſa regimini, propter Deum cum Eccleſia ab ipſius adverſariis longo tempore uſque ad amiſſionem bonorum, & uſque ad vitæ diſcrimina pertuliſtis. Stat aſſidue ante oculos noſtros, quod tu malitiam fraternæ impietatis abhorrens, hoſtem ei te conſtituere calcato naturæ fœdere decreviſti, quem Deo & ipſius ſponſæ, catholicæ videlicet Eccleſiæ, fecit operum ſuorum perverſitas inimicum. Certus ergo fili, quod merita tua apud nos habentur libro illabilis memoriæ commendata*

(b) *Lib. I. ep. 2.*

Excitatus ad conſtantiam in Ezelinum Albericus.



*data, age conſtanter, nec in bonorum tuorum perſeverantia fatigeris: ſciens quod ad relevandum ſtatum tuum, & civitatis prædictæ, aliorumque marchiæ Terviſinæ fidelium intendimus in brevi, favente Domino, intendere ſtudioſe, &c.* Spondet cum Ezelino de pace non agitatum iri, & quamvis illum pœnituerit criminum, donationes omnes a Willelmo Rege Romanorum factas valituras, quibus literis XI. kal. januarii dies adſcripta eſt. Sed de Ezelino ſæviſſimo tyranno iterum ſequenti anno.

VIII. Claudemus hujus anni periodum nonnullis privilegiis, quæ Alexander uti Siciliæ utriuſque dominus contulit (*a*): Caſſinenſis enim monaſterii jura ab Henrico Imperatore, & Conſtantia conceſſa corroboravit: Januenſes vero ob egregia merita hac prærogativa in Sicilia, ditioneque eccleſiaſtica exornavit (*b*): *Univerſitati veſtræ ad inſtar prædeceſſoris*, nimirum Innoc. IV. *auctoritate indulgemus, quod in regno Siciliæ, pertinente ad jus & proprietatem Sedis ejuſdem, ac ducatu Spoleti, Marchia Anconitana, patrimonio B. Petri, in Tuſcia, & omnibus noſtris eccleſiæ Romanæ a datiis, exactionibus & collectis, ſeu pedagiis ad nos pertinentibus & cujuſlibet onere ſervitutis ſitis in perpetuum liberi penitus & immunes.*

(a) *Ib. ep. 8.*

Privilegia Caſſin. Bened. confirmata.

(b) *Ib. ep. 51.*

Januenſes in Sicil. & ditione eccl. immunitate donati.

I. Guill. legati Ap. fuga.

CONſirmavit arreptam tyrannidem Manfredus, ac victorias latius protulit anno a ſalute mundi milleſimo ſupra ducenteſimum quinquageſimum quintum, indictione decimatertia: diſſoluto enim exeunte ſuperiori anno Guillelmi S. Euſtachii diaconi Cardinalis Innocentii defuncti propinqui apoſtolici legati exercitu, perturbataque ex repentina rerum mutatione aula pontificia, Barolum ſui terrore ad deditionem compulit, Venuſium repentina irruptione oppreſſit (*a*), Acheruntiam, trucidato a Sarracenis comitibus Joanne Moro, cum tarde ipſis defectionis ad Manfredum ab eo agitatæ conſilia explicare videretur, in ſuam poteſtatem redegit: Rapollam captam impetu, ferro, & flamma delevit: Amalphim ad ſuum obſequium compulit; Tranenſes denique, Barenſes, univerſaque ferme Apulia ſub tyranni imperium, qua metu, qua vi, qua turpi defectione conceſſerunt.

(*a*) *Rer. Sic. Anonym. auctor.*

Progreſſus Manfredi.

II. Octavianus Card. ad eos reprimendos creatus legatus.

Ad frænandos igitur Manfredi progreſſus Alexander, ut fluctuantem Siciliam in obſequio Eccleſiæ contineret, Octavianum S. Mariæ in via Lata diaconum Card. legatum ſedis Apoſtolicæ creavit: ut memoratus rerum Sicularum auctor ſcribit, & Apoſtolicæ oſtendunt literæ: atque inter alias ad Ruffinum Minoritam magnæ exiſtimationis & induſtriæ virum, quibus demandatas ipſi ab Octaviano legato ſuas vices in inſula Siciliæ, & Calabria corroboravit, datæ (*b*). Tum Bertoldum marchionem Honebruchenſem magiſtri caſtrorum dignitate jam ante ab Innocentio IV. ornatum, in eo munere, apoſtolico diplomate confirmavit (*c*): *Officium*, inquit, *magnæ Seneſchalliæ regni Siciliæ prout illud tempore quondam Conradi, nati quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, habuiſti & exercuiſti*; & infra: *Cum ſolitis juriſdictionibus, quantum ad cognitionem appellationum & alia, & cum omnibus honoribus, dignitatibus, cunctiſque juribus ad idem officium pertinentibus, de quo te per virgam rubeam in eorumdem fratrum præſentia inveſtivit, plene habeas, & exerceas in vita tua, &c. Datum Neapoli* XVII. *kalen. februarii ann.* I.

(*b*) *Reg. poſt ep.* 792.

Bertoldus Seneſcalli Siciliæ munere ornatus.

(*c*) *Ib. ep.* 198.

III. Ejus fratres aucti beneficiis.

Ut arctius Bertoldi marchionis fidem ſedi Apoſtolicæ adſtringeret, multa beneficia in illius germanos Odonem & Ludovicum, attributa in Sicilia ampliſſima jure fiduciario ditione, contulit (*d*). Dum vero a Bertoldo marchione, ac legato Octaviano ingentes militum delectus fierent, & compararetur exercitus, molliores viæ ad revocandum in officium Manfredum tentatæ ſunt, cum niſi multo cruore fuſo tyrannis illius in dies ingraveſcens frangi non poſſet, quas rerum Sicularum auctor anonymus proſequitur: *Poſt aſſumptionem ſummi Pontificis Alexandri, dum ſic princeps in Apulia proſperaretur, Thomas comes Acerræ cognatus principis, & Riczardus Filangerius venerant ad principem a quibuſdam, ut credebatur, Cardinalibus miſſi, admirantes quare, cum mos eſſet, ut aſſumpto novo Papa nuncii a mundi principibus mittantur, ad ipſum nec ipſe principes nuntios aliquos ad novum Papam miſerat, ſuadebant ſibi quod ad novum Papam delegaret. Princeps vero ad mittendos nuntios induci non potuit, ne Papa non ad aliam pacem tractandam eos mitteret, niſi ut regnum in dominio & poſſeſſione Regis Conradi II. nepotis ſui ſub baliatu principis remaneret: compoſitio autem ſuper eo tantum eſſet, ut cenſus pro ipſo regno Romanæ eccleſiæ augeretur. Cum autem princeps per prædictum comitem & Riczardum Filangerium ad mittendos nuntios non potuiſſet induci, venit ad eum quidam epiſcopus a ſede Apoſtolica miſſus, citavitque ipſum ex parte ſummi Pontificis, ut in feſto purificationis B. Mariæ proxime futuro ad curiam Romanam accederet, reſponſurus de interfectione Burrelli de Anglono, & de injuria quam Apoſtolicæ ſedi intulerat, expellendo legatum & exercitum Eccleſiæ de Apulia. Princeps vero ad citationem hujuſmodi ſibi factam reſpondit per literas ſuas ſummo Pontifici, excuſans ſe rationabiliter*, ita loquitur anonymus Manfredi ſtudioſiſſimus, *de his quæ ſibi obiiciebantur, & qualiter nullam injuriam Rom. eccleſiæ fecerat, nepotis ſui, & ſuam juſtitiam defendendo.*

(*d*) *Ib. ep.* 198.

Tentatæ pro revocando ad officium Manfredo molles viæ.

Ejus pertinacia fraudeſque.

In judicium vocatur.

IV. Conſumptum in mittendis ad eum nuntiis tempus.

*Principe autem ſic perdurante in propoſito non mittendi aliquos nuntios ad ſummum Pontificem, venit ad eum in Apulia magiſter Jordanus de Terracina Apoſtolicæ ſedis notarius, qui ejuſdem principis benevolus videbatur, & qui etiam in Romana curia magnum locum habebat: conſulitque principi, quod nuntios ſuos ad Papam mitteret, quod ex illa nuntiorum miſſione non aliud quam honor, & commodum ſibi poterat provenire. De conſilio ergo magiſtri Jordani Apoſtolicæ ſedis notarii princeps motus eſt ad nuntios ad ſummum Pontificem deſtinandos, miſitque Gervaſium de Martina & Goffridum de Cuſentia ſecretarios ſuos, & ſuæ voluntatis plene conſcios, dans ei poteſtatem de concordia cum ſummo Pontifice tractanda in certa forma, quæ commodum regium, & honorem principis ſapiebat. Profectis itaque prædictis nuntiis ad Romanam curiam, quæ tunc Neapoli erat, cœpit de concordia tractatus haberi.*

Manfredus oratores mittit.

V. Interim latius tyrannidem profert.

Addit auctor Manfredum interea temporis, dum tractatus iniretur, oppidum munitum, cui Guardia Lombardorum nomen eſt, pontificiis eripuiſſe, ac timorem Romanæ aulæ incuſſiſſe, ne ille ſigna victricia Neapolim verſus converteret, atque ad ornandam fugam ſe comparaſſe: monitum vero Manfredum a ſuis oratoribus, ni ex occupato tractatus tempore loco abſcederet, abſolvi non poſſe, ſolicitatumque ut in Campaniam Felicem exercitum adduceret: levi enim negotio ob pontificiorum formidinem omnia in ipſius obſequium procubitura: illum vero audita acceptæ in Hydruntina provincia cladis fama, cum Manfredus Lancea ab ipſo præfectus, a Brunduſinis deletus eſſet, atque hoſtis Nerito eſſet potitus, in ancipites curas diſtractum, an adverſus Brunduſinos proficiſceretur, an verſus Neapolim tenderet; demum in Brunduſinos moviſſe, ut ſimul imminenti periculo occurreret Pontificiſque voluntati deſerto Guardiæ oppido obſecutus videretur; Brunduſinum vero agrum, cum urbem obſidione juſta cingere non poſſet, populatum: tum Licienſes ſui metu in obſequium adegiſſe, inde Oriam expugnare aggreſſum, cum certo rumore comperiſſet Petrum Ruffum, Siciliæ & Calabriæ proregem, qui ob monetam iniqui ponderis nomine Conradini contra ſapientum conſilium percuſſam inſulanos ad rebellionem concitarat, a Meſſanenſibus orta ſeditione ejectum in Calabriam irrupiſſe, præcipitique victoria majorem illius partem ſubegiſſe.

Solicitatur ad opprimendum Neapoli Pontificem.

Quomodo ab eo conſilio revocatur.

Ei Petrus Ruffus Calabriæ partem ſubiicit.

VI. Meſſanenſes in eum movent.

At Meſſanenſes, qui Calabriam ſuæ urbis dominio ſubiicere meditabantur, contractis validis equitum peditumque copiis trajeciſſe refert auctor, ac Seminariam diripuiſſe: ingruente vero paulo poſt Manfredi exercitu timore correptos fluctuaſſe, eoque animadverſo Manfredianos in præda onuſtos proſiliiſſe, profligaſſeque: tum Regium, & Calanæ arcem, cum hoſtium terror ſe latius circumferret, Manfredi ducibus portas aperuiſſe. Interea Octaviano Apoſtolicæ ſedis legato, conflato ingenti exercitu, progreſſo, prima menſis junii die copias, quas undique colligere potuit, adverſus ipſum eduxiſſe, poſteaque fruſtra tentato ſæpius conflictu in Apuliam inferiorem abſceſſiſſe, cum induciæ, veniente ex Germania Conradini nomine oratore, ab Eliſabetha Regina, ac duce Bavariæ ad Manfredum primum, indeque ad ſedem Apoſtolicam miſſo, initæ eſſent, intereaque pontificium exercitum duce Bertoldo ad Fogiam uſque progreſſum, ut Manfredo viam ad Luceriam Sarracenorum intercluderet, ac facilius opprimeret, vel ſaltem Luceriam ipſius auxiliis deſtitutam expugnaret; Manfredum vero per medias hoſtium terras nemine cum ipſo congredi auſo Luceriam penetraſſe, ac tum legatum Apoſtolicum, ut obſidione Luceria incluſum Manfredum cingeret, meditatum, adeo ut literas veluti in obſidione Luceriæ datas conſignaret: ſed graſſantibus in exercitu morbis, ac Bertoldo comite, qui defectionis conſilia cum Manfredo agitarat, & cum nonnullis copiis Fogiam redibat, profligato, ac penuria commeatuum ingraveſcente ad concordiam tractandam deſcendiſſe.

Induciæ a Conradini oratore fruſtra tentatæ.

Legatus Manfredum obſidet.





Concordiam turpem cum tyranno init.

VII. *Factum eſt*, inquit, *quod tractatu hinc inde habito ad hanc princeps, atque legatus concordiam devenerunt, videlicet, ut princeps pro parte ſua, & Regis Conradi nepotis ſui regnum teneret excepta terra Laboris, quam princeps Eccleſiæ conceſſit tenendam, ita tamen quod ſi Papa tranſactionem, & concordiam ipſam forte non acceptaret, liceret principi terram ad ſuum jus, & dominium revocare: qua tranſactione ſic facta inter principem, & legatum cautionibus intervenientibus firmata, legatus obnixe rogavit principem, ut intuitu divinæ pietatis quibuſdam regni nobilibus parceret, qui a tempore Imperatoris patris ſui a regno exulabant, & in præſentia cum ipſo legato erant: ad cujus legati preces motus princeps præfatis nobilibus clementer indulſit, terras, quas juſte amiſerant, eis reſtituit, & in regno eos manere conceſſit, &c.*

Illius leges.

VIII. Repudiatæ ab Alexandro.

Non admiſſam ab Alexandro eam concordiam refert idem auctor, ac ex Pariſio (*a*) atque Herefordienſis epiſcopi literis colligitur, ipſum Innocentii IV. exemplo Siciliæ regnum a Friderici poſteris ob præteritam perduellionem, in regiam Anglorum familiam ſedi Apoſtolicæ deditiſſimam transferre meditatum. Bononienſem enim epiſcopum rebus adhuc integris, ac legato potenti adeo exercitu ſuccinto, ut facile Manfredus obruendus crederetur in Angliam miſiſſe, conſtat, ut collato annulo ſolemni ritu Edmundum Regis filium florentiſſimo regno indueret, confirmantque edita publica inſtrumenta (*b*) regnum illud jam ante Edmundo ab Innocentio IV. Alberti notarii opera oblatum, admiſſumque ab Henrico, qui ad temperandas illius donationis leges Petrum Herefordienſem epiſcopum, & Joannem Manſel arbitros delegit; principes vero conditiones, quibus Henricus filii nomine utriuſque Siciliæ, ac terrarum ad Pontificiæ ditionis limitem excurrentium, excepto Benevento, agriſque, & oppidis, quæ ab ipſo jura petere conſueverunt, dominium jure beneficiario accepit, hæ fuere, transfundi nimirum utraque Sicilia ad filios Edmundi utriuſque ſexus hereditario titulo poſſit, at non in plures ſcindi ac dividi, ſed in uno tantummodo capite conſtet, Romanæ eccleſiæ fidem ſuam ſacramento obliget, recurrente annis ſingulis Apoſto-

(*a*) *Par. hiſt. Angl.*

Edmundus Regis Angliæ filius in Siculi regni poſſeſſionem vocatus.

(*b*) *Ext. in lib. privileg. Rom. eccl. tom.* 2. *pag.* 113. *& MS. Vallicell. ſignat. B.* XII. *pag.* 57.

Quibus legibus.

Cenſus annuus conſtitutus.

ſtolorum Petri & Pauli die feſto duo millia unciarum auri perſolvat, ſi bellum incumbat eccleſiæ, tribus menſibus trecentos milites egregie armis inſtructos alat, ſtipendiaque ſuppeditet, Imperium non affectet, aut ultro oblatum reſpuat, ni faciat, omni jure in Siciliam excidat: ſi quis Imperium gereret, qui natalium jure ad regnum vocandus eſſet, Imperium deponat, ſi regno indui velit, ſi contra has leges aſſurrexerit, anathemate ſit defixus, omnique obtinendi regni jure, ac ſpe deturbetur: Eccleſiæ dignitatem tueatur, ſervet ſua eccleſiaſticis jura, eccleſiis paſtores ac præſules non imponat, ſi quod tamen patronatus jus obtineat, jure illo pro more patronorum utatur, integræ & illibatæ maneant prærogativæ Beneventanis conceſſæ, liberique toto regno aditus ad merces invehendas efferendaſque aperiantur, Neapolitanis, Capuanis, aliiſque populis ſua privilegia ac recte inſtitutæ conſuetudines ſerventur.

De Imperio cum Sicilia non conjungendo.

De tuenda libertate eccleſiaſtica.

IX. Subjecta eſt ſacramenti forma, qua Edmundus, cum ad annorum quindecim ætatem perveniſſet, ſeſe pro Siciliæ regno obſtricturus eſſet, obſequentem ſcilicet illi ſe ſemper futurum, conflata in eam conſilia patefacturum, affuturum legatis, donationes nonnullis nobilibus viris, quorum mentio adjecta eſt, ab Eccleſia collatas ratas habiturum: Herefordienſis vero epiſcopus Henrici, & Edmundi Regum nuncius, & procurator dictas leges Regum nomine accepit, atque annulo inveſtitura ornatus eſt. Appoſitæ ſunt aliæ conditiones, ut Henricus filium, cum primum ad quindecim annos pubeſceret, adduceret, ut ſacramento ſe Eccleſiæ devinciret, omnibuſque juribus Imperii renuntiaret, ni certo tempore definito ea impleret, omni Siciliæ regni jure deturbatus cenſeretur, refunderet Henricus Eccl. ſumptus, quos belli cauſa profudiſſet, traiiceret ipſe, vel ducem exercitu florentiſſimo ſuccinctum in Apuliam tranſmitteret, quod ſi Pontifex pacem cum Manfredo contraheret, integra tamen ipſi in utramque Siciliam jura remanſura. Hæc fuſius in archæi Vaticani inſcripto libro privilegiorum Rom. Eccleſiæ tribus ingentibus voluminibus digeſto, e quibus nos plura, digniſſima poſterorum memoria, monumenta in lucem edenda publici juris faciemus. Non tenuit promiſſa Henricus, atque adeo Romanus Pontifex, cum Anglus Siciliam ſibi ſubiicere parum curaret, ad Carolum Andium comitem confugit, qui prælio cruentiſſimo Manfredum delevit; ſed de his ſuis locis. Ac de Siculis rebus, deque Manfredo hactenus. Jam ab eo ad tyrannum alium ſæviſſimum, Eccleſiæque hoſtem infenſiſſimum, marchiæ Tarviſinæ incubantem, ſermonem convertamus. [1]

Edmundi nomine inveſtitura accepta.

Ad quæ ſe obſtrinxerit Rex Angl.

Promiſſa ab eo non ſervata.

X. Furebat adeo in Eccleſiam Ezelinus opibus, militum numero, potentia fœderatorum, artibuſque inſtructus; tantumque reliquis vicinis principibus incuſſerat terrorem, ut marchio Ateſtinus, aliique principes viri ad ſedem Apoſtolicam ſupplices confugerint, ut legatum contra potentiſſimi hoſtis tyrannidem apoſtolica auctoritate munitum mitteret. Quorum flexus precibus, utque oppreſſam ab hæretico Eccleſiæ dignitatem aſſereret, Philippo Ravennati archiepiſcopo deſignato gerendæ legationis provinciam demandavit; ſcriptiſque exeunte hoc anno (a) ad cunctos Inſubriæ, Æmiliæ, ac marchiæ Tarviſinæ præſules, proceres, ac populos literis encyclicis, ſedis Apoſtolicæ legato adeſſe, ipſique operam ſuam pro dignitate explicare juſſit. [2]

Ezelinus fœderatos Eccleſiæ opprimit.

Philippus Raven. arch. in eum legatus creatur.

(a) Lib. 1. ep. 7.

*Alexander, &c.*

*Dum diligenter advertimus nonnullos in veſtris provinciis obvolutos vitiorum tenebris, & cum quadam ſecuritate jacere in ſuis fœcibus ſoporatos, vehementer nos urit zelus pereuntium animarum. Et ne illorum ſanguis ob culpam negligentiæ de noſtris requirendus ſit manibus, totis viſceribus formidamus. Præcipue autem excitat in nobis diligentiam officii paſtoralis, & corda debet omnium diſſecare fidelium infamiæ ſcandalum, & probroſum improperium, quo in eiſdem provinciis, præſertim in marchia Terviſina confunditur fides catholica, & religio Chriſtiana pervertitur, ubi perditionis filius, & reprobus circa fidem vir ſanguinum, & homo in homines inhumanus Ezelinus de Romano, per opportunitatem temporis impacati ſuper infelices populos regionis ejuſdem poteſtate tyrannicæ dominationis arrepta, ſceleratis nobilium cædibus, & cruentis plebium ſtragibus humanæ ſocietatis fœdus, & legem libertatis evangelicæ ſic contrivit, ut omnis in eis videatur confidentiæ ſpiritus interire, quos in reſiduum furoris ſui pabulum ejus crudelitas ſuperſtites dereliquit.*

Cauſæ quæ Pontificem ad indicendum tyranno bellum permoverint.

Rabida Ezelini crudelitas.

XI. *Quamvis autem felicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter ipſum de fratrum ſuorum conſilio tanquam hæreticum, exigente juſtitia, publice condemnarit, fautores ejus conſtitutionibus, & pœnis ſubiiciens contra hæreticorum fautores, & complices promulgatis, ipſe tamen tanquam membrum a corporis Chriſti vita præciſum, & ſtupore ſpiritualium ſenſuum arefactum, nec de jactura conteritur, nec confunditur de pudore, ſed in profundo malorum nervo pertinaciæ ſuæ rigens, contra Deum ſemper erigitur, & prob pudor, in ſe, ac malignitatis ſuæ ſocios intrepide provocat iram ejus.*

Inuſta illi ab Innocentio hæreſeos infamia.

Pertinacia in ſuſcepto ſcelere.

XII. *Igitur de ſalute veſtra, & provinciarum veſtrarum, in iis præſertim quæ Dei ſunt, reformatione ſalubri paterna ſolicitudine cogitantes, dilectum filium Ravennatem electum, virum utique morum honeſtate conſpicuum, dono ſcientiæ præditum, ac nobis, & fratribus noſtris merito ſuæ probitatis acceptum, de cujus virtute jam non argumenta, ſed experimenta multiplicia fidem faciunt certiorem, ad partes veſtras commiſſo ſibi plenæ legationis officio duximus deſtinandum: ut gerens inibi vices noſtras foveat favorabiliter devotionem fidelium, & præfati Ezelini, aliorumque perfidorum pertinaciam ſpiritualiter, & temporaliter perſequatur, contra eumdem Ezelinum Crucis charactere inſigniendo fideles, & illius remiſſionis præmio provocando, quæ datur euntibus in ſubſidium Terræ ſanctæ, viros excitet mortis peſtifero ſomno defixos, & vigilantes in bono corroboret, & confirmet, evellat & diſſipet, ædificet & plantet, ac diſponat & ordinet, prout ſecundum Deum, & datam ſibi ab eo prudentiam robori fidei orthodoxæ, honori Eccleſiæ, animarum ſaluti, & tranquillitati Terræ veſtræ viderit expedire, &c. Datum Lateran.* XIII. *kalend. januarii.*

Legatus fideles crucis ſymbolo in eum inſignire juſſus.

XIII. Arduum plenumque periculi conſilium erat, cum in eum res ageretur, qui parcere neſciret: cujus non modo in eos, qui ſeſe illi opponerent, effuſa crudelitas eſſet, ſed in ſuos etiam ſæviret: anno enim ſequenti Bontraverſum ſocerum, ejuſque filios impacto proditionis crimine, in carcerem teterrimum conjecit, ac fame enecavit. Si quos enim e medio tollere in animum induceret, mox eos conflatæ in ſe conjurationis, tyrannorum more timentium quod merentur, crimine arceſſebat.

Ezelini in ſuos ſævitia.

Inſignis certe fuit tyrannis, quam in Arnoldum S. Juſtinæ abbatem exercuit, (a) quem diuturno carcere, modico tantum pane furfuraceo, & aqua modiciſſima ſuppeditatis, maceravit: ubi octo annis & amplius vir ſanctiſſimus exemplo conſtantiæ adeo egregio verſatus eſt, ut nulla unquam incommoda tranquillitatem mentis confuderint, vultuſve ſerenitatem aſperarint; tanta affabilitate uſus, ut ipſorum etiam ſatellitum emolliret pectora, atque ad ſui amorem venerationemque excitaret. Cum vero jam ſeptuagenario extremus dies immineret, ardentes duæ cœlo faces pluribus inſpectantibus delapſæ tamdiu carceri, in quo incluſus tenebatur, incubuere, donec felix anima corpore exſoluta in cœlum evolavit. Nec minus inſigne miraculum quinquaginta ab obitu diebus contigit: cum enim in loco honorificentiori ejus corpus collocandum viſum eſſet, non modo feretro aperto nullum graviorem odorem ſenſibus afflavit, ſed ne quidem ullam corruptionis notam, certiſſimo ſervatæ virginitatis argumento, præ ſe tulit, leviſque tantum albugo oculis aſperſa viſa eſt. Ut vero legatus commiſſi officii partes contra tyrannum, viri ſancti teterrimum perſecutorem, pro dignitate impleverit, meritaſque pro tot ſceleribus pœnas in ejus caput detorſerit, ſequenti anno dicemus.

*(a) Monac. Pad. chr. l. 2. & Boſin. hiſt. Tarviſin. l. 5.*

In ſanctiſſ. abb. Arnoldum.

XIV. Mediolanenſium quoque ſalutis tuendæ ſolicitus, cum iis temporibus ſublato e vivis eorum præfecto, graviſſimæ inter ipſos diſcordiæ exarſiſſent, ad eas ſopiendas pro paterno amore, quo ipſos complectebatur, curas convertit, atque epiſcopum Bononienſem, virum ſpectatiſſimæ prudentiæ, ad eos conciliandos, avertendaque imminentia pericula proficiſci juſſit, (b) datiſque ad eos literis commendavit (c). Per idem tempus Bergomenſes, qui Fredericianas partes ſectati fuerant, atque ideo anathematis ſententia ſe ſe implicuerant, urente facti conſcientia, ad ſedem Apoſtolicam ſupplices confugere, ut fidelium cœtui reſtituerentur: quibus Alexander amantiſſimo ſinu ſe ipſos excepturum ſignificavit, (d) cum Eccleſiæ, cujus ſpreverant majeſtatem, ex ſacrorum canonum præſcriptis legibus feciſſent ſatis, omnibuſque ejus imperiis ſeſe ſubjeciſſent.

Mediolanenſes diſſidentes conciliare nititur Pont.

*(b) Lib. 1. poſt ep. 400.*

*(c) Ib. ep. 400.*

Bergomenſes anathemate ſoluti.

*(d) Ib. ep. 20.*

XV. Objectæ e contra cenſuræ Mantuanis, qui Pigugnagiam ſedi Apoſtolicæ obnoxiam occupaverant, populiſque graviora vectigalia impoſuerant quorum clamoribus

NOTÆ

[1] Licet ante annos aliquot Siciliæ regnum Edmundo regis Anglorum filio oblatum fuit a pontifice Innocentio IV. & a patre filii nomine acceptatum; nonniſi tamen ab hoc anno regni ſui Siculi epocham Edmundus exorditur, ut patet ex literis ejuſdem datis ad Alexandrum IV. & recitatis in annalibus anno quo datæ fuerunt 1257. die XXVI. junii, quibus regni ſui annum ſecundum aſcribit. Forte igitur hoc anno 1255. die feſta S. Michaelis nempe XXIX. Septembris coronam regni hujus accepit; cum pontifex literis ad Henricum patrem ejus datis anno 1256. relatis in annalibus ad eundem annum num. 34. eum regem admonuerit die feſta S. Michaelis evolutum fuiſſe annum intra cujus terminum expeditionem Siculam ſuſcepturum ſe ſpoponderat, qua ſponſione in ſolemni filii ſui conſecratione ſeſe obſtrinxerat. MANSI

[2] Quanquam hoc exeunte anno legatio Tarviſina Philippo Ravennatenſi electo demandata fuit, ut demonſtrat Alexandri epiſtola in annales relata; in provinciam tamen nonniſi ſequenti anno proceſſit, teſte Rolandino lib. VIII. cap. I. qui de illo ſcribit: Prima fronte ad partes Venetiarum deſcendit in dicto anno Domini MCCLVI. menſe martii. MANSI

Mantuani Pigugnagiam Eccleſiæ eripiunt.

bus provocatus, tuendæque Eccleſiæ dignitatis, defendendorumque jurium ſtudio, aculeatis literis illos cœptis abſiſtere imperavit, ac ſi aliqua in eam ditionem jura affectarent amplius, cenſumve aliquem indigenis imponere corradereque in poſterum meditarentur, eccleſiaſticis cenſuris percelli juſſit (*a*). Eodem argumento ad populum Reginum ac Pigugniacenſes ſcripſit, quibus Guidonem cappellanum præfecit, eoſque ut in ſedis Apoſtolicæ fide conſtantes eſſent, cohortatus eſt (*b*).

(*a*) *Ib. ep.* 139.

Anathema iis intentatum.

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

XVI. Electi præſules labente ſemeſtri ſacrandi.

Conſulturus vero rei ſacræ ſanxit, ut cathedralium eccleſiarum deſignati præſules, excurrente ſex menſium ſpatio, pontificalibus ſacris inſignirentur, ne populi diutius paſtorum regimine deſtituti, aliquod ſalutis periculum adirent. Teſtantur hoc apoſtolicæ literæ ad patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & canonicorum collegia totius orbis Chriſtiani nonis martii (*c*) datæ. Nec minus in viris piis, atque gerendo muneri idoneis ſummis Eccleſiæ dignitatibus præficiendis curas defigebat Alexander, juſtiſſimoque animarum zelo impulſus, non eſt paſſus Albertum Minoritam literis pietateque cultiſſimum, qui Tarviſinus epiſcopus renuntiatus egregio Chriſtianæ demiſſionis exemplo eam reſpuebat dignitatem, ſuo jure ſeſe abdicare, cum maxime eo ſe digniorem probaret, quo indignum ſe arbitrabatur, præcepitque (*d*) ut oneri humeros ſupponeret, ne Deo vocanti obluctari, ac ſuam divinæ voluntatem præferre videretur: eademque de re ad Tarviſinos ſcripſit (*e*).

(*c*) *Ib. poſt ep.* 292.

Albertus ad Tarviſinum epiſcopatum vocatus.

(*d*) *Ib. ep.* 558. *ext. apud Vad. in reg. to.* 2. *n.*30.

Honorem admittere jubetur.

(*e*) *Ep.* 598.

XVII. Calaritanus arch. in Sard. & Corſ. legatus.

Nec latebat Alexandrum quanti intereſſet, ut præſules optimi virtutum exempla in ſubditos transfunderent ad revocandum Chriſtianæ ſanctitatis florem, qui cum in Sardinia, & Corſica admodum emarcuiſſet, Calaritano archiepiſcopo legationis fungendæ in iis regionibus partes commiſit, ut ad ſalutem animarum promovendam incumberet, Eccleſiæ auctoritatem corroboraret, pravos deleret mores, priſtinumque pietatis florem revocaret. De qua legatione hæc inter alia ad Sardiniæ, & Corſicæ clerum ſcripſit (*f*).

(*f*) *Ep.* 585.

XVIII.

*Ut ipſæ partes eo magis in Dei & Eccleſiæ devotione proficiant quo ſpecialius per ſedem Apoſtolicam velut matrem ſe viſitationis officio ſenſerint confoveri, ecce venerabilem fratrem noſtrum L. archiepiſcopum Calaritanum virum utique ſcientia præditum, morum honeſtate decorum, & conſilii maturitate præclarum ad partes eaſdem tamquam pacis angelum, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, ut evellat & deſtruat, diſſipet & ædificet, & plantet, ſicut viderit expedire, duximus deſtinandum, &c. Dat. Anagniæ* II. *idus aug. anno* I.

XIX. Pontificia charitas in pœnitentes meretric.

Nec in expoliendis modo cleri moribus incubuit Alexander, verum etiam in educendis e vitiorum cœno perditis animabus, continendiſque ne in priora flagitia prolaberentur, ſtudium contulit. Cum enim accepiſſet piorum virorum opera plures in urbe mulierculas, quæ laxatis impudicitiæ frænis obſcœnis ſeſe cupiditatibus dediderant, urente præteritorum conſcientia, ab impuris voluptatibus ſeſe avulſiſſe, ac generoſa ſectandæ auſterioris vitæ conſilia ſuſcepiſſe adductus, zelo Alexander, ut eas Chriſto animas lucraretur, quibus dæmon, tamquam tot laqueis ad veſanos amatores irretiendos uſus fuerat, Joanni tit. S. Lucinæ diacono Card. onus impoſuit (*g*) ut iis Eccleſiam, atque ædes ſuper Minervam attribueret, quo ab humano conſortio ſegregatæ, præteritæ vitæ maculas lacrymis eluerent, delibataſque male illecebras expiarent. Cumque is locus idoneus ipſis non eſſet viſus, præcepit Pontifex (*h*) ut ad eccleſiam S. Pancratii traducerentur. Sed ab iis quæ ab impuris deliciis victas ſe, ſanctiſſime lugebant, ad virginem, quæ de omnibus obſcœnis voluptatibus glorioſiſſime triumphavit, ſtylum convertamus.

(*g*) *Ib. ep.* 651.

(*h*) *Ep.* 721.

XX. Clara ſanctarum virginum catalogo appoſita.

S. Clara D. Franciſci præceptis exculta, æmula virtutis, ordiniſque pauperum dominarum S. Damiani conditrix hoc anno qui ſecundus a felici ejus obitu fuit, ab Alexandro Pontifice ob innumera ejus beneficio patrata a Deo miracula ſanctarum Virginum catalogo aggregata eſt. Cujus vitæ ſanctiſſimæ exordia ita deſcribit Alexander in apoſtolico diplomate: (*i*) *Cum ipſa, dum adhuc puella eſſet in ſæculo, hunc mundum fragilem ab ætate tenera tranſilire ſtuderet, & pretioſum ſuæ virginitatis, theſaurum illibato ſemper pudore cuſtodiens charitatis & pietatis operibus vigilanter intenderet, ita quod ex ea gratia & laudabilis ad vicinos alios fama prodiret, B. Franciſcus, audito hujus famæ præconio, cœpit confeſtim hortari eam, ut ad Chriſti perfectam induceret ſervitutem. Quæ ſacris illius monitis mox adhærens, & mundum cum terrenis omnibus abdicare, ac ſoli Domino in paupertate voluntaria famulari deſiderans, hoc ſuum fervens deſiderium, quam cito potuit, adimplevit: quia tandem cuncta ſua bona, ut una ſecum quidquid etiam habebat Chriſti obſequio deputaret, in eleemoſynas, & pauperum ſubſidia diſtribuit, & convertit.*

(*i*) *Extat in Bullar. in Alex. IV.*

Ejus vitæ primordia.

Inflammatur a S. Franc ad pietatem.

XXI. Conſanguineis repugnat.

*Cumque de ſæculi ſtrepitu fugiens ad quandam campeſtrem declinaſſet eccleſiam, & ab ipſo B. Franciſco ſacra ibi recepta tonſura proceſſiſſet in aliena, conſanguineis ejus ipſum exinde reducere molientibus, illa protinus amplectens altare pannoſque apprehendens ipſius, crinium ſui capitis inciſura detecta eiſdem conſanguineis in*



*hoc fortiter reſtitit & conſtanter; quia, cum jam eſſet mente integra juncta Deo, pati non poterat ab ejus ſervitio ſe divelli. Denique cum ad eccleſiam S. Damiani extra civitatem Aſſiſiatem, unde traxit originem, per eundem B. Franciſcum adducta fuiſſet, ibi ei Dominus ad amorem, & cultum aſſiduum ſui nominis plures ſocias aggregavit: ab hac ſiquidem inſignis, & ſacer ordo S. Damiani per orbem jam late diffuſus ſalutare ſumpſit exordium.*

Chriſto ſe devovet.

XXII. Ejus virtutes.

Sanctiſſimæ porro vitæ a B. Clara in principe ordinis monaſterio, cujus adminiſtrationem auctore S. Franciſco ſuſceperat, ductæ formam admirandam ita deſcribit Pontifex: *Corpore ſiſtebat in terra, ſed animo verſabatur in cœlo, humilitatis vaſculum, armarium caſtitatis, charitatis ardor, dulcor benignitatis, patientiæ robur, nexus pacis, & familiaritatis communio: mitis in verbo, lenis in facto, & in omnibus amabilis & accepta: & ut carne depreſſa convaleſceret ſpiritu (quia quiſque hoſte ſuo debilitato fit fortior) nudum ſolum & interdum ſarmenta pro lecto habebat, & pro pulvinari ſub capite durum lignum: unaque tunica cum mantello de vili deſpecto, & hiſpido panno contenta; his humilibus indumentis ad operimentum ſui corporis utebatur, aſpero cilicio de chordulis crinium equorum contexto nonnunquam adhibito ad carnem. Arcta quoque in cibo & in potu diſtricta tanta ſe in his frænabat abſtinentia, quod longo tempore tribus diebus in hebdomada, videlicet ſecunda, quarta, & ſexta feria nihil penitus pro ſui corporis alimento guſtavit: reliquis nihilominus diebus adeo ſe cibariorum paucitate reſtringens, quod aliæ de ipſa, quomodo ſub tam forti diſtrictione ſubſiſtere poterat, mirabantur.*

XXIII. Sedula ejus opera in conficiendis ſacris corporalibus.

*Vigiliis i ſuper & orationibus aſſidue dedita in his præcipue diurna & nocturna tempora expendebat. Diutinis tandem perplexa languoribus, cum ad exercitium corporale non poſſet ſurgere per ſeipſam, ſororum ſuarum ſuffragio levabatur, & ad tergum ejus fulcimentis appoſitis propriis manibus laborabat, ne in ſuis eſſet infirmitatibus otioſa: unde de panno lineo hujus ſui ſtudii, & laboris plura pro altaris ſacrificio corporalia fieri fecit, & per plana, & montana Aſſiſii diverſis eccleſiis exhiberi. Amatrix vero præcipua, & colona ſedula paupertatis ſic illam ſuo affixit animo, ſic eam in ſuis deſideriis alligavit, quod ſemper in ipſius dilectione firmior & ardentior in amplexu, a diſtricta, & delectabili ejus copula pro nulla unquam neceſſitate diſceſſit, nec aliquibus potuit induci ſuaſibus ad conſentiendum, quod ſuum monaſterium proprias poſſeſſiones haberet: quanquam felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter de multa indigentia ipſius monaſterii pie cogitans, libenter illi voluerit pro ſororum ejus ſuſtentatione poſſeſſiones ſufficientes, & congruas deputare, &c.* Affert Pontifex plura inſignia miracula, quæ in terris fuit patravit, atque objectum cœleſte admirandum, quod ipſa in ancipiti mortis confinio agente accidit;

Terrenas opes ſpernit.

XXIV. Virginum chorus morituram convenit.

*Cum*, inquit, *in extremis ageret, candidus beatarum virginum cœtus micantibus coronis ornatus, in quo una ex ipſis eminentior, & fulgidior apparebat, viſus eſt domum intrare, ubi eadem Chriſti famula decumbebat, & uſque ad lectum ejus procedere, & circa eam quaſi viſitationis officium, ac confortationis ſolamen, quodam humanitatis ſtudio exhibere.* Subjungit Alexander plura prodigia ad ipſius ſepulcrum edita, obtentaque ipſius opera a præpotenti numine beneficia, ob quæ diligentiſſimo examine explorata ac diſcuſſa ipſam, adhibitis in conſilium Cardinalibus ac præſulibus, in ſanctarum virginum catalogo repoſuerit, ac felicem illius memoriam pridie idus auguſti ritu eccleſiaſtico recolendam decreverit. *Dat. Anagniæ* XIV. *kal. novembris pontificatus noſtri an.* I.

Centuriatorum impietas refellitur.

(*a*) *Cent.* 13. *cap.*7. *col.* 720.

De adjecta ſanctarum virginum catalogo B. Clara novatores (*a*) meminere, utque ſolent viri flagitiis contaminatiſſimi divina in riſum traducere, ac ſanctos blaſphemis vocibus concerpere, in eam veſaniam prorupere, ut D. Franciſci (quod ſtylus horret ſcribere) concubinam appellarint, atque ad ritum eccleſiaſticum damnandum dixerint, Alexandrum pro ſuo imperio illam in cœlum migrare juſſiſſe: quaſi ita ſint ſtupidi, ac plumbei, ut poſſint ignorare, Pontificem eo ritu non ſanctos in cœlum intrudere, ſed quos jam Deus conſpicuis miraculis cœleſti gloria potiri teſtatur, ſanctorum, quos Eccleſia ut numinis amicos ac divinæ aulæ principes gratia apud ipſum florentes veneratur, catalogo adſcribere: verum inſana blaſphemorum ludibria contemnere potius, quam longiori oratione elidere juvat.

XXV. Quanta maturitas conſilii in ſanctorum cultu cuipiam decernendo adhibeatur.

Quanta vero maturitate conſilii Romani Pontifices in decernendo ſanctorum cultu utantur, tum ex dictis paſſim in annalibus, tum ex ſubiiciendis illuſtre & conſpicuum eſt. Flagitatum jam ante ab Alexandri prædeceſſore fuerat, ut Auguſtinum Nidroſienſem archiepiſcopum, qui miraculis in Norvvegia efflorescebat, ſanctorum numero adſcriberet, atque Innocentius Bergenſi epiſcopo ac duobus religioſis viris publica de iis acta conficiendi provinciam tradiderat: qui cum deſideratam in re graviſſimi momenti diligentiam non adhibuiſſent, Alexander iterum Stavangrenſi epiſcopo, ac duobus S. Benedicti, & S. Auguſtini abbatibus partes demandavit (*b*) ut ex præſcripta ab

Exemplum in Auguſtino Nidroſienſi.

(*b*) *Ep.* 385.

ab Innocentio forma accuratiſſime rei veritatem explorarent.

XXVI. Aliud in Nicolao Canuti Regis Daniæ filio.

Eadem diligentia in revocandis ad examen cœleſtibus prodigiis, quæ Nicolai, Canuti Regis Daniæ filii, opera edita fama erat, incubuit. Adductus enim Danorum precibus, qui jam ante ab Innocentio IV. contenderant, ut illuſtrem miraculorum gloria beatum virum in album ſanctorum referret, Wiburgenſi epiſcopo, aliiſque munus contulit (*a*), ut ſacram de illius vitæ ſanctitate patratiſque miraculis quæſtionem inſtituerent.

(*a*) *Ep.* 790.

*Epiſcopo Vviburgenſi, & abbati de Cara inſula Ciſtercien. ord. Aruſienſis diœceſis, & priori fratrum Prædicatorum Aruſienſium.*

De explorandis Nicolai filii Regis Dan. miracul.

*Significarunt nobis venerabilis frater noſter epiſcopus, & dilecti filii capitulum Aruſien. quod cum felic. record. Innocentius PP. prædeceſſor noſter vobis, frater epiſcope, ac fili abbas, & bonæ memoriæ Slevvicenſi epiſcopo ſub certa forma ſuis dederit literis in mandatis, ut aſcitis vobis viris religioſis, & Deum timentibus, de virtute morum & veritate ſignorum, operibus videlicet & miraculis piæ memoriæ Nicolai claræ memoriæ Canuti Regis Daniæ filii diligentiſſime inquirentes, quæ inveneritis, eidem prædeceſſori veſtris ſtuderetis literis fideliter intimare, licet vos epiſcope ac abbas, ipſo epiſcopo interim ſublato de medio, in parte ſervaveritis formam ipſam, hujuſmodi tamen negotium minus ſufficienter inſtructum ad ſedem Apoſtolicam remiſiſtis: verum in tanto negotio eſt cum maturitate debita procedendum. Nos te fili prior in hoc eidem Slevvicen. epiſcopo ſubrogantes, mandamus, quatenus procedatis in eodem negotio, juxta ipſius prædeceſſoris continentiam literarum, videndi curatos ad invocationem dicti Nicolai, & eoſdem curatos diligenter examinandi, plena vobis auctoritate noſtra poteſtate conceſſa, non obſtante ſedis Apoſtol. indulgentia, qua dicitur ordini tuo prius eſſe conceſſum, ut dicti ordinis fratres non poſſint inviti cognoſcere de cauſis ſeu intromittere ſe de negotiis ab ipſa ſede committendis eiſdem. Quod ſi non omnes, &c. Dat. Laterani id. octob. ann. I.*

XXVII. Nec minus circumſpecto conſilio editum in S. Franciſco ſacrorum ſtigmatum miraculum, exemplo Gregorii IX. (*b*) encyclicis ad orbis Chriſtiani præſules literis (*c*) confirmavit, tum ad fideles in ſanctiſſimi Franciſci venerationem pelliciendos, tum in Chriſti amorem, qui redemptionis notas in amante expreſſerat, accendendos, eorumque temeritatem, qui de illius prodigii veritate detraherent, comprimendam. Ita vero in manibus pedibuſque exarata erant, ut caro in tumorem divinitus excreſcens clavorum imaginem ad vivum adumbraret. Ad quod tegendum prodigium beatus vir promiſſas manicas, veſtemque ad terram defluentem geſtabat. Qua vero lateri vulneris dominici imago impreſſa erat, ita hiabat, ut ex eo humor manaret, atque ob id ſocios latere non potuerit. Cæterum ne quis inauditum miraculum, ut inane commentum reſpueret, tanti prodigii Pontifex teſtem ſe producit, dum ante adeptam Petri ſedem felici ejus conſuetudine utebatur. *Quia*, inquit, (*d*) *longum eſſet, nedum exarare per ſingula, verum etiam ſuccincta relatione perſtringere clara virtutis divinæ prodigia, quæ tam in operationibus ſanitatis, quam etiam in aliis mirabilibus argumentis probaverunt, eundem confeſſorem tenere cum ſanctis ſolium gloriæ in excelſis ſignanter, vobis ante oculos proponere volumus, recolenda frequentius, & vehementius admiranda illa ſaltem jucunda dominicæ paſſionis inſignia, quæ in ejuſdem ſancti corpore, dum adhuc vitali ſpiritu foveretur, manus cœleſtis operationis impreſſit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes & certiſſimi palpantium digiti palpaverunt, quod in manibus ejus & pedibus expreſſa undique ſimilitudo clavorum de ſubjecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit: quæ equidem idem ſanctus ſtudioſe ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viveret, abſcondebat.*

(*b*) *Vid. to.* XIII. *an. Chr.* 1237. *n.*60.
(*c*) *Extat apud Vvad. hoc ann. n.*9.

S. Franciſci Stigmata.

(*d*) *Ext. apoſt. diploma apud Vvad. hoc ann. n.*6.

De iis pontificis teſtimonium.

XXVIII. De impreſſo lateri vulnere.

*Inventa eſt patentius in ipſius defuncti corpore non inflicta humanitus, nec facta plaga vulneris lateralis, quaſi aliquid inſtar lateris Salvatoris, quod ſalvationis & redemptionis humanæ in Redemptore noſtro protulit ſacramentum. Quæ quidem plaga, ſicut quoſdam ex fratribus ſibi familiariter adhærentibus latere non potuit propter defluxum humoris, diu antea viruerat in vivente. Hæc igitur mira & decora nova demonſtrationis indicia magnæ debent eſſe devotionis, divitiæ Chriſtianis, & ineſtimabiles religioſis delitiæ in ſpiritualibus communis Eccleſiæ orthodoxæ, cum ex his ſincera fides Chriſti accipiat quod etiam illi poſſint eſſe paſſionis Chriſti ſine intrinſeco perſecutore conſortes, qui pro ejus amore carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis voluntarie crucifigunt.*

XXIX. Reprimi juſſi qui de tanto miraculo detraxerint.

*Sane de præfato ſancto hæc certius aſſerentes, indoctas fabulas, ſeu vanæ inventionis deliramenta non ſequimur, cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando videlicet in minoribus conſtituti confeſſoris ejuſdem familiarem meruimus habere notitiam: præfati prædeceſſoris noſtri*, nimirum Gregorii IX. *domeſticis obſequiis tunc temporis inſiſtendo, &c.* Præſulibus catholicis injungit, ut populos ad ſuffragia S. Franciſci imploranda, ejuſque merita recolenda incitent, vetatque, ne quis de viro ſancto Chriſti, ut ait,



ait, triumphalia ſtigmata præferente detrahat, ac ſi in tantam temeritatem projectus ſit, ut apoſtolica judicia impugnet, Deique opera admiranda traducat, meritis pœnis afficiendum decernit. *Datum Anagniæ* IV. *kalend. novemb. pontif. noſtri an.* I.

XXX. Ad conſecrandam futuris ætatibus memoriam ac venerationem loci, in quo tantum prodigium effulſerat, Minoritas, ut illum ad divinas laudes celebrandas incolerent, his verbis eſt adhortatus (*a*): *O dilecti filii celebrem illum vernantis Alvernæ montem, in quo ſublimatum corpus a ſublimiori animo non diſſenſit, cum ibi nimius amor interius in mente fervens intuitu Seraph incaleſcens, incendii fervore prorupit exterius, decorans corpus in cruce ſplendidum ſuis margaritis, affectionis brachiis amplectimur, tot & tanta mirifica recolentes. Quem enim amicum æternæ ſalutis ille locus non delectet quamplurimum, ubi extremo jam inſtante ſæculi ſeneſcentis interitu oſtendit exceſſus Regis militem regiis militaribus inſignitum, ut Regis aciem jam labantem, jam jamque ab hoſtibus fugientem defenderet, & certamen victorioſum triumphatoris ſuperni verbis, & actibus hoſtes aggredientibus prædicaret? O quam ibi lugubria cordis ſuſpiria & ex intimis cordis anxios ſingultus eduxit! O quoties felicem montis humum felicioribus lacrymarum rivulis madidavit, feliciſſimum pectus ſternens! etſi certe interdum civium ſupernorum ordinum præſentia & ſolatio levaretur. O quoties in inferiorum militia mens ejus plena divinis inſtillationibus lætabatur! &c. Datum Neapoli* VI. *id. april. pontif. noſtri ann.* I. Hactenus de iis, quæ ad pietatis cultum ſpectant: jam ad tuendum fidei ſplendorem geſta afferamus.

(*a*) *Ext. apud Vvad. hoc ann. n.*10.

Ut in Alverno monte contigerit.

XXXI. Alexandri ſtudium in excindendis hæreticis.

Ad excindendos hæreticos, qui in Liguria, & Inſubria clam virus ſuum diffuderant, ſtrenuam operam defigere cenſores fidei juſſit Alexander, qui ab iis de nonnullis in conſtitutione Innocentii exortis dubiis conſultus, ea illuſtravit: quærentibus enim de miniſtris forenſibus, qui in cognoſcendis fidei cauſis adhibendi erant, deque pœnis infligendis iis, qui hæreticos in judicium non raperent, hæc reſpondit (*b*): *Poſſunt prædicti officiales communicati, burgo & villæ præcipere ſub pœna & banno uſque ad ducentas marchas argenti, & ultra ad arbitrium poteſtatis loci ejuſdem, quod poteſtati, vel diœceſano, aut ejus vicario, ſeu inquiſitoribus hæreticorum præſentabunt infra præfigendum eis terminum competentem, omnes hæreticos, & hæreticas quos ſibi dicti officiales duxerint aſſignandos, & poteſtas loci a non ſervantibus pœnam hujuſmodi exigere teneatur.*

(*b*) *Ext. in bull. in Alex. IV.*

Pœnæ in hæreticos occultantes.

XXXII. Dubitatum etiam fuerat de legitimo illius edicti ſenſu, quo ad perpetuum infamiæ monumentum domus, a qua prohiberentur forenſes miniſtri, ne hæreticos caperent, ſolo æquari, ac bona in ea inventa prædæ exponi jubebantur; deque alia lege, qua domus conjunctæ illi, ubi hæreticus delituiſſet, ſi ad eundem dominum ſpectarent, bonis omnibus in iis repertis direptioni datis everterentur. Difficultates vero omnes, quæ in iis occurrerent, ita enucleavit Pontifex: *Pœnæ taxatæ per conſtitutiones eaſdem in præmiſſis caſibus infligantur, niſi diœceſanis, vel in eorum abſentia vicariis ipſorum, una cum inquiſitoribus, vel ſolis ipſis diœceſanis, cum ipſorum inquiſitorum præſentia de facili haberi non poterit, legitime conſtiterit præfatarum domorum dominos in iis caſibus penitus innocentes, & prorſus inculpabiles extitiſſe, ac etiam eos non eſſe credentes, vel receptatores, aut defenſores ſive fautores hæreticorum, ſeu de hæretica labe ſuſpectos. Bona vero quæ inventæ fuerint in domibus ſupradictis, debent in his caſibus ſimiliter publicari, niſi legitime conſtiterit per teſtes fide dignos, & omni exceptione majores, ipſa bona eſſe aliarum perſonarum, quam dominorum domuum earumdem.* Hos hæreticos quæſitos ad ſupplicium Waldenſes fuiſſe ſive Catharos magno argumento eſt, cum Reinerus ſcribat (*c*) eam peſtem in Inſubria admodum graſſatam, qui ubi ipſorum eccleſias vel conventicula potius nefaria percenſuit, hæc addit: *O lector dicas ſecure, quod in toto mundo non ſunt Cathari utriuſque ſexus quatuor millia, ſed credentes innumeri, & dicta computatio pluries facta eſt inter eos.*

Illuſtrata dubia circa hæc ſuborta.

Inſubria a Catharis fœdata.

(*c*) *Reiner. apud Gretſ. contra Vvald.*

XXXIII. Reliquiis Albigenſium extirpandis data opera.

Deſudatum etiam eſt in Galliis ad delendas reliquias Albigenſium hæreticorum, in quos exercendarum legum auctoritate prior Prædicatorum Pariſienſium inſtructus eſt (*d*): *Faciendi quoque*, inquit, *obſervari inviolabiliter omnia ſtatuta provide edita tam in conciliis legatorum ſedis Apoſtolicæ, quam etiam in forma pacis olim initæ inter eccleſiam Romanam, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Franciæ illuſtrem ex parte una, & quondam Raimundum comitem Toloſanum ex altera, quæ negocium fidei tangere dignoſcuntur, ſicut promotioni negocii & augmento fidei fuerit opportunum; nec non & ut in eodem negocio ſummarie abſque judicii & advocatorum ſtrepitu procedere valeas; auctoritate prædicta tibi*

(*d*) *Ep.* 245.

*concedimus facultatem. Dat. Neapoli* VI. *id. martii anno* I. [1]

S. Ludovici in tuenda fide zelus.

Creati iterum adulto anno in Galliis alii cenſores fidei, ad gratiam S. Ludovici, in quo explicuit is egregium exemplum piiſſimi principis tuendæ fidei dignitatis cupidiſſimi, poſteriſque imitandum reliquit. Cum enim reverſus e Syriaca expeditione religionis decus obſoleſcere in regno comperiſſet, fœdatam hæretica labe coronam geſtare abnuit, ſtudiumque omne in amplificanda divina gloria, & aſſerenda ſuo ſplendori religione contulit; ac regiis precibus urſit Alexandrum, ut cognitores cauſarum fidei ad abolendum hoc opprobrium crearet. Cui Pontifex hoc diplomate ampliſſimo aſſenſit: (a) quod veluti pulcherrimum ſanctiſſimi Regis pietatis monumentum ſubiicio.

(a) Lib. 1. ep. 752.

*Priori provinciali fratrum Prædicatorum in Francia, & guardiano fratrum Minorum Pariſien.*

XXXIV. Apoſtol. lit. de hæreſib. excindendis.

*Quia in aliquibus partibus Regni Franciæ adeo infidelitatis error invaluit, quod ibi quamplurimi, a via veritatis prorſus averſi, ruentes per devium falſitatis, peſtiferas ad concutiendum orthodoxæ murum fidei machinas conſtruebant, molientes ipſam fallacium argumentationum impulſibus demoliri; ſedis Apoſtolicæ diligentia contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius ſerperet morbus iſte, remedium adhibuit opportunum, inſtituens illic viros idoneos, quorum honeſta converſatio exemplum tribueret puritatis, & erudita labia doctrinam funderent ſalutarem, ut ſacro ipſorum miniſterio præfatæ partes ab hujuſmodi contagiis purgarentur. Et licet horum ducatu homines partium earundem in rectam ſemitam ſint directi, & per hos multis ſit ibidem periculis obviatum, cupientes tamen anxie, ut negocium inibi fidei jugi profectu, eliſis omnino erroribus, fortius convaleſcat, vigilare ad hoc per nos & alios, prout ſolertius poſſumus, non ceſſamus. Et modo circa id ipſum eo ſtudemus attentius, quo chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Franciæ ferventiorem ſentimus ad idem negotium efficaciter promovendum: quare habita deliberatione providimus ibidem ad præſens perſonas aliquas circumſpectas pro tanto negotio deputare.*

XXXV. Rogatus a S. L[...]dov. Alex. ut cenſores fidei conſtituat.

*Quia igitur de ſolicitudine, prudentia, & induſtria veſtra firmam in Domino fiduciam obtinemus, vos tanquam inter alios præelectos in prædicto regno ad inſtantiam præfati Regis ad hoc duximus deputandos, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, ac in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in charitate Dei, hominum timore poſtpoſito, virtutem ſpiritus induentes ex alto inquiſitionis officium contra hæreticos, ad extirpandam de regno ipſo ejuſque diſtrictu hæreticam pravitatem, exceptis terris dilecti filii nobilis viri Pict. & Toloſæ comitis, in quibus fidei negotium certis perſonis ſpecialiter eſt commiſſum, ſub ſpe mercedis æternæ totis aſſumentes affectibus, ſic efficaciter proſequi ſtudeatis, ut per ſolicitudinis veſtræ prudentiam de prædicto regno, ac ejus diſtrictu radix iniquitatis hæreticæ ſuccidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quæ perverſis moribus demoliuntur eandem, fructus afferat catholicæ puritatis, facientes vobis quaternos, & alia ſcripta, in quibus inquiſitiones factæ contra hæreticos, & proceſſus contra ipſos habiti continentur, a quibuſlibet detentoribus aſſignari.*

Prædicatores, & Minoritæ huic officio præfecti.

XXXVI.

*Si quos autem de pravitate prædicta culpabiles inveneritis, vel infectos, ſeu etiam infamatos, contra ipſos, niſi examinati abſolute velint mandatis Eccleſiæ obedire, necnon & receptatores, defenſores, & fautores eorum juxta ſanctiones canonicas auctoritate apoſtolica, hominum metu divino timori poſtpoſito, procedere procuretis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis contra, &c. non obſtantibus aliquibus literis ad quoſcumque alios, exceptis locorum diœceſanis, ſuper hujuſmodi negotio ab Apoſtolica ſede directis, quas auctoritate prædicta revocamus. Nec tamen prætextu commiſſionis ſpecialiter eiſdem diœceſanis ſuper hoc factæ proceſſum veſtrum in eorundem civitatibus, & diœceſibus volumus impediri, nec per hoc, quod fidei negotium generaliter in præfato regno vobis committimus, commiſſiones a præfata ſede i-*

*pſis*

NOTÆ [1] HOc anno menſe majo concilium Biterris in Gallia Narbonenſi celebratur a Guillelmo Narbonenſi archiepiſcopo cum ſex aliis epiſcopis, in quo requiſiti a rege epiſcopi de ſubſidio ſibi præſtando pro obſidione arcis de Querbus, quæ receptaculum erat hæreticorum, obſequendum illi, non quidem ut ab eo tanquam pro regio jure coacti, ſed ſponte in pium illud opus ſymbolum conferentes, cenſuerunt. Lectæ ſunt pariter in eodem concilio conſtitutiones quædam a pio illo rege pro morum reformatione editæ. Omnia hæc habes late relata apud Labbeum to. XIV. col. 191. edit. Venet.

Aliud etiam concilium Pariſiis hoc anno habitum fuit die, ut arbitror, XIII. julii nam ſignatur die martis ante feſtum B. Arnulphi (quod die XVIII. julii, quæ tunc dominica erat, celebratur). In eo vero Henricus Senonenſis archiepiſcopus cum alis quinque epiſcopis ſententiam tulerunt in ſacrilegos canonici cujuſdam Carnotenſis interfectores. Concilium hoc in collectiones nondum relatum evulgavit Martenius in collectione monumentorum tom. VII. colum. 144. MANSI



Recipiendi in gratiam hæreticos auctoritate inſtructi.

*ſis, factas, ſi forſan illarum, ſeu ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Si vero aliqui ex hæreticis ipſis, hæretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad eccleſiaſticam unitatem, eis juxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impendentes injungatis eiſdem, quod injungi talibus conſuevit: proviſo ſoleter, ne ſimulata converſione redeant fraudulenter, & vos, immo potius ſe ipſos, fallentes ſub agni ſpecie gerant lupum. Ut ergo commiſſi vobis officii debitum liberius exequamini, committendi citationes, teſtium examinationes, cum de prædicto crimine, ac ipſius circumſtantiis duxeritis inquirendum, & ſententiarum denunciationes, quas in quoſlibet hac de cauſa tuleritis, plenam vobis concedimus facultatem: non obſtante ſi religioſis quibuſlibet, quod cauſarum, vel negotiorum commiſſiones minime teneantur ſuſcipere, quodque excommunicari, vel interdici, aut ſuſpendi nequeant, a ſede Apoſtolica ſit indultum.*

XXXVII In ferenda adverſus eos ſententia diœceſanos adhibere juſſi.

*Sed quia in tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi, ut in reos ſine ullo proferatur errore duræ, ac dignæ ſeveritas ultionis, volumus, & mandamus, ut vos, vel quos ad hoc duxeritis deputandos in examinatione teſtium, quos recipi ſuper crimine prædicto, ipſumque contingentibus oportuerit, adhibeatis vobis duas religioſas & diſcretas perſonas, ſub quarum præſentia per viros idoneos fideliter eorum teſtium depoſita conſcribantur. Cæterum cum aliquando fuerint judicandi hæretici, vel incarcerationis pœna perpetuæ alicui pro hujuſmodi crimine infligenda, ad id de diœceſanorum, vel vicariorum ſuorum, ſi ipſi diœceſanis abſentibus præſentes fuerint, conſilio procedatis, ut in tantæ animadverſionis judicio non poſtponenda pontificum auctoritas intercedat. Verum ut prædicta poſſitis utilius, & liberius exercere, vobis largiendi viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, quotiens opportunum videritis, omnibus pœnitentibus, & confeſſis, qui ad veſtram convocationem propter hoc faciendam acceſſerint, plenam tenore præſentium concedimus facultatem. Vobis ſiquidem pro hujuſmodi negotio laborantibus, & omnibus prælatis vobis aſſiſtentibus in eodem illam peccatorum veniam indulgemus, quæ ſuccurrentibus Terræ ſanctæ in generali concilio eſt conceſſa. Illos vero, qui ad impugnandum hæreticos, fautores & receptatores, ac defenſores eorum vobis ex animo auxilium, conſilium præſtiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tres annos de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus: & ſi qui ex iis in proſecutione hujus negotii forte deceſſerint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, ac ore confeſſi fuerint, plenam veniam indulgemus, &c. Dat. Laterani id. decemb. anno* I.

Præmia indulgentiarum munus obituris conceſſa.

Reliſtum a S. Lud. exemplum quod poſteri Reges imitentur.

Inſtitiſſe ſanctiſſimi Regis veſtigiis in tuendis fidei cenſoribus in univerſo Francorum regno excurrente multo tempore poſteros Reges viſuri ſumus, donec aliqui ab illius pietate degeneres, ſublatis ſacris tribunalibus, quæ ſancti Regis ſtudio fuerant conſtituta, impietati liberas habenas infeliciter effudere: ex quo quantum incendium, paucorum cruore facile reſtinguendum, excitatum ſit, tamdiu hæreticorum ferro laniata Francia teſtatur, alterumque ſupparem religione S. Ludovico, qui ſacræ fidei tribunalia in Galliis reſtituat, piorum vota expectant.

XXXVIII.

Imponi Prædicatoribus, ac Minoritis inquirendi in hæreticos provincia conſueverat a Romanis Pontificibus, cum ipſi animarum zelo arderent, florerentque magnæ doctrinæ, & ſanctitatis opinione: in quos ab invidis hoc anno Pariſiis ingens perſecutio concitata eſt. Prætendebantur ab adverſariis hæ cauſæ, ipſos antiquas de profeſſorum numero leges infringere, tum decreta quædam edita ad rei literariæ dignitatem tuendam, vindicandoſque in poſterum ab injuriis forenſium ſatellitum ſcholaſticos ſervare contempſiſſe, clauſaque ob id ad tempus gymnaſia aperuiſſe: quibus commoti graviter doctores ſeveriora in eos ſtatuta ſanxerant. Ad quorum deliniendas iras, conciliandamque concordiam, Alexander duriora Pariſienſis academiæ decreta temperavit, ac religioſos in conſortium, e quo exacti fuerant, reſciſſis omnibus contrariis ſancitis, reſtitui, perhumaniterque tractari imperavit; de quibus fuſius Wadinghus (a).

Concitatæ adverſus Præd. & Min. turbæ Pariſiis.

Leves earum cauſæ.

Suſceptum a Pontifice religioſorum patrocinium.

(a) Vvad. to. 2. hoc ann.

XXXIX.

Silere vero non potuimus egregia encomia, quæ Pontifex in eam academiam, quæ ſui exiſtimationem toto orbe Chriſtiano diffuderat, congeſſit (b): *Quaſi lignum*, inquit, *vitæ in paradiſo Dei, & quaſi lucerna fulgoris in domo domini eſt in ſancta Eccleſia Pariſienſis ſtudii diſciplina. Hæc quippe velut fæcunda eruditionis parens, ad irrigandum ſterilem orbis faciem fluvios de fontibus ſapientiæ ſalutaris cum impetu foras mittens, ubique terrarum Dei lætificat civitatem, & in refrigerium animarum flagrantium ſiti juſtitiæ aquas doctrinæ dividit publice in plateis. Ibi nimirum ordinatus eſt per providentiam conditoris ad opus ad cuſtodiam doctorum ordo præcipuus, ut ad vitæ fructum rationabilis creaturæ deducat affectum, ne in guſtum mortis vetita veteris prævaricationis illecebra ſeducatur, ibi humanum genus originalis ignorantiæ cæcitate deforme per cognitionem veri luminis, qua ſcientia pietatis aſſequitur, reddita viſionis ſpecie, reformatur. Ibi præcipue dat Dominus ſponſæ ſuæ os, & ſapientiam,*

(b) Alex. 1. ep. 277. ext. etiam apud Vvading. hoc an.

Pariſien. academiæ elogia.

Guillelmus e S. Amore diſcordiam reſuſcitat.

(a) Nang. in geſt. S. Lud. hoc ann.

(b) Cantipr. l. 2. c. 10. n. 23.

*ac linguam myſticis eloquiis eruditam, cui reſiſtere nequit omnis adverſitas improborum, &c.* Cæterum non quievere efferati in religioſos doctorum Pariſienſium animi, diſcordiam enim Guillelmus e ſancto Amore, ut ſcribit Nangius (*a*) editis nefariis commentariis, quibus religioſos viros, eorumque pia inſtituta in invidiam adducebat, magis incendit. Texiſſe vero regio patrocinio religioſos adverſus inimicos S. Ludovicum, ut erat religionis cultor eximius, refert Cantipratenſis (*b*); ſed de ſuperiori controverſia iterum inferius: hic alia Alexandri judicia adnectemus.

XL. Controverſia de primatu Hibern.

(c) Alex. l. 1. ep. 712.

In Hibernia contendentibus de primatu archiepiſcopo Armachano, & Tuamenſi, controverſiaque apud ſubſellia Apoſtolica diſceptata Armachano in Tuamenſem provinciam auctoritas ab Alexandro adjudicata eſt (*c*): *Auctoritate apoſtolica de fratrum noſtrorum conſilio taliter providemus, quod præfatus archiepiſcopus Armachanus, & ſinguli ſui ſucceſſores poſſint ſe vocare, vel appellare, ſi voluerint, primates provinciæ Tuamenſis, & facere deferri aute ſe crucem per totam ipſam provinciam, quantumcumque, & quotieſcumque ipſos tranſire contigerit per eandem. Poſſint etiam dictam provinciam de quinquennio in quinquennium viſitare, ac per vigintiſeptem dies dumtaxat viſitationis officio immorari: ita quod, ſi eos prædictam provinciam poſtquam illa cauſa viſitationis intraverint, egredi ex quacumque cauſa contigerit pluſquam prædictorum vigintiſeptem dierum numerum in viſitatione perfecerint, non liceat eis ipſam cauſa viſitationis ad alıud quinquennium introire in quo non amplius quam vigintiſeptem dies ad viſitationem habeant exercendam, &c. Datum Anagn.* II. *id. octob. anno* I.

XLI. Alia inter Bituric. & Burdegal. archiep.

(d) Ext. apud Alex. l. 1. ep. 334.

Octavianus diac. Card. A. S. L. in Sicilia confirmatur.

Potiente etiam archiepiſcopo Bituricenſi primatus jure in Aquitania, atque illius eccleſia perluſtrante excurrentibus diebus quinquaginta ex Gregorii ſententia, ac nova ſuborta controverſia an ii dies, quibus archiepiſcopus, vel ejus familiares, quorum opera in obeundo munere carere non poſſet, adverſa valetudine uterentur eo numero comprehendendi eſſent; ab Octaviano S. Mariæ in via lata diacono Card. A. S. in Sicilia legato, cui cauſa cognoſcenda data erat, hæc lata ſententia (*d*): *Declaramus, ut cum Bituricenſis archiepiſcopus Burdegalenſem adibit provinciam, viſitationis officium impenſurus, dies, quibus eundem Bituricenſem infirmari, vel infirmari contigerit illos de comitiva ſua, ſine quibus viſitationis* * *officium commode vacare non poteſt, dicimus non eſſe computandos in numero quinquaginta dierum, quibus ſecundum proviſionem dicti domini Gregorii Papæ, licet eidem archiepiſcopo, ſi voluerit Burdegalenſem provinciam viſitare: prædictorum enim impedimentorum, & ſimilium, ac humanitatis dicimus rationem habendam, &c.* Addit de iis impedimentis Bituricenſi archiepiſcopo adhibendam fidem, nulla tamen ab eo ſtipendia pro illis exactum iri. *Actum hoc Neap. anno Dom. MCCLV. ind.* XIII. XIII. *die. kal. april. pontific. domini Alex. PP. IV. an. I.* quæ ſententia ab Alexandro confirmata. *Dat. Neap.* V. *id. ap. an.* I. At poſtea Burdegalenſem archiepiſcopum a Bituricenſis auctoritate liberum pronuntiatum a Clemente V. ſuo loco viſuri ſumus. Nunc ab his Alexandri judiciis ad conceſſa ab ipſo privilegia digredimur.

* officio.

XLII. Privilegia Regibus Franc. conceſſa.

(e) Ib. poſt ep. 349.

Illuſtrabat tum in Galliis regiæ purpuræ decus ſplendore ſanctitatis Ludovicus, quem excitaſſe apud omnes magnam ſui admirationem ex elogiis inſignibus, quibus ipſum Alexander exornat (*e*) colligitur, cujus pietatis alendæ ſtudio edicto cavit, ne quis præſul, & A. S. Legatus ipſum ac Reginam Margaritam, tum ſceptri Gallici ſucceſſores, cenſuris eccleſiaſticis poſſet defigere.

*Regi Franciæ illuſtri.*

Literæ ad S. Lud.

Illuſtria eorum encomia.

*Sublime regnum Franciæ, ſolium præeminentiæ coruſcans titulis generoſitate, magnanimitate, ac ſtrenuitate, clarius cæteris, & excelſius innoteſcit: ſed dum fidei ſuæ ſolem, devotionis ignem, & ſpeculum operum, quibus præfulget, attendimus, aſpicimus ipſum his tribus luminaribus copioſius radiare, ac exempli fulgorem ad alios effundere potiorem. Claritate quippe ſanguinis rutilat, ſed animi puritate prælucet. Magnum quidem eſt dignitatis honore, ſed geſtorum nobilitate magnificum: conſpicuum, inquam, altitudine ſtatus, ſed præcellentia bonitatis illuſtre. Convenit itaque, ut hoc genus regium tam inſigne, tot utique præeminentiis, & meritis inſignitum, ſingularium privilegiorum inſignium in ſignum præcipuæ benevolentiæ, ac gratiæ ſpecialiter præſignemus, maxime quia ex hoc genere ſuſcepit mater Eccleſia, & ſuſcipit filios benedictionis, & gaudii filios factis & fama pollentes, filios opportuni auxilii & favoris, quia in hoc genere ſuavem delibat dulcorem reverentiæ filialis: quia de hoc haurit continue amœnum innatæ ſinceritatis odorem.*

XLIII. Ne præſules, aut legati Ap. ipſos cenſuris devinciant.

*Hinc eſt igitur quod nos genus ipſum eximio dono gratiæ honorantes, tuis devotis precibus inclinati, auctoritate apoſtolica indulgemus, ut nullus ordinariam juriſdictionem habens, nulluſque Apoſtolicæ ſedis legatus, aut delegatus, vel ſubdelegatus ab eorum aliquo, ſeu executor, aut conſervator a ſede deputatus eadem in tuam, vel chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Margaritæ illuſtris Reginæ Franciæ uxoris tuæ, aut ſucceſſorum tuorum, qui legitime in prædicto Franciæ regno ſuccedent, perſonas, interdicti, vel excommunicationis ſententiam valeat promulgare, ſine ſpeciali ejuſdem ſedis licentia, vel mandato, plenam, & expreſſam faciente de præſentibus mentionem: decernentes hujuſmodi ſententias, ſi contra hoc indultum fuerint, irritas & inanes. Nulli ergo, &c. Datum Neapoli* VII. *kalend. maii anno* I.



XLIV. Aliæ prærogativæ.

(a) Ib. ep. 349.

Adjecta ſunt etiam pontificio regeſto ſex alia diplomata, quibus Regi, uxorique Reginæ, atque iis qui una cum ipſis ſacris concionibus interfuiſſent, indulgentiarum munus impertiit, vetuitque, ne regia ſacella, ejuſve terræ ſine ſingulari a ſede Apoſtolica poteſtate facta interdicto affici poſſent: quæ quidem adducere ad aucupandam brevitatem prætermiſimus. Præterire tamen non potuimus nobile, ac inſigne diploma apoſtolicum, quo Regis collaudata pietate, illaque incredibili qua ſalutis æternæ comparandæ ardebat cupiditate, ob quam ſpretis quibus circumfluebat regiis opibus, in cœleſtium rerum aſſidua contemplatione animum defigebat, nec niſi invitus, ac dignitatis, quam gerebat, munere adactus, ad tractanda humana avocabat, auctoritate Apoſtolica decem dierum indulgentiam impertitus eſt (*a*) iis, qui pro Rege, dum vitam duceret, aut poſt ejus mortem decem annorum ſpatio excurrente, ſuas ad Deum preces, expiata pœnitentiæ ſacramento conſcientia porrexiſſent.

*Chriſti univerſis fidelibus per regnum Franciæ conſtitutis.*

XLV. Teſtimonium Alex. de S. Lud. ut ſpretis humanis divina ſectaretur.

*Chariſſimus in Chriſto filius noſter Franciæ Rex illuſtris, cunctis mundanis opibus animæ commodum præferens, & æternæ vitæ ſolatium gloriæ temporali, de ſalute propria ſolicite meditatur; & quamquam interdum ad alia regni urgente cura mentis convertat intuitum, ad ſalutem tamen toto voto, ſedulaque cogitatione dirigitur, nec unquam poteſt, quantacunque ſæcularium rerum interveniat occupatio, ab hac conſideratione divelli. Propter quod vigil, & anxius ſalutis auxilia petiit, & ut in hoc ſua ſacra deſideria favorabiliter juvaremus, vehementi nos affectione pulſavit: non enim ei eſſe videtur de cultu corporis ingens cura, ſed pro animæ profectibus ſuſpirare cernitur, & ardere: plus namque ſpirituales amat delitias, quam carnales; magiſque animæ quærit, quam corporis apparatum, ne unquam in ipſo poſtponatur carni ſpiritus, ſed ordine directo potius præferatur, neque iſte illi, ſed huic veluti digniori de tamquam ſubdita famuletur.*

Quo ardore ſe piorum precibus commendaret.

*Suis itaque ſalubribus digne annuentes affectibus, quia præcipue de orationibus confidit fidelium, ſpectans firmiter eorum juvari precibus apud Deum, univerſitatem veſtram affectuoſe rogandam duximus, & hortandam, quatenus præclaram ipſius Regis fidem, ac devotionem ſinceram attente penſantes, cum ſua egregia opera in domo Domini quaſi radii ſolares effulgeant, exempli lumen proferentia ſalutaris, pro eo devotis animis ſupplicetis, orationes placidas in conſpectu Altiſſimi offerentes, ut ipſum in bono corroboret, & confirmet, ſtatum ejus adaugeat ſemper in melius, tribuatque ſibi ſic conſtanter per rectitudinis incedere ſemitas, quod poſt decurſum ſalubriter vitæ præſentis ſtadium lætanter ſperatæ quietis bravium comprehendat. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui pro eodem Rege, dum vixerit, ac etiam poſtquam objerit, uſque ad decennium, Deum exoraverint, decem dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat. Neapoli* VII. *kal. maii anno* I.

Conceſſæ indulgentiæ iis, qui pro Rege Franc. preces fuderint.

XLVI.

(b) Ep. 656.

Necdum in Ludovicum, quem auguſtæ virtutes, illuſtriori poſtea in lumine collocatæ, ad ſanctorum honores extulere, exhauſta fuere pontificia beneficia: ut enim ſingulari pietate rerumque divinarum amore æſtuabat, novas ſemper preces Vicario Chriſti ad eliciendum aliquod ſacrum beneficium afferebat. Poſtulavit itaque, ut ſi caſu in locis interdicto ſuppoſitis ageret, ſacris officiis intereſſe ac divinis communicare liceret, cui Alexander morem geſſit (*b*).

Privileg. S. Ludovico conceſſum.

*Tuis ſupplicationibus favorabiliter annuentes, perſonæ tuæ auctoritate præſentium indulgemus, ut ſit te ad loca eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto declinare contigerit, tibi liceat ibidem, clauſis januis, non pulſatis campanis, interdictis & excommunicatis excluſis, audire divina, etiam ſi celebrentur eadem alta voce, dummodo ea audire interdicti & excommunicati non valeant ſupradicti, tuque cauſam non dederis interdicto, nec id tibi contingat ſpecialiter interdici. Nulli, &c. Dat. Anagniæ* II. *kal. octob. anno* I.

XLVII. Eodem beneficio affectus Carolus frater.

(c) Ib. ep. 350. Et Regina Scotiæ.

(d) Ib. ep. 536.

Simili quoque prærogativa Carolum S. Ludovici fratrem Andegaviæ & Provinciæ comitem ad ornandam ejus pietatem, atque ob majorum optime de Eccleſia meritorum ſuaviſſimam memoriam, & commendationem, *quibus*, ut ait, *non tam derivatione ſanguinis quam virtutum propagatione ſuccederet*; complexus eſt Pontifex, (*c*) nimirum, ut tam ipſe quam uxor in locis, quæ ſub interdicto lugerent, vibrandi illius occaſione ab ipſo non injecta, ſacris intereſſe poſſent. Quo etiam beneficio Regina Scotiæ potita eſt. Nec abſimile retulit a Pontifice Richardus Cornubiæ comes, (*d*) ut Minoritam, aſſentiente diœceſano, pro excipienda

ſua,

ſua, ſuorumque exomologeſi ſibi aſciſceret, ni crimen immane adeo eſſet, ut ſedes Apoſtolica adeunda, conſulendaque videretur.

XLVIII. Apoſtolica ſeveritas in Regem Luſitaniæ.

Ut egregiæ ſuperiorum principum virtutes ſingularibus prærogativis, laudibuſque exornari a Chriſti Vicario meruerunt, ita Alphonſus III. Rex Luſitaniæ ob impudicitiæ vitium Apoſtolica cenſura notari meruit. Abjecerat is Boloniæ comitiſſam, quam ante arreptum regnum ut legitimam conjugem coluerat, atque adulterii crimine ſe contaminare non perhorruerat: qua injuria laceſſita comitiſſa a ſede Apoſtolica contendit, ut divortium inter ipſam virumque adulterum pronuntiaret: qua de re Alexander ad Compoſtellanum archiepiſcopum ſcripſit (*a*).

(*a*) Ep. 400.

Literæ ad archiep. Compoſtel. Rex adulterii a Regina accuſatus.

*Archiepiſcopo Compoſtellano.*

*Expoſuit nobis dilecta in Chriſto filia nobilis mulier M. comitiſſa Boloniæ, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Alphonſus illuſtris Rex Portugaliæ vir ſuus cum quadam alia matrimonium de facto manifeſte contraxit, cui damnabiliter adhærere præſumens non erubuit, nec erubeſcit perpetrare adulterium cum eadem. Unde humiliter ſupplicavit, ut providere in hac parte ſibi quoad thori ſeparationem, ut ab ejus videlicet cohabitatione diſcedat, & accipiat & rehabeat dotem ſuam Apoſtolica ſolicitudine curaremus. Quia igitur juſtitiam poſtulantibus deeſſe in ea nec poſſumus, nec debemus, in qua nos omnibus apoſtolatus officium conſtituit debitores, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus eumdem Regem auctoritate noſtra citare procures, ut infra quatuor menſium ſpatium poſt citationem tuam * negocium hujuſmodi contingentibus quod ordo dictaverit rationis. Diem autem citationis, & formam, & quicquid in iis feceris, per tuas nobis literas harum continentes ſeriem ſtudeas fideliter intimare. Dat. Neapoli III. id. maii an. I.*

Conſtituta ei ad judicium dies.

* apud ſedem Ap. compareat accepturus in

XLIX. Alphonſus Rex Caſtellæ Africam bello aggredi meditatur.

Inſtruebat tum in Hiſpania contra Africæ infideles expeditionem Alphonſus alter Caſtellæ ac Legionis Rex, qui ob eximium propagandæ religionis Chriſtianæ ardorem auguſto zelatoris fidei catholicæ elogio inſigniri a Pontifice meruit. Provinciam vero dedit Alexander (*b*) Lupo Marrochitano Epiſcopo, ut Hiſpanos ad profitendam religioſam, accepto crucis ſymbolo, militiam pro concione incitaret, atque eos, qui opes ſuas ad conflanda ſubſidia conferrent, vel arma pro Chriſti gloria augenda capeſſerent, peccatorum venia, quæ a concilio œcumenico profectionem in terram ſanctam ornantibus tribueretur, potituros promulgaret.

(*b*) Ep. 397.

*Lupo Epiſc. Marrochitano A. S. L.*

Literæ ad epiſcop. Marroch.

*Ad regimen univerſalis Eccleſiæ vocati Domino diſponente, circa illa tenemur curam ſolicitam adhibere, per quæ cultus divini nominis valeat augumentari. Sane cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Caſtellæ, ac Legionis illuſtris zelator catholicæ fidei, ac populi Chriſtiani contra Saracenos de Africa inimicos crucis Chriſti, & Chriſtiani nominis, prout ex parte ſua nobis extitit intimatum, per ſe vel vicarium ſuum transfretare intendit cum bellatorum multitudine copioſa. Quia vero eidem Regi ad hujuſmodi negocium eſt auxilium Chriſti fidelium plurimum opportunum, fraternitati tuæ prædicandi in Hiſpania, & Vaſconia per te, ac per alios viros idoneos, quos ad hoc aſſumendos duxeris ſecundum datam tibi a Deo prudentiam verbum crucis, & eam in ſubſidium ipſius Regis contra dictos Sarracenos recipere volentibus per te, ac alios, quos ad hoc elegeris largiendi eadem, & concedendi illis, qui hujuſmodi laborem in perſonis propriis, & expenſis ac eis, qui in perſonis ſuis dumtaxat, & in alienis ſubierint & illis etiam, qui in ſuccurſum dicti Regis, vel ejus vicarii in expenſis propriis mittent idoneos bellatores, auctoritate noſtra illam ſuorum veniam peccatorum, quæ ſubvenientibus & ſuccurrentibus Terræ ſanctæ in generali concilio indulgetur, liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem. Datum Neapoli III. id. maii anno I.*

Lupus epi. Marrochitan. Hiſpanos & Vaſcones crucis ſymbolo inſignire juſſus.

Præmia bello ſacro daturis nomen propoſita.

L.

Ornavit etiam Lupum Pontifex ea poteſtate, quo facilius populos ad conciones, quas pro ſolicitandis in arma ſacra, adverſus Africæ Mahometanos habebat, alliceret, ut indulgentiarum certa præmia iis concederet, qui ad conciones audiendas concurriſſent. Præterea obeundæ in Africa legationis impoſito onere, ut rem Chriſtianam jacentem erigeret, ad omnes, qui ſacris Chriſtianis imbuti in Africa verſabantur, ſcripſit Alexander (*c*), ut Lupum legati apoſtolici dignitate auctum quo par erat honore proſequerentur: *Ipſum*, inquit, *in Africam univerſam ad cultum divini nominis ampliandum, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, ut juxta datam ſibi a Deo prudentiam evellat, & diſſipet, ædificet & plantet, providimus de fratrum noſtrorum conſilio deſtinandum.*

(*c*) Ib. ep. 230.

Legatus in Africa creatus.

LI. Religio in Hiſpania a Rege propagata.

Propagandæ in Hiſpania fidei, excindendæque impiæ ſuperſtitionis Mahometis egregiam naverat operam Caſtellæ Rex, perdomitis enim triumphatiſque hoſtibus Carthaginem, Silvam, ac Pacium Chriſtiano imperio adjunxerat, atque in iis ad populos pietate excolendos tres eccleſias cathedrales excitarat, quarum diœceſeon limites cum nondum definiti eſſent, nec qui antiquitus fuiſſent memoria ulla extaret, cum jam tot ſæculis, infelicibus iis terris Mahometica ſuperſti-



ſtitio incubuiſſet, Pontifex Lupo, de quo ſupra, epiſcopo his literis (*a*) munus injunxit, ut excitis iis, ad quos de finibus epiſcopatuum ſpectaret, pro ſua prudentia eos circumſcriberet.

(*a*) Ep. 703.

*Literæ ad Epiſcopum Marrochit. A. S. L.*

Tres epiſcopales eccleſiæ conditæ.

*Cum cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Caſtellæ, & Legionis illuſtris in terris per eum, & progenitores ſuos recuperatis de Sarracenorum manibus tres, videlicet Carthaginenſem, Silvenſem, & Pacenſem eccleſias erexerit cathedrales, & quia de limitatione diœc. earumdem pro eo quod diutius fuerunt a Sarracenis detentæ, non poteſt ſcripto, vel teſtimonio edoceri, ne hac occaſione diœceſes ipſæ remaneant indiſtinctæ, vocatis omnibus, quorum intereſt, limitandi eas, de conſilio peritorum; ac compeſcendi contradictores per cenſuras eccleſiaſticas plenariam tibi concedimus auctoritate præſentium facultatem.*

Præterea Alexander illi provinciam commiſit, ut in iis locis, quæ Caſtellæ ac Legionis Rex ex hoſtium manibus ac poteſtate vindicaret, epiſcopos præficere poſſet ad novas eas eccleſias moderandas, populoſque Chriſtiana religione imbuendos, aliaque id genus ad divinam gloriam ſpectantia impoſuit (*b*). Efflореſcebat porro Hiſpali in dies Chriſtiana religio, ac plures exuta Mahometica ſuperſtitione ad Chriſtum transfugerant: ad cujus eccleſiæ dignitatem tuendam Alexander Philippo electo recipiendarum a neophytis decimarum poteſtatem contulit (*c*).

(*b*) Ep. 726.

Amplificata inter Hiſpalenſes fides.

(*c*) Id. ep. 89.

LII. Alphonſus rem literariam in regno reſtituit. Salamantina academia locupletata.

Ad cumulandas Regis Caſtellæ laudes addimus, illum ita armorum gloria effloruiſſe, ut etiam augendæ amplificandæque rei literariæ animum applicaret. In publicis enim præſulum totiuſque nobilitatis comitiis ad Salamanticenſem academiam ſtabiliendam ampliſſima ſtipendia profeſſoribus conſtituit (*d*), cujus propterea liberalitatem, ſapientiamque commendavit Pontifex, ut cum militaris ars ac literarum ſtudia conjuncta ſemper eximio fœdere extiterint, ipſe in Hiſpania, quæ tot egregios bellatores ferret, nobilem academiam inſtituiſſet, ut literis quoque viros conſpicuos parere atque alere poſſet: *Quia*, inquit, *ubi erat ſtrenua & electa militia, ibi ſolemne ac celebre ſtudium habebatur, excellentiæ tuæ profecto intererat regnum tuum ornare ſcientia, quod militari ſtrenuitate dignoſcitur decorari.*

(*d*) Ib. ep. 692.

Confirmata ab Alexand.

Adjunctum quoque aliud in regeſto pontificio diploma, quo, egregio Regis collaudato condendæ academiæ ſtudio, cum non minus regna literis quam armis efflореſcere ſoleant, Salamanticenſem academiam apoſtolica auctoritate confirmavit, (*e*) conceſſitque (*f*) ut omnes, exceptis regularibus, triennio, juri civili operam navare poſſent. Eam vero academiam decoraturus Pontifex, eo illam privilegio inſtruxit (*g*), ut qui in ea doctoratus, poſt ſcientiam examine diligenti excuſſam probatamque, laurea donati fuiſſent, in aliis academiis, Bononienſi Pariſienſique exceptis, profeſſorum munere perfungi poſſent.

(*e*) Ep. 281.

(*f*) Ep. 692.

(*g*) Ep. 653.

Privilegiis exornata.

LIII. Alphonſus repetit ducatum Sueviæ.

Explicuit etiam erga Alphonſum Alexander ſuum ſtudium, ut ducatum Sueviæ, quem maternæ hereditatis titulo ad ſe ſpectare contendebat, obtineret: cum enim oratores ad ſua repetenda jura in Sueviam mittere deliberaret, literas apoſtolicas ad præſules ac proceres Suevos dedit (*b*), quibus hortatus eſt, ut regiis oratoribus ad recuperandam Sueviam conſilio, & opera adeſſent: *Cum, ſicut intelleximus, idem Rex, ad acquirendum ducatum Sueviæ, & quædam alia jura ſibi in illis partibus ex materna ſucceſſione competentia, ea quæ convenit circumſpectione, & potentia deſideranter intendat, nos veſtrum in hoc procurari honorem, & ejuſdem ducatus ſtatum proſperum attendentes, devotionem veſtram rogamus, & hortamur, attente vobis per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus dicto Regi, & ejus nunciis ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram, in eiſdem ducatu & juribus obtinendis, potenter & patenter pro juribus aſſiſtentes, eis in tam utilis vobis & ipſi ducatui proſecutione negotii fidele conſilium, & efficax auxilium impendatis. Ita quod idem Rex veſtræ potentiæ ope fultus obtinere valeat quod intendit, & vos eos, qui Eccleſiam diligunt, per effectum operis diligere comprobantes, noſtram uberius exinde mereamini gratiam, & favorem. Dat. Neap. 2. non. febr. anno I.*

(*b*) Ib. ep. 127.

Incitati Suevi ut Regi faveant.

Hæſere Suevi adverſus Alphonſum Conradino, cum jura in eum principatum ampliſſima obtineret, quæ illi etiam anno ſuperiore ab Innocentio IV. una cum regno Hieroſolymitano fuerant confirmata.

Conradino adhærent.

LIV. Friſii a Will. Rege Rom. perdomiti.

Delapſi ad res Germanicas non prætérimus triumphaſſe Willelmum Romanorum Regem de Friſiis perduellibus, qui ipſius potentiæ terrore adacti jugum accepere, ut victori gratulatur Pontifex (*i*): *Accepimus*, inquit, *homines de partibus Friſiæ, quos diu contumaces habueras, & rebelles, ſe ut tenentur tuo dominio ſubmittentes, decimas omnium poſſeſſionum ſuarum, de quibus eas aliquis hactenus non percepit, tibi ac tuis heredibus in tuo comitatu Hollandiæ, in perpetuum conceſſerunt, &c.* permiſit victori Alexander, ut iis decimis quinquennio potiretur ea lege, ut eo elapſo dominis, ad quos ſpectarent, reſtituerentur, quibus literis pridie kalen. octob. dies adſcripta eſt.

(*i*) Ib. ep. 646.

Belli cauſæ.

Non diu partis Willelmo potiri licuit: inſtructa enim proditione Friſii, qui impreſ-

ſum

ſum cervicibus jugum iniquius ferebant, anno ſequenti Willelmo mortem intulere; unde Germania in bella civilia, e quibus emerſiſſe videbatur, iterum conjecta eſt.

LV. Colonien. archiepiſcop. attritus.

Interea attritus adeo erat Colonienſis archiepiſcopatus ex præteriti belli cladibus, quas comes e Monte, & Waleranus comitis Juliacenſis frater, nonnullique alii fœdere juncti, archiepiſcopi ditioni intulere, ut ſanctimoniales direptis monaſteriis vagari, ſacerdotes & monachi ad penuriam redacti ſolum vertere cogerentur. Obſoleſcente itaque divino cultu atque aliis ingentibus malis ſuborientibus, Pontifex reſtituendæ religionis zelo accenſus provinciam dedit ſcholaſtico (*a*) Argentinenſi, ut re explorata, hoſce proceres, incuſſo ſolemni ritu anathemate, bello abſiſtere juberet.

(*a*) *Ep.* 597. Incuſſæ rebellibus cenſuræ.

LVI. Boleſlaus dux Cracovien. eccleſiam juribus auget.

Dum hi principes Colonienſem eccleſiam ſpoliare moliuntur, ornavit pulchriori exemplo Cracovienſem eccleſiam amplis opibus, & prærogativis hoc anno Boleſlaus Cracoviæ & Sandomiriæ dux, ad augendum B. Staniſlai martyris decus, Regiſque Boleſlai facinus expiandum, annitente Salomea ſorore, quæ cæſo viro Colomano Rege Galatiæ, cum quo virginitatem coluerat, ſanctimonialibus nomen dederat; tum ob eximia officia, quibus Prandothas epiſcopus, & clerus Cracovienſis illum complectebatur, de quo inſigne diploma ducale ſubiicimus. (*b*)

(*b*) *Ext. apud Alex. l.* 1. *pag.* 140.

*In nomine Domini. Amen. Quoniam, ut ait auctoritas, omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur, ne mortalium geſta celebri, & perpetua ſemper digna memoria temporum decurſu queant in dubium adduci, & eorumdem mutabilitate ambiguitatis diſcrimen in poſterum aliquatenus poſſint pati, operæ pretium eſt ea, quæ hujuſcemodi ſunt, teſtimonio & expreſſione teſtium perennari. Hinc eſt quod nos Boleſlaus Dei gratia Cracoviæ, & Sandomeriæ dux, per oppoſitum gerere nos volentes Boleſlao quondam Polonorum Regi reo mortis, & ſanguinis præclari martyris, & pontificis Staniſlai, & animadvertentes quomodo in ſuis mirabilis Deus ſanctis miris virtutum prodigiis dignatus eſt eundem mirificare pluſquam admirabiliter ſanctum ſuum; & ideo cupientes ipſum honorare in terris, quem Deus glorificavit in cœlis, pro remedio felicis animæ patris noſtri claræ memoriæ Cracoviæ, & Sandomeriæ ducis Leztconis, & incolumitate generoſæ noſtræ genitricis duciſſæ Grimizlavæ, & noſtra, & ingenuæ conſortis noſtræ Cungundis præcordialis filiæ Regis inclyti Ungarorum, intuitu beneficiorum, & ſervitiorum, quæ nobis venerabilis in Chriſto pater dominus Prandotha epiſcopus, & capitulum Cracovienſe impenderunt, & ſunt in futurum auctore Domino præſtituri; omnes villas capituli Cracovienſis eccleſiæ, cui memoratus ſanctus, dum adhuc ipſe vita potiretur præſenti, præſedit in eadem pontificali officio dignitate functus, interventu venerabilis ſponſæ Chriſti germanæ ſororis, videlicet Salomeæ quondam Galatiæ Reginæ plena in perpetuum gaudere concedimus libertate: idem ex noſtra devotione rationis arbitrio decernentes, ut omnes liberi homines capituli ſupradicti prædictarum coloni, & inhabitatores villarum, eam libertatem habeant, quæ aſcriptitiis ſacræ Cracovienſis ſedis indulta eſſe dignoſcitur ab antiquo, & per nos poſtmodum roborata. Qui utpote liberi homines capituli ſupradicti, a noſtro, & noſtrorum poſterorum, & palatinorum, & caſtellanorum, & quorumlibet judicum aliorum, præſentium & futurorum, judiciis penitus in perpetuum ſint immunes, & prorſus liberi, a Stroſa, & Stam, & Povoz, & aliis ſervitutibus, & ſolutionibus ordinariis, & extraordinariis, quocunque eædem nomine cenſeantur, Prevod militari excepto, quos volumus dominorum ſuorum dumtaxat utilitatibus, & ſervitiis perpetuo mancipari. Dat. in Cracov. per manus fratris Bartholomæi Ordinis Minorum mediatoris inter nos ex una parte, & capitulum Cracovienſe ex altera parte, anno ab incarnatione Domini MCCLV. indictione* XIII. XV. *kal. junii; & poſtmodum confirmatum, & publicatum in colloquio habito apud Baſonam eodem anno Domini non. ſept.* Confirmata ſunt hæc ſequenti anno Alexandri IV. auctoritate, cujus eo argumento ad epiſcopum, & clerum Cracovienſem extant literæ (*c*).

Refert honores S. Staniſlao pro illatis olim ei injuriis.

Inductus ad id a Salomea Regina.

Immunitates Cracovienſi Eccleſiæ concedit.

(*c*) *Alex. an.* 2. *ep.* 109.

LVII. Rex Lituaniæ poſcit ab Alex. ut filium Regem inungi jubeat.

Flagitavit ab Alexandro Lectoviæ Rex, ut filium regia inunctione auctoritate apoſtolica liniri præciperet. Ac Pontifex, ut ipſius ſtudium erga Eccleſiam, cui diſcuſſis ethnicorum erroribus ſe aggregarat, aleret, conceſſit, (*d*) ut præſulem catholicum ad regia illi ornamenta conferenda evocaret.

(*d*) *Ep.* 220. Alex. literæ ad Reg. Lituaniæ.

*Illuſtri Regi Lectoviæ.*

*Catholicæ fidei cultum longius, latiuſque per orbem diffundi continue ſuper omnia cordis noſtri deſiderabilia cupientes, ad ejuſdem augumentum fidei vigili, ſedulaque ſolertia non ceſſamus intendere, ac ut juxta noſtri deſiderii plenitudinem valeat provenire, totius diligentiæ ſtudium, excuſſo in hac parte cujuſlibet negligentiæ otio, adhibemus, augumentum ipſum per nos, ac alios omni ope, ac opera, prout ex alto conceditur, aſſidue procurando. Hinc eſt quod cum, ſicut te intimante nobis, accepimus, tu divinitus inſpiratus de paganicæ cæcitatis errore ad viam vitæ, quæ Chriſtus eſt, baptiſmatis renatus unda redieris, & Deo vivo ac vero placere ſtudeas ſub religionis obſervantia Chriſtianæ, nos de hoc multo concepto gaudio volentes te*



*te in hujus fide congruis roborare favoribus, & condignis gratiis confovere, tuis ſupplicationibus inclinati, excellentiæ tuæ, ut quem malueris Latinum epiſcopum pacem, & communionem Apoſtolicæ ſedis habentem, tibi advocare liceat, qui dilectum filium nobilem virum natum tuum ad honorem Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in Regem Lectoviæ auctoritate noſtra coronet, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c. Dat. Neapoli* 2. *non. martii anno* I.

Annuit ejus precibus Pont.

LVIII. Cumulata hæc beneficia aliis: Ruſſia enim nondum fide colluſtrata, illi attributa eſt, ut ſacro nimirum eam bello ſibi ſubiiceret: *Cum* (*a*) *ſicut ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, tu contra regnum Ruſſiæ ipſiuſque habitatores in infidelitatis devio conſtitutos, indefeſſa ſtrenuitate decertans, nonnullas terras ipſius regni tuæ ſubjugaveris ditioni, nos attendentes, quod te terras habente prædictas, vicinæ paganorum, & infidelium regiones de facili poterunt tuo dominio ſubiici, & acquiri cultui Chriſtiano, tuis benigne precibus annuentes præfatas terras tibi tuiſque ſucceſſoribus abſque catholicorum quorumlibet præjudicio auctoritate apoſtolica confirmamus. Dat. Neapoli* 2. *non. martii anno* I.

(*a*) *Alex. l.* 1 *ep.* 221. Ruſſia Regi Lituaniæ attributa.

In eam vero adducor opinionem Lectoviæ Regem, qui ſuperſtitione exuta Chriſtianorum numero nomen adſcripſit, eundem fuiſſe ac Lituaniæ (quam vulgo Littaw appellant: quo etiam nomine uſum Pontificem reperimus) Andreæ Theutonici ordinis magiſtri opera baptiſmo initiatum, regioque diademate exornatum tradit hoc anno Funcius, (*b*) quem ipſe Mandavum, Longinus, (*c*) Michovias, (*d*) & Guagninus (*e*) Mendog, Chromerus (*f*) Mendocum appellarunt: quibus addit Longinus cruciferorum induſtria ex duce in Regem ſummi Pontificis auctoritate evectum, carpitque auctor, ac perſtringit avaritiæ cruciferos ſupremum Lituaniæ ac Samogitiæ dominatum ex eo affectaſſe, & in ſe ab eo transfuſum prætendiſſe. At qui propagandæ fidei ſpecimen præ ſe tulerat, brevi a pietate defecit, atque arma in Chriſtianos vertit, ut ſcribit Michovias: *Ann. Dom. MCCLV. Mendog dux Lituaniæ in Regem Lituaniæ, ut præmiſſum eſt, ſublimatus, oppido Lublin exuſto, prædas & ſpolia in circuitu ejus plurima fecit, & plurimos captivos in Lituaniam abduxit;* quibus conſentanea tradit Chromerus: additque paulo ante hanc defectionem pontificio juſſu a Rigenſi archiepiſcopo & epiſcopo Culmenſi diademate cinctum fuiſſe.

Quis fuerit is Rex Lectoviæ.

(*b*) *Funcius apud Novatores centur.* 13. *c.* 13. *col.* 730.
(*c*) *Long. hiſt. Pol. l.* 7.
(*d*) *Guagnin. Veron. in hiſt. duc. Lituan.*
(*e*) *Michov. l.* 3. *c.* 54.
(*f*) *Chrom. l.* 9.

Deſceſſit a fide.

LIX. In eum Pont. Sacrum bellum promulgat.

Audita Lituanorum, Jaczwingorum, aliorumque infidelium in Poloniam irruptione, Alexander Papa victricia crucis ſigna expandi, populoſque ad religioſam militiam convocari juſſit. Perſonuit igitur ſacrum claſſicum, ad paganos debellandos, Eccleſiæque ſubiiciendos, in Polonia, Bohemia, Moravia, Auſtria, munuſque accendendi in arma Chriſtiani populi, inter cæteros commiſſum Bartholomæo Bohemo Minoritæ, viro ingentis exiſtimationis, atque ſacra eloquentia florentiſſimo. Probant hæc literæ (*g*) Pontificiæ Anagniæ exaratæ.

(*g*) *Lib.* 1. *ep.* 564.

*Fratri Bartholomæo de Bohemia Ordinis Fratrum Minorum*

*Nuper ad audientiam noſtram pervenit, quod Lituani, & Jentuiſones ac nonnulli alii ethnici, qui Romanam Eccleſiam numquam matrem ſuæ profeſſione fidei agnoverunt, vires exacuunt contra ipſam, dum iidem Chriſtianorum finitimas, videlicet Poloniam, & quaſdam alias vicinas provincias hoſtiliter invadentes, multos ex populo Chriſtiano morti, & infinitos captivitati dederunt, non parcendo ſexui vel ætati; & nec adhuc fidelium ſaturati cruore, ad impugnandum cum aliis paganis, & infidelibus Poloniam, & regiones finitimas, conflatis in unum viribus ſe accingunt: propter quod nos gravi dolore confodimur, & ſuper tanta ſtrage fidelium paterno compatientes affectu, remedia, per quæ tantis obvietur periculis, ſolicite cogitamus. Nos igitur de circumſpectione tua, nobis a pluribus & in pluribus commendata, plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus tam per te, quam per fratres tui ordinis, quos ad hoc idoneos eſſe cognoveris, in Polonia, Bohemia, Moravia, & Auſtria contra prædictos paganos prædices, & prædicari facias verbum crucis, conceſſa per nos auctoritate noſtra illis Chriſtianis earundem partium, qui contra infideles eoſdem crucis aſſumpto ſignaculo ſe duxerint accingendos, ſuorum venia peccatorum, quæ dari conſuevit euntibus in ſubſidium Terræ ſanctæ. Datum Anagniæ* VIII. *id. auguſti ann.* I.

Irruptiones in Polonia.

Ut vero Bartholomæus æſtuabat egregio promovendæ divinæ gloriæ, fideique limitum latius proferendorum zelo, adjecta illi provincia eſt, (*h*) ut eos omnes cenſuris percelleret, qui tantum opus diſturbare, vel obicem ac moram obiicere molirentur.

(*h*) *Ep.* 309.

LX. Pari zelo (*i*) accenſi ſunt præſules ſeptentrionales, ut fideles ad ſacra arma ad edomandos impios expedienda concitarent; præſtoque fuit laboranti Pruſſiæ, ac Poloniæ Primiſlaus, ſive Othocarus Bohemiæ Rex, cujus virtute amplificati latius religionis Chriſtianæ fines: cum enim inducias cum Bela Ungariæ Rege pepigiſſet, ſacræ cruceſignatorum militiæ, Opiſonis abbatis in Polonia, Pruſſiaque A. S. nuncii opera, adſcriptus; incitatiſque earum regionum exemplo ſuo principibus, florentiſſimo ſuccinctus exercitu, ac Brunone Pragenſi epiſcopo, aliiſque præ-

(*i*) *Reg. poſt eand. ep.* 564. Othocarus Rex Bohem. in eos ſigna attollit.

Infideles protriti. Sambienſes ad baptiſmalia ſacra adacti. Arces excitatæ. Lituani Sambienſes affligunt.

præſulibus ſecum adductis in Pruſſiam ſeſe infudit: ac verſis ſui terrore in fugam Prutenis paganis, Sambienſes ad deditionem compulſos, atque a Brunone ſacris baptiſmi initiatos ſuo nomine donavit. Excitata etiam duo nobiliſſima, ac munitiſſima oppida, Regius mons ſcilicet ad mare Balticum, Brunsbergumque tum ad rei geſtæ conſecrandam poſteris memoriam, tum ad paganorum impetus ſuſtinendos, propulſandoſque. Nec fruſtra initum conſilium, ubi enim Chriſtianus exercitus reportatis triumphis decorus abſceſſit, mox hoſtis furore in Sambienſes percitus, quod deditionem feciſſent, ferro flammaque graſſari cœperunt. De quibus pluribus Longinus, (a) Michovias, (b) Chromerus, (c) Dubravius, aliique agunt.

(a) *Long. l. 7. hoc ann.*
(b) *Michov. l. 3. c. 54.*
(c) *Dubrav. hiſt. Bohem. l. 1.*

LXI.

At ubi Othocarus inaudiit Sambienſes, qui ipſius armis ad Chriſtiana ſacra adacti fuerant, a barbaris pietatis odio crudeliſſime divexatos, iterum crucis ſymbolum induit, quem Romanus Pontifex ad fidem fortiter defendendam excitavit hiſce literis, quas nos ex ingenti volumine M. S. archæi Vaticani inſcripto Formular. Marini Ebuli (d) una (e) cum aliis pluribus, ſuis locis ad hiſtoriam illuſtrandam afferendis, deſcripſimus.

(d) *Chrom. l. 9.*
(e) *Formul. Mar. Ebul. pag. 22.*

Pontificiæ de his literæ.

*Illuſtri Regi Bohemiæ.*

*Regis æterni benignitas magnitudinem ſuæ gratiæ circa te multipliciter noſcitur effudiſſe, ſed in eo potiſſimum, quod in te in piis operibus reddidit ſtudioſum: ex quibus datur plenitudo fiduciæ, quod tu in præſenti vita regia dignitate præfulgens, & copioſus in proſperis, tandem cœleſtis coronæ gloriam apud ipſius Regis clementiam conſequeris, tuo claro nomine ob illam tamen in multis partibus interim relucente, quod tu olim pro fide catholica, in Pruſciæ partibus ad honorem divini nominis magnifice promovenda, crucis aſſumpto ſignaculo, illuc perſonaliter cum magna, & famoſa bellatorum multitudine proceſſiſti, paganos in terra Sambiæ conſtitutos conterendo taliter virtute tui brachii, quod ipſam per Dei gratiam Chriſtiano dominio ſubjugaſti. Proceſſu vero temporis tu pie conſiderans, quod ex multiplicato ſtudio beatorum operum major proveniat cumulus præmiorum perennium, denuo crucis characterem tuis humeris affixiſti, ut divinæ tibi ſuffragante potentia majeſtatis fideles Chriſti defendas a diſcrimine, quod eis poſſet per ſævitiam paganorum, aut aliorum infidelium imminere.*

De Sambienſibus debellatis.

De ſecunda Othocari expeditione pro iis ſuſcepta.

*De tanta ſiquidem tuorum excellentia meritorum nos in Domino multa jucunditate perfuſi ſerenitatem tuam affectuoſe rogandam duximus & monendam, in remiſſionem tibi pecccatorum injungentes, quatenus delicioſum tibi conſtituens, quod ſemper fervens, & ſtabilis in iis, quæ Deo ſunt placita, & opportuna ſaluti fidelium, habearis, dilectis filiis fratribus hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum, quorum plurimi pro defenſione fidei catholicæ per manus infidelium in ejuſdem Pruſſiæ partibus denuo crudeliſſime ſunt occiſi, reliqua parte ipſorum mortis periculum habente præ oculis propter obſidionem duriſſimam, quam ſuſtinent a paganis, dextra triumphali ſine dilatione ſubvenias, & tui laboris priſtini fructum amœniſſimum de paganorum ipſorum ſpurcida poteſtate reſumas; ita quod & nos, qui te filium benedictionis gratiæ paterna in Domino ſinceritate diligimus, ad ea, per quæ tibi ſecundum Deum honoris, & proſperitatis augmentum provenire valeant, eſſe promptiſſimi gaudeamus, & pietatis regnantis in ſæcula Domini Jeſu Chriſti, qui affectum placendi ac ſerviendi ſibi dignanter tibi contulit, poſt decurſum feliciter præſentis vitæ ſpatium te clementer aggreget collegio principium ſupernorum.*

Apoſtolicæ adhortationes.

LXII.

Adjunctæ tum Chriſti imperio fuere Wathlandia, Ingria, & Carelia abjectis ſuperſtitionibus, quibus addictæ fuerant. Ad quarum provinciarum infideles Chriſtianis ſacris imbuendos, ac religionem conſtabiliendam Alexander archiepiſcopo Rigenſi (f) contulit auctoritatem, ut epiſcopum illis præficeret.

Provinciæ ad Chriſti fidem traductæ.
(f) *Lib. 1. ep. 543.*

Lit. ad Archiep. Rigen. De ſacris baptiſmalibus barbaris impertiendis.

*Ex parte tua fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum pagani Vvathlandiæ, Ingriæ, & Careliæ tuæ provinciæ inſpirante illo, qui omnem hominem in hunc mundum illuminat venientem, apertis intelligentiæ oculis idolorum cultu relicto baptiſmi velint ſuſcipere ſacramentum præficiendi eis, poſtquam baptizati fuerint, aliquem virum ad hoc idoneum in epiſcopum, & paſtorem, qui eos verbis & exemplis ſalutaribus inſtruens animas lucrifaciat eorumdem; maxime cum iidem pagani id a te, ſicut aſſeris, inſtanter expoſcant, licentiam tibi concedere curaremus. De tua itaque circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, licentiam tibi auctoritate præſentium poſtulatam concedimus ſine juris præjudicio alieni. Datum Anagniæ III. non. auguſti anno I.*

LIII.

Demandatæ etiam eidem archiepiſcopo partes (g) ut infideles, quos Otho e Luneborch, & Tidericus e Kivel egregii Chriſti athletæ ſervire numini coegerant, baptiſmalibus ſacris luſtraret, iiſque epiſcopum daret, cum ab iiſdem proceribus eccleſia excitata, juſtiſque locupletata vectigalibus fuiſſet.

(g) *Ep. 294.*

Inſignes religionis athletæ.

*Cum, ſicut dilecti filii nobiles viri Otho de Luneborch, & Tydericus de Kivel fratres Rigenſis & Revalienſis diœceſis, eccleſiæ Romanæ devoti, ſua nobis petitione monſtrarunt, iidem non modicam paganorum multitudinem ipſorum terræ vicinam adeo induxerint, ut ipſi pagani,*



*apertis intelligentiæ oculis, velint & cupiant ad Chriſtianæ fidei notitiam pervenire, nos vota ipſorum in hac parte favorabiliter proſequi delectantes, mandamus quatenus, ſi eſt ita, præfatos paganos ad eandem fidem auctoritate noſtra recipere non omittas, præficiens eis poſtmodum, poſtquam locum ad conſtruendam epiſcopalem eccleſiam deputarint, ac ipſum de bonis propriis dotaverint competenter, nihilominus aliquam perſonam idoneam abſque præjudicio juris alieni, & præcipue dilectorum filiorum magiſtri & fratrum hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum in Livonia, & Pruſſia, ſi expedire videris, in epiſcopum, & paſtorem. Dat. Neapol. XIV. kal. april. anno. I.*

LXIV.

Riga archiepiſcopali ſede decorata.

Excitata erat recenter ab Alexandro Rigenſis eccleſia ad archiepiſcopalis dignitatis decus, cum in ea archiepiſcopus Livoniæ, Eſtoniæ, & Pruſſiæ ſtabiles ſedes Innocentii IV. auctoritate defixiſſet. De quo ſubjectum diploma a Pontifice exaratum (a).

(a) *Ib. ep. 342.*

Lit. ad archiep. Rigen.

*Archiepiſcopo Rigenſi.*

*Primatuum cathedras, & apicem cujuſlibet eccleſiaſticæ dignitatis, privilegio ſibi divinitus tradito, Eccleſia Romana conſtituit, quam ſolus ille fundavit, ac ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni ſimul commiſit, & cœleſtis imperii moderamen. Hinc eſt quod apud ſanctam ſedem Apoſtolicam horum ſpectatur origo, eorumque diſpenſantur inſignia, de cujus plenitudine omnes accipiunt, ejuſque ſpeciali munere, quod ratio perſonæ, aut temporis, loci, vel cauſæ interdum poſtulat, aſſequuntur. Sane cum ſicut tua nobis, & ſuffraganeorum tuorum inſinuatio patefecit, olim in certa eccleſia metropoliticam non habens ſedem, Livoniæ, Eſtoniæ, ac Pruſſiæ archiepiſcopus vocareris, felicis record. Innocentius Papa prædeceſſor noſter tibi, ne præſidalis honor vacillare per indeterminationem loci quodammodo videretur, aut inſigne capitis nomen generali corporis appellatione confundi, ut in quacumque velles eccleſia cathedrali lege tibi metropolitana ſubjecta, eandem poſſes ſedem, cum hujuſmodi eccleſiam paſtore vacare contingeret, collocare, per ſuas ſub certa forma literas, de tua in Domino confidens circumſpectione, conceſſit. Porro Rigenſi eccleſia cathedrali, quæ tibi prædicta ſuberat lege, poſtmodum paſtore vacante, tu in ea metropolitanam ſedem literarum auctoritate hujuſmodi, prout ex ipſarum beneficio poteras de conſenſu omnium, quorum intererat, deliberatione provida ſtatuiſti, ut inde appellationis nomen metropoliticæ dignitas, & provincia ſortiretur, tuque ac ſucceſſores tui certo gaudeatis principalis domicilio manſionis. Tuis igitur, & eorundem ſuffraganeorum precibus inclinati, quod a te in hac parte provide factum eſt, ratum & firmum habentes, illud auctoritate apoſtolica confirmamus, &c. jure Romanæ Eccleſiæ, ac dilectorum filiorum magiſtri, & fratrum hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum in omnibus, & per omnia ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Dat. Neap. XIII. kal. febr. anno I.*

Livoniæ archiep. olim inſtabiles ſedes.

Ut Riga Metropolis fuerit conſtituta.

LXV.

In Pomerania hoc anno Jacobi e Trecis Leodienſis archidiaconi Apoſt. ſedis legati opera bellum atrox, quod Swantopelkum, & Cruciferos diu exercuerat, extinctum refert Longinus (b): *Jacobus*, inquit, *archidiaconus Leodienſis Apoſtolicus nuncius & legatus, qui in Romanum Pontificem poſtea promotus Urbanus IV. vocabatur, in Pruſſiam veniens atrox bellum undecim annis inter Svvantopelkonem Pomeraniæ ducem, & Cruciferos fratres geſtum intercipit, & per æquas conditiones pacem perpetuam ordinat, quæ a parte utraque fuit deinceps & cuſtodita, & ſervata.*

(b) *Longin. hiſt. Pol. l. 7. hoc an.*

Sopitum Jacobi legati opera bellum.

LXVI.

Geſta a Jacobo tanta felicitate legatione ſeptentrionali, Pontifex auguſtiorem aliam in oriente illi demandare decrevit: (c) *Tibi, quem carum habemus, tuorum exigentia meritorum, plenæ legationis officium tam in provincia Jeroſolymitana, quam etiam in exercitu Chriſtiano, ubicunque pro ſubſidio Terræ ſanctæ in dicta provincia fueris, de fratrum noſtrorum conſilio duximus committendum: firmam ſpem, fiduciamque tenentes, ut cum ſemper dilexeris juſtitiam, & iniquitatem oderis, tibique præſto ſit judicium rationis, recta reges, & diriges indirecta, aſperaque convertes in plana.* Et infra: *Si vero alium legatum de latere noſtro ad partes illas deſtinari contigerit, volumus, ut ob præfatæ Sedis reverentiam non exequaris præmiſſæ legationis officium, eodem legato inibi exiſtente. Dat. Later. VII. id. decemb. anno I.*

Alia illi legatio in Oriente demandata.
(c) *Ep. 110.*

Si alius legatus acceſſerit abrogata hæc auctoritas.

Scripſit (d) ea de re ad orientales Alexander, quos legatum meritis officiis proſequi, operamque ſuam in ea terra divino cruore conſecrata defendenda cum ipſo conjungere juſſit.

(d) *Ep. 767.*

Syri Jacobo patriarchæ parere juſſi.

*Venerabili fratri noſtro patriarchæ Jeroſolymitano, viro utique morum honeſtate conſpicuo, literarum ſcientia prædito, & providentia circumſpecto, quem carum habemus ſuorum exigentia meritorum, plenæ legationis officium tam in provincia Jeroſolymitana, quam etiam in exercitu Chriſtiano, ubicumque pro ſubſidio Terræ ſanctæ in dicta provincia fuerit, de fratrum noſtrorum conſilio duximus committendum; ſpe nobis firma propoſita quod, cum ei adſit puritas conſcientiæ, & præſto ſit judicium rationis, malitiam odiat, & innocentiam tueatur, quod recta regens, & dirigens indirecta, aſpera convertet in plana. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſto-*

*ſtolica ſcripta mandamus, & diſtricte præcipimus, quatenus ipſum ſicut Apoſtolicæ ſedis legatum, immo verius nos in ipſo ſtudeatis devote recipere, ac honorifice pertractare; ſibique favorabiliter, ac fideliter aſſiſtentes, ipſius ſalubria monita, & mandata recipiatis. Dat. Laterani* VII. *id. decembris anno* I.

LXVII. Lugubris Syriæ ſtatus.

Quod ad rem Chriſtianam in Syria ſpectat; exiguæ præteritis bellis attritæ fidelium ſupererant reliquiæ, quæ etiam undique innumeris periculis circumfuſæ ſpe extrema pendere videbantur: non enim modo Coraſmini, ac Turquemanni, Deo ſcelera Chriſtiani populi in iis regionibus arcano conſilio ulciſcente, horrendas clades intulerant, verum etiam Saraceni, viribus opibuſque florentes, cum exiguum Chriſtianorum numerum contemnerent, in ſpem totius potiundæ regionis elati, inducias pacemve inire aſpernabantur; cum probe noſſent eos a quibus ſubmittenda contrahendaque auxilia forent, vaſtiſſimo terrarum intervallo ſubmotos eſſe, ac ſi Chriſtianus exercitus eo advolaret, breviſſimo tempore ſparſum, ac diſſipatum iri. Quare Terræ ſanctæ proceres agitato ad Sarracenos propulſandos conſilio, cenſuerunt prompto atque expedito ſtipendiariorum exercitu opus eſſe, ita ut cum aliqui ex iis deſiderati eſſent, alii mox ſupplemento accederent: quare Alexandrum rogavere, ut principes Chriſtianos ad opes ſuas, pro ſumptibus iis bellicis tolerandis, alendoque, ac ſuſtentando milite conferendas incitaret. Pontifex igitur Terræ ſanctæ calamitatibus permotus, ut optimum ſubmiſſum ſibi conſilium in opus perduceret, Caſtellæ, ac Legionis Regi lugubrem Syriæ ſtatum ob oculos propoſuit, (a) ac ſolicitavit, ut liberalitatem ſuam ad eas ſuſtinendas copias, quæ ſemper ad provolandum in hoſtem paratæ forent, explicaret, ſuoque exemplo alios ad id perficiendum commoveret.

(a) *Lib.* 1. *ep.* 344.

*Regi Caſtellæ illuſtri.*

LXVIII. Literis ad Caſtel. Regem deſcribitur ab Alexandro.

*Terræ Jeroſolymitanæ periculoſa neceſſitas, & ejus conditio miſeranda in diſcrimina graviora proclivis jugi ſolicitudinis ſtimulo cor noſtrum exulcerat, mentem pulſat, vigilantiam excitat, & ſilere non patitur, nec quieſcere zelum noſtrum. Ingerit ſiquidem piis ſenſibus gemitum, & mœrorem inducit aſſiduum multiplicata contritio, continuata vexatio, & deſolatio frequentata, quam illius regionis fideles populi uſque ad extremæ virtutis articulum ſuſtulerunt, qui a tribulatione malorum, & laborum dolore multiplici pauci facti, hoſtiles infidelium impetus ulterius nequeunt propriis viribus ſuſtinere. Ideoque faciem quaſi poſt tergum ad conſortes Chriſtianæ fidei convertentes, eos ut in ſupportatione cauſæ communis, & ſufferentia ponderis tanti belli, ſub quo lapſa nimium ipſorum poſſibilitas, & jam fere ſubacta proſternitur, fraterna ſibi pietate ſuccurrant manibus intentis & oculis, anxiiſque ſuſpiriis interpellant. Nimirum eorum corda ſaxea ſunt cenſenda, non carnea, & a naturæ humanæ fœdere aliena, quæ eorumdem populorum non compatiuntur ærumnis, qui erga illos fidei ſuæ proximos pietatis non moventur inſtinctu, quive in tantis anguſtiis adeo illorum non tanguntur affectu, ut eis claudere viſcera ſua poſſent, & quod a perfidia nihil diſtat, opportunæ ſubventionis auxilia non præſtare. Quid enim cauſæ deeſt, quod ſuper eos viſcera debeat commovere fidelium? Si quando enim divini judicii occulta ſeveritas adverſus peccata fidelium exercet infidelium nationes, ipſi expoſitos publicis hoſtibus fines, & objecta inimicorum crucis Chriſti odiis mœnia incolentes, etiam certis populis alta pace quietis, infeſtis bellicæ turbationis tempeſtatibus quatiuntur; & undecunque adverſus venerabilem redemptionis noſtræ locum profani gentium ſuſcitantur incurſus, ipſi hos inevitabiliter coguntur excipere: ipſi ſpecialiter furoris barbarici prædæ patent.*

LXIX. Coraſminorum Turquemannorumque graves irruptiones.

*Nam cum in illos dudum irruerint in gravi multitudine Coraſmini, cum illis immineat terribiliter valida Turquemannorum, & fera barbaries, cumque ipſos aſſiduis inſultibus atterant, Chriſtiani profluvio ſanguinis neſcientes miteſcere Saraceni, quod aliud niſi miſericordiæ Domini opus eſt, aliquas ibi Chriſtiani nominis reliquias ſupereſſe? Præter hoc de terra illa vehementer exclamat ſanguis Chriſti ad populum, quem redemit, & improperia exprobrantium Salvatori omnium obiciuntur oculis ſingulorum, ſi forſan intelligant, & juſto zelo requirant de atrocibus creatoris ſui contumeliis ultionem, illa præcipue ipſorum faciem ignominia confundente, quod locus ille, in quo Dei Filius naſcendo, moriendo, & a mortuis reſurgendo cuncta redemptionis noſtræ ſacramenta perfecit, factus eſt poſſeſſio exterorum: & terra, quam redemptor humani generis cruoris ſui perfuſione ſacravit, perfidorum immunditiis profanatur.*

LXX. Occidentis diſſidia Syriæ pernicioſa.

*Porro ejuſdem terræ, tam prælati, quam proceres, religioſorum domorum magiſtri, ac populi diſcrete conſiderant univerſalem Chriſtianitatis ſtatum, quem peccatis hominum difficultates turbationum civilium inducentibus longa malitia temporis in pleriſque partibus agitant, hoſtibus Chriſtiani nominis audaciam pariens, & favorem, ac impediens opportunæ ſubventionis auxilium, quod eidem terræ ab univerſitate fidelium potuit proveniſſe. Attendunt etiam diligenter quod invaleſcente fortitudine, ac multitudine paganorum, & populo fidelium redacto ibidem ad nimiam paucitatem,*



*tem, unde præcipue imminet amiſſionis periculum in reſidua particula Terræ ſanctæ, quam infideles aſſiduis incurſionibus fideles illarum partium impetentes, ex eo ſumunt inſiſtendi conſtantiam, & fiduciam prævalendi, quoniam experti ſunt pluries grave fore, ac intolerabile cuicumque principi Chriſtiano circa defenſionem, ac recuperationem terræ ipſius propriis laboribus, & ſumptibus exequendam finaliter, prout rei neceſſitas exigit, immorari, cum tanti negocii moles tractum exigat temporis diuturni.*

LXXI.

*Hinc evenit quod iidem pagani, ſperantes auxilium, quod eidem terræ aliquando provideri contingit, fore tranſitorium, & ad modicum duraturum, cum ipſi ad impugnationem ſint ſemper aſſidui & vicini, & qui e contra defenſionis præſidium interdum afferunt, ſint remoti, pacem cum Chriſtianis, vel treugas inire contemnunt, & expectant quod hereditatis dominicæ tanto cruoris pretio comparatæ, & Chriſtiani ſanguinis parvæ reliquiæ, quæ ſuperſunt quaſi fraterno deſtitutæ præſidio totaliter influant in os ſuum.*

Aucta ex noſtrorum paucitate barbarorum audacia.

*Quare iidem prælati, proceres, & alii tantæ neceſſitatis periculo imminente compulſi, deliberationis providæ conſilia cogitantes, nobis ſignificare curarunt, quod ſi eorum cogitationi præſtaret pietas Chriſtiana conſenſum, ut videlicet a Chriſtianis principibus, prælatis, & populis, prout unicuique Dominus inſpiraret, in hoc pietatis opus de propriis viribus conferendum, aliqua illuc mitteretur manus militum, & peditum pugnatorum, ibi de liberalibus ſingulorum contributionibus, donec pax, vel treugæ provenerint, fulcienda; & interim cum aliqui ex illa deficerent, de ſimilibus inſtauranda perſonis ipſis, & terræ prædictæ, ne in probroſum veniant imminentis deſolationis excidium, caveretur, & terra illa, quæ poſſidetur a noſtris, cum minori poſſet gravamine ſingulorum fidelium in cultu divino ſervari, & quæ detinetur ab infidelibus facilius rehaberi.*

Syrorum conſilium de ſuſtentandis aſſidue copiis in Aſia.

LXXII. Solicitatus Rex Caſtellæ, ut ſumptuum partem conferat.

*Quocirca ſerenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, ac per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti attentius obſecramus, quatenus prudenter advertens, quantæ confuſionis opprobrium faciem Chriſtiani populi opperiret, quantum eidem immineret exitium, quantumque univerſalis incumberet pernicies plebi ſuæ, ſi tot labores, tot dolores, tot rerum damna, tot diſpendia perſonarum, quæ fideles Chriſti, quos improperium Domini, & zelus fidei tetigit, pro defenſione, ac liberatione illius terræ pertuliſſe noſcuntur, contingeret in nihilum computari, & negocium molimine tantæ univerſitatis aſſumptum, ad congruum exitum non perduci, in præſtando dictæ terræ hujuſmodi pugnatorum ſubſidio pro reverentia Dei, pro ſalute tua, & pro honore nominis Chriſtiani dexteram tuæ liberalitatis extendas, ad hoc idem alios tuæ poteſtati ſubjectos exemplo laudabili, & quibus poteris exhortationibus inducendo, ac ordinando cum eis tempus idoneum, quo ad terram prædictam tuum, & ipſorum auxilium valeat pervenire. Nos enim te, ac alios quos ad hujuſmodi ſubſidium deputabis, eos quoque, qui in hoc contribuerint competenter, illius ſtatuimus remiſſionis eſſe participes, eaque volumus immunitate gaudere, quæ juxta quantitatem auxilii, & devotionis affectum mittentibus, vel euntibus ad ipſius terræ ſuccurſum in generali concilio ſunt conceſſæ. Dat. Neapoli* II. *id. aprilis anno* I.

Præter hæc imperata auxilia, aliæ toto orbe Chriſtiano pecuniæ, nimirum ab eccleſiis atque monaſteriis vigeſimæ cogebantur, ut literæ ad collectores Tuſciæ ſcriptæ demonſtrant. Nec revocari in dubium poteſt, quin ex omnibus provinciis ſimilia ſubſidia peterentur.

LXXIII. Novæ religioſæ familiæ.

Cum gravioribus oppreſſa cladibus, atque imminentium periculorum terroribus pene exanimata lugeret Syria, cœleſte numen aliquorum pectora pio ardore ſuccendit, ut tuendæ Terræ ſanctæ, comprimendiſque Sarracenis ſeſe devoverent, quæ nova *militia* ab Alexandro confirmata eſt (a). Quo etiam tempore datis ad equites S. Lazari Hieroſolymitani ordinis S. Auguſtini apoſtolicis literis, collaudatoque eorum inſtituto, ſanxit, ut ex religioſæ diſciplinæ formula, (b) quam hactenus ſervaſſe aſſerebant, ad pietatem incumberent.

(a) *Ib. ep.* 290.

Ordo fratrum Hoſp. Leproſ. S. Lazar. Hier. confirmatus.

(b) *Extat in Bullar. in Alex. IV.*

Impacta a Pariſio calumnia Alexandro detergitur.

Cæterum, ut Terræ ſanctæ rebus finem adiiciamus; illæ bellorum minæ, confectis induciis, evanuere, atque hic Pariſius Pontificem mordet, ita curas Terræ ſanctæ abjeciſſe, ut eo animadverſo compulſi orientales inducias cum Sarracenis contraxerint. Superiores tamen literæ ad Regem Caſtellæ ac Legionis allatæ, quas encyclicas ad alios principes fuiſſe conjectura eſt, illum curas non poſuiſſe teſtantur. At ne poſſet ipſe totis viribus ad illam defendendam incumbere, Manfredus obſtabat, adverſus quem ut Sarracenorum fautorem, atque Eccleſiæ hoſtem ac tyrannum Chriſtianorum arma convertenda fuerunt. Atque de Syriacis rebus hactenus: jam ad Conſtantinopolitanas ſermonem convertamus.

LXXIV. Conſtantinopolitani imperii res concuſſæ.

Fluctuabat orientis Imperium, Græcorum viribus & armis in ſummum diſcrimen adductum, jam enim adeo eorum potentia excreverat, ut afflictis impulſiſque Latinorum rebus, ſummum terrorem afferret. Ad quas ſuſtentandas, confirmandaſque Pontifex converſis curis, ineunte hoc anno literis (c) ad epiſc. Argolicenſem alioſque præſules datis, præcepit ut Achajæ ac Peloponneſo laborantibus ſuccur-

(c) *Lib.* 1. *ep.* 29.

currerent, ſuaſque ad ſubſidia contrahenda opes conferrent, cum ipſorum maxime res ageretur, ne communi ruina obruerentur: ſi qui vero abnuerent, cenſuris percellerentur.

Lit. ad epiſc. Argolicen. & alios.

*Circa negocium Imperii Romaniæ ſedulo cogitantes, vias, & modos invenire ſtudemus, quibus eidem Imperio in multis conſtituto neceſſitatibus poſſit utiliter, & ſalubriter ſubveniri. Et licet pro eodem negotio multipliciter hactenus ſedes Apoſtolica laborarit, nos tamen non poſſumus, nec debemus propter hoc illud negligere, quin ſemper ad ipſius promotionem omnem, quam poſſumus, diligentiam impendamus. Sane intelleximus quod Achajæ, & Moreæ regiones tantæ neceſſitatis articulo coarctantur, quod niſi eis per ejuſdem ſedis providentiam celeriter ſuccurratur, graviora eis poterunt pericula imminere, propter quod decet, & expedit, ut circa regionum ipſarum ſtatum ſolicite vigilemus, ad earumdem munimentum efficaciter intendendo. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus univerſos archiepiſcopos, & epiſcopos, ac alios eccleſiarum prælatos, nec non procuratores cathedralium eccleſiarum vacantium, & cæteros clericos beneficiatos, nec non omnes religioſos tam exemptos quam non exemptos regionum ipſarum moneatis attente, & efficaciter inducatis, ut provide attendentes, quod hujuſmodi negocium ſpecialiter ipſos tangit, cum communis ſit ipſis, & aliis & proſperitas & adverſitas in hac parte, tam per ſe, quam per cunctos ſuos ſubditos clericos, & laicos ad dictarum regionum conſervationem adverſus hoſtiles inſultus, & impugnationes hoſtium communium violentas, ſicut laici tam nobiles, quam alii regionum ipſarum eiſdem ſubventionem opportunam, & congrua ſubſidia largiantur, &c. Dat. Neapoli* IV. *non. januarii an.* 1.

Achaja & Peloponneſus in periculum adductæ.

Eccleſiaſticæ opes ad eas tuendas derivatæ.

Cum ergo ad fulciendas labantes Latinorum res compararetur exercitus, Alexander transfuſum jam in patriarcham Conſtantinopolitanum ab Innocentio prædeceſſore legationis munus, confirmavit, (*a*) ut tum in caſtris, tum aliis in locis eo fungeretur, ita tamen, ut ſi legatus e latere mitteretur, hujuſmodi auctoritate non uteretur. Similiter Antiocheno patriarchæ, ut conjunctam legati apoſtolici dignitatem in ſuo patriarchatu gereret, conceſſit (*b*).

(*a*) *Ib. ep.* 162.

Patriarcha Conſtantinop. legati dignitate ornatus.

(*b*) *Ep.* 243.

LXXV. Auctus eodem munere patriarcha Antiochen.

(*c*) *Greg. l.* 2.

Græcorum res.

Ut vero Græcorum res delibemus, prodit Gregoras (*c*) Joannem Ducam repentino morbo, dum Niceam peteret, correptum, voce interclusa ſenſibuſque abalienatis mortuo ſimillimum tribus diebus jacuiſſe; & quamvis poſtea recreari ac morbo convaleſcere eſſet viſus, eludente tamen mali pertinacia medicorum remedia, adeo ſæve conflictatum, ut ſæpius exanimatus repente corrueret, terræque magno humanæ imbecillitatis exemplo allideretur, & eodem anno e vivis diſceſſiſſe. Morbi genus accuratius Georgius Acropolita Logotheta deſcribit: *Cum* (*d*) *ergo medicorum ingenium de reſtituenda valetudine deſperaſſet, ut reſpirare ipſe paululum poſſet, Smyrnam iter meditatur, ut Chriſtum, qui in ea colitur, adoraret, precibuſque effuſis ſibi propitium in tanto infortunio redderet. Acceſſit, omnia uti inſtituerat perfecit, nec tamen ex morbo convaluit,* nec mirum, fruſtra enim quis extra catholicam Eccleſiam a Deo miracula expetit. *Porro in Periclyſtis commorans, locus is eſt prope Smyrnam; quia undique aquarum copia circumfluat, ſic dictus: majori ſive potius atrociori malo oppreſſus inde diſcedens, cum graviſſime corpore urgeretur, Nymphæum proficiſcitur, nec regias ibidem domos inviſit, ſed in hortis regiis, qui prope urbem erant, imperatoria fixit tentoria, ubi & diem ſuum obiit extremum* III. *kal. novembris, ſexaginta & duos annos natus, ut qui illius res exactius poſſidebant, dixere. Ex his triginta tres probe integreque regnaverat. Leni animo fuit, ſemperque ſe humaniorem præbebat; familiares parcius munerabatur, exteros, eoſque, qui tanquam legati ad eum veniſſent, magnificentioribus donationibus, ut ab eis laudaretur, afficiebat. Amoribus muliebribus, poſtquam ejus uxor Irene Imperatrix ex hac vita exceſſerat, & potiſſimum Marceſinæ, quæ ex Italia venerat, Annæ quidem Imperatricis ex Alemannia uxoris pediſſequa, ſed quæ poſtea in amore æmula fuerat, deditus: e cujus amore ita ipſe pendebat, ut illi coccineos calceos geſtare permiſerit, & ſagum, & frænum non alterius coloris indulſerit: plures illi famulos quam veræ dominæ donaverit, aliaque quamplurima libidinibus præſtiterit.*

Joannis Ducæ Imp. morbus ſæviſſimus.

(*d*) *Georg. Logoth. hiſt. Conſtantinop. Leone Allatio interprete.*

Fruſtra in ſchiſmate expetit a Deo miracula.

Virtutes illius ac vitia.

At ſi in eo turpiſſimam maculam ſuſcepit, ob pœnitentiam tamen ſceleris, dignamque Chriſtiano principe vocem commendandus: recenſet enim hæc Gregoras (*e*) cum aliquando ipſius pellex regio faſtu turgida eccleſiam ingredi pararet, Blemmydes, qui illi præerat, fores occludi ipſi juſſit, ne vel inceſſu eccleſiæ ſolum pollueret, illaque acceptæ injuriæ dolore ardens, apud Imperatorem quereretur, ſpretam ipſius majeſtatem, aſſentatores etiam incitarent ad vindictam; ille ſubortis lacrymis criminum dolore percitus ſubjecit: Quid me adverſus juſtum irritatis? ſi ego ſcandalum Imperio probroſa vita non intuliſſem, hanc injuriam ac dedecus non excepiſſem. Prætermittendæ hoc loco non viſæ ſunt Nicephori Blemmydæ, de quo in ſuperiori tomo memoravi (*f*) viri catholici literæ, quas poſt ejectam ſacris Marceſinam ad Græcos ſcripſit, (*g*) ut ſuperbiæ notam in Imperatoris adultera ea ignominia afficienda detergeret, idque divino tantum zelo attentatum doceret, cum cœleſtes iras humano furori præferret. Extant in codice Vaticano M. S. quas e Græco in Latinum ſermonem Leo Allatius, eruditione præclarus, in mei gratiam convertit.

LXXVI. Blemmidæ in eo reprehendendo conſtantia.

(*e*) *Greg. l.* 2. *ſub fin.*

Digna principe adverſus adulatores vitiorum vox.

(*f*) *An. Chr.* 1233. *n.* 7. 8.

(*g*) *Cod. Vat. in 5. ſignat. n.* 1764.



*NICEPHORI BLEMMYDÆ monachi, presbyteri, quod in Emathiis eſt, monaſterii, epiſtola univerſalior, & ad multos. Principem Marceſinam, efflictim ab Imperatore adamatam, ideoque reliquos alios ſuperantem, & ipſi Auguſtæ prælatam, tyrannice in venerandum ſancti Gregorii Thaumaturgi monaſterium, ubi eo tempore nos degebamus, irrupiſſe: introiſſe etiam in Dei templum, cum ſacrificium miſſæ fieret, & excluſam fuiſſe per nos a ſacra auditione, atque cum dedecore fugatam, dum interim illa de hoc facinore lamentaretur, & dolenter ferret.*

Literæ Niceph. Blemmydæ.

*Iterum nos ſpiritus audaces confidenter loquimur, & agimus, rurſumque minæ, anguſtiæ, & pericula. Adhuc nos mundanam ſapientiam non edidicimus; ideoque & odioſi ſumus & execrandi. Rurſus poteſtatibus obſiſtimus, meritoque inutiles redarguimur. Haud diu eſt, cum a malorum impetu emergentes nos recreavimus, & ſatan ad nos traduxit impudicam & veneficam, orbis offendiculum, univerſale ſcandalum, cum cervice & ſupercilio & faſtu forte nos attonitos redditurus, ac proſtraturus, infortuniorum atque incommodorum crebris occurſationibus jam perterritos, concuſſoſque id enim ſibi propoſuerat, facile inopes nos, mente & animi viribus delaſſatos agnoſcens; ſed vere a ſolo ſapiente & valido decipiendus ac enervandus. Repentina, effræna, projectaque Mænas iſta ad venerandum noſtrum hoſpitium cum gravi ingentique pompa, non ſine cœco impetu, inſtar rapidi, varioque aquarum decurſu tumidi torrentis irruit. Noſtri qui fores cuſtodiebant, & alii, quicunque intra templum aderant, intuiti obriguerunt, nec una omnes ſententia tenebat. Cum omni apparatu, & in ipſum templum, dum divinum ac myſticum ſacrificium conficeretur, execrabilis illa influxit. Nos rei inexpectatæ novitate, quid ageremus neſcientes, ſtatim adulteram a ſacra auditione, communi concordeque fidelium oratione, ac hymnodia repellimus, averſamur impudentem, maximeque Chriſti legibus injurioſam, & injuriam palam profitentem, totis conatibus e ſacris locis profanam eiicimus, infirmitate carnis trementes & timidi, ſed Dei inconcuſſo timore hominem exuentes, ducenteſque mortem improbitate, impietateque ipſa multo optabiliorem; & cum ea, cujus nullum cum Chriſtianis conſortium eſt, ſimul in eccleſia commorari execrabilius magis æſtimantes, quam peſſima morte ex hoc corpore ſeparari, verbera ſimul & carceres & famem, & ſi quid his pejus excogitari poterit, per totam vitam ſuſtinentes. Præſentium enim malorum violentiſſimum, & longiſſimum in ævum perdurans, non ultra vinculi abruptionem extenſum, cum marcida hac vita convolvitur, maximorum, & nunquam diſſolvendorum præmiorum copiam retribuens. At leges Dei contemnere, & quod ſenſum oblectat, Dominicis ſancitis præferre, trudi etiam, ex ſe mœrorem affert intolerabilem, & nullis terminis circumſcriptam infamiam.*

Ut Imperatoris pellex ſacris ſit ejecta.

*Oportet itaque nos invocationem, quam inter orandum effundimus, veram oſtendere, & veluti illius boni filii bonum operari; & licet pulvis ſubtrahat, intente, noſmetipſos ad ſuperiora propter erga Patrem altiſſimum reverentiam compellere, & converſationem tanquam in patria, in cœlis habere; ſalvere juſſo ante etiam ipſam ſolutionem, quidquid in nobis terreni conſpicitur. Quod ſi ad primum ordinem non pervenerimus, ſaltem ad delectationes, quæ verbis exprimi nequeunt, & quæ veluti victoriæ præmia iis, qui virtutibus inſudarunt, præparatæ ſunt, animum intendere, & propter ſempiternam beatitudinem afflictiones omnes perferre. Neque enim ſunt hujuſce temporis paſſiones, quotcunque illæ & quantulæcunque ſint, illius, quam ſperamus, retributionis condignæ: Quod ſi e mercenariorum cœtu exciderimus, ſaltem in poſtremo eorum, qui ſalvantur, ordine annumerari, & præceptorum Domini cauſam defenſionemque ſuſcipere, neglectus pœnam, in gehennam ſcilicet condemnationem timentes, propterea, ſi opus fuerit, eorum cauſa vitæ diſcrimen adire. Quandoquidem quantæ dementiæ eſt puſillis caſtigationibus majores, & exiguis tormentis perenniora præponere, eoque potiſſimum ſi breviores ſobrietatem, & ſapientiam conciliant, hominemque expurgant? (Quis enim dummodo vixerit, non deliquit? & quis ab immunditie mundus fuerit?) Perenniora vero ſors ſunt, auferri neſcia. Quemadmodum enim quoquo modo delinquens, optione illi punitionum propoſita, ſi præſentibus leviſſimis, paucis fortaſſe alapis, moleſtius in futurum tempus ærumnari, excruciari, deartuarique præoptaret, jure merito inſipientiſſimus, & dementiſſimus haberetur, pari ratione, qui præſentibus noxis tempore retributionis futuras calamitates, cum uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit, præferret, amentiſſimus æque ac miſerrimus ille exiſtimaretur, & qui hominum fraudes gloria divina cariores haberet, hic ſiquidem vere oculis captus eſt, ut qui cum umbram apprehenderit, aut navis in aquis veſtigium, aliquid ſe poſſidere opinatur, cum nihil poſſideat. Quandoquidem ſi gloriæ amans*

LXXVII. Humana divinorum deſiderio ſpernenda.

Divina juſtitia hominum iracundiæ præferenda.

*mans eſt, gloriam veram ac permanentem, non decipientem ac fluxam, hominibus adhærens, & a Deo ſecedens conquirat. Qui enim id ſtudet, ut hominibus placeat, ſervus Chriſti non eſt, & de quibus omnes homines recte enunciant, illis verus ſermo væ impertitur. Et licet multorum non eadem eſt, ac noſtri ſententia, verumtamen neque malitioſe facientes æmulari docemur, neque imitari operantes iniquitatem. Et ſi hi patres ſunt, negligendi ſunt, ſectandusque eſt Chriſtus, illius veſtigiis inhærendum, & ex illius juſtificationibus dependendum: namque qui non operatur hoc modo, dignus Chriſto non eſt. His freti cogitationibus ſtatim e ſacris ædibus impiam pellimus, neque ſanctum panem inverecundæ, atque immundæ exhibere auſi ſumus, neque ante volutantem ſeſe continuo in cœno, ac adulterii ſordibus, ſplendida, & inſtar margaritarum candida ſacroſancti ſacrificii verba mittere. Quare in Domino, quæ nobis inferuntur, danturque, ſuſtinemus.*

Servus Chriſti hominibus placere non curat.

LXXVIII. Judæorum immanitas in Hugonem puerum.

Addemus ad hujus anni calcem crudele facinus, quod Judæi in Hugone puero octenni Chriſtiano Lincolniæ commiſere. Pro inſita enim rabie, qua in Chriſtum dominum efferati ſunt, intercepto puero, ex omnibus Angliæ urbibus Judæos maxime conſpicuos excivere, ut in Chriſti ludibrium, omnibus ſuppliciorum generibus, quibus ipſe pro humani generis ſalute affectus olim eſſet, puerum excruciarent. Congregata ergo eorum carnificum turba, ex ipſis unum creavere, qui tamquam in ſcena præſidem ageret, Pilatique perſonam referret, alii tortorum officia ſuſcepere, illatiſque puero omnibus probris, quæ ſacra recenſet (a) hiſtoria, crudeliſſime verberibus illum cæcidere, ſpineam coronam impreſſere capiti, egere in crucem, fel propinavere, ac denique latus mortuo lancea tranſverberavere. Hoc fuit illorum paſchale ſacrificium, quod recurrente annis ſingulis feſto, ſi occaſio permitteret, immolare, ut poſtea faſſi ſunt, conſueverant. Ad cumulum improbitatis, & flagitii, viſcera avulſere, ut eorum beneficio incantationes magicas exercerent: utque ſcelus tantum lateret Chriſtianos, corpus terra diligentiſſime obruerunt. Sed vindex numen, quod tanta crimina impune manere non permittit, hac ratione facinus patefecit. Evomuit terra innocens corpus, quod honorificentiori ſepulcro dignum erat, & quoties illud condere Judæi tentavere, toties poſtea ſequenti die ſeſe proferebat. Horrere metu perfidi cœpere, ac ne a Chriſtianis conſpiceretur, in puteum abjecere. Interea pueri mater dolore percita filium quæritabat: certiorque facta puerum in Judæi domum ingreſſum eſſe, irrumpit, ſcrutatur, atque in puteum oculos coniicit, cruentum illico filii corpus adſpicit, preſſoque intus dolore ad judicem advolat; capitur ædium dominus, rei ſeriem fatetur, atque equorum caudis alligatus laniatur: nonaginta Judæi Londinum in vincula abducti, ut juſto ſupplicio afficerentur, pueri vero corpus e puteo extractum ſolemni pompa funebri a Chriſtianis elatum eſt, atque in cathedrali templo cum martyris elogio collocatum. Inquirere mox Henricus Rex in totius Angliæ Judæos, graviſſimeque exagitare, ut pœnarum terrore ab hujuſmodi maleficiis ſubmoverentur. Cujus geſtæ rei hiſtoriam plures alii, atque inter eos novatores, (b) ſcriptis commendarunt.

Flagitium divinitus patefactum.

Sontes ſupplicio traditi.

(a) *Pariſ. hiſt. Angl. hoc an.*

(b) *Centur. 13. c. 14. col. 1282.*





I. Willelmi Reg. expeditio in Friſiam.

ANno redempti orbis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, indictione quartadecima, infelix Willelmi Romanorum Regis obitus magnam rerum converſionem attulit, ob quam non ſolum Alexandro, verum ſucceſſoribus etiam pro novo Rege eligendo atque ad Imperii culmen poſtea evehendo graves curæ ſuſcipiendæ fuerunt. Conſentiunt auctores (a) hoc luctuoſiſſimo anno Willelmum Friſonum injuriis laceſſitum, cum eorum terras fortiſſimo cinctus exercitu ſubegiſſet, dum victor effuſo in fugam hoſte rediret, ex comparatis inſidiis in paluſtri loco ac denſa arundine horrenti, undique a Friſonibus circumfuſum, deſertumque a ſuis miſere occubuiſſe. Refert Stero illum, dum eas regiones peragraret, ad locum perveniſſe, in quo ſepulcrum marmore elaboratum viſebatur; miratumque operis elegantiam ac pulchritudinem, ſciſcitatum eſſe, cui tandem excitatum fuiſſet, Friſioſque ſubjeciſſe, accepto certo oraculo a patribus conditum, illoque Romanorum regem, ut ferebat fama, incluſum iri. Funeſtæ vero mortis genus deſcribens Pariſius, tradit Friſios, inſtructis inſidiis in loco difficili, facto impetu ipſum cinxiſſe, atque equo generoſo ferro cooperto vectum, dum paludem glacie concretam calcaret, molis gravitate clacie diffracta equum alte defixum in limo hæſiſſe: quem cum ipſe impulſis calcaribus cruentaret, ut inde exiliret, ab equo, ut erat loricatus, dejectum, obtritumque, ſuiſque accedere metuentibus, ne fragili glacie haurirentur, Friſios calcandæ glaciei aſſuetos, advolaſſe, & quamvis vitam ſupplex depoſceret, immenſamque vim pecuniæ polliceretur, innumeris perfoſſum vulneribus, atque in fruſta conciſum ab efferatis hoſtibus interiiſſe.

(a) *Albert. Stad. in chr. Par. hiſt. Angl. Siffr. in ep. l. 2. Stero in annal. apud Caniſ. to. 1. pag. 276. Annal. Dom. Colmar. Additi ad Lambert. Long. hiſt. Pol. l. 7. ac plerique alii.*

Præſagium illius necis.

Inſidiis opprimitur.

II. Pontificis pro ſubrogando Rege ſolicitudo.

Peperit illius cædes univerſæ rei Chriſtianæ graviſſimum exitium: cujus triſti accepto nuntio Alexander, mox iis, ad quos eligendi Regis provincia pertineret, literas dedit, ut operam in eligendo ſtrenuo principe defigerent, ne quem ex Fridericiana ſtirpe progenitum eligerent, cui inſitum a natura quodammodo in Romanam Eccleſiam odium eſſet: proinde Conradinum Friderici ex Conrado filio nepotem reſpuerent, tum quod ipſius imbellis ætas tractandis Imperii gubernaculis inepta foret, tum Fridericiani ſanguinis labe inuſtus eſſet, atque adeo plenum periculi ac diſcriminis, ne cum ſanguine paterna improbitate derivata, non advocatus Eccleſiæ, ſed crudelis perſecutor ad ſolium eveheretur: ni parerent monentis conſiliis, ſe fulmen anathematis in eorum capita vibraturum. Demonſtrant hoc literæ ad Maguntinum archiepiſcopum ſcriptæ, cui non modo (b) edixit objecta anathematis pœna, ne Conradinum eligeret, eligive conſentiret, verum aliis etiam electoribus terrorem anathematis, ſi vel ſuffragia in eum, vel ſtudia, operamve conferrent, incutere juſſit.

(b) *Alex. l. 2. ep. 353. ext. etiam in Bullar. in Alex. IV.*

III.

*Archiepiſcopo Maguntino.*

*Intelleximus, quod inſtat tempus electionis celebrandæ de Rege, in Imperatorem poſtmodum promovendo: ſuper quo tanto propenſior adhibenda eſt diligentia & cautela, quanto altius & difficilius eſt negotium, quod geritur in hac parte, quantoque res, ſi aliqua in ea interveniret negligentia, ſeu improvidentia, vel deſidia, deteriorem habere poſſet effectum, & exitum noxiorem. Unde hic vehementer vigilandum eſt, hic perſpicaciter intuendum, hic conſiderandum prudenter, hic mature deliberandum, hic provide præcavendum, hic aperiendi ſunt oculi, hic habendæ ſunt aures intentæ, hic mens eſſe debet non rudis, & torpida, ſed diligens, pervigil, & conſulta, ubi de advocato Eccleſiæ agitur, de ipſius defenſore tractatur, ne pro advocato impugnator, & pro defenſore aſſumatur, vel eligatur offenſor. Quare undique ſummæ cogitationis perferenda eſt acies, & circumquaque diſtricta explorandum indagine, ut talis cooperante Domino reperiatur, & eligatur, qui fidelis, & devotus exiſtat, & de proſapia proceſſerit devotorum, ac idoneus & ſufficiens merito reputetur ad obtinendum tanti honoris culmen, & Imperii regimen exercendum.*

IV. Fridericianæ perſecutionis immanitatem exponit Alex.

*Qualiter autem quondam Fridericus, olim Romanorum Imperator, & ſui progenitores, & poſteri erga matrem Eccleſiam ſe geſſerint, & qualem ei retributionem de beneficiis ab ipſa perceptis impenderint, patens eſt, & cognitum toti orbi, quoniam ii, aliorum perſecutorum excedentes tyrannidem, gravioribus eam affecerunt injuriis, & oppreſſionibus durioribus afflixerunt, & velut in cædem, & exterminium ejus tendentes, furoris arcum, & feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribulavere flagellis, & uſque ad interiora profundis illatis vulneribus ſauciarunt. Nam in hoc pravo genere patrum in filios cum ſanguine derivata malitia, ſicut carnis propagatione, ſic imitatione operum nati genitoribus ſucceſſerunt. Ex quo liquido perpendi poteſt, & conjici, ſi ex ipſo aliquæ poteſtatis reliquiæ remanſerunt, quid ſperandum ſit in futurum de illis, quid in poſterum expectandum: vita, namque, ac geſta prædeceſſorum perverſa iniquitatem prænuntiant ſucceſſoris, nec horribilis & ſceleſta illorum memoria quic-*

*quam boni de ipſorum poſteritate credere, vel ſperare permittit: de colubro quidem egreditur regulus & arbor mala noxios fructus profert, pravumque principium nunquam bonum pollicetur effectum.*

V. Monet ne Conradinus eligatur.

*Et ideo de Conrado puero nato quondam Conradi prædicti Friderici filii eſt præcavendum omnino, ne ullo modo intendatur ad eum, nec nominetur ad hoc, nec aliquatenus eligatur: maxime cum propter infantiam, nimiumque defectum ætatis ſit ad iſta prorſus inhabilis, ac ineligibilis penitus puer ipſe: nec jus quod ex electione provenire, vel conſurgere conſuevit, ſibi poſſet competere, nec in ſua cadere vel retineri perſona, cum propter puerilem ætatem, quæ diſcretione caret, & legitimum conſenſum, vel diſſenſum non habet, electioni, ſi de ipſo fieret, conſentire non poſſet, nec ipſius conſenſus aliquam haberet efficaciam, vel vigorem. Et ex eo etiam idem puer in Regem eligi, vel nominari non debet, quia cum per electionem hujuſmodi de advocato vel defenſore idoneo debeat Eccleſiæ provideri, & ipſe puer ſit omnimodo ineptus & inutilis ad talis defenſionis officium, ſeu miniſterium exequendum, oporteret eamdem Eccleſiam, ſi contingeret eligi dictum puerum, manere diutius, non abſque gravibus forte diſpendiis, defenſionis commodo deſtitutam. Nec per hoc etiam conſuleretur amplo, & ſpatioſo regno Theutoniæ de rege vel rectore condigno, cum male poſſit alios regere, qui non novit gubernare ſe ipſum: nec bene, vel digne aliorum gubernaculo præeſſe valeat, qui regimine ducitur alieno, & cui propter tot patentes defectus neceſſaria eſt alterius cuſtodia, & tutela, propter quod regnum ipſum longo tempore non ſine multo diſcrimine ſub opportuni regiminis expectatione langueret.*

VI. Anathema intentat ſi Conradinum eligendum conſenſerit.

*Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, ac per apoſtolica tibi ſcripta in virtute obedientiæ ſub debito fidelitatis, quo nobis & Eccleſiæ Romanæ teneris, ac ſub pœna excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Conradum puerum nullatenus in regem eligas, nec nomines, neque conſentias in eumdem: ita quod excommunicatus exiſtas, ſi contra mandatum noſtrum facere vel venire præſumpſeris, & eumdem Conradum nominaveris, vel elegeris, aut in ipſum conſenſeris, ſeu opem, vel operam, conſilium, auxilium, vel favorem, ut eligatur impenderis, ſcias te prius excommunicatione ligatum. Aliis vero coelectoribus tuis tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus auctoritate noſtra firmiter inhibeas, ne ipſum ad hoc nominent, vel eligant, nec in eum conſentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis ſententiam, ſi contra hanc tuam inhibitionem venire tentaverint, immo noſtram. Ita quod ſi eum nominare vel eligere, aut in ipſum conſentire præſumpſerint, noſcant ſe prius excommunicationis vinculo innodatos, ut ex hoc ipſo, ſi de prædicto puero quicquam in hac parte attentatum fuerit, ſit prorſus vacuum, irritum, & inane. Mandatum itaque, ac præceptum ſuper hoc apoſtolicum ſic fideliter, ſapienter, & efficaciter adimplere ſtudeas, omnem opem & operam adhibens, ut aliquis fide clarus, & devotione ſincerus, cui ad id ſuffragentur merita, eligatur, quod ex iis nos, & Romanam Eccleſiam tibi & eccleſiæ tuæ arctius obliges; noſque lætari poſſimus, id quod in hoc intendimus, tuo ſolerti ſtudio ſalubriter proveniſſe.*

Jubet cæteros electores intentata ead. pœna deterrere.

*Ad hæc nihilominus in omnes electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare, vel eligere, ſeu in ipſum conſentire, aut opem, vel operam, conſilium, auxilium, vel favorem, ut eligatur, dare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgamus, quam per te, antequam ad nominationem, vel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis coelectoribus præcipimus nuntiari; quod ſi non feceris, eo ipſo te noveris laqueo excommunicationis aſtrictum. Datum Anagniæ* v. *kalend. auguſt. anno* 2. Eademque verborum concepta forma literæ, ut in regeſto ſubditur, Trevirenſi & Colonienſi archiepiſcopis miſſæ fuere.

VII. Externi principes ad German. Imp. vocati.

Diſciſſi in contraria ſtudia electores, cum in Germano principe ad Imperium evehendo conſentire non poſſent, externum quæſivere, atque alii Richardum Cornubiæ comitem, alii Alphonſum Caſtellæ ac Legionis Regem, ut ſuo loco diſſeretur, elegerunt: ex qua diſſenſione magni bellorum tumultus in Germania coorti: atque hos forſitan motus præſagiere horrendæ illæ tempeſtates, quæ tantos fragores in Germania edidere, illique formidandi tonitruum mugitus, qui aures hominum ſtupore, ac ingenti metu corda proſtravere. Refert quidem Thomas (*a*) Cantipratenſis tantam tempeſtatem dæmonum ope excitatam, ut immani ventorum vi vetuſtæ arbores altiſſimis defixæ radicibus evellerentur, ſternerentur ſilvæ, domorum tecta raperentur, atque homines metu perciti reboantibus tonitruis, ingenti excuſſa grandinis copia, quaſi imminente mundi ruina, atque extremi judicii terrore impendente, lymphati per urbes excurrerent, lugubreſque gemitus profunderent: viſos vero ab aliquibus animalium diverſorum forma indutos dæmones in aere volitare, ac inter ſe luctantibus ventis contrariis immiſtos concurrere; nonnullas vero hujuſmodi arbores vi procellæ dejectas, alioque turbinis impetu abreptas vidiſſe teſtatur.

Tempeſtas concitata a dæmonibus.

(*a*) *Cantip. l.* 2. *c.* 57. *n.* 2.

VIII. Gerardus arch. Magunt. captus ab hoſtibus.

Auxere turbas Germanicas Gerardi archiepiſcopi Maguntini vincula: illum enim hoc anno ab Alberti ducis Brunſwicenſis præfecto captum ſcribit additionum ad Lambertum auctor (*a*) ac Gerardi patruum Tidericum comitem Eberſteinenſem, cujus conſiliis ſe alienis ſimultatibus implicari paſſus erat, ſuſpendio ob violatam fidem, illataſque graves injurias necatum. Tradit Crantzius (*b*) huic bello occaſionem dediſſe ſuperbam quorundam nobilium virorum de Aſſeborg temeritatem, qui ut contemptum in Brunſwici ducem exprimerent, non levi principis injuria in gentilitio ſcuto lupum hærentem leonis tergo depinxerant, ut cum duci leones, ipſis vero lupum in clypeo geſtare mos eſſet, ipſi ſe principe ſuperbiores oſtentarent: quæ demum ſuperbia ipſis ac ſequacibus perniciem extremam attulit.

(*a*) *Auct. addit. ad Lambert.*

(*b*) *Crantz. l.* 8. *Saxoniæ c.* 21. & 22. *Serar. hiſt. Mogun. l.* 5. *in Gerar. ex eod.*

Ob ſuperbum emblema enatum bellum.

IX. Boleſlaus dux Sileſiæ epiſc. Wratiſl. vinculis tradit.

In Sileſia Boleſlaum ducem ſimili nefario ſcelere Thomam epiſcopum Wratiſlavienſem una cum præpoſito, & canonico Eccardo in vincula abduxiſſe, tradit Jo: Longinus, (*c*) atque ideo Legnicenſem ditionem interdicto percuſſam fuiſſe. Perrexerat epiſcopus ad novum templum ritu eccleſiaſtico conſecrandum, ac ſecurus agebat, cum Boleſlaus pravis Theutonicorum conſiliis ſubornatus, eorum armis ſuccinctus, intempeſta nocte irruit, atque epiſcopum dignitate, ſanctitate, & canicie venerandum, in lecto intercipit, res ejus diripit, ac ſubucula tantummodo tectum equo imponit. Sæviebat aſperrimum frigus ac præſul gelu horrebat: quem cum alii ſtridere dentibus frigoris vi cernerent, inhumaniſſime cachinnos tollebant: tandem ex Theutonicis unus cæteris humanior, ocreis, ac penula variegata illum induit, ſummoque labore confectum epiſcopum in carcerem Boleſlaus compingit. Incitarat ad id audendum ſcelus impium principem, ut ait Longinus, (*d*) avaritia; cum enim Legnicenſis comitatus parte fratri conceſſa exutum ſe doleret, ex Eccleſiæ direptis opibus, damna accepta ſarcire poſſe ſperabat: majore enim emolumento, ac minore periculo bellum eccleſiaſticis indici. Colorabat tamen facinus aliorum prætextuum fuco, ad quos Pontifex diſcutiendos objecit, & ſi quid controverſiæ cum epiſcopo intercederet, violentas tamen in eum manus iniicere non debuiſſe: latum in ejus terras interdictum datis ad Gneſnenſem archiepiſcopum, & Cracovienſem, ac Wratiſlavienſem epiſcopos literis (*e*) confirmavit, ac niſi dux reſipuerit, graviorum pœnarum terrorem incuſſit.

(*c*) *Longin. hiſt. Pol. l.* 7. *hoc ann. Michov. l.* 3. *c.* 48.

Barbare tractat.

(*d*) *Longin. ubi ſup.*

(*e*) *Alex. l.* 2. *ep.* 477.

*Gneſnenſi archiepiſcopo, Cracovienſi, & Vvratiſlavienſi epiſcopis.*

X. Pontificiæ de tanto ſcelere querelæ.

*Gravem ad nos dilecti filii capitulum eccleſiæ Vvratiſlavienſis querimoniam deſtinarunt, quod cum venerabilis frater noſter epiſcopus Vvratiſlavienſis ad monaſterium de Gorca ſuæ diœceſis conſecraturus ibidem quamdam eccleſiam divertiſſet, nobilis vir Boleſlaus dux Sleſiæ, aſſociatis ſibi quibuſdam iniquitatis filiis, in ipſum monaſterium nocturno tempore ſubito irruens, eumdem epiſcopum in lecto jacentem, nullaſque tunc formidantem inſidias, cum præpoſito, & Ecardo presbytero canonico ejuſdem eccleſiæ, nec non & quibuſdam aliis ipſius familiaribus perſonaliter capere, ipſumque in majorem Pontificalis dignitatis injuriam ad quoddam caſtrum ipſius deguſtaturum ibidem carcerales anguſtias, nullum ad Deum, cujus idem epiſcopus legatione fungitur, habendo reſpectum, fere nudum adducere auſu ſacrilego non expavit, rebus ſuis, quas ipſe, ac familiares prædicti ſecum habebant, nequiter aſportatis. De quo eo arctioris urgemur doloris aculeis, & turbamur, quo injuriam hujuſmodi non minus nobis, quam ipſi epiſcopo illatam fuiſſe ſpecialius reputamus.*

XI.

*Cæterum ſi forte nominatus dux aliquid contra eum quæſtionis haberet, quomodo tamen in tam furioſam, tamque deteſtabilem inſaniam prorumpere potuit, ut in Chriſtum Domini manus violentas iniiceret, ipſumque captivum detinere præſumeret, qui ex ſuæ dignitatis officio nexus poteſt ſolvere delictorum? An putat idem dux, ut Eccleſiæ mucro in vagina tepeſcens ferire neſciat tam graviter delinquentem, & ut abbreviata ſit manus Eccleſiæ, vel ejus poteſtas in aliquo diminuta, quod de tam gravi Deo illata injuria condignam ſumere nequeat ultionem? Porro in tantum, ſuadente juſtitia, ſuper hoc accenditur zelus noſter, quod niſi per celeris ſatisfactionis remedium idem dux prudenter ſibi duxerit providendum, taliter procedere curabimus contra ipſum, quod pœna docente cognoſcet quantum exceſſerit, immo deliquerit in præmiſſis.*

Juſtæ Boleſlao incuſſæ minæ.

XII. A Gneſnenſi archiep. moneri jubet.

*Verum quia monitio debet eſſe pœnæ præambula, & prius quam adhibeatur inciſionis gladius, lenitivis remediis eſt utendum, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum ducem, quod epiſcopum, præpoſitum, & canonicum ſupradictos, ac etiam alios cum eis captos abſque difficultate qualibet priſtinæ libertati reſtituens eos libere abire permittat, & de ablatis rebus, & irrogatis injuriis eidem epiſcopo, & Eccleſiæ, quam in hoc contra ſe nimium provocaſſe dignoſcitur, plenariam reſtitutionem, & ſatisfactionem impendat, ex parte noſtra monere, ac efficaciter inducere procuretis. Qui ſi veſtris acquieſcere monitis non curarit, ipſum & omnes ejus in hac iniquitate conſiliarios & fautores, appellatione remota, ſingulis diebus dominicis, & feſti-*

Ni pœnituerit ſolemni ritu anathemate defigi.

*ſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis in locis, in quibus expedire videritis, excommunicatos publice nuntietis, & faciatis per vos & alios ab omnibus arctius evitari, ſupponendo terram ejuſdem ducis, ac loca, in quibus eundem epiſcopum, & alios detineri contigerit, eccleſiaſtico interdicto: ita ut nullum in eis divinum celebretur officium, aut exhibeatur, præter baptiſma parvulorum & pœnitentias morientium, eccleſiaſticum ſacramentum, & faciendo nihilominus hoc idem de quolibet loco, ad quem dux prædictus devenerit, quamdiu fuerit in eodem: proceſſuri alias contra ipſum per privationem feudorum, quæ ab eccleſiis, nec non & juris patronatus, quæ in quibuſcunque eccleſiis obtinet, prout culpæ ipſius qualitas, & protervitas exegerit pertinacis invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Contradictores &c. Dat. Later. id. decemb. ann. 2.*

Sacrorum etiam uſu mulctari.

XIII. Conſurrexiſſe magno animo ad tuendam dignitatem eccleſiaſticam violatam in Thoma Fulconem archiepiſcopum Gneſnenſem, refert Michovias (*a*) atque etiam ante acceptas literas Apoſtolicas, cenſuras in Boleſlaum diſtrinxiſſe: *Fulco* (inquit) *archiepiſcopus Gneſnenſis, celerrime epiſcopis provincialibus Lancici convocatis, Boleſlaum ducem Legnicenſem cum diœceſi Vvratiſlavienſi interdicto ſuppoſuit: mittenſque ad Alexandrum Papam IV. in mandatis accepit, ut Boleſlaus ſævus cum complicibus facinoris interdiceretur, quoad uſque chriſtos Domini relaxaret.* In quem etiam bellum ſacrum ab Alexandro indici juſſum ait, de quo poſtea. Antequam patrati in Thomam epiſcopum Wratiſlavienſem criminis fama ad ſedem Apoſtolicam emanaret, præceperat (*b*) ei, ac duobus religioſis viris Alexander, ut benigne exciperet paganos, qui abjecta nefaria idolorum ſuperſtitione Chriſto nomen darent, atque apoſtolica auctoritate inſtructus, fretuſque adverſus aliorum conatus tueretur.

(*a*) *Michov. l.* 3. *c.* 48.

Archiep. Gneſnenſis zelus.

(*b*) *Lib.* 2. *ep.* 349.

Jentuoſi fiunt Chriſtiani.

XIV. Accepti in clientelam Apoſt.

*Sicut dilectus filius nobilis vir Kaſoturus Cujaviæ, & Lanſiciæ dux Eccleſiæ Romanæ devotus ſua nobis inſinuatione monſtravit, nonnulli pagani, qui Jentuoſi vulgariter in illis partibus appellantur, ſuarum terrarum contigui ſponte cupiunt ad fidem Chriſtianam redire, ac ſe ſubiicere ditioni; & felicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter ſibi, & dilecto filio nobili viro Boleſlao duci Cracoviæ, ac Sandomiriæ ſuis literis dicitur conceſſiſſe, ut quoſcunque paganos eorum terris contiguos, vel confines, qui ſponte ac ſine bello, & gladio vellent ad Chriſtianam fidem redire, ac ſuæ ſe ſubiicere ditioni, liceret eis recipere, ac ſicut alios Chriſtianos manutenere, protegere, ac etiam in omnibus defenſare, non obſtante conceſſione, qua dicebatur prius ab Apoſtolica ſede fore conceſſum dilectis filiis fratribus domus Theutonicorum partium earundem, ut quos de partibus illis paganos poſſent ſibi bello, & gladio ſubjugare, ſuo dominio applicarent. Verum quia gratuita debet eſſe converſio non coacta, & ipſe Deus coacta ſervitia non acceptat, ipſius ducis ſupplicationibus inclinati mandamus quatenus dictos paganos, & quoſcumque alios ſponte ad eandem fidem redire volentes contra quoſcumque auctoritate noſtra manuteneatis, & defendatis. Dat. Anagniæ id. julii anno 2.*

XV. Chriſtiana fides in Livonia floret. Sacra expeditio indicitur.

Aſſurgebat feliciter ad ingens decus in Livonia, ac Pruſſia Chriſtiana religio, ad quam latius diffundendam Pontifex, plurium zelum inflammare conatus eſt, inter quos maxime Henricum Culmenſem, atque Henricum Curovienſem epiſcopos, ex Prædicatorum, & Minorum familia ad eam dignitatem ob egregias virtutes adſcitos, ad urgendum divinum negotium provocavit (*c*). Nec in Pruſſia modo, verum in Pomerania, Polonia, Dania, Suecia, Norwegia, Gothlandia, univerſaque Germania, fideles ad cruceatam expeditionem concitati a religioſis viris quo argumento inſignes ſubjectæ literæ (*d*).

(*c*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*d*) *Alex. an.* 2. *ep.* 367. Datum ea de re diploma Apoſt.

*Qui juſtis cauſis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura proſequi pia debemus negotia Jeſu Chriſti, quanto Deus homini præferendus eſſe dignoſcitur, & omnis ſibi deberi reverentia comprobatur. Igitur cum ſicut relatu fide dignorum percepimus exultantes, conditor omnium in Livoniæ, ac Pruſſiæ partibus dilectorum filiorum fratrum hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Jeroſolymitan. ac aliorum fidelium, triumphanti dextera faciente, ſit multipliciter exaltatus, & ſpes ſit, quod ibidem magis ac magis ſui nominis gloria protendatur, ſi nos plantationi ſuæ partium earumdem favorem, quem in ipſo poſſumus, impendentes opportunum illi per devotos Eccleſiæ ſubſidium procuremus; devotionem tuam rogamus & hortamur in Domino per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, ac in remiſſionem peccatorum injungentes, quatenus priores, & fratres tui ordinis conſtitutos in Magdeburgenſi & Bremen. provinciis Ratiſponenſi, Patavienſi, Alberſtadenſi, Ildeſemenſi, & Verdenſi diœceſibus hujuſmodi negotio, quavis poſtpoſita difficultate, deputare ſtudeas, & eoſdem attentius exhortari, quod aſſumpto ſanctæ prædicationis officio propter Deum fideles dictarum provinciarum, & diœceſum ad nimiam charitatem, qua Chriſtus non dilexit, & diligit, reſpectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus quæ retribuit ipſe illis, piis exhortationibus, ſecundum datam ſibi a Deo prudentiam ſtudeant informare, diligenter, & ſolici-*



*licite petituri, ut ipſi redempti pretio glorioſo, in quos tamquam viros Chriſtianos, & catholicos cadere opprobria exprobrantium Chriſto debent, ſe viriliter & potenter accingant, tamquam zelum Dei habentes, ad ampliandum gloriam crucifixi, & liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi & acturi ſecundum fratrum conſilia prædictorum, ita quod & ipſis præmium debeatur æternum, & infideles non poſſint, quod impune Chriſti nomen impugnaverint, gloriari, &c.* propoſita indulgentiarum præmia iis, qui expediverint arma, ſtipemve, vel operam in ſacrum bellum contulerint. *Dat. Later. v. id. mart. anno.* 2.

(*a*) *Lib.* 2. *ep.* 216. Idololatræ alii coerceri juſſi.

Data (*a*) etiam impietatis odio Ratpothemſi epiſcopo imperia, ut nonnullos comprimeret, qui idolorum cultui ſeſe manciparant, ac ſi opus foret principum auctoritatem adhiberet.

XVI. Miracula ad ſepulcrum B. Staniſlai.

Fulgebat in Polonia B. Staniſlai gloria ad cujus ſepulcrum plura Deus prodigia explicabat: unde ingentes populorum concurſus fiebant, plureſque commiſſorum criminum dolore perciti confluebant, anceplque animi epiſcopus Cracovienſis, an eos ingredi pateretur, Pontificem conſuluit: cui Alexander, ut in eccleſiam ad pœnitentiam decretam canonibus peragendam ipſos inducere poſſet, conceſſit. (*b*) Præterea piorum numero qui ad venerandas martyris reliquias concurrebant, in dies aucto, alio exarato diplomate conceſſa antea confirmavit, (*c*) cumque ejuſdem ſancti gloria magis, ac magis ſeſe diffunderet, in honorificentiore, atque ornatiore loco ſacrum pignus reponere viſum eſt: ac Pontifex, ut populorum pietatem magis accenderet, iis qui tranſlationis pompam cohoneſtarent, indulgentiarum præmia propoſuit, quo ſacro beneficio adeuntes illius ſepulcrum eſt proſecutus: augendæque eccleſiæ Cracovienſis, in qua martyr jacebat, dignitatis gratia datis epiſcopo, & capitulo literis, quæ Boleſlaus dux in illius gratiam ſanxerat, ſua auctoritate fulcivit, (*d*) iterumque attributa illi jura, ac privilegia temerari unquam vetuit. Cumque poſtea Cracoviæ dux aliqua tuliſſet edicta, quæ jura illius eccleſiæ labefactare viderentur, ducem ſancita convellere, ac revocare imperavit (*e*). Allatæ etiam ſedi Apoſtolicæ adverſus Argentinenſes querelæ, eccleſiæ libertates ab iis violari. Quorum audaciam compreſſurus Alexander, Biſuntino archiepiſcopo vibrandi in eos anathematis partes impoſuit (*f*). Eodemque zelo eccleſiaſticæ tuendæ majeſtatis permotus decreta plura ad ipſam in Galliis ſervandam edidit (*g*).

(*b*) *Ib. ep.* 95.

(*c*) *Ep.* 175.

Reliquiarum ejus tranſlatio.

(*d*) *Ep.* 109. Tuetur Alex. libertatem eccl. in Polonia.

(*e*) *Reg. poſt eand. ep.* In Germania.

(*f*) *Ep.* 303. Et Galliis.

(*g*) *Ep.* 268. &c.

XVII. Galliarum vero decus, Regem ſcilicet ſanctiſſimum de Eccleſia optime meritum ea ornandum prærogativa decrevit (*b*) ut nullus præſul niſi ex ſummi Pontificis auctoritate anathema, vel interdictum in ejus ditionem pronuntiare poſſet: *Tuis devotis ſupplicationibus benignum impertientes affectum, auctoritate præſentium indulgemus, ut nullus archiepiſcopus ſeu quilibet alius prælatus poſſit in terram tuam excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgare abſque mandato, vel licentia ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Nos enim decernimus irritum & inane, ſi quid ſuper hoc contra hujuſmodi noſtræ conceſſionis tenorem contigerit attentari. Nulli ergo, &c. Dat. Laterani* 2. *kal. aprilis anno* 2. Non abſimili prærogativa Theobaldum Regem Navarræ S. Ludovici generum (*i*) affecit Pontifex.

(*b*) *Ep.* 208. Privilegium S. Ludovico conceſſum.

Gallia non percellenda interdicto ſine Pont. auctoritate.

(*i*) *Lib.* 2. *ep.* 47.

XVIII. Præclaram (*k*) vero piiſſimi Regis vocem omnium ſæculorum memoria celebrandam annalibus mandare viſum eſt, quæ firmiſſimam ipſius de Chriſti in Euchariſtia præſentia fidem demonſtrat. Celebrabantur in aulæ regiæ ſacello divina myſteria, peractaque conſecratione Chriſtus dominus ſub formoſiſſimi pueri ſpecie videndum ſeſe omnibus objecit. Ac tum e circumſtantibus unus rogat ſacerdotem, ut tantiſper ſacram Euchariſtiam teneat, dum Regem evocat. Mox venit ad S. Ludovicum: hortatur ad videndum miraculum accurrat. At ille, irent qui carerent fide: ſe quotidie ipſum præſentem in Euchariſtia oculis fidei intueri. Simile reſponſum a Simone Montfortio in ſimili occaſione datum ex S. Ludovici ore excepiſſe refert Jonvillæus (*l*): cum enim ad Albigenſium hæreſim diſcutiendam Chriſtus in altari ſe videndum obtuliſſet, ſolicitatus Montfortius, ut ad intuendum miraculum ad eccleſiam provolaret, ſubjecit: *Accurrant increduli Albigenſes, ut oculis fidei noſtræ myſteria ſuſpiciant.*

(*k*) *Jo. Vvill. l.* 6. *c.* 66. Chriſtus in Euchar. ſe videndum præbet. Inſignis S. Ludovici de ea fides. Memoranda ejuſdem vox.

(*l*) *Jonvil. in vit. S. Lud.*

XIX. Per hæc tempora nonnulli Pariſienſis academiæ doctores, novarum rerum cupidi, atque odio adverſus regulares, qui ſanctioris vitæ inſtituta ſectabantur, imbuti, violatis Pontificum ſanctionibus ipſos exagitare, publicis ſcholis ſubmovere, invidiamque ipſis ſparſis calumniis conflare cœperunt. At Pontifex ſuſcepto religioſorum virorum patrocinio, datis ad epiſcopum Pariſienſem literis, (*m*) in conſortium academiæ admitti juſſit: eos, qui decreta apoſtolica niterentur infringere, ſacerdotiis exui, iniquas conventiones cum Prædicatorum familiæ religioſis viris initas reſcindi: apoſtolicas vero literas, quarum privilegiis ceſſerant regula-

Turbæ in Pariſien. academia adverſus religioſos.

(*m*) *Lib.* 3. *ep.* 246.

Sedantur a Pontif.

res, vim ſuam retinere. [1] Verum recrudeſcentibus odiis male ſopitis, animiſque exulceratis, nonnulli ſcientia excultiſſimi doctores, quorum princeps erat Guillelmus e S. Amore, academiæ nomine ad Pontificem miſſi, ut coram Apoſtolica ſede diſceptarent. De quibus agens Pariſius, nova quædam a doctrinæ puritate aliena, ex Joachimi abbatis fæcibus docuiſſe, librumque inſcriptum Evangelium æternum, erroribus inquinatiſſimum ediidiſſe, quod poſtea Hugonis Cardinalis opera, ne emergeret amplius, ſuppreſſum flammiſque deletum ait. Sed auctori ipſis infenſo nulla fides adhibenda eſt: eam forte calumniam ab adverſariis aſperſam ipſis, credulus nimium in hujuſmodi hauſit, cum paſſim in viros pios calumniæ diſſeminarentur. Gravem certe tum temporis contra paupertatis evangelicæ ſectatores perſecutionem concitatam, teſtatur S. Antoninus, (a) quæ Alexandri quarti in regulares benignitate difflata, diſcuſſaque eſt. Extant ipſius Pontificis literæ in gratiam mendicantium typis curſæ una cum B. Thomæ Aquinatis tractatu pro iiſdem mendicantibus, in quo etiam Guillelmi e S. Amore argumenta confutantur. Inſcribitur liber, Declaratio & defenſio privilegiorum mendicantium. Guillelmum porro malevolentia in viros religioſos ſuffuſum, librum in ipſos elaboraſſe erroribus infectum, & a vera pietate abhorrentem, tradunt auctores; atque ideo a Pontifice, cujus etiam vellicare auctoritatem erat auſus, damnatum flammis; de quibus agit Ptolemæus Lucenſis in hiſtoria eccleſiaſtica M. S. dum de Alexandro PP. ita loquitur (b).

Guillelmus e S. Amore mendicantium hoſtis.

(a) Anton. 3. par. hiſt. tit. 19. c. 7.

Refellitur a S. Thom.

(b) Tholem. Lucen. hiſtor. eccleſ. l. 22. c. 13.

XX. Ejus libri flammis traditi.

*Hic fuit multum in beneficiis gratioſus & pius: pauperibus Prædicatoribus & Minoribus benigne favit, & ipſos privilegiis munivit. Unde quendam libellum conflatum, quod pauperes religioſi vivendo de eleemoſynis, etiam prædicando verbum Dei, non ſunt in ſtatu ſalutis, in publico conſiſtorio comburi fecit, tamquam dogma peſtiferum: & auctor ipſius cum ſuis ſequacibus damnatus, qui dictus eſt Guillelmus de ſancto Amore. Hic etiam alium libellum comburi fecit, in quo aſſerebatur, quod lex Evangelii neminem ad perfectum ducebat, ſed lex Spiritus; unde ſic ſe habebat lex Evangelii ad legem Spiritus, ſicut lex vetus ad legem gratiæ: & quod lex evangelica Chriſti in mille ducentis ſexaginta annis evacuari debebat, & lex Spiritus ſubintrare. Quæ quidem ſecta peſſima originem traxit ex verbis Joachim & libris ejus, & multos habuit tunc temporis ſectatores ſub quadam ſpecie ſanctitatis. Sed dictus Alexander extirpavit de terra; unde primo fecit in publico conſiſtorio comburi: qui liber vocabatur a ſectatoribus ſuis Evangelium æternum. Contra imitatores autem hujus ſectæ dictus Pontifex durum fecit proceſſum.* Poſteriorem librum horrenda hæreſi infamem Pariſius, ut vidimus antea, ſacræ Dominicanorum familiæ, ad obſcurandam illius gloriam, attribuit. Et quidem calumnia vel ex eo detergitur, quod nulli certo auctori adſcribat, ſed tanquam nefandum partum ab omnibus editum inſinuet. Quid enim magis a veriſimilitudine abhorrens, quam eos libri hæreſi infanda contaminatiſſimi auctores fingere, quos ea manet gloria, excindendis hæreſibus, ac tum maxime cum is ordo primævo ſanctitatis flore ac ſplendore emicaret, ſtrenuam operam collocaſſe? Eadem de impuriſſimo illo libro ſcatente hæreſibus Alexandri M. S. vitæ auctor, (c) Martinus Polonus, (d) Guido Bernardus, (e) aliique hiſtoriæ prodiderunt.

Hæreſis ex Joachimi libris enata.

Damnata ab Alex.

Prædicatores a calumniis Pariſii vindicantur.

(c) Ext. in MS. Vall. ſign. C. 25.

(d) Martin. polon. in Alex. IV.

(e) Bern. chr. Rom. Pont.

XXI.

Superiorum novatores mentionem edidere, (f) ac de Willelmo locuti Romanum Pontificem impie perſtringunt, Willelmum damnaſſe ejuſque librum flammis tradidiſſe. Quanta vero maturitate conſilii ad eam diſceptationem dirimendam ſe geſſerit Alexander, vel ex eo patet, cum adverſarias utrimque partes, ut refert Cantipratenſis, (g) ſua argumenta explicare, rationeſque conferre juſſerit, Willelmique librum Cardinalibus ſcientiæ laude præſtantiſſimis diſcutiendum tradiderit: *Qui liber*, inquit Cantipratenſis, (h) *qualiter citatis & vocatis ad curiam & præſentiam ſummi Pontificis dictis magiſtris damnatus ſit & combuſtus, non ſolum in ipſa curia, ſed & Pariſiis coram univerſitatis multitudine copioſa, ſcire poterit qui collationes & diſputationes legerit, præcipue contra magiſtros quatuor in capite adverſarios: diſputationes quoque domini Hugonis preſbyteri Cardinalis fratris ordinis Prædicatorum, domini Richardi & domini Gajetani & aliorum Cardinalium, allegationes venerabilis patris fratris Humberti magiſtri ordinis Prædicatorum, ſed & miniſtri ordinis fratrum Minorum, & maxime magiſtri Alberti fratris ordinis Prædicatorum ad hoc ſpecialiter a domino PP. vocati, & aliorum prælatorum atque magnorum virorum diſputationes prolixas & magnas habitas Anagniæ coram multis, & in ipſis invenire poterit rerum geſtarum veritatem.*

(f) Cent. 13. c. 10. col. 1189.

Novatores coarguuntur.

(g) Cantip. l. 2. c. 10. n. 23.

Willelmi lib. juſſu Pont. diſcuſſus.

(h) Cantipr. ubi ſupr.

NOTÆ [1] Alterum hoc anno concilium in cauſa necis cantoris Carnotenſis celebratur ab Henrico Senonenſi archiepiſcopo, & ſuffraganeis. Coiverunt illi Senonis, decreveruntque ut duo ex conjuratis, quos in vinculis habebant, libertati donarentur, dummodo recta via Jeroſolymam tranſirent, omni ſpe reditus ſublata. Decretum ejus concilii vulgavit P. Martenius collect. to. V. col. 146. ſignaturque anno *MCCLVI. die lunæ in vigilia S. Petri ad vincula*. Concilium hoc latuit collectores. MANSI



XXII.

Nobis inſtar omnium erit Alexander, qui cum in Willelmi libro multa ſparſa eſſent, quæ pietatem Chriſtianam extinguerent, atque a vitæ religioſæ profeſſione abducerent Pontificiæ etiam detraherent auctoritati, incuſſo anathematis terrore edixit, (a) ut qui librum tenerent, iniicerent flammis, utpote ſceleſtum, atque abolerent: *Prodiere, & in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt, libellum quendam valde pernicioſum & deteſtabilem temere componentes: libellum quidem non rationabilem, ſed reprobabilem; non veritatis, ſed mendacii; non eruditionis, ſed derogationis; non monentem, ſed mordentem; non inſtruentem veraciter, ſed fallentem. Quem nos, ad ſedem delatum Apoſtolicam, venerabili fratri epiſcopo Tuſculano & dilectis filiis noſtris * Innoc. tituli S. Laurentii in Lucina, & Honorio tit. S. Sabinæ presbyteris, & Innocentio S. Nicolai in carcere Tulliano, diaconis Cardinalibus, examinandum commiſimus, ut plene ipſum inſpicerent, & univerſa contenta in eo perfecte attenderent, & diſcuterent diligenter.*

(a) Ext. dipl. in bull. in Alex. IV.

Qua notatum cenſura.

* Joanni

XXIII. Quos errores in eo proſcripſerit.

*Quo ſtudioſe perlecto & mature & diſtricte examinato, nobiſque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quod in ipſo quædam perverſa & reproba contra poteſtatem & auctoritatem Romani Pontificis, & coepiſcoporum ſuorum, & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſſima paupertate mendicant, mundum cum ſuis opibus voluntaria inopia ſuperantes: alia vero contra eos, qui ſalutem animarum zelantes ardenter & ſacris ſtudiis procurantes multos in Eccleſia Dei operantur ſpirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum; quædam autem contra ſalutem pauperum, ſeu mendicantium religioſorum ſtatum, ſicut ſunt dilecti filii fratres Prædicatores & Minores, qui vigore ſpiritus ſæculo cum ſuis divitiis derelicto, ad ſolam cœleſtem patriam tota intentione ſuſpirant: nec non & alia plura inconvenientia, digna utique confutatione ac confuſione perpetua, manifeſte comperimus contineri; quodque etiam idem libellus magni ſcandali ſeminarium, & multæ turbationis materia exiſtebat, & inducebat etiam diſpendium animarum, cum retraheret a devotione ſolita, & conſueta eleemoſynarum largitione, ac a converſione & religionis ingreſſu fideles, nos libellum eundem, qui ſic incipit: Ecce videntes clamabunt foris; quique ſecundum ipſius titulum, Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum nuncupatur, tanquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem; & inſtitutiones & documenta in eo tradita, utpote prava, falſa, & nefaria, de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica duximus reprobanda, & in perpetuum condemnanda: diſtricte præcipientes, ut quicunque libellum ipſum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujuſmodi noſtram reprobationem & condemnationem ſciverit, prorſus in toto, & in qualibet ſui parte comburere, & omnino abolere procuret. Et in illos, qui hujuſmodi noſtri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis ſententiam promulgamus &c.* Adjectus aliarum pœnarum terror. *Dat. Anagniæ, III. non. octobris pontificatus noſtri anno 2.*

Objectum anathema illum penes ſe retenturis.

XXIV.

Compulſos ad dicta abjuranda religioſorum adverſarios fuiſſe refert Cantipratenſis his verbis (b): *Dicti magiſtri fratrum adverſarii, dignitatibus & beneficiis omnibus ſunt privati, donec juraverunt, mandato domini Papæ coacti, revocare Pariſiis & in aliis civitatibus, & locis verecundæ prædicationis eorum quidquid contra dictorum fratrum ordines implicite vel explicite evomuiſſent.* Addit, nonnullis interjectis idem auctor, quibus cœleſti objecto viſo eam religioſorum perſecutionem duobus ante annis præoſtenſam narrat, unum ex iis quatuor doctoribus, Chriſtianum nomine, Bellovacenſem in ancipiti mortis diſcrimine cauſam, quæ ipſos concitaſſet, aperuiſſe: *Amariſſimo*, inquit, (c) *corde contritus recognovit nil ſe & complices ſuos contra dictos ordines habuiſſe, niſi quod illis æquari in ſcientia non valerent: & ob hoc eos parvipenderent auditores.* Et addidit: *Quoniam, ait, nihil habeo, quod vobis pro injuria gravi illata refundam, in ſignum tamen, quod ex corde pœniteo, corpus meum apud vos fratres Prædicatores tradendum ſepulturæ relinquo.* De Guillelmo vero in ſuis erroribus pertinaciſſimo rurſum nobis inferius erit agendum: hic modo Gallicis rebus adjungemus, patrari ſolitis apud S. Sylvani eccleſiam ingentibus miraculis, quæ in reſtituendis maxime priſtinæ valetudini iis, qui morbo dicto igne gehennali male erant affecti, emicabant, Pontificem Gallos additis indulgentiarum præmiis adhortatum (d) ut ſtipem ad eam eccleſiam ornandam perducendamque ad culmen conferrent.

(b) Cantip. l. 2. c. 10. n. 23.

Willelmi ſocii ad dicta revocanda adacti.

(c) Ib. n. 27.

Orta ex invidia contentionis origo.

S. Sylvanus miraculis clarus.

(d) Lib. 3. ep. 246.

XXV.

Illuſtrabat Angliam per hæc tempora Richardus epiſcopus Ciceſtrenſis, qui a S. Edmundo pietate excultus vitam ſanctiſſimam duxerat, innumeraque poſt mortem miracula, certiſſima ipſius adeptæ felicitatis atque apud Deum collectæ gratiæ argumenta, ediderat; atque in dies ad ipſius ſepulcrum patrata meminit Pariſius (e). Quibus acceptis Pontifex ad Hen-

S. Richardus epiſc. Ciceſtrenſis.

(e) Pariſ. hiſt. Angl. an. 1255.

Henrici Regis & epiſcoporum Angliæ preces, qui ſanctorum catalogo adſcribendum flagitabant, Wigornienſi epiſcopo aliiſque ut res admirandas, quæ a viro ſancto perpetratæ dicebantur, in examen adducerent, ſeque totius rei facerent certiorem, provinciam commiſit (*a*).

(*a*) *Ib. ep.* 320.

De eo ſanctis annumerando agitur.

*Sane dignas Domino referimus gratias, quod, ſicut venerabiles fratres noſtri nonnulli epiſcopi, & prælati alii regni Angliæ, ac chariſſimus in Chriſto filius noſter Illuſtris Rex Angliæ nobis inſinuare curarunt, recolendæ memoriæ Richardum Ciceſtrenſem epiſcopum, cum pie vixiſſet in hoc ſæculo, viam ſalutis docendo verbis pariter & exemplis, tandem præſentis vitæ curſu feliciter conſummato, & etiam ante ipſius obitum multis miraculis Omnipotens decoravit. Unde nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum non deceat eum apud homines ſine veneratione relinqui, quem merita & miracula ſanctum oſtendunt, ipſum aſcribere ſanctorum catalogo curaremus. Quia vero nobis plenius non conſtitit de præmiſſis diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de vita, & miraculis ipſius diligenter & ſolicite inquirentes, quæ inveneritis, nobis per veſtras literas fideliter intimetis. Non obſtante ſi fratribus veſtri ordinis fili, prior, & frater Adam a ſede Apoſtolica ſit indultum, quod de cauſis, quæ ipſis a Sede committuntur eadem, cognoſcere minime teneantur. Dat. Anagniæ* x. *kal. julii anno* 2.

De illius miraculis.

XXVI. Celebrata (*b*) ſunt in Anglia comitia publica, in quibus archiepiſcopus Cantuarienſis Bonifacius, Anglicano clero cinctus, coram Rege ac proceribus anathematis ſententiam in eos tulit, qui eccleſiaſtica jura labefactarent: *Auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti, & glorioſæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque Apoſtolorum, B. Thomæ archiepiſcopi & martyris, & omnium ſanctorum martyrum, B. Eduardi Regis Angliæ, omniumque confeſſorum anathematizamus, & a liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtramus omnes illos, qui amodo ſcienter & malitioſe eccleſias & libertates privaverunt ſuo jure. Item omnes, &c.* deſiguntur anathemate, qui probas Angliæ conſuetudines, antiquas libertates, vel jura eccleſiaſtica infringerent, ac non modo qui leges contrarias ferrent, verum etiam exſcriberent, vel ſuaderent, eadem pœna percuſſi. Subdit Weſtmonaſterienſis Henricum, magna pompa venientem in Angliam Alexandrum Scotiæ Regem generum una cum conjuge excepiſſe, de quibus etiam agit fuſe Pariſius (*c*).

(*b*) *Vveſtmon. Flor. hiſt. hoc ann.*

Solemnes in Anglia conventus. Anathema in violatores jurium eccl.

Alexander Scot. Rex.

(*c*) *Par. hiſt. Angl. hoc ann.*

XXVII. Suſcipiendæ Aſiaticæ expeditionis pium ardorem præ ſe ferebat Henricus, cujus conſilium ut urgeret Pontifex, Roſtannum ſubdiaconum in Aquitaniam legatum miſit, (*d*) cui Burdegalenſem & Auxitanum archiepiſcopos, alioſque præſules obtemperare juſſit: *Dilectum filium magiſtrum Roſtannum ſubdiaconum, & capellanum noſtrum virum utique ſcientia præditum, morum honeſtate decorum, & conſilii maturitate præclarum ad partes eaſdem tamquam pacis angelum propter hoc*, nimirum diſcordias provinciæ componendas, *& pro negotio Terræ ſanctæ, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Angliæ conſtanter, & patenter aſſumpſit, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, ut evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, ſicut viderit expedire, duximus deſtinandum. Dat. Anagniæ* 2. *kal. octob. anno* 2. De eadem legatione iterum ad Vaſconiæ archiepiſcopos (*e*) ac reliquum clerum, tum ad Roſtannum ipſum ſcripſit (*f*) ut non modo dum in Angliæ Regis terris ad pacem in iis regionibus conciliandam, ac Terræ ſanctæ promovendum negotium verſaretur, verum hujuſmodi etiam auctoritatem exerceret, ſi eorum cauſa in alias terras ſeſe conferret.

(*d*) *Alex. l.* 2. *ep.* 460.

Roſtannus S. A. nuntius in Aquitan. miſſus.

(*e*) Ep. 461.

(*f*) Ep. 461.

XXVIII. Verſos ad ſeditionem Aquitanorum animos fuiſſe ſcribit Pariſius, cum exhauſtus opibus Henricus non perſoluto pretio ipſorum vina avexiſſet, atque Alphonſum Caſtellæ Regem, qui ad pacem Aquitanos inter & Anglum componendam intercesserat, illorum adverſus Henricum clientelam ſuſcipere comminatum, eoque terrore actum Henricum oratores ad permulcendas Caſtellani iras tranſmiſiſſe: ex iis vero prænobilem equitem Joannem nomine Alphonſum his verbis aggreſſum.

Turbæ in Aquitania.

*Domine Rex ſereniſſime quid potuit Deus omnipotens plus feciſſe beneficii, & liberalitatis, quam dediſſe filium ſuum ad ullius liberationem, ac redemptionem? Cui Rex: Neſcio, quia maximum illud fuit. Cui Joannes: Hoc profecto fecit tibi dominus meus Rex Angliæ. Dedit nempe tibi filium primogenitum ſuum univerſorum heredem ſpecie elegantem* (alludebat orator ad Eduardum, qui Alphonſi ſororem uxorem duxerat) *Ne igitur iraſcatur ſerena diſcretio tua tali ac tanto amico tuo, in te tamquam in fratrem ſuum confidenti.* Subdit auctor Alphonſum iras ob violatam ab Henrico Aquitanis fidem conceptas poſuiſſe: nonnullos tamen proceres Aquitanos patrocinii Caſtellæ Regis ſpe fretos animos in Henricum extuliſſe.

Abductus Alphonſus Rex Caſtellæ ne ſe iis implicaret.

XXIX. Refert idem auctor, Reginæ avunculum Thomam Sabaudiæ comitem, Taurini a civibus, conjuratione facta, in vincula conjectum, moxque eo Petrum e Sabaudia, Cantuarienſem archiepiſcopum, atque

Thomas Sabaudiæ comes conjectus in vincula.





que electum Lugdunenſem correptis copiis rebellem urbem arctiori obſidione cinxiſſe. Tulit graviſſime Alexander Taurinenſium defectionem, atque Alienoræ Reginæ triſtem caſum his literis (*a*) inſinuavit: *Ad audientiam noſtram, non ſine cordis amaritudine & mentis tribulatione, pervenit, quod nuper Aſtenſibus civibus ad depopulationem caſtri montis Calerii hoſtiliter procedentibus, dilectus filius nobilis vir Thomas de Sabaudia comes avunculus tuus, qui in eodem caſtro tunc temporis morabatur, recedens exinde, ad civitatem ſe tranſtulit Taurinenſem, ſperans cum auxilio civium civitatis ejuſdem, ſuorum utique vaſſalorum in ſucceſſu * prædicti caſtri, quod ad eum ſpectare dignoſcitur, recuperare. Sed dicti cives tanquam contemptores divini timoris, & famæ propriæ neglectores, fidelitatis juramento, quo prædicto comiti tenebantur aſtricti, temere violato, eiſdem Aſtenſibus procurantibus, & ad id auxilium impendentibus, ipſum capere, & detinere non ſine proditionis nota nequiter præſumpſerunt: & quidam rumor jam ſiniſter interiora noſtra dolore immani acriter vulneravit: quia tanto venit auribus noſtris acerbior, quanto detenti nobis charior eſt perſona. Triſtamur itaque, nec indigne, quod filius, quem inter alios præcipue complectimur, taliter detinetur dolemus. Nec mirum quod tanti perſona magnatis, de cujus ſincero confidebamus obſequio, in manus ſuorum incidit proditorum; arctiuſque tenetur, quia devotione aſſidua invaleſcens, ad prædictæ ſedis exaltationem indefeſſa ſolicitudine laborabat, &c.* adjungit demum preces, ut Taurinenſium, Aſtenſiumque mercatorum bona, quæ in Anglia reperta fuerint, occupanda curaret, donec comes priſtinæ libertati a conjuratis fuerit reſtitutus. Eodemque argumento Henrico Regi literæ ab Alexandro miſſæ ſunt.

(*a*) *Ext. apud Par. ubi ſup.*

De eo literæ conſolatoriæ ad Reginam Angl.

* *prædictum caſtrum*

XXX. Agitabat Henricus ipſe comparandæ armis Edmundo filio Siciliæ conſilia, quæ dum poſt ampliſſima promiſſa Pontifici data turpi ſegnitie conſeneſcere patiebatur, inſula ſub Manfredi tyrannide, exceptis pauciſſimis arcibus, ſuccubuit; cujus defectionis hiſtoriam Sicularum rerum auctor anonymus Richardi, quo plurimum in ſuperiore tomo uſi ſumus, continuator proſequitur, Manfredum creaſſe Fredericum Lanceam avunculum in Calabria, & Sicilia proregem, eumque, exceptis duabus arcibus S. Chriſtina & Bubalino, Calabriam ſibi ſubjeciſſe: ac miſſis in inſulam Siciliæ exploratoribus plures ſubornaſſe: adeo Manfredi partibus ſeſe in dies efferentibus, multas urbes, viroſque nobiles ad Manfredum oratores tranſmiſiſſe, deque inſula ad illius obſequium adducenda agitaſſe. Tum de Ruffino Minorita Siciliæ prolegato in vincula Panormi conjecto de quo extant apud Wadingum plures literæ, ſubdit: *Erat autem*, inquit auctor anonymus, *in Sicilia quidam Apoſtolicæ ſedis legatus nomine frater * Roſinus de Ordine Minorum, cui nomine Romanæ Eccleſiæ obediebant, præter quoſdam paucos, quorum aliqui aperte principis partem tenebant. Sic enim prædictus vicarius in Calabria manens procuravit ſtudio ſuo, quod principis pars jam in manifeſto in Sicilia erat: ſicque factum ipſo vicario procurante*, Frederico ſcilicet Lancea, *quod creſcente parte principis, & invaleſcente captus fuit in Panormo prædictus legatus, & alii ſequaces ejus: ſicque civitas Panormitana capto legato, & aliis rebellium fuga lapſis, aliis captis, ad mandatum principis redierunt. Factus eſt in Sicilia exercitus pro parte principis hac illac diſcurrens, & cum timore exercitus multi coacti ad partem principis reverſi ſunt: quidam etiam voluntarie voluerunt, &c.*

Rex Angl. ſegniter de Sicilia filio comparanda conſilia agitat. Manfredi in Calabria progreſſus.

* *Ruffinus*

Ruffinum Minoritam prolegatum Ap. carceri mandat.

Panormum ad Manfredum deſciſcit.

XXXI. Subjungit Rogerium Fimetlum, qui pontificias partes tuebatur, ac Lentini arci præfectus erat a Manfredianis numero paucioribus profligatum: ſed brevi illorum exercitum plurium in dies acceſſione auctum, confirmatumque adeo, ut per omnium inſulanorum ora victoris Manfredi nomen volitaret. Ut vero Meſſana florentiſſima Siciliæ urbs, conſpectis tantum hoſtium ſignis, metu conſternata, partiumque ſtudio debilitata, a Pontifice ad tyrannum ignave deſciverit, exponit: *Dum adhuc in Calabria moraretur exercitus principis roboratus ſatis, & augmentatus, direxit ſe contra Meſſanam, in qua erat poteſtas quidam Romanus nomine ab ipſius terræ communitate conſtitutus, ſub quo civitas more civitatum Lombardiæ & Tuſciæ vivebat: ſub cujus regimine communitas ipſius civitatis jam egreſſa bis fuerat exercitu congregato in offenſionem illorum, qui principis partem tenebant, pluresque civitates principi obedientes ab ipſius obedientia coegerat declinare, & ſecum tenere in ſua rebellione.*

Meſſanæ orti tumultus.

Quæ tum ibi reipubl. forma eſſet.

XXXII. *Procuratum eſt itaque per prædictum comitem, ut exercitus principis Siciliæ, ut dictum eſt, ſatis roboratus, & augmentatus contra Meſſanam procederet, quo exercitu contra Meſſanenſes directo, Meſſanenſes de ſtatu ſuo ſatis dubitare cœperunt, aliquibus eorum de reſiſtendo conſulentibus, aliquibus vero ſaniori conſilio ſuadentibus, ut ſe ad principis mandatum converterent. Civitate itaque ſic inter ſe titubante, imminente ſibi terrore principalis exercitus, qui contra civitatem ipſam directus erat, prædictus poteſtas qui civitatem ipſam regebat, videns meliores & majores civitatis velle ad principis mandatum redire; videns etiam populum civitatis nimis timere de exercitu principali, qui*

Meſſanenſium ad tyrannum defectio.

*jam civitati appropinquabat, de civitate ipſa navigio receſſit. Cum jam qui partem principis occulte in civitate ipſa tenuerant, vexillum ſigno principis inſignitum aſpexerunt, nuncios ad comitem Fredericum in Calabria miſerunt, ut Meſſanam tranſiret, & civitatem ad mandata principis reciperet: qui confeſtim tranſiens, civitatem Meſſanam pro principis parte recepit, &c.*

XXXIII. Addit Fredericum acceptis aliquibus Meſſanenſium copiis in Calabriam regreſſum, S. Chriſtinæ arcem, cui Fulco Petri Ruffi e Calabria nepos, pontificiarum partium præfectus erat, obſidione cinxiſſe: ac Fulconem, cum ſe undique ab hoſte circumfuſum, Siciliamque Manfredi fortunam ſecutam, ac Meſſanenſes, quos amicos ſperarat, hoſtes experiri intueretur eam arcem, ac Bubalinam hoſti tradidiſſe: his vero inflatum victoriis Manfredum, cum ab oratoribus ab aula pontificia reverſis certior factus eſſet, Alexandrum pacis ab Octaviano Card. legato Fogiæ initæ tractatum non admittere, in qua ſancitum erat Campaniam Felicem apoſtolico imperio parituram, reliquas vero terras Conradinum Regem Manfredo adminiſtrationem publicæ rei gerente agnituras, ſigna in Campaniam ad eam Pontifici eripiendam magno bellici apparatus terrore convertiſſe, atque in hujus expeditionis procinctu Meſſanenſium oratores acceſſiſſe, qui ſe ſuaque Manfredi obſequiis addicerent: Neapolitanos vero victoris metu perculſos venienti demiſſe occurriſſe, atque ita incruento prælio potitum Neapoli Manfredum, ubi dum verſabatur, Capuanos ad gratiam ipſius ineundam oratores tranſmiſiſſe. (Meminit etiam Pariſius (a) illius Manfredi victoriæ, ac Neapolitanos & Capuanos ſe illi ab hoc anno ſubieciſſe ſcribit). Confluentibus itaque ſub jugum Manfredi populis, Averſanos defectionem meditatos: ſed pontificiarum copiarum metu, quæ urbem inſederant, a conſilio revocatos: defixis vero a Manfredo caſtris, mox cives, qui cum ipſo ſentiebant, in pontificios arma corripuiſſe aſperrimeque in urbe certatum: demum Manfredi partes obſidentium ope ſuperiores fuiſſe, Riczardumque de Avello, præfectum urbis in arcem ſe recepiſſe: quam cum tueri non poſſet, dum fugam cogitabat, obtruncatum cecidiſſe: paulo vero poſt reliquas urbes Campaniæ Felicis jugum accepiſſe.

Verſi in Neapolim Manfredi impetus.

In eam recipitur.

(a) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Potitur Capua.

Averſam ſibi ſubiicit.

XXXIV. Expectabat interea Alexander in tot adverſis caſibus, ut Henricus Anglorum Rex conflato florentiſſimo exercitu collapſas res redintegraret, filioque Edmundo traditum regnum aſſereret. At Henricus promiſſa nulla, quibus fretus Alexander pacem reſpuerat, belloque difficillimo ſe implicuerat, tenuit: nec enim ſtato tempore exercitum in Apuliam, vel ad confirmandos, qui in fide ſtabant, vel amiſſa recuperanda immiſit: nec ſumptus Pontifici, quos in eo bello collocarat, refundere potuit. Quare ne anathema, pœnaſque fidem non ſervanti impoſitas contraheret, ab Alexandro flagitavit, ut tempus ad fidem exolvendam extraheret: cui filioque Edmundo hæc Pontifex (b).

Angliæ Rex promiſſam Pontifici opem non ſubmittit.

(b) Lib. 2. ep. 465.

*Supplicantibus olim nobis humiliter venerabili fratre noſtro archiepiſcopo Tarantaſienſi, & dilecto filio electo * Saresbinenſi, ac abbate Vveſtmonaſterii Londonienſis nuntiis veſtris, ut cum jam inſtaret feſtum ſancti Michaelis, terminus videlicet tibi fili Rex Angliæ præfixus a nobis ac per te etiam approbatus, infra quem venire, vel mittere capitaneum cum militia competenti in regnum Siciliæ, ac certam pecuniæ ſummam nobis, & Eccleſiæ Romanæ pro expenſis factis in ipſo regno ſolvere tenebaris, prout in apoſtolico privilegio confecto ſuper conceſſione prædicti regni facta tibi, fili Rex Siciliæ, plenius continetur, prorogari vobis hujuſmodi terminum de benignitate apoſtolica curaremus. Nos igitur ipſorum ſupplicationibus inclinati, eundem terminum primo uſque ad octavas prædicti feſti, ac deinde uſque in diem mercurii poſt octavas ipſas tunc primo venturum de fratrum noſtrorum conſilio duximus prorogandum, ſicut plenius literæ apoſtolicæ continent, quas eiſdem nunciis duximus ſuper hoc concedendas. Verum quia interim dicti nuntii petitiones veſtras coram nobis, & prædictis fratribus proponere curaverunt, nos hujuſmodi petitionibus diligenter auditis, & plenius intellectis, habitaque diligenti deliberatione cum eiſdem fratribus ſuper illis, memoratum terminum ad ipſorum nuntiorum inſtantiam, quantum ad infraſcriptas ſententias dumtaxat, & pœnam a prædicto die mercurii uſque ad ſex menſes computandos a kal. menſis decembris proximo venturi, &c. prorogamus. Dat. Anagniæ 2. non. octob. anno 2.* [1].

* Saresberienſi

Numerandi militibus ſtipendii tempus extrahi flagitat.

XXXV. Sprevit poſtea Henricus Siciliam armis comparare, cum ob itinerum longiſſimos tractus atque Manfredi potentiam nimis ingraveſcentem ab ea expeditione, quam in ſe magna religione ſuſceperat, aggredienda deterreretur. Scribit enim Pariſius, (a) Henricum habito hoc anno a S. Ludovico ſolemni ordinum conventu, proximo a purificatæ Virginis feſto die oratorem, qui liberum in Italiam profecturo exercitui, vel ærario, per Gallias iter flagitaret, ſubmiſiſſe. Sed cum fama increbreſceret pontificias copias in dies atteri, ac Manfredum latius victorias circumferre, ab ea re petenda, ut in extremum diſcrimen adducta atque inutili, abſtinuiſſe: contendiſſe vero ut jura ſibi ac Joanni parenti antea erepta reſtituerentur: ſed a Gallis hujuſmodi precibus repulſam objectam fuiſſe: dejectum itaque ſpe ſua oratorem reverſum in Angliam, ac rumores tantummodo de Manfredi progreſſibus attuliſſe. Dum porro Henricus moras alias ex aliis necteret, atque Alexandrum inani potentiſſimæ expedi-

Expeditionem Siculam intermittit.

(b) Par. hiſt. Angl. hoc ann.

NOTÆ

[1] Eccleſiæ univerſæ ſtatum miſerabilem, quæque tunc ſpes fortunæ melioris affulgeret, expreſſit adſtricta carminibus oratione Albus cardinalis, cujus carminis excerpta ex codice MS. ab Uoglino Emporienſi anno 1381. exarato, Cl. Lamius in deliciis eruditorum ad chronicum pontificium Leonis Urbevetani pag. 322. vulgavit. Juvat integrum carmen hic exhibere ad illuſtranda ea, quæ hic in annalibus traduntur.

*Nulla fides, nec amicus erit, nec fœdus amoris*
*Inter terrigenas, nec pietatis opus*
*Namque ſacerdotes Domini, fideique miniſtri*
*Fœdera turbabunt, catholicamque fidem,*
*Proh dolor! ordo ſacer fratrum, ſi dicere fas eſt,*
*In laqueos hæreſis, & labyrintha cadet*
*Hos rapiet mundana lues & gloria vana,*
*Fervor avaritiæ, luxurieſque putris.*

Binis hiſce carminum paribus ſuggillari cenſeo Siculos epiſcopos, qui cum Manfredo principe Hæreticorum & Saracenorum fautore adverſus Romanam eccleſiam partes tuebantur; adeoque & de caſtitate fidei ſuæ opinionem malam ingerebant. Quod vero ait de fratribus, id ſpectare arbitror ad F. Heliam, ejuſque aſſeclas, qui Friderico, non ſine gravi fidelium querela, adhæſerunt. Pergit cardinalis:

*Æmula non rabies illos torquebit atroci*
*Morſu torquentes religione ſua.*
*Sicque moras poterit ſacræ deflere quadrigæ*
*Zacharias, quoniam non trahet ullus eam*
*Sicque propheta novus veniet ſub tempore, per quem*
*Gens erit & dubia credulitate ſua.*
*Inter chriſticolas erit altercatio ſectæ*
*Fiet in orbe fides diſcolor alma Dei*
*Papabunt pariter, & eodem tempore plures*
. . . . . . . . .
*Rex novus adveniet totum ruiturus in orbem,*
*Ut domet extremam matris honore plagam*

Henricus nempe rex Angliæ, cujus filio Siciliæ regnum pontifex obtulerat, oblatumque pro filio pater acceptaverat.

*Ex inſperato properans de montibus altis*
*Atque cavernoſis, mitis, & abſque dolo*
*Pauper opum, dives morum, ditiſſimus almi*
*Pectoris, ob metum, cui Deus augur erit.*
*Hic Siculos, pravamque tribum ſævi Friderici*
*Conteret, ulterius nec ſibi nomen erit.*
*Cuncta reformabit, quæ trux Fridericus & ejus*
*Subvertit ſoboles ſæva, ſuuſque ſequax*
*Hic ſub apoſtolico Romanos ponit in arctum,*
*Vim dantes Romæ, ſic patientur onus.*

Romanos ægre paruiſſe pontifici, ac ſæpius per hæc tempora in ejus injuriam pro imperatore conſpiraſſe, ſatis conſtat ex illis, quæ Brancaleo Romanæ urbis ſenator in Innocentium IV. molitus fuit, qua de re Nicolaus de Curbio in ejus pontificis vita cap. XXXIV.

*Sic trahet ad Chriſtum Machometi marte ſequaces*
*Sic & ovile unum, paſtor & unus erit.*
*Vos igitur hæc cuncta mihi ſperate ſodales*
*Eſſe revelata mobilis arte poli.*
*Tunc quinquaginta ſex anni mille ducenti*
*Currebant, factum cum fuit iſtud opus.*

Ex poſtremis his verſibus intelligimus Album cardinalem, cui totum carmen adſcribit Voglinus in excerptis, de quibus ſupra, ad hunc uſque annum 1256. vitam prorogaſſe, adeoque magno errore Jongelinum in purpura S. Bernardi, ex quo id deſumpſit Oldoinus in addit. ad Ciacon. obiiſſe illum paulo poſt annum 1244. affirmat. Albus ex eremicola appenninorum montium, monachus dein Ciſtercienſis, tandem anno 1244. cardinalis renunciatus, ac paulo poſt e vivis deceſſiſſe fertur, quod tamen poſtremum ex hoc carmine mendacii convincitur. MANSI

Hydruntinor. conſtantia.

ditionis expectatione deluderet, nonnullæ urbes firmiſſimis præſidiis munitæ, quæ hactenus in fide Pontificis ſteterant, demum ſuccubuerunt. Hydruntini enim, quorum conſtantiam datis hoc anno Anagniæ nonis ſeptembris literis magnis laudibus extulit, (*a*) ampliſſimaſque donationes ab Octaviano Apoſtolicæ ſedis in Sicilia legato iis attributas corroboravit, haud multo poſt in Manfredi obſequium procubuerunt: quam rem geſtam ita deſcribit ſupra laudatus Sicularum rerum auctor anonymus (*b*).

(a) *Alex. l. 2. ep. 392.*

(b) *Rer. Sic. auct. anonym.*

XXXVI. Brunduſium Manfredum excipit.

*Habita autem ſic terra Laboris princeps in Capitanatam redit, & tamen in Siciliam ſe conferre diſponens, voluit divertere per civitatem Brunduſii, quæ adhuc in rebellione durabat, cum quibuſdam aliis civitatibus terræ Hydrunti; cumque fuiſſet ante civitatem illam, voluit ibi moram trahere: ſed ſtatuta obſidione terra marique proceſſit Tarentum, abinde in Siciliam profecturus. Cum autem adhuc eſſet Tarenti, intellexit ibi quod Brunduſini volebant ſe dare eidem principi: nam quidam de ipſa terra civis nomine Aytoldus de Ripa alta, attendens principis potentiam eſſe in continuo incremento, ſtultum reputans illi reſiſtere, quem Dominus exaltabat, volens & principi complacere, & ſe & civitatem ab errore ſuæ rebellionis revocare, tractavit: & ita in civitate Thomas de Oria, qui caput erat rebellionis & ipſi civitati dominabatur, cum ſuis comitibus captus eſt: quibus captis civitate Brunduſina ad mandatum principis redeunte habita eſt; Oria & Hydruntum, quæ cum prædicta civitate ſe tenuerant, & ſicut ipſam in rebellione ſequebantur, ſic & in converſione ſecutæ ſunt, &c.* Addit ut eodem tempore Arianum ſitu loci, & propugnaculis munitiſſimum, quod pontificias partes acerrime defendebat, a Friderico Maletta Manfredi avunculo, Nuceriæ Sarracenorum præfecto, ſcelere ac dolo expugnatum fuerit.

Hydruntum ejus exemplum ſequitur.

XXXVII Arianenſes dolo intercepti.

*Tractavit*, inquit, *dictus capitaneus, quod ſub ſpecie cujuſdam confœderationis initæ inter homines Ariani, & quoſdam de Luceria, qui contra principem ſe occulte eſſe finxerunt, illi de Luceria quaſi de terra fugientes, & ſe in Arianum in auxilium Arianenſium receptare volentes, civitatem Ariani noctu ingreſſi ſunt: qui poſtquam in civitate fuerunt, infidam fidem fregerunt, & fidelem perfidiam direxerunt. Nam ſtatim occurrentes ſibi quadam ſecuritate Arianos, cives trucidare cœperunt, & nocturno tempore nullo inter hoſtes & cives fieri patiente diſcrimine, facta eſt magna inter ſe civium cædes: ſicque civitas capta eſt, atque deſtructa multis eorumdem civium in illa nocte cæſis, multis fuga lapſis, & aliis majoribus civitatis, qui caput rebellionis fuerant captis & ſententialiter damnatis ad mortem: aliis mediocribus & vilioribus, qui cædem nocturnam caſualiter evaſerant, & qui a condemnatione mortis pro eorum numeroſitate & vilitate exempti ſunt, de loco illo ejectis, & per alia loca regni ad habitandum tranſmiſſis.* Dum ita Siculos Manfredus, qua vi, qua dolo in ſervitutem redigebat, Monopolitani illius jugum exoſi ad pontificias partes ſe convertere: ob cujus facti gloriam nonnullis prærogativis reperiuntur decorati ab Alexandro: (*c*) qui etiam epiſcopum a ſe pontificalibus ſacris initiatum ad ipſos tranſmiſit (*d*). Beneficia etiam apoſtolica promeruere Aquilani, ad quos veluti fidiſſimos clientes Alexander duo diplomata dedit, (*e*) ac Furconienſem epiſcopatum Aquilam traduxit ſedemque in SS. Maximi & Georgii templo collocavit, eaque de re ad clerum Aquilanum, atque epiſcopum Furconienſem Aquilam tranſlatum ſcripſit, (*f*) ſed de his fuſius anno ſequenti.

(c) *Lib. 2. ep. 134.*

(d) *Lib. 3. ep. 3.*

(e) *Lib. 3. ep. 28. 30.* Aquilani Rom. eccleſiæ obſequentes.

(f) *Ib. ep. 29. 31.*

XXXVIII. Ezelinus Eccleſiam oppugnat.

Non modo Manfredi tyrannidem in Sicilia, verum etiam Ezelini ſævitiam Eccleſia ſuſtinebat in Longobardia; contra quem deſignatus Ravennas epiſcopus creatus ab Alexandro legatus longe felicius quam Octavianus Card. rem geſſit, ac primum cum ille tyranni potentiam formidandam advertiſſet, omni ſpe in cœleſte numen conjecta, cujus cauſam contra hæreticum contemptorem Eccleſiæ, anathemate jam defixum defendendam ſuſceperat, triumphalia crucis ſigna explicuit.

In eum ſacrum bellum movetur.

Moverat adverſus Mantuanos tyrannus, qui jugum ipſius e ſuis cervicibus depulerant, utque amiſſo fidei lumine ineptis aſtrologorum vaticiniis addictus erat, defixis caſtris ipſos ſidera conſulere juſſit (*g*): ſortilegiis enim addictum monachus Patavinus notat. Pronuntiarant inſani ipſius aſtrologi, ac forte de induſtria, ut animarent militem: tempus opportuniſſimum, quo in Mantuanos irrumperet Ezelinus; eoque reſponſo ſui confirmati circumjectis Mantuæ agris vaſtitatem intulere.

(g) *Monac. Paduan. chron. l. 2.*

Patavium ei ereptum.

Non prædixerant aſtrologi Ezelino expugnationem Patavinæ urbis, quæ a legato Ap. cruceatis copiis ſuccincto, Venetorumque ſubſidiis fulto, dum in Mantuanorum terras fureret, obſeſſa validaque impreſſione facta edomita, atque ad Pontificias partes traducta eſt: mox aperti carceres, diſtrupta vincula, in quibus plures innocentes diu luxerant, (*h*) Andeſiſius urbis præfectus in ea rerum converſione fuga præcipiti meritis ſeſe pœnis ſubduxit.

(h) *Append. Andr. Dandali.*

XXXIX.

Sparſerat ſeſe rei geſtæ fama, atque Ezelinum horrore perfuderat, cum ille (*i*) Mantuanis relictis, Veronam advolat, ac duodecim millia Patavinorum, qui in urbe agebant, proditionis accuſa-

(i) *Monach. Pad. ubi ſup.*

tos



Barbaries Ezelini in Patavinos.

tos rabie efferatus in carceres coniicit, ac partim fame, partim ſuppliciis enecavit, crudelique edicto imperavit, ut fugentibus Patavinis pedes manuſque amputarentur: nec minus inhumani ſatellites juſſa immania exercuere; adeo ut funeſtis mutilatorum vocibus arva perſonarent. Urebat Ezelinum cura, qua tandem arte Patavium recuperaret, ac primum Vicentini ejus impliciti partibus, cum flumen alio avertere ac derivare niterentur, legati Apoſtolici diligentia intercepti, cæſi ſunt:

Fruſtra Patavium tentat.

poſtea Ezelinus pudorem expiaturus, iraſque ſatiaturus, Patavium obſidione cingit, ſed licet longe majores copias adduxiſſet, quam legatus numeraret, cum illius virtute omnes ſuos conatus eluſos ac fractos videret, re infecta ſolvere obſidionem coactus eſt.

XL.

Navarunt (*a*) in eo bello egregiam Eccleſiæ operam Veneti tum in Patavio expugnando, tum in Ezelino caſtris propulſando, ad quorum gratiam Alexander Gradenſi patriarchæ auctoritatem contulit, ut in omnibus eccleſiis, quas Veneti in oriente obtinerent, epiſcopum præficere poſſet; tum aliis ampliſſimis auxit privilegiis, quæ ſubjecto diplomate continentur (*b*).

(a) *Append. And. Dand. in Rayn. zeno.*

Veneti optime de Eccleſia meriti.

(b) *Lib. 2. ep. 334.*

*Angelo patriarchæ Gradenſi, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum, &c.*

Alex. literæ ad patriar. Graden.

*Venerabilis in Chriſto frater Angele patriarcha, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Gradenſem eccleſiam, cui Deo auctore præeſſe dignoſceris, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus. Igitur prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Pelagii, Alexandri, Urbani II. Adriani, Alexandri, Lucii, Urbani III. Clementis & Innocentii III. veſtigiis inhærentes, illius præcipue conſtitutionis tenorem ſervantes, quam prædeceſſor noſter Leo IX. Papa ſancivit, & ſynodali judicio vel privilegii pagina confirmavit, tibi tuiſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis patriarchalem concedimus dignitatem, & magiſterium Gradenſis eccleſiæ gerendum in iis tantum finibus confirmamus, qui per ſupradictos prædeceſſores noſtros eidem noſcuntur eccleſiæ conſtituti.*

Quibus finibus deſcriptus ejus patriarchatus.

*Epiſcopalium præterea cathedrarum urbes, item Caſtellum, Torcellum, Matamaucum, Caprulium, Civitatem novam, Equilum, Veglam, Arbem, & Auſetium memoratæ Gradenſi eccleſiæ tamquam ſuæ metropoli ad exemplar fel. recordationis Anaſtaſii PP. prædeceſſoris noſtri ſubjectas eſſe decernimus.*

XLI.

*Crucem quoque ante ferendam eſſe concedimus, niſi cum Romæ fueris, aut in præſentia vel comitatu Romani Pontificis, Pallium etiam, plenitudinem videlicet pontificalis officii, fraternitati tuæ ex Ap. ſedis liberalitate largimur, quo intra eccleſiam tuam ad miſſarum ſolemnia celebranda uti memineris, eis diebus, quibus prædeceſſores tuos uſos fuiſſe cognoſcis, videlicet in nativitate Domini, Epiphania Ypapanti, tribus feſtivitatibus S. Mariæ, Cœna Domini, Sabbato ſancto, Reſurrectione Domini, Aſcenſione, Pentecoſte, in natalitio S. Joannis Baptiſtæ, & omnium Apoſtolorum, in feſtivitatibus quoque S. Marci, ſancti protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Martini, in ſolemnitate omnium ſanctorum, & principalibus eccleſiæ tuæ feſtivitatibus, nec non eccleſiarum, epiſcoporum, & cæterorum clericorum conſecrationibus, & anniverſario conſecrationis tuæ die. Adiicimus autem ut præter hæc in dominica in ramis palmarum, in feſtivitatibus SS. Silveſtri & Canciani valeas pallio ipſo uti.*

Quibus diebus pallio uti poſſit patriarcha.

XLII. Adhortatio ad patr. ut eccleſiam pie adminiſtret.

*Cujus itaque dignitatem in bonis per omnia te volumus vendicare, ut videlicet in corrigendis ſubditis plus apud te poſſit ratio quam poteſtas, atque te boni dulcem, mali vero pium ſentiant correctorem, perſonas diligas, & ſubjectorum vitia perſequaris, ne ſi aliter agere forte volueris, tranſeat in crudelitatem correctio, & perdas, quos deſideras emendare, ſicque vulnus debes abſcindere, ut non poſſis quod ſanum eſt, ulcerare, ne ſi ferrum plus, quam res exigit, imprimatur, noceat cui prodeſſe feſtinas: ſed ſic alterum condiatur ex altero, quatenus & boni habeant amando quod caveant, & mali metuendo quod diligant.*

Fit primas Jadertini archiepiſ.

*Præterea ne commiſſa regimini & diſpenſationi tuæ præfata Gradenſis eccleſia, quæ de benignitate Apoſtolicæ ſedis prærogativa gaudet honoris, ex brevitate patriarchatus inferior & abjectior valeat apud ſimpliciores haberi, ad ampliandam dignitatem ipſius, * prioratum ei ſuper Jadertinum archiepiſcopatum, & epiſcopatus ipſius apoſtolica auctoritate concedimus, & tam te quam ſucceſſores tuos Jadertino archiepiſcopo, & epiſcopis ejus, qui pro tempore fuerit, dignitate primatus, ſtatuimus præſidere, & conſecrationis munus eidem archiepiſcopo impertiri, Romano quidem Pontifici traditione pallii reſervata.*

* primatum

XLIII. Data ei auctoritas ut in Orientali imperio Venetorum eccleſiis epiſcopos imponat.

*Cæterum tam devotioni tuæ, quam honori & utilitati Gradenſis eccleſiæ, cui auctore Domino præeſſe dignoſceris, deferre volentes, bonæ memoriæ Adriani PP. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, tibi & tuis ſucceſſoribus auctoritate apoſtolica duximus concedendum, ut in Conſtantinopolitana urbe, & aliis itidem civitatibus in Conſtantinopolitano Imperio dumtaxat conſtitutis, in quibus Veneti plures habent eccleſias, ubi videlicet earum multitudo*

con-

*conſuevit aſſidue convenire, liceat vobis epiſcopos ordinare, & abſque alicujus contradictione munus ei conſecrationis impendere. Statuimus etiam ut quæcumque bona, quaſcunque poſſeſſiones eadem Gradenſis eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Porro eccleſias a religioſis viris canonice ipſi eccleſiæ Gradenſi oblatas per epiſcopatus tuos conſtitutas tibi, tuiſque ſucceſſoribus libere confirmamus, ita ut nulli epiſcopo abſque tuo aſſenſu in eis liceat conſecrationes celebrare, aut ſacerdotibus in eiſdem Domino ſervientibus, donec in locis ipſius fueris, divina officia prohibere. Decernimus ergo ut nulli &c. Datum Anagniæ per manum magiſtri Rollandi S. R. E. vicecancellarii* II. *idus jul. indict.* XIV. *incarn. Dom. anno MCCLVI. pontificatus vero domini Alexandri IV. anno* 2.

XLIV. Alia in religioſos viros collata beneficia ab Alex. Carmelitarum diſciplina confirmatur. (a) *Lib.* 2. *ep.* 75. Servi B. Mariæ. (b) *Ib. ep.* 207. Tradunt ſe dono Ap. ſedi.

Explicuit eodem anno Apoſtolicum ſtudium in religioſos viros Alexander, pluribuſque auxit privilegiis: dato enim diplomate apoſtolico ad eremitas montis Carmeli diſciplinam ipſorum aſperiorem, quam Innocentius quartus in mitiorem formam detorſerat, ſua auctoritate communivit (*a*). Apoſtolico etiam patrocinio priorem ac fratres B. Mariæ de monte Sonajo, vulgo Servos S. Mariæ nuncupatos, (*b*) ordinis S. Auguſtini Florentinæ diœceſis eſt proſecutus, [1] qua prærogativa ab Innocentio antea fuerant decorati: ii vero Apoſtolicæ ſedi ſervire regnare rati, ſeipſos ſuaque omnia in Romanum Pontificem dono contulere. Plures quoque ſparſas eremitarum, quorum alii S. Guillelmi, alii Joannis Boni dicebantur, congregationes, quæ D. Auguſtini inſtituta erant amplexæ, dato ad Lanfrancum ſupremum præfectum, alioſque diplomate, (*c*) in eundem ordinem ſub uno capite coire & coaleſcere imperavit: quamquam poſtea eremitis S. Guillelmi, ne aliis ſeſe aggregare inviti tenerentur, remiſit; (*d*) aliiſque literis in Apoſtolicæ ſedis clientelam ipſos adſcivit (*e*). Miniſtro etiam, ac religioſis viris ordinis S. Trinitatis & captivorum permiſit, (*f*) ut in Cervi frigidi monaſterio Meldenſis diœceſis, ubi eorum ordo inſtitutus ferebatur, annis ſingulis ſolemnia comitia celebrarent. Antea vero hoc anno ineunte cunctis Dominicanæ familiæ alumnis veniam peccatorum conceſſit, (*g*) qui ad habendas ſacras conciones in loca ſancta ſeſe conferrent.

(*c*) *Ep.* 252. Eremitarum ſodalitia in unum Auguſtinianum coacta. (*d*) *Ep.* 370. (*e*) *Ep.* 369. (*f*) *Ep.* 85. Trinitarii, & Prædicatores comitia inire juſſi. (*g*) *Ep.* 23.

XLV. Fideles ad Syriacum bellum accendi juſſi. (*b*) *Stad. in chron. hoc ann.* (*i*) *Lib.* 2. *ep.* 142. Patr. Antioch. A. S. L. * *attriverunt.*

Alexandrum porro hoc anno ad incitandos Chriſti fideles, ut in Terræ ſanctæ ſubſidium arma capeſſerent, incubuiſſe, tradit Albertus Stadenſis, (*b*) qui paucis poſt hæc interjectis verbis chronico finem impoſuit. Fulciendæ enim erant novis auxiliis Syriacæ res, ne penitus conciderent, quarum lugubrem ſtatum innuit Alexander in literis (*i*) ad patriarcham Antiochenum datis III. id. februar. *Adeo Turquemanni, & alii Chriſtiani nominis inimici hactenus terram Antiochenam continuis bellorum incurſibus * decreverunt, quod quidquid extra civitatem*

NOTÆ [1] Facta nunc primum mentio in annalibus de ordine Servorum B. M. V. invitat nos ut illuſtris hujus religioſorum virorum cætus exordia explicemus. Anno 1233. die IIIi. ſeptembris viri ſeptem Florentini, ſanguine non minus quam virtute clari, qui in laudes Deiparæ concinendas ſtatis horis coeuntes, *Laudenſium* nomen contraxerant, ad Ardingum urbis illius epiſcopum ſe contulerunt, rogantes, copiam ſibi fieri commune vitæ inſtitutum in ſeceſſu capeſſendi, ubi virtutum exercitio totos ſe traderent. Qua facultate ab illo impetrata, in locum quendam urbis mœnibus conjunctum convenerunt. Evoluto anno Sanarum, qui corrupto dein nomine Senarius appellatus fuit, montem conſcenderunt, cujus portione, quæ ſui juris erat, ab epiſcopo donati ſunt. Nullas tamen adhuc certas vivendi leges ſibi præſcripſerant, cum forte contigit ut Gaufridus Caſtellioneus S. R. E. cardinalis, qui dein Romanam cathedram ſub Cæleſtini IV. nomine aſcendit, legatione in Inſubriam & Longobardiam fungens eo veniret, locique amœnitate & incolarum ſanctimonia illectus aliquandiu ſubſiſteret. Eo hortatore regulam S. Auguſtini ab Ardingo epiſcopo traditam acceperunt, regulamque & veſtem, cujus formam Deipara per viſum monſtraverat, epiſcopus approbavit. Annus quo hæc geſta ſunt a Giani, ordinis illius annaliſta, indicatur 1238. quo in Provinciam veniſſe Gaufridum, nullo tamen authore indicato, ſtatuit. Si quid tamen conjecturæ valeant, annum hunc indicari cenſerem a Paulo Florentino in dialogo de origine ordinis Servorum evulgato a Martenio collect. monum. to. VI. ſcribente indutos fuiſſe novis veſtibus viros illos ſanctos anno *a ſalutifera Chriſti incarnatione MCCXXXIII. Gregorii IX. pontificatus anno XIV.* Ambo hæc plane non cohærent, cum annus XIV. Gregorii nonniſi in annum 1240. incidere poſſit; ſed forte author iſte duas annorum epochas in unam imperite conjunxit. Nam anno 1233. ſeptem illi viri commune vitæ inſtitutum approbante epiſcopo ſuſceperunt; anno vero 1240. communes veſtes in regulares tranſmutarunt. Nec obſtat Gaufridi legatio, cujus ſuſceptæ annus non plane cum iis cohæret. Definire enim nemo poteſt utrum cum primum munus illud inivit, vel potius eo abſoluto Sanarium venerit. Ordinis hujus in hunc modum inſtituti approbatio apoſtolica primum facta eſt a Raynero cardinali A. S. L. anno 1248. quod dein ab Alexandro IV. anno iſto 1256. confirmatum fuit. Porro ordo iſte ſat celebris eſt cum viris omnis generis, ſanctimonia ſcilicet & literis claruerit, Eccleſiæ non ſemel profuerit, ac tandem nihil ſit alios religioſos ordines commendans, quod & huic pariter non conveniat. MANSI



Antiochenus principatus a Turquemannis ex parte occupatus. Nimocien. eccl. adminiſtratio patriarchæ permiſſa.

*Antiochenam, & caſtrum Curſarii, quod eſt Antiochenæ eccleſiæ ſpeciale, conſiſtit, ſuppoſuerunt fere totaliter vaſtitati.* De Turquemannorum irruptione jam ante egimus: ſubdit in his vero literis Pontifex, ut cum ob hoſtium incurſiones vectigalia Antiocheni patriarchatus adeo ſint imminuta, ut ſuſtentandæ dignitati patriarchali paria non ſint, ſe Nimocienſis in Cypro eccleſiæ adminiſtrationem illi contuliſſe.

XLVI. (*a*) *Ep.* 67. Reſtitutus divinus cultus in templo ſepulcri Dominici.

At cum in ſacro ſepulcri dominici templo divinus cultus obſoleſceret, (*a*) Jacobo Hieroſolymitano patriarchæ A. S. L. illius reſtituendi cupido poteſtatem contulit, ut canonicorum numerum aliorum ex ſupplemento augeret. Ne vero barbari latius proferrent victorias, muniendis arcibus data opera. [1] Cumque in Joppe propugnaculis præſidioque militari firmanda comes Joppenſis ſua profudiſſet, Pontifex Jacobo patriarchæ dedit imperia, ut mille marchas ex iis ſedecim millibus byſantiorum Saracenatorum quæ apud Templarios Ptolemayde in belli ſacri ſumptus aſſervabantur, comiti numerandas curaret (*b*): *Circa negotium*, inquit, *Terræ ſanctæ nobilis vir comes Joppenſis tanto affectu ducitur, quod ipſe, ſicut accepimus, pro cuſtodia caſtri Joppenſis non ſolum omnia bona ſua mobilia, & non modicam partem ſui patrimonii jam expendit, ſed etiam gravi propter hoc premitur ſarcina debitorum.*

(*b*) *Ib. pag.* 407. Joppenſis comitis levata inopia.

XLVII. Alexandri curæ pro traducendis ad Eccleſiam Græcis. Legatio ad Theod. Imp. miſſa. (*c*) *Ibid. ep.* 325.

Apoſtolicam etiam ſolicitudinem Alexander ad Græcos ab ſchiſmate funeſto, in quo tot ſæculis demerſi jacuerant, revocandos, reſtituendoſque Eccleſiæ defixit, atque adeo ad tantum perficiendum opus, quod cum ipſius prædeceſſore Innocentio a Calojoanne ſive Vatacio agitatum fuerat, epiſc. Urbevetanum legati dignitate auctum, rei cum ipſis tranſigendæ auctoritate inſtructum, ad Theodorum Imp. miſit (*c*): ſi conjunctionem illam in opus perduceret, de cogendo œcumenico concilio cum eis decerneret. Qua vero ratione rem inire, ſeque gerere deberet, in apoſtolicis expreſſit literis, ſingulaſque conditiones, ad quas deſcenſurus, ac paulatim deflexurus eſſet, circumſcripſit, tum quid antea cum Innocentio tractatum edocuit.

*Alexander, &c.*

XLVIII. Oblata ab Imp. pro obtinenda coniunctione cum Rom. eccleſia

*Hæc ſunt recognitionis, & petitionis capitula, quæ dudum Quiſicen. & Sarden. archiepiſcopi, & Angelus comes, ac Theophylaceus magnus interpres, ex parte quondam Calojoannis Imperatoris, & eccleſiæ Græcorum felicis recordationis Innocentio Papæ prædeceſſori noſtro, & ſedi Apoſtolicæ obtulerunt.* 1. *Videlicet, Romanæ ſedi, ejuſque ſummo Pontifici præ cæteris patriarchalibus ſedibus ſummi recognitionem, ac profeſſionem in Eccleſia catholica principatus.* 2. *Canonicam obedientiam præfato prædeceſſori, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus exhibendam.* 3. *Prærogativam appellandi Romanam Eccleſiam, cum ſacræ perſonæ eccleſiaſticæ Græcorum a ſuperioribus ſuis crediderint ſe gravari.* 4. *Liberum recurſum ad ſedem Romanam in quæſtionibus, quas inter prælatos, & alias perſonas eccleſiaſticas Græcas contigerit ſuboriri.* 5. *Obedientiam quoque in ſententiis, quas Romanus Pontifex ſacris non adverſas canonibus promulgabit.* 6. *In conciliis inſuper eidem Pontifici primam ſedem, & primam ſubſcribendi vicem, cum ſubſcriptiones fuerint faciendæ.* 7. *In quæſtionibus fidei, ſi quæ ibidem fortaſſis emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre judicium, quod dummodo evangelicis & canonicis non obviet inſtitutis, obedienter cæteri ſuſcipient, & ſequentur.* 8. *In aliis vero eccleſiaſticarum perſonarum cauſis, & negotiis, quæ in conciliis tractabuntur, ſententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodo ſacrorum non adverſentur conciliorum decretis, cæteri acquieſcent.*

Primatum illius ſupremum agnoſcebat. Permittebat ut Græci ad eam provocarent. Primam in Conciliis ſedem dabat. Ferendam in cauſis fidei ſententiam admittebat. Quæ depoſceret ab Eccleſia Rom.

XLIX. Reſtitui ſibi Conſtantinopolim. Et Græcis patriarchales eccleſias. Admiſſa ab Innoc. IV. oblata a Calojoann.

*Ad hæc iidem nuncii ſæpedicto Calojoanni Conſtantinopolitanæ civitatis Imperium, & patriarchis Græcis ibidem, & alibi patriarchalium ſedium jura reſtitui petierunt, ac Imperatorem, & patriarchas Latinos ab eiſdem civitate, ac ſedibus amoveri, Antiocheno patriarcha in illa eccleſia, dum viveret, tolerato. Sane oblationem, profeſſionemque præmiſſas felicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter de fratrum ſuorum conſilio nobis tunc in minori officio conſtitutis, ut per hujuſmodi benignitatis aſſenſum deſiderabili tantæ reconciliationis incremento, tota lætaretur fidelium univerſitas, approbavit, ſperans quod poſtquam prædicta eccleſia in mater-*

NOTÆ [1] Jacobus patriarcha Hieroſolymitanus, de quo hic in annalibus, anno iſto, vel forte exeunte præcedenti ex epiſcopo Virodunenſi in patriarcham Hieroſolymitanum aſſumptus fuit, ac ſucceſſor, ut arbitror, datus eſt Roberto, qui anno 1254. die VIII. junii deceſſerat. Porro Jacobus hoc anno 1256 die III. junii, ſeu in pervigilio Pentechoſtes ( utramque diem hiſtoricus male conjungit ) quæ anno iſto in diem XXIV. maii incidit, Ptolemaidam pervenit. Hæc omnia hauſimus ex hiſtoria Gallica Bernardi theſaurarii, quæ ſub nomine continuatoris Tyrii vulgata eſt a Martenio in collectione monument. to. V. col. 735. Ex his autem non annus tantummodo, quo cepit Jacobus eruitur; ſed & omnium chronologorum error emendatur, qui obitum Roberti cum anno 1255. componunt. MANSI

*næ pacis amplexum dante Domino rediiſſet, oblationis ac profeſſionis ſuæ terminos per liberam dilectionis latitudinem ampliaret.*

L. Græcorum dolus.

*Verum cum inter alia hoc prædictæ oblationis, & profeſſionis ſeries contineret, ut poſt concilium, & reformationem uniformitatis Romanus Pontifex ante alios habeat dare ſententiam, quod utique verbum ea proponentium expoſitio declaravit, ut videlicet ſi de aliquo articulo fidei in concilio forte quæratur, quicquid ſuper eo dixerit Romanæ ſedis antiſtes, dummodo evangelicis, vel apoſtolicis non obviet traditionibus, in eo cæteri ſibi obediant, ejuſque auctoritatem ſequantur; idem prædeceſſor ſatis abſonum reputavit, quod in concilio celebrando ille ſolus articulus ſymboli Nicenæ ſynodi, in quo de proceſſione ſancti Spiritus Græca eccleſia aliquantulum a Romana diſſonare videtur, per præfatos nuncios a Romani Pontificis excipiebatur judicio, adiicientes, quod diffinitioni ejus in concilio Græca non acquieſceret eccleſia, niſi quod diffinitum eßet per ſcripturæ autenticæ teſtimonium, vel divinum oraculum comprobaret. Non enim videbatur rationabilis cauſa, qua Græca eccleſia movebatur, ut diffiniendi poteſtatem, quam Romanum Pontificem habere non negat in cæteris fidei articulis, velit eum in hoc uno articulo non habere.*

LI.

*Verumtamen, ne aliquod ex hoc reconciliationem ipſius eccleſiæ impedimentum, vel obſtaculum impediret, prædeceſſor ipſe conceſſit, in concilio imminenti tenorem prædicti ſymboli adjectione qualibet, niſi forte de mutua convenientia, quam, ſicut confidimus, reconciliationis inducet concordia, non mutari, ſed in ea forma penes Græcam eccleſiam remanere, quam dicta ſynodus promulgavit, dummodo de ſanctæ Trinitatis fide Græca eccleſia in omnibus catholice ſentiat cum Romana.*

LII. De Imperii Conſtantinop. controverſia quid reſponſum.

*Porro de Imperii negotio iidem nuncii hoc receperunt ab eodem prædeceſſore reſponſum, quod ſuper eo non vocato Imperatore Latino contra ipſum juris ratio non patitur aliquid diffiniri, quia diffinitio irrita videretur, niſi adverſus citatum confeſſum procederet, vel convictum. Sed ut nihil de iis, quæ reconciliationi orientalis eccleſiæ cooperentur, omitteret, paratum ſe obtulit ad compoſitionem inter præfatum Calojoannem, & Imperatorem eundem interponere ſtudioſius partes ſuas, confidens eam per ſuum ſtudium provenire: ſi autem placita partium in compoſitione convenire non poſſent, offerebat ſuper hoc idem prædeceſſor eidem Calojoanni exactum juſtitiæ complementum, jus ejus proſecuturus favore quo poſſet, ut juſtum pro ſuo voto judicium reportaret. Conſiderare namque debebat, ac tenere pro certo, quod eccleſia Romana in judicialis conditionis examine foveret tanto favorabilius cauſam ſuam, quanto majorem de ipſius, quam alterius devotione, atque potentia eadem eccleſia, ſi eum ut cariſſimum & ſublimem filium Deus daret ſuo gremio contineri, poterat habere profectum, ad cujus tutelam Chriſtianis ſunt diſtributæ principibus adminiſtrationes ſæcularium dignitatum.*

LIII. De Patriarchalibus ſedibus.

*Cæterum quia patriarchalium ſedium ſtatus abſque judicio immutari fas juſque non patitur, reſponſum eſt oportere illas in ea quam nunc obtinent ordinatione dimitti, niſi forte ſuper iis cauſam per conſultam ſacri deliberationem concilii dirimi placuiſſet, ſuper quo cum beneplacito ſæpefati Imperatoris prædeceſſoris noſtri concurrebat aſſenſus. Verum, ut circa Conſtantinopolitanum patriarcham Græcum in eo, quod poſſet idem prædeceſſor condeſcendere voto ejus, hoc pro illo ſuæ duxit excellentiæ offerendum, quod ipſum ex tunc Conſtantinopolitanum patriarcham vere appellationis nomine nuncuparet, & poſtquam Conſtantinopolitanam civitatem ad ejuſdem Imperatoris dominium devolvi caſu quolibet contigiſſet, eum faceret in antiquam patriarchatus ſedem reduci, ut ibi reſidens ſuis præeſſet ſubditis, quibus in præſentiarum noſcitur præſidere patriarcha Latino ſuis, quos nunc habet, ſubditis pacifice præfuturo.*

Oblata ab Inn. IV. Græcorum patriarchæ.

LIV. Eadem ab Alexandri legato tractari juſſa.

*Volumus autem, ut tu frater Urbevetane epiſcope, quem cum legationis officio ad partes Græcorum tranſmittimus, juxta ea quæ præmiſſa ſunt caute procedens, ſi plura iis utiliora, & honorabiliora Romanæ eccleſiæ, ac aptiora reconciliationis negotio a Græcis impetrare potueris, non repente proſilias ad præmiſſa capitula exponenda illis, vel etiam acceptanda. Si vero utilius videris te non poſſe procedere, tunc iſta prudenter, ſicut expedire videris, noſtro & eccleſiæ Romanæ nomine acceptabis. Quod ſi forſitan iidem Græci voluerint tecum finaliter omnia conſummare, ſed aliqua petierint, quæ tibi gravia videantur, ſuper quibus acceptandis, & conſummandis poteſtatem non habes, ac voluerint dicti Græci tunc eccleſiæ Romanæ canonicam obedientiam facere, tu ſi de futura reconciliationis conſummatione ſperaveris, ne per te rumpi tantum negotium videatur, recipias eandem ſaltem obedientiam vice noſtra, ut ipſa recepta ad ulteriora facilior ſit progreſſus.*

Data ei auctoritas ut profeſſuros Rom. eccl. primatum Græcos admittat.

LV.

*Si autem nec hoc facere voluerint, ſed nobiſcum adhuc ſuper ipſis capitulis, vel ſuper aliis ſi qua denuo emerſerint, prolixiorem voluerint habere tractatum, & tu de negotii conſummatione aliquam ſpem habueris, ordines, quod ſolemnes Imperatoris, & eccleſiæ Græcorum nuncii tam prælati, quam alii ad ſedem Apoſtolicam una tecum accedant, habentes plenitudinem poteſtatis ab ipſis Imperatore & eccleſia Græcorum in noſtra præſentia negotium conſummandi. Demum ſi per te in partibus illis juxta traditam tibi formam ad conſummationem negotii procedi contigerit, ſecure cum eis ordines de generali concilio per nos in partibus iſtis, vel circa eas ad locum ſecurum, & idoneum convocando cum aſſignatione temporis competentis, infra quod idem poſſit commode pro locorum diſtantia, & temporum malitia concilium congregari.*

Oratores mittendos ad ſedem Ap. curet.



LVI.

De Theodoro Imp.

De miſſis ad Theodorum Græcorum Imperatorem a Romano Pontifice legatis meminit Georgius Logotheta (*a*) quos infecto negotio rediiſſe innuit. Capeſſiverat ille recenter Imperium, ac defuncto ſuperioris anni menſe novembri Vatacio ſucceſſerat, ut ex eodem auctore colligitur, cujus primas res geſtas, ut ſalutatus Imperator fuerit, fœdus cum Turcis finitimis renovarit, ac Manueli patriarchæ defuncto Blemmydam, [1] quem ſenſiſſe cum Latinis in ſuperiore tomo vidimus, ſubrogare cogitarit, eoque reſpuente oblatam dignitatem, Arſenium evexerit, quo illius ingenii facilitate abuteretur, ita deſcribit: *Imperator Theodorus Imperii habenis ſuſceptis, juſtiſque Imperatori & patri, ut fieri amat, factis, & ſuper ſcutum aſſidens, uti moris eſt, ab omnibus Imperator acclamatus Nymphæo diſcedens, Philadelphiam commeat urbem ingentem, & frequentem populis oppidaniſque arma ſumere, & maxime ſagittis adverſarium configere profeſſis: ea cum in finitimum agrum Perſicum extendatur, bella cum hoſtibus continuo exercens gentem belli in ſtudiis aſperrimam alit. Ubi paucis diebus, quibus legationem ad Sultanum tranſmiſerat, commoratus, ad Bythinorum oras, & ad primam illius regionis urbem Nicæam ſeceſſit.*

(*a*) *Georg. Logoth. in hiſt. Conſtantinop. Leone Allat. interp.*

Ut Patri Vatacio ſucceſſerit.

LVII. Manuelis patriarchæ mors.

*Sed cum patriarcha orba eccleſia foret, nam paulo antequam Joannes Imperator moreretur, patriarcha Manuel vitam finierat, nec abſque patriarcha Imperatoris coronatio in ſacro templo confici poſſet; dignus ea provincia, & honore conquirebatur, plurimorum ſuffragia in Nicephorum Blemmydem, præceptorem meum, & philoſophicorum ſermonum ac dogmatum inſtitutorem, virum & literis & virtute perquam celebrem, & qui juvenis adhuc atque tenella ætate jugum monaſticæ vitæ tulerat, reſpiciebant: licet nonnullorum, & maxime primatum invidentia, non modo tantæ virtutis lumen occulerat, ſed & vitia quædam homini appinxerat. Hunc Imperator Theodorus diligebat, cui jucundiſſimus erat, quippe qui ſermonum, quibus ſummopere delectabatur, magiſtrum eum ſibi adſciverat: ſapientiæ enim culmen, & revera attigerat Imperator. Ille ad tantam rem ſegnior eſſe, & Imperator etiam ipſe non impenſe nimis urgere, cui magis voluptati erat, eum ſimilem dignitatem non recipere: Reges ſcilicet eos, qui patriarchatui præſunt, moribus ac ingenio abjectiores moderatioreſque, ut facilius eorum nutibus veluti juſſis ſuccumbant, peroptant, quod ruſticioribus cum ſermonibus fidere nequeant, potiſſimum accidit: qui vero ſapientiæ operam navant, rigidiores videntur, & illorum juſſibus adverſantur. Propterea Imperator Theodorus, illius mente ſenſuque leviter deguſtato, ad alios ſe convertit: & cum plures non ſatisfacerent, monachum quemdam ex Apolloniadis lacu, præter paucas literas cæterorum infantem, ſolum enim rudimenta grammatices attigerat, nullis ſacris ordinibus inſignitum, Arſenium nomine, accerſitum, quam celerrime miſſis hominibus, conduxit, nec ille renuit, & cum Nicæa exire feſtinaret, præſulibus, ut quamprimum eum patriarcham efficerent, imperat. Illi audientes imperio per unam hebdomadam diaconum, ſacerdotem & patriarcham eum conſecrant.* Adjungit auctor maturando patriarchalis conſecrationis cauſam Europæarum provinciarum motus fuiſſe.

Blemmydes ad patriarchatum vocatus.

Reſpuit dignitatem.

Ut Impp. Græci ineptos patriarchas crearent.

Arſenius ad ſolium evectus.

LVIII. Theodori in Europam expeditio.

Implicitum ſub ipſis Imperii initiis Theſſalico, & Bulgarico bello Theodorum conſentit Gregoras, (*b*) cum Michael Ætoliæ & Epiri princeps in Theſſalia finitimas urbes invaderet, alterque Michael Bul-

(*b*) *Greg. hiſt. Rom. l. 3.*



NOTÆ [1] MAnuel patriarcha Græcorum Nicænus per hos annos vitam abſolvit, ut ex allatis ab annaliſta hic Gregorii Logothetæ verbis liquet. Sed certus obitus illius annus nec ab eo indicatur, & apud ſcriptores in controverſiam trahitur. Bandurius enim, qui in commentario ſuo ad antiquitates imperii orientalis to. II. pag. 644. edit. Venet. de ſucceſſione Græcorum patriarcharum diligentiſſime, ſuo more, tractat, opinatur patriarcham hunc diem clauſiſſe labente anno 1254. Cum enim, inquit, cœperit anno 1243. ut Bandurius ipſe certis argumentis evincit, & ſederit annis XI. ut ex accuratiſſimo catalogo Nicephori Calliſti a ſe vulgato demonſtrat, recta ſupputatione ad annum 1254. labentem dicimur. Verum cum Logotheta aſſerat obiiſſe illum paulo antequam Theodorus imperator diem clauſiſſet, & Theodorus die V. Kalendas novembris ( octobri ſcilicet menſe non novembri, ut male hic aſſerit annaliſta ) obierit, vix credimus obitum Manuelis alio, quam anno 1255. conſignandum eſſe. Aſſumptio vero Arſenii facta eſt ut non levibus argumentis convincit P. Poſſinus, cujus opinionem adoptant Bollandiani ſocii in diſſertatione prævia de patriarchis Conſtantinopolitanis ad to. I. auguſti circa diem natalem Chriſti anni 1555. ut ſuus detur locus annis V. & diebus aliquot patriarchatus Arſenii, quot illi aſſignantur in catalogo Nicephori, ejuſque depoſitio ab anno 1260. cui illam vindicat Bandurius, non retrahatur. MANSI

Bulgariæ Rex, qui fratri Colmano ſucceſſerat, dolebatque multis urbibus a Vatacio dejectum ſe fuiſſe, accepta ejus morte, conſcripto ingenti exercitu, in Græcorum terras excurrens plurima ipſis loca eripuiſſet, (a) quæ ex Georgio Logotheta delibanda viſa ſunt: *Bulgarorum*, inquit, *princeps Michael uxoris Theodori Imperatoris frater ſocero illius Joanni Aſano, ex Angeli Theodori filia ſuſceptus, Joannis Imperatoris obitu nunciato, cum occiduas partes Imperatoriis copiis nudas orbaſque conſpiceret; cum animoque agitaſſet regionem, & in ea oppida ab Imperatore Joanne Bulgaris ſubrepta, ad Bulgarorum rurſum dominatum, quod jam diu Bulgarorum cordi inhæſerat, revocare; remque pro tempore opportunam, ut ſibi videbatur, ratus, Hæmo prodiens, tranſnatoque Hebro pauciſſimo tempore multarum regionum potitus eſt, multaque oppida nullo cum labore ſibi devinxit. Bulgari ſiquidem habitatores externorum jugo dejecto, generis conſortibus accurrebant: arces ſolo Romanorum præſidio munitæ, cum ad repellendos hoſtium impetus non ſufficerent, in poteſtatem Bulgarorum nullo negotio ceciderunt, partim timore perculſis, & deditionem arcium pro ſalute, & domum abitione prodentibus, partim repentina irruptione, cum obviam ire non poſſent, aufugientibus eaſque cuſtodibus vacuas deſerentibus, aliis etiam temporis longinquitate defeſſis, cum præter modum cuſtodiæ terminus illis protraheretur, pleræque etiam arcium imperfectæ viris, & reliquis neceſſariis parum munitæ præda hoſtibus patuerunt. E veſtigio itaque expugnatæ ſunt Stenimachus, Periſtitza, Crytzimus Tzepæna, & Achridi, præter Mniacum, quod vel ſolum Romanis perſeveraverat. Omnia, præter Uſtra, Perperacium, Cribus, & quod Adrianopoli adjacet Ephrem Bulgaris ceſſere.*

(a) Georg. Logoth. ubi ſup.

Michael Bulgariæ Rex.

Plura Græcis eripit.

LIX. Addit auctor Thodorum Imperatorem Bulgaricæ irruptionis audito nuncio, ut occidentales provincias, quæ eo caſu perculſæ fluctuabant, in officio contineret, ac recuperaret amiſſa, raptim collecto exercitu trajeciſſe Helleſpontum, atque Adrianopolim perveniſſe: certioremque factum Michaelem Bulgarorum Regem circa Hebrum caſtra fixiſſe, in ipſum extuliſſe ſigna, primoſque Bulgarici exercitus cuſtodes partim conſcidiſſe, partim in fugam egiſſe: monitum vero Michaelem noctu in loca nemoribus denſis conſita profugiſſe: Thodorum vero fugato ita hoſte, amiſſa omnia, excepta Tzepæna, in ſuam poteſtatem redegiſſe; demum ſequenti anno tentato hinc inde bello, factiſque plurimis excurſionibus Michaelem pacem flagitaſſe; eaque lege firmatam, ut Tzepæna Theodoro reſtituta, uterque antiquis regnorum limitibus ſiſteret. Confecto ita Bulgarico bello, Theſſalicum facile ſopitum eſt, ac dolo Theodorus Dyrrachium, Serbiam obtinuit: cum ſpecie tractandæ affinitatis, Michaelis deſpotæ filium Nicephorum, uxoremque in ſuam poteſtatem redegiſſet.

Repreſſus a Theodoro Imp.

Parta amittit pacemque poſcit.

LX. Addit Georgius celebratas ingenti pompa Nicephori Michaelis deſpotæ filii cum Maria Theodori Imperatoris filia, ac Nicephorum deſpotæ dignitate ab Imperatore decoratum. Sed non diu tenuit ea concordia: cum enim Theodorus in orientem ſe contuliſſet, ut victorias barbarorum, qui latius ſui terrorem circumtulerant, ne opprimerent Græcos, coerceret, Michael Ætholiæ & Epiri princeps dolens ſe a Theodoro Dyrrachio & Serbiæ arce exutum, defectionem molitur, Albaniæque præfectum Chabaronem Gloris ſuæ opera, quæ amatoriis literis ipſum exciverat veſanis amoribus irretitum ex inſidiis intercipit, Albanos in conſpirationem allicit, Serviorumque principem adverſus Theodorum concitat, ac bellum ſuperiore atrocius conciliatis cum Manfredo Siciliæ tyranno, & Villarduino Achajæ, & Peloponneſi principe affinitatibus accendit. Sed demum a Theodori ſucceſſore Palæologo dolo non viribus profligatum ſuo loco videbimus.

Dyrrachio potitur. In Aſiam redit.

Michaelis Epiri principis rebellio.

NICE-



# ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ ΤΟΥ ΒΛΕΜΜΙΔΟΥ

## ΛΟΓΟΣ ΠΡΩΤΟΣ

Ἀποδεικνύων διὰ χρήσεων γραφικῶν, δι' υἱοῦ, καὶ ἐξ υἱοῦ θεολογεῖσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Πρὸς τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Βουλγαρίας ΙΑΚΩΒΟΝ.

α'. ΕΣΤΙ μοι πάθος, ὅπερ ἐξαγγελῶ. καὶ γὰρ ὁ λόγος πρὸς ἀκέσορα ἱερὸν, καὶ ὅσοι τῆς αὐτῆς ἐπιστήμης αὐτῷ. Ἐγὼ τοῖς σοφοῖς παῤῥησίᾳ λαλῶ, καὶ οὔτι μοι δέος ἐκκαλύπτοντι τὴν διάνοιαν. ἢ γὰρ βεβαίωσιν, ἢ διόρθωσιν ἡ ἄπταιστος κρίσις ἐπαγάγοι τοῖς λεγομένοις. ἀσόφοις δὲ διαλεγόμενος ὑποστέλλομαι, καὶ μάλισθ' ὅτι περὶ Θεοῦ φθέγγομαι. δέδοικα γὰρ τὸ μὴ ξυνιέναι αὐτοὺς, ὡς ἐντεῦθεν ἐπισφαλῆ πρὸς τὸν λόγον ὑπόνοιαν ὑφορώμενος. Εἰδὲ τῷ ἀσόφῳ συνέλθοι τὸ φίλερι, τότε καὶ πρὸς τὸ λέγειν ὅλως ὀκνῶ τε καὶ ἀναδύομαι· ὥσπερ γὰρ οὐκ ἀποδεκτὸς ὁ θρασέως καὶ ἀπερισκέπτως θεολογῶν (ἐνισχεῖσθαι γὰρ τὴν θεολογίαν φόβῳ χρεὼν, ὡς ἂν μὴ πρὸς ἀπωλείας ὤσειεν ὀλισθήματα) παραπλησίως καὶ ὁ φιλονείκως ἀκροώμενος, καὶ τρόπῳ παντὶ πρὸς τὸ ἀντιλέγειν ὁρῶν, ἀποπεμπταῖος καὶ ἀποτρόπαιος. Ἔρις γὰρ κακόχαρτος ταράττει καὶ συγχεῖ τὴν ἀλήθειαν. εἰδὲ καὶ γλῶσσαι πολλαί εἰσιν αἱ συῤῥυεῖσαι πρὸς τὸ αὐτὸν, πῶς οὐκ ἂν δόξειαν τοῖς πολλοῖς περιγινόμεναι μιᾶς ἑτεροῤῥεποῦς; εἰδὲ καὶ ὧν αἱ ὑπεροχαὶ, πῶς εἰς ἀγαθὸν ἀποβαίη τῷ ἀσυμφώνῳ τὸ ἀληθευτικὸν, κατάγε δὴ τοὐμφανές;

β'. Οὕτως ἐν τούτοις ἔχων, οὕτω πάσχων, πρὸς σοφοὺς νῦν ὁ λόγος, καὶ εἰρήνην ζητοῦντας τὴν ἐν Χριστῷ καὶ διώκοντας, πεπαῤῥησιασμένως ἐρῶ περὶ τοῦ προκειμένου ζητήματος. τὸ δέ ἐστιν, εἰ δι' υἱοῦ τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται Πνεῦμα παρὰ πατρός· ἢ μὴν ἐκ πατρὸς προσεχῶς, ἀλλ' οὐ δι' υἱοῦ. καὶ ὅτι μὲν τὸ πρῶτον πολλοὶ τῶν ἱερῶν διδασκάλων παρέδοξαν, οὐδεὶς δὲ τὸ δεύτερον, οἶμαι δὴ πάντα μαρτυρήσειν ἄνδρα θεογραφικὸν εὐθύτητι διοικούμενον· οὐκ ἧττον δὲ καὶ ἡμεῖς ἐν τρισὶν Ἐπιστολαῖς φθάσαντες ὑπεμνήσαμεν.

γ'. Ὅτι δὲ τὸ μὴ τοῖς Εὐαγγελίοις σαφῶς τὴν φωνὴν ἐντετάχθαι, τοῦτο δὴ τὸ πρόχειρον εἰς ἀντιλογίαν πολλοῖς, ὅτιπερ τοῦ δόγματος ἀφαιρεῖται τὸ εὐπαράδεκτον, ἡ τῶν θεολογησάντων ἀξιοπιστία παρίστησιν. ἐπεὶ μὴ δ' ἐξεῖναι ἀπιστεῖν τοῖς ὑπὸ τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν εἰρημένοις, ἀλλ' ἀπόδειξιν εἶναι τοῦ λόγου τὸ ἐκείνων ἀξιόπιστον, πάσης δυνάμεως λογικῆς καὶ ἀντιλογικῆς ἰσχυρότερον ὁ τῆς Θεολογίας ἐπώνυμος

# NICEPHORI BLEMMIDÆ

## ORATIO PRIMA

Demonſtrans Sanctorum Patrum teſtimoniis, per filium, & ex Filio Spiritum ſanctum dici.

Ad JACOBUM Bulgariæ Archiepiſcopum.

LEONE ALLATIO INTERPRETE.

1. *MORBUM, quo afficior, in lucem proferam: ad medicum enim ſacrum oratio dirigitur, & omnes alios, qui iiſdem ac ille diſciplinis præditi ſunt. Ipſe cum doctis palam libereque ſermones confero: nulluſque me ſenſa aperientem timor invadit: namque infallibile judicium dicta vel corriget, vel comprobabit; cum vero ſciolos alloquor, reprimo me & potiſſimum cum de Deo verba facio: vereor etenim, ne dum ipſi rem non capiunt, falſi mihi ſuſpicionem appingant. Quod ſi imperito contentionis ſtudium accedit, tum loqui detrecto & de circulis ſubducor. Quemadmodum enim nullo modo admitti debet, qui audacter, & inconſiderate de rebus divinis loquitur (neceſſe quippe eſt, Theologiam timore dirigi, ne in excidium præcipites agat) pari ratione, qui contentioſe aures exhibet, & modis omnibus contradictionem ambit, eiiciendus eſt, & execrandus. Contentio ſiquidem malis gaudens confundit, turbatque veritatem. Quod ſi & ſermones plerique in idem una ſimul concurrant, quomodo non videbuntur multis unius, qui in alteram partem inclinat, potiores eſſe? Et ſi eorum fuerint, qui in dignitatibus ſunt, qua ratione veritas ipſa in bonum illi, qui contraria ſentit, in conſpectu aliorum vertetur?*

Cum quibus de rebus Theologicis diſſerendum eſt.

Contentio confundit veritatem.

2. *Cum ita me habeam, & ita afficiar, & ad peritos oratio ſit, eoſque, qui pacem in Chriſto quærunt, & procurant, libere aperteque de propoſita quæſtione ediſſeram, quæ erit; An per filium Spiritus ſanctus a Patre procedit: An vero ex patre abſque medio, & non per filium. Et primum quidem a multis ſanctis Doctoribus traditum fuiſſe, ſecundum a nemine, exiſtimo omnes homines, qui in ſacris literis exerciti ſunt, & æquitate diriguntur, ſuo teſtimonio comprobaturos. Et nos item non minus hanc rem tribus epiſtolis, jam percenſuimus.*

Quæſtio de proceſſione Spiritus ſancti proponitur.

3. *Quod vero in Evangeliis plane vox illa inſerta non eſt, quod plerique ad contradicendum arripiunt, dogmati nihilominus non officere probatur eorum fide digno teſtimonio, qui res Theologicas pertractarunt; quando nec in noſtra poteſtate eſſe, Deiferorum Patrum dictis non credere, ſed eorum auctoritatem dicti demonſtrationem eſſe, facultate omni logica, & contradictoria validiorem, cui a Theologia nomen eſt, in Invectivis adverſus Julianum decernat. Qui enim Evangeliſtis inſpiravit, ille idem* & a-

Licet proceſſio ex Filio non habeatur in Evangeliis, habetur tamen in Patribus. *Gregorius Nazianz.*

ἐν τοῖς Στηλιτευτικοῖς ἀποφαίνεται. ὁ γὰρ τοῖς Εὐαγγελισταῖς ἐμπνεύσας, αὐτὸς ἐκεῖνος καὶ τοῖς λοιποῖς θεηγόροις ἐνέπνευσε, καὶ Θεοῦ φωναὶ τὰ τῶν ὅλων ἁγίων ἅγια συγγράμματα.

δ΄. Τὸ δὲ λέγειν αὐτὰ νενοθεῦσθαι παρὰ τῶν πνευματομάχων, ἠλίθιον. ἐπεὶ κατ' οὐδὲν ὅλως τῇ αἱρέσει συμβάλλεται, τὸ δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὁμολογεῖσθαι προοδικῶς εἶναι παρὰ πατρὸς, εἰ μὴ τοὐναντίον ἅπαν, καὶ καταβάλλει ταύτην, καὶ ἀναιρεῖ. τῇ μὲν γὰρ κτίσμα βλασφημεῖται τὸ πνεῦμα, τῷ δ' ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς κηρύττεται τοῦ υἱοῦ, καὶ ὁμοούσιον πατρὶ καὶ υἱῷ. τίνα δ' αὖ ἔχοι καὶ λόγον, τὸ τὴν τοιαύτην κακουργίαν τὴν ἁπανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἱεραῖς ἐνσκῆψαι βίβλοις τῶν τοσούτων ἁγίων ὁμοῦ, καὶ τὴν παραφθορὰν οὕτω γενέσθαι παγκόσμιον τοῖς τῶν μεγάλων Πατέρων συγγράμμασι, καὶ μηδένα τῶν πρὸ ἡμῶν τὴν λύμην ἐπισημήνασθαι, οὐκ ἔστι τοῦτο, οὐκ ἔστι, διανοίας τὸ τοιοῦτον ἀνάπλασμα κακοδαίμονος.

ε΄. Πῶς δὲ καὶ ὅσοι μετὰ Ρωμαίων γεγράφασι τὰ τῆς ἔριδος μετὰ τὸ σχίσμα καὶ τὴν διάστασιν, πρὸς μὲν τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἶναι οὐσιωδῶς, ὡς εἶχον, ἀντέστησαν, πρὸς δὲ τὸ, δι' υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς οὐδαμοῦ; μᾶλλον μὲν οὖν οἱ λογιώτεροι, καὶ συνηγοροῦντες αὐτῷ κατεφάνησαν. κἀντεῦθεν ἐπιχειροῦντες ἀνασκευάζειν τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ. καὶ ὅτι τοῦθ' οὕτως ἔχον ἐστὶν, ἐκ τῆς ἱερᾶς Ὁπλοθήκης μανθάνομεν. ὅπως δὲ ἡ βίβλος αἰδέσιμος ἦν τοῖς τότε τῶν λογίων ἀνδρῶν λογάσι, καὶ περισπούδαστος εἰσέπειτά τε καὶ ἕως ἡμῶν περίπυστος καὶ ἐξαίρετος, καὶ οὐδείς ποτε κατ' αὐτῆς, οὐδὲ τῶν πάντη ἀπηναιδευμένων κινῆσαι γλῶσσαν ὅλως τετόλμηκεν. ἐπεὶ καὶ βιαιότερον ἐνίσταται πρὸς τὴν υἱόθεν τοῦ πνεύματος πρόοδον, αὐτὰ βοᾷ διαπρυσίως τὰ πράγματα. ἐν ταύτῃ Ρωμαῖοι διαλογικοῖς νόμοις εἰσάγονται ῥῆσιν τοῦ σοφωτάτου Κυρίλλου προτείνοντες εἰς σύστασιν τοῦ σφῶν αὐτῶν δόγματος οὕτως ἔχουσαν. Τρεπτὸν δὲ οὔτι πω τὸ πνεῦμα ἐστίν. ἢ εἴπερ τὸ τρέπεσθαι νοσεῖ, ἐπ' αὐτὴν ὁ μῶμος τὴν θείαν ἀναδραμεῖται φύσιν. εἴπερ ἐστὶ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, οὐ μὴν καὶ τοῦ υἱοῦ. τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν. ἤγουν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προερχόμενον πνεῦμα. Τίς οὖν ἡ ἀπολογία πρὸς τοὺς ἐκ Ρώμης καταννοήσωμεν. Ὁ μακάριος οὗτος πατὴρ Κύριλλος τὰς πολλὰς τῶν ἡμετέρων λόγων προφάσεις προαναιρῶν, σύντομον εὐθὺς τῇ τῶν ἀσαφῶν συλλαβῶν προφορᾷ προσήνεγκε τὴν σαφήνειαν. Εἰπὼν γὰρ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν τὸ πνεῦμα προέρχεσθαι, τὸ, ἤγουν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ συντόμως ἐπήγαγε. Τὸ δὲ διὰ τῆς τοιαύτης ἐπαγωγῆς συναγόμενον, οὐδὲν ἕτερον, ἢ τὸ ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα προέρχεσθαι, οὐ μὴν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ. εἰ γὰρ καὶ τοῦτ' ἦν, οὐκ ἂν τῆς τοιαύτης τῷ ἁγίῳ προσθήκης ἐδέησεν. οἱ ἐκ Ρώμης πρὸς ταῦτα. Τοίνυν οὐδ' ἡμεῖς σφαλλόμεθα ἀκολούθως τῷ θείῳ τούτῳ πατρὶ ἐκ τοῦ πατρὸς μὲν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγοντες ἐκπορεύεσθαι, πλὴν ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τὴν ἐξ, ἀντὶ τῆς διά. καὶ νοοῦντες καὶ ἑρμηνεύοντες. ἀλλ' ὁ, καὶ σύνδεσμος, φασιν, οἱ πρὸς ἔλεγχον χωροῦντες αὐτῶν, ἐπὶ τοῦ υἱοῦ παρ' ὑμῶν προστιθέμενος οὐκ ἐᾷ τοιαῦτα λέγειν, ὑμᾶς προφανῶς, ἐ-

*& aliis diviniloquis verba dictavit, & Dei voces ſunt ſanctorum omnium ſacroſancta monumenta.*

Patrum ſcripta corrupta eſſe affirmare, ſtultum eſt.

4. *Et dicere eadem ab illis, qui ſpiritui adverſantur, corrupta fuiſſe, ſtultum eſt, ac fatuum: cum nihil id omnino ad hæreſim conferat, per Filium Spiritum ſanctum fateri a Patre procedere, ſed penitus eam reiicit, ac refellit. Hac etenim Spiritus creatura impie admodum aſſeritur, illo ex ipſa Filii eſſentia prædicatur, & ejuſdem cum Patre, & Filio eſſentiæ. Et quamnam probabilitatem habuerit, ſimile facinus in univerſos totius Orbis ſacros libros tantorum Sanctorum ſimul deſæviiſſe, & corruptelam adeo univerſalem, fuiſſe, nullumque ante nos tantam noxam indicaſſe? non fuit unquam, non eſt, mentis miſeræ, ac infelicis commentum id eſt.*

Neminem etiam ex adverſariis, negaſſe Spiritum per Filium procedere.

5. *Quanam item ratione quicumque adverſus Latinos poſt diſſidium & ſchiſma, quæ in diſſidio erant, conſcripſerunt, ex Filio Spiritum ſanctum eſſe eſſentialiter, pro viribus adverſati ſunt; per Filium vero a Patre nequaquam? immo potius inter eos peritiores, veluti patroni illius cauſam ſuſceperunt, inde argumenta ſumentes ad refellendum & illud ex Filio. Idque ita ſe habere ex Libro, cui* Sacrum Armamentarium *nomen eſt, diſcimus. Librum porro tunc temporis doctorum virorum præcipuis in veneratione fuiſſe, poſtea ab aliis magno ſtudio conquiſitum, noſtra hac ætate maxime celebratum, atque in honore habitum, & neminem unquam, etiam eorum, qui pudore depoſito omnia inverecunde tentant adverſum eum linguam movere auſum eſſe, cum & violentius Spiritus proceſſioni ex Filio adverſetur, res ipſæ ſatis luculenter clamant. In eo Latini, uti in dialogis fieri amat, introducuntur ſapientiſſimi Cyrilli dictum ad propriam opinionem corroborandam proponentes; verba Cyrilli ſunt:* Mutabilis vero minime eſt Spiritus, nam ſi mutationi eſſet obnoxius, ipſi divinæ naturæ defectus aſcriberetur: ſiquidem Dei & Patris, nec non & filii eſt, qui eſſentialiter ex utroque, ex Patre ſcilicet per filium, Spiritus profluit. *Expendamus porro, quænam ad eos, qui Roma convenerant, reſponderunt.* Beatus hic Pater Cyrillus multas noſtrarum rationum tergiverſationes præcidens, compendioſam illico obſcurarum ſyllabarum enunciationi addidit expoſitionem. Cum enim dixiſſet, eſſentialiter ex utroque Spiritum profluere, illud, ex patre nempe per Filium, conciſe ſubnexuit. At quod ex ſimili inductione colligitur, nihil aliud infert, quam ex ſolo Patre Spiritus proceſſionem, non autem ex Filio. Nam ſi id eſſet, ſimilis additionis opus non fuiſſet. *Ad hæc qui Roma advenerant.* Neque nos itaque fallimur dictis divini hujuſce Patris inhærentes, cum aſſerimus ex Patre, & ex Filio Spiritum procedere; attamen in Filio *Ex* præpoſitionem loco illius *Per* intelligimus, & interpretamur. Sed conjunctio Et, *inquiunt, qui eos refellere conabantur*, Filio a vobis annexa, ea quæ dicitis, manifeſto confutat, cum ex Patre, & ex Filio Spiritum procedere dicitis

***Sacrum Armamentarium.***

***Cyrill. in dialogo cum Palladio.***



λεγχων, ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγοντες ἐκπορεύεσθαι, καθ' ὁποῖον σημαινόμενον ἐπὶ τοῦ πατρὸς τὴν ἐξ ἐκλαμβάνεσθε κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τοῦ υἱοῦ καὶ νοεῖτε ταύτην καὶ λέγετε. Τοίνυν ἢ καὶ ἐπ' ἀμφοῖν τῷ πατρὶ δηλαδὴ καὶ τῷ υἱῷ τὴν ἐξ πρόθεσιν μετὰ τὴν αὐτὴν σημασίαν τιθέατε· καὶ πῶς οὐκ ἐναντιοῦσθε τῷ θείῳ πατρὶ, τὴν μὲν ἐξ ἐπὶ τοῦ πατρὸς, τὴν δὲ διὰ ἐπὶ τοῦ υἱοῦ ἐκφωνήσαντι, ἢ καὶ ἐπ' ἀμφοῖν ἀντὶ τῆς διὰ, τὴν ἐξ λαμβάνετε. διὰ τοῦ πατρὸς, καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγοντες ἐκπορεύεσθαι. καὶ δότε λοιπὸν ἡμῖν ἕτερον, ἐξ οὗ τὸ πνεῦμα διὰ τῶν δύο τούτων ἐκπορεύεσθαι λέγεται· κατ' ἄλλην γὰρ ἐπὶ τοῦ πατρὸς, καὶ κατ' ἄλλην ἐπὶ τοῦ υἱοῦ σημασίαν τὴν αὐτὴν καὶ μίαν πρόθεσιν ἐκλαμβάνεσθαι, παρὰ τοῦ συμπλεκτικοῦ τούτου συνδέσμου βιαίως κωλύεσθε, καθὰ προειρήκαμεν. τὸ γὰρ ἀσυνδέτως λέγειν, ἢ γράφειν ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκ τοῦ υἱοῦ, καὶ ὑμεῖς ὡς βάρβαρον καὶ ἀδιανόητον ἀποφεύγετε. Ταῦτα μὲν ἐκ τῆς ἱερᾶς Ὁπλοθήκης.

ϛ΄. Ἄλλος δέ τις τῶν ἐκκρίτων δὴ καὶ αὐτὸς τοῖς ἐκ Ρώμης διαλεγόμενος. ἐπειδὴ προείλετο δεῖξαι μὴ δ' ὁπωσοῦν ἀλλήλοις ἐναντία ὄντα κατάγε τὸ ἀληθὲς τὰ παρὰ τῶν ἁγίων λεγόμενα, κἂν δοκῇ τοῖς ἀπερισκέπτοις. Ἦν ἂν, φησὶν, ἐναντία, εἰ πρὸς τὸ αὐτὸ καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ τοῦ αὐτοῦ ὄντα σημαντικὰ, παρὰ μὲν τῶν, ἀπεβάλλοντο, παρὰ δὲ τῶν ἐνεκρίνοντο. οὕτω γοῦν καὶ ἐν τούτοις ὁ Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἔφη τὸ πνεῦμα ἐκπορευόμενον. καὶ τάχα πάντα ἀναφέρων πρὸς τὸν πατέρα ὡς πρὸς πρώτην αἰτίαν, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος ἐκπόρευσιν αὐτῷ ἀνατίθησι. καὶ ὁ μὲν μέγας Ἀθανάσιος οὕτως εἶπε, τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς, ὡς παρὰ τοῦ λόγου τοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. ὁ δὲ Νύσσης εἰπὼν τὸν υἱὸν εἶναι προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τουτέστι τοῦ πατρὸς, ἑξῆς λέγει τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ὁ σοφὸς Κύριλλος προφανῶς εἴρηκεν, ἐξ ἀμφοῖν, δηλαδὴ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ. ἀλλ' ἑρμηνεύων πῶς τὸ, ἐξ ἀμφοῖν, εἶπεν, ἐπήγαγεν ἤγουν ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ. ὁ μέντοι Δαμασκηνὸς Ἰωάννης τὸ ἐκ πατρὸς λέγων ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς καὶ πρώτης αἰτίας, οὐκ ἐκ τοῦ υἱοῦ, φησι, ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, καὶ οὐκ ἀπηγόρευσε τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ, ὡς τοῦ προσεχοῦς, ἤτοι διὰ τοῦ προσεχοῦς. ταὐτὸν γὰρ δύναται ἡ διὰ πρόθεσις καὶ ἡ ἐξ. καὶ τοῦτο σύνηθες καὶ αὐτῇ τῇ γραφῇ καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσιν οὐκ ἀγνοούμενον· καὶ εἰ μὲν ἐκ τοῦ υἱοῦ ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ. καὶ εἰ ἐξ ἀμφοῖν, ὁμοίως. καὶ εἰ ἐκ πρώτης μὲν αἰτίας τοῦ πατρὸς, ἐκ τοῦ προσεχοῦς δὲ τοῦ υἱοῦ, ἅπερ φησὶν ὁ μέγας Ἀθανάσιος, ὁ μέγας Κύριλλος, ὁ Νύσσης Γρηγόριος, οὐκ ἂν ὁ σοφὸς Ἰωάννης ἀντιφθέγξαιτο. ἀλλ' ἐρεῖ καὶ αὐτὸς ὅτι, οὕτως καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. διὰ τοῦ υἱοῦ γάρ φησι καὶ αὐτός. ὡς ἰσοδυναμούσης τῆς διὰ καὶ τῆς ἐξ. εἰ δὲ ὡς ἐκ πρώτης αἰτίας, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ λέγοι τις, ὅπερ εἶπε τῶν ἁγίων οὐδεὶς, καὶ ἀντιφθέγξεται καὶ μέγα βοήσει. Ἐπὶ τοσοῦτον καὶ ταῦτα.

ζ΄. Πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους τῶν νεωτέρων εὑρίσκομεν ἐνισταμένους μὲν πρὸς τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ, κατασκευάζοντας δὲ καὶ μάλα γενναίως τὸ, δι' υἱοῦ.

tis, in quo ſignificatu in Patre præpoſitionem *Ex* aſſumptis, in eodem & in Filio vos eam accipitis; & fatemini. Quare, aut in utroque in Patre nempe & Filio *Ex* præpoſitionem in eodem ſignificatu aſtruitis, & quomodo divino Patri non adverſamini, qui *Ex* in Patre, *Per* autem in Filio dictitat: aut in utroque, loco illius *Per*, *Ex* præpoſitionem aſſumitis, per Patrem, & per Filium Spiritum aſſerentes procedere, & aſſignate nobis alium, ex quo Spiritus per hos duos procedere dicatur; ſecundum enim unum ſignificatum in Patre, & ſecundum alium in Filio unam eamdemque præpoſitionem accipere conjunctione illa copulativa, ut jam diximus impedimini. Nam abſque copula effari, aut ſcribere, ex Patre ex Filio, vos quoque veluti barbarum, & incogitabile vitatis. *Et hæc quidem ex divino Armamentario.*

*Nicetas Theſſalonicenſis.*

6. *Alius etiam vir eximius & præſtans cum Latinis ſermonem conſerens, cum ſibi propoſuiſset demonſtrare nullo modo, ſi veritas attendenda eſt, ſibi, quæ a Sanctis dicuntur, adverſari, licet id videatur imperitis;* Adverſarentur utique, *inquit*, ſi de eodem, & ſecundum idem, idem ſignificantia ab his quidem reiicerentur, ab aliis approbarentur. Sic itaque in ſimilibus Chriſtus aſſeruit, *Spiritum ex Patre procedere*, & omnia forte Patri referens tanquam primæ cauſæ, illi quoque Spiritus proceſſionem aſcribit. Et magnus quoque Athanaſius ita locutus eſt; *Spiritus ex Patre, quemadmodum ex Verbo, quod ex Patre eſt, procedens.* Nyſſenus autem cum dixiſſet, *Filium eſſe immediate ex primo;* Patre ſcilicet, ſubdit, *Spiritum per eum, qui immediate eſt, ex primo.* Sapiens Cyrillus palam faſſus eſt *ex utroque, Patre nempe & Filio;* ſed modum enarrans, quomodo ex utroque, addidit, *ex Patre ſcilicet per Filium.* Et Ioannes Damaſcenus, ex Patre affirmans tamquam e primo principio, & prima † cauſa, *non ex Filio*, ait, tamquam ex primo principio, nec prohibuit dici *ex Filio*, tamquam ex eo, qui immediate, vel per eum qui immediate eſt, idem enim valet *Ex*, & *Per* præpoſitio; idque ſolemne eſt divinis literis, nec fuit a ſanctis Patribus ignoratum. Et, ſi ex Filio, veluti ex Patre per Filium; &, ſi ab utroque, ſimiliter. Et ſi ex prima quidem cauſa Patre, ex eo, qui immediate eſt Filio. Nec ſane contra hiſceret ſapiens Damaſcenus ad ea, quæ habent magnus Athanaſius, magnus Cyrillus, & Nyſſenus Gregorius, ſed diceret & ipſe omnino hoc modo, & ex Filio Spiritus, quando & ipſe *per Filium* dicit, ac ſi eamdem vim haberent *Per*, & *Ex* præpoſitiones. Quod ſi tanquam ex prima cauſa & ex Filio quiſpiam aſtrueret, quod nullus unquam ex Patribus affirmavit, contradicet ille certe, vocemque efferet. *Et de his quoque ſatis.*

*Athanaſ.*

*Nyſſenus.*

*Cyrillus.*

*Damaſcenus.*

*† Græcorum more loquitur, qui cauſam loco principii uſurpare ſolent.*

*Athanaſ. Cyrillus, Gregor. Nyſſenus. Damaſcenus.*

Recentiores nonnulli, per Filium Spiritum procedere oppugnant.

7 *Multos præterea alios ex recentioribus illud ex Filio ſummo niſu oppugnantes, admodum vero valide illud, Per Filium comprobantes, oſtendimus ſecundum eam, quam an-*

καθ' ἣν προδιεσημηνάμεθα δήλωσιν. ὅθεν οὐκ οἶδ' ὅτι παθόντες ἀρτίως τινὲς οὐκ ἀνέχονται τὸ πνεῦμα δι' υἱοῦ προσέρχεσθαι παρὰ τοῦ πατρός. ἀλλ' ἴδωμεν οἷα περὶ τούτου διδάσκει τὸν ἐπίσκοπον Σεραπίωνα δι' ἐπιστολῆς ὁ τῆς ἀθανασίας ἀξιώνυμος. ὥσπερ γέννημα μονογενές ὁ υἱός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ υἱοῦ διδόμενον καὶ πεμπόμενον, καὶ αὐτὸ ἓν καὶ οὐ πολλά, οὐδὲ ἐκ πολλῶν ἕν. ἀλλὰ μόνον αὐτὸ πνεῦμα. ἑνὸς γὰρ ὄντος τοῦ υἱοῦ τοῦ ζῶντος λόγου, μίαν εἶναι δεῖ τελείαν καὶ πλήρη τὴν ἁγιαστικὴν καὶ φωτιστικὴν ζωήν, οὖσαν ἐνέργειαν αὐτοῦ καὶ δωρεάν. ἥτις γε ἐκ πατρὸς λέγεται ἐκπορεύεσθαι, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ λόγου τοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ὁμολογουμένως ἐκλάμπει, καὶ ἀποστέλλεται, καὶ δίδοται.

ή. Ἐπιφύονται τῷ ἐκλάμπειν τινές, καὶ φανερώσεως εἶναί φασιν αὐτὸ δηλωτικόν, οὐχ ὑπάρξεως. τὸ γὰρ ἐκπορεύεσθαι προδεδηλωκέναι τὴν ὕπαρξιν. Εἰ τοίνυν ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα λέγεται παρὰ τοῦ πατρός, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ λόγου φανεροῦται. μὴ οὔσης τῆς φανερώσεως, οὐδ' ἐκ τοῦ πατρὸς λέγοιτ' ἂν ἐκπορεύεσθαι. τί γοῦν πρὸ τοῦ γεγονέναι τὴν κτίσιν εἴτε τὴν αἰσθητὴν εἴτε τὴν νοητήν, ἔνθα παρὰ τοῦ λόγου πεφανέρωται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὐκ ἂν αὐτὸ λεχθείη ἐκπορευόμενον ἐκ πατρός; ὥσπερ γὰρ εἴ τινος τὸν ἄνθρωπον λέγοντος οὐσίαν ἔμψυχον, αἰσθητικήν, ἐπειδὴ ζῶόν ἐστιν. Εἴπερ ἔχει τις ἕτερος τὸ αἴτιον ἀνελεῖν, συνανέλοι καὶ τὸ συμπέρασμα, τὸν αὐτὸν τρόπον τῆς αὐτῶν ὑποθέσεως ἀνατετραμμένης, τὸ δῆθεν συναγόμενον ὅσον τὸ ἐπ' αὐτοῖς διεσκέδασται.

θ'. Καὶ οὗτοι μὲν ἔτι δι' ὃ λέγεται παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα ζητείτωσαν. ἡμεῖς δὲ τὴν ἀληθῆ προσλαβόμενοι σημασίαν τῆς λέξεως, οὕτως συλλογισόμεθα. τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ λόγου, τουτέστι, διὰ τοῦ λόγου πρόεισιν ἐκ πατρός, ὥσπερ ἐξ ἡλίου διὰ τοῦ φωτὸς φωτιστικὴ λαμπηδών. κἀπειδὴ τοῦτ' ἔστιν. ὁ δὲ λόγος ἐκ τοῦ πατρὸς ὡμολόγηται. διὰ τοῦτο καὶ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι λέγεται. κέχρηται δὲ τῇ ἐκλάμπειν ὁ διδάσκαλος λέξει, καταλλήλως τῇ φωτιστικῇ ζωῇ. διὰ τοῦτο καὶ τοῦ λόγου ἐνέργειαν, ζῶσαν δηλονότι, καὶ ὑφεστῶσαν τὸ ἅγιον ὠνόμασε πνεῦμα. τὸν λόγον καὶ υἱὸν εἰδὼς Θεοῦ δύναμιν ἐνυπόστατον. ἐπεὶ δὲ διὰ τῆς δυνάμεως ἡ ἐνέργεια, ἡ δὲ δύναμις ὁμολογουμένως ἐκ τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦτο ἐκ Θεοῦ ἡ ἐνέργεια. τοῦτο γὰρ βούλεται τῷ διδασκάλῳ τό, λέγεται ἐκπορεύεσθαι. ὡς τῆς τοῦ πνεύματος ἐκπορεύσεως λεγομένης καὶ κηρυττομένης ἐκ πατρὸς διὰ τὴν πρὸς τὸ πρῶτον αἴτιον ἀναφοράν. ὡς μὲν οὖν ἐνέργειαν τοῦ υἱοῦ καὶ Θεοῦ λόγου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀϊδίως ἐκλάμπει παρ' αὐτοῦ. ταυτὸν δ' εἰπεῖν, δι' αὐτοῦ παρὰ τοῦ πατρός. ὡς δὲ δωρεὰ καὶ ἀποστέλλεται καὶ δίδοται φυσικῶς.

ί. Ὅτι δὲ τὸ ἐκλάμπειν ἐν θεολογίᾳ παραστατικόν ἐστι τῆς ἀπαθοῦς καὶ ἀχρόνου ὑπάρξεως, καὶ ὁ μέγας Βασίλειος δείκνυσιν οὕτω λέγων ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀντιρρητικῶν. Κοινὴ πρόληψις πᾶσιν ὁμοίως Χριστιανοῖς ἐνυπάρχει τοῖς γε ὡς ἀληθῶς τῆς προσηγορίας ταύτης ἀξίοις, περὶ τοῦ φῶς εἶναι τὸν υἱὸν γεννητὸν ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἀπολάμψαντα. Καὶ πάλιν. Ἀγαθοῦ μὲν πατρός, ἀγαθὸς υἱός. φωτὸς δὲ τοῦ ἀγεννήτου φῶς

*ante attulimus, expoſitionem, quare neſcio undenam ducti hac ætate nonnulli, non ſuſtinent dici, Spiritum per Filium procedere ex Patre. Sed videamus, quæ de hoc argumento Serapionem Epiſcopum per epiſtolam edoceat dignus, qui habeat ex immortalitate nomen, Athanaſius;* Quemadmodum germen unigenitum Filius eſt, ſic & Spiritus, qui a Filio datur, & mittitur, & ipſe unus, & non plures, neque ex pluribus unus, ſed ſolus ipſe Spiritus: nam cum unus ſit Filius, vivens verbum, unam oportet eſſe perfectam, completamque ſanctificantem, & illuminantem vitam, quæ operatio ipſius, & munus eſt; quæ ex Patre dicitur procedere, quando a Verbo, quod ex Patre eſt, ſine ulla hæſitatione elucet, & mittitur, & datur. *Athanaſ.*

8. *Elucendi verbo quidam mordicus inhærent, traduntque, eo promulgationem indicari, non exiſtentiam: namque per* procedere *antea poſitum exiſtentiam manifeſtari. Si itaque Spiritus procedere dicitur ex Patre, quoniam a Verbo manifeſtatur; cum non manifeſtatur, neque ex Patre procedere dicetur. An igitur ante res conditas, ſive ſenſiles, ſive intellectuales, quibus a Verbo manifeſtatus eſt Spiritus ſanctus, non dicetur ex Patre procedere? Quemadmodum enim quopiam dicente, hominem eſſentiam animatam, ſenſilem, quandoquidem animal eſt, ſi alius cauſam evertere poſſit, inductionem etiam evertet: eadem ratione talium hominum ſuppoſitione ſummota, quod inde colligitur, quantum in ipſis eſt, deſtruetur.* Verbum *Elucere* exiſtentiam in divinis notare.

9. *Et hi quidem adhuc, propter quid dicatur, Spiritus ex Patre procedere, quærent. Nos verum dictionis ſignificatum aſſumentes, hunc in modum argumentemur. Spiritus ex Verbo, per Verbum ſcilicet profluit ex Patre, quemadmodum ex ſole per lumen illuminans ſplendor: id cum ita ſit, & Verbum ex Patre confitemur; propterea & Spiritus ex Patre procedere dicitur. Uſurpat vero dictionem,* elucet, *ad ſimilitudinem vitæ illuminantis; ideoque & Verbi operationem, vivam ſcilicet & ſubſiſtentem Spiritum ſanctum compellavit, Verbum, & Filium noſcens Dei virtutem enypoſtatam: quando vero per virtutem operatio, virtus autem ex Deo, nemine contradicente, propterea ex Deo operatio eſt, quod Magiſter inſinuat illis verbis,* dicitur procedere, *cum Spiritus proceſſio dicatur; & prædicetur ex patre propter relationem ad primam cauſam. Uti itaque operatio Filii, & Dei Verbi Spiritus ſanctus perpetuo elucet ab ipſo, quod idem eſt, ac dicere, per ipſum a Patre. Sed tanquam donum & mittitur & donatur naturaliter.* Rationibus confirmatur.

10. *Elucere porro in rebus divinis exiſtentiam neque paſſioni obnoxiam, neque tempori ſubjacentem inducere, Magnus Baſilius ita probat, Oratione ſecunda Antirrhetica.* Communis, *inquit*, prænotio omnibus æque Chriſtianis innata eſt iis, qui tali appellatione digni ſunt, lumen eſſe Filium generatum ex ingenito lumine illuceſcentem. *Et rurſum*, Boni Patris Bonus Filius. Luminis vero ingeniti lumen eluxit ſempiternum. *Gregorius quoque Nyſſaenſium* Et Patrum auctoritatibus. *Baſilius Magnus. Gregor. Nyſſenus.*



ἐξέλαμψε τὸ ἀΐδιον. Καὶ Γρηγόριος δὲ τῶν Νυσσαέων ὁ σοφὸς Ἱεράρχης οὕτω φησὶν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀντιρρητικῶν. Πατὴρ μὲν ἄναρχος, καὶ ἀγέννητος, καὶ ἀεὶ πατὴρ νοεῖται. ἐξ αὐτοῦ δὲ κατὰ τὸ προσεχὲς ἀδιαστάτως ὁ μονογενὴς υἱὸς τῷ πατρὶ συνεπινοεῖται. δι' αὐτοῦ δὲ καὶ μετ' αὐτοῦ πρίν τι κενόν τε καὶ ἀνυπόστατον διὰ μέσου παρεμπεσεῖν νόημα, εὐθὺς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον συνημμένως καταλαμβάνεται. οὐχ ὑστερίζον κατὰ τὴν ὕπαρξιν μετὰ τὸν υἱόν, ὡς ποτὲ τὸν μονογενῆ δίχα τοῦ πνεύματος νοηθῆναι, ἀλλ' ἐκ μὲν τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων, καὶ αὐτὸ τὴν αἰτίαν ἔχον τοῦ εἶναι, ὅθεν καὶ τὸ μονογενές ἐστι φῶς. διὰ δὲ τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς ἐκλάμψαν, οὔτε διαστήματι, οὔτε φύσεως ἑτερότητι τοῦ πατρός, ἢ τοῦ μονογενοῦς ἀποτέμνεται. Πάλιν πρὸς αὐτὸν ὁ μέγας Βασίλειος, περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως. Ὁ δὲ υἱὸς τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον πνεῦμα δι' ἑαυτοῦ καὶ μεθ' ἑαυτοῦ γνωρίζων, μόνος μονογενῶς ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἐκλάμψας, οὐδεμίαν κατὰ τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων τὴν κοινωνίαν ἔχει πρὸς τὸν πατέρα ἢ πρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ἰωάννης ὁ σοφὸς Ποιητὴς ἐν ὕμνοις πρὸς τὴν ὑπέραγνον θεομήτορα. Σὺ μήτηρ Θεοῦ ἀσυνδυάστως γεγέννησαι τοῦ ἐξ ἀκηράτου πατρὸς ἐκλάμψαντος· ἐν τούτοις ὁ ἐξηγούμενος, ὁ πολλοῖς θαυμαζόμενος, ὁ καὶ τῶν ἱερῶν Κανόνων πρῶτος σαφηνιστής, τὸ ἐκλάμψαντός φησι τὴν ἄνω γέννησιν τοῦ υἱοῦ ἀπαθῆ παρίστησιν. ὡς γὰρ ἡ λαμπηδὼν ἐκ τοῦ ἡλίου ἀπαθῶς ἔξεισιν, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἀπαθῶς γεγέννηται τῷ πατρί. καὶ τὸ ἄχρονον δὲ τοῦ υἱοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο ἄναρχον, διὰ τοῦ ἐκλάμψαι διδάσκει ὁ Ποιητής. ὡς γὰρ ἅμα φῶς, καὶ ἅμα ἡ ἐξ αὐτοῦ λαμπηδών, οὕτως ἅμα νοηθείη πατήρ, ἅμα παρέπεται νοεῖσθαι καὶ τὸν υἱόν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ὑπὲρ τὴν χρείαν. ὅπου γὰρ ἡ τοῦ λόγου διάνοια λελογισμένη καὶ λίαν ἡρμοσμένη φαίνεται, τοιουτοτρόπως ἐκλαμβανομένης τῆς λέξεως. ἄλλως δ' ἔχειν ὑπονοουμένης, πολὺ τὸ ἀλόγιστον φέρουσα καὶ ἀνάρμοσον, τί χρὴ πλέον ἐκεῖσε ζητεῖν εἰς τὴν τῆς ἀληθείας παράστασιν;

ιά. Τὸ δὲ λέγειν, ἵνα μή τις νομίσῃ, ὡς ἀρχὴ τοῦ πνεύματος ὁ υἱός, ἐπιφανεροῖ τὸ πνεῦμα διὰ τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ, καὶ δίδωσιν ὡς συγγενές, διὰ τοῦτο λέγεται ἐκ πατρὸς αὐτὸ ἐκπορεύεσθαι, περίεργον μέν, ἀλλ' εὐφώρατον. ποίαν γὰρ τὸ φανεροῦν καὶ διδόναι τοιουτοτρόπως ὑποψίαν εἰσαγάγοι ἂν ἀρχῆς; ἢ πῶς ὡς συγγενὲς διδοὺς ὁ λόγος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἀντιδοθείη παρὰ τοῦ συγγενοῦς; ἢ πῶς τοῦ λόγου πεφηνότος ὁμολογουμένως ἐκ τοῦ πατρός, οὐχὶ καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ λόγος, ὁμολογουμένως ἐκ τοῦ πατρός; καὶ πῶς ἀρχὴ τοῦ πνεύματος ὁ λόγος νομισθείη λοιπόν; ἄπαγε τῶν τοιούτων παρεξηγήσεων, οἶδ' ὅτι φαίης ἂν καὶ αὐτὸς τῷ ἐριστικῷ. τὸ μέντοι δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι καὶ Βασίλειος ὁ μέγας πολλαχοῦ; καὶ δὴ κἂν τοῖς Ἀντιρρητικοῖς ἀποφαίνεται, πῶς ἂν οὖν φάσκων χωρίζοιτο τὰ ἀχώριστα; λόγος Θεοῦ καὶ πνεῦμα ἐκ Θεοῦ δι' υἱοῦ. εἰ πνεῦμα ἀπιστεῖται καὶ λόγος συναπιστεῖται. περὶ τούτου καὶ ὁ διορατικώτατος

*enſium doctus antiſtes in prima Antirrhetica hæc habet.* Pater quidem ſine principio, & ingenitus, & ſemper Pater intelligitur; ex eo vero immediate, & indiviſe unigenitus Filius cum Patre ſimul intelligitur; per hunc autem, & cum ipſo, antequam inanis, & non ſubſiſtens in medio perceptio incidat, ſtatim Spiritus ſanctus junctim concipitur, non poſt Filium exiſtentia ſubſiſtens, ut aliquando unigenitus abſque Spiritu concipiatur; ſed ex rerum omnium Deo, & ipſe ſuæ eſſentiæ cauſam habens, unde & unigenitum lumen oritur, per verum autem lumen eluceſcens, neque diſtantia, neque naturæ diverſitate a Patre, ſive ab unigenito dividitur. *Rurſus ad eundem magnus Baſilius de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſis.* Filius ex Patre procedentem Spiritum per ſemetipſum, & una ſecum cognoſcens, ſolus unigenitus ex ingenito lumine elucens, nullam ſecundum proprietatem notarum communionem habet cum Patre, aut cum Spiritu ſancto. *Joannes poeta ſapientiſſimus in hymnis ad immaculatiſſimam Virginem.* Mater Dei abſque conjunctione peperiſti eum, qui ex incorrupto Patre eluxit. *Ad hæc interpres, qui multis in admiratione eſt, & qui ſacros canones primus expoſuit;* Eluxit, *inquit*, ſupernam Filii abſque paſſione generationem denotat. Quemadmodum enim ſplendor ex ſole ſine paſſione effluit, ita & Filius ſine paſſione genitus eſt a Patre, & Filium abſque tempore, & ſecundum id idem ſine principio per verbum *Elucere* Poeta edocet. Sicut enim ſimul lumen, & ſimul qui ex eo eſt, ſplendor; ſic cum primum mentē concipitur Pater, ſimul ſubſequitur & Filium intelligi. *Et hæc, pluſquam opus erat, adduximus. Ubi enim ſententiæ mens prudens, multumque rebus adaptata videtur, ſi ita verbum accipiatur; ſin minus in alium ſenſum diſtrahatur, multum improbabilitatis, atque inconcinnitatis præſefert, quid inde magis ad veritatem comprobandam emendicandum eſt?* *Baſilius Magnus.* *Damaſcenus.*

11. *Illud autem dicere, ne quis exiſtimet, principium Spiritus Filium, manifeſtare Spiritum per doctrinam ſuam, & veluti ſibi cognatum exhibere, ideoque dici ex Patre procedere, curioſum quidem eſt, ſed quod facile deprehendi poteſt. Quam enim ſuſpicionem principii hujuſcemodi manifeſtatio, atque exhibitio inferret? & quanam ratione veluti cognatus Filius Spiritum ſanctum exhibens, non a cognato ſibi exhibebitur? & quomodo Verbo ſine controverſia ex Patre comparente, non habebit ſine controverſia quidquid habet a Patre? Et qua ratione in poſterum Spiritus principium Verbum reputabitur? Apage has pravas expoſitiones, tu quoque omnino dices, nec fallor, ei, quo cum tibi litigium eſt. Verumtamen Spiritum ex Patre per Filium procedere, magnus Baſilius pluribus in locis, & in Antirrheticis potiſſimum decernit.* Quomodo itaque, *inquiens* ſeparabuntur ea, quæ ſeparari nequeunt Verbum Dei, & Spiritus ex Deo per Filium. Si Spiritus non creditur, & Verbum quoque non creditur. *De hoc eodem perſpicaciſſimus* Quomodo filius manifeſtat Spiritum ſanctum. Spiritus ſanctus procedit per Filium *Baſilius.*

Ἐπιφάνιος ἐν τῷ Ἀγκυρωτῷ διέξεισιν οὑτωσί. Φησὶν οὖν ὁ μακάριος Πέτρος τοῖς περὶ τὸν Ἀνανίαν. τί ὅτι ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ Σατανᾶς, ψεύσασθαι ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ φησὶν, οὐκ ἀνθρώπῳ ἐψεύσασθε ἀλλὰ Θεῷ. ἄρα Θεὸς ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, ᾧ ἐψεύσαντο οἱ ἀπὸ τοῦ τιμήματος νοσφισάμενοι. Καὶ πάλιν. Ὁ πατὴρ ἀληθοῦς υἱοῦ ἐστι πατήρ. φῶς ὅλος, καὶ υἱὸς πατρὸς ἀληθοῦς. φῶς ἐκ φωτός. οὐχ ὡς τὰ ποιητὰ ἢ τὰ κτιστὰ, προσηγορίᾳ μόνη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πνεῦμα ἀληθείας ἐστί. φῶς τρίτον παρὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ. τὰ δὲ ἄλλα πάντα, θέσει, ἢ παραθέσει, ἢ κλήσει. ταῦτα καὶ ὁ διορατικώτατος Ἐπιφάνιος τῷ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ κεχρημένος ἀντὶ τοῦ ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ. καθὰ καὶ ὁ σοφώτατος Κύριλλος ἐν τοῖς Θησαυροῖς λέγων οὕτως. Ὅπερ ὁ μακάριος Μωϋσῆς ἐμπεφυσῆσθαι παρὰ Θεοῦ τῷ ἀνθρώπῳ διισχυρίσατο, τοῦτο Χριστὸς ἐμφυσῶν ἐν ἡμῖν μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀναβίωσιν ἐνεφύσησε τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς λέγων, Λάβετε πνεῦμα. ἵνα πάλιν ἀναμορφωθέντες εἰς τὴν ἐξ ἀρχῆς εἰκόνα σύμμορφοι φαινώμεθα τῷ πεποιηκότι διὰ τῆς τοῦ πνεύματος μετοχῆς. ὅτε τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν γινόμενον συμμόρφους ἡμᾶς ἀποδεικνύει Θεοῦ. πρόεισι δὲ καὶ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, πρόδηλον ὅτι τῆς θείας οὐσίας ἐστὶν, οὐσιωδῶς ἐν αὐτῇ καὶ ἐξ αὐτῆς προϊόν. πρόεισι φησὶν ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ. τουτέστι δι' υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρός. ὁ δέγε τῶν Νυσσαέων καὶ τῆς οἰκουμένης φωστὴρ, ἐν πόσοις παρίστησιν ἐναργῶς, ὅτι δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ πατρὸς, τέως γοῦν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀντιρρητικῶν τάδε λέγει περὶ τοῦ πνεύματος. Τῷ πατρὶ κατὰ τὸ ἄκτιστον συναπτόμενον πάλιν αὐτοῦ, τῷ μὴ πατὴρ εἶναι καθάπερ ἐκεῖνος διαχωρίζεται. τῇ δὲ πρὸς τὸν υἱὸν κατὰ τὸ ἄκτιστον συναφείᾳ, καὶ ἐν τῷ τὴν αἰτίαν τῆς ὑπάρξεως ἐκ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων ἔχειν ἀφίσταται πάλιν τῷ ἰδιάζοντι, ἐν τῷ μήτε μονογενῶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστῆναι, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι. πάλιν δὲ τῆς κτίσεως διὰ τοῦ μονογενοῦς ὑποστάσης, ὡς ἂν μὴ κοινότητά τινα τὸ πνεῦμα νομισθῇ πρὸς ταύτην ἔχειν, ἐκ τοῦ διὰ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι, ἐν τῷ ἀτρέπτῳ καὶ ἀναλλοιώτῳ καὶ ἀπροσδεεῖ τῆς ἑτέρωθεν ἀγαθότητος, διακρίνεται τὸ πνεῦμα ἀπὸ τῆς κτίσεως.

ιβ'. Διαποροῦσι περὶ τοῦ πεφηνέναι τινές. μήποτε λέγοντες φανερώσεως αὐτὸ δηλωτικόν ἐστιν, οὐχ ὑπάρξεως. καίτοι γ' ἐχρῆν αὐτοὺς εἰ μὴ τῷ ἐνεργητικὸν εἶναι τὸ ῥῆμα κατά τε προφορὰν καὶ δήλωσιν ὁμοῦ προσεσχήκεσαν, κἂν γοῦν ἐξ ἄλλων ῥήσεων πατρικῶν τὴν σημασίαν κατανενοηκέναι τῆς λέξεως, καὶ μὴ τῆς ἀληθείας ἐπηρεαστὰς καθεστηκέναι διακενῆς. αὐτίκα γὰρ ὁ μέγας Βασίλειος ταῦτα λέγει περὶ τοῦ πνεύματος. οὐδὲν ἔχον ἑαυτοῦ ἐπίκτητον, ἀλλ' ἀϊδίως πάντα ἔχον ὡς πνεῦμα Θεοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ πεφηνός. Ὁ δὲ σοφώτατος Κύριλλος περὶ τοῦ Χριστοῦ, Τὸν Θεοῦ μεσίτην καὶ ἀνθρώπων κατὰ τὰς γραφὰς συγκεῖσθαι φαμὲν, ἔκ τε τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τελείως ἐχούσης κατὰ τὸν ἴδιον λόγον, καὶ ἐκ τοῦ πεφηνότος ἐκ τοῦ Θεοῦ κατὰ φύσιν υἱοῦ, τουτέστι τοῦ μονογενοῦς. καὶ πάλιν. Ἴδιόν ἐστι τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, οὔτι που μόνον ᾗ λόγος ἐστὶ πεφηνὼς ἐκ

*ſimus Epiphanius in Ancyroto hunc in modum diſcurrit:* Ait, itaque Beatus Petrus his, qui cum Anania erant; Cur tentavit vos Satanas, mentiri Spiritui ſancto? Et ait: Non homini mentiti eſtis, ſed Deo. Deus ergo ex Patre & Filio Spiritus, cui mentiti fuerant, qui de pretio fraudarant. *Et rurſum:* Pater veri Filii Pater eſt, lumen totus & Patris veri Filius, lumen de lumine, non ut res factæ, aut creatæ, nominatione ſola Spiritus ſanctus, Spiritus veritatis eſt; lumen tertium a Patre & Filio: reliqua alia poſitione, vel appoſitione, vel appellatione. *Hæc perſpicaciſſimus Epiphanius, ex Patre, & Filio uſurpans, loco illius ex Patre per Filium. Quemadmodum & ſapientiſſimus Cyrillus in Theſauris his verbis enuncians;* Quod beatus Moyſes homini a Deo inflatum fuiſſe contendit, id Chriſtus poſt reſurrectionem a mortuis inflavit ſuis diſcipulis, dicens: *Accipite Spiritum;* ut rurſus reformati in imaginem, quam a principio habuimus, conformes fuimus Creatori per Spiritus participationem. Cum itaque Spiritus ſanctus ad nos veniens, conformes nos efficit Deo, profluit vero & ex Patre & Filio, manifeſtum eſt eum divinæ eſſentiæ eſſe, eſſentialiter in ipſa, & ex ipſa profluens. *Profluit, inquit, ex Patre & Filio, hoc eſt per Filium ex Patre. At Nyſſaenſium Orbiſque lumen, quot ille in locis palam confirmat, per Filium Spiritum ſanctum ex Patre eſſe? ſed potiſſimum in prima Antirrhetica hæc de Spiritu tradit.* Patri ſecundum quod increatus eſt conjungitur, rurſuſque ab eo, quod quemadmodum ille Pater non eſt, ſeparatur: conjungitur & Filio ſecundum quod increatus eſt, & quod cauſam exiſtentiæ ex omnium Deo habeat: ſejungitur rurſus proprietate, quod non tanquam unigenitus ex Patre ſubſtitit, & quod per ipſum Filium apparuit. Rurſus cum creatura per Filium ſubſtitiſſet, ne cum ea communionem Spiritus habere exiſtimaretur, quod per Filium appareat immutabilitate, firmitate, ac bonitatis, quæ extranea ſit, nulla indigentia, a creatura Spiritus ſecernitur.

12. *De verbo illo* apparere *plerique dubitant. An ne, inquiunt, illud manifeſtationem, & non exiſtentiam notat? Cum oporteret eoſdem, præterquam quod verbum illud tum pronunciatione, tum expreſſione activum eſt, ſaltem ex aliis Patrum ſententiis vocis ſignificatum colligere, neque veritatem calumniantes fruſtra tempus terere. In promptu enim ſunt, quæ Baſilius Magnus tradit de Spiritu:* Nihil habens in ſe ipſo adſcititium, ſed ab æterno omnia poſſidens, ut Dei Spiritus, & ex ipſo apparens. *Sapientiſſimus Cyrillus de Chriſto:* Mediatorem Dei & hominum, ut divinæ tradunt literæ, componi dicimus, & ex noſtra humanitate ſecundum propriam rationem perfecta, & eo, qui a Deo apparuit, ſecundum naturam Filio, hoc eſt unigenito. *Et rurſus:* Proprius eſt Spiritus Filii, non ea ratione tantum, qua Verbum eſt, apparens ex Patre, ſed ea etiam, qua a nobis concipitur homo

*Epiphan.*

*Cyrillus.*

*Gregor. Nyſſenus.*

Apparere in divinis ſignificare exiſtentiam.

*Baſilius.*

*Cyrillus.*

factus



πατρός. ἀλλ' εἰ καὶ νοοῖτο καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος γεγονώς. πρόδηλον ὡς Θεὸς μὲν τὸ πνεῦμα, τὸ ἐξ οὗ κυρίως ἔχον καὶ φυσικῶς ὡς Θεός. τὰ δ' ἄλλα ποιήματα καταχρηστικώτερον ὡς ἐκ ποιητοῦ καὶ δημιουργοῦ πεφηνότα, ἐξ οὗ λεγόμενα. ὥστε σημαντικὸν ὑπάρξεως ἀριδήλως τὸ πεφηνέναι, τῆς γραφῆς δὲ διαγορευούσης οὕτω περὶ τοῦ πνεύματος, ὡς οὖν ὁ δημιουργὸς λόγος ἐστερέωσε τὸν οὐρανὸν, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. τουτέστι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. καὶ πάλιν, Οὔτε ἀλλότριον τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης ἐκ τοῦ ἀρρήτου στόματος ἀρρήτως πεφηνός. οὐ ταυτὸν ἐπὶ τοῦ πνεύματος δείκνυται φανερῶς τὸ πεφηνέναι, καὶ ἐκπορεύεσθαι;

ιγ'. Τοιγαροῦν ἔδει καὶ τοὺς ἐνταυθοῖ περὶ τοῦ πεφηνέναι διαποροῦντας, ἀλλαχόθεν, ὡς ἔφαμεν, ἐκ τῶν ἀναμφιλέκτων τὴν τῆς λέξεως πορίσασθαι δήλωσιν, ἢ μὴν ἔκ γε τῆς τοῦ λόγου συμφράσεως συνεωρακέναι τὸ ἀληθὲς, καὶ μὴ παραλογίζεσθαι σφᾶς αὐτούς. ποίαν γὰρ ἂν ἔχειν ὑπωπτεύθη πρὸς τὴν κτίσιν κοινότητα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκ τοῦ, τὴν μὲν διὰ τοῦ μονογενοῦς ὑποστῆναι. τὸ δὲ δι' αὐτοῦ πεφανερῶσθαι αὐτῇ; ἢ πῶς ἐν ἄλλοις διακρινόμενον τὸ πνεῦμα ἀπὸ τῆς κτίσεως, οὐ μᾶλλον ἂν διεκρίνετο προχειρότερον, ἐκ τοῦ, τὴν μὲν διὰ τοῦ μονογενοῦς ἔχειν τὸ εἶναι τὸ δὲ μὴ δι' αὐτοῦ δὴ τοῦ μονογενοῦς, ἀλλὰ τοῦτό ἐστι δι' υἱοῦ τὸ εἶναι τῷ πνεύματι παρὰ πατρὸς φυσικῶς δι' υἱοῦ καὶ τῇ κτίσει, ἀλλὰ δημιουργικῶς. τρεπτὴ γὰρ αὕτη. διὸ καὶ ἀλλοιωτὴ, καὶ τῆς ἐκ Θεοῦ ἀγαθότητος ἐπιδεής, τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐτράπη ἀπὸ τοῦ μὴ εἶναι εἰς τὸ εἶναι μεταβαλόν. ἦν γὰρ ἀεὶ, διὸ οὐδὲ κτίσμα. Εἰ γὰρ τὸ κτιστὸν τρεπτὸν, τὸ μὴ τρεπτὸν οὐ κτιστόν. ἡ κτίσις ἀλλοιωτὴ κατὰ προκοπὴν λαμβάνουσα τὸν ἁγιασμὸν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀποφοιτῶσα τοῦ κρείττονος, καὶ πρὸς τὸ χεῖρον ὑποποδίζουσα. τὸ δὲ πνεῦμα τὴν ἀκροτάτην ἁγιωσύνην ἀϊδίως αὐχεῖ. τοιγαροῦν, εἰ τὸ κτιστὸν καὶ ἀλλοιωτὸν, τὸ μὴ ἀλλοιωτὸν, οὐδὲ κτιστόν. ἡ κτίσις κατὰ μέθεξιν ἔχει τὸ ἀγαθὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ. τὸ δὲ πνεῦμα αὐτάγαθον. ἐν ἄρα τῷ ἀπροσδεεῖ τῆς ἑτέρωθεν ἀγαθότητος, καὶ τῷ ἀναλλοιώτῳ, καὶ ἀτρέπτῳ διακρίνεται τὸ πνεῦμα ἀπὸ τῆς κτίσεως. εἰ μὴ ταῦτα γάρ, ἐνομίσθη ἄν τινα πρὸς τὴν κτίσιν ἔχειν κοινότητα, τῷ δι' υἱοῦ πεφηνέναι παρὰ πατρός.

ιδ'. Ἀλλ' εὐθὺς αἱ ψαλμικαὶ τοῦ Θεοῦ χεῖρες. αἱ θεολογικαὶ ἀκτῖνες, σὺν τοῖς ὁμοίοις ποταμοῖς, οἱ θεόφυτοί τε βλαστοί, καὶ τὰ δίδυμα σπλάγχνα, καὶ φῶτα τοῦ πατρὸς, καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἀντιπροτείνεται, καὶ οὐκ ἴσασιν οἱ ταῦτα δὴ προβαλλόμενοι, τὸ τῶν ὑποστάσεων ἀσύγχυτον, καὶ τὸ πρῶτον αἴτιον ἐντεῦθεν παραδηλούμενα. τέως δ' οὖν ὁ τὰ θεῖα πολὺς Ἀθανάσιος ἐν τῷ περὶ τῆς τοῦ μονογενοῦς λόγου ἐνανθρωπήσεως, τοιαῦτα φησὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς. Ὅτε παρατίθεται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ εἰς τὰς χεῖρας τοῦ πατρὸς, ὡς ἄνθρωπος ἑαυτὸν παρατίθεται ἑαυτῷ, ὡς Θεῷ, αὐτὸς γὰρ ἡ χεὶρ καὶ αἱ χεῖρες τοῦ πατρός. Ὁ δὲ σοφὸς Ἰωάννης ἐπ' Ἐκκλησίας ὑμνῶν τὸν διαπετάσαντα τὰς χεῖρας ἐν τῷ σταυρῷ δι' ἐμὲ, ταῖς ἀχράντοις αὐτοῦ χερσὶ κηρύττει γεγονέναι, τὴν ἐμὴν καταρχὰς διάπλασιν ἐκ

factus. Manifeſtum Deum eſſe Spiritum illud ex alio proprie poſſidens, & naturaliter ut Deus: alias vero creaturas magis improprie, tamquam quæ a Creatore, & opifice apparuerunt, ex quo dicuntur. Quare manifeſtiſſime verbum apparere exiſtentiam denotat: Scriptura vero hæc aſſerente de Spiritu. Quemadmodum itaque opifex Verbum cœlum firmavit, ita & Dei Spiritus, qui ex Patre procedit, hoc eſt ex ore ejus. *Et rurſus:* Neque a Dei gloria alienus ex ineffabili ore ineffabiliter apparens. *An non manifeſto de Spiritu evincitur idem eſſe apparere, & procedere?*

13. *Oportebat itaque eos, qui hic de hujus verbi ſignificatu hæſitant, aliunde ut diximus, & ex indubitatis dictionis ſententiam expiſcari, vel ſaltim ex ipſa dicendi ſtructura veritatem comprehendere, & non ſeipſos falſis ratiocinationibus decipere. Quid enim cum creatura habere commune exiſtimaretur Spiritus ſanctus ex eo, quod illa quidem per Unigenitum ſubſtitit, Spiritus vero per ipſum illi manifeſtatus eſt? Annon, cum in aliis Spiritus ſecernatur a creatura magis, & faciliori quodam modo ſecerneretur ex eo, quod illa per Filium, quod ſit, habeat: ille autem non per ipſum, Unigenitum nempe. Sed hoc eſt per Filium Spiritui, quod ſit ex Patre naturaliter per Filium, & creaturæ, ſed ut ab opifice productæ. Hæc enim haud firma eſt, ideoque & mutabilis, & divinæ bonitatis indigens. Sed Spiritus ſanctus minime mutatus eſt, ex eo quod non eſt, ad id, quod eſt, gradum faciens. Erat enim ſemper: propterea neque creatura eſt: etenim ſi creatum mutabile eſt, non creatum immutabile erit. Creatura mutabilis eſt, progreſſu ſanctificationem acquirens, immo etiam a meliori deſciſcens, & ad pejora retro commeans. Spiritus abſolutiſſimam ſibi ſanctitatem ab æterno vindicat. Ergo ſi creatum mutabile eſt, quod immutabile eſt, creatum non eſt. Creatura ſecundum participationem bonum ex Deo habet, Spiritus vero ex ſeipſo bonus eſt. Quod itaque alienæ bonitatis non indiget, & immutabilitate, atque firmitate Spiritus a creatura ſecernitur. Quæ ſi inficias jerint, aliquid cum creatura commune Spiritum habere exiſtimare neceſſe eſt, ex eo, quod per Filium a Patre apparuit.*

14. *Quibus ſtatim obiicimus Dei manus, quæ in Pſalmis ſunt, radios, cum conſimilibus fluviis apud Theologos a Deo natos ſurculos, & bina viſcera, & lumina Patris, & quidquid hiſce haud diſſimile eſt; neque norunt, qui hæc proponunt, hypoſtaſeon inconfuſum, & primam cauſam inde nobis inſinuari. Tandem in rebus divinis pertractandis conſultiſſimus Athanaſius Oratione de unigeniti Verbi incarnatione, de eodem Unigenito hæc ſcribit:* Dum commendat in manus Patris ſpiritum ſuum, ut homo ſemetipſum ſibi ut Deo commendat. Ipſe enim eſt manus Patris. *Sapiens quoque Joannes in Eccleſia laudens eum, qui extendit manus in Cruce;* Propter me immaculatis illius manibus, *prædicat,* factam fuiſſe meam in principio creationem ex terra, cre-

Spiritus ſanctus nihil habet commune cum creatura.

Quibus Filius & Spiritus ſanctus a patribus comparantur.

*Athanaſ.*

*Joannes.*

Quare manus dicatur Dei & quomodo.

χοὸς τὸ δημιουργικὸν τοῦ λόγου, καὶ τὸ τῆς ἐνεργείας ἀνυστικόν, χεῖρας ὀνομάζων, συμβολικῶς ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς. Εἰ δέ τις καὶ τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα χεῖρας αἱροῖτο καλεῖσθαι Θεοῦ, τὴν προσήκουσαν αἰτίαν ἐκδεχέσθω καὶ εὔλογον. καὶ ὅτε μὲν ἀκούοι τὸν υἱὸν βραχίονα καὶ δεξιὰν τοῦ Θεοῦ, δάκτυλον δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τότε τὴν ἄκραν συμφυΐαν θεωρείτω τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, καὶ τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι. τὸν υἱὸν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα χεῖρας νοῶν τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀσύγχυτον ἐντεῦθεν συνεπινοείτω, καὶ ἰδιοϋπόστατον τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος. οὐ τὸ μὴ διὰ τοῦ μονογενοῦς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός. ὥσπερ οὐδὲ τὸ μὴ ἀλληλουχεῖσθαι ταῦτα κατὰ τὴν δεξιὰν χεῖρα καὶ τὴν εὐώνυμον, ἀλλὰ τὸ μὲν ἔνθεν εἶναι τὸ δ' ἔνθεν οὐκ ἐν ἀλλήλοις.

ιε' Διὰ ταῦτα καὶ ὁ μέγας ἐν Θεολογίᾳ Γρηγόριος, ποτὲ μὲν ἀκτῖνι παρεικάζει τὸν υἱόν, φωτὶ δὲ τὸ πνεῦμα, καὶ τὸν μὲν πηγῇ, τὸ δὲ ποταμῷ. ποτὲ δὲ τὸ τῶν εἰρημένων τῆς θεότητος ὑποστάσεων ἀσύγχυτον παραδηλῶσαι προθέμενος, καὶ τὸ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἀχώριστον ἐν τῇ καθόδῳ τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὥσπερ ἀκτῖνας δύο πέμπεσθαι ταύτας ἐξ ἑνὸς ἡλίου φησί, καὶ δύο ποταμοὺς ἐκ μιᾶς πηγῆς, προβαίνοντας μὲν πολύ τε καὶ εἰς μακρόν, ἐχομένους δὲ τοῦ ὅθεν διαπαντός. ἄλλοτε δὲ τὸ ἀδιαίρετον τῆς τριάδος παραστῆσαι βουλόμενος, καὶ ὁμότιμον, ἕνα μαργαρίτην ταύτην ἀποκαλεῖ. καὶ Διονύσιος μὲν ὁ θεωρητικώτατος δίδυμα σπλάγχνα τοῦ πατρός, καὶ φῶτα, καὶ ἄνθη, καὶ βλαστοὺς θεοφυτοὺς προσαγορεύει τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ τῶν ὑποστάσεων ὑπεμφαίνων ἀσύγχυτον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχειν καὶ ἄμφω τὸ εἶναι γνησίως καὶ ἀκραιφνῶς. ἕτεροι δὲ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν ῥίζαν μὲν ὀνομάζουσιν τὸν πατέρα, κλάδον τὸν υἱόν, καὶ καρπὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος διὰ τοῦ υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς ὑποδεικνύοντες ὕπαρξιν. ἀκούω δὲ καί τινος θεολήπτου καὶ θεοσόφου καθηγητοῦ περὶ τῆς ὑπερθέου Τριάδος οὑτωσί με διδάσκοντος, τὴν μὲν ἀνωτάτω ῥίζαν, ἧς ἐπέκεινα τὸ σύμπαν οὐδέν, ἐννοήσεις τὸν πατέρα. τὸν δέ γε τῆς ἀνωτάτω ῥίζης ἐκπεφυκότα καὶ γεγεννημένον, παραδέξῃ τὸν υἱόν, οὐκ ἐν ἴσῃ τάξει τοῖς πεποιημένοις τὴν ἐν χρόνῳ λαχόντα γέννησιν, οὔτε μὴν ἐν ἐλάττοσιν, ἢ ἐν οἷς ὁ πατήρ, τὸ τῆς ἰδίας φύσεως ἐκφαίνοντα κάλλος, ἀλλ' ἅμα τε καὶ συναΐδιον, καὶ πᾶν ὁτιοῦν ἰσόμετρον ἔχοντα, δίχα μόνου τοῦ τεκεῖν. προσήκοι γὰρ ἂν τοῦτο μόνῳ τῷ Θεῷ καὶ πατρί. ἅγιον δὲ πνεῦμα προσερεῖς τὸ ἐκ Θεοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον φυσικῶς, καὶ καθάπερ ἐν τύπῳ τῆς ἐκ στομάτων διαπνοῆς τὴν ἰδίαν ἡμῖν ὑποσημαῖνον ὕπαρξιν. οὕτω τε σαφῆ καὶ ἀσύγχυτον τὴν τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν ἰδικαῖς ὑπάρξεσιν ἰδιότητα τηρῶν, μίαν τε, καὶ ὁμοούσιον τὴν ἁπάντων βασιλίδα προσκυνήσεις φύσιν. Τί τὸ προχεῖσθαι φυσικῶς; αὐτὸ δὴ τὸ ἐκπορεύεσθαι τοῦ πνεύματος, ὕπαρξις ἰδικὴ καὶ ἰδίωμα. καθὼς τοῦ πατρὸς τὸ ἀνωτάτω εἶναι, καὶ οὗ ἐπέκεινα μηδέν. τουτέστι τὸ ἄναρχον. καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ παρὰ τοῦ πατρὸς γεγεννῆσθαι. περὶ τούτων γὰρ ἡ σύμπασα ῥῆσις διέξεισι, τοὺς τῆς ὑπάρξεως τρόπους εἰλικρινῶς διορίζουσα τῶν μακαρίων τῆς θεότητος ὑποστάσεων.

*andi vim ipſam Verbi & operationis efficientiam manus ſymbolice exemplo noſtri nuncupans. Si quis vero & Filium & Spiritum manus Dei velit appellare, cauſam habeat neque improbabilem, neque intempeſtivam: & cum audit Filium brachium & dexteram Dei, digitum vero Spiritum ſanctum, tunc ſummam Filii & Spiritus unitatem ſpeculetur, & per Filium Spiritum a Deo Patre procedere. Filium autem & Spiritum manus Dei intelligens, inconfuſum inde, & per ſe ſubſiſtens Filii & Spiritus ſimul mente concipiat, non quod per Filium Spiritus non procedat ex Patre, quemadmodum neque quod hi inter ſe non connectantur, ſicuti manus dextera, & læva; ſed quod unus ex una parte eſt, alius in alia, non in ſeipſis confuſi.*

Gregor. Nazianz. Aliæ Spiritus & Filii ſimilitudines; & quare.

15. *Ideo in Theologicis præſtans Gregorius aliquando radio aſſimilat Filium, lumini Spiritum, & hunc quidem fluvio, illum fonti: aliquando eorumdem minime confuſas Deitatis hypoſtaſes, & in deſcenſu ad homines non ſeparari a Patre explanans, uti binos radios eos ex uno ſole mitti, & duos fluvios ex uno fonte longe, lateque procurrentes, illique ſemper adhærentes, unde emanant, vocat. Aliquando unum indiviſumque Triadis, nec non eundem omnium honorem aſtruens, unam eam margaritam appellat. Et Dionyſius rerum divinarum ſpeculator & venator acerrimus bina Patris viſcera, & lumina, & flores, & germina a Deo prognatos Filium & Spiritum indigitat, minime confuſas eorum hypoſtaſes commonſtrans, & ex Patre habere utrumque quod vere & proprie ſit. Alii ex ſanctis Patribus radicem nuncupant Patrem, ramum Filium, & fructum Spiritum ſanctum, Spiritus ſancti per Filium exiſtentiam demonſtrantes. Audio præterea quendam numine afflatum, & divina doctrina imbutum præceptorem de divina Triade hæc ad amuſſim diſſerentem:* Supremam omnium radicem, ultra quam, quidquid eſt, nihil eſt, intelligito mihi Patrem, e ſuprema vero radice enatum, prognatumque accipito Filium, non eodem modo, ac cæteræ res creatæ generationis temporariæ modum ſortitum, neque in paucioribus, quam Pater propriæ naturæ pulchritudinem commoſtrantem; ſed univerſa coæterna, & æqua atque Pater menſura poſſidentem, unum ſi excipias, parere, namque id ſoli Deo & Patri convenit: Spiritum autem ſanctum dicito, qui ex Deo Patre per Filium effunditur naturaliter, & veluti, ut exemplo hoc utar, ex oris ſpiratione propriam exiſtentiam indicantem. Sic planam, & inconfuſam trium hypoſtaſeon in ſingularibus exiſtentiis propietatem conſervans, unam & conſubſtantialem reginam omnium naturam adorabis. *Quid eſt effundi naturaliter, ipſa proceſſio Spiritus, exiſtentia ſingularis, & propietas, quemadmodum Patris ſupremo loco eſſe, & ultra, quem, nihil, hoc eſt abſque principio; & Filii, a Patre eſſe genitum? De his enim allata ſupra verba agunt, exiſtentiæ modos perſpicue determinantia beatarum Deitatis hypoſtaſeon.*

Dionyſius.

*Verum-*



ιϛ'. Ἀλλὰ τί χρὴ περὶ τῶν τοιούτων μακρηγορεῖν. Εἰ μὲν οὐδέπω σαφῶς οὐδεὶς τῶν ἁγίων ἐδίδαξε, τὸ δι' υἱοῦ τὴν τοῦ πνεύματος ἐκπόρευσιν εἶναι παρὰ πατρός, οὐδ' ἡμεῖς ἀνάγκην ἔχομεν ὀρύσσειν φρέαρ καινόν. Εἰ δ' ἔκπαλαι τοῦτο τὸ φρέαρ ὠρώρυκτο, Φιλισταίου δὲ χεὶρ ἐνέφραξεν, ἢ συνέχωσεν, οὐκ ἀνακαθαριεῖ τις αὐτό ποτε, καὶ τὸν χοῦν ἐκφορήσας τὸν πολὺν τῆς ἀγνοίας, εὑρήσει τὸ ζῶν ὕδωρ, καὶ τῶν τῆς νομῆς προβάτων τὸ σύνταγμα διατμηθὲν οὐ καλῶς, εἰς μίαν πάλιν ποίμνην διὰ τοῦ κοινοῦ ποιμένος ἐπισυνάψει τῷ μονογενεῖ καὶ ἀγαπητῷ; Ἔστιν οὗ καὶ τὴν αὐτοῦ δὴ τοῦ καλοῦ ποιμένος ἐκμιμησάμενος συγκατάβασιν; φέρε δὴ μετὰ τῶν ἄλλων παίδων τοῦ πατρὸς τοῦ κληρονόμου, καὶ χάριτι πατρὸς τῶν ἐθνῶν, καὶ τὸν μέγαν πάλιν κἀνταῦθα παραγάγωμεν Ἀθανάσιον, καὶ ἴδωμεν αὖθις ὅσον δὴ καὶ αὐτὸς τῇ τοῦδε φρέατος ἀνορυγῇ συνεβάλλετο. τί γοῦν κατ' Εὐσεβίου τοῦ Σαμοσατέως, καὶ Μελετίου τῶν ἀλλοφύλων τῆς πίστεως ἠκροβόλισεν ὁ τοῦ δεσπότου οἰκογενής, ὁ τῆς Ἐκκλησίας ὑπέρμαχος; Ἦν δὲ ἀδύνατον ἐν τῇ τῆς Τριάδος δόξῃ τὸ πνεῦμα δοξάζεσθαι, μὴ προοδικῶς ὂν ἐκ Θεοῦ δι' υἱοῦ ἀλλὰ ποιητικῶς ἐκ Θεοῦ γεγονός, ὡς λέγουσι. τί τό, προοδικῶς, ἐν τῷ περὶ δογμάτων καὶ καταστάσεως ἐπισκόπων ὁ τῆς Θεολογίας ἐπώνυμος συντόμως ἡρμήνευσεν. Εἰ πολυπραγμονεῖς, εἰπὼν υἱοῦ γέννησιν καὶ πνεύματος πρόοδον, κἀγώ σου πολυπραγμονῶ τὸ κρᾶμα ψυχῆς τε καὶ σώματος. καὶ πάλιν, Μὴ δὲ τοῦ πνεύματος περιεργάζου τὴν πρόοδον. ἐν δευτέρῳ δὲ τῶν Εἰρηνικῶν. Ἀλλ' ἐκεῖσε ἀνοίσεις τὸ καλὸν γέννημα, καὶ τὴν θαυμασίαν πρόοδον. καὶ πάλιν, Αὐτοὶ δὲ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἰδέναι φύσιν θεότητος ἀνάρχῳ καὶ γεννήσει καὶ προόδῳ γνωριζομένην. ὃν οὖν ἔχει λόγον ἐπὶ τοῦ πατρὸς τὸ ἀνάρχως, ἐπί τε τοῦ υἱοῦ τὸ γεννητῶς, τὸν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ πνεύματος τὸ προοδικῶς, ταὐτὸν δ' εἰπεῖν ἐκπορευτικῶς.

ιζ' Ἐγὼ δ' ἀκήκοά ποτε καὶ οὕτω διαπορούντων τινῶν. εἰ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, πῶς ὁ θεολογικώτατος Γρηγόριος εἴρηκε. Θέλω τὸν πατέρα μείζω εἰπεῖν, ἐξ οὗ καὶ τὸ ἴσοις εἶναι τοῖς ἴσοις ἐστὶ καὶ τὸ εἶναι. τοῦτο γὰρ παρὰ πάντων δοθήσεται, καὶ δέδοικα τὴν ἀρχήν, μὴ ἐλαττόνων ἀρχὴν ποιήσω, καὶ καθυβρίσω διὰ τῆς προτιμήσεως. εἰ λόγος καὶ πνεῦμα ἅγιον ἴσα, ἴσην ἂν ἔχοιεν καὶ τὴν ὕπαρξιν. ἔχοντα καὶ ἄμφω ταύτην ὡσαύτως παρὰ πατρός. ταῦτα τῶν καινοτέρων ἀπορημάτων, ὡς οὐκ ἂν πρὸς τὸν μονογενῆ τὴν ἰσότητα τοῦ πνεύματος ἔχοντος, εἰ δι' αὐτοῦ ἐκπορεύοιτο. καὶ μὴν καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς ἐν τῇ ἐνστάσει παρειλημμένης ῥήσεως πατρικῆς ἡ λύσις προφαίνεται. δέδοικα γάρ φησι τὴν ἀρχὴν μὴ ἐλαττόνων ἀρχὴν ποιήσω, ὥστε θέλει καὶ τὴν ἀρχὴν ὁ μέγας θεηγόρος ἴσην εἶναι τοῖς ἐξ αὐτῆς, μηδὲν τὸ ἀρχικὸν παραβλαπτομένην ἐκ τῆς ἰσότητος. ἥτις ὁμοτιμίαν δείκνυσι καὶ ταυτότητα φύσεως. καθὼς ὁ αὐτὸς πάλιν διδάσκαλος ἐν δευτέρῳ τῶν Εἰρηνικῶν διαγορεύει σαφέστατα. Τριὰς λέγων ὡς ἀληθῶς ἡ τριὰς ἀδελφοί. τριὰς δὲ οὐκ ἀνίσων πραγμάτων ἀπαρίθμησις, ἀλλ' ἴσων καὶ ὁμοτίμων σύλληψις. ὥσπερ οὖν ἡ τῶν τριῶν ἰσότης οὐκ ἀφαιρεῖται τοῦ ἑνὸς τὴν ἀρχήν, οὕτω καὶ ἡ τῶν ἐκ τῆς ἀρχῆς ἰσότης,

Patres docuiſſe Spiritum per filium procedere.

16 *Veruntamen quid opus eſt, de his plura dicere? Siquidem ſi nullus ex Sanctis plane nos Spiritus proceſſionem per Filium ex Patre eſſe docuiſſet, neque nobis effodiendus puteus novus eſſet: ſed ſi jam olim puteus hic effoſſus eſt, & Philiſtæi manus obturavit, atque opplevit, non eum aliquando quiſpiam expurgaverit, immaniſque ignorantiæ luto egeſto, vivam aquam invenerit, & ovium, quæ paſcuo huic deſtinatæ ſunt, agmen improbe maliſque artibus diviſum in unum rurſus gregem per communem Paſtorem unigenito, & dilecto, in nonnullis ejuſdemmet boni Paſtoris demiſſionem imitatus conjunxerit? Age igitur cum aliis filiis Patris & heredis, & gratia patris gentium, magnum huc adducamus Athanaſium, rurſumque contemplemur, quæ ipſe in hujuſce putei effoſſione præſtiterit. Quid itaque adverſus Samoſatenum Euſebium, & Meletium a fide alienos, Domini verna Eccleſiæ defenſore jaculavit?* Fieri minime poterat, ut in Triadis gloria Spiritus glorificaretur, niſi ille proflueret ex Deo per Filium, ſed ut reliquæ creaturæ ex Deo factus fuiſſet, ut aſſerunt, *Quid ſit* proflueret, *Oratione de Dogmatibus & ordine epiſcoporum, qui Theologi cognomen habet, paucis interpretatus eſt*: Si tu, *dicens*, curioſe inquiris Filii generationem, & Spiritus effluxum, & ego quidem a te inquiro animæ & corporis mixtionem. *Et rurſus*: Ne curioſe nimis Spiritus effluxum perquirito, *ſecunda Oratione de Pace*. Sed ibi relinques pulchrum fœtum, & admirabilem effluxum. *Item*; Ipſi vero unam ac eandem noſcere naturam Deitatis, quæ ingenito, generatione, & effluxu cognoſcitur. *Quam itaque rationem in Patre, ſine principio, & in Filio, genitum, eandem debet in Spiritu, effluere, quod idem eſt, ac procedere.*

Athanaſ.

Nazianz. Effluere in divinis quid ſit.

In Trinitate ſumma æqualitas.

17. *Aliquando etiam ipſe aliquos hunc in modum diſſerentes audivi: Si eſt per Filium Spiritus, quomodo in rebus Theologicis pertractandis celeberrimus Gregorius dixit*: Volo Patrem majorem dicere, ex quo ut æquales ſint, æquales habent, & ſunt. Hoc enim ab omnibus concedetur, vereorque ne principium, inferiorum principium faciam & prælatione injuria efficiam? *Si Verbum, & Spiritus ſanctus æqualia ſunt, æqualem utique habebunt & exiſtentiam, cum eam, uterque habeat æqualiter a Patre. Hæc ſunt recentiorum dubia, nullam ſcilicet æqualitatem cum unigenito Spiritum habiturum, ſi per ipſum procederet: Et tamen ab eadem Patris ſententia, quæ in ipſa objectione aſſumitur, facilis ſeſe offert ſolutio.* Vereor enim, *ait*, ne principium, inferiorum principium faciam; *vult itaque magnus hic diviniloquus Pater principium æquale eſſe cum iis qui ab eodem emanant, cum in nullo principium ab æqualitate illa vulneretur, quæ eundem honorem eandemque naturam conſtabilit, quemadmodum idem magiſter ſecunda oratione de pace pleniſſime aſſeverat*: Trias, *dicens*, veriſſime Trias eſt, o fratres, Trias non inæqualium rerum enumeratio, ſed æqualium, & æque honoratarum comprehenſio. *Quemadmodum itaque trium æqua-*

Spiritus ſanctus etiam ſi a Filio procedat æqualis eſt illi.

οὐκ ἐστὶν ἀναιρετικὴ τοῦ, τὸ πνεῦμα δι᾽ υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι. ταύτην μὲν οὖν ἐν τῇ Τριάδι τηρεῖν τὴν ἰσότητα, τῶν ἀναγκαιοτάτων ἐστίν· ἀποπεμπτέον δὲ πόῤῥω τὴν σύγχυσιν ὡς ὑπερβολήν, ὡς ἔλλειψίν τε τὴν ἀνισότητα. καὶ πάλιν, ἢ συστέλλειν θεότητα καὶ ἀναλύειν ἀθέως, ἢ κατατέμνειν ἀνίσοις ἀλλοτριώτησιν ἢ μεγέθους ἢ φύσεως. ἀλλ᾽ εἴπερ φασὶ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λεχθείη, θεογόνος ἂν εἴη καὶ ὁ υἱός. τοῦτο δὲ τοῦ πατρὸς ἰδίωμα. συμμερίσεται ἄρα ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ τὸ τοιοῦτον ἰδίωμα. τῆς δὲ θεογόνου δυνάμεως μένον ἔρημον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐ κινδυνεύσει μεγάλῳ βαθμῷ τῆς θεότητος ἐκπεσεῖν, εἴγε τῇ δυνάμει καὶ τὴν οὐσίαν ἀνάγκη συνυφαιρεῖσθαι; εἰ γὰρ τὸ ὁμοούσιον, ὁμοδύναμον, τὸ μὴ ὁμοδύναμον, οὐδ᾽ ὁμοούσιον.

ιη'. Βαβαί, πόσον ἐμοὶ φέρει τὰ εἰρημένα τὸ δυσέληπτον. εἰ γὰρ ὁ πατὴρ γεννᾷ τὸν υἱὸν μὴ ἔκ τινος τοῦτο λαβών, εἰδὲ ὁ υἱὸς ἔχει τὸ πνεῦμα λαβὼν αὐτὸ φυσικῶς παρὰ τοῦ πατρός, οὐ γεννώμενον, ἀλλ᾽ ἐκπορευόμενον δι᾽ αὐτοῦ παρὰ τοῦ πατρός, οὐκ οἶδα ποῖον ἐντεῦθεν ἰδίωμα πατρικὸν ἕξειν φάσκουσιν τὸν υἱόν. πῶς δὲ καὶ θεογόνον τὸν πατέρα κατονομάζουσιν; εἰ μὲν ὅτι Θεὸν γεννᾷ τὸν υἱόν, ἀληθῶς τοῦτο τῆς πατρικῆς ἐξαίρετον ὑποστάσεως, οὐδὲ υἱὸς οὐ θεογόνος. υἱὸν μὴ γεννῶν, εἰδὲ τὸ γεννᾷν καὶ προβάλλειν καὶ ἄμφω συνάγοντες εἰς ταυτόν, θεογόνον οὕτω τὸν πατέρα φασίν, ἰδοὺ Θεοῦ γόνος καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ πῶς μονογενὴς υἱός; εἰδ᾽ ἀπαρακαλύπτως τὸ προβάλλειν εἰσάγοντες ὡς ἰδίωμα πατρικόν, ἐντεῦθεν κατασκευάζουσι τὸ μὴ δι᾽ υἱοῦ πεφηνέναι τὸ πνεῦμα παρὰ πατρὸς ἐκ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἐκχεῖσθαι σοφίζονται. τὸ γὰρ ἐκ πατρὸς μὴ δι᾽ υἱοῦ τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ἰδίωμα εἶναι πατρικὸν τὸ προβλητικόν, ἄντικρυς ταυτόν. ποία δὲ γραφὴ τὸ τοιοῦτον ἰδίωμα παραδίδωσιν; ἔπειτα πῶς τὸ προσὸν τῷ πατρὶ καθάπερ ἀρχῇ προβλητικὸν συμμερισθήσεται τῷ υἱῷ ἐκ τοῦ δι᾽ αὐτοῦ εἶναι τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός; εἰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγει τις ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, ἔσται δὴ καὶ ὁ υἱὸς κατὰ τὸ ἀρχικὸν κοινωνὸς τῷ πατρί. καὶ πῶς υἱός; ἀνακόλουθον τοῦτο καὶ ἄτοπον. εἰδὲ καὶ αὐτὴ τοῦ πνεύματος ἡ ἐκπόρευσις ἐκ τοῦ πατρὸς διαῤῥήδην κηρύττεται, καθὼς καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ υἱός, προδήλως σκιαμαχοῦσιν οἱ ἀντιτείνοντες. εἰ δέ γε τοῖς ἐπενηνεγμένοις προσλαβώμεθα καὶ τὸν υἱὸν ἡμεῖς καὶ ἀντεπενέγκωμεν τῆς θεογόνου δυνάμεως ἔρημον ὂν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔρημος ὢν καὶ ὁ υἱός, οὐ κινδυνεύσουσι κατ᾽ αὐτοὺς τῆς θεότητος ἐκπεσεῖν;

ιθ'. Ἐγὼ δὲ θαυμάζω καὶ τὴν αὐτῶν σὺν ἀντιθέσει ἀντιστροφήν, δι᾽ ἧς μὴ εἶναι κατασκευάζουσι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον. εἰ γὰρ τὸ μὲν ὁμοούσιον ὁμοδύναμον, τὸ δὲ μὴ ὁμοδύναμον μηδ᾽ ὁμοούσιον, ἢ ὁ υἱὸς ὁμοούσιος τῷ πατρί, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὁμοδύναμος, ἣν ὑπέθεντο δύναμιν καὶ γεννήσει πάντως υἱόν, ἢ οὐχ ὁμοδύναμος τὴν τοιαύτην γεννητικὴν δύναμιν, καὶ κατ᾽ αὐτοὺς οὐδ᾽ ὁμοούσιος τῷ πατρί. καὶ πῶς φασιν, εἰ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὁ Καισαρείας Λεόντιος ἔλεγε κατὰ Νίκαιαν, ὡς ἐκ τῆς ὅλης συνόδου πρὸς τὸν

*litas non violat unius principium, ſic & eorum, qui ex principio ſunt, æqualitas non tollit Spiritum per Filium ex Patre procedere. Hæc ergo æqualitas in Triade ante omnia ſervanda eſt, longeque mittenda eſt confuſio, ut exceſſus; & ut defectus inæqualitas: rurſumque non eſt contrahenda Deitas, aut impie diſſolvenda aut inæqualibus, vel naturæ, vel magnitudinis disjunctionibus diſcindenda. Sed ſi, inquiunt, per Filium Spiritus dicetur, Filius quoque Deum generaret, quæ Patris proprietas eſt. Compartietur ergo filius cum Patre hanc proprietatem. Et deipara facultate ſpoliatus Spiritus S. an non de magno Deitatis gradu decidet, ſi una cum facultate eſſentia quoque privari neceſſe ſit? Etenim ſi quod ejuſdem eſt eſſentiæ, ejuſdem etiam potentiæ eſt, quod ejuſdem potentiæ non eſt, neque ejuſdem eſſentiæ erit.*

In Trinitate non generat niſi Pater.

18. *Papæ, quam mihi comprehenſu difficilia ſunt, quæ dicuntur! Etenim ſi Pater generat Filium, a nullo id accipiens, & Filius habet Spiritum, eum a Patre naturaliter accipiens, non genitum, ſed per eundem procedentem ex Patre; prorſus non capio, quamnam paternam proprietatem habiturum autumant Filium. Et quomodo Dei-genitorem Patrem indigetant? Si quod Deum generat Filium, vere hoc eſt paternæ hypoſtaſeos præcipuum. At Filius non Deum-generans eſt, cum Filium non generet. Si vero generare, & producere, & utraque in unum colligantes, hac ratione Deum-generantem Patrem appellant, ecce & Dei fœtus eſt Spiritus; & quanam ratione unigenitus Filius erit? Si item producere aperte inſinuantes, tanquam proprietatem Paternam, inde comprobant, non per Filium apparuiſſe Spiritum ex Patre, ex eo quod in principio effundatur, ſubdole argutantur. Namque ex Patre non per Filium Spiritum, & proprietatem eſſe paternam vim producendi plane idem eſt: quænam autem ſcriptura talem proprietatem tradit? Deinde quomodo, quæ ineſt Patri veluti principio facultas effundendi, diſpartietur cum Filio, propterea, quod per ipſum eſt Spiritus ex Patre? Siquidem ſiquis ex Filio Spiritum, ut ex primo principio aſſerat, communicabit utique Filius Patri, ſecundum quod ille principium eſt, & tum quomodo erit Filius? ſed conſequens id abſurdum eſt, nec convenit. Quod ſi & ipſa Spiritus proceſſio ex Patre palam edicitur, quemadmodum & omnia quæ habet Filius, manifeſto adverſarii inaniter cum umbra depugnant. Verumtamen in adductis nos Filium aſſumimus, & obiicimus, facultate deipara cum Spiritus S. careat, careatque & ipſe Filius, annon ſecundum ipſos de deitate deiici periclitabuntur.*

19. *Ego porro admiror eorundem cum oppoſitione converſionem per quam Filium non ejuſdem eſſe cum Patre naturæ adſtruunt. Etenim ſi id quod ejuſdem eſſentiæ eſt, ejuſdem facultatis eſt, & quod non eſt ejuſdem facultatis, neque ejuſdem eſſentiæ eſt, aut Filius ejuſdem cum Patre eſſentiæ, ideoque & ejuſdem facultatis, quam ipſi ſupponunt, omnino generabit Filium, aut non eſt ejuſdem facultatis, generativæ ſcilicet, & ſecundum eoſdem non erit ejuſdem cum Patre eſſentiæ. Et quomodo inquiunt, ſi per Filium eſt Spiritus*

Filius eſt ejuſdem cum Patre naturæ.

*tus*



Φιλόσοφον. Δέχου μίαν θεότητα τοῦ πατρὸς τοῦ γεννήσαντος τὸν υἱὸν ἀνεκφράστως, καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ γεγεννημένου ἐξ αὐτοῦ. καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τοῦ ἐκπορευομένου ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρός, ἰδίου δὲ ὄντος τοῦ υἱοῦ; πῶς δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ἐν Εὐαγγελίοις φησί. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, μὴ προστιθεὶς τό, διὰ τοῦ υἱοῦ. Πρὸς ταῦθ᾽ ἡμεῖς οὕτως ἀνθυποφέρομεν. διὰ τί τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἴδιον εἶπεν ὁ Λεόντιος τοῦ υἱοῦ, μὴ μέντοι καὶ τὸν υἱὸν ἴδιον εἶναι τοῦ πνεύματος, εἰ μὴ τὸν μὲν ᾔδει ἀμέσως ἐκ τοῦ πατρός, τὸ δὲ διὰ τοῦ υἱοῦ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρός; εἰ βουλητὸν δὲ τὸ μόνου παρειλήφθω ἀντὶ τοῦ αὐτοῦ, ὡς ἂν ἡ ἔνστασις ἐπὶ πλέον ἔχῃ τὸ βίαιον, καὶ εἰρήσθω τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς μόνου ἐκπορευόμενον. Τί γοῦν ὅτε φησὶν ὁ τὰ θεῖα πολὺς Ἀθανάσιος ἐν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν πρώτῳ, τὸν πατέρα μόνον εἶναι τοῦ ἁγίου πνεύματος χορηγόν, οὐ δώσομεν τῷ υἱῷ τὸ εἶναι χορηγῷ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος, ἢ ὅταν λέγει ὁ κύριος περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἢ τῆς ὥρας μηδένα εἰδέναι μηδὲ τοὺς Ἀγγέλους τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ τὸν αὐτοῦ πατέρα μόνον, οὐ δώσομεν καὶ τῷ υἱῷ ταύτην τὴν εἴδησιν; ἢ ὅτε πρὸς τὸν πατέρα φησίν. αὕτη ἐστὶν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσι σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν, οὐκ ἐροῦμεν Θεὸν ἀληθινὸν τὸν Χριστόν; οὐκ ἐροῦμεν Θεὸν ἀληθινὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; ἀλλ᾽ ὥσπερ ὅταν ὁ πατὴρ εἰδέναι λέγεται μόνος; πᾶσα τις ἑτέρα γνῶσις, τουτέστι τῶν γηγενῶν ἐξαργεῖ. καὶ ὅταν μόνος ἀληθινὸς μαρτυρεῖται Θεός, πᾶς τις ἑτεροφυὴς Θεὸς ἀποπέμπεται, τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ ὅτε παρὰ μόνου τοῦ πατρὸς λεχθείη τὸ πνεῦμα προέρχεσθαι, πᾶσα τις ἑτερούσιος ἀρχὴ πόῤῥω φεύξεται. τὸ γὰρ μόνον, οὐκ ἐξ ἀνάγκης ποιεῖται διαίρεσιν τῶν τῆς θεότητος ὑποστάσεων, ὡς αὐτὸς πάλιν ὁ θειότατος Ἀθανάσιος ἐν Διαλέξει τῇ πρὸς Ἄρειον ἀποδείκνυσιν. οὕτως οὖν οὐδὲ τὸ αὐτοῦ. διακριτικὸν γὰρ μᾶλλον τοῦτο ἐστίν, ἢ διαιρετικόν.

κ'. Εἰ δοκεῖ δὲ συμπαρειλήφθω καὶ τὸ μόνου καὶ τὸ αὐτοῦ. τίς οὐχ ὁμολογεῖ τῶν φρονούντων ὀρθῶς, ἐξ αὐτοῦ μόνου τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, ἐκπορεύεσθαι; καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ υἱός, ἐκ τοῦ πατρὸς ταῦτ᾽ ἔχειν αὐτόν; ἐγὼ δέ τὸ λοιπὸν δέδοικα, μή τις καὶ τελείαν ἀδυναμίαν τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ζωῆς ἐρημίαν τῆς αὐτοζωῆς, καὶ ἀλογίαν τοῦ ἐνυποστάτου λόγου καταψηφίσαιτο, προσμαρτυρεῖν τὸν Κύριον ἑαυτῷ ταῦτα διατεινόμενος. οὐ δύναμαι, λέγοντα, ποιεῖν ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ οὐδέν. καί, διὰ τὸν πατέρα ζῶ. καί, ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμός, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός, τοῦ Κυρίου λέγοντος διὰ τὴν τοῦ πατρὸς τιμήν, καὶ τὴν εἰς τὸ πρῶτον αἴτιον ἀναφοράν, διά τε τὸ μὴ δοκεῖν εἶναι ἀντίθεος, καὶ ὡς ἀπ᾽ ἄλλης τινὸς ἐξουσίας ποιεῖσθαι τοὺς λόγους. ὅτι ὁ λόγος ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμός, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός.

κα'. Ἀμφιβάλλει τις ὅλως τῶν νοῦν ἐχόντων. Τί δήποτε παρὰ τοῦ πατρὸς εἴρηκεν ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ δι᾽ ἐμοῦ μὴ προσθείς; καί τοιγε τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, εἰπών, ἑαυτοῦ μεμαρτύρηκεν εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐγὼ γάρ

*tus S. Leontius Cæſarienſis nomine Nicænæ ſynodi ad Philoſophum reſpondet.* Accipe unam Deitatem Patris, qui genuit Filium ineffabiliter, & Filii ex eo geniti, & Spiritus ſancti ex eodem Patre procedentis, qui & proprius eſt Filii? *Quomodo etiam & ipſe Dominus in Evangelio dicit, Spiritum ſanctum a Patre procedere, non addito, per Filium? His nos ita obiicimus. Quare Spiritum ſanctum proprium dixit Leontius Filii, non item & Filium proprium eſſe Spiritus, niſi quod agnoſceret hunc quidem immediate ex Patre, Spiritum vero per Filium ex eodem Patre? Et ſi placuerit, aſſumatur illud,* ſolo, *loco illius,* eodem, *ut objectio ipſorum magis ac magis urgeat, dicaturque, Spiritum ſanctum, qui ex Patre ſolo procedit. Quid præterea? Cum dicit divinus Athanaſius* Oratione prima contra *Arianos; Patrem ſolum Spiritum ſanctum ſuppeditare, an non dabimus Filio ejuſdem Spiritus ſancti ſuppeditationem? aut cum dicit Dominus, de die illo, aut hora neminem ſcire, neque Angelos cœlorum, niſi ſuum Patrem ſolum, an ſimilem cognitionem Filio denegabimus? vel cum ad Patrem dicit:* Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum, *an non aſſeremus Deum verum Chriſtum? an non aſſeremus Deum verum Spiritum ſanctum? Sed quemadmodum cum Pater ſcire ſolus dicitur, omnis alia cognitio, mortalium nempe, ceſſat; & cum ſolus verus Deus comprobatur, omnis extremus Deus amandatur: ita & cum a ſolo Patre Spiritus ſanctus emanare dicetur, omne alienæ eſſentiæ principium longe fugabitur.* Solum *etenim inter Deitatis hypoſtaſes diviſionem neceſſario non infert, ut ipſe rurſus diviniſſimus Athanaſius in congreſſu cum Ario commonſtrat. Sic itaque nec dictio* ex eodem: *diſcernit enim potius illa quam dividit.*

Leontius Cæſarienſis.

Leontii Cæſarienſis locus de Spiritus ſancti proceſſione exponitur.

Quomodo Spiritus dicatur a ſolo Patre procedere.

Athanaſ.

20. *Et ſi placet una ſimul comprehendantur,* & ſolo, & eodem; *quis, dummodo compos animi ſit, non fatebitur ex eodem ſolo Deo & Patre Spiritum ſanctum, tamquam ex primo principio procedere, & quæcunque habet Filius, ex Patre habere? Ipſe vero hinc vereor, ne quis & meram impotentiam divinæ potentiæ, & vitæ privationem vitæ, quæ per ſe ipſam vita eſt, & per ſe ſubſiſtentis Verbi irrationabilitatem attribuat, hæc eadem ſibi ipſi tribuere Dominum contendens,* Non poſſum, *dicentem,* facere ex me ipſo quicquam. *Et,* per Patrem, vivo. *Et,* Verbum, quod auditis, non eſt meum, ſed ejus qui miſit me, Patris. *Hæc Domino enunciante propter Patris honorem, & ad primam cauſam reſpectum, & ne videatur Deo adverſari, & alia auctoritate ſermones ſerere:* Verbum, *ait*, quod auditis, non eſt meum, ſed ejus, qui miſit me, Patris.

Etiam ſi ſancti Patres dixiſſent ex ſolo Patre procedere Spiritum, nihil juvaret adverſarios.

21. *Ambigit neſcio quis, ex iis etiam, qui pleno pectore ſapiunt; quam ob cauſam a Patre dixit Spiritum veritatis procedere, non addens illud, per me; cum tamen Spiritum veritatis dicens, proprium ſui eſſe Spiritum ſanctum confeſſus ſit:* Ego enim, *inquit*, ſum Veritas. *De proprio autem Verbo quid? non dicit, Verbum meum*

Quare Chriſtus dixit Spiritum ex Patre procedere, nec addidit Per me.

*a Pa-*

εἰμι, φησὶν, ἡ ἀλήθεια. περὶ δὲ τοῦ οἰκείου λόγου τί φησιν; οὐχ ὅτι ὁ λόγος ὁ ἐμὸς παρὰ τοῦ πατρός ἐστιν, ἀλλ' ὅτι ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμός, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός. Τί οὖν ἂν ἐγεγόνει λοιπὸν, εἴπως εἰρήκει ὁ Κύριος, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἔστιν ἐμὸν, ἢ οὐκ ἐκπορεύεται δι' ἐμοῦ; καίτοιγε τὴν εὐγνώμονα καὶ συνετὴν ἀκοὴν οὐδ' οὕτος αὖ ὁ λόγος παρέβλαψε, δι' ἃς αἰτίας ἀποδεδώκαμεν.

κβ'. Πῶς δ' ἐπιβάλλουσιν εὐστοχώτατα, καὶ τὸ πᾶσαν δόσιν ἀγαθὴν, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθεν εἶναι παρὰ τοῦ τῶν φώτων πατρός; φῶτα λέγουσιν ἐνταυθοῖ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα, πατέρα δὲ αὐτῶν τὸν Θεὸν, μὴ συνιέντες, ὡς εἰ πατὴρ τοῦ πνεύματος ὁ Θεὸς ἐξαπέστειλε τὸ πνεῦμα υἱός. ὁ πατὴρ γὰρ κυρίως υἱοῦ πατήρ. καὶ πῶς ὁ λόγος μονογενὴς, εἰ καὶ τὸ πνεῦμα υἱός; ἀλλ' ὥσπερ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν ὁ Θεὸς, ὡς αἴτιος καὶ δοτὴρ οἰκτιρμῶν, οὕτω καὶ πατὴρ τῶν φώτων ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται. φῶτα δὲ πάντες οἱ ἐκ Θεοῦ φωτισμοὶ, πᾶσαι αἱ ἐλλάμψεις, πάντα τὰ οὐράνια χαρίσματα, καὶ λαμπρὰ ταῦτα, καὶ δόσεις εἰσὶν ἀγαθαὶ, καὶ δωρήματα τέλεια, πάντων δὲ τούτων γενέτης καὶ παροχεὺς ὁ Θεὸς, οὐκ ἀνθρώποις μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῖς ὑπερκοσμίοις ἁπάσαις δυνάμεσι. χρὴ τοίνυν ἁπανταχοῦ τῆς γραφῆς προσφυῆ τῷ ῥητῷ τὴν διάνοιαν ἐκζητεῖν, καὶ συνηρτημένην ἑαυτῇ καὶ συνᾴδουσαν, καὶ τὸ αἴτιον ὄντως αἴτιον ἁρμοδιώτατον, καὶ μὴ πρὸς ἀνοδίας καὶ κρημνοὺς ἐκτοπίζεσθαι, τὴν εὐθεῖαν ἐῶντας καὶ ἀπλανῆ.

κγ' Ἀλλὰ καὶ τὸ τελευταῖον αὐτῶν καὶ δυσάντητον, τὸ δε. πῶς εἰ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα ἐστὶν, ὁ σοφὸς Ἰωάννης φησὶν, ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα μὴ λέγεσθαι; καὶ ὅτι μόνος αἴτιος ὁ πατήρ; εἰς ταυτὸ γὰρ συνάγουσιν, ὡς ἔοικε, τὸ ἐκ τοῦ υἱοῦ, καὶ τὸ δι' υἱοῦ. ὅτι μὲν οὖν ὁ αὐτὸς, εἰ καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς οἶδε τὸ πνεῦμα, πλὴν ἀλλὰ δι' υἱοῦ, δῆλον ἐξ ὧν ἐν ἄλλοις φησὶν αὐτὸ πνεῦμα υἱοῦ, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἐξ ὧν τε πρὸς Κύριον ἐν ὕμνοις βοᾷ. ἵλεων νέμοις ἡμῖν πνεῦμα μεταδοτικὸν ἀγαθότητος, ἐκ πατρὸς διὰ σοῦ προερχόμενον. Λέγομεν δὲ καὶ ἡμεῖς, ὡς οὐκ ἂν ἐκ τοῦ υἱοῦ προηγουμένως λεχθείη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ, χρεὼν γὰρ ὁμολογεῖσθαι τὴν πατρικὴν ὑπόστασιν, ἀρχὴν καὶ αἰτίαν καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ. μόνος γὰρ αἴτιος ὁ πατὴρ, καὶ οὐκ ἂν εἴη αἴτιον ἀρχικὸν ὁ υἱὸς, ὧν αὐτοαίτιος ὁ πατήρ. μίαν γὰρ ἀρχὴν τὸν πατέρα τὸν ἄναρχον δογματίζομεν καὶ κτίσεως καὶ θεότητος, τῆς κτίσεως ποιητικὴν, φυσικὴν τῆς θεότητος. ὁ μὲν οὖν ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγων, ὑποψίαν παρέχει τοῦ, τὸν υἱὸν δογματίζειν ἔχοντα τὸ προβλητικὸν, ὡς ὁ πατὴρ τὸ γεννητικόν. Καὶ διὰ τοῦτο φησὶν ὁ θεῖος οὗτος ἀνὴρ, ὅτι ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα οὐ γέγομεν. ὁ δὲ λέγων ἐκ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ υἱοῦ, προδήλως ὁμολογεῖ, τὸν πατέρα μόνον αἴτιον εἶναι τῆς τοῦ πνεύματος ἐκπορεύσεως, πάντα γὰρ ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς, οὕτως ἔχει λαβὼν αὐτὰ παρὰ τοῦ πατρὸς, οὐσιωδῶς δηλονότι καὶ φυσικῶς, ὡς κυρίως υἱὸς ἐκ κυρίου πατρός.

*a Patre eſt, ſed* Verbum, quod auditis, non eſt meum, ſed ejus, qui miſit me, Patris. *Quid igitur fuiſſet, ſi Dominus dixiſſet, Spiritus ſanctus non eſt meus, neque procedit per me? Et tamen candidas, prudenteſque aures neque hic ſermo vulneraſſet, propter eas cauſas, quas adduximus.*

22 *Quomodo etiam recte illud coniiciunt:* Omne datum bonum, & omne donum perfectum deſuper eſt ex Patre luminum? *Lumina hic vocant Filium, & Spiritum, Patrem vero eorum Deum; nec capiunt, quod ſi Deus Spiritus ſancti Pater eſt, miſit Spiritum Filius: Pater enim proprie Filii pater; & quomodo Verbum unigenitum, ſi Spiritus etiam Filius eſt? Sed quemadmodum Pater miſerationum Deus eſt, veluti cauſa miſerationum, & dator, ſic & Pater luminum eſt, & dicitur: Lumina vero univerſæ illuminationes ex Deo, univerſæ illuſtrationes, univerſa cœleſtia munera, & præclara quæque, data ſunt bona, & dona perfecta; eorumque omnium genitor, & elargitor Deus non hominibus tantum, ſed ſupermundanis omnibus virtutibus. Sententia itaque locis in omnibus ſacræ ſcripturæ dicto conſona, & ſibimetipſi cohærens, reſpondenſque, & cauſa vere cauſa, familiariſſimaque quærenda eſt, dedecetque rectam viam inerrantemque deſerentes ad prærupta, confragoſaque noſmet ipſos conicere.*

Pater luminum Deus quomodo dicatur.

*Poſtremum eorundem, ac plane difficile argumentum eſt. Quomodo ſi per Filium Spiritus ſanctus eſt, ſapiens Joannes inquit:* Ex Filio Spiritum non dici, & Patrem ſolum cauſam eſſe. *Idem enim rentur, ut apparet, ex Filio, & per Filium Joannem itaque licet ex Patre Spiritum dicat, nihilominus per Filium agnoviſſe, ex illis quæ aliis in locis dicit, manifeſto colligimus. Namque Spiritum ait Filii non tanquam ex ipſo, ſed tanquam per ipſum ex Patre procedentem, tum ex illis, quibus ad Dominum in Hymnis clamat:* Propitium exhibeas nobis Spiritum, qui bonitatem elargitur, ex Patre per te procedentem. *Nos quoque aſſerimus, nunquam ex Filio antecedenter dici poſſe Spiritum ſanctum, ſed ex Patre per Filium: namque aſſerenda eſt paterna hypoſtaſis principium & cauſa & Filii, & ipſius Spiritus. Solus enim Pater cauſa eſt. Filiuſque numquam dicetur prima cauſa eorum, quorum ipſa cauſa Pater eſt. Unum enim principium Patrem, qui ſine principio eſt, decernimus, & creaturæ, & divinitatis † effectivum creaturæ, divinitatis naturale. Qui itaque ex Filio Spiritum aſtruit, ſuſpicionem iniicit † ne Filium aſſerat vim producendi in ſe habere, quemadmodum habet Pater vim generandi. Proptereaque divinus hic vir ait:* Ex Filio Spiritum non dicimus. *Qui vero dicit, Spiritum ex Patre per Filium, palam fatetur, Patrem ſolum cauſam eſſe proceſſionis Spiritus. Quæcumque enim habet Filius, ita habet ut accipiens ea a Patre, eſſentialiter ſcilicet & naturaliter, tamquam proprie Filius ex proprie Patre.*

*Damaſcenus.* Quomodo Damaſcenus dixerit Spiritum ex Filio non procedere.

Damaſcenus concedit Spiritum per Filium procedere.

† Vide notas.

† Vide notas.

*Etiam-*



κδ'. Εἰ δὲ καὶ τῷ ἱερῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως οὐκ ἐμπεριείληπται, τὸ δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, θαυμάζειν οὐ χρή. καὶ ἕτερα γὰρ τῶν ἀναγκαίων οὐ περιέχει τὸ σύμβολον, καὶ τὸ δὴ ἀναγκαιότατον, ὅτι τὸ ἅγιον μνεῦμα Θεὸς, καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρί τε καὶ τῷ υἱῷ, διὰ τί γὰρ τὸν μὲν υἱὸν ἀναγορεύει Θεοῦ υἱὸν, καὶ γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ οὐ ταῦτα μόνον, ἀλλὰ καὶ Θεὸν αὖθις ἀληθινὸν, καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, περὶ δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐδὲν τοιοῦτον διέξεισιν, ἀλλ' ὕστερον, ὅτε περὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ καὶ θεότητος λόγος ἐγεγόνει πολὺς, τότε κύριον αὐτὸ καλεῖ, καὶ τῷ πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον ἀποφαίνεται. πότερον ἐντεῦθεν οὐχ ὁμολογήσομεν οὕτω σαφῶς, Θεὸν εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; ἢ καὶ ὁμοούσιον κηρύττοντες, οἷς συμπροσκυνεῖται καὶ συνδοξάζεται, λόγους καινοτομίας εἰς τὴν τῆς πίστεως ὁμολογίαν ὑφέξομεν; καὶ τίς ἂν εἴποι τοῦτο φρονῶν ὑγιῶς; Οὕτως οὖν οὐδὲν ἐξαίσιον, εἰ καὶ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ αὐτοῦ πνεύματος, οἱ τότε μὲν πατέρες διά τινας αἰτίας οὐ διηυκρίνησαν. νῦν δὲ καιροῦ καλοῦντος ὑμᾶς ἐπὶ πολλοὺς λαοὺς εἰς τὴν κατὰ Χριστὸν ὁμόνοιαν ἐφελκύσασθαι διαρθρώσετε ὑμεῖς οἱ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος ἐντελῶς τοῖς τῶν ἐπὶ σοφίᾳ καὶ ἁγιότητι περιόπτων καὶ περιπύστων πατέρων ἑπόμενοι δόγμασιν, οἷς ἀρχῆθεν καὶ ἕως ἡμῶν τὸ πάντῃ ἀνεπίληπτον συντετήρηται, οἷς καὶ Ταράσιος ὁ ἁγιώτατος, καὶ τὰ θεῖα σοφώτατος ὠχυρωμένος καὶ ἡδρασμένος, ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐκπορευόμενον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προανεκήρυξε διὰ λιβέλλου Συνοδικοῦ. καὶ τὸ ἀκροατήριον οἰκουμενικὸν καὶ παγκόσμιον. καὶ οὐδεὶς τῶν ἁπάντων τῆς αὐτοῦ Θεολογίας ἐπιλαβέσθαι τετόλμηκεν.

κε'. Εἰ καί τινες τῶν ἄρτι σοφῶν οὐδ' ἐνταῦθα τρόπους ἀντιλογίας ἠμηχάνησαν ἐξευρεῖν. φασὶ γὰρ ὅτι κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐπελάβοντο τῶν λιβέλλου οἱ Ἀνατολικοὶ, τὸ δι' υἱοῦ παρέντες ἐν τῇ σφῶν αὐτῶν ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως. καί τοι ποῖον ἐντεῦθεν ἡ ἀντιλογία φέρει τὸ κραταιὸν, εἰ τὸν τοῦ μακαριωτάτου Σωφρονίου τόμον ἐκεῖνοι τυχόντες ἔχειν, ἐστάλκασιν ἀπαραποίητον αὐτὸν, ὡς ἔδει, τηρήσαντες; ἐπεὶ μὴ δι' ἀνάγκην εἶχον μετεγγράφειν καὶ ἀντιπίπτειν ἅπερ ἐδέξαντο. τοῦτο δειξάτω τις, εἴ τινα μέμψιν κἂν γοῦν μετρίαν τῷ τοῦ Πατριάρχου προσῆψαν γράμματι, καὶ εἰ μὴ τοῦτο τέως εἰ μὴ ἐπαίνων, καὶ τούτων πολλῶν καὶ μεγάλων αὐτὸ κατηξίωσαν, θεωρητικῆς, καὶ θεοφρονεστάτης διανοίας ἀνομολογήσαντες εἶναι πανίερον θεόπνευστον τὴν τῆς ὀρθοδοξίας ἀκρίβειαν, καὶ τῶν ἀποστολικῶν τε καὶ πατρικῶν δογμάτων τὴν διαφανεστάτην ἐξάπλωσιν, ὡς ἀκτῖνας ἡλιακὰς προβαλλόμενον. λέγοι τις οὖν ἐπιλήψιμόν τι φέρειν αὐτοὺς ἡγήσασθαι, τὸ τοσαύτης τετυχηκὸς παρ' αὐτῶν ἀναῤῥήσεως; ἀλλ' οὗτοι μὲν οὕτως. ἡ δ' οἰκουμενικὴ Σύνοδος ἀκροασαμένη τετάρακται; τεθορύβηκε; τὸ καινὸν ἀπηγόρευκεν ἄκουσμα, καθὼς εἴωθε συμβαίνειν ταῖς τῶν ἀλλοκότων δογμάτων εἰσαγωγαῖς; οὐδαμῶς. Ἐροίμην δ' ἂν προσφόρως ἐς τὴν σὴν πολλὴν ἁγιότητα, τῷ ταύτης ἱλαρῷ καὶ ἀτύφῳ, καὶ πρὸς ἀνοχὴν ἑτοίμῳ τεθαρρηκώς.

24. *Etiamſi vero in ſacro ſymbolo Fidei non comprehendatur per Filium Spiritum ſanctum a Patre procedere, non eſt, cur admiremur. Nam & alia ex neceſſariis ſymbolum non continet, & id quod maxime omnium neceſſarium eſt, Spiritum ſcilicet ſanctum Deum eſſe, ejuſdem cum Patre & Filio eſſentiæ. Propter quid enim Filium aſſeverat Dei Filium, & ante ſecula omnia genitum ex Patre, neque hoc ſolum, ſed Deum rurſus verum, & Patri conſubſtantialem, & de Spiritu ſancto nihil tale proſequitur; ſed poſtea cum de illius eſſentia & divinitate multi fuiſſent agitati ſermones, tum Dominum ipſum vocat, & cum Patre, & Filio ſimul adorari & conglorificari declarat. Annon exinde jam manifeſte confitebimur Spiritum ſanctum Deum eſſe? etiamne, ſi conſubſtantialem prædicemus illis, quibuſcum adoratur, & conglorificatur, de innovata fidei profeſſione judicium ſubibimus? & quis ſanæ mentis hoc dixerit? Hoc igitur modo nihil præter fas moremque accidet, ſi & proceſſionem ejuſdem Spiritus illi quidem Patres, qui tum floruerunt, ſuas ob cauſas enucleatius explicatiuſque non tradiderunt; vos autem præſenti temporis occaſione ad multas gentes ad unionem in Chriſto pertrahendas provocati dilucidius eandem exponetis; vos, inquam, ejuſdem Spiritus & perfecte Patrum ſapientia ſanctitateque illuſtrium, & fama clariſſimorum dogmata ſequentes, quæ ab ipſo initio ad hæc uſque tempora culpæ reprehenſionem, & calumniarum aculeos omnino effugerunt. His Taraſius ſanctiſſimus & rerum divinarum ſcientiſſimus fultus ac confirmatus, ex Patre per Filium procedentem Spiritum ſanctum, libello ſynodico jam multo ante palam aperteque profeſſus fuit; atque id in univerſali totius orbis terrarum auditorio: nec quiſquam omnino ex omnibus fuit qui ejus doctrinam de Deo reprehendere ac ei contradicere auſus eſt.*

Quare in Symbolo non expreſſa ſit proceſſio ex Filio Spiritus.

Multa neceſſaria non eſſe in Symbolo expreſſa.

*Taraſius*

25. *Quamvis nonnullis noſtri temporis ſapientibus non defuerit ſolertia, quin etiam hic contradicendi anſas invenirent; dicunt enim, Orientales ea quæ in libello erant ſilentio ſuo improbaſſe; cum in ſua fidei profeſſione illud,* per Filium, *omiſerint. Veruntamen, quæ vis inde contradictioni fuerit, ſi beatiſſimi Sophronii tomum illi tenentes, miſerunt ſine ulla immutatione, ut par erat, conſervatum; cum nulla urgeret neceſſitas interpolandi, contradicendique iis, quæ ipſi receperant. Hoc quiſpiam oſtendat, in aliquam ſaltem vel leviſſimam reprehenſionem Patriarchæ ſcriptum incurriſſe. Id ſi non poſſunt, dicant interim, annon laudibus multis maximiſque illud dignum duxerint, ſpeculativa & divina ſcientia inſtructiſſimæ conſiderationis ſacrarium id eſſe confitentes, quod exactam & divinitus inſpiratam rectæ fidei traditionem, clariſſimaque Apoſtolicorum ac paternorum dogmatum explanationem uti ſolis radios emittit. Quis itaque dicit eos exiſtimaſſe aliquid reprehenſione dignum in ſcripto contineri, quod tot præconiis ab eiſdem exceptum fuerat? Sed hi quidem ſic. At Oecumenica ſynodus audiens turbata ne eſt? edidit ſtrepitum? novam auditionem exhorruit? probibuit, ut fieri amat in abſurdorum dogmatum traditionibus?*

Dictum Taraſii per filium non eſſe rejectum in ſynodo quinimmo approbatum & confirmatum.

*Sophron.*

*Synodus ſeptima Oecumenica.*

*Mi-*

Εἴ τινά ποτε προὐνέγκω δόξαν οὐχ ὑγιαίνουσαν, ἀπεῖπε δὲ καὶ γνώμης οὕτως ἔχειν ἔφασκες, οὕτω φρονεῖν, οὕτω πιστεύειν διατεινόμενος. πότερον ἂν ἠρεμαίως οἱ πλησίον σου τὴν τοῦ δυσφήμου προσήκαντο πάροδον; οὐκ ἂν ἀντεῖπον; οὐκ ἂν ἐξ ἐναντίας σου ἔστησαν; ἐγὼ μὲν οἶμαι, μηδὲ τὸν οἰκεῖον σφᾶς αὐτοὺς ἐπεγνωκέναι καθηγεμόνα, πρὶν αὐτὸν ἀποσκεδάσασθαι τὸ ἀπόβλητον, καὶ ταῖς τοῦ ἀναθέματος ἀραῖς ἐνδικώτατα καθυποβαλεῖν. ἐκεῖ δὲ τοὐναντίον ἅπαν. οἱ γὰρ τῆς οἰκουμενικῆς συνελθόντες, καὶ μάλισθ' ὅσοι τῶν ἱερῶν γραφῶν ἐπιστημονικώτεροι καὶ σοφώτεροι τῶν λιβέλλων καὶ ἀμφοτέρων εἰς ἀκρόασιν ὑπανεγνωσμένων κοινῶν, ὡς ἕνα τούτους κεκρίκασι. τῷ μὴ θατέρου θάτερον παραλλάττειν τί κατ' εὐσέβειαν. ᾔδεισαν γὰρ ἀκριβῶς τοὺς τῶν θεοφόρων πατέρων προέχοντας, διὰ υἱοῦ τὴν τοῦ πνεύματος ἐκπόρευσιν εἶναι τεθεολογηκότας ἐκ τοῦ πατρός. τούς τε παρὰ πατρὸς διηγγελκότας αὐτὸ ἐκπορευόμενον, οὐκ ἀνῃρημένους τὸ διὰ υἱοῦ, Εἰ τοίνυν τοῖς ἐκ τοῦ πατρὸς εἰρηκόσι τὸ πνεῦμα ἐκπορευόμενον οὐκ ἀπήρνηται ὅλως διὰ υἱοῦ, τοῖς δέ γε διαρθρώσασι τὴν ἐκ πατρὸς ἐκπόρευσιν τοῦ πνεύματος παρ' αὐτοῦ κεκινημένοις τοῦ πνεύματος προσερρέθη τὸ διὰ υἱοῦ, εὔδηλον ὅτι σύμπαντες οἱ τοῦ πνεύματος, οὐκ ἄλλως ἐκ τοῦ πατρὸς αὐτὸ πεφρονήκασιν ἐκπορεύεσθαι, εἰ μὴ διὰ υἱοῦ, μηδεμίαν παρείσδυσιν ἔχοντος τοῦ ἀντιλογεῖν ἐν αὐτοῖς, ἄκρας δὲ μᾶλλον συμφωνίας οὔσης ἐν τοῖς ἁγίοις, καὶ τὸ αὐτὸ τῶν ὅλων πεπαιδευμένων φρονεῖν, καὶ τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης, καὶ ὁμονοίας ὄντων ἐν πνεύματι. καθὰ δὴ καὶ οἱ τὸ ἱερὸν μάθημα παραδεδωκότες συνοδικῶς. κἀκεῖνοι γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ἱερογραφικῶς τὸ τοιοῦτον ἐξέθεντο, λόγοις οἰκονομίας τὴν φωνὴν παρασιωπήσαντες, τότε πρὸς ἄλλα σπεύδειν ἐπείγοντα, καὶ τῶν αἱρετιζόντων τὸν θόρυβον ἀποσείεσθαι. διὰ ταύτην αἰτίαν οὐδὲ Θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σαφῶς οὕτω καὶ καθαρῶς προσηγόρευσαν, τῷ μὴ ἔχειν ἐκ τῶν Εὐαγγελίων ἑτοίμως τὴν προσηγορίαν πιστώσασθαι. τί δ' ἔδει πρὸς διαλέξεις καὶ ὑπὲρ τῶν τοιούτων φωνῶν χωρεῖν αὐτοὺς καὶ λογομαχεῖν, καὶ τὸν πολὺν κλονεῖσθαι λαόν, ἐνὸν καὶ ἄλλως ἀναντιρρήτως τὴν εὐσεβῆ κρατύνεσθαι καὶ ὀρθόδοξον ἔννοιαν;

κϛʹ. Ὅτι δὲ τὸ ἐκ πατρὸς λέγειν ἐκπορευόμενον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τὸ ἐκ πατρὸς διὰ υἱοῦ, ταυτὸν κατ' ἔννοιαν οὐ διάφορον, ἐκ τῶν τῆς αὐτῆς ἑβδόμης Συνόδου πρακτικῶν ἐναργέστατα καταφαίνεται. τῶν Τόμων γὰρ ὑπανεγνωσμένων συνοδικῶς, τοῦτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ υἱοῦ διασαφοῦντος ἐκπορευόμενον, καὶ τοῦ, ἀϊδίως ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαγορεύοντος, ὁ μὲν τῶν τῆς συνόδου σεπτῶν πατέρων, οὕτως ἔχουσαν τὴν γνώμην ἐξήνεγκεν. Ἐν μηδεμιᾷ ἐννοίᾳ παραλλάττοντα καὶ τὰ νῦν ἀναγνωσθέντα γράμματα ἐκ τῆς ἀνατολῆς πεμφθέντα πρὸς Ταράσιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον καὶ οἰκουμενικὸν Πατριάρχην, τοῦ ὑπ' αὐτοῦ προομολογηθέντος ὅρου τῆς πίστεως εὑρών, κἀγὼ ὁ ἀνάξιος τούτοις συντίθεμαι. οὐδὲ τοιαύτην ὧν ἠκροάσατο τὴν κρίσιν πεποίηκε. Τὰ ἀναγνωσθέντα γράμματα Ταρασίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου, καὶ τὰ ἀπὸ τῆς ἀνατολικῆς διοική-

*Minime gentium. Peterem ipſe quoque non importune a tua multa ſanctitate, illius hilaritati, & dejectioni, & ad tolerandum facilitati maxime fidens. Si quam aliquando opinionem non ſanam in medium attuliſti, & te ita tenere contenderes, ita ſentire, ita credere obnixe affirmares, an qui audiunt propinqui tacite blaſpemam opinionem perſentiſcerent? Annon contradicerent? Annon adverſum te omnia facerent? Ego ſane exiſtimo neque proprium ductorem eoſdem velle recognoſcere, ni prius reiiculam opinionem abjecerit, & anathematis diris juſtiſſime ſubjecerit. Ibi vero totum contrarium contigit. Nam qui in univerſalem congreſſum convenerant, & potiſſimum in ſacris literis ſcientiores, & ſapientiores, cum uterque libellus aliis audientibus legeretur tamquam unum judicarunt, cum unus ab alio in nullo, quod ad pietatem faceret, diſcreparet. Plane ſiquidem callebant, inter Deiferos Patres præcipuos, per Filium Spiritus proceſſionem eſſe a Patre aſſeveraſſe; eoſque qui illum ex Patre pronunciaſſent, non reſpuiſſe per Filium. Si itaque ab iis, qui ex Patre affirmarunt Spiritum procedere, non reiicitur omnino* Per Filium: *ab iis vero, qui enucleate tradiderunt Spiritus ex Patre proceſſionem, ab eodem Spiritu excitatis, additum fuit,* Per Filium, *manifeſtum eſt, univerſos, qui e Spiritu ſunt, non aliter ex Patre eum procedere, quam per Filium ſenſiſſe, cum nulla in illis ratio contradicendi interveniat: immo ſumme inter ſe ſancti conveniunt doctique omnes hoc idem ſentiunt, amorem, pacem, atque unionem amplectentes in Spiritu; quemadmodum & qui ſacram hanc doctrinam plena ſynodo tradiderunt. Illi etenim eodem ſenſu ſacris innixi literis hoc expoſuerunt e prudentiæ legibus vocem obticeſcentes; tunc ad alia procuranda, & ſectariorum ſtrepitus comprimendos intenti: ideoque neque Spiritum ſanctum plane & clare Deum pronunciarunt, cum non haberent in promptu quibus id ex Evangeliis, comprobarent. Et quid opus erat eos pro his vocibus diſputationibus, verbiſque decertare, turbaſque ciere in populo; cum poſſent alia ratione irrefragabiliter piam, orthodoxamque ſententiam conſtabilire?*

Afferenti aliquid contra fidem præſentes contradicunt.

26. *Verum ex Patre aſſerere procedere Spiritum ſanctum, & ex Patre per Filium ſenſu idem eſſe nec diverſum, ex actis ejuſdem ſeptimæ ſynodi apertiſſime evincitur. Nam cum tomi in ſynodo lecti fuiſſent, ille videlicet, qui Spiritum ſanctum ex Patre per Filium procedentem affirmat; tum alius, qui ab æterno procedentem ex Deo & Patre eumdem Spiritum aſſerit, unus ex ſynodi venerandis patribus ſententiam ita ſe habentem protulit:* Cum ſcripta quæ nunc lecta, & ex Oriente miſſa ſunt ad Taraſium ſanctiſſimum Archiepiſcopum & oecumenicum Patriarcham in nullo ſenſu diſcrepare a definitione fidei ab eodem emiſſa comperiam, ego quoque indignus aſſentior. *Alius eorum quæ audiit, ſententiam hanc dedit:* Scripta Taraſii ſanctiſſimi Archiepiſcopi & Oecumenici Patriarchæ, quæ lecta & ab Orientali Diœceſi ab illius Præſulibus miſſa ſunt, talem con-

Taraſii dictum per Filium ſententiis Patrum in plena Synodo confirmatur.



σεως παρὰ τῶν αὐτόθι ἀρχιερέων, τοιαύτην οἰκειότητα ἔχειν πρὸς τὰ τοῦ αὐτοῦ ἡγοῦμαι ἀρχιερέως Κωνσταντινουπόλεως, ὥστε μηδεμίαν ἑτερότητα ἐν αὐτοῖς εἶναι, ἀλλὰ τελείαν ταυτότητα, ὡς ἓν καὶ τὸ αὐτὸ τὰ ἄμφω εἶναι, ἤγουν πεπληρωμένα πάσης ὀρθοδοξίας. Ἕτερος οὑτωσὶ ἀπεφήνατο. Οἷς ὁ τῆς εὐσεβείας μεμελέτηται τρόπος, τούτοις δήπου πάντως καὶ ὁ τῆς ὀρθοδοξίας διαλάμπεται λόγος. εἰκότως τοίνυν καὶ ἡ ἐμὴ βραχύτης, τοῖς ἀναγνωσθεῖσιν ἱεροῖς καὶ συνοδικοῖς γράμμασι τοῦ ὁσιωτάτου καὶ μακαριωτάτου τῆς βασιλευούσης τῶν πόλεων ἀρχιπροέδρου Ταρασίου ἃ πρὸς τοὺς τῆς ἑῴας ἐξαπέστειλεν, ἔτι γε μὴν καὶ τοῖς παρ' αὐτῶν πρὸς αὐτὸν ἀποσταλεῖσι νουνεχῶς τὸ τῆς διανοίας ἐνερείσας ὄμμα, κατὰ πάντα τῇ τῶν ἁγίων πατέρων συμφωνοῦντα ὀρθοδόξῳ πίστει, διὰ τῆς ἀναγνώσεως ἔγνων. Ἄλλος ταύτας εἴρηκε τὰς φωνάς. Σύμφωνα ὁρῶν τὰ συνοδικὰ γράμματα Ταρασίου τε τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, καὶ τὰ ἀντίγραφα αὐτῶν τὰ ἀπὸ τῶν τῆς ἀνατολῆς ἀρχιερέων συντίθεμαι αὐτοῖς. Ἕτερος οὕτως ἐφθέγξατο. Ὥσπερ ἓν φρονοῦντες, ἐληλύθαμεν, οὕτω καὶ ἓν λέγειν ἐδιδάχθημεν. συμφώνων τοίνυν οὐσῶν τῶν ὑπαναγνωσθεισῶν συνοδικῶν κεραιῶν Ταρασίου τοῦ ἁγιωτάτου οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου, τῶν σταλεισῶν παρ' αὐτοῦ πρὸς τοὺς ἑῴας ἁγιωτάτους ἀρχιερεῖς, καὶ τῶν ἀντιγράφων τῶν παρ' αὐτῶν πρὸς αὐτὸν πεμφθέντων, πρὸς τὴν ἁγίαν καὶ ὀρθόδοξον πίστιν τῶν ἓξ οἰκουμενικῶν Συνόδων, οὕτω κἀγὼ πιστεύω. Οἱ λοιποὶ τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων ταῦτ' ἐξεφώνησαν. Πᾶσα ἡ κατὰ χάριν Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ τὸ φιλευσεβὲς θέσπισμα τῶν γαληνοτάτων καὶ ὀρθοδόξων ἡμῶν βασιλέων συναθροισθεῖσα ἁγία Σύνοδος, τὴν γενομένην ἀναφορὰν παρὰ Ἀδριανοῦ Πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πρὸς τοὺς ὀρθοδοξοτάτους ἡμῶν βασιλεῖς, καὶ τὸν νυνὶ ἀναγνωσθέντα χάρτην, ὅρον ὀρθοδοξίας τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου οἰκουμενικοῦ πατριάρχου Ταρασίου ὄντα, καὶ τὰ ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναπεμφθέντα πρὸς τὴν αὐτοῦ μακαριότητα παρὰ τῶν ἀρχιερέων γράμματα ἀποδεχόμενοι, στοιχοῦμεν καὶ ἀσπαζόμεθα. ἐντεῦθεν οἱ τὸ ἀληθὲς ἐκζητοῦντες πορίζονται. καὶ ὅτι τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι μετὰ τῆς οἰκείας Συνόδου κατοξετάσας καὶ δοκιμάσας ὁ ἁγιώτατος Ταράσιος, οὕτω θεοφρόνως καὶ θεοπνεύστως ἐξέθετο, κρίσει πολλῶν κυρώσαμενος, καὶ κήρυγμα παγκόσμιον διὰ ἐπιστολῆς εἰς πᾶσαν διαπεφοιτηκυίας ἐκκλησίαν Χριστοῦ ποιησάμενος.

κζʹ. Εἰ δὲ τὸ τῆς πίστεως σύμβολον, ὃ παρὰ τῶν τῆς δευτέρας Συνόδου πατέρων ἐκτέθειται καὶ οἱ τῆς Ἑβδόμης ὅρον τῆς πίστεως καὶ αὖθις εἶναι κεκρίκασιν, οὐδὲν θαυμαστόν. ᾑρετίσαντο γὰρ ἐν τῷ κοινῷ τὸν πᾶσιν ἐγνωσμένον λόγον, καὶ εἰσέτι κρατεῖν καὶ μὴ δοκεῖν νέαν ὁμολογίαν ἐπὶ μηδενὶ κέρδει παραδιδόναι αὐτούς, ἡνωμένης οὔσης τῷ τότε τῆς ἐκκλησίας ἁπάσης Χριστοῦ. τέως τῶν ἁπάντων οὐδεὶς ἀντιφθέγξασθαι τῷ Πατριάρχῃ τετόλμηκεν. ἦν γὰρ ἂν τοῖς πρακτικοῖς ἐντεταγμένη, καὶ ἡ ἀντίρρησις. Ἀλλ' ὡς ἔοικε, νῦν σύμπασα γνῶσις, σύμπας ζῆλος, τότε δέ γε καὶ ἐφεξῆς τοιοῦτον οὐδέν. πῶς γὰρ ἂν τὸ τῆς ὀρθοδοξίας ἀλλότριον, εἴπερ ἦν ὅλως ἀνεπισήμαντον, ἕως δεῦρο παρεωράθη καὶ ἀστηλίτευτον; ποῖον τῶν ἐκ φύλων δογμάτων οὐ διεφαυλίσθη πολυτρόπως παραδειγμα-

conformitatem cum ſcriptis Antiſtitis Conſtantinopolitani habere exiſtimo, ut nulla diverſitas inter ea ſit, ſed perfecta identitas: ita ut unum utraque ſint, plena ſcilicet omni orthodoxia. *Alius ita determinavi;* Quibus pietas curæ eſt, iis utique & Orthodoxiæ oratio reſplendet. Jure itaque merito mea parvitas lectis ſacris, ac ſynodicis literis ſanctiſſimi & beatiſſimi Regiæ urbis archipræſulis Taraſii, quas ad Orientales tranſmiſit: necnon & his, quæ ab eis ad ipſum directæ ſunt, animum diligenter advertens, per omnia ſanctorum Patrum fidei orthodoxæ concordantes legens cognovi. *Alius has voces emiſit:* Conſentientes intuens ſynodicas literas Taraſii ſanctiſſimi & Oecumenici Patriarchæ & reſcripta eorum ab Orientalibus Præſulibus tranſmiſſa, illis conſentio. *Alius ita pronunciavit:* Sicut unum ſentientes convenimus, ita & unum dicere edocti ſumus: Quoniam itaque ſynodici apices Taraſii ſanctiſſimi Oecumenici Patriarchæ ad ſanctiſſimos Orientis Præſules per eumdem tranſmiſſi, & reſcripta per eoſdem ad ipſum directa, de ſancta & Orthodoxa fide ſex univerſalium Synodorum inter ſe recte conveniant, ita & ego credo. *Reliqui ſanctiſſimi Epiſcopi hæc conclamarunt:* Tota, quæ per gratiam Chriſti veri Dei noſtri, & piam tranquilliſſimorum, & orthodoxorum noſtrorum Imperatorum ſanctionem congregata eſt Synodus, relationem ab Adriano Papa ſenioris Romæ ad maxime orthodoxos Imperatores noſtros, & chartam nunc lectam quæ rectam orthodoxamque definitionem ſanctiſſimi & beatiſſimi Oecumenici Patriarchæ Taraſii complectitur, atque literas ad beatitudinem ejus ab Orientis Præſulibus miſſas, recipientes confirmamus, & veneramur. *Hinc indagatores veritatis aſtruunt, quod cum ſanctiſſimus Taraſius proceſſionem Spiritus ſancti ex Patre per Filium in germana Synodo examinaſſet approbaſſetque, ita pie admodum, & divino inſtinctum tradiderit, multorum judicio ſtabiliens, & per epiſtolam ad univerſas Chriſti Eccleſias promulgationem univerſalem tranſmittens.*

27. *Quod ſi fidei Symbolum, quod a Patribus in Synodo ſecunda expoſitum fuit, etiam & illi in ſeptima poſtea definitionem fidei eſſe decreverunt, non eſt cur miremur. Maluerunt enim publice cognitam omnibus, approbatamque definitionem robur adhuc habere, ne viderentur novam profeſſionem ſine ullo emolumento tradere, cum eo tempore univerſa Eccleſia Chriſti unionis vinculo colligaretur. Nec ullus tunc temporis ex his omnibus Patriarchæ contradicere auſus eſt. Eſſet enim utique & contradictio in actis inſerta. Sed, ut videtur, hoc tempore omnis ſcientia, & omnis zelus abundat; tunc vero & ſubſecutis temporibus nil ſimile fuit. Quomodo enim quod erat ab orthodoxa fide alienum, ſi quid fuerat, omnino ad hæc uſque tempora ſine ulla nota, atque reprehenſione neglectum delituiſſet? Quodnam de extra-*

Quare id poſtea Patres in Symbolo fidei non poſuerunt.

πισθέν; ποῖος ἀρχηγὸς τῆς οἱασοῦν αἱρέσεως, ἢ συνήγορος, οὐκ ἐκκήρυκτος; τὸ διὰ υἱοῦ παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τίνες ἀποβάλλονται; καὶ τοὺς τὸ δόγμα θεμένους ἀνάγραπτον οὐκ οἰκειοῦνται, καὶ πατέρας ἀποκαλοῦσι καὶ διδασκάλους καὶ ἁγίους Θεοῦ, καὶ φωναῖς εὐφήμοις ἐπ᾽ Ἐκκλησίᾳ γεραίρουσι, καὶ τὰς εὐχὰς αὐτῶν αἰτοῦνται, καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν ἐπικουρίας ἱκετεύουσιν ἐπιτεύξασθαι; καὶ ποίας ταῦτα τῆς συμφωνίας; ἀλλ᾽ ἔγωγε τέως τῶν ἁγίων ἀνδρῶν ὑγιῆ πέπεισμαι εἶναι τὰ δόγματα, καὶ ὧν οὐχ ὑγιῆ τὰ δόγματα, τούτους οὐκ ἂν εἴποιμι ἁγίους ποτέ. οὕτως ἀφελῶς ἔχω καὶ ἀπραγμόνως. οὐδὲ γὰρ δένδρον ἀγαθὸν ἑωράκειν ποτὲ καρπὸν πονηρὸν προβαλλόμενον. ἀλλὰ τοῦ σαπροῦ δένδρου τὸν καρπὸν ἐκεῖνον εἶναι πεπείραμαι πονηρόν, τοῦ δ᾽ ἀγαθοῦ δένδρου καλὸς ἀραρότως καὶ ὁ καρπός.

*neis dogmatibus reprehenſioni non patuit, multis modis palam traductum? Quis cujuſcunque hæreſeos auctor, ſive patronus proſcriptus non fuit? Per Filium a Patre procedere Spiritum ſanctum, quinam condemnant? Annon eos, qui ſimile dogma ſcripto tradiderunt, ſibi aſſociant, patreſque nuncupant, & præceptores, ſanctoſque Dei, & vocibus bene ominatis in Eccleſia cohoneſtant, & preces eorum implorant; eorumque ſubſidia conſequi contendunt? Et quænam in his conſenſio? Ego vero ſanctorum Patrum dogmata ſana eſſe exiſtimo, & quorum dogmata ſana non ſunt, eos numquam ipſe ſanctos compellarim. Ita ſum ſimplex, & minime curioſus: neque enim arborem bonam unquam conſpicatus ſum fructum malum producere: ſed arboris putridæ fructum illum malum eſſe experientia ipſa cognovi; bonæ vero arboris bonus, ut & convenit, fructus eſt.*





# ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ

## ΛΟΓΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ

Περὶ τῶν αὐτῶν, πρὸς τὸν εὐσεβῆ Βασιλέα Κωνσταντινουπόλεως,

ΘΕΟΔΩΡΟΝ ΤΟΝ ΛΑΣΚΑΡΙΝ.

α'. Ὁ αἰτῶν ἐν οὐ καιρῷ, καὶ λαμβάνων ἐν καιρῷ, παρίστησι τεκμηριωδῶς τὴν αἴτησιν εὔκαιρον. εἴγε προηγουμένην τοῦ μὴ κατὰ καιρὸν ἕποιτ᾽ ἂν τὸ κατὰ καιρόν. Εἰ δέ τις τῇ τοῦ παρέχοντος ἐπιγράφοιτο προμηθείᾳ τὸ ἀποτέλεσμα, κἀντεῦθεν οὐχ ἧττον τὸ τοῦ κατάρξαντος δείκνυται νουνεχές. ὅτι τε καλῶς ᾔδει καὶ λίαν ἐπιστημόνως, ᾗ προκαταβάλλει τὰ σπέρματα. καὶ ὅτι τότε ταύτας ἔχρῃζεν, ἵν᾽ ὅτε δέοι μεταλήψοιτο τοῦ καρποῦ, προϋποτεθειμένης τῆς τοῦ ἐφίεσθαι συνετίσεως. οὕτω καὶ γεωργός, οὕτω καὶ φυτουργός, κἂν μὴ παρὰ πόδας αὐτοῖς ἡ ἀπόλαυσις, προμοχθοῦσιν ὅμως διὰ τὴν ἔκβασιν, τῷ κρείττονι τῆς ἐλπίδος νευρούμενοι, τοὐναντίον ἀποσειόμενοι, καὶ ὡς ἐπ᾽ ἔλαττον οἷα μηδέποτ᾽ ἐσόμενον λογιζόμενοι. τῷ τοι καὶ σὺ σοφίας μαίευμα καὶ τιθήνημα, μήπω κεκινημένης ἐνταυθοῖ τῆς ἤδη συνερρηγμένης δογματικῆς συζητήσεως, φθαίης ἐξητημένος λόγους περὶ ταύτης, ἐξ ὧν τεθάρρηκας ἑτέροις ἐνασχολουμένων τηνικαῦτα σπουδάσμασι, καὶ ἦν ἡ αἴτησις οὐ τόσον ἑαυτῇ συνεπαγομένη τὸ φορτικόν, ὅσον δὴ τὸ προοπτικόν. κἂν τῇ κεφαλῇ τοῦ σοφοῦ τοῖς γε ξυνιέναι δυναμένοις τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ καταγγέλλουσα τὰ μήπω ὄντα προορωμένου πλέον, ἢ τὴν τῶν ὄντων ὑπόστασιν, οἱ κατανοεῖν ᾑρημένοι μόνα τὰ ἐν ποσίν. Ἐπεὶ δὲ νῦν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, οὐκ ἂν φαίημεν, ὅτι κεκλήμεθα, μᾶλλον μὲν οὖν ἀλλ᾽ ἠπείγμεθα, καί τοι τὸ σῶμα νοσηλευόμενοι, πρὸς τὴν τοῦ αἰτήματος εἴσπραξιν καὶ ἀπότισιν οἷά τινος ὡρισμένου φόρου καὶ ἱκανῶς ἀφωσιωμένου ὀφλήματος, ἔχεις τοῦ προκαταβεβλημένου τὴν ἐπικαρπίαν κατὰ καιρόν. ἔχεις δ᾽ ὁπόσην ἡ σὺν ἡμῖν ἀσθένεια τῆς σαρκὸς ἅμα καὶ τῆς διανοίας παραχωρεῖ.

β'. Πρῶτον μὲν οὖν ἴσθι τὴν ἐκπόρευσιν ἐπὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τρόπον ὑπάρξεως, ὑποστατικὴν ἰδιότητα, καθὼς ἐστὶν ἡ γέννησις ἐπὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἡ ἀγεννησία ἐπὶ τοῦ πατρός. αὐτὸ γὰρ τὸ μὴ γεγεννῆσθαι, καὶ τὸ γεγεννῆσθαι, καὶ τὸ ἐκπορεύεσθαι, τὸν μὲν πατέρα, τὸν δὲ υἱόν, τὸ δὲ τοῦθ᾽ ὅπερ λέγεται πνεῦμα ἅγιον, προσηγόρευσεν, ὥς φησιν ὁ πολὺς ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριος. Οἱ δ᾽ ὁμώνυμον ἐπὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τιθέντες τὸ ἐκπορεύεσθαι, δότωσαν ἑτέραν φωνὴν τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπάρξεως ἰδίως σημαντικήν, ἢ μὴν καὶ τὴν ἀγεννησίαν καὶ τὴν γέννησιν ἐπὶ τῶν ἄλλων τῆς θεότητος ὑποστάσεων μετὰ τῆς αὐτῆς παραπληξίας ὁμωνυμείτωσαν. μεθ᾽ ἑτέρων μὲν γὰρ πραγμάτων τὸ ἐκπορεύεσθαι συνταττόμενον, οἷς ἂν συντάττοιτο δηλώσει τὸ κατάλληλον, ὡς τό, ποταμὸς ἐξ Ἐδὲμ ἐκπορεύεται, καί, ἐξεπορεύετο ἔξω καὶ ἐλάλει ἐπὶ τὸ

# EJUSDEM

## ORATIO SECUNDA

De iiſdem, ad pium Imperatorem Conſtantinopolitanum,

THEODORUM LASCARIM.

EODEM ALLATIO INTERPRETE.

1. *QUI intempeſtive poſcit, & tempeſtive accipit, perſpicuis argumentis tempeſtivam petitionem oſtendit, ſi, cum id quod intempeſtivum erat, præceſſerit, ſubſequatur illud quod opportunum eſt. Si vero quis rei aſſecutionem ejus, qui eam exhibet, providentiæ abſcribat, inde non minor illius prudentia monſtratur, qui eidem principium dedit: ſcivit enim caute & ſolerter quemnam in locum ſementem proiiceret, ut cum opus eſſet, poſtmodum fructum percipere poſſet, præhabita ſcilicet ſolerti cognitione illius, quod appeteret. Eadem ratione & agricola, & ſator, licet tum nullum ipſis emolumentum ſit, ob eventum nihilominus labores præaſſumunt, ſpe meliore corroborati, quidquid illis adverſari poſſet excutientes, tenenteſque nihil illis evenire poſſe, quod ſpem fruſtretur, vel minuat? Propterea tu quoque ſapientiæ fœtus, atque alumnus nondum hac in urbe mota, quæ jam eruperat, dogmatica quæſtione, de ea providus rationes expoſcis ab iis, quos tibi futuros morigeros exiſtimaſti, licet aliis ſtudiis tum temporis occuparentur, & petitio illa non tantum moleſtiæ ſecum, quantum providentiæ afferebat, & in capite ſapientis illis, qui res concipere poterant, oculos illius prænunciabat, ea quæ nondum erant, melius prævidentis, quam eorum, quæ jam ſunt, exiſtentiam capiant illi, qui ea tantum, quæ ante pedes ſunt, intelligunt. Cum vero nunc, rebus ita poſcentibus vocemur, non dicam, ſed compellamur, licet infirma, atque ægra valetudine ſimus, ad petitionis exactionem, atque ſolutionem, veluti cujuſdam præſcripti vectigalis, & ſatis jam dilati debiti; habes opportune, fructus eorum, quæ antea projeceras: habes quantum nobis imbecillitas carnis, mentiſque permittit.*

Prudentiæ eſt ea quærere, licet intempeſtive quærantur, quæ fructifera futura ſunt.

*2. Ante omnia itaque ſcito proceſſionem in Spiritu ſancto modum exiſtentiæ eſſe, & hypoſtaticam proprietatem, quemadmodum eſt in Filio naſcibilitas, & in Patre innaſcibilitas. Illud etenim ingenitum eſſe, & genitum, & procedere, hunc quidem Patrem, illum Filium, hunc vero, de quo dicitur, Spiritum ſanctum nuncupavit, ut in rebus Theologicis pertractandis eximius Gregorius ait. Qui vero* τὸ *procedere in Spiritu ſancto homonymum affirmant, aſſignent aliam vocem, quæ proprie exiſtentiam Spiritus ſancti notet, ſin minus, innaſcibilitatem, & naſcibilitatem in aliis Divinis hypoſtaſibus eodem ſtupore homonymon aſtruant. Etenim* τὸ *procedere cum rebus aliis annexum, eorum quibuſcum conſtruitur, conjunctionem ſignificabit: verbi gratia:* Fluvius ex Edem procedit,

Nazianzenus.

Proceſſio etiam de aliis rebus dicta, ſed conjuncta cum iis, de quibus dicitur.

αὐτό. μετὰ δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος συνεισκόμενον, αὐτὴν καὶ μόνην σημαίνει τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ὕπαρξιν, καθὼς ἐν Εὐαγγελίοις ὁ μόνος σοφὸς παραδέδωκε. τὸ δέ γε προέρχεσθαι, καὶ τὸ ἐκλάμπειν, καὶ εἴτι τοιοῦτον, ἄλλοις μὲν καὶ αὐτὰ συντιθέμενα πράγμασιν, ἄλλας ἐννοίας εἰσάγουσιν. ὡς τὸ, προέρχεται ὁ βασιλεύς. καὶ, οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος, ἐν Θεολογίᾳ δὲ παραλαμβανόμενα, τῇ μὲν περὶ τοῦ πνεύματος τὴν τοῦ πνεύματος σημαίνουσιν ὕπαρξιν, τῇ δὲ περὶ τοῦ υἱοῦ, τὴν τοῦ υἱοῦ. καὶ τὰς μαρτυρίας εὐχερὲς τῷ βουλομένῳ πολλάς γε οὔσας ἐκ τῆς ἱερᾶς γραφῆς ἀναλέγεσθαι.

γʹ. Τὸ δὲ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπόρευσιν δι' υἱοῦ εἶναι παρὰ πατρὸς, ὁμολογούμενον ἦν ἀνέκαθεν, καὶ ἕως ἡμῶν τοῖς εὐσεβέσι καὶ πρεσβευόμενον, καὶ οἷα δόγμα κοινὸν ἀνατεθειμένον τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. καιρὸς δ' οὐ πολὺς, ἐξ οὗ τινες ἔπαθόν τι γελοιότατον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν ἀθλιώτατον. βουλόμενοι γὰρ ἐκ περιουσίας ἀνελεῖν τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ, συνανεῖλον αὐτῷ καὶ τὸ, δι' υἱοῦ, καὶ τὰ διδάγματα τῶν τοσούτων ἁγίων, ὅπου μὲν ἦν τις λαβὴ δοκοῦσα, διέστρεψαν, ὅπου δ' οὐκ ἦν οὐδαμῶς, ὡς ἀσύμφωνα δῆθεν τοῖς πολλοῖς διεκρούσαντο. καὶ ὅπου μὲν ἦν τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἴτε προχεῖσθαι, εἴτε προέρχεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπὶ τῆς ἐκπορεύσεως παρεδέξαντο τὰ ὀνόματα, ὅπου δὲ τὸ δι' υἱοῦ προσέκειτο, τὴν πρόχυσιν ἐκεῖ καὶ τὴν πρόοδον, καὶ εἴτι ἄλλο τοιοῦτον ἀντὶ τῆς δωρεᾶς ἐξειλήφασι.

δʹ. Σύνεσις δὲ οὐδεμία συνεωρακέναι, πρῶτον μὲν ὅτι πολλοὶ τῶν ἁγίων πατέρων ἐδογμάτισαν καὶ λίαν σαφέστατα τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, τὸ δὲ μὴ διὰ τοῦ υἱοῦ, τῶν ὅλων οὐδεὶς τῇ θεολογίᾳ προσέθετο πλὴν εἰμή τις εἰσάγει τὸ τοῦ Θεοδωρίτου φιλόνεικον. δι' ὃ καὶ καθῄρητο, καὶ ἀποκεκήρυκτο. κἂν ὕστερον κατεγνωκὼς καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ, καὶ τοὺς οἰκείους λόγους, ὅσοι τῆς θεοστυγοῦς ἔριδος, ἀποσκευασάμενος, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς τοῦ ἀναθέματος ἀραῖς καθυποβαλὼν, μόλις οὕτω προσδέδεκτο.

εʹ. Δεύτερον δὲ, τὸ πῶς ἂν ἔχοι ὁ υἱὸς χορηγεῖν τὸ πνεῦμα, μὴ κατά τινα σχέσιν ἑτέραν τῆς ὁμοουσιότητος ᾠκειωμένον αὐτῷ; Εἰ γὰρ τὸ ὁμοούσιον αἴτιον τῷ υἱῷ τῆς χορηγίας τοῦ πνεύματος, ἢ τινὸς τῶν ἄλλων, ὧν ἔχειν λέγεται παρὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, ἐπεὶ ὥσπερ ὁ υἱὸς τῷ πνεύματι ὁμοούσιος, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τῷ υἱῷ, χορηγεῖ δὲ ὁ υἱὸς τὸ πνεῦμα, χορηγήσαι ἂν καὶ τὸ πνεῦμα τὸν υἱόν. ἴδιον τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, ἴδιος ἂν λέγοιτο καὶ ὁ υἱὸς τοῦ πνεύματος. ἀποστέλλει ὁ υἱὸς τὸ πνεῦμα, καὶ αὐτὸς ὡς Θεὸς ἀντιποσταλείη παρὰ τοῦ πνεύματος. Ἐκεῖνα λαλεῖ τὸ πνεῦμα, ὅσα ἂν ἀκούοι παρὰ τοῦ υἱοῦ, καὶ ὁ υἱὸς ἐκεῖνα λαλήσει, ὅσα ἂν ἀκούσειε παρὰ τοῦ πνεύματος. ἐκ τοῦ υἱοῦ λαμβάνει τὸ πνεῦμα, λήψαιτο καὶ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πνεύματος. διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα συνάπτεται τῷ πατρί. καὶ ὁ υἱὸς διὰ τοῦ πνεύματος συνάπτοιτο τῷ οἰκείῳ πατρί. Ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, παρὰ τοῦ λόγου ἔχει, καὶ ὁ υἱὸς ὅσα ἔχει, ταῦτ' ἂν ἔχει παρὰ τοῦ πνεύματος, διὰ τοῦ πνεύματος ὁ υἱὸς ἐνεργεῖ, ἐνεργοίη καὶ τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ υἱοῦ. Εἰκών ἐστι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ ὁ υἱὸς εἰκὼν ἂν εἴη τοῦ πνεύματος, τοιαύτην τάξιν καὶ φύσιν ἔχει

*Et hoc*, Procedebat foras, & loquebatur in idipſum: *verumtamen Spiritui ſancto annexum, ipſum & ſolam Spiritus ſancti exiſtentiam ſignat, ut in Evangeliis, qui ſolus ſapiens eſt, tradidit. Progredi vero, & effulgere, & ſi quid ſimile eſt, aliis rebus connexa alios ſenſus præſeferunt; veluti;* Progreditur Rex, &, juſti fulgebunt ſicut ſol: *quæ in divinis aſſumpta, in Spiritu, quidem Spiritus ſancti exiſtentiam ſignificant, in Filio, Filii: & teſtimonia, quæ plurima ſunt, ex ſacris literis, in promptu ſunt perquirenti.*

3. *Verum enim vero Spiritus ſancti proceſſionem ex Patre per Filium eſſe multo jam antea in confeſſis erat, & uſque ad hæc noſtra tempora a piis hominibus aſſeritur, & veluti commune dogma Eccleſiæ recipitur. Sed nondiu eſt, ex quo nonnulli ridicule dicam, an miſerrime affecti, dum vellent penitus* ex Filio *tollere, una cum eo ſuſtulerunt &* Per Filium, *& tantorum Patrum documenta, ſi qua captionis dabatur anſa, perverterunt, ſin vero nulla apparebat, tum illa, tanquam quæ cum multis aliis non convenirent, rejecerunt. Et ubicunque erat ex Patre ſive effundi, ſive emanare Spiritum ſanctum, de proceſſione voces acceperunt, ubicunque vero per Filium annexum erat, effuſionem ibi, & emanationem, & ſi quid aliud ſimile, pro dono, & munere dici contenderunt.*

Proceſſu Spiritus ex Patre per Filium ſemper in Eccleſia in confeſſis fuit.

Stultitia nonnullorum, qui ut tollerent *ex Filio* ſuſtulerunt etiam *per Filium.*

4. *Neque ulla illis prudentia adfuit diſcernendi. Primum quidem multos ſanctos Patres & apertiſſime omnino ſanciviſſe per Filium Spiritum ſanctum ex Patre procedere; at per Filium non procedere nullum, dum de rebus divinis ageret, affirmaſſe, niſi quis hoc a Theodoreto contentionis vitio dictum in medium afferat propter quod depoſitus, & proſcriptus eſt; licet poſtea ſemetipſum condemnans, ſermonibus propriis, quos execrandæ contentionis ſtudio effutierat, ablegatis, & anathematis diris ſubactis, vix tandem receptus ſit.*

SS. Patres faſſi ſunt Spiritum per Filium procedere ſed per Filium non procedere nullus. Idque cum dixiſſet Theodoretus, depoſitus eſt.

5. *Secundo vero quonam modo poſſet Filius Spiritum largiri, niſi eſſet cum eo aliqua alia habitudine quam conſubſtantialitatis conjunctus? Etenim, ſi conſubſtantialitas cauſa in Filio eſſet ſuppeditationis Spiritus, ſive alterius cujuſpiam ex iis, quæ Spiritus habere dicitur a Filio, quando quemadmodum ejuſdem eſſentiæ eſt cum Spiritu Filius; ita & Spiritus cum Filio, largitur vero Filius Spiritum, ſuppeditaret quoque Filium Spiritus; proprius eſt Filii Spiritus, proprius diceretur & Filius Spiritus, mittit Filius Spiritum, & ipſe ut Deus contra mitteretur a Spiritu; loquitur Spiritus, quæcunque a Filio audit, & Filius loqueretur quæcunque a Spiritu audiret; ex Filio accipit Spiritus, acciperet & ex Spiritu Filius: per Filium Spiritus coniungitur Patri, & Filius per Spiritum proprio Patri conjungeretur: quæcunque habet Spiritus, a Filio habet, & Filius quæcunque habet, ea haberet a Spiritu: per Spiritum Filius operatur, & Spiritus per Filium operaretur: imago eſt Filii Spiritus, & Filius imago Spiritus eſſet: talem ordinem, naturamque habet Spiritus ad Filium, qualem Filius habet*

Spiritus ſanctus ſi non procederet per Filium, non ſuppeditaretur a Filio.

ad



τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν υἱὸν, οἵαν ὁ υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα. τοιαύτην ἂν ἔχοι καὶ ὁ υἱὸς πρὸς τὸ πνεῦμα καὶ τάξιν καὶ φύσιν, οἵαν αὐτὸ πρὸς τὸν πατέρα. πολλὰ τὰ τοιαῦτα. τέως δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀπηριθμημένων ὅγε μὴ πάντη ἀπηναιδευμένος, καὶ ἀπονενοημένος τῇ ἀληθείᾳ κατάθοιτο.

ϛʹ. Ζητεῖς μαρτυρίας ὧν ἀρτίως εἰρήκαμεν; πλείστας ἔναγχος σοι προκεκομίκαμεν, τόμον ὅλον ἐγκεχειρικότες τούτων μεστόν. ὅμως ἂν ἐξ ἐκείνων κἀνταῦθα βραχείας τινὰς παραθήσομεν. Ὁ τοίνυν τὰ θεῖα πολὺς Ἀθανάσιος, ἐν μὲν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν πρώτῳ τάδε φησίν. Ὁ δὲ σωτὴρ τὸ ἔμπαλιν Θεὸς ὢν, καὶ τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς ἀεὶ βασιλεύων, τοῦ τε πνεύματος τοῦ ἁγίου αὐτὸς ὢν χορηγὸς μόνος. Καὶ πάλιν. Οὐ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ τὸ πνεῦμα λαλεῖ, ἀλλ' ὁ λόγος ἐστὶν ὁ τοῦτο διδοὺς τοῖς ἀξίοις. Καὶ αὖθις. Ἀμέλει ὥσπερ πρὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως λόγος ὢν ἐχορήγει τοῖς ἁγίοις ὡς ἴδιον τὸ πνεῦμα, οὕτω καὶ ἄνθρωπος γενόμενος ἁγιάζει τοὺς πάντας τῷ πνεύματι. ἐν τῷ τρίτῳ δὲ τῶν αὐτῶν. Εἰ τὸ πνεῦμα οἶδε, πολλῷ μᾶλλον ὁ λόγος, ᾗ λόγος ἐστὶν, οἶδε, παρ' οὗ καὶ τὸ πνεῦμα λαμβάνει. Καὶ αὖθις. Καὶ ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, ταῦτα παρὰ τοῦ λόγου ἔχει. τὸ δ', ὃς ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ, διερμηνεύων, φησὶ περὶ τοῦ Χριστοῦ, ὅτι, Αὐτὸς λόγος ὢν τοῦ Θεοῦ, αὐτὸς διὰ τοῦ πνεύματος ἐνεργεῖ τὰ πάντα. πρὸς Σεραπίωνα δὲ τὸν ἐπίσκοπον. Εἰκὼν τοῦ υἱοῦ λέγεται, καὶ ἐστὶ τὸ πνεῦμα. καὶ πάλιν. Ὁ μὲν υἱὸς παρὰ τοῦ πατρὸς ἀποστέλλεται, αὐτὸς δὲ τὸ πνεῦμα ἀποστέλλει. καὶ ὁ μὲν υἱὸς τὸν πατέρα δοξάζει, λέγων. Πάτερ ἐγώ σε ἐδόξασα, τὸ δὲ πνεῦμα δοξάζει τὸν υἱόν. ἐκεῖνος γάρ, φησὶν, ἐμὲ δοξάσει. καὶ ὁ μὲν υἱὸς φησίν. ἃ ἤκουσα, παρὰ τοῦ πατρὸς, ταῦτα καὶ λαλῶ εἰς τὸν κόσμον, τὸ δὲ πνεῦμα ἐκ τοῦ υἱοῦ λαμβάνει. Ἐκ τοῦ ἐμοῦ γάρ, φησι, λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. καὶ ὁ μὲν υἱὸς ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς ἦλθε, τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον, φησὶν, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου. τοιαύτην δὲ τάξιν καὶ φύσιν ἔχοντος τοῦ πνεύματος πρὸς τὸν υἱόν, οἵαν ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, πῶς ὁ τοῦτο κτίσμα λέγων, οὐ τὸ αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ υἱοῦ ἐξ ἀνάγκης φρονήσει. Εἰ γάρ ἐστι τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ κτίσμα, ἀκόλουθον ἂν εἴη λέγειν αὐτοὺς καὶ τὸν λόγον τοῦ πατρὸς εἶναι κτίσμα. Ὁ μέγας ἐν θεωρίᾳ, καὶ πράξει Βασίλειος περὶ τῆς πίστεως διαλαμβάνων ἐν τοῖς Ἀσκητικοῖς, τοῦ μὲν πατρὸς πέμποντος τὸν υἱόν, τοῦ δὲ υἱοῦ πέμποντος τὸ ἅγιον πνεῦμα. καὶ πάλιν, Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ διδάσκον καὶ ὑπομιμνῆσκον πάντα, ὅσα ἂν ἀκούοι παρὰ τοῦ υἱοῦ. Ἐπιστέλλων δὲ πρὸς Ἀμφιλόχιον, Ἓν δὲ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, φησὶ, καὶ αὐτὸ μοναδικῶς ἐξαγγελλόμενον, καὶ δι' ἑνὸς υἱοῦ τῷ ἑνὶ πατρὶ συναπτόμενον. πρὸς δὲ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν σοφὸν ἐν ἁγίοις Γρηγόριον, περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως. Ὥσπερ, φησὶν, ἐξ ἁλύσεως, ὁ τοῦ ἑνὸς ἄκρου ἁψάμενος, καὶ τὸ ἕτερον ἄκρον συνεπεσπάσατο. οὕτως ὁ τὸ πνεῦμα ἑλκύσας δι' αὐτοῦ καὶ τὸν υἱὸν συνεφελκύσατο, καὶ εἰ τὸν υἱὸν ἀληθῶς τις λάβοι, ἕξει αὐτὸν ἑκατέρωθεν, τῇ μὲν τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, τῇ δὲ τὸ ἴδιον πνεῦμα συνεπαγόμενον. οὔτε γὰρ τοῦ πατρὸς ὁ ἀεὶ ὢν ἐν τῷ πατρὶ ἀποτμηθῆναι δύναται, οὔτε τοῦ πνεύματος ποτὲ

*ad Patrem, talem haberet & Filius ad Spiritum & ordinem, & naturam qualem ipſe Spiritus ad Patrem. Multa his ſimilia ſunt. Interim autem, & ex his, quæ numerata jam ſunt, qui omnino verecundiam non depoſuit, & prorſus oblitus ſui non eſt, veritati aſſenſum præbebit.*

6. *Teſtimonia jam dictorum expoſcis? Plurima paulo ante obtulimus, cum Tomum traderemus horum refertiſſimum; nihilominus ex iis & hic nonnulla apponemus. Diviniſſimus Athanaſius prima contra Arianos oratione hæc habet:* Rurſum vero Salvator Deus exiſtens, dominatu Patris perpetuo imperans, & Spiritum ſanctum unicus ipſe largiens. *Item:* Neque enim ex ſeipſo Spiritus loquitur, ſed Verbum eſt, quod illum dignis ſubminiſtrat. *Item:* Denique quemadmodum ante incarnationem Verbum cum eſſet ſanctis veluti proprium Spiritum elargiebatur, ſic & homo factus Spiritu ſanctificat omnes. *Et tertia Oratione:* Si Spiritus ſcit; multo magis ſcit Verbum, qua Verbum eſt, ex quo & Spiritus accipit. *Rurſum:* Quæcumque habet Spiritus, ea habet a Verbo. *Illud autem:* Quicunque dixerit contra Filium hominis, remittetur ei, *exponens, ait de Chriſto:* Ipſe Verbum Dei cum ſit, ipſe per Spiritum omnia *operatur. Et ad Serapionem Epiſcopum:* Imago Filii dicitur & eſt Spiritus. *Item:* Filius a Patre quidem *mittitur*, ipſe vero Spiritum mit*tit:* & Filius quidem Patrem glorificat, dicens: Pater ego te glorificavi: Spiritus autem glorificat Filium: ille enim, ait, me glorificabit. Et Filius inquit, quæ audivi a Patre, hæc & loquor mundo. Spiritus ex Filio accipit: De meo enim, inquit, accipiet, & annunciabit vobis; & Filius in nomine Patris venit: Spiritus autem ſanctus, ait, quem mittet Pater in nomine meo. Talem ordinem & naturam cum habeat Spiritus ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem, quomodo qui hunc creaturam vocat, non idem & de Filio neceſſario ſentiet? Etenim ſi Spiritus eſt creatura Filii, ſubſequens omnino fuerit affirmare eoſdem & Verbum Patris eſſe creaturam. *Magnus tum in agendis tum in meditandis Baſilius de fide tractans in Aſceticis:* Patre mittente Filium, Filio mittente Spiritum ſanctum. *Item:* Spiritus ſanctus, qui docet, & memoriæ ſuggerit, quæcunque a Filio audierit. *Et ad Amphilochium ſcribens:* Unus vero eſt & Spiritus ſanctus, qui & ipſe ſingulariter enunciatur, & per unum Filium uni Patri conjungitur. *Et ad fratrem ſuum inter ſanctos ſapientiſſimum Gregorium, de differentia eſſentiæ & hypoſtaſis:* Quemadmodum, *ait*, in catena, qui unam extremitatem arripit, & aliud extremum una cum ea attrahit, ſic & qui Spiritum traxit, per eum & Filium ſimul traxit, & ſi quis Filium vere ſuſceperit, habebit ipſum utraque ex parte, hac Patrem, illa proprium Spiritum una ſecum ducentem. Neque enim a Patre, qui ſemper in Patre eſt, præſcindi poteſt; neque a

Probatur teſtimoniis.

*Athanaſ.*

*Baſilius Magnus.*

διαζευχθήσεται τοῦ ἰδίου, ὁ πάντα ἐν αὐτῷ ἐνεργῶν. Ἐν δὲ τοῖς Ἀντιῤῥητικοῖς, ἑνὸς ὄντος τοῦ Θεοῦ, Θεὸς ὁ υἱὸς, πατρικῇ φύσει, καὶ πατρικῷ ὀνόματι. καὶ ἑνὸς ὄντος κυρίου τοῦ υἱοῦ, κύριος ὁ πατὴρ, τῷ τῆς εἰκόνος ὀνόματι καλούμενος, ὡς πρωτότυπος αὐτῆς καὶ γεννήτωρ. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα κύριος ἀπὸ τοῦ κυρίου τὴν ἐπωνυμίαν ἔχει. ἀφ᾽ οὗ καὶ μεταδίδοται. καὶ ὁ κύριος ἀπὸ τῆς εἰκόνος πνεῦμα. ἐπεὶ καὶ ὁ Θεὸς, πνεῦμα ἀπ᾽ αὐτοῦ προσηγόρευται. Ὁ σοφώτατος Κύριλλος πρὸς τὸν βασιλέα Θεοδόσιον περὶ τοῦ Χριστοῦ. Ἀπολύων γὰρ ἁμαρτίας τὸν αὐτῷ προσκείμενον, τῷ ἰδίῳ λοιπὸν καταχρίει πνεύματι, ὅπερ ἐνίησι μὲν αὐτὸς ὡς ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγος, καὶ ἐξ ἰδίας ἡμῖν ἀναπηγάζων φύσεως. κοινὸν δὲ ὥσπερ τὸ χρῆμα τιθεὶς τῇ μετὰ σαρκὸς οἰκονομίᾳ διὰ τὴν ἕνωσιν. καὶ ὡς ἄνθρωπος ἐνέπνει σωματικῶς. Ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν Θησαυρῶν. Ἀνάγκη τὸ πνεῦμα τῆς οὐσίας ὑπάρχειν ὁμολογεῖν τοῦ υἱοῦ. ὡς γὰρ ἐξ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ὑπάρχον. καὶ ἐπὶ τὴν κτίσιν παρ᾽ αὐτοῦ πεμπόμενον, τὸν ἀνακαινισμὸν ἐργάζεται. Καὶ πάλιν Οὐκ ἀλλότριον τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ᾽ ἐν αὐτῷ. καὶ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ὥσπερ ἐνέργειά τις φυσική. πρὸς δὲ Νεστόριον περὶ τοῦ Χριστοῦ πάλιν. Αὐτὸς ἐνεργῶν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἔφασκεν ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. ἀλλ᾽ ἐκ τούτων μὲν φανερὸν, ὅτι δι᾽ υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός.

ζʹ Ἤδη δὲ καὶ τινὰς ἐνστάσεις τῶν ἀντιφερομένων τάς γε βιαιοτέρας ἐπισκεπτέον, ὅπως ἂν ἐξεταζομένων αὐτῶν ἡ τῆς ἀληθείας σύστασις ἐπὶ πλέον ἰσχυροτέρα φανείη τῇ τῶν τῆς ἀπάτης συστροφῶν διαλύσει συνεξέχουσα, καὶ τὸ δι᾽ υἱοῦ τὸ πνεῦμα πεφηνέναι παρὰ πατρὸς ἐκφαίνουσα τρανότερον καὶ κρατύνουσα. πῶς οὖν εἰκών ἐστι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα; φασίν. εἰ τοῦτο ἐστὶ, τῷ υἱῷ κατὰ πάντα παρισωθήσεται, καὶ ἕξει παρ᾽ ἑαυτῷ τὰ τῆς τοῦ υἱοῦ γνωριστικὰ ὑποστάσεως. πῶς οὖν οὐκ ἔσται, γέννημα τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ πρόβλημα; ἢ πῶς οὐ τοῦ υἱοῦ μὲν υἱὸς, ἔγγονος δὲ τοῦ πατρὸς, εἴπερ εἰς τὸν υἱὸν ὡς εἰς ἀρχέτυπον ἀναφέρεται; Πρὸς ταῦτα κἂν μὴ πρὸς ἡμᾶς ἡ μάχη, πρὸς γὰρ τοὺς εἰρηκότας εἰκόνα τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ᾽ ἡμεῖς οὕτω φαμέν. πᾶσα εἰκὼν ἐξ ἀνάγκης διαφέρει κατά τι πρὸς τὸ ἀρχέτυπον. διαφορᾶς γὰρ οὐκ οὔσης τινὸς ἐν αὐτοῖς, εἶεν ἂν αἱ εἰκόνες ἀρχέτυπα, διὸ καθάπερ ὁ υἱὸς εἰκὼν ὑπάρχων πατρὸς διενήνοχε τοῦ πρωτοτύπου τῷ ἰδιώματι. υἱὸς γὰρ οὐ πατήρ. γεννητὸς, οὐκ ἀγέννητος. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. εἰκὼν τοῦ υἱοῦ. καὶ ὂν καὶ λεγόμενον πνεῦμα ἐστίν, οὐχ υἱός, προβλητόν. ἀλλ᾽ οὐ γεννητόν. ἡ γὰρ ἰδιότης ἀκίνητός ἐστιν ἐκ τοῦ ταύτην ἔχοντος. ἢ πῶς ἂν ἰδιότης μένοι κοινουμένη. καὶ ἀφ᾽ ἑτέρου πρὸς ἕτερον μεταπίπτουσα; Τὸ γὰρ ἐν δυσὶν ἢ πολλοῖς θεωρούμενον, κοινότης, ἀλλ᾽ οὐκ ἰδιότης ἐστίν.

ηʹ Ὅθεν οὐδὲ υἱὸς ὅλως ἐκλήθη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ὡς ἂν εἴη μόνος υἱὸς ὁ υἱὸς, καὶ μόνον υἱὸς, οὐ μὴν καὶ πατὴρ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πνεῦμα μόνον, ἀλλ᾽ οὐχὶ καὶ υἱός. καθὼς καὶ ὁ πατὴρ μόνον πατήρ. διὸ καὶ ὁ μέγας ἐν θεωρίᾳ καὶ πράξει Βασίλειος οὕτω φησὶ πρὸς Εὐνόμιον ἀποροῦντα, διὰ τί μὴ καὶ τὸ πνεῦμα υἱὸς τοῦ υἱοῦ.

Spiritu unquam diſſociabitur proprio, qui omnia in ipſo operatur. *Et in Antirrheticis;* Unus Deus cum ſit, Deus Filius paterna natura & paterno nomine: unus cum ſit Dominus Filius, Dominus Pater, imaginis nomine vocitatus, tanquam exemplar illius & genitor, ſic & Spiritus Dominus a Domino nomen habet, a quo ſubminiſtratur, & Dominus ab imagine Spiritus, quando & Deus Spiritus ab eodem cognominetur. *Sapientiſſimus Cyrillus, ad Imperatorem Theodoſium de Chriſto:* Liberans enim a peccatis eum, qui ipſi adhæret, proprio deinceps ungit Spiritu, quem immittit ipſe, tamquam ex Deo Patre Verbum; & ex propria natura nobis emittens, & tanquam rem incarnationis, diſpenſatione communem ponens propter unionem etiam, ut homo corporaliter inſufflabat. *Secundo libro Theſaurorum:* Neceſſario ſpiritum ex natura Filii exiſtere fatendum eſt: namque ut ex eo natura exiſtens, & in creaturas ab eodem miſſus, renovationem efficit. *Item:* Non eſt alienus ab eſſentia Filii Spiritus ſanctus, ſed in ipſo, & ex ipſo, & veluti operatio quædam naturalis: *Item ad Neſtorium de Chriſto:* Ipſe operans per Spiritum ſanctum dicebat: De meo accipiet, & annunciabit vobis. *Atque ex his quidem manifeſtum eſt, per Filium eſſe Spiritum a Patre.*

Cyrillus Alexand.

7. *Sed jam adverſariorum objectiones aliquæ, & validiores conſiderandæ ſunt, ut iis examinatis, veritas magis, fraudum machinis diſſolutis, eluceſcat, per Filium Spiritum exiſtere ex Patre planius confirmans, atque ſtabiliens. Quomodo itaque imago Filii Spiritus eſt?* inquiunt. *Si id fuerit, Filio in omnibus exæquabitur, habebitque apud ſemetipſum per omnia hypoſtaſeos Filii notas. Quomodo itaque non erit generatus a Patre, ſed procedens? & quomodo non erit Filius Filii, & Patris nepos, ſi in Filium tanquam ad exemplar transfertur? Ad hæc licet contentio contra nos ſuſcepta non ſit, ſed contra eos, qui Filii imaginem Spiritum Sanctum aſſeverant, nos ita occurrimus. Omnis imago neceſſario ab exemplari ſuo in aliquo differt. Nam ſi nulla eſſe inter ea differentia, eſſent plane imagines exemplaria. Quapropter quemadmodum Filius imago Patris cum ſit, differt tamen ab exemplari proprietate: Filius enim eſt, non pater; generatus, non ingenitus; ſic & Spiritus ſanctus imago Filii cum ſit, & dicatur, Spiritus eſt, non Filius; effuſus, ſed non generatus: proprietas enim ab eam poſſidente avelli non poteſt: vel quomodo proprietas ſi communicaretur, & ab uno in alium transmearet? Quod enim in duobus, aut pluribus conſpicitur, communitas eſt non proprietas.*

Quomodo imago Filii Spiritus.

Omnis imago ab exemplari in aliquo differt.

8. *Hinc neque Filius prorſus vocatus eſt Spiritus ſanctus; ut ſolus Filius eſſet filius, & tantummodo filius, & non pater: & Spiritus ſanctus Spiritus ſolum, non item & Filius; quemadmodum & Pater ſolum pater. Propterea magnus tum agendis, tum meditandis Baſilius Eunomio hæſitanti, quare non & Spiritus filius Filii? reſpon-*

Quare filius non dicatur Spiritus ſanctus. Baſilius Magnus.



ὅτι οὐ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐκ Θεοῦ δι᾽ υἱοῦ, ἀλλ᾽ ἵνα ἡ τριὰς μὴ νομισθῇ πλῆθος ἄπειρον υἱοὺς ἐξ υἱῶν, ὡς καὶ ἐν ἀνθρώποις ἔχειν ὑποπτευθεῖσα. ἀλλὰ λέγεις, εἰ Θεοῦ μὲν εἰκὼν ὁ υἱὸς, υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα. καὶ εἰ Θεοῦ μὲν λόγος ὁ υἱὸς, ῥῆμα δὲ υἱοῦ τὸ πνεῦμα διατί μὴ υἱὸς υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἴρηται; τούτῳ γὰρ ἰσχυροτάτῳ πρὸς τὴν ἀσέβειαν ἐχρήσω. ἢ γὰρ υἱὸν, ἢ κτίσμα κελεύεις νοεῖν. καὶ ὅτι μὴ υἱὸς ὠνόμασται. διὰ τοῦτο κτίσμα εἶναι, βλασφημεῖς τὸ τῆς κτίσεως αἴτιον, τὸ τῆς κτίσεως ἁγιαστικὸν καὶ θεοποιὸν, τὸ κυρίου καὶ Θεοῦ δοξαζόμενον ὀνόματι, τὸ τῶν θείων ἐνεργειῶν πληρωτικόν. Ἐπεὶ οὖν ἀνάξιόν σοι φαίνεται τῆς τοῦ υἱοῦ προσηγορίας ὡς ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ, σκέψαι, πῶς υἱοὺς ἀπεργάζεται τοὺς ἁγιαζομένους. Εἰ δὲ σὺ διὰ τοῦ πνεύματος υἱὸς Θεοῦ, πῶς τὸ πνεῦμα ξένον υἱότητος; Καὶ αὖθις. Λέγομεν οὖν ὅτι τὸ εἰπεῖν υἱὸν ἐξ υἱοῦ, τὴν τριάδα τῆς θεότητος εἰς πλήθους ὑποψίαν προσῆγεν ἀνθρώποις, ἀκούσασιν. ἕτοιμον γὰρ ἦν ὑπολαβεῖν, ὡς εἴπερ υἱὸς ἐξ υἱοῦ γεγέννηται, καὶ ἐκ τούτου πάλιν ἕτερος ἂν εἴη γεγεννημένος, καὶ πάλιν ἄλλος, καὶ ἐπὶ πλῆθος ἑξῆς. διὰ τοῦτο τὸ μὲν ἐκ Θεοῦ τὸ πνεῦμα εἶναι, τρανῶς ἀνεκήρυξεν ὁ ἀπόστολος, λέγων ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐλάβομεν, καὶ τὸ δι᾽ υἱοῦ πεφηνέναι σαφὲς πεποίηκε πνεῦμα ὀνομάσας αὐτὸ, καθάπερ Θεοῦ, καὶ νοῦν Χριστοῦ προσειπὼν καθάπερ καὶ Θεοῦ πνεῦμα ὡς τοῦ ἀνθρώπου, υἱὸν δὲ τοῦ υἱοῦ προσειπεῖν ἐφυλάξατο. ἵνα εἷς μὲν πατὴρ καὶ Θεὸς ὁ ἀεὶ πατὴρ διαμένων, καὶ ὢν ἀϊδίως ὅ ἐστιν εἷς δὲ υἱὸς ἀϊδίῳ γεννήσει γεγεννημένος, ὁ ἄναρχος σὺν τῷ πατρὶ, υἱὸς ἀληθινὸς Θεοῦ ἀεὶ ὢν, ὅ ἐστι Θεὸς λόγος καὶ κύριος, ἓν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀληθῶς ἅγιον πνεῦμα.

θʹ. Καὶ ἵνα τί, φησι, τὸ πνεῦμα κατῆλθεν ἐπὶ τὸν υἱὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς, εἴπερ ἦν ὅλως ἐκ τοῦ υἱοῦ; πάντως ὁ οὕτω φρονῶν, εἰς δύο διαιρεῖ τὸν ἕνα Χριστὸν, ἵνα ἐκ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον εἴπῃ τὸ πνεῦμα ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. λέγομεν οὖν, ὡς οὐκ ἄλλοθεν ἐχρῆν κατιέναι τὸ πνεῦμα ἐπὶ τὸν κύριον, ἢ ἐκ τῶν οὐρανῶν, ὅθεν καὶ ἡ φωνὴ τοῦ πατρὸς, ὡς ἂν οὐράνιον εἶναι πιστώσηται, καὶ υἱὸν ὄντως Θεοῦ τὸν ἐπὶ γῆς βαπτιζόμενον. Ἔπειτα καὶ ὡς εἰς ἄνθρωπον διὰ τὴν οἰκονομίαν ἐπὶ τὸν υἱὸν τὸ πνεῦμα κατέρχεται. τοῦτο καὶ ὁ σοφώτατος ἐδίδαξε Κύριλλος, τὸν προφήτην Ἰωὴλ ἐξηγούμενος. ᾗ μὲν γάρ ἐστιν εἰπὼν Θεὸς καὶ ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱός. γεγέννηται γὰρ ἀληθῶς ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, ἴδιον αὐτοῦ τε καὶ ἐν αὐτῷ καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα ἐστὶ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐπ᾽ αὐτοῦ νοεῖται τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. ᾗ δὲ γέγονεν ἄνθρωπος καὶ πέφηνε καθ᾽ ἡμᾶς ἐπακτὸν αὐτῷ εἶναι τὸ πνεῦμα λέγεται. καταπεφοίτηκε γὰρ ἐπ᾽ αὐτὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς, ὅτε καθ᾽ ἡμᾶς γεγονὼς, ὡς ἔφην, ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν οἰκονομικῶς ἐβαπτίζετο. τότε καὶ τὸ ἴδιον αὐτοῦ πνεῦμα δοτὸν αὐτῷ λέγεται, διὰ τὸ ἀνθρώπινον. καὶ τοῦτο ἐστίν ἡ κένωσις. Ἐπεὶ γοῦν ὡς ἄνθρωπος διὰ τὴν οἰκονομίαν ἐδέχετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, πόθεν ἔδει τοῦτο δέχεσθαι, εἰ μὴ ἀπὸ τῶν οὐρανῶν εἰς δόξαν αὐτοῦ, μετὰ δὲ τὸ πάθος καὶ τὴν

ſpondet: Non quod non ſit ex Deo per Filium, ſed ne Trias infinitam multitudinem, filios ſcilicet ex Filiis, ut in hominibus ſolet, in ſe habere exiſtimaretur. Sed ais: Si Dei imago eſt Filius, Filii vero Spiritus; & ſi Dei quidem Verbum Filius, verbum vero Filii Spiritus; quare non & filius Filii Spiritus dictus eſt? hoc ſiquidem validiſſimo argumento ad tuam impietatem aſtruendam uſus es. Aut enim Filium, aut creaturam jubes nos tenere: & quod Filius nuncupatus non eſt, ideo creaturam eſſe impie aſſeris illum, qui creaturæ cauſa eſt, qui creaturam ſanctificat, & deificat, qui Domini, Deique appellatione glorificatur, qui divinas complet operationes. Cum itaque appellatione Filii indignus tibi judicatur tanquam a Patre & Filio alienus, conſidera quanam ratione filios efficit eos, qui ſanctificantur. Quod ſi tu per Spiritum filius Dei es, quomodo Spiritus a filiatione alienus eſt? *Item*. Dicimus itaque quod affirmare filium ex Filio, in multitudinis Triade Deitatis ſuſpicionem homines, qui id audiſſent, adduxiſſet: in promptu namque erat, ſuſpicari, quod ſicut Filius ex Filio generatus eſt; ita ex hoc rurſus alius prognatus eſſet, & rurſus alius, & ſic item plures alii unus poſt alium. Propterea ex Deo quidem eſſe Spiritum, palam Apoſtolus edixit: dicens; Spiritum, qui ex Deo eſt, accepimus; & per Filium apparere plane demonſtravit, cum Spiritum illum vocaſſet uti Dei, & mentem Chriſti inſuper aſſerens, quemadmodum & Dei Spiritum ut hominis. Filium vero Filii dicere cavit, ut unus quidem Pater & Deus, qui ſemper Pater perſeverat, & eſt ab æterno quod eſt: unus vero Filius ſempiterna generatione generatus, qui ſine principio eſt cum Patre, & Filius verus Dei ſemper eſt, qui eſt Deus Verbum & Dominus: unus & Spiritus ſanctus vere Spiritus ſanctus.

9. Et quare, inquit, Spiritus deſcendit ad Filium in ſpecie columbæ, ſi omnino ex Filio erat? Qui ita ſentit, modis omnibus in duo Chriſtum unum dividit, ut ex Filio Dei Spiritum ſanctum deſcendere dicat in filium hominis. Dicimus itaque non aliunde quam de cœlo in Dominum Spiritum deſcendere decuiſſe, unde etiam vox Patris advenit, ut cœleſtem eſſe confirmaret, & Filium vere Dei, qui in terra abluebatur. Deinde ut in hominem propter diſpenſationem ſuper Filium Spiritus deſcendit. *Hoc & ſapientiſſimus docuit Cyrillus, Prophetam Joelem exponens:* Qua enim eſt, *ait*, Deus & ex Deo ſecundum naturam Filius (generatus enim vere eſt ex Deo Patre) proprius ejus & in eo, & ex eo Spiritus eſt: quemadmodum & de ipſo Deo & Patre intelligitur. Qua vero factus eſt homo, & modo noſtro apparuit & adſcititius illi eſſe Spiritus dicitur; deſcendit enim ſuper ipſum in ſpecie columbæ, cum ſecundum nos factus, ut dixi, tamquam unus ex nobis per diſpenſationem baptizaretur. Tum & proprius ipſius Spiritus donatus ipſi dicitur propter humanitatem: & hæc eſt exinanitio. Cum itaque ut homo propter diſpenſationem ac-

Quare Spiritus deſcendit ſuper Filium in ſpecie columbæ.

ἀναστάσιν ἤδη τῆς οἰκονομίας τετελεσμένης, οὐ δέχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ δίδωσι καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ προΐησι δι' ἐμφυσήσεως, πρακτικῶς ἐκδιδάσκων, ὅτι δι' αὐτοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. Τέως δ' οὖν ἐπεὶ ἀπερίγραπτος ὁ λόγος καὶ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ μετὰ σώματος ἦν οὗ προσείληφε, καὶ ἀσωμάτως ἐν οὐρανῷ καθὼς καὶ ἁπανταχοῦ. αὐτὸς οὖν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ὡς Θεὸς πέμπει τὸ πνεῦμα αὐτοῦ εἰς ἑαυτὸν ὡς εἰς ἄνθρωπον. διὸ καὶ ὁ τὰ θεῖα πολὺς Ἀθανάσιος ἐν οἷς περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ μονογενοῦς λόγου διέξεισιν, εἰπὼν ὅτι, ὥσπερ περιστερὰ ὤφθη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καταβαῖνον καὶ μένον ἐπὶ τὸν κύριον, ἐπάγει λοιπόν, αὐτὸς γὰρ ἄνωθεν αὐτὸ ἔπεμπεν ὡς Θεός, καὶ αὐτὸς αὐτὸ κάτωθεν ὑπεδέχετο ὡς ἄνθρωπος. ἐξ αὐτοῦ οὖν εἰς αὐτὸν κατήει, ἐκ τῆς θεότητος αὐτοῦ εἰς τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ.

ι'. Πάλιν ἐνίστανται γεννικώτερον οὕτω προτείνοντες. πᾶν ὃ περὶ Θεοῦ λέγεται, ἢ κοινόν ἐστι τῆς τριάδος, ἢ μιᾶς ὑποστάσεως ἴδιον. ὥστε καὶ τὸ ἐκπορευτικὸν, ἢ καὶ τῶν τριῶν εἴη ἂν ὑποστάσεων, ἢ μιᾶς ἐξ αὐτῶν, μέσον γάρ τι φυσικοῦ καὶ ὑποστατικοῦ ἰδιώματος, οὐ γινώσκομεν. ἐπεὶ δὲ παρὰ τοῦ πατρὸς ὁμολογουμένως ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα, παρ' ἑαυτοῦ δὲ ἀδύνατον ἐκπορεύεσθαι, οὐδὲ παρὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται, καὶ ἔσται τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως ἴδιον τὸ ἐκπορευτικόν. οὕτω γὰρ καὶ Γρηγόριος, ἐν βίβλῳ τῇ Θεογνωσίᾳ διδάσκει τῶν Νυσσαέων ὁ πρόεδρος, πνεῦμα λέγων τὸ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως ἐκπορευόμενον. τοῦ δ' ἕνεκα γὰρ καὶ πνεῦμα στόματος, ἀλλ' οὐχὶ λόγον στόματος εἴρηκεν ὁ Δαβίδ, ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ * πρὶ μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται.

* πνα

ια'. Τί οὖν ἡμεῖς πρὸς ταῦτα φαμέν; πρῶτον μὲν, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ υἱοῦ καθάπερ ἐκ πρώτης ἀρχῆς δογματίζομεν, ἀλλὰ διὰ τοῦ υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρός. Ἔπειτα καθὼς οὐ δύναται παρ' ἑαυτοῦ ἐκπορεύεσθαι πάντως, οὐδ' ἀποστέλλεσθαι παρ' ἑαυτοῦ δύναιτ' ἄν. ἵνα μὴ τὸ αὐτὸ καὶ ἀποστέλλον εἴη κατὰ ταυτὸν, καὶ ἀποστελλόμενον. Ἐπεὶ δὲ καὶ παρὰ πατρὸς ἀποστέλλεται, καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ, καθὼς αὐτὸς ὁ τοῦ πατρὸς υἱὸς ἐν Εὐαγγελίοις ἐδίδαξεν, ἔγνωμεν, ἰδοὺ τὴν ἀποστολὴν τοῦ πνεύματος, μέσην ὑποστατικῆς τε καὶ φυσικῆς ἰδιότητος. ὅθεν ὁ τῆς ἐνστάσεως θέμεθλος διασέσεισται καὶ σεσάθρωται. τί δ' ἂν φαῖεν καὶ κατ' αὐτὸ τὸ τοῦ πνεύματος ὄνομα τοῦ ἀγνώστου μέσου γινωσκομένου. πνεῦμα γὰρ πατρὸς, καὶ πνεῦμα υἱοῦ, τὸ ἅγιον πνεῦμα λέγεται καὶ ἐστίν. ἑαυτοῦ δὲ πνεῦμα οὔτ' ἔστιν, οὔτε λέγεται. καθὼς οὐδὲ ὁ πατὴρ ἑαυτοῦ πατὴρ ἢ ὁ υἱὸς ἑαυτοῦ υἱός.

ιβ'. Ἀλλ' ἐξεταστέον λοιπὸν, εἴπερ ὀρθῶς τε καὶ ἀσφαλῶς τὸ τοῦ σοφοῦ Γρηγορίου ῥητὸν παρενήνεκται, λέγοντος ὡς αὐτοί φασι, τὸν Δαβὶδ τούτου χάριν εἰρηκέναι τὸ πνεῦμα στόματος πνεῦμα, καὶ μὴ τὸν λόγον στόματος λόγον. ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ πατρὶ μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται. πῶς οὖν εἰ τὸν λόγον εἰρήκει στόματος λόγον, καί τινι μετὰ τοῦ πατρὸς ἑτέρῳ τὴν τοιαύτην ἂν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα ἐκοινώσατο. ποίαν ἔχει τὴν ἀνάγκην ὁ λόγος; ἀλλ' ὡς ἔοικεν ἡ παρωδικὴ τῶν γραφῶν διεξέλευσις, οὐχ ἧττον ἢ τὸ τοῦ τρόπου φίλερι, καὶ τὸ ἐντεῦθεν κακοῦργον τὰς τοιαύτας ἀτοπίας εἰσῄνεγκε. τρισὶ γὰρ στοιχείοις μεθ' ἐπιθέσεως κεραίας τῆς πνί λέξεως διαχαραττομένης συγκοπτικῶς. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ τῆς πρὶ, τοῦ μέσου μόνου γε διηλλαχότος, ἡ τοῦ μέσου παραφθορά τε καὶ μεταποίησις. καὶ γὰρ εὐχερὴς τὴν ἀπάτην τοῖς μὴ ἐπεσκεμμένοις προὐξένησε τὸ τοῦ πνεύματος ἴδιον τῷ πατρὶ προσαρμόσασιν.

accipiebat Spiritum ſuum, undenam illum niſi de cœlo in ſui gloriam debebat accipere? Poſt paſſionem vero, & reſurrectionem, jam diſpenſatione perfecta, non accipit Spiritum ſanctum, ſed elargitur, & ex ſemetipſo tranſmittit per inſufflationem, facto ipſo edocens, per eum a Patre procedere. Interim itaque Verbum in circumſcriptum cum eſſet in Jordane cum corpore, quod aſſumpſerat, & ſine corpore in cœlo, ut & ubique ipſe de cœlo ut Deus mittit Spiritum ſuum in ſemetipſum ut hominem. *Quapropter in rebus divinis præſtans Athanaſius, in iis quæ de Incarnatione unigeniti Verbi pertractat, poſtquam dixiſſet, tanquam columbam viſum fuiſſe Spiritum ſanctum deſcendentem, manentemque ſuper Dominum, ſubdit:* Ipſe enim ſuperne demittebat ut Deus, & inferne ipſe eum ſuſcipiebat ut homo. Ex eo igitur in eum deſcendebat, ex ejus deitate in humanitatem ipſius.

10. *Adhuc validius inſtant atque obiiciunt. Quidquid de Deo dicitur, aut Triadi commune eſt, aut uni hypoſtaſi proprium; quare id quod eſt emittere, aut tribus hypoſtaſibus conveniet, aut uni: nihil enim medium inter naturalem & hypoſtaticam proprietatem agnoſcimus. Quando vero ex Patre, nemine hæſitante, Spiritus procedit, & fieri nequit, ut a ſemet aliquid procedat, neque ex Filio procedet; & ſic vis emittendi erit propria hypoſtaſis Paternæ: ſic etenim & Gregorius in libro, qui de Dei cognitione inſcribitur, Nyſſaenſium Antiſtes docet:* Spiritus, *inquiens*, ex Paterna hypoſtaſi procedens, hanc etiam ob cauſam, & Spiritum oris, non autem Verbum oris David appellavit, ut proprietatem procedendi, * Patri ſoli aſtrueret.

Aliud argumentum adverſariorum contra proceſſionem Spiritus ſancti ex Filio.

*Gregor. Nyſſenus.*

* Spiritus

11. *Quid itaque nos adhuc dicimus? Primum quidem nos Spiritum ſanctum non ex Filio tanquam ex primo principio aſſeveramus, ſed per Filium ex Patre. Deinceps, quemadmodum non poteſt ex ſeipſo procedere omnino, neque a ſemetipſo mitti poterit, ne idem & mittens ſit ſecundum idem & miſſum. Cum autem & a Patre mittitur, & Filio, ſicuti ipſe Patris Filius in Evangelio docuit, novimus miſſionem Spiritus mediam inter hypoſtaticam, & naturalem proprietatem: Quare inſtantiæ fundamentum disjectum plane emarcuit. Quid porro dicerent de ipſo Spiritus nomine, quod in iis, quibus medium non agnoſcunt, medium tamen eſſe cognoſcitur. Spiritus enim Patris, & Spiritus Filii ſanctus Spiritus dicitur & eſt; ſui ipſius vero Spiritus neque eſt, neque dicitur; quemadmodum neque Pater ſui ipſius Pater; neque Filius ſui ipſius Filius.*

Reſponſio ad argumentum Spiritus ſanctus non procedit a Filio tanquam ex primo principio. Quare Spiritus non dicatur mittere ſeipſum.

*Gregor. Nyſſenus.* Quare Spiritus dicatur oris Spiritus, & Verbum non dicitur oris verbum.

12. *Cæterum illud examinandum eſt, utrum recte tutoque ſapientis Gregorii dictum adductum ſit, dicentis, ut ipſi ajunt, Davidem ideo dixiſſe Spiritum oris Spiritum, & non Verbum oris verbum ut proprietatem emittendi ſoli Patri aſſereret. Quomodo itaque ſi dixiſſet Verbum oris verbum quemnam una cum Patre hujus emittendi proprietatis participem feciſſet? Quam oratio neceſſitatem arguit? Sed, ut videtur, ſcripturarum ſubita, nec ſatis accurata lectio, non minus quam mores con-*



ιγ' Ἀλλ' ἐχρῆν συνοῆσαι τὸ ἐκπορεύεσθαι παθητικῶς μὲν ἐσχηματισμένον, φέρον δὲ δήλωσιν ἐνεργητικὴν, ὡς εἶναι μᾶλλον ἐκπορευτικὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἤπερ ἐκπόρευτον. ἐνεργεῖν γὰρ, ἀλλ' οὐχὶ πάσχειν ἐστὶ τὸ πορεύεσθαί τε καὶ ἐκπορεύεσθαι. διὸ καὶ ὁ σοφὸς οὗτος ἀνὴρ καιρίως ἀπαγγέλλων φησί. Τοῦ δ' ἕνεκα πνεῦμα στόματος, ἀλλ' οὐχὶ λόγον στόματος εἴρηκεν ὁ Δαβίδ, ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα μόνῳ προσοῦσαν τῷ πνεύματι πιστώσηται. μὴ μέντοι δηλαδὴ καὶ τῷ λόγῳ. καὶ γὰρ ἐπεὶ τὰ τοῦ στόματος ῥήματα ἐκπορευόμενα λέγεται. τὰ γὰρ ἐκπορευόμενα, φησί, διὰ τῶν χειλέων μου, οὐ μὴ ἀθετήσω. τούτου χάριν εἴρηκεν ὁ προφήτης. τῷ λόγῳ κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, ἀλλ' οὐχὶ, τῷ λόγῳ τοῦ στόματος κυρίου. ἵνα μὴ διὰ τοῦ εἰπεῖν τῷ λόγῳ τοῦ στόματος, προσμαρτυρήσῃ τῷ υἱῷ καὶ λόγῳ τὸ ἐκπορευτικόν. ἐπήγαγε δὲ καὶ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. ὡς ἂν ἐντεῦθεν τῷ πνεύματι καὶ μόνῳ πιστώσηται τὸ ἐκπορευτικόν. ὅτι δὲ τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα χαρακτηριστικὴν οἶδε τοῦ πνεύματος ὁ τοῦ Νυσσαέων καὶ τῆς οἰκουμένης φωστὴρ, ἀριδήλως ἐξ ὧν ἐπιφέρει παρίστησι· λέγει γὰρ οὕτως. Ἵνα διὰ μὲν τοῦ, λόγον εἰπεῖν, τὴν ὡς ἐκ νοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς ἀπαθεστάτην καὶ ἄρρητον τοῦ υἱοῦ παραδεξώμεθα γέννησιν. διὰ δὲ τοῦ εἰρηκέναι πνεῦμα στόματος τὴν ἁγιαστικὴν καὶ οὐσιώδη δύναμιν, καὶ ζωαρχικὴν τοῦ πνεύματος ὑπόστασιν ὑπολάβωμεν, τῷ τῆς ἐκπορευτικῆς ἰδιότητος ὀνόματι δηλονότι χαρακτηριζομένην. καὶ ὁ ἐν ἁγίοις δὲ πατὴρ Ἀναστάσιος, ἰδίωμα τοῦ πνεύματος γινώσκει τὸ ἐκπορευτικόν. ἐν γὰρ ἕκτῳ καὶ δεκάτῳ κεφαλαίῳ τῆς αὐτοῦ βίβλου τῆς Ὁδηγοῦ κεκλημένης οὕτω φησί. Οὐ γὰρ τὸ ἀγέννητον τοῦ πατρὸς πρόσωπον ἐσαρκώθη, οὔτε μὲν ἡ ἐκπορευτικὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπόστασις. τοῦ δέ γε παρὰ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι, κωλυτικὸν οὐκ ἔστιν οὐδαμῶς τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ. καθὼς καὶ ὁ σοφὸς οὗτος ἱεράρχης περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος πρὸς Ἀβλάβιον θεολογῶν, διαῤῥήδην βοᾷ, τὸ ἀπαράλλακτον, λέγων, τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα. ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου καταλαμβανόμεθα. τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου. καὶ τοῦ ἐξ αἰτίου δὲ ὄντος, πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν. τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφίβολον ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸ πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλειν, τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας καὶ ἑαυτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς φυσικῆς πρὸς τὸν πατέρα σχέσεως μὴ ἀπειργούσης. ὁ αὐτὸς περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος διαλαμβάνων, καὶ κατὰ Μακεδονίου φερόμενος, οὕτω διατυποῖ καὶ τὴν τοῦ υἱοῦ γέννησιν, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος πρόοδον. Ἐφ' ὧν ἡ κατὰ τὸ ἀγαθὸν ἐνέρ-

*contentioſi, & quæ inde ſubſequitur, facinoroſa aſtutia abſurda hæc in medium protulit. Cum enim tribus elementis, & apice ſuperpoſito vox* Spiritus *exaretur, dum abbreviatur & pari modo etiam vox* Patris *medio elemento tantum diſcrepante, medii corruptio atque immutatio, quod facile fieri potuit, in fraudem parum conſideratos deduxit, qui quod proprium erat Spiritus, Patri adaptarunt.*

*Corruptus Gregorii Nyſſ. text.*

13. *Sed oportebat porro conſiderare* ἐκπορεύεσθαι procedere, *paſſive quidem formari, ſed ſenſu præſeferre activum; ut potius ſit Spiritus ſanctus* πορευτικὸς procedens, *quam* ἐκπόρευτος emanatus, *aut profuſus, ut ita dicam: agere enim eſt, & non pati, progredi, & procedere. Quapropter ſapiens hic vir opportune interpretans. ait:* Ideo Spiritum oris, non vero verbum oris David dicit, ut procedendi proprietatem ſoli ſpiritui vindicaret; *non vero & ipſi Verbo, quia verba oris procedere dicuntur;* Quæ enim procedunt, ait, per labia mea, non faciam irrita: *propterea Vates dixit:* Verbo Domini cœli firmati ſunt; *& non verbo oris Domini, ne dicendo Verbo oris aſtrueret Filio & Verbo vim procedendi ſubnexuit autem:* Et Spiritui oris ejus, *ut inde Spiritui & ſoli proceſſionem vindicaret. Procedendi porro proprietatem tanquam propriam Spiritus notionem agnoviſſe Nyſſaenſium, & totius orbis ſplendorem ex his, quæ ſubdit manifeſte colligimus: ſic enim infert;* Ut cum Verbum diceret, veluti ex intellectu Dei, & Patris nullis paſſionibus obnoxiam, atque ineffabilem Filii generationem haberemus; cum vero Spiritum oris, ſanctificantem, & eſſentialem facultatem, & vivificantem Spiritus hypoſtaſim intelligeremus; proceſſivæ proprietatis nomine, quaſi nota ſignatam. *Sanctus quoque Pater Anaſtaſius proprietatem Spiritus proceſſionem agnoſcit. Namque decimoſexto capite libri, cui Duci viæ nomen eſt, hæc habet:* Neque enim ingenita Patris perſona carnem aſſumpſit, neque procedens ſancti Spiritus hypoſtaſis. *Et a paterna hypoſtaſi Spiritum ſanctum procedere nullo modo impedit, quin etiam per Filium; ut ſapiens hic Antiſtes de ſancta Trinitate ad Ablabium pertractans palam clamat:* Immutabilitatem, *dicens*, naturæ confitentes, non imus inficias ſecundum cauſam & cauſatum differentiam, in qua ſola diſcerni aliud ab alio deprehendimus, cum hoc quidem cauſam credamus eſſe, illud ex cauſa. Et illius etiam, quod ex cauſa eſt, rurſus aliud diſcrimen obſervamus: hoc etenim eſt immediate ex primo, hoc vero per id, quod contiguum atque immediatum eſt, ex primo; ut & unigeniti proprietas abſque ambiguitate in Filio maneat, & ex Patre Spiritum eſſe nulli dubium ſit Filio, qui medius eſt, ſibi ipſi unigeniti proprietatem conſervante, & Spiritum a naturali ad Patrem habitudine minime arcente. *Idem de Spiritu S. agens, & adverſus Macedonium diſſerens, ita & Filii generationem, & Spiritus proceſſionem exprimit.* In quibus, quæ ſecundum bonum

ἐκπορεύεσθαι formatione paſſiva ſignificationem activam habet.

Procedendi proprietas propria Spiritus ſancti.

*Anaſtaſ.*

*Greg. Nyſſ.*

γεια, φάσκων, οὐδεμίαν ἐλάττωσιν ἢ παραλλαγὴν ἔχει, πῶς ἐστιν εὔλογον τὴν κατὰ τὸν ἀριθμὸν τάξιν, ἐλαττώσεώς τινος τῆς κατὰ φύσιν παραλλαγῆς οἴεσθαι σημεῖον εἶναι. ὥσπερ ἂν εἴτις ἐν τρισὶ λαμπάσι διῃρημένην βλέπων τὴν φλόγα. αἰτίαν δὲ τοῦ τρίτου φωτὸς αἰτίαν ὑποθώμεθα εἶναι τὴν πρώτην φλόγα ἐκ διαδόσεως διὰ τοῦ μέσου τὸ ἄκρον ἐξάψασαν, ἔπειτα κατασκευάζει πλεονάζειν ἐν τῇ πρώτῃ φλογὶ τὴν θερμασίαν, τῇ δ' ἐφεξῆς ὑποβεβηκέναι καὶ πρὸς τὸ ἔλαττον ἔχειν τὴν παραλλαγήν, τὴν δὲ τρίτην, μὴ δὲ πῦρ ἔτι λογίζεσθαι, κἂν παραπλησίως καίῃ καὶ φαίνῃ, καὶ πάντα τὰ τοῦ πυρὸς ἐργάζηται. πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀντιρρητικῶν τάδε φησί. οὐκ ἀνάγκη πάσῃ τῇ εἰκόνι δουλεύοντας δοῦναι τοῖς συκοφάνταις λαβὴν ἐν τῇ τοῦ ὑποδείγματος ἀτονίᾳ. οὐχὶ ἀκτῖνα ἐξ ἡλίου νοήσομεν, ἀλλ' ἐξ ἀγεννήτου ἡλίου. ἄλλον ἥλιον τὸν υἱὸν ὁμοῦ τῇ τοῦ πρώτου ἐπινοίᾳ γεννητῶς αὐτῷ συνεκλάμποντα, καὶ κατὰ πάντα ὡσαύτως ἔχοντα κάλλει, δυνάμει, καὶ λαμπηδόνι, μεγέθει, φαιδρότητι, καὶ πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς περὶ τὸν ἥλιον θεωρουμένοις. καὶ πάλιν. Ἕτερον τοιοῦτον φῶς τὸ πνεῦμα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον οὐ χρονικῷ τινι διαστήματι τοῦ γεννητοῦ φωτὸς ἀποτεμνόμενον, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ μὲν ἐκλάμπον, τὴν δὲ τῆς ὑποστάσεως αἰτίαν ἔχον ἐκ τοῦ πρωτοτύπου φωτός. ἐκλάμποντα εἴρηκε τὸν υἱόν. ἐκλάμπον εἴρηκε καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. διὰ τοῦ ἐκλάμπειν ἐδήλωσε τὴν ὕπαρξιν τοῦ υἱοῦ. διὰ τοῦ ἐκλάμπειν ἐδήλωσε καὶ τὴν τοῦ πνεύματος ὕπαρξιν. τὸ ἀπαθὲς, καὶ ἄχρονον τῆς τοῦ υἱοῦ γεννήσεως, καὶ τῆς τοῦ πνεύματος ἐκπορεύσεως σημηνάμενος δι' οἰκειότητα ὀνόματος τοῖς πράγμασιν, οἷς ἐχρήσατο τῷ ἡλίῳ καὶ τῷ φωτί. προσμαρτυρήσας δέ γε τῷ διὰ τοῦ γεννητοῦ φωτὸς ἐκλάμποντι τὴν αἰτίαν τῆς ὑποστάσεως ἐκ τοῦ πρωτοτύπου φωτός, ἐδήλωσε καθαρῶς καὶ εἰλικρινῶς, ὅτι δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός. τοιούτῳ χρῆται τῷ ὑποδείγματι περὶ τῶν αὐτῶν, καὶ ὁ τοῦδε τοῦ Πατρὸς ὁμώνυμος καὶ τῆς Θεολογίας ἐπώνυμος. ἐν οἷς δογματίζει περὶ τοῦ πνεύματος. ἀμέριστος γάρ, φησι, ἐν μεριστοῖς, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν ἡ θεότης. καὶ οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων. μία τοῦ φωτὸς σύγκεισις, οὐκ εἶπεν ἁπτομένοις. ἀλλ' ἐχομένοις. οὕτω δ' ἂν ἔχοιεν οἱ ἥλιοι τὸ εἶναι καὶ φαίνειν, ὁ μὲν ἀρχικῶς, οἱ δ' ἀχρόνως ἐκ τῆς ἀρχῆς. οὔ φημι μετὰ τὴν ἀρχὴν οὐδαμῶς. καὶ ὁ μὲν αὐτῶν ἀμέσως ἐκ τῆς ἀρχῆς, ὁ δὲ διὰ τοῦ μέσου παρ' αὐτῆς τῆς ἀρχῆς. οὕτως ἐστὶν ἐννοῆσαι τὸ συμφυὲς τοῖς ἡλίοις καὶ ἄπειρον. οὕτω τριῶν ἀπείρων ἄπειρος συμφυΐα θεωρηθήσεται.

ιδ'. Μὴ γὰρ διὰ τοῦ λόγου παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορευομένου τοῦ πνεύματος, μέσος ἂν εἴη ὁ πατὴρ, παρ' ἑκάτερον φέρων λόγον καὶ πνεῦμα. ὡμολόγηται δὲ καὶ ἡ ἀρχή, καὶ εἴπερ ὡς ἐξ ἀρχῆς τοῦ πατρὸς λόγος καὶ πνεῦμα, μὴ διὰ θατέρου θάτερον, διαίρεσις εἰσάγεται τῆς θεότητος. ἀπείη δὲ καὶ τὸ ἀντιδιῃρημένα εἶναι λόγον καὶ πνεῦμα. πῶς γὰρ ἑνὰς ἡ τριάς; εἰ μὴ τοῦτο δὲ, πῶς ἀπερίγραπτος; τίνα δὲ τρόπον μετὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, καθάπερ ὁ υἱὸς μετὰ τοῦ πατρὸς, κατὰ τὸν αὐτὸν Θεολόγον. πάντα ὅσα ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ, πλὴν ἀγεννησίας.

num operatio eſt, imminutionem aut immutationem habet, quomodo nullam rationi conſentaneum fuerit, ordinem ſecundum numerum imminutionis alicujus, aut ſecundum naturam immutationis ſignum eſſe exiſtimare. Quemadmodum, ſiquis in tribus lampadibus ſubdiviſam flammam conſpiciens; cauſam vero tertii luminis ſupponamus eſſe primam flammam ex communicatione cum medio extremum inflammantem, poſtmodum adſtrueret in prima flamma abundare calorem, eam vero, quæ ſubſequitur, immutari & paulatim imminui; tertiam nec ignem amplius cenſendum eſſe, licet æqua ratione adurat & ſplendeat, omniaque ignis operetur. *Rurſus ipſe in primo Antirrheticorum hæc ait:* Non oportet imagini ſervientes præbere calumniatoribus anſam in exempli imbecillitate. Non radium ex ſole intelligimus, ſed ex ingenito Sole alium Solem, Filium ſcilicet ſimul cum primi intellectione per generationem una cum ipſo effulgentem, eidemque per omnia æqualem pulchritudine, virtute, ſplendore, magnitudine, claritate, & uno verbo omnibus, quæ ſoli ineſſe cernuntur: & rurſus aliud ſimile lumen Spiritum eodem modo, non temporis aliquo intervallo a genito lumine diſſectum, ſed per illud ſplendens, ac hypoſtaſeos cauſam habens ex primo illo, ac exemplari lumine. *Effulgentem dixit Filium, ſplendentem dixit & Spiritum ſanctum, per ſplendorem exiſtentiam Filii, per ſplendorem Spiritus quoque exiſtentiam manifeſtavit; nulli paſſioni obnoxiam, nulli tempori ſubjacentem Filii generationem, & Spiritus proceſſionem indicans per nomen rebus affine ſolis & luminis, quibus uſus eſt: & ſuo teſtimonio conſtabiliens, illius, qui per genitum lumen ſplendet, cauſam hypoſtaſis ex prototypo lumine, pure planeque commonſtravit, per Filium eſſe Spiritum ex Patre. Hoc idem exemplum uſurpat de iiſdem Pater hujuſce nominis, & cui Theologi cognomen eſt, in his, quæ de Spiritu docet:* Indiviſa enim, *ait*, in diſtinctis ſi breviter nos expedire volumus, Deitas, & veluti in tribus ſolibus ſibi invicem cohærentibus eſt. *Una eſt luminis comparatio, non dixit ſe mutuo tangentibus, ſed cohærentibus: hac enim ratione ſoles haberent & eſſe, & illuminare; hic quidem principialiter, illi ſine tempore ex principio; non inquam, poſt principium omnino; & unus quidem ex ipſis immediate ex principio, alius per medium ab ipſo principio. Et hac ratione poſſumus intelligere, quod ſolibus cognatum eſt, & infinitum: hoc modo trium infinitorum infinita cognatio conſpicietur.*

*Greg. Nazianz.*

14. *Nam ſi per Verbum a Patre non procedit Spiritus, medius Pater erit, utraque ex parte ferens Verbum & Spiritum. In confeſſo porro eſt, eſſe principium; & ſi tamqam a principio patre Verbum & Spiritus, & non alius per alium, Deitatis diviſio introducitur, præterquam quod Verbum & Spiritus ab invicem non diſtinguerentur. Quomodo enim unum eſſet Trias? Et ſi id non fuerit, quomodo incircumſcripta? Quonam modo cum Filio Spiritus, quemadmodum Filius cum Patre ſecundum eundem Theologum,* omnia quæ-

cum-



πάντα ὅσα ὁ υἱὸς τοῦ πνεύματος, πλὴν γεννήσεως. καὶ οὐκ ἔπρεπεν ἐλλείπειν ποτὲ, ἢ υἱὸν πατρὶ, ἢ πνεῦμα υἱῷ. καὶ μίαν μὲν δόξαν πατρὸς γινώσκομεν, τὴν ὁμοτιμίαν τοῦ μονογενοῦς. μίαν δὲ υἱοῦ, τὴν τοῦ πνεύματος. καὶ οὐκ ἀνέχεται πατὴρ υἱὸν ζημιούμενος. οὐδὲ υἱὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; καὶ πῶς κατὰ τὸν μέγαν Βασίλειον. ὡς ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα ἔχει, οὕτως τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν υἱόν. Καὶ κατὰ τὸν τὰ θεῖα πολὺν Ἀθανάσιον τὴν αὐτὴν ἑνότητα ἔχει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πρὸς τὸν υἱόν, ἣν ὁ υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα.

ιε'. Τί δὲ καὶ τὸ ἀπεῖργον λέγεσθαί πῃ καὶ τὰ ἀντίστροφα; πάντως οὐδέν. ἀλλὰ τοῦ υἱοῦ γεννωμένου παρὰ τοῦ πατρὸς, τοῦ δὲ πνεύματος ἐκπορευομένου δι' υἱοῦ παρ' αὐτοῦ τοῦ πατρὸς, πᾶν ἄτοπον, πᾶν ἀδύνατον ἀπελήλαται. δείκνυται γὰρ ἀρχὴ καὶ μέσον καὶ τέλος ὁ Θεός, δι' ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἐξ αὐτοῦ. καὶ ἀναγκαίως ἡ θεότης τριάς. ἓν γὰρ μέσον οἶδεν ὁ λόγος. πλειόνων δ' ὑποτιθεμένων, οὐδὲν τὸ μέσον ὄντως ἐστί. διὰ τοῦτο μονὰς εἰς δυάδα κινηθεῖσα μέχρι τριάδος ἔστη. οὕτως οὖν καὶ ἡ ἀρχὴ κυρίως ἀρχή, καὶ τὰ ἐκ τῆς ἀρχῆς, ἔν τε τῇ ἀρχῇ καὶ ἐν ἀλλήλοις, ἄκραν καὶ τὴν ἕνωσιν, ἄκραν καὶ τὴν συμφυΐαν αὐχοῦντα καὶ πρὸς ἄλληλα, καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἓν κράτος ἀδιαίρετον παριστῶντα, καὶ ἄπειρον. ὅπου γὰρ τὸ μέσον ὄντως μέσον, ἐκεῖ καὶ τὸ ἕν. καὶ ὅπου ἕνωσις, κατὰ τὴν μετοχὴν γίνεται τοῦ ἑνός. κατὰ τοσοῦτον γὰρ ἑνοῦνται τὰ ἡνωμένα, καθόσον μετέχει τοῦ ὄντως ἑνός. τοῦτο καὶ οἱ θύραθεν ἀμυδρῶς ἐφαντάσθησαν. ὅθεν καὶ τὰ τρία πάντα, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ, κατὰ τὴν ἄκραν ἀλληλουχίαν ἐφιλοσόφησαν. ἐντεῦθεν ἄπειρον ὑπειληφέναι τινὲς τὸ πᾶν ἐπλανήθησαν, μὴ διακρίναντες οὐσίαν κτίσεως καὶ θεότητος, μὴ δὲ συνιδόντες τί τὸ φύσει, καὶ τί τὸ μεθέξει, καὶ πόσον τὸ παρηγμένον τῆς παρακτικῆς αἰτίας καὶ ἀρχῆς ἀπολείπεται. δέδεικται λοιπὸν εἰ καὶ διὰ βραχέων, ἀλλ' οὖν ἱκανῶς τοῖς γε κρίνειν ἐπισταμένοις τὸ ἀληθὲς, ὡς οὐκ ἄλλως πέφυκεν ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ πατρὸς εἰ μὴ δι' υἱοῦ, καθὼς ἐθεολόγισαν οἱ τοῦ πνεύματος.

cumque Pater habet, ſunt Filii, præter ingeniti rationem: omnia quæ habet Filius, ſunt Spiritus, excepta generatione: dedecebatque omnino deficere aliquando aut Filium Patri, aut Spiritum Filio; & unam gloriam Patris agnoſcimus, æqualem cum eo unigeniti honorem; unam Filii & Spiritus gloriam. Neque ſuſtinet Pater Filio privari, neque Filius Spiritu ſancto? *Et ſecundum Magnum Baſilium:* quemadmodum ſe habet Filius ad Patrem, ita Spiritus ad Filium. *Et plane ſecundum divinum Athanaſium:* Eandem unitatem habet Spiritus ad Filium, quam habet Filius ad Patrem.

*Baſilius Magnus.*

*Athanaſ.*

15. *Quid porro impediet aliquando effari, quæ ex altera parte reſpondent? penitus nihil. Sed ſi Filius generatur a Patre, Spiritus per Filium ab eodem Patre procedit, omne abſurdum, atque improbabile longe fit: namque oſtenditur Deus principium, & medium, & finis, per ſeipſum, & per ea, quæ ex ipſo ſunt; & neceſſario Deitas Trinitas. Unum etenim medium ratio novit, quod ſi plura ſupponantur, medium omnino nullum erit.* Propterea unitas in dyadem mota ad Triadem ſtetit. *Sic itaque & principium proprie principium; & quæ ex principio, & in principio erunt, in ſeipſis ſummam unionem, ſummamque conſociationem ſibi & inter ſe vindicantia, & ad principium unam vim indiviſam præſeferentia atque infinitam. Ubi enim medium vere medium eſt, ibi & unum: & ubi unio eſt, ea ſecundum unius participationem gignitur: in tantum namque quæ unita ſunt, uniuntur, in quantum vere unius participant. Hoc & externi ſubobſcure imaginati ſunt. Unde & tria omnia, & ter ubique ſecundum ſummam ac mutuam cohærentiam philoſophantur. Hinc infinitum nonnulli hoc univerſum aſſeverantes, aberrarunt a veritate, cum nullum diſcernerent inter creaturam, & Deitatem diſcrimen, neque caperent, quid ſit id, quod natura, & quid, quod participatione eſt, & quantum quod productum eſt a productrice cauſa & principio differat. Demonſtratum eſt itaque, etſi ſuccincte, abunde nihilominus ei, qui veritatem dijudicare novit, nulla alia ratione Spiritum ſanctum ex Patre procedere niſi per Filium, quemadmodum eodem Spiritu afflati tradiderunt.*

Spiritus a Patre per Filium neceſſario procedit, ut ſervetur Trinitas.

NOTÆ

## NOTÆ AD ORATIONEM PRIMAM NICEPHORI BLEMMIDÆ.

Num. 3. verſ. 1. PLane vox illa inſerta non eſt; nimirum expreſſis & formalibus vocibus : Spiritus ſanctus procedit ex Filio. Cæterum res ipſa ex Evangelio (a) potiſſimum confirmatur, ut docent S. Thomas, & alii.

Num. 5. &c. Græci orthodoxi, qui Spiritum ex Patre per Filium procedere confitebantur ( quibus adſtipulantur Latini, ut ex S. Thoma (b) aliiſque Theologis conſtat ) non omnes dicendi modum, *Ex filio*, admittebant, *quia juxta vim Græcæ linguæ* ait Suarez, (c) atque ex Blemmidæ textu manifeſte apparet, *illa particula, Ex, indicat dimanationem ab aliquo tamquam a primo fonte & principio, in quo ſenſu dicitur Spiritus ſanctus eſſe ex ſolo Patre, quia a Filio non eſt niſi ut habente virtutem a Patre*. Cæterum apud Græcos patres etiam reperiri Spiritum ſanctum a Filio procedere confirmatur ex S. Epiphanii teſtimonio ( ut alios Græcos patres omittam ) quod hac oratione affert Blemmida, (d) qui eum uſurpaſſe ſubdit : *Ex Patre & Filio*; loco, *Ex Patre per Filium*.

Pag. 565. verſ. 3. *Quare aut in utroque, &c.* adiiciendum ex D. Tho. cæteriſque Theologis, Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque immediate procedere, ut ab uno principio (e) & ſpiratore ; a Patre vero per Filium, quia (f) Filius habet a Patre ut ab eo Spiritus ſanctus procedat.

(a) *S. Th. 1. par. q. 76. art. 2. ad 1.*

(b) *S. Th. l. c. art. 3.*

(c) *Suar. 1. par. tract. 3. l. 10. c. 1.*

(d) *Blem. orat. 1. n. 1.*

(e) *S. Th. ubi ſup. art. 4.*

(f) *Id. ib. art. 3.*

Num. 9. verſ. 22. *operatio Filii;* ideſt productionis Filii terminus.

Pag. 567. verſ. 2. *& ipſe*, de Spiritu ſancto loquitur, *ſuæ eſſentiæ cauſam habens*, hoc eſt ipſius perſonæ principium habens.

verſ. 23. *notarum*; corrige notionum. eodem num. p. 567. verſ. 36. *ſine principio*; de principio temporis aperte loquitur.

Num. 11. pag. 568. verſ. 39. *ſeparatur* verſ. 42. *ſejungitur*, hoc eſt diſtinguitur verſ. 41. *cauſam exiſtentiæ ex omnium Deo habeat;* nimirum principium ſubſiſtentiæ ex Patre habeat; Græci enim exiſtentiam loco ſubſiſtentiæ uſurpare ſolent.

Num. 14. verſ. 6. *Hypoſtaſeon inconfuſum & primam cauſam inde nobis inſinuari;* hoc eſt perſonarum diſtinctionem ac principium inde illuſtrari.

Pag. 570. verſ. 16. *Sed quod unus ex una parte eſt, alius in alia, non in ſeipſis confuſi*. Ejuſmodi loquendi modo perſonarum divinarum diſtinctionem exprimit.

### AD ORATIONEM SECUNDAM.

Num. 13. &c. PRoceſſio pro ſpiratione paſſiva, quæ proprietas Spiritus ſancti eſt, frequenter uſurpatur.

Pag. 586. verſ. 19. *Imagini ſervientes*, hoc eſt imagini ſive figuræ nimis præciſe inhærentes.





# INDEX
## IN TOMUM VIGESIMUMPRIMUM ANNALIUM ECCLESIASTICORUM.

### A

ABBAS; uſus annuli & mithræ nonnullis Abbatibus permiſſus, 1244. LIV. Item tunica & dalmaticæ, ſandaliorum & chirothecarum, 1240. XXIV.
Abbatiſſæ, quæ monialium confeſſiones audire, velare, iis benedicere, atque habere conciones præſumebant coercitæ, 1244. LVI.
Abel dux Ericum Regem Daniæ fratrem proditione capit, 1250. XXXVIII. Securi percuti & undis mergi jubet, *ibid.* Prædicta illi ab Erico divina vindicta, *ibid.* A Friſiis occiſus, 1250. XXXIX.
Abenfutus Sarracenorum Rex ab Alfonſo Rege Legionis victus, 1230. XXXII. SS. Jacobus & Iſidorus in eum pugnare viſi, *ibid.*
Abenbutus Rex Maurorum a ſuis occiditur, 1236. LVII.
Abſolutio ab anathemate. *Vide*, Excommunicatio.
Abſtinentia. *Vide*, Jejunium.
Academia Pariſienſis exorta diſſenſione diſſolvitur, 1229. LII. Eam redintegrare ſtudet Gregorius, 1229. LIII. Graviſſimæ ab ipſo Regi Lud. & Reginæ Blancæ eo argumento literæ exaratæ, *ibid.* Vetera privilegia reſtitui juſſa, 1229. LV. Toloſana ab Innocentio IV. ornata privilegiis, 1245. LXXVI. Salamanticenſis a Ferdinando Caſtellæ & Legionis Rege inſtituta, 1239. XLVI. Valentina a Jacobo Rege Arag. condita privilegiiſque ab Innocentio IV. decorata, 1245. LXXVI.
Academia Placentina excitata ab Innocen. IV. privilegiiſque decorata, 1248. LII.
Academia Salamanticenſis inſtaurata ab Alphonſo X. 1255. LII. Pariſienſis encomium, 1255. XXXIX.
Accon deficit a Friderico, 1241. LXXXVII. Henrico Regi Cypri paret, 1246. LII.
Adelaſia Turritana & Galluritana Regina ſupremum ditionis ſuæ dominum Pontificem agnoſcit, 1237. XIX. Principatum, donatione inter vivos edita, ſedi Ap. attribuit, recipitque a legato jure fiduciario, *ibid.* Promulgat devolutum iri ad Eccleſiam ſi ſine liberis legitimis deceſſerit, *ibid.* Ducit virum extincto Ubaldo Entium Friderici filium naturalem, 1238. LXVIII. Contracto anathemate ob initas cum eo nuptias contra Gregorii voluntatem ſolvi poſtulat, 1243. XXIV.
Adolphus Holſatiæ comes fit Minorita, 1244. LIV. Egregium contemptus mundi ab illo editum facinus, *ibid.*
Adria & Penna conjunctæ, inſignitæque epiſcopali ſede, 1252. VI.
Adverſitas; exhortatio egregia Greg. IX. ad præſules in vinculis tentos, 1241. LXVIII. Egregia in rebus adverſis S. Ludovici ſententia, 1251. LI.
Adulatores inanibus oraculis & præſtigiis Fridericum deludunt, 1239. XXVIII.
S. Ædmundus. *Vide*, Eadmundus.
Ægyptus a S. Ludovico magno belli terrore oppugnatur, 1249. II. *& ſeqq.* Poſt expugnatum Peluſium duobus præliis fuſi Ægyptii, 1250. II. III. In noſtros irrumpunt, 1250. IV. Chriſtianos extrema clade delent, *ibid.* S. Ludovicum una cum Alfonſo & Carolo comitibus capiunt, *ibid.* Sæviunt in mortuos, *ibid.* V. Chriſti e cruce pendentis effigiem conculcant, *ibid.* Mirantur conſtantiam S. Lud. *ibid.* VI. Peluſium fruſtra tentant, *ibid.* VII. Soldanum ſuum trucidant, *ibid.* X. De ſalutando S. Ludovico Babyloniorum Rege deliberant, *ibid.* XI. Ob illius ſummam religionem ab eo conſilio deterriti, *ibid.* Recepto Peluſio S. Regem reſtituunt libertati, *ibid.* XII. Concordiæ leges violant, *ibid.* Chriſtianam juventutem in fide conſtantem cædunt, partim ad fidem abjurandam adigunt, *ibid.* S. Ludovici de accepta ab iis clade literæ, *ibid.* XIII. *Vide*, Sarraceni.
Æſculanus comitatus epiſcopo vectigalis traditus a Greg. IX. & quibus legibus, 1231. VIII.
Æſculum a Friderico occupatum, 1242. IV.
In Africa religio propagata, 1237. XXVIII. Alphonſus in eam expeditionem apparat, 1252. XXXII.
Africa; illam invadere cogitat Alphonſus Rex Caſtellæ, 1255. XLIX.
Agnes Wenceſlai Regis ſoror religioſam vitam amplectitur, 1234. XLVIII.
Agnes ſanctæ Claræ ſoror pie moritur, 1253. XIV.
Alaſdracus Sarracenus conjurat in Jacobum, 1254. II. Ob id Sarraceni ad ſexaginta millia bello idonei Valentino regno ejecti, *ibid.*
Alatinus ſive Azatinus ſultanus Iconii oratores & literas ad Gregorium mittit, 1235. XXXVII. Solicitat de ineundo fœdere, *ibid.* XXXIX. Promittit auxilia ad recuperandam Syriam, *ibid.* Illum Pontifex ad fidem Chriſti amplectendam hortatur, *ibid.* XL. Debellatur a Tartaris, 1243. XLVII.
Albania ad Eccleſiæ Romanæ obſequium traducta, 1250. XLIV. Illius epiſcopus Romano tantum Pontifici ſubeſſe juſſus, *ibid.* XLV.
S. Albanus mart. 1243. XLII.
Albericus cum fratre Ezelino patrem hæreticum offert ſe Gregorio vinctum tradere, 1231. XXII. Jubetur pro revocando ab hæreſi parente inſiſtere, ac ni reſipuerit promiſſa perficere, *ibid.* Facta cum Guecillo e Camino conſpiratione Tarviſium occupat,

1239. XXXVII. Ezelini bonis Willelmi Regis juridica ſententia donatur, 1250. XXXVI. XL.

Albericus Ezelini frater ad fidei conſtantiam erga Eccleſiam monitus ab Alexandro IV. 1254. VII.

Albertus dux Auſtriæ ſolicitatur a Greg. ad ultionem expetendam a Frid. prodente rem Chriſtianam, 1229. XXIII. XXIV.

Albertus dux Auſtriæ S. Ludolphum Racemburgenſem epiſcopum morte afficit, 1244. XLIX.

Albertus Stadenſis abjecta abbatis dignitate inſtituta S. Franciſci amplectitur, 1240. XXXII. Quæ eum ad id cauſa permoverit, *ibid.*

Albertus Ruſſiæ Archiepiſcopus A. S. L. ad Danielem Ruſſorum principem miſſus illiberaliter tractatur, 1249. XV.

Albertus notarius miſſus ab Innoc. IV. in Gallias, 1253. II. Agit cum Carolo Andegavenſi comite de Sicilia in eum transferenda irrito conatu, *ibid.* Quæ leges propoſitæ, *ibid.* III. Et cum Richardo Cornubiæ comite, *ibid.* IV.

Albertus Minorita ad Tarviſinum epiſcopatum admittendum adactus, 1255. XVI.

Albigenſes; latæ a Raymundo comite Toloſano adverſus Albigenſes leges, 1233. LX. Gregorii IX. in abolendis Albigenſium reliquiis ſtudium, 1234. XIV. Raymundi zelus ad eos excindendos commendatur, *ibid.* Albigenſes plures in Belgio & Galliis exuſti, 1238. LII. Nonnullæ Albigenſium reliquiæ a Joanne e Bellomonte profligatæ, 1239. LXX.

Albigenſes cenſores fidei crudeliſſime trucidant, 1242. XVII. Horum martyrum conſtantia, *ibid.* Ducenti Albigenſes & amplius ab Amelio archiep. Narbonenſi flammis exuſti, 1243. XXXI. Quæruntur ad ſupplicium juſſu Innoc. IV. 1246. XXXVIII. Aginnenſis epiſcopus, optante Raymundo comite Toloſano ab Innoc. IV. Juſſus eorum reliquias perſequitur, 1248. XXVII.

Albigenſes inſtituti cenſores fidei ad excindendas eorum reliquias, 1255. XXXIII.

Alcoranum Mahumeticæ ſuperſtitionis liber; in eo Mahometes creatorem orbis agnoſcit, 1247. LX. Fatetur miſſum a Deo Moyſem, & Dominum Jeſum prophetico ſpiritu afflatum; Evangelium probat, *ibid.* Ægyptius ex illius lectione perſuadere nititur Sarracenis S. Ludovicum contra fidem datam occidendum, 1250. XII.

Aldrenandinus Eſtenſis marchio filiam Andreæ Regi Ung. in matrimonium collocat, 1235. XXVII.

Alexander II. Rex Scotiæ exercitum in Henricum parat, 1244. XLIII. Pacem mox cum illo init, *ibid.* Vectigalem Henrici ſe profitetur, *ibid.* XLIV. Ejus lit. ad Inn. quibus flagitat concordiæ leges confirmari, *ibid.* Pontifici adverſus Fridericum ſubvenit, 1248. L. Carnium eſum in quadrageſima certis legibus obtinet, *ibid.* LI. Ejus mors, 1249. X. Relinquit filium Alexandrum III. regni Scotici ſucceſſorem, *ibid.*

Alexander III. Rex ſuccedit parenti Alexandro II. 1249. X. B. Margaretæ Reginæ ataviæ reliquias transfert, *ibid.* XI. Capſulæ ſepulcro viri Malcolmi divinitus adhærentis prodigium in ea tranſlatione accidit, *ibid.*

Alexander capellanus pontificius a Gregorio IX. in Sardiniam & Corſicam legatus miſſus, 1237. XVI. Ubaldi Turritani reguli ſacramentum pontificio nomine recipit, *ibid.* XVII. Item Adelaſiæ Reginæ, *ibid.* XIX. Adigit Ubaldum pro ea ditione in verba Pontificis, *ibid.* Item Petrum Arboteæ regulum clientem Apoſtolicæ ſedis, *ibidem.* XX. Eoſdem diſſentientes conciliat, *ibid.* XXI.

Alexander Suſdalienſis in Ruſſia dux invitatur ab Innoc. IV. ad obſequium Rom. Eccleſiæ, 1248. XLI. XLII.

Alexander IV. Reginaldus antea dictus ex epiſc. Oſtienſi ſuffectus Innoc. IV. 1254. I. Illius genus, & patria, *ibid.* Divina providentia pontificatui reſervatur, 1254. I. Ejuſdem animi dotes, *ibid.* II. Præſules de adepto gradu certiores facit, *ibid.* Oblatæ dignitati ſe ſubducere tentavit, *ibid.* IV. Cur illius electio ocyus expedita ſit, *ibid.* VI. Caſſinenſis monaſterii jura confirmat, *ibid.* VIII. Genuenſes donat immunitatibus, *ibid.* Octavianum Card. legatum adverſus Manfredum creat, 1255. II. Confert Siculi regni munera, *ibid.* Bertholdum marchionem & fratres auget beneficiis, *ibid.* III. Tentat mollibus viis Manfredum ad officium revocare, *ibid.* III. Vocat in judicium, ſed ſuperbe ſpernitur, *ibid.* Iniquas a legato initas leges cum hoſte reſpuit, *ibid.* VIII. Edmundum Regis Angliæ filium ad Siculam coronam vocat, & quibus legibus, *ibid.* IX. Philippum archiepiſc. Ravennatem legatum creat adverſus Ezelinum, *ibid.* X. Jubet ſacrum illi bellum indicere, *ibid.* XII. Mediolanenſes diſſidentes conciliare nititur, *ibidem*, XIV. Bergomenſes ad partes eccleſiæ traductos abſolvit, *ibid.* Mantuanos ob Pigugnagiam eccleſiæ ereptam cenſuris percellit, *ibid.* XV. Præſules electos excurrente ſemeſtri ſacrandos lege ſancit, *ibid.* XVI. Pios viros ad epiſcopatus evehit; legatum in Sardinia creat, *ibid.* XVII. Pia opera exercet, *ibid.* XVIII. Celebritatem in xenodochio S. Spiritus inſignem confirmat, *ibid.* XIX. Meretrices a flagitio abductas tuetur, *ibid.* XX. Claram ſanctarum virginum catalogo adſcribit, *ibid.* XXI. De miraculis Auguſtini Nidroſienſis archiepiſcopi inquiri jubet, *ibid.* XXV. Deque aliis patratis a Nicolao Regis Canuti filio, *ibid.* XXVI. De Stigmatibus S. Franciſci teſtimonium publicum præſtat, *ibid.* XXVII. Leges in hæreticos diſtringit, *ibid.* XXXI. Dubia circa eas exorta illuſtrat, *ibid* XXXII. Ad reliquias Albigenſium perdendas creat fidei cenſores, *ibid.* XXXIII. Item alios in Galliis ad preces S. Ludovici, *ibid.* XXXIV. Tuetur Prædicatores & Minoritas contra Pariſienſium academicorum calumnias, *ibid.* XXXVIII. Primatum Armachanæ eccleſiæ in Thuamenſem adjudicat in Hibernia, *ibid.* XL. Bituricenſi in Burdegalenſem in Aquitania, *ibid.* XLI. Exornat S. Ludovicum pluribus privilegiis, & Carolum fratrem & alios, *ibid.* XLVII. Alfonſum adulterum Regem Luſitaniæ in judicium vocat, *ibid.* XLVIII. Creat Marrochitan. epiſcop A. S. L. ad Hiſpanos cruce inſigniendos pro invadenda Africa, *ibid.* XLIX. L. Ad preces Alfonſi Regis Caſtellæ & Legionis Salamanticenſem academiam privilegiis ornat, *ibid.* LII. Favet Alfonſo Regi Caſtellæ repetenti Sueviæ ducatum; proceres Colonienſem archiepiſcopatum infeſtantes cenſuris percelli jubet, *ibid.* LV. Donationem a Boleſlao duce Cracovienſi eccleſiæ factam confirmat, 1255. LVI. Permittit Lituaniæ Regis filio, ut a catholico præſule regiis ornamentis decoretur, *ibid.* LVII. Ruſſiam Mendoco Regi Lituaniæ attribuit, *ibid.* LVIII. Sacrum bellum in Lituanum apoſtatam, & barbaros in Poloniam irrumpentes promulgari

gari



gari jubet, *ibid.* LIX. Rigenſi archiepiſcopo præcipit imponere epiſcopum Watlandiæ, Ingriæ, & Careliæ, *ibid.* LXII. Item aliis paganis converſis præficere, *ibid.* LXIII. Rigam ſede archiepiſcopali exornat, *ibid.* LXIV. Jacobum archidiac. Leodienſem patriarcham Hieroſolym. creat, *ibid.* LXVI. Rebus Terræ ſanctæ conſulit, *ibid.* LXVII. De ſuſtentandis ſtipendiariis copiis conſilium init, *ibid.* LXXI. LXXII. Proſpicit Conſtantinopolitano Imperio, *ibidem.* LXXIV. Principes electores ad ſtrenuum Regem Romanorum, cæſo Willelmo, ſubrogandum monet, 1256. III. Conradinum eligi vetat, *ibid.* V. Anathema id auſuris intentat, *ibid.* VI. Boleſlaum ducem Sileſiæ ob conjectum in vincula Wratiſlavienſem epiſc. imperat cenſuris percelli, *ibid.* X. Jentuoſos baptiſmalibus ſacris initiari jubet, *ibid.* XIV. Cruceatam expeditionem contra Pruthenos barbaros indicit, *ibid.* XV. S. Staniſlai reliquias transferri jubet, *ibid.* Tuetur libertatem eccleſiaſticam in Polonia, in Germania & in Galliis, *ibid.* S. Ludovicum prærogativis exornat, *ibid.* XVII. Tuetur religioſos adverſus doctores Pariſienſes, *ib.* XIX. Guillelmi e S. Amore librum, alioſque libros hæreticos damnat, *ibid.* XX. *& ſeqq.* Indulgentias impertitur ſtipem erogaturis ad S. Sylvani eccleſiam perficiendam, *ibid.* XXIV. De miraculis Richardi epiſc. Ciceſtren. jubet inquiri, *ibid.* XXV. Roſtannum legatum in Angliam mittit, *ibid.* XXVII. Reginam Angliæ ob Sabaudiæ comitem avunculum a Taurinenſibus in vincula conjectum mœrentem ſolatur, *ibid.* XXIX. Illorum bona occupari jubet, *ibid.* Siciliæ utriuſque præcipuas urbes amittit, *ibid.* XXX. XXXI. Regis Angliæ promiſſis deluſus male rem Siculam agit, *ibid.* XXXIV. Extrahit Anglo numerandi militi ſtipendii tempus, *ibid.* Evaneſcunt datæ ſpes, *ibid.* XXXV. Legati Apoſt. ſedis opera Patavium Ezelino eripit, 1256. XXXVIII. Angelum patriarcham Gradenſem creat, *ibid.* XL. Ornat pluribus privilegiis, *ibid.* XLI. Religioſos viros beneficiis multis donat, *ibid.* XLIV. Vaga eremitarum ſodalitia in unum Auguſtinianum cogit, *ibid.* Fideles ad ſacrum bellum pro tuenda Syria accendi jubet, *ibid.* XLV. Divinum cultum in ſepulcro Domini auget, *ibid.* XLVI. Joppenſis comitis inopiam levat, *ibid.* Urbevetanum epiſcop. legatum ad Græcos pro tractanda eccleſiarum conjunctione mittit, *ibid.* XLVII. *& ſeq.* Quid ad petita Græcorum reſponderit, *ibid.* LI.

Alexander Scotiæ Rex ſocerum in Anglia inviſit, 1256. XXVI.

Alfonſus Caſtellæ Rex Africam invadere meditatur, 1255. XLIX. Religionem amplificat in Hiſpania, *ibid.* LI. Salamanticenſem academiam inſtaurat, *ibid.* LII. Sueviæ ducatum materno jure repetit; ſed fruſtra, *ibid.* LIII. Solicitatur ab Alex. ut Terræ ſanctæ fulciendis rebus det operam, *ibid.* LXVIII. Abductus a prudenti oratore, ne Aquitanorum turbis ſe implicaret, 1256. XXVIII.

Alfonſus Portugalenſis dux Luſitaniam vectigalem Ap. ſedi conſtituit, 1253. XXXV.

Alphonſus Rex Legionis una cum Fernando filio in Sarracenos ſigna movet, 1229. LVII. Vetat judicibus ulla dona accipere, ipſiſque ampliſſima ſtipendia ſuppeditat, *ibid.* Abenſutum præpotentem Sarrac. Regem vincit, 1230. XXXII. Emeritam aliaſque urbes Sarracenis eripit, *ibid.* In ipſius acie SS. Jacobus & Iſidorus contra infideles pugnaſſe crediti, *ibid.* Pie moritur, *ibid.* XXXIII. Regnum Legionis Ferdinando filio Caſtellæ Regi relinquit, *ibid.* XXXIV.

Alfonſus Ferdinandi Regis Caſtellæ major natu filius expeditionem parat in Sarracenos, 1246. XL. Queritur Sanctium Luſitaniæ Regem ab Alphonſo comite Bononiæ pelli, *ibid.* XLI. Quid ei a Pontifice reſponſum, *ibid.* XLII. Datæ eo argumento ad ipſum aliæ literæ, 1247. XVIII. Deſiderius ad rem inquirendam in Luſitaniam miſſus, *ibid.* Solicitatur ab Innocentio ad eccleſias ereptas Sarracenis locupletandas, 1248. XLVII. Cenſuræ a Luſitanis præſulibus in ipſum ob invaſam Luſitaniam latæ diſſolvuntur, *ibid.* XLVIII. Aſiaticæ profectioni audita S. Ludovici clade ſe devovet, 1250. XXVII. Solicitat Henricum Anglorum Regem, ut ſecum arma adverſus Sarracenos Aſiaticos conjungat, 1251. XXVI. Illius conſilia morte Ferdinandi patris abrupta, *ibid* Africanæ expeditioni incumbit, 1252. XXXII. Ineundi cum aliis Africæ Sarracenis Regibus fœderis poteſtas data, *ibid.* Propoſitæ illius ſigna ſecuturis indulgentiæ, 1253. XLIV. 1254. XXIV.

Alfonſus Jacobi Regis Aragoniæ filius ex illegitimo matrimonio natalium dignitate ornatur, ut ſceptro paterno ſuccedat, 1253. XXXV.

Alfonſus Bononiæ in Galliis comes Sanctium fratrem Regem Luſitaniæ apud Innoc. accuſat matrimonium vetitum contraxiſſe, 1245. X. Obſcuris artibus ad regnum nititur, *ibid.* Ob Sanctii ſocordiam regni adminiſtratio illi commiſſa ab Innocentio IV. *ibid.* LXVII. Regio nomine abſtinere juſſus, *ibid.* Ea de re ad Luſitanos lit. *ibid.* LXVIII. Pellit regno fratrem Sanctium, *ibid.* LXXII. Queritur ea de re Ferdinandi Regis Caſtellæ filius, 1246. XLI. Quid reſponderit Innocentius, 1247. XVIII. Deſiderius in Luſitaniam ad rem iuquirendam a Pontifice miſſus, *ibid.* Audito S. Ludovici cladis nuntio bello ſacro ſe devovet, 1250. XII.

Alfonſus Pictaviæ comes S. Ludovici frater transmarinæ expeditioni ſe devovet, 1248. XXXI. Toloſanus comitatus uxoris jure ad eum devolutus, 1249. VIII. Una cum ſancto Ludovico capitur, 1250. IV. Liberatur & mittitur in Gallias, *ibid.* XIII. Solicitatur ab Innoc. ad ducendam in Syriam expeditionem, 1253. XLIX.

Alfonſus Luſitaniæ Rex adulter & ingratus in M. comitiſſam Boloniæ, 1255. XLVIII.

Alhamar Rex Sarracenor. a matrona Chriſtiana, quæ feminas armari juſſit, propulſatus, 1239. XLVI.

Alienora Raymundi Berengarii comitis Provinciæ filia Henrico Regi Anglorum nuptui tradita, 1236. XLIX.

Alienora Ferdinandi Regis Caſtellæ filia Eduardo Henrici III. Angl. Regis filio matrimonio juncta, 1254. XXIV.

Alifani beneficiis ab Innoc. IV. exornati, 1254. LXIV.

Almanſor Rex Sarracenus, 1236. LIX.

Altaria; Ara princeps Lugdunenſis eccleſiæ ab Innoc. IV. conſecrata, 1247. LXXXV.

Alvernus mons; in eo S. Franciſcus ſtigmata impreſſa habuit, 1255. XXX. Incoli a nonnullis piis Franciſcanis juſſus, *ibid.*

Ambitio fraterno ſanguini non parcit; exemplum in Abele fratrem Ericum Regem Daniæ ſecuri feriente, 1250. XXXVIII. Dum aliena affectat, ſua amittit; exemplum in Friderico II. qui dum pontificiæ ditionis loca aliqua invadit, plura regna magna ex parte amittit, 1246. LII.

Ambitionem religioſorum dignitates affectantium





tium

tium Innoc. IV. coercet, 1252. XXXIV. *Vide*, Superbia.

Ambroſius Minorita clarus miraculis, 1240. XXII. De eo in ſanctorum numerum referendo agitat Greg. IX. *ibid.* Et Innocentius IV. 1250. XLIX. Iterumque anno, 1252. VII.

Amicorum morientium anguſtias viri ſancti etiam abſentes ſentiunt, ut S. Lutgardes in obitu B. Jordani, 1236. XXX.

Amor divinus; egregia S. Lud. in adverſo caſu de amore divino ſententia, 1251. LI. Objectum Yvoni Prædicatori cœleſte viſum ut divini maxime amoris intuitu Deo obſequentes ſimus, *ibid.* L.

Amor parentum in filios divino poſtponendus; egregium illius exemplum in S. Hedwige, 1241. X. In Regina Blanca, 1252. XXIX.

Amor coniugalis etiam poſt mortem; exemplum inſigne in tranſlatione S. Margaretæ Scotiæ, 1249. XI.

Amor Regis erga ſuos in S. Ludovico cum ſuis extremum periculum ſubeunte, 1250. IV.

Amor erga proximum, pauperes, inimicos. *Vide*, Charitas. Eleemoſynæ.

Anathematis forma lati in hæreticos, 1231. XIV. *&. ſeq.* In Fridericum II. 1239. II. *& ſeq.* In plures Eccleſiæ perſecutores, *ibid.* XXXVII. Promulgati ab Anglis præſulibus in legum in charta magna, ut ajunt, contentarum violatores, 1253. XXXVIII.

Andreas frater Regis Ungariæ; de S. Elizabethæ ipſius filiæ miraculis inquiritur, 1232. IX. Corripitur a Pontifice pati ſegniter infideles in regno invaleſcere regnumque male adminiſtrari, 1232. XII. Conſtitutionem ad componendum regni ſtatum edit, *ibid.* XIII. XIV. Illam contemni patitur, *ibid.* XIX. Ob id & alia interdicto Ungaria percellitur, *ibid.* XX. Flagitat a Gregorio IX. legatum mitti in Ungar. 1233. LI. Sacramento ſe illi devincit, compreſſurum infideles atque eccleſias ſublevaturum, *ibid.* LII. Liberatur jurejurando de non repetendis regiis juribus, *ibid.* LIV. Inſtat apud Greg. ut Lucam archiepiſc. Strigonienſem in ſanctorum numerum referat, *ibid.* Vaſtat Auſtriam, pacemque init, *ibid.* LVI. Ob non ſarcita eccleſiarum damna anathema contrahit, 1234. XXXVI. Gregorii ad illum literæ, ut ad officium ipſum pelliceat, *ibid.* XXXVII. Prorogat illi Gregorius tempus ſolvendorum quæ debebat eccleſiis, 1235. XXVI. Beatricem Eſtenſis marchionis filiam uxorem ducit, *ibid.* XXVII. Gravidam moriens relinquit, *ibid.* Ex ea Stephanus poſthumus in Germania naſcitur, *ibid.* Succedit in Ungariæ regno Bela natu major, *ibid.*

Andria a Manfredo oppreſſa, 1251. XLIII.

Angelus Theodorus Comnenus. *Vide*, Theodorus.

Angelus patriarcha Gradenſis creatur, ac magnis privilegiis decoratur, 1256. XL.

Angelus Michael deſpota Oetoliæ & Epiri princeps circumventus a Theodoro Imp. 1256. LX. Deſciſcit a Theodoro, *ibid.* Cum Manfredo Siciliæ tyranno fœdus init, *ibid.*

Angli in Lugdun. concilio queruntur Joannem Regem ipſis invitis regnum vectigale ſubjeciſſe Apoſt. ſedi, 1245. V. Repelluntur ab Innoc. IV. *ibid.*

Anibaldus ſenator Rom. graviſſimas leges fert adverſus hæreticos, 1231. XVI.

Annibal de Capua archiepiſc. Neapolitanus Innocentii IV. epitaphium inſcribit, 1254. LXXIV.

Annulus; de annulo conjugali egregium piæ mulieris facinus, 1251. XIII.

Annulo inveſtitus principatu Tarentino Manfredus, 1254. LVIII.

Antiocheni ſæpius a Turchemannis fuſi, 1246. LI. Tartaris vectigal pendunt, *ibid.* LIV.

S. Antonius Patavinorum patronus piiſſime moritur, 1231. XXXIII. Morituro Chriſtus apparet, *ibid.* Extremam unctionem non ſpernit, ut mentiuntur Novatores, *ibid.* Fulget miraculis, 1232. XXXIII. Annumeratur ſanctorum catalogo, *ibid.* XXXIV.

Aqua vino miſcenda in ſacrificio miſſæ, 1254. VII. An frigida vel calida non refert, *ibid.*

Aquila in Alexandri IV. fide conſtantiſſima, 1256. XXXVIII.

Aquiſgranum a Willelmo Rege Rom. obſidione capitur ut corona redimiri poſſit, 1248. XIV.

Aquitania; Roſtannus in eam legatus miſſus ab Alexandro, 1256. XXVII. Turbis civilibus tumet & in Henricum Regem Angliæ, *ibid.* XXVIII.

Arborea Sardiniæ provincia ſedis Apoſtolicæ vectigalis, 1237. XX.

Arelatum in Frideric. II. rebellat, 1240. XX. Ad ejus obſequium redit, 1250. XXXI.

Aretini Friderici metu ſe illi ſubiiciunt, 1240. III.

Aretinus epiſcopus crudeliſſime a Friderico interemptus, 1248. XX. Illius conſtantia, *ibid.* XXI. Ejuſdem corpus multo poſt mortem tempore non fœtet, *ibid.* Miraculis clareſcit, *ibid.* XXII.

Armachanus archiep. in Thuamenſem provinciam primatum obtinet, 1255. XL.

Armenia; Armeniæ Rex Tartarorum vectigalem ſe conſtituit, 1246. LIV.

Armeniæ Catholicus ſe a patriarchæ Antiocheni obſequio ſegregat, 1238. XXXIV. Inquiri in ipſum jubet Gregorius IX. *ibid.* Probæ Armenorum conſuetudines confirmatæ a Gregorio, 1239. LXXXII. Tranſmiſſum ab eodem ipſorum Catholico pallium, *ibid.* LXXXIII.

Arnaldiſtæ hæretici anathemate damnati, 1231. XIV. Latæ in eos a ſenatore Romano leges, *ibid.* XVI.

Arnoldus S. Juſtinæ abbas inſignis ſanctitate vir moritur in carceribus Ezelini, 1255. XIII. Oſtenſa in cœlo ſigna ſub ejus obitu, *ibid.* Ipſius corpus corruptionis expers, *ibid.*

Arrogantia. *Vide*, Ambitio. Superbia.

Arſenius patriarcha Græcorum Manueli ſubrogatur, 1256. LVII.

Aſanes Calojoannis filius bello appetitur contra fidem acceptam a Theodoro Comneno, 1229. L. Illius ſacramentum ſignis militaribus præfert, *ibid.* Parva manu ingentes copias delet, *ibid.* Clementer ſe gerit in victos, *ibid.* LI. Theodorum nova molientem obcæcat, *ibid.* Ducta illius filia in uxorem ad recuperandum principatum dimittit e carcere, 1232. LV. Solicitatur a Vatacio de ineundo fœdere in Conſtantinopolitanos, 1233. XV. Ingentem vaſtitatem infert Latinorum terris, 1235. LI. Cum Vatacio obſidet Conſtantinopolim, *ibid.* LIII. Exiguis copiis profligatur, *ibid.* Jubetur a Strigonienſi archiep. defigi anathemate, ni ſe a Vatacii ſocietate divulſerit, 1236. LXVII. Paret, filiamque Vatacii filio deſponſam aſtu rapit, *ibidem.* LXVIII. Latinis ſe coniungit, 1237. LXIX. Petit mitti legatum in Bulgariam, *ibid.* Peruſinus epiſcopus mittitur, ipſique commendatur a Pontifice, *ibid.* LXX. Tzurulum cum Latinis obſidet, *ibid.* LXXIV. Solvit obſidionem deſciſcitque ad Græcos, 1238. V. Qua ſuperſtitione a Latinis defecerit, *ibid.* Ipſius regnum a Gregorio ob nefandas hæreſes Belæ Regi Ungariæ occupandum exponitur, *ibid.* VI. Quæ a Pontifice ob id

Bela



Bela poſtularit, *ibid.* XII. Crucefignatorum expeditio in Aſanem promulgata, *ibid.* XVIII. Crux exercitui præferenda, *ibid.* XIX. Veniente Balduino ex occidente cum exercitu jungit cum ipſo fœdera, *ibid.* XXIX. Moritur, ſucceditque ipſi Callimanus ſive Colmannus, 1245. XI.

Aſſaſinorum vel Arſacidarum princeps ſicarium ad trucidandum S. Ludovicum ſubmittit in Gallias, 1236. XLVI. Pœnitens ſceleris alios, qui periculi Regem moneant, mittit, *ibid.* Expoſtulat per legatos ſibi ab illo aliorum Regum more munera non mitti, cum invito ipſo diutius ſupereſſe vitæ non poſſent, 1251. L. Superba verba mutat, atque S. Ludovici amicitiam ambit, *ibid.* Gloriatur ſe Regum mortem in ſuis manibus circumferre, *ibid.*

Aſſiſinates ab Innoc. III. ob fidem commendati, 1240. VII.

Aſtrologia; Fridericus inanibus aſtrologorum aſſentationibus deceptus orbem domiturum gloriatur, 1239. XXVIII.

Avaritia; divina in avaros animadverſio &c. 1234. XXI. *& ſeqq.*

Ave Regina cœlorum Kinga ſeu Kunegunde Ungariæ Regis Belæ filia primum in lucem edita profert, 1239. LXVIII.

Avenionenſes in obſequium Friderici II. redacti, 1250. XXXI.

Auguſtinianis forma habitus præſcripta ab Innoc. IV. 1233. XLVII. Eximuntur a Pontifice ne baculum geſtare teneantur &c. 1253. XLVIII.

Auguſtinus Nidroſienſis archiep. miraculis clarus, 1241. XLI. Juſſu Gregorii IX. de ſanctitate illius vitæ & miraculis inquiritur, *ibid.* XLII. Et Innocentii IV. imperio, 1246. XXXV. Iterum res agitata, 1250. L.

Auguſtinus epiſcopus Nidroſienſis opinione ſanctitatis illuſtris, 1255. XXV. De illius miraculis inquiri jubent Innoc. IV. & Alex. IV. *ibid.*

Auſteritas vitæ in S. Hedwige, 1243. XXXVIII. S. Ludovicus inter regias delitias ciliciis carnem affligit, 1252. LVI. *Vide*, Pœnitentia.

Auſtria ab Andrea Ungar. Rege vaſtata, 1233. LVI. Ad Othacherum Regem Bohemiæ devolvitur, 1253. XXIII.

Anximates ob defectionem ad Fridericum epiſcopalis ſedis dignitate exuti, 1240. V. 1241. XLV.

Ayliſia Regina Cypri & Hieroſolymitani regni domina, 1246. LII. Morienti ſuccedit filius Henricus, *ibid.*

Aymo Minorita miſſus cum aliis a Greg. IX. ad Germanum Græcorum patriarcham, 1233. V.

Azyma; Sacramentum in azymo & fermentato confici poteſt, 1233. IV.

# B

BAbylonius ſultanus Choraſminos a Tartaris pulſos ſuis ſedibus immittit in Chriſtianos Syros, 1244. I. Ob initam a Chriſtianis cum ſultanis Damaſci & Crachi adverſus ipſum ſocietatem fuerat irritatus, *ibid.* Hieroſolymas occupat nunquam hactenus a Chriſtianis recuperatas, *ibid.* VI. Babylonii ſultani ad Innocentium IV. lit. 1247. LVII. Qui honorum tituli ab eo Pontifici dati, *ibid.* Superſtitionis ſuæ rationem reddere nititur, *ibid.*

Badalocium ab Alfonſo Rege Legionis Sarracenis eripitur, 1230. XXXII. Sedes epiſcopalis illi a Greg. IX. reſtituitur, *ibid.* XXXVI.

Bajothnoi Tartarorum in Perſide princeps, 1247. LXXVIII. Religioſi ad eum viri tranſmiſſi quid egerint, *ibid.* Quem cultum a nuntiis apoſtolicis exigeret, *ibid.* LXXIX. Capitali ſententia illos damnat, *ibid.* LXXX. Superbæ illius ad Pontificem literæ, *ibid.* LXXXII. Cur male nuncios receperit, 1248. XXXVI.

Balduinus II. in ætate imbecilli ſuccedit Roberto, 1229. XLVI. Joannis Regis Hieroſolymitani filiam accipit uxorem, *ibid.* Quibus legibus transfuſum fuerit Imperium in Joannem, *ibid.* XLVII. At Joannes genero Imperatoris nomen reliquiſſe Cæſareo contentus aſſeritur, *ibid.* XLVIII. Obſidetur Conſtantinopoli ab Aſane Bulg. & Vatacio Græc. Imp. 1235. LIII. Liberatur obſidione a Joanne ſocero, *ibid.* Depreſſis Conſtantinopolitanis rebus ab Ungaris Galliſque auxilia ei ſubmitti jubet Greg. IX. 1236. LXIX. Poſt Joannem Regem Hieroſol. eundem Imp. capeſſit Imperium, 1237. LXXVII. Ab eodem anno numeranda ejus imperii tempora ex pontificiis literis, *ibid.* Adeo a Vatacio urgetur, ut in occidentem auxilia quæſiturus ſe conferat, *ibid.* Britanniæ comes exercitum in illius auxilium adducit, 1238. II. Attributa a Gregorio IX. Balduino tertia vectigalium eccleſiaſticorum pars in Græcia, *ibid.* III. Cephalonis & Hyacinthi comes ad ferendam opem excitatus, *ibid.* IV. Admonetur a Gregorio Papa ut Belæ aggreſſuro Bulgariam ſua in illam jura dimittat, *ibid.* X. In Angliam ſe confert, *ibid.* XXI. Spineam Domini coronam, aliaſque reliquias ad conficiendas pecunias oppignerat, *ibid.* Si quod ab ipſo extorqueretur ſacramentum robore cariturum decernitur a Pontifice, *ibid.* XXVII. Terreſtri itinere Conſtantinopolim petit, *ibid.* XXVIII. Jungunt ſe illi fœdere Bulgari, *ibid.* XXIX. Tzurulum obſidione capit, *ibid.* Navali prælio Græcos ducum opera vincit, *ibid.* XXX. Commiſſa Rhemenſi archiepiſcopo provincia, ut illius in Galliis & Imperio jura tueatur, 1239. LXXVII. Quærente Rege Theobaldo ſubſidia nonnulla Terræ ſanctæ addicta in Conſtantinop. Imperii ſuccurſum derivari, rem excuſat Gregor. IX. *ibid.* LXXIX. Imperiali inunctione delinitur, 1243. XLV. Helenæ Regis Demetrii nepti Theſſalonicenſis regni jura confirmat, *ibid.* Oppreſſus a Vatacio confugit ad Fridericum, *ibid.* XLIX. Inducias annuas illius opera obtinet, *ibid.* Pro concilianda inter Fridericum & Pontificem concordia in Italiam venit, 1244. XVI. Intereſt concilio Lugdunenſi, 1245. XXV. Operam dat ut auxilia pro Imperio Conſtantinop. decernantur, *ibid.* XLVIII.

Baleares inſulæ a Jacobo Aragon. Rege Sarracenis ereptæ, 1230. XXXVII. Divina maxime virtute parta victoria, *ib.* XXXVIII. Balearium minima ab eodem Rege expugnata, 1234. LII.

De Baptiſmo Græco ritu collato quid cenſuerit Gregorius IX. 1231. XXVIII. Unctio toto baptizandorum corpore allini ſolita a Græcis tolli juſſa ab Innoc. IV. ſi ſine ſcandalo poſſit, 1254. VII. Conſulenti Nidroſienſi archiepiſc. negat Gregor. cereviſia poſſe conferri, 1241. XLII.

Barolum a Manfredo ſubactum, 1251. XLIII.

Bartha major Chriſtiano Imperio adjuncta, 1254. XXIX.

Baſilius Imp. Bulgaroctenus appellatus, 1229. LI.

Batatzes. *Vide*, Joannes Ducas.

Beatrix Provinciæ comitis filia Carolo Andegaviæ comiti dotalem Provinciam affert, 1234. XVII.

Beatrix Regina Caſtellæ excitatur a Gregor. IX.

IX. ad imitandam B. Elizabetham, 1235. XXIV.

Beatrix Aldrenandini marchionis Eſtenſis filia nubit Andreæ Regi Ungariæ, 1235. XXVII. Gravida ab eo moriente relinquitur; privigni metu mutato habitu in Germaniam fugit paritque filium Stephanum, *ibid.*

Beccus. *Vide*, Joannes Beccus.

Bela IV. monetur a Gregor. IX. ut Walachos ſchiſmaticos coerceat, 1234. XXXVIII. Adducat ipſos ad obſequium Eccleſiæ, *ibid.* XXXIX. Condat eccleſiam in Cumania, *ibid.* Illius ſacramentum quo ſe ad oppugnandos hoſtes Eccleſiæ devinxit, *ibid.* XL. Andreæ parenti ſuccedit, 1235. XXVII. Illius metu noverca in Germaniam fugit, *ibid.* Rogatur a Gregorio IX. ut Conſtantinopolitano Imperio laboranti auxilium ferat, *ibid.* LIII. Arguitur ad bona eccleſiarum occupata, 1236. LXVI. Solicitatur ad ferenda Conſtantinopolitano Imperio auxilia, 1237. LXXI. Bulgaria illi occupanda exponitur a Greg. IX. 1238. VI. Legati Apoſt. dignitate ornari, nonnullaque alia flagitat, *ibid.* XII. Quid reſponſum a Gregorio, *ibid.* XVII. Ipſius exercitui crucem præferri permittitur, *ibid.* XIX. Rogatur a Pontifice, ut venienti Balduino aditum in Græciam det, *ibid.* XXV. Significante illo cupere Vatacium ad Eccleſiæ Rom. conjunctionem redire poſtulat Pontifex inquirat, ut Græci cavere ſecuritati velint, 1240. LI. Kingam filiam Boleſlao duci Cracoviæ nuptui dat, 1240. LXVIII. ut illa magno miraculo naſcens ſacrum hymnum repetierit, virginitatemque tota vita coluerit, *ibid.* Urgetur Bela a Pontifice, ut præſules ad indictum concilium mittat, 1241. L. LI. Comitia Budæ celebrat, ut parent ſe in Tartaros Ungari, 1241. XVII. Baty Tartarorum dux immenſo cinctus exercitu Palatinum fundit, *ibid.* Cruceſignatorum in Tartaros expeditionem promulgari jubet Gregor. IX. Belæque ad eos propulſandos animos addit, *ibid.* XVIII. XIX. Bela cum fratre Colomano Rege profligatur, *ibid.* XX. Tribuit ipſius inertiæ cladem Ungariæ Fridericus Imp. *ibid.* XXII. In Illyricum fugit, *ibid.* XXIII. XXVI. Condolet illius cladi Pontifex, *ibid.* XXVII. Bela ſupremum Ungariæ dominium, retento ſibi fiduciario, Friderico pollicetur, ſi ab eo regno fuerit reſtitutus, *ibid.* XXXII. Deeſt illi Fridericus poſt jactata promiſſa magnifica, *ibid.* XXXII. Patriarchæ Aquilejenſis opera Fridericum urget, ut ſe in regnum reſtituat, 1242. VI. Strigonium a Caydano ſibi ereptum amittit, *ibid.* VII. Quacunque fugiat illum Tartari inſequuntur, *ibid.* Recedentibus Tartaris regnum paulatim recuperat, *ibid.* VII. Ab Innoc. IV. auxilia poſcit adverſus Tartaros, 1243. XXXVI. Pontifex Germanis in eos arma correpturis indulgentias proponit, *ibid.* XXXVI. XXXVII. Declarat Pontifex dato Friderico fidei ſacramento non teneri, 1245. LXXXI. Formidanti Tartarorum irruptionem auxilia pollicetur Innocentius, 1247. XXVI. Fridericum ducem Auſtriæ in prælio cædit, *ibid.* Hortatur Willelmum Regem Pontifex ut Belæ contra Fridericum exauctoratum, Auſtriam ſubiicere meditantem, auxilio ſit, *ibid.* Commendatur ab Innoc. ob exagitatos Boſniæ hæreticos, *ibid.* Studet Vatacium ad Eccleſiæ conjunctionem adducere, *ibid.* XXVII. Gratulatoriæ Innocentii ea de re lit. *ibid.* Proponit Innocentio Fridericum pactis non ſtetiſſe, atque adeo Ungariam Imperio vectigalem non ſubiiciendam, 1245. LXXX. Ut Tartari ob mortem Octoday Imp. abſceſſerint Ungaria, *ibid.* LXXXI. Crudele bellum cum Bohemorum Rege Wenceſlao pro Auſtria retinenda gerit, 1253. XXVIII. Cum Othachero Rege Bohemiæ, 1254. XXXII. Concordiam init, *ibid.* XXXIII. Stiriam relicta illi Auſtria ſibi aſſerit, *ibid.*

Bellum inter Gregorium IX. & Fridericum, 1229. XXXII. Manfredum inter & Innocentium IV. 1251. VI. 1254. LXIX.

Bellum Latinorum in Vatacium, 1233. V. 1238. I. Cum Bulgaris, 1235. LI. *Vide*, Calojoannes Aſanes.

Bellum Mediolanenſium cum Friderico, 1236. XI. 1237. VII. VIII. *Vide*, Theodorus Angelus Comnenus. Frider. II. bellum infert Inſubribus, 1236. XII. 1238. LXXI. Parmenſibus, 1247. X. Pontifici, 1239. XXXIII.

Bellum Tartarorum in Scythas, 1240. XL. In Polonos, 1241. I. In Bohemos, *ibid.* XII. In Ungaros, *ibid.* XVI. In Sarracenos, 1247. LXV. S. Ludovicus adverſus Theobaldum Campaniæ comitem movet bellum. *Vide*, Theobaldus. Adverſus Britanniæ comitem, 1229. LVI. Et Angliæ Regem, 1230. XXXI. 1242. XIII. Et Marchiæ comitem, 1242. XII. Et Sarracenos in oriente, 1249. II. Florentinorum bellum cum Senenſibus, 1233. XXXV. Et Piſanis, 1252. V. Bellum Bohemicum civile inter Othacherum, & Premiſlaum, 1248. IX. Inter Belgas & Batavos, 1253. VII. Inter Premiſlaum Bohemum & Belam Ungar. Regem, 1253. XXVIII.

Bellum ſacrum in Albigenſes alioſque hæreticos, 1233. XLI. In Pruſſos, 1230. XXIII. 1234. XLIV. 1243. XXXII. In Sarracenos. *Vide*, Damiata. Terra ſancta. Alfonſus Rex Legionis. Ferdinandus, ſeu Fernandus Rex Caſtellæ. Jacobus Rex Aragonum.

Bellum ſacrum. *Vide*, Terra ſancta.

S. Benedictus ut Caſſinenſe monaſterium condiderit, 1231. XXV. Ut excindendum inſtaurandumque præviderit, *ibid.* XXVI. De iis S. Zachariæ Papæ diploma a Greg. IX. confirmatum, *ibid.*

Benedictus Terraconenſis archiepiſcopus, 1254. LXXIII.

Benedictini Caſſinates ornantur privilegiis a Greg. IX. 1231. XXIV. Caſſinenſis monaſterii primordia ex S. Zachariæ Papæ diplomate, *ibid.* XXV. De illius excidio & inſtauratione, *ibid.* XXVI. Benedictinis datum privilegium a S. Stephano Ungar. Rege, 1232. XXIV. Niſi anno vigeſimo ætatis vota nuncupare vetiti, 1238. XL.

Beneficia. *Vide*, Sacerdotia.

Beneventum a Friderici ducibus obſidione cingitur, 1240. XVII. Expugnatur, 1241. XLVI. Inter oblatas Carolo regni Siciliæ terras excipitur, 1253. III.

Benvenutus Minorita clarus miraculis, 1236. XXVIII. De illis inquiri jubet Greg. IX. *ibid.*

Berengariæ Alfonſi Regis Caſtellæ filiæ ad Pontificem pietate & officiis plenæ literæ, 1239. XLIII. Conceſſæ ab Innoc. IV. pro anima illius oraturis indulgentiæ, 1251. XXVII.

Berengaria monialis Ferdinandi Regis filia aviæ oſſa in honorificum mauſoleum transfert, 1251. XXVII. Indulgentias pro illius anima oraturis conceſſas ab Innocentio IV. obtinet *ibid.*

Bergomenſes ad partes eccleſiæ traducti, 1255. XIV. Soluti cenſuris ab Alex. IV. *ibid.*

Bernardus Convenarum Comes Albigenſium defenſor inter prandendum repentina morte ſublatus, 1241. LXXXIX.

Bernardus dux Charinthiæ pro concilianda Fridericum inter & Gregorium IX. pace laborat, 1248. VII.

Ber-



Bernardus Guillelmus Jacobi Regis Arag. avunculus de Valentinis Mauris divinitus triumphat, 1238. XLV.

Bertoldus Friderici II. dux conjecto in vincula Raynaldo fratre Introducum ſe recipit, 1231. VI. Adducto in arcem vincto fratre ad deditionem compellitur, *ibid.*

Bertoldus nobilis adoleſcens orante S. Elizabeth divino amore adeo æſtuat, ut toto ardere corpore videatur, 1230. XXVIII. Minoritarum ordini ſe aggregat, *ibid.*

Bertoldus marchio de Honebruch Siciliæ adminiſtrationem pro Conradino ſuſcipit, 1254. XLVI. Oratores mittit ad Innocentium, ut clientelæ ſedis Apoſt. relictum Conradinum tueatur, *ibid.* Quid illi a Pontifice reſponſum, *ibid.* Siculis ad pontificias partes tranſfugientibus, adminiſtrationem regni in Manfredum transfundit, *ibid.* XLIX. A Manfredo ad Pontificem ſe confert, *ibid.* LII. Cardinales ob Manfredi defectionem, partaſque ab eo repentinas victorias, trepidantes confirmat, *ibid.* LXIX. Dat operam ut novus Pontifex ſubrogetur defuncto Innnocentio, *ibid.*

Bertoldus Honebruchenſis Cardinales trepidantes ad ſubrogandum Neapoli Pont. erigit, 1254. VI. Augetur ampliſſimis muneribus ab Alex. IV. in Sicilia, 1255. II. Conſilia defectionis agitat, *ibid.* Deletur a Manfredi copiis *ibid.*

Berythum Fridericus ab Ybellino fraude extorquet, 1229. XXIX.

Bimulus puer multa miracula edere fertur, 1252. XXXVI.

Bituricenſis archiep. primatum exercet in Aquitania, 1255. XLI.

Blanca Alphonſi Reg. Caſtellæ filia ac S. Ludovici mater; jacta in illam a Pariſio calumnia refellitur, 1230. XXXI. Pro impetranda S. Ludovico valetudine ſolemnes ſupplicationes inſtituendas curat, 1244. XXXVIII. Spineam Domini coronam & alias reliquias admovet morti proximo, *ibid.* Offert Innocentio IV. ſtipatam filiis copias adverſus Fridericum ducturam, 1247. XV. Actæ illi a Pontifice gratiæ, *ibid.* Rogatur ne exercitum niſi juſſa mittat, *ibid.* XVI. Pontifici in Italiam redituro Gallorum vires offert, 1251. XVIII. Actæ ei ab illo gratiæ, *ibid.* XIX. Ob ſingulares virtutes commendatur, *ibid.* XIX. Optabat chariſſimo filio, ut prius morti, quam peccato ſuccumberet, 1252. XXIX. Religioſam vitam profitetur *ibid.* Pie moritur, *ibid.* Ex ipſius obitu dolore affectus S. Ludovicus, *ibid.*

Blaſphemæ voces horrendæ Friderici Imper. in Chriſtum, 1239. XXVI. Simonis e Tornaco doctoris Pariſienſis, *ibid.* XXV. Divina in eum ultio, *ibid.* Turris ſubito everſa blaſphemos obruit, *ibid.* XXX. In S. Magdalenam blaſphemi feſto illius die deleti ſæpius, atque in templo eidem ſanctæ ſacro trucidati 1239. XXII.

Blaſphemiæ horrendæ Stedinghorum. *Vide*, Stedinghi. Hæreticorum ſub Conrado, 1248. XV. In blaſphemos ultio divina. *Vide*, Juſtitia divina.

Blemmida. *Vide*, Nicephorus Blemmida.

Bohemiæ dux; Maguntino archiepiſc. anathemate devincto a quo inungendus ſit inquirit a ſede Apoſtolica Othacherus, 1254. XXVIII. Boleſlaus Cracoviæ dux Kingam Belæ filiam uxorem ducit, 1240. LXVIII. Cum illa virginitatem colit, indeque Pudicus nuncupatus, *ibid.* A Tartaris ditione pulſus fuga ſibi conſulit, 1241. IV.

Boleſlaus dux Cracoviæ & Sandomiriæ eccleſiam Cracovienſem privilegiis & juribus locupletat, 1255. LVI. Nonnulla edicta contra libertatem eccleſiaſticam edita revocare juſſus, 1256. XVI.

Boleſlaus dux Sileſiæ Thomam epiſc. Wratiſlavienſem captum vinculis tradit, 1256. IX. Barbariem in eum exercet, *ibid.* X. Jubetur ab Alexandro IV. defigi anathemate, *ibid.* XII. Archiep. Gneſnenſis in eum inſurgit, *ibid.*

Bonacurſus tyrannus Viterb. a ſede Ap. cenſuris defixus, 1238. LXVI.

S. Bonaventura intereſt concilio Lugdunenſi ſub Innoc. IV. 1254. LVII.

S. Bonaventura Franciſcano ordini præeſt, 1257. LII. Alexandrum ad leges optimas pro diſciplina adſtringenda impellit, *ibid.*

S. Bonifacius epiſc. Ferentilli Lagenam vino plenam duobus Gothis dat, quæ niſi perfecto longo itinere exhauſta non eſt, 1231. XLV.

Bononienſes; eorum copiæ a Friderici II. ducibus fuſæ, 1239. XXXIV. Entium ejus filium in prælio capiunt, 1249. XII. Promiſſa minaſque Friderici ſpernunt, *ibid.*

Boſnia; gratulatur Gregorius IX. Colomano Boſniam ab hæreticis expurgaſſe, 1240. LXIX. Adverſus Boſniæ hæreticos crux tranſmiſſa a Colocenſi archiepiſcopo, 1246. XXXVII.

Brixienſes infeſtati a Friderico Mediolanenſes in auxilium evocant, qui cæſi fugatique in receſſu, 1237. VIII. Obſidione cinguntur a Friderico, coguntque eam ſolvere, 1238. LXXI.

Brunduſini Manfredi ducem fundunt, 1255. V. Vexantur a Manfredo, *ibid.*

Bruno epiſc. Herbipol. miraculis clarus, 1238. LXIII. De illo ſanctorum catalogo apponendo inquiri jubet Gregorius IX. *ibid.* Iterum Innocentius IV. 1247. XXIV.

Bruno archiepiſc. Pragenſis Othacherum in expeditione Pruthenica ſequitur, 1255. LX. Sambienſes baptiſmo luſtrat, *ibid.*

Burdegalenſi archiepiſc. præferendæ crucis collata auctoritas, 1232. XXVI.

Burdegalenſis eccleſia primati Bituricenſi obnoxia, 1255. XLI.

Burrellus contendit cum Manfredo de Aleſinæ comitatu, 1154. LXVII. Ab illo necatur, *ibid.*

## C

CAbochius ſedis Apoſtol. legatus Siculos in Fridericum II. commovet, 1249. XIV. Provincia depellitur a Frider. 1250 XXXIV.

Cæcilia pia femina annulum aureum in ſervatæ Chriſto pudicitiæ ſignum detrahi moritura vetat, 1251. XIII.

Cæleſtinus IV. Gregorio IX. ſuccedit, 1241. LXXXVII. Galfridus antea dictus, *ibid.* Paucis poſt diebus moritur, *ibid.* Ipſum veneno ſublatum creditum a pluribus, *ibid.* Sepelitur apud S. Petrum, *ibid.* Succedit poſt diuturnum interregnum Innocentius IV. 1243. VI.

Cæſarea Philippi expugnata a S. Ludovico, 1251. LIV.

Cæſarea altera propugnaculis a S. Ludovico munita, *ibid.*

Cajeta a Joanne Rege Hieroſolymitano capta, 1229. XXXII. De ea reſtituenda Friderico in tractatu pacis agitatur, 1230. V. Cajetani ad Frid. obſequium redire detrectant, *ibid.*

Cayrum; fruſtra illud oppugnare meditatur S. Ludovicus, 1250. I. II.

Calatravenſes equites, 1240. XXV.

Calipius Baldacenſis ſuperſtitionis Mahumeticæ ſummus Pontifex, ſolicitatur a Greg. IX.

ad

ad amplectendam fidem Chriſtianam, 1235. XVI.

Calimanus. *Vide*, Colmannus.

Calojoannis triſtis mors, 1229. LI. Se Romæoctonum nominabat, *ibid.*

Calojoannes ſive Vatacius primatum Roman. Eccl. agnoſcit, 1256. XLVII. Quid flagitarit a Romana Eccleſia pro conjunctione orientali redintegranda, *ibid.* XLIX.

Calumnia; Petrus e Vineis calumnia circumventus a Friderico orbatur oculis, 1249. XIII.

Canonizatio Sanctorum quanta conſilii maturitate perfici conſueverit, 1255. LVI. 1256. XXV.

Capocius Cardinalis in Germaniam legatus miſſus, 1247. II.

Capua a Conrado ad deditionem compulſa, 1253. I. Sublato Conrado ſe Innoc. IV. ſubiicit venientemque excipit, 1254. LII.

Carelia provincia ad Chriſtum traducta, 1255. LXII.

Cardinales qui aſſederint Innocentio IV. 1245. LXXVII. Rubeus Galerus ab Innocentio IV. Cardinalibus datus, 1254. LXXII.

Carfagnana ditionis Pontificiæ a Lucanis occupatur, 1230. XIX. Ni reſtituatur, Lucam ſede epiſcopali orbatum iri comminatur Pontifex, *ibid.* Eam eccleſiæ reſtituunt, 1234. XI. Ejuſdem donatio ipſis a Friderico II. injuſte attributa revocata ab Innoc. IV. 1251. XXXI.

Carmelitæ; eorum inſtituta ab Innoc. IV. confirmata, 1248. LII.

Carmelitæ; eorum diſciplina confirmatur ab Alexandro IV. 1256. XLIV.

Carolus magnus; tranſlatum ad ipſum a ſede Apoſtolica Imperium oſtendit Gregorius IX. 1236. XXIV. XXXII. Renovatum ab ipſo Theodoſii de eccleſiaſtica libertate decretum, *ibid.* XXXII.

Carolus Andegaviæ & Provinciæ comes poſtea Siciliæ Rex arma Pontifici adverſus Fridericum II. devovet, 1247. XVI. Expeditionem tranſmarinam cum S. Ludovico init, 1248. XXXI. Egregie cum Saracenis pugnat, 1250. II. Capitur ab iis una cum S. Ludovico, *ibid.* IV. Liberatur atque in Gallias ab eo mittitur, *ibid.* XIII. Offert illi Innocentius IV. comparandam a Conrado armis Siciliam, 1253. II. Quæ leges propoſitæ, *ibid.* III. IV. Cur res exitum non ſit ſortita, *ibid.* V.

Carolus I. Siciliæ Rex Andium & Provinciæ comes cum eſſet, privilegiis auctus ab Alex. IV. 1255. XLVII.

Carpenſis ager; ejus donatio Mutinenſibus a Frid. II. injuſte facta revocata ab Innoc. IV. 1251. XXXI.

Carrotium in acie a Mediolanenſibus trahi ſolitum quid eſſet, 1237. XI. Captum a Friderico II. *ibid.*

Caſimirus Cujaviæ dux junctus cruciferis debellat Swantopelkum ducem Pomeraniæ, 1245. LXXXIV.

Caſſinum monaſterium a Friderico II. occupatum, 1239. XXX. *Vide*, S. Benedictus, & Benedictini monachi.

Caſſinenſe monaſterium donatum magnis juribus ab Henr. Imp. & Conſtantia, 1254. VIII. Confirmantur ab Alexandro IV. *ibid.*

Caſtella conjungitur regno Legionis, 1230. XXXIV. Adjunctum illi Cordubenſe regnum, 1236. LVII.

Caſtitas; virginitatem colit uxoris exemplo Boleſlaus dux Cracoviæ, 1239. LXVIII. Cæcilia pia femina moritura annulum in ſignum ſervatæ Chriſto pudicitiæ ſibi detrahi vetat, 1251. XIII. Boleſlaus & Kinga perpetuam virginitatem colunt, 1240. LXVIII. Item Colomanus Rex filius Andreæ Regis Ungar. cum uxore, *ibid.* LXIX. S. Hedwiges & Henricus cum barba legitimo thori uſu abſtinent, 1238. LX. Regina Blanca prius Regi filio mortem imprecatur, quam ſe alienæ fœminæ contactu inquinet, 1252. XXIX. S. Ludovicus equitem cruceſignatum in lupanari deprehenſum mulctatum rebus ſuis ignominioſe e caſtris pellit, 1251. LIV.

Cathari; exiguus eorum numerus, 1255. XXXII.

Catholicus Armenorum. *Vide*, Armenia.

Caydanus Tartarorum dux Strigonium expugnat, 1242. VII.

Cenſuræ eccleſiaſticæ; divina ultio in earum contemptorem, 1243. XLII.

Cenſores fidei. *Vide*, Inquiſitores.

Centius Urbis ſenator, 1237. XII.

Centuriatores ſanctis Franciſco & Claræ impudicitiam ſcelerate obiiciunt, 1254. LXXIII. Convincuntur impoſturæ dum S. Antonium extremam unctionem reſpuiſſe ementiuntur, 1231. XXXIII. Convincuntur aperti mendacii dum Gregorio IX. plures calumnias ob Judæos ab iniquorum injuriis vindicatos aſpergunt, 1235. XXI. Imperitiæ arguuntur dum multa Lugdunenſi ſynodo celebratæ ſub Innoc. IV. tribuunt quæ ſub Gregorio X. contigere, 1245. XL. Viros ſanctos carpere non perhorreſcunt, 1253. XII. Jactæ ab iis adverſus Innoc. IV. calumniæ diluuntur, 1254. LXXIV. Ipſorum imperitia in conſignanda illius morte, *ibid.*

Centuriatores Magdeburgenſes; inſignis eorum impietas confutatur, 1255. XXIV. Calumniæ in Prædicatores & Minoritas deterſæ, 1256. XXI.

Cham Tartarorum Imperator quo ritu in ſolium evectus, 1245. XXI. Meditatur ſubiicere ſibi occidentem, *ibid.* XXIII. Cum octodecim filiis Regum hortatu matris a Malaſſia epiſcopo ſacro baptiſmo abluitur, 1248. XXXVI.

Charitas in proximum; eximium charitatis exemplum a quodam religioſo vitam pro aliis exponente editum, 1241. XXIV.

Charitas erga inimicos; militi qui hoſti pepercerat crucifixi imago capite annuit, 1232. XXXII. *Vide*, Clementia in hoſtes.

Chingis Tartarorum Imperii conditor, 1241. II.

Chirothecarum & ſandaliorum uſus Corbejenſi abbati permiſſus, 1240. XXIV.

Choraſmini ſuis ſedibus a Tartaris pulſi, 1244. I. Immittuntur a ſultano Babylonio in Syriam, *ibid.* Hieroſolymas, fugientibus metu Chriſtianis, invadunt, *ibid.* VI. Ingentem illorum ſtragem edunt, *ibid.* Quo dolo ad revocandos fugientes uſi, *ibid.* VII. Sepulcrum dominicum prophanant, *ibid.* IX. Illius ornamenta Mecham transferunt, *ibid.* Horrenda alia ipſorum ſacrilegia, *ibid.* XVI. Decernunt prælio cum iis fideles, *ibid.* X. Cruento prælio deleti a Choraſminis, *ibid.* XI. Uſque ad Ptolemaidis mœnia excurrunt, *ibid.* XIII. Joppenſis comitis ab iis capti ſingularis conſtantia, *ibid.* XIV. Damaſcum occupant, 1245. XCVI. Rebellant in ſultanum Babylonium, ac penitus delentur, 1247. LXXVI.

Chriſma ex balſamo & oleo conficiendum definit Innocentius, 1254. VII. Ut patriarcha cum epiſcopis illud conſecret permittit, *ibid.*

Chriſtiana religio propagata in Pruſſia, 1243. XXXII. Pomerania, 1231. XLII. Curlandia, 1232. III. Gotlandia, *ibid.* Lithuania, 1251. XLIV. Bartha & Galanda, 1254. XXIX. Cordubiæ & Biatiæ regno, 1236. XVII. In Bætica, 1248. XLIV. In Balearibus, 1230. XXXVII. 1234. LII. In Valentino regno,

1238.



1238. XLVI. In regno Marrochitano, 1237. XXVIII. In Tartaria, 1248. XL. Ut Tartari ad eam divino miraculo converſi, *ibid.*

Chriſtianus archiepiſcop. Moguntiæ Siffrido ſuccedit, 1249. IX. Sacram Euchariſtiam in lacuna diutius latentem, ac ſervatam divinitus inſtructo agmine religioſo in templum defert, 1250. XLVII. Detrectat jura Eccleſiæ armis defendere, 1251. XII. Ob id gradu deturbatur, *ibid.*

Chriſtophorus Rex Daniæ Abelis ſucceſſor urget Innocentium ut Nicolaum Regis Canuti filium ſanctorum catalogo apponat, 1254. XXX.

Chriſtus in Cœlo clavis confixus apparet. *Vide*, Crucifixus. In Euchariſtia ſub diverſa ſpecie ſe obiicit, 1254. LXXV. Chriſtum ſimplicem prophetam exiſtimant Sarraceni, 1247. LX. In Chriſtum blaſphemus a Deo punitus, 1239. XXVII. Chriſti ſanguis. *Vide*, Sanguis Chriſti.

Chunetenſis ſedes a Colocenſi archiepiſcopo annuente Gregorio erecta, 1229. LX.

Ciſtercienſes; B. Alvens monachus Ciſt. ord. creatus Semigalliæ epiſcopus & A. S. L. 1232. I. II. Illius opera ſeptentrionales converſi, *ibid.* I. Ciſtercienſes flagitant a S. Ludovico ut Pontificem tyrannidem Friderici fugientem Galliis excipiat, 1244. XXXVII. Innocentii ad eos literæ quibus ſignificat quanta maturitate conſilii fuerit damnatus Fridericus, 1245. LXIV.

S. Clara inviſitur ab Innoc. IV. Aſſiſii, 1253. XIII. Prædictum ipſi id fuerat, *ibid.* Pie moritur, *ibid.* XIV. Ejus exequias celebrat Pontifex, *ibid.* De virginibus, non de mortuis officium celebrare meditatur, *ibid.* Ab eo conſilio a Reginaldo abducitur, *ibid.* Reginaldus Card. ep. Oſtienſis ejus panegyrim celebrat, *ibid.* S. Claræ ſoror paulo poſt pie obit, *ibid.*

S. Clara relata in ſanctorum numerum ab Alex. IV. 1255. XXI. ſanctitatis ipſius primordia, *ibid.* Ut Chriſto ſe devoverit, *ibid.* Cœnobium inſtituerit, *ibid.* Quibus virtutibus ſe maxime excoluerit, *ibid.* XXII. XXIII. Beatarum Virginum chorus morientis animam in cœlum devehit, *ibid.* XXIV. Patrata ingentia miracula ad illius ſepulcrum, *ibid.*

Clementia in hoſtes; Crucifixus annuit capite illi, qui hoſti pepercerat, 1232. XXXII. Richardus Rex interfectori parcit, jubetque nonnullis pecuniis donari, 1239. XLVI. Interfecti anima non aliam de occiſore vindictam flagitat quam ut ſceleris veniam aſſequatur, 1242. XVIII. *Vide*, Charitas erga inimicos.

Cluniacenſe monaſterium; in illius ambitu Pontifex, Imperator Conſtantinop. Rex Franciæ, aliique proceres habitant, 1245. LXXIX. Intra illius fines nullus Rex vel Imperator jus exercere ex Cluniacenſium privilegiis poteſt, 1252. XXXVI.

Colmanus ſive Callimanus Bulgarorum Rex Aſanis filius ab Innocentio IV. ad conjunctionem Eccleſiæ Rom. ſolicitatur, 1245. XI. Offert illi Pontifex ſynodum ſe cum Bulgaris & Græcis ad tollendum ſchiſma celebraturum, *ibid.* Inclinabat ad eccleſiarum conjunctionem, ſed morte immatura oppreſſus, *ibid.*

B. Colmanus martyr; de inſtituendo ſacro illius memoriæ die agitatur, 1244. XLVIII.

Colomanus Rex Andreæ Regis Ungariæ filius inſectatur in Dalmatia hæreticos, 1234. IV. Commendatur a Greg. IX. *ibid.* Arguitur ob occupata eccleſiaſticorum bona, 1236. LVII. LVIII. Collaudatus a Gregorio ob inſectatos Boſniæ hæreticos, 1238. LIII. Item ob illos profligatos, 1239. LXIX. Cum uxore Salomea virginitatem colit, 1240. LXIX. A Tartaris profligatur, 1241. XX. In acie cæſus moritur, *ibid.*

Colonienſes Willelmi Regis partes adverſus Fridericum ſuſcipiunt, 1247. VI. Gratulatoriæ literæ ab Innocentio IV. ad eos exaratæ, *ibid.*

Colonienſis archiepiſcopatus a conjuratis proceribus vaſtatus, 1255. LV. Pontifex iis cenſuras incuti jubet, *ibid.*

Columna ignea in B. Jordani corpus, 1236. XXIX.

Columnæ igneæ fulgore Tartari Wratiſlavia fugati, 1241. V.

Communio; Raymundus junior obvius procurrit Sacerdoti viaticum deferenti, 1249. IX. *Vide*, Euchariſtia.

Compoſtella; campanæ Compoſtella ab Almanſore Cordubam tranſlatæ a Ferdinando Rege expugnata Corduba Compoſtellam referuntur, 1236. LIX.

CONCILIA.

Londinenſe Concilium, 1237. XLI. Multa in eo ad revocandam in priſtinum robur eccleſiaſticam diſciplinam, augendum divinum cultum, moreſque excolendos conſtituta, *ibid.* XLIII.

Lugdunenſe œcumenicum I. ſub Innocentio IV. indicitur, 1245. I. Celebratur, 1245. XXIV. E quibus regnis præſules ad illud confluxerint, *ibid.* XXIV. XXV. Prima ſeſſio, *ibid.* XXV. Conſtantinopolitani patriarchæ adverſus Græcos querelæ, *ibid.* XXVI. In eo Fridericus ingentia promittit, ut Eccleſiæ gratiam ſibi comparet, *ibid.* XXII. Quid ad illa Innocentius, *ibid.* XXVIII. Calamitates Terræ ſanctæ expoſitæ, *ibid.* XXVIII. Secunda ſeſſio, *ibid.* XXIX. Pontificis ad patres concilii oratio, *ibid.* XXIX. XXX. Exponit Friderici ſcelera, *ib.* XXX. XXXV. Induciæ Friderico datæ ut accederet ad Concilium, *ibid.* XXXI. Spernit ſe illi ſubiicere, *ibid.* Tertia ſeſſio, *ibid.* XXXII. Fridericus Imperio exuitur juridica ſententia, *ibid.* XXXIII. Decreta in eo de Conſtantinopol. Imperio fulciendo, *ibid.* XLVIII. XLIX. De propulſandis Tartaris, *ibid.* L. De inſtaurandis rebus Terræ ſanctæ, *ibid.* LI. De electoribus Imperii, *ibid.* LIV. Vetita haſtiludia; indicta omnibus publica pax, *ibid.* LIII. Inſtitutus ſacer dies octavus a natalis Virginis feſto recurrens, *ibid.* Objecta ab Anglorum Rege repulſa ab Innocentio, *ibid.* LV. Lecta in concilio facta a Jo. Rege Angl. donatio, *ibid.* LV. LVI.

Scherungenſe, 1235. XXVIII.

Spoletanum ſub Gregor. IX. 1234. XXVII.

Wratiſlavienſe, 1248. XLIX.

Concio; Concionator; vir religioſus in alteram fluminis ripam delatus divinitus, ut ſacram concionem habere poſſet, 1229. LX. Concionatori diabolus thema proponit; & cur, 1248. LIII.

Concubinarii. *Vide*, Meretrices.

Confeſſio; conjugati ſacerdotes Græci confeſſiones audire poſſunt, 1254. IX. S. Ludovic. nautas ad confeſſionem adhortatur, 1254. XVIII. Præclara in hoc argumento ejus ſententia, *ibid.*

Confirmationis ſacramentum conſultus Gregorius IX. reſpondet collatum a puro ſacerdote non valere, 1231. XXIX. XXX. Si Romani Pontificis auctoritate fiat, valet, *ibid.* Exemplum in S. Gregorio id jubente, *ibid.* A ſolis epiſcopis conferendam definit Innocentius IV. 1254. VII.

Conjuges; ſanctorum conjugum poſt mortem

mutuus amor in S. Margareta Regina Scotiæ & Malcolmo IV. inſigni miraculo comprobatus, 1249. XI.

Conjugati ſacerdotes Græci; eos confeſſiones excipere poſſe definit Innocentius, 1254. IX.

Conradinus. *Vide poſt*, Conradum.

Conradus dux Mazoviæ a Prutenis infidelibus bello petitus cruciferos equites in auxilium evocat, 1230. XXIV. Ob præclara facinora auget bonis ampliſſimis, *ibid.* Inſignis donatio ab eodem illis facta, *ibid.* XXV. Boleſlaum Pudicum bello petit, 1244. LI. Percellitur anathemate a Polonis præſulibus, *ibid.* De illius dominandi Poloniæ cupidine, 1247. XXV. Moritur, *ibid.*

Conradus Lantgravius Thuringiæ in Siffridum Maguntinum irruit; & cur, 1232. XI. Friſlaum obſidet & delet, *ibid.* Facti pœnitens Romam contendit, *ibid.* De B. Eliſabeth glore ſua adiicienda ſanctorum catalogo agit cum Greg *ibid.* Creatur magiſter Theutonicorum equitum, *ibid.*

Conradus Marpurgenſis ab hæreticis cæſus, 1233. XLVIII.

Conradus Friderici II. ex Iſabella Regina Hieroſolymitana filius in Italiam cum exercitu venit, 1238. LXIX. Ab Henrico Rege Romanorum creato profligatur, 1246. IX. Sueviam amittit, *ibid.* IX. Ad ducem Bavariæ confugit, atque illius ope exercitum reſtituit, *ibid.* Henricum ex inſidiis profligat, 1247. I. A Willelmo Henrici ſucceſſore debellatur, *ibid.* IX. Regnum Hieroſolymitanum amittit, *ibid.* LV. Indictum illi parentique propoſitis indulgentiis ſacrum bellum, 1248. VII. Aquiſgranum amittit, *ibid.* XIV. Hæreticos fovet, *ibid.* XV. A ſuis deſeritur, vixque ex hoſtium manibus evadit, *ibid.* XVI. Teſtamento a Friderico relictus heres, 1250. XXXIII. Friderici ad eum monita, *ibid.* XXXIV. Siculo regno eum excludere molitur Pontifex, *ibid.* VI. Ex conjuratorum cruentis manibus quæſitis latebris evadit, *ibid.* VIII. Ob affectatum Imperium percellitur anathemate, 1251. XI. Suevico principatu illum deturbare nititur Innocentius IV. *ibid.* E Garmania in Siciliam maritimo itinere ſe confert, 1252. III. Apud Sipontum appellit, ac relictam ſibi a Manfredo adminiſtrationem regni capeſſit, 1252. III. Aquinum, Sueſſam, S. Germanum, Capuam, Neapolim aliaque loca ad deditionem cogit, 1253. I. Ad frænandam illius potentiam Innocentius IV. cum Provinciæ comite Carolo de tradenda illi jure fiduciario Sicilia agit, *ibid.* II. Vocatur in judicium a Pontifice, 1254. XLI. Prorogata illi ad dicendam cauſam dies, *ibid* Henrici fratris mors illi objecta ab Innocentio Papa, *ibid.* XLII. Concepta de Manfredo ſuſpicione illius potentiam opeſque frangit, *ibid.* Ejuſdem conſanguineos maternos in exilium pellit, *ibid.* XLIII. Signa in Germaniam adverſus Willelmum convertere meditatur, *ibid.* XLIV. In expeditionis apparatu moritur, *ibid* Conradinum heredem relinquit, *ibid.* Lugubre illius mortis genus, *ibid.* XLV. Manfredus venenum illi porrexiſſe exiſtimatus, *ibid.* Illius corpus in eccleſiam deportatum incendio conflagrat, *ibid.* Elegans de eo diſtichon, *ibid.*

Conradus Maguntinus Archiepiſc. archiepiſcopatu ab Hugone Card. A. S. L. dejectus, 1251. XII. In illius locum ſufficitur Gerardus, *ibid.*

Conradinus filius Friderici de Antiochia Cathanenſi comitatu donatus a Friderico II. 1250. XXXIII.

Conradinus ſive Conradus filius Conradi relictus a patre heres, 1254. XLIV. Bertoldus marchio illius tutelam in Sicilia arripit, 1254. XLVI. Significat Pontifici illum relictum apoſtolicæ clientelæ, *ibid.* Regnum Hieroſolymitanum & Sueviæ principatus illi ab Inn. IV. confirmantur, *ibid.* XLVII. Exactum a Siculis Pontificis nomine ſacramentum ſalvis Conradini juribus, *ibid* Ea de re diploma, *ibid.* Bertoldo cedente Conradini tutelam illam Manfredus accipit, *ibid.* L. Paulo poſt deſerit, *ibid* LII. Ejuſdem tuendi ſpecie rebellat ab Eccleſia, *ibid.* LXVIII. Reliqua tomo ſeq. De conſecrationibus eccleſiarum, 1243. XLIII.

Conradinus; gerendæ ejus tutelæ ſpecie Manfredus Siciliam adverſus Alexandrum in rebellionem concitat, 1255. III. Miſſi a Conradino oratores fruſtra inter Alexand. & Manfredum pacem tentant, *ibid.* VI. Alfonſus Caſtellæ Rex Sueviæ ducatum ab eo repetit, ſed fruſtra, *ibid.* LIII. Pontifex vetat, objecto electoribus anathemate, Conradinum creari Imp. 1256. III.

Conſtantia S. Hedwigis in morte viri, 1238. LX. Et filii, 1241. X. Sacerdotum in mediis flammis Te Deum laudamus concinentium, 1240. XIII. Joppenſis comitis, 1244. XIV. Egregium aliud exemplum, 1245. LXXIV. Principis feminæ audita filii nece, 1250. XXVI. Erici Regis Daniæ in morte, *ibid.* XXXVIII. S. Ludovici Francorum Regis, 1250. IV. VI. 1251. LI.

Conſtantia Nicephori Blemmydæ in reprehendendo Imp. ejuſque concubina ab eccleſia repellenda, 1255. LXXVI.

Conſtantinopolis ab Aſane Bulgar. & Vatacio Græc. Imp. obſeſſa, 1235. LIII. Liberata obſidione a Joanne Rege Hieroſolym. *ibid.* Premitur a Vatacio, 1238. I. Britanniæ comes exercitum in illius auxilium parat, *ibid.* II. Ob annonæ gravitatem partem exercitus dimittere jubetur, *ibid.* II.

Conſtantinopolitanum Imperium; de eo conſulitur Innocentius in concilio Lugdunenſi, 1245. XLVII. XLVIII. Pro eo fulciendo Innocentii IV. curæ, 1246. LIV.

Conſtantinopolitani patriarchæ Latini; Pantaleo Juſtinianus ſub quo capta Conſtantin. creatus ab Innoc. IV. 1253. LIV.

Conſtantinus Magnus; probat Gregorius IX. Friderico II. illum Romam cum ducatu, conſentiente populo & ſenatu Romanis Pontificibus tradidiſſe, 1236. XXIX. Signa & ſceptra imperialia eiſdem ſubmiſiſſe, *ibid.* Relicta ipſis adminiſtratione Italiæ, in Græcia ſedem Imperii fixiſſe, *ibid.*

Contemptus mundi; egregium facinus ab Adolpho Holſatiæ comite editum, 1244. LIV. LV.

Converſio animarum; admiranda Bertholdi adoleſcentis ad religioſam vitam precibus S. Eliſabethæ traducti, 1230. XXVIII. Peccatoris, qui dæmoni ſe addixerat, 1234. XXI. *Vide*, Pœnitentia.

Converſio infidelium ad Chriſtum & Romanam Eccleſiam; Pomeranorum, 1231. XLII. Pozolucenſium, *ibid.* Curoniorum ſive Curlandorum, 1232. III. Lithuanorum, 1251. XLIV. Polexianorum, 1253. XXV. Tartarorum, 1248. XL. 1254. II. Barthæ & Galandæ populorum, 1254. XXIX.

Converſio Albigenſium. *Vide*, Albigenſes. Stedinghorum. *Vide*, Stedinghi. Schiſmaticorum. *Vide*, Schiſmatici.

Corbejenſis Abbas privilegiis ornatur a Gregorio IX. 1240. XXIV.

Corduba a Ferdinando Rege Caſtellæ Sarracenis eripitur, 1236. LIX.





Cornetanorum monumenta, 1245. LXVI. A Friderici duce Vitale ob fidem erga Eccleſiam morte affecti, *ibid.*

Corporis Chriſti feſtum. *Vide*, Euchariſtia.

Cracovia a Tartaris everſa, 1241. IV. Iterum ab iiſdem improviſa irruptione vaſtata, 1242. XI.

Cracovienſis eccleſia privilegiis a Boleſlao duce exornata, 1255. LVI.

Crepacorium flammis deletum a Friderico II. 1239. XXXIV.

Croatia vaſtata a Tartaris, 1242. VII.

Crucefignati nonnulli ſacerdotes ob geſtatam crucem a Friderico flammis injecti hymnum Te Deum laudamus, in medio rogo concinunt, 1240. XIII. Crucem tranſmittit Pontifex archiep. Colocenſi, quam induere optabat, 1246. XXXVII.

Cruceata expeditio indicta in Barbaros Livoniam & Pruſſiam infeſtantes, 1256. XV. In Ezelinum, 1256. XXXVIII.

Crucigeri a Conrado Mazoviæ duce adverſus Prutenos infideles evocantur in auxilium, 1230. XXIV. Ob præclara facinora augentur ampliſſimis bonis, *ibid.* Inſignis Conradi ducis iis facta donatio, *ibid.* XXV.

Crucifixus; Crucifixi imago capite annuit illi, qui hoſti pepercerat, 1232. XXXII. Chriſti e cruce pendentis imago divinitus oſtenſa, 1234. XX. Crucifixi in Cœlo conſpecta effigies, 1248. XXX.

Crudelitas Ezelini in ſubditos, 1254. XXXV. XXXVI. Friderici in ſacerdotes acceptæ crucis ſymbolum deponere recuſantes, 1240. XIII. Choraſminorum in Chriſtianos, 1244. VI.

Crudelitas hæreticorum. *Vide*, Hæretici.

Crudelitas aliena ab eccleſia; Gregor. IX. arguit legatum apoſtolicum in hoſtem ſævire, 1229. XLIV. & *ſeq.*

Cruciferi equites S. Mariæ Theutonicorum Lithuaniæ & Samogitiæ ſupremo imperio affectato, Mendoc exaſperant, 1255. LVIII. Othacherus Rex Bohemiæ in eorum auxilium procurrit in barbaros, *ibid.* LX. Pacem ineunt cum Swantopelko duce Pomeraniæ, *ibid.* LXV. Indicta in eorum auxilium contra barbaros cruceata expeditio, 1256. XV.

Crudelitas Ezelini in ſuos, 1255. XIII. In ſanctiſſ. abbatem, *ibid.* In Sarracenos, 1256. XXXIX. In Patavinos, *ibid. Vide*, Ezelinus. Judæorum in Hugonem puerum, 1255. LXXIX.

Crux; qui pectori crucis ſignum frequentiſſime imprimere ſolebat, crucem in oſſe pectoris magno miraculo efformatam geſtaſſe poſt mortem apparuit, 1238. LXIV. Oſtentum crucis in cœlo divinitus expreſſæ, 1245. XCIX. Dum S. Ludovicus expeditionem in Ægyptum pararet in cœlo conſpecta, 1245. n. ult. Inſignia de virtute crucis prodigia Iconii patrata, 1247. LXXVII. Urſus crucem urina caſu proluens repente moritur, *ibid.* Sarraceno manus, qua percuſſerat crucem, exareſcit, *ibid.* Alter infidelis in ipſo eiiciendæ in eandem crucem urinæ conatu exanimatus procumbit, *ibid.* Dominicus puerulus a Judæis in Hiſpania cruci affixus miraculis fulget, 1250. XLVIII. Crucem impreſſam humero naſcens geſtarat, *ibid.* Religioſis S. Maria ad S. Gallum indultum a Pont. ut duplicem crucem veſtibus aſſuerent, 1245. LXXVII. Poteſtas præferendi crucem facta Burdegalenſi & Meſſanenſi archiepiſc. 1232. XXVI. Gregor. IX. concedit Regi Ungar. ut crux exercitui præferatur, 1238. XIX.

Crucis præferendæ auctoritas data archiepiſcopo Gneſnenſi, 1238. LXI.



Cumani in clientelam Apoſtolicæ ſedis a Gregorio IX. accepti, 1229. LX. Queritur Pontifex ipſos a Sarracenis opprimi, 1231. XL. Jubetur Strigonienſis archiepiſcopus iis tuendis incumbere, *ibid.* XLI. Putantur ab Ungaris exciviſſe in Ungariam Tartaros, 1241. XXI. Cutene ipſorum principe ob id cæſo, conjungunt ſe Tartaris, ſæviuntque in Ungaros, *ibid.*

Cumanus epiſcopus Romano tantum Pontifici obnoxius eſſe juſſus, 1229. LX.

Curienſis epiſc. interficitur, 1235. XIX.

Curonii fidem Chriſtianam amplectuntur, 1232. III. Initæ cum iis fœderis leges, *ibid.* Conceſſa Willelmo epiſc. Sabinenſi A. S. L. Curoniæ ſive Curlandiæ partiendæ inter cruciferos & præſules auctoritas, 1245. LXXIX.

Cutenes Cumanorum princeps irrumpentibus in Ungariam Tartaris obtruncatur, 1241. XXI. Quanta de Ungaris expetita ultio, *ibid.*

Cuyne, ſive Gogcham creatur a Tartaris Imperator, 1245. XXI. Qui ritus in ea celebritate obſervati, *ibid.* Præſefert bene ſentire de Chriſtiana religione, *ibid.* XXII. Tranſmiſſos ab Innoc. IV. nuntios non illiberaliter accipit, *ibid.* XXIII. Subiicere ſibi occidentem meditatur, *ibid.* Quæ ſuperba ſibi nomina arrogaret, *ibid.* De ejus ſigillo, *ibid.*

Cyprii Græci ad eccleſiam traducti, 1248. XXXIII. 1250. XLI. Quæ leges ab Innocentio iis dictæ, *ibid.* 1250. XLVII. Illorum controverſias cum Latinis habitas definit Pontifex, 1254. VII.

Czeſlaus vir ſanctus; ſuis precibus Vratiſlaviam Tartarorum excidio liberat, 1241. XLV.

## D

DÆmon ſe exhibet Stedinghis, & quibus formis, 1233. XLIV. In ſuis oraculis ſæpius fallax; exemplum in Friderico, 1250. XXXII. In haſtiludia exhibentes furorem immittit, 1242. X. De humanis calamitatibus trimphat, *ibid.* Faſcinat Chriſtianos ac Tartaris victoriam parit, 1241. VIII. Tartaris victoriam de Ungaris pollicetur, 1241. XVII. Clerico in epiſcoporum conventu peroraturo terribile concionis genus dictat, 1248. LIII.

Dæmones tempeſtatem excitant, 1256. VII.

Damaſcenus ſultanus tractatum pacis quo reſtitutæ erant Friderico Hieroſolymæ reſpuit, 1229. VIII.

Damaſcus a Choraſminis & Babyloniis expugnata, 1245. XCVI.

S. Damiani ordo unde dictus, 1255. XXI.

Damiata expugnatur a S. Ludovico, 1249. IV. Ægyptii illud dolo fruſtra tentant, 1250. VII. Ægyptiis pro S. Ludovico omnibuſque Chriſtianis in libertatem vindicandis reſtituitur, *ibid.* XII. Ab Ægyptiis ſolo æquatur, *ibid.* XVI.

Dania; improbæ in Dania conſuetudines reſciſſæ, 1239. LXVII.

Daniel Ruſſorum princeps creatus Rex ad Eccleſiæ Rom. conjunctionem revertitur, 1247. XXVIII. Tradita Pruſſiæ archiepiſc. A. S. L. conciliandorum Eccleſiæ Ruſſorum auctoritas, *ibid.* Accipitur in clientelam apoſt. una cum Waſilicone Rege Laudemeriæ, *ibid.* XXIX. Permittitur illi ab Innocentio IV. ut Ruſſi conficiant Chriſti corpus in fermentato, *ibid.* Idem Rex ſingulari perfidia a Romana Eccleſia deficit, 1249. XII. Legatum apoſtolicum pro ipſo ad officium revocando a Pontifice miſſum illiberaliter a ſe amandat, 1249. XV.

**D**aroca Aragoniæ urbs; in ea corporalia ſanguine magno miraculo delibuta viſuntur, 1240. XXVI.

David ſoldanus invitatus ab Innoc. IV. ad amplectendam fidem Chriſtianam illi reſcribit, 1247. LXXI.

Decretales compilantur a Gregorio IX. opera S. Raymundi Permiafortii, 1234. XXVI.

Demetrius deſpota Theſſalonicenſis fratri Joanni ſuccedit, 1243. XLVIII.

Deſiderius ad conciliandum Eccleſiæ Jacobum Regem Aragonum miſſus in Hiſpaniam, 1246. XLVIII. Querente Alfonſo Regis Caſtellæ filio Sanctium præter jura regno exui ad rem inquirendam in Luſitaniam miſſus, 1247. XVIII.

Dei magnitudinem agnoſcunt Sarraceni, 1247. LVIII. Unitatem, *ibid.* Potentiam in creatione orbis, *ibid.* LIX. Simplicitatem eſſentiæ, *ibid.* Deum verum & unum eſſe prædicatum in alcorano; egregia de Deo elogia a ſoldano allata, *ibid.* LXXI.

Diabolus. *Vide*, Dæmon.

Didacus Legione rebellionem in Ferdinandum movet, 1230. XXXIV. S. Iſidori eccleſiam & turrim occupat firmatque præſidiario milite, *ibid.* Divinitus morbo acutiſſimo corripitur, *ibid.* S. Iſidoro ſervitutem vovet ac ſanatus reſipiſcit, *ibid.*

Diocliæ Rex & Dalmatiæ ad Eccleſiam redit, 1230. LV. Eius ad Innocentium III. literæ, *ibid.* Et Joannis archiep. *ibid.* LVI.

Diſcordia; prædicit dæmon Ungaros ob diſcordiam cædendos, 1241. XVII. Gregorii & Friderici diſcordia Tartaris graſſandi occaſionem dat, 1241. XXIX.

Dolenſe oppidum vectigale ſedis Apoſt. 1238. XLI. G. e Calviniaco illius dominus Romani Pontificis fiduciarium ſe profitetur, *ibid.*

Dominicani ne ad Minoritas transfugere poſſint ſtatuit Innoc. IV. 1244. LII. Monialium regendarum onere liberati, 1252. VI.

S. Dominicus quando objerit, 1233. XXXIX. Ejus poſtrema ad ſuos exhortatio, *ibid.* A Greg. IX. tum legato Honorii III. ſepultus, *ibid.* Miraculis coruſcat, 1233. XXXIX. De illius miraculis inquiri jubetur a Gregorio, *ibid.* Sanctorum catalogo apponitur, 1234. XXIV.

Dominicus puer Cæſarauguſtæ a Judeis crucifixus, 1250. XLVIII. Miraculis fulget, *ibid.* Naſcens crucem humeris impreſſam geſtavit, *ibid.*

Dominicus S. Petri martyris ſocius ab hæretico cæſus, 1252. XI.

Dominicani a calumniis Pariſiis vindicantur, 1256. XX. Indulgentiæ ipſis conceſſæ, *ibid.* XLIV. *Vide*, Religioſi mendicantes.

Duellum. *Vide*, Monomachia.

# E

**E**Admundus ſive Edmundus Henrici Regis Anglorum ſecundus natu filius ad Siculam coronam vocatus ab Alexandro IV. 1255. VIII. Quæ leges in donatione adjectæ, *ibid.* Herefordenſis epiſcopus ejus nomine inveſtituram accipit, *ibid.* IX. Henricus pater bellum ſiculum inerter agitat, 1256. III. A Manfredo occupatur regnum promiſſum, *ibid.*

S. Eadmundus ad Cantuarienſem archiepiſcopatum evehitur, 1233. LXIV. Confirmatur a Greg. IX. *ibid.* Se Romano Pontifici ſacramento fidei devincit, *ibid.* LXV. Voluntario exilio ob eccleſiarum oppreſſionem Gallias petit, 1240. LIX. Pie moritur, *ibid.* LX. Miraculis coruſcat, *ibid.* LXI. 1244. XLVII. 1241. LXXXVII. Henricus Angl. Rex loculum pretioſiſſimum pro reponendis illius reliquiis offert, 1241. LXXXVIII. De ejus miraculis inquiri jubet Innocentius IV. 1244. XLVII. De ejus fratre Roberto virtutibus inſigni, *ibid.* XLVIII. B. Eadmundo ſanctorum cultus decernitur, 1246. XLIX. De illius virtutibus & miraculis, *ibid.* Celebrata a S. Ludovico magna pompa ipſius tranſlatio, 1247. XXI. Ejus corpus ab omni corruptionis labe immune repertum, *ibid.* Richardus Cornubiæ comes illius precibus morbo liberatus pretioſiſſimum feretrum offert, *ibid.* Secunda tranſlatio, 1249. VII. Illius brachium a reliquo corpore avulſum conditum balſamo putredinem contrahit, 1250. LI.

Eberardus archiepiſcopus Salisburgenſis laborat pro concilianda pace Fridericum inter & Gregorium IX. 1230. VII. Fidejuſſorem pro Imperatore ſe exhibet, *ibid.*

Eccleſia; de eccleſiarum conſecrationibus Innocentii literæ, 1243. XLIII. A ſimplice ſacerdote non expianda, 1233. LXVI. Eccleſia Saresberienſis magnifice a Richardo episc. condita, 1237. LXVIII. Elegans de ea epigramma, *ibid.* Eccleſiarum prophanatores divinitus pœnis affecti, 1243. XLII. 1253. XXXII. XXXIII.

Eccleſia Romana converſionis infidelium auctrix. *Vide*, Converſio infidelium.

Eccleſia; Eccleſia Romana; Germanus Græcorum patriarcha ſchiſmaticus agnoſcit Rom. Pontificis primatum, 1232. XLVI. De eodem primatu Gregorii Papæ IX. literæ, *ibid.* LI. Eccleſia a cædibus abhorret, 1229. XLIV. Græcorum eccleſia ob ſpretum Romanæ Eccleſiæ primatum in ſervitutem redacta, 1232. LII. De duobus gladiis, qui ad Romanam Eccleſiam pertinent, 1233. III. IV. Jacobitæ agnoſcunt Romanum Pontificem univerſæ eccleſiæ caput, 1247. XXXIX. Illorum ea de re profeſſio, *ibid.* Item Neſtoriani, *ibid.* XLIII.

Eccleſiæ libertas & immunitas; pro ea defenſa martyrio affectus Lupoldus epiſcopus Racemburg. 1244. XLIX. Defenſa ab Innocentio IV. adverſus proceres Gallos, 1247. XLVI. Ab eodem adverſus Fridericum, 1252. I. II

Eccleſiæ Romanæ jurisditio; Maſſilienſes in clientelam pontificiam accepti, ad ſolvendum annuum cenſum ſedi Apoſtolicæ obligantur, 1230. XXIX. Gregorii IX conſtitutio de non alienandis Eccleſiæ Romanæ juribus, & maxime locis quæ exprimit, 1224. X. Ferdinandi Regis Caſtellæ ſacramentum de reſtituendo caſtro Toraf equitibus S. Jacobi nomine Romanæ Eccleſiæ tenendum, *ibid.* LI. Ferretani comitis ditio Eccleſ. Romanæ teſtamento certis conditionibus relicta, 1236. XXVII. Ubaldus Gallurienſis & Turritanus, & Petrus Arboreæ domini eas præfecturas ab ſede Apoſtolica fiduciario iure obtinere profitentur, 1237. XVII. XVIII. XX. XXI. XXII. Adelaſia Regina Sardiniæ ditionem ſedi Apoſtolicæ donat, *ibid* XIX Eandem ab Eccleſia fiduciario jure recipit, *ibid* Lithuania ſedis Apoſtolicæ ſtipendiaria, 1254. XXVII.

Eccleſiæ bona; renovata a Greg. IX. Symmachi conſtitutio de non abalienandis Eccleſiæ bonis, 1234. X. Epiſcoporum bona ad eccleſias pertinent, *ibid.*

Eccleſiæ perſecutores; Rogerius Bernardi, 1241. LXXXIX. Item Bernardus Convenarum comes, *ibid.* Otho dux Bavariæ divina ſententia morti damnatus, 1253. XXXII. Sanctius Rex Luſitaniæ pulſus regno, 1245. LXVII. Entius in carcere contabeſcit, 1249. XII. Petrus e Vineis detractor Pontificum oculis orbatus caput ſibi allidit, 1249. XIII. Fridericus a filio præfocatus traditur, 1250. XXXII. Conradus in deſperationem actus moritur, 1254. XLV.

Eccleſia ideſt Templum, Marceſinæ Imp. concubinæ eccleſiæ fores occluſæ, 1255. LXXVI. Sacerdotum ſupellex in eccleſiis non locanda; conc. Buden. *ibid.* XL. Eccleſiæ in arces converti vetitæ, *ibid.* XLIX.

Eccleſiæ libertas & immunitas. *Vide*, Libertas.

Eccleſiaſtici quam a fundendo ſanguine abhorrere debeant, 1229. XLIV. XLV. Eccleſiaſticos ad ſæcularia tribunalia non eſſe trahendos edictum Friderici II. Imp. 1230. X. Frænanda maxime in eccleſiaſticis incontinentia, 1203. XX.

S. Eduardo dies ſacer a Gregor. indictus, 1236. L.

Eduardus Henrici Anglorum Regis filius Regis Caſtellæ ſororem uxorem ducit, 1254. XXIV.

Electi pauci; objectum cœleſte viſum de tribus tantum animabus uno die e purgatoriis flammis erutis, 1232. XXXI.

Electio; nefarius in electionibus præſulum mos ſublatus in Suecia, 1250. XL.

Electores Imperii Germaniæ; ſcribit ad eos Gregorius IX. ut novum ſibi Imperatorem eligant, 1240. II. Item Innocentius IV. 1245. XLV. Reſponderunt illi nonnulli non eſſe Pontificis Imperatorem deturbare, ſed conferre illi inſignia imperialia, 1240. II. Refellitur eorum ſententia, *ibid.* De Electoribus Imperii, 1245. LIV.

Electores principes vetiti intentato anathemate, Regem Romanorum ex Frederici ſtirpe creare, 1256. III.

Eleemoſyna; celebre Leolini dictum de Henrici eleemoſynis, 1234. XX. Aliud S. Ludovici de eodem, 1242. XVI. Dæmoni venundatus æger ob factas eleemoſynas revocatur ad pœnitentiam, 1234. XXI. Divina in virum miſericordem providentia pro ſervandis ejus agris, *ibid.* XXII. In avaros cœleſtis ultio, *ibid.* Joannes Boſſinenſis epiſcopus omnia pene epiſcopatus vectigalia pauperibus erogat, 1235. XV. S. Ludovicus dum menſæ accumbit pauperes ſibi proxime aſſidere jubet, 1254. XX. Mieciſlaus dux Poloniæ immiſericors in medio convivio a muribus corroſus, 1237. LXI.

S. Eliſabetha Andreæ Reg. Ungar. filia, ac Lantgraviæ Thuringiæ uxore orante Bertoldus prænobilis adoleſcens adeo divino amore exæſtuat, ut toto corpore ardere videatur, 1230. XXVIII. Ad vitam religioſam illum traducit, *ibid.* Præſagit ſuam mortem, 1231. XXXIV. Divinis delitiis moritura affluit, *ibid.* XXXV. Sacramentis rite procurata moritur, *ibid.* XXXVI. De ejus ſepultura, *ibid.* Coruſcat miraculis, 1232. IX. De iis inquiri jubet Gregorius IX. *ibid.* IX. X. Cœlitum numero adſcripta, 1235. XXII. XXIII. Excitatur ad eam imitandam a Pontifice Regina Caſtellæ, *ibid.* XXIV. Tranſlatio reliquiarum S. Eliſabeth, *ibid.* XXV. Pretioſiſſima corona illi a Friderico II. oblata, *ibid.* Erectum templum illius nomini ab Henrico Lantgravio, a quo fuerat exagitata, *ibid.* Propoſitæ a Pontifice indulgentiæ templum S. Eliſabeth adituris, 1244. XLVIII.

Emerita ab Alfonſo Rege Legionis Sarracenis eripitur, 1230. XXXI. Epiſcopalis ſedes a Gregorio IX. illi reſtituitur, *ibid.* XXXV. Ea de re ad Compoſtellan. archiep. literæ, *ibid.*

Enſtaib Niſibinus archiep. Neſtorianorum Eccleſiæ Romanæ ſe aggregat, 1247. XLIII. Profeſſio fidei, *ibid.*

Entius ſive Henricus Friderici II. filius nothus ducta in Sardinia uxore Adelaſia ejus inſulæ ſupremum dominium ab Eccleſia in Imperium transfert, 1238. LXVIII. Immittitur a Friderico II. in marchiam, 1239. XXXIII. Defigitur a Gregorio IX. anathemate, *ibid.* Joannes Columna Card. illi ſe cum exercitu, Pontificis juſſu opponit, *ibid.* Jubetur a Friderico præſules mari intercipere, claſſique præficitur, 1254. LIV. Navali prælio Januenſes delet, ac præſules capit, & partim necat, *ibid.* LV. Crimen non fert impune, *ibid.* LVI. Ipſius uxor Adelaſia ob contractas contra Gregorii imperia nuptias veniam flagitat, obtinetque, 1243. XXIV. A Friderico in Italia legatus relinquitur, 1247. X. Dum Quinorianum tentat, Parmam amittit, *ibid.* Mantuanos Pado profligat, 1248. XXIII. A Bononienſibus capitur, 2249. XII. Fridericus mulcere Bononienſes ad reſtituendum libertati Entium fruſtra nititur, *ibid.* Entii mors, *ibid.*

Epiſcopi in Anglia ſanctioribus Regum conſiliis adhiberi olim ſoliti, 1231. LI. Conceſſum ſpuriis ad dignitates adipiſcendas jus ad epiſcopalem non porrigitur, 1240. XXX.

Epiſcopi deſignati excurrente ſemeſtri ſacrandi, 1255. XVI. Epiſcopus honorem oblatum admittit a pontifice juſſus *ibid.* *Vide*, Præſules.

Epitaphium Epiſcopi Racemburgenſis, 1244. XLIX. Friderici II. 1250. XXXVI. Conradi, 1254. XLV. Innoc. IV. *ibid.* LXXIV.

Equitum religioſorum ordines; cæſi magna ſtrage a barbaris equites S. Mariæ Theuton. ſibi aggregant, 1237. LXIV.

Equites S. Sepulcri a Conrado duce Mazoviæ adverſus barbaros exciti, 1250. XXIV. Appellati Dobrzinenſes a loco ipſis attributo, *ibid.*

Equites Jeſu Chriſti Parmenſes hæreticos inſectantur, 1235. XXV.

Erchaltay Tartarorum princeps oratores ad S. Ludovicum in Cypro agentem tranſmittit, 1248. XXXIV. Illius literæ ad S. Regem datæ, *ibid.* Significat arma adverſus Sarracenos ſe conjuncturum, *ibid.* XXXVI. S. Ludovicus ad eum & Chamum oratores tranſmittit, *ibid.* XXXVIII.

Ericus Rex Daniæ Waldemaro ſuccedit, 1241. LXXXIX. Excitatur ab Innoc. IV. ad defendendam contra barbaros Eſtoniam, 1245. XCII. Propoſitæ ejus ſigna ſecuturis indulgentiæ, *ibid.* XCIII. A fratre Abele immaniter occiditur, 1250. XXVIII. Divinam ultionem fratri, ni pœniteat ſceleris, prædicit, *ibid.*

Eſculanus comitatus. *Vide*, Æſculum.

Eſtonia ab infidelibus infeſtata, 1240. XXXIV. Promulgata adverſum eos a Gregorio IX. ſacra expeditio, *ibid.*

Euchariſtia; ſacramentales vini ſpecies in ſanguinem divinitus verſæ, 1229. LXI. Servatæ magna religione Florentiæ, *ibid.* Quæſtio de Euchariſtia in azymo conficienda agitatur, 1233. XII. Nidroſienſi archiepiſcopo Apoſtolicam ſedem conſulenti, an cereviſia vini loco, atque ex altera ſpecie quam frumento panis confectus ob eorum inopiam conſecrari poſſint, reſpondetur a Gregorio IX. non poſſe, 1237. LXVII. Euchariſtia, divinitus ſanguine delibuta, cruore ſacra corporalia tingit, 1240. XXXVI. Permittit Ruſſis Innocentius IV. Chriſti corpus in fermentato conficere, 1247. XXIX. Quanto pietatis ſenſu Euchariſtiam receperit Raymundus

dus junior in extremo mortis diſcrimine, 1249. IX. Euchariſtia in lacuna divinitus per plures menſes ab omni labe expers ſervata, 1250. XLVII. Noctu in eo loco luminaria fulgere viſa, *ibid.* Rudolphus Habſpurgenſis comes ob donatum ſacerdoti Euchariſtiam ægro deferenti equum Imperium a numine aſſequitur, 1251. LVII. Definitur ab Innocentio IV. ne ſacræ particulæ ultra quindecim dies ſerventur, 1254. VIII. S. Ludovicus rediturus in Gallias a legato apoſtolico obtinet, ut Euchariſtia in navi cum ſacro apparatu collocetur, 1254. XIV. Ejus ope naufragii periculo evaſiſſe exiſtimat, *ibid.* XIV. XV. Dat operam, ut ægris militibus Viaticum & reliqua ſacramenta præbeantur, *ibid.* XIV. Chriſtus Dominus in Euchariſtia ſub variis formis Duaci conſpectus, 1254. LXXV.

Euchariſtia; Chriſtus videndum in ea ſe præbet, 1256. XVIII. S. Ludovicus ob fidei magnitudinem eo accurrere abnuit, *ibid.* Montfortii in re ſimili exemplum, *ibid.*

Excommunicatio; Excommunicati; ritus in abſolvendo Friderico II. ab anathemate, 1230. VIII. IX. Ultio divina in contemptorem anathematis, 1243. XLII. *Vide*, Cenſuræ eccleſiaſticæ.

Exequiæ; defunctis in exercitu militibus celebrandas curat S. Ludovicus Rex, 1254. XIV.

Expeditio bellica; pium in ea apparanda S. Ludovici facinus, 1247. LVI. *Vide* Bellum.

Extrema unctione illinitur S. Antonius, 1231. XXXIII. Refelluntur novatores qui ſanctum virum eam reſpuiſſe aſſerunt, *ibid.* De eadem extrema unctione, 1251. XIII. Dat operam S. Ludovicus Rex ut ægris militibus ſuis præbeatur, 1254. XIV.

Ezelinus e Romano; in eum Patavini arma ſumunt ob hæreſim qua laborat, 1231. XX. Graviſſimis illum literis Gregorius urget, ut reſipiſcat, *ibid.* XX. Obiicit olim pœnitentiam ſimulaſſe, *ibid.* XXI. Præcipit ipſius filiis Ezelino, & Alberico, ut patrem revocent ab hæreſi, ac ni reſipiſcat tradant vinctum, ut erant polliciti, *ibid.* XXII.

Ezelinus una cum fratre Alberico offert Gregorio IX. patrem Ezelinum hæreticum vinctum tradere ne hereditate excideret, 1231. XXII. Jubetur illum ad Eccleſiam revocare ac, ni reſipuerit promiſſa, perficere, *ibid.* Conſiliis nefariis Fridericum corrumpit, 1239. XXXVII. Tarviſinæ eccleſiæ bona occupat; Jubetur a Caſtellano epiſcopo ni ea reſtituat, cenſuris defigi; Montagnanam divino judicio exuſtam occupat, 1242. XXII. In judicium ob crimen hæreſis accerſitur ab Innocentio, 1244. XVIII. Ob declinatum judicium anathemate, aliiſque pœnis percellitur, 1248. XXV. XXVI. A Willelmo Rege bonis juridice ut hæreticus mulctatur, 1250. XXXVII. Ob declinatum in cauſa hæreſeos judicium intentatæ illi pœnæ, 1251. XXVI. Pontificia clementia in illo ad judicium vocando, 1252. X. Iterum accerſitur in judicium, 1254. XXXV. Horrenda illius ſævitia, *ibid.* XXXV. XXXVI. Ejus bona Alberico adjudicata *ibid.* XL. Reliqua de Ezelino, *Vide in tomo ſeq.*

Ezelinus tyrannus ſolicitat adverſus Alexandrum. IV. Albericum fratrem, 1254. VII. Ab Ezelino fœderati Eccleſiæ oppreſſi, *ibid.* X. Philippus archiep. Ravennas legatus in eorum auxilium ſubmiſſus, *ibid.* Ezelini ſcelera & crudelitas, *ibid.* Hæreſis infamia notatus, *ibid.* XI. In eum cruceata ſigna attolli juſſa, *ibid.* XII. In ſuos tyrannidem exercet, *ibid.* XIII. Arnold. abbatem virum ſanctiſ. in vinculis necat, 1255. XIII. Bellum ſacrum illi a legato ſedis Apoſt. infertur, 1256. XXXVIII. Aſtrologorum delira vaticinia aucupatur, *ibid.* Patavium amittit, *ibid.* Barbariem exercet in Patavinos externos, *ibid.* XXXIX. Fruſtra Patavium tentat, *ibid.*

# F

FAces ſponte accenſæ ante ſepulcrum S. Petri Martyris, 1253. XI.

Facetia; facetum & pium facinus S. Ludovici familiam regiam cruce conſignantis, 1245. XCVIII.

Faventia a Friderico II. obſidione cingitur, 1240. XVIII. Ab eodem capta, 1241. XLVI.

Ferdinandus, ſeu Fernandus una cum patre Alfonſo movet in Sarracenos, 1229. LVII. Patri Alfonſo Regi Legionis ſuccedit in regno, 1230. XXXIV. Didacus in eum rebellionem Legione movet, divinituſque a B. Iſidoro punitus reſipiſcit, *ibid.* Controverſiam de regno cum ſororibus Sanctia & Dulcia componit, *ibid.* Ubedam expugnat, *ibid.* Abenhutum Regem vincit, *ibid.* Jubetur archiepiſc. Toletanus epiſcopos præficere urbibus quas Ferdinandus expugnavit, 1234. L. Illius ſacramentum de reſtituendo caſtro Toraf equitibus S. Jacobi tenendo Eccleſiæ Rom. nomine, *ibid.* LI. Cordubam Sarracenis eripit, 1236. LVII. Veteribus titulis Biatiæ & Cordubæ Regis nomen adiicit, *ibid.* Excitantur a Gregorio IX. ad ſequenda illius ſigna victricia fideles, *ibid.* LVIII. Reportat Compoſtellam campanas, quas Almanzor barbarus Cordubam tranſtulerat, *ibid.* LIX. Plura loca de Sarracenis comparat, *ibid.* Nonnulla vectigalia eccleſiaſtica ad ſuſtinendos belli ſacri ſumptus ipſi attributa a Gregorio, *ibid.* LX. Hæreticos Palentiæ repertos candenti ferro inuri jubet, *ibid.* Inſignes obſervantiæ & amoris notis literas ad Gregorium mittit, 1239. XL. XLI. Oratorem ad redintegrandam inter ipſum & Fridericum II. concordiam mittit, *ibid.* XLII. Mittit filium ad Fridericum pro repoſcenda materna hereditate, *ibid.* XLV. Commendat illi erga Pontificem ſummam obſervantiam, *ibid.* Palentinam academiam ab Alfonſo avo excitatam Salamanticam transfert, *ibid.* XLVI. Murciæ arcem ab Hudiele barbarorum Rege accipit, 1240. XXVI. Giennium in ſuam poteſtatem redigit, 1243. XLIV. Regem Granatæ in clientem accipit, *ibid.* Ipſius filius Alphonſus major natu expeditionem parat in Sarracenos, 1246. XL. Hiſpalim obſidet, 1247. XVIII. Expugnat, 1248. XLIV. Solicitatur ab Innocentio IV. ad locupletandas eccleſias Sarracenis ereptas, *ibid.* XLVII. Africam invadere meditatur, 1251. XXVI. Illius morte a conſilio Aſiaticæ expeditionis Alphonſus revocatur, *ibid.* In regno patri ſuccedit, *ibid.* Ferdinandi elogia, *ibid.* Ipſius filia Berengaria vitam religioſam amplexa, Sanctiuſque filius creatus Toletanus archiepiſc. *ibid.* XXVI. XXVIII.

Ferrandus e Serpa Regis Luſitaniæ frater eccleſiaſticos immaniter perſequitur, 1238. XLIX. Flagitii veniam petiturus Romam ſe confert, 1239. LX. A duobus Cardinalibus rite abſolvitur, *ibid.* LXI. Quæ pœnæ illi ad expianda crimina impoſitæ, *ibid.* LXII. LXIII. Devincit ſe fidei ſacramento jura pontificia in Luſitania defenſurum, *ibid.* LXIV. Accipitur in clientelam apoſt quandiu bellum cum Sarracenis geſſerit, *ibid.*

Ferraria e Salinguerræ & Friderici tyrannide erepta a legato ſedis Apoſtolicæ, 1240. XIX.

Fi-



Fides; inſigne Flectii Conimbricæ præfecti in Sanctium Regem Luſitaniæ fidei exemplum, 1245. LXXIV.

Fides conjugalis; egregium de ea piæ mulieris facinus, 1251. XIII.

Fides Chriſtiana; Jentuoſi eam amplectuntur, 1256. XIV.

Flectius Conimbriæ præfectus conſtantia fidei inſignis, 1245. LXXIV.

Florentini bello Senenſes petunt, 1233. XXXV. Gregorius ad conciliandam diſcordiam Joannem Vicentinum virum ſanctitate inſignem evocat, *ibid.* Ob ſpreta pacis conſilia anathemate percelluntur, *ibid.* XXXVI. Cogunt Senenſes ad inſtaurandum montem Politianum, *ibid.* Infeſtati ab iis Senenſes Fridericum II. evocant, 1240. III. A Gibellinis occupata Florentia, 1248. XXIV. Poſt mortem Friderici priſtinam libertatem adipiſcitur; Florentini Piſanos & Senenſes delent, 1252. V. His elati ſucceſſibus florenos aureos cudunt, *ibid.*

Florentiæ ſpecies vini ſacramentales in ſanguinem verſæ, 1229. LXI.

Florentius comes Hollandiæ Stedingos magna ſtrage delet, 1234. XLIII. Reverſus victor in ludicro militari occiditur, *ibid.*

Flumen; vir religioſus in alteram fluminis ripam divinitus delatus ut ſacram concionem habere poſſet, 1229. LX.

Feminas ab altaris miniſterio abigendas imperat Innoc. IV. 1254. VIII.

Fogia a Manfredo expugnata, 1254. LXIX.

Fornicatio; impurum militem qua pœna S. Ludovicus affecerit, 1251. LIV. Soluti cum ſoluta fornicationem eſſe peccatum lethale oſtendit Innoc. IV. ex Apoſtoli verbis, 1254. VII. Fridericus II. luxuriæ dedititiſſimus a filio ſpurio juſto Dei judicio præfocatus traditur, 1250. XXXII.

Fortitudo animi admiranda in Joanne Brennenſi modicis copiis Aſanem & Vatacium Conſtantinopoli propulſante, 1235. LIII. In Bernardo Guillelmo, 1238. XLV. In S. Ludovico, 1249. III. *Vide*, Conſtantia.

Frajapani ſeu Frangipani partem Coliſæi una cum palatio obligant Friderico, 1244. XIX. Reſcinditur ab Innocentio is tractatus, *ibid.* Otto Frangipanus a Conſtantia Imperatrice & Friderico Tarentino principatu donatus, 1252. III. Ea donatio ab Innoc. IV. Henrico Frangipani confirmata, *ibid.* *Vide*, Petrus Frangipanus.

Francorum Reges; eorum inſignia elogia ab Alexandro IV. collata, 1255. XLII. Pluribus prærogativis inſigniti, *ibid.* XLIII. 1256. XVII. *Vide*, S. Ludovicus.

S. Franciſcus; illius veneratio a Gregorio commendatur, 1229. LX. Mortuus in Germania ejus ope excitatur, 1230. XXI. Ea de re Gregorii literæ, *ibid.* Indicitur ejus reliquiarum tranſlatio ab eodem Gregorio, *ibid.* XXII. Aſſiſinates magiſtratus geſtandis illius reliquiis temere ſe ingerunt, *ibid.* Jubentur anathemate percelli ni temerarium facinus expiarint, *ibid.* De veritate ſtigmatum S. Franciſci ſcribit ad Germanos Gregorius IX. 1237. LX. Arguit Olomucenſem epiſcopum negantem cum illis ſacris notis depingendum, *ibid.*

S. Franciſcus S. Claram ad vitæ religioſæ inſtituta perducit, 1255. XXI. De Stigmatibus S. Franciſci inſigne Alex. IV. teſtimonium, *ibid.* XXVII. *Vide*, Stigmata.

Fridericus II. cum ſultano Babyloniæ fœdus exitiale coit, 1229. I. Turpiter ab ipſo res geſtæ, *ibid.* Gregorii de eo ad Mediolanenſem archiepiſc. literæ, *ibid.* II. Crucesignatos, ne in terras Sarracenorum excurrant prohibet, *ibid.* III. Sua ſultano arma offert, *ibid.* IV. Pollicetur nunquam ea adverſus ipſum reſumpturum, *ibid.* Interpellat turpiter infideles de pace, *ibid.* Exercitum Chriſtianum infidelibus cuſtodiendum committit, *ibid.* V. Sarracenos mores cultumque induit, *ibid.* Tractatum pacis pauciſſimis proceribus aperit, *ibid.* VI. Hieroſolymas recipit, & quibus legibus procerum conſilia reſpuit, *ibid.* VII. Germanos fucata oratione circumvenit, *ibid.* VIII. Negat Damaſci ſultanus eas leges admiſſurum, *ibid.* Denuntiat illi patriarcha a nemine quam a Pontifice contracto anathemate ſolvi poſſe, *ibid.* XI. Sibi coronam Hieroſol. imponit, *ibid.* XIII. Non munit Hieroſolymas propugnaculis, nec permittit a Templariis firmari, *ibid.* XIV. Capita fœderis ab eo initi, *ibid.* XV. *& ſeqq.* Inanem ex re turpi gloriam aucupatur, *ibid.* XXII. Inepta ejuſdem jactantia, *ibid.* Quæ in geſta re improbarit Gregorius, *ibid.* XXIII. De ea re pontificiæ literæ, *ibid.* XXIII. XXIV. Templarios Accone obſidet, *ibid.* XXVIII. Tormenta bellica partim ſultano tranſmittit, partim exurit, *ibid.* Triremes diſſolvit, *ibid.* Turpiter regreditur in occidentem, *ibid.* Ejus in Ybellinum Cypri moderatorem perfidia, *ibid.* XXIX. Patriarcham & Templarios obſidet, *ibid.* XXX. Viros religioſos crudeliter tractat, *ib.* Spoliat Cyprios, *ibid.* Hieroſolymas falſo muniſſe jactat; reditum præcipitat in occidentem ob infeſtatam Siciliam citeriorem a Pontifice, *ibid.* XXXI. Reverſus plura loca recuperat, *ibid.* XXXII. Amittit Cajetam, *ibid.* Soram excindit, *ibid.* In Gregorium atrociter inſurgit, *ibid.* Principes, prælati, populique a Pontifice adverſus Fridericum concitantur, *ibid.* XXXIII. Anathemate ſolemni ritu a Pontifice percellitur, *ibid.* XXXVII. Illius ſubditi ſacramenti præſtiti religione abſolvuntur, *ibid.* XXXVIII. Interpellat Pontificem de pace, *ibid.* XLII. Quos miſerit oratores, *ibid.* XLIII. De pace ineunda tractat cum Gregorio, 1230. III.

Fridericus II. pollicetur ſe apoſtolicis imperiis pariturum, 1230. IV. Remiſſurum omnibus acceptas injurias, *ibid.* De reſtituenda illi Cajeta agitatur, *ibid.* V. Qui modi concordiæ quæſiti, *ibid.* Exiguntur a Friderico nonnullæ arces obſidum loco ad vinciendam illius fidem, *ibid.* VI. Joannes & Thomas Card. exponunt illi cauſas, ob quas cenſuris devinctus fuerat, *ibid.* VII. Sacramento eum adigunt omnia erepta Eccleſiæ reſtituturum, *ibid.* Reſtituitur fidelium cœtui a Sabinenſi epiſcopo, *ibid.* VIII. Ritus in diſſolvendo anathemate ſervatus, *ibid.* VIII. IX. Immunitatem eccleſiaſticam Siculo clero reſtituit, *ibid.* X. Sanctione imperiali cavet ne eccleſiaſtici ad ſæcularia tribunalia rapiantur, *ibid.* Gregorius ad illum gratulatorias de adepta Eccleſiæ gratia literas ſcribit, *ibid.* XI. Pontificem Anagniæ inviſit, *ibid.* XV. Peramanter & honorifice excipitur, *ibid.* Ad Regem ſibi amicitia conjunctum ſcribit, *ibid.* XVI. Remittendarum injuriarum ſacramentum infringit, *ibid.* XVII. Arguitur a Gregorio Eccleſiæ ſtudioſos exagitare, *ibid.* Solicitatur literis ad clementiam, *ibid.* Exiguntur ab eo promiſſi fidejuſſores, 1231. I. Exagitat templarios, *ibid.* II. Commendatur illi a Gregorio clementia, *ibid.* Meditatur excire e Germania filium ad colloquium, *ibid.* IV. Raynaldum repetundarum reum conjicit in vincula, *ibid.* VI. Urgetur a Pontifice pluribus literis, ut illi ignoſcat, *ibid.* V. VII. Imponit clericis iniquiores leges, *ibid.* IX. Monetur a Gregorio ut eas revocet, *ibid.* Aſperioribus illis monitis exulcera-

ra-

ratur, *ibid.* X. Illum placare ſtudet Gregorius, *ibid.* Queritur Pontificem Hieroſolymitani Regis nomen in literis ipſi datis tacuiſſe, *ibid.* XI. Excuſat ſe Gregorius, illique eum titulum honoris tribuit, *ibid.* Solicitatur ad ſectandas principe dignas virtutes, *ibid.* XII. Vetera edicta in hæreticos renovat, *ibid.* XVIII. Ad præfectum Inſubriæ ea tranſmittit, *ibid.* Illos flammis iniici, linguiſve amputari jubet, *ibid.* In Sicilia citeriore ad ſupplicium quæri, *ibid.* Significat Gregorio Perſas Syriæ imminere, ſeque ad movenda in eos arma divino zelo excitatum jactat, *ibid.* LII. Solicitatur ut bellum iis inferat, *ibid.* LIII. LIV.

Friderici II. arma in Romanos Gregorius implorat, 1232. XXXVII. Diſcordiam clandeſtinis artibus inter Romanos & Viterbienſes alit, *ibid.* XL. Palam ſe Pontifici addictum oſtentat, *ibid.* XLI. Solicitatur ad perducenda pia ſuſcepta conſilia, *ibid.* XLII. Sarracenos Siculos fovet, *ibid.* XLIII. Jubetur illos graſſantes in eccleſias comprimere, *ibid.* A Sultano Syriæ munera ingentia accipit, *ibid.* Excitatæ in regno Hieroſol. adverſus eum turbæ, *ibid.* XLIV. Accon Berythi regulum recipit, *ibid.* Præfectus ipſius acie vincitur, *ibid.* Pontif. ſtudio ſervata illi regni jura, *ibid.* XLV. Excitatur a Gregorio ut Nucerinos Sarracenos ad exuendam ſuperſtitionem inducat, 1233. XXIV Offert Pontifici armorum potentiam ad debellandos Eccleſiæ hoſtes, *ibid.* XXV. Excitus in auxilium Meſſanam avolat, *ibid.* XXVI. Rebellantes ibi nonnullos ſupplicio afficit, *ibid.* Queritur de Gregorio, non curaſſe ſibi læſo a Longobardis fieri ſatis, *ibid.* XXVIII. Illius querelas literis refellit Gregorius, *ibid.* XXIX. Cajeta ad illius obſequium adducitur a Pontifice, *ibid.* XXXII. Contra promiſſa Cajetanis infenſum ſe præbet, *ibid.* Sibi exoſos, impoſito hæreſeos crimine flammis tradit, *ibid.* XXXIII. Corripitur graviſſime a Gregorio, *ibid.* XXXIV. Suam Pontifici in Romanos perduelles operam defert, 1234. III. Ut filii Henrici rebellio ad id ipſum permoverit, *ibid.* Gregorii cauſam turpiſſime deſerit, *ibid.* V. Intereſt Synodo Spoleti a Pontifice & tribus patriarchis orientalibus celebratæ, *ibid.* XXVII. Promittit ſe in Sarracenos bellum geſturum, *ibid* Ad conciliandos ipſi Acconenſes Thedericus archiepiſc. in Syriam miſſus, *ibid.* XXXII. Miſſos pro tractanda cum Longobardis controverſia Cardinales legatos benigne excipit, *ibid.* XXXIII Rem totam arbitrio Pontificis permittit, *ibid.*

Fridericus II. fit certior a Gregorio iniri ab ipſo cum Romanis tractatum pacis, 1235. VII. Quid Pontifici reſcripſerit, *ibid.* Adverſus Henricum filium perduellem in Germaniam proficiſcitur, *ibid.* VIII. Apoſtolicas in eum literas obtinet, *ibid.* IX. In gratiam filium recipit, *ibid.* X. Paulo poſt coniicit in carcerem, *ibid.* XI. Relegat in Apuliam, *ibid.* Urgetur a Gregorio ut controverſiam, quæ ipſi cum Inſubribus intercedit, in pontificium arbitrium conferat, *ibid.* XIII. Aſſentitur, ſed anguſtioribus terminis illius dirimendæ tempus circumſcribit, *ibid.* Sepulcro B. Elizabeth pretioſiſſimam coronam appendit; pro obtinenda in uxorem Iſabella Regis Angliæ ſorore interceſſorem Gregorium adhibet, *ibid.* XXX. Nuptias cum illa Wormatiæ celebrat, *ibid.* XXXI. Acconenſes & Templarios conciliare illi nititur Gregorius, *ibid.* XL. Ybellinum a Tyro obſidenda deterret, *ibid.* XLII. Pro adducendo in concordiam Cypri Rege laborat Pontifex, *ibid.* XLIV. Præmonetur a Gregorio ne Longobardico bello ſe implicari ſinat, 1236. I. Servet inducias quam principibus Chriſtianis indicendas curavit, *ibid.* II. Totius Italiæ dominationi inhiat, *ibid.* III. Quibus prætextibus ambitionem ſubornarit, *ibid.* IV. Jacobus Præneſtinus epiſcopus pro ſopiendo naſcente bello miſſus, *ibid.* V. VI. Illum ob Placentinos conciliatos inſectatur *ibid.* VII. Pontifex illius prætextus confutat, legatumque defendit, *ibid.* VIII. Negat Gregorius Inſubres, uti jactat, contumaciæ argui poſſe, *ibid.* XI. Irrumpit in Inſubriam, *ibid.* XII. Mediolanenſes obviam eunt cum exercitu, mox recedunt, *ibid.* Vicentiam flammis delet, *ibid.* Revocatur in Germaniam ducis Auſtriæ rebellione, *ibid.* XIII. Rogat Pontificem ut pacis tractatum redintegret, *ibid.* Legatos, perdomito Auſtriaco, aditu ad ſe prohibet, *ibid.* Frajapanis opera ſeditionem adverſus Pontificem in urbe concitat, *ibid.* XIV.

Fridericus II. Eccleſias Siciliæ opprimit, 1236. XIV. Objurgatur a Pontifice, *ibid.* XV. XVI. Repungit Gregorium aculeatis literis, *ibid.* XVII. Ab ipſo confutatur, *ibid.* XVII. XVIII. Arguitur ob conjectum in vincula Regis Tunetani nepotem, *ibid.* XXII. Seductum dixerat venientem ad ſuſcipiendum baptiſmum, *ibid.* Convincitur magnæ impietatis a Gregorio, *ibid.* XXIII. Increpatur Romanos ſubornare pecuniis ſtuduiſſe, *ibid.* Subjectum eſſe cenſuræ apoſt. oſtenditur, *ibid.* XXV. Ob vetitos evangelicos præcones, ne ſacras haberent conciones percellitur, *ibid.* Rogat Gregorium mitti Cardinales ad tractandam concordiam inter ipſum & Inſubres, 1237. I. Mantua potitus legatos ſedis Apoſtol. aditu ſuo prohibet, *ibid.* VI. Montem Clarum expugnat, *ibid.* VII. Mediolanenſes opem Brixianis ferentes magna clade fundit, *ibid.* VII. Non incruenta Friderico victoria fuit, *ibid.* IX. Præfectum Mediolanenſium & Carrocium capit, *ibid.* X. Illud Romanis ad oſtentationem victoriæ tranſmittit, *ib.* XII. Subornat ex iis aliquos, *ibid.* Illorum opera nititur Gregorium ingreſſu in Urbem prohibere, ſed fruſtra, *ibid.* Solicitatur ut expeditionem, quam indici curaverat, ſuſcipiat, *ibid.* LXXX. Rogatur a Pontifice ut Balduini copiis liberum aditum concedat, 1238. XXV. XXVI.

Fridericus II. Gallorum expeditionem in Terram ſanctam diſturbat, 1238. XXXVII. Supremum Sardiniæ dominium eccleſiæ eripit, *ibid.* LXVIII. Oblatas a Mediolanenſibus ampliſſimas concordiæ conditiones reſpuit, *ibid.* LXIX. Res ſuas arrogantia nimia evertit, *ibid.* Brixiam irrito conatu obſidet, *ibid.* LXXI. Romanos aliquos in Gregorium concitat, qui mox repreſſi, *ibid.* LXXII. Percellitur anathemate a Pontifice, 1239. I. Quas ob cauſas lata in eum ſententia, *ibid.* II. *& ſeqq.* Præſentiens ſibi anathema incuſſum iri, comminatorias literas Cardinalibus mittit, *ibid.* XIII. Lata die palmarum ſententia ac die cœnæ Domini renovata, *ibid.* XIV. Toto orbe promulgari juſſa, *ibid.* XV. Ipſius ſubditi ſacramenti religione liberati, ac loca, ad quæ accederet, interdicto ſuppoſita, *ibid.* Ingentes adverſus Gregorium iras concipit, *ibid.* XVII. Subornat in eum calumnias, quæ refelluntur, *ibid.* XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. Comminatur Rom. Eccleſiam & ſacra quæque evertere, *ibid.* XXIII. Ingratus illius erga ſedem Apoſtolicam animus, *ibid.* XXIV. Negat Pontificem ligandi ſolvendique auctoritate valere, *ibid.* XXV. Blaſphemas voces in Chriſtum evomit, *ibid.* XXVI.



XXVI. Meditatur Pontifex in eum inquiſitionem exercere, *ibid.* A ſchiſmaticis & Sarracenis Frid. ea venena hauſerat, *ibid.* XXVIII.

Fridericus II. impium epigramma in pontificium cubiculum iniici curat, quod retorquetur gravi diſticho a Pontifice, *ibid.* Caſſinenſes monachos eiicit, *ibid.* XXX. Tyrannicas fert leges, *ibid.* XXXI. Principes Eccleſiæ ſtudioſos proſcribit, *ibid.* XXXII. Bellum Gregorio movet, *ibid.* XXXIII. Patrimonium B. Petri occupare tentat, *ibid.* Entium in Marchiam immittit, *ibid.* Crepacorium exurit, *ibid.* XXXIV. Bononienſes fundit, *ibid.* Mediolanenſes aggreditur ac propulſatur, *ibid.* Placentiæ pontem aſcendit, derivatoque in caſtra flumine ad fugam compellitur, *ibid.* Confert ſe in Hetruriam, *ibid.* Piſis natali Domini die prophanat divina, *ibid.* Latæ in eum ob violatum eccleſiaſticum interdictum pœnæ, *ibid.* XXXV. Raven. & Tarviſium amittit, *ibid.* XXXVII. Denuntiatum illi a Gallis bellum, ſi de fide male ſenſerit, *ibid.* XXXIX. Crimen inficiendo purgat, *ibid.* Ferdinandus Rex Caſtellæ & Legionis pro redintegranda inter ipſum & Pontificem concordia mittit Sancti Facundi abbatem, *ibid.* XLII. In Dania, Gallia & Anglia ſolemni ritu anathemate implicitus promulgatur, 1240. I. Non ita in Germania, *ibid.* Queritur de Henrico Rege Angliæ ab ipſo pontificias partes efferri, *ibid.* Scribitur ad principes electores, ut novum ſibi Imperatorem præficiant, *ibid.* II. Acceſſitur in auxilium a Senenſibus adverſus Florentinos, *ibid.* III. Trahuntur in partes illius Aretini, *ibid.* Jactati ab illo invadendæ Marchiæ prætextus, *ibid.* IV. Nonnulla loca Entii opera in ea occupat, *ibid.* V. Deficiunt ad ipſum Fulginates, *ibid.* VII. Cum fugam meditaretur, a Viterbienſibus excitus Romam terrore complet, *ibid.* IX. Plura loca ad defectionem pellicit, *ibid.* X.

Fridericus II. Romanos plures corrumpit largitionibus, 1240. XII. In eum a Gregorio poſt ſolemnem ſupplicationem ſacrum bellum promulgatum, *ibid.* Vetat, intentatis graviſſimis pœnis crucem a quoquam geſtari, *ibid.* XIII. Horrenda illius crudelitas in eos, qui ſe cruce conſignarant, *ibid.* In regnum Neapolitanum ſe recipit, *ibid.* XIV. Extrema æſtate Beneventum vaſtatis prius agris, obſidione cingit, *ibid.* Contractis validis copiis Campaniam fruſtra tentat, *ibid.* XVII. Irrumpit in Romaniolam, *ibid.* XVIII. Faventiam obſidet, *ibid.* Amittit Ferrariam, *ibid.* XIX. Provinciæ comes & Arelatenſis archiep. ab ipſo deficiunt, *ibid.* XX. Alexandrini ad pontificias partes ſe transferunt, *ibid.* Damaſceno & Babylonio ſultanis comminatur in eos occidentis vires converſurum, ni captivos Chriſtianos humaniter tractent, *ibid.* L. Indictum a Gregorio concilium diſcutere terroribus tentat, *ibid.* LV. LVI. Tartaros in Chriſtianorum excidium exciviſſe creditur, 1241. XXIX. Spem falſam iniicit in eos ducturum, *ibid.* XXX. Bela ſupremum illi Ungariæ dominium ſi regno reſtitutus fuerit retento fiduciario, pollicetur, 1241. XXXII. Inſignis Friderici vecordia rem non ſuſcipientis, *ibid.* Ementitur pacem ambire, dum Pontificem atrocius inſectatur, *ibid.* XXXIII. Solicitatus a principibus Imperii, ut in Germaniam procurreret contra Tartaros, procraſtinat, *ibid.* XXXV. Quas morarum cauſas obtenderet, *ibid.* XXXV. Derivat facti invidiam in Pontificem, *ibid.* XXXVII. Refelluntur ejus calumniæ, *ibid.* XXXVIII. XXXIX. Beneventum & Faventiam Pontifici eripit, *ibid.* XLVI. Exhauſto ærario monetam e corio conficit, *ibid.* Rapinas in eccleſias ad inopiam explendam exercet, *ibid.* XLVII. XLVIII. Conſilium initio poſtulat, ac recuſat poſtea, *ibid.* XLVIII. Illius minis fracti Ungariæ præſules excuſant ſe, ne ad Synodum veniant, *ibid.* XLIX. Claſſem ad intercipiendos occidentalium regnorum præſules adornat, *ibid.* LIII. Invitat ad ſe eos, qui Januam appulerant, *ibid.* LIV. Recuſantibus iis, jubet Entio ut ipſos capiat perdatque, *ibid.*

Fridericus II. navali cruento prælio Januenſes profligat, ac præſules, capit, necatque, *ibid.* LV. LVI. Illius de parta victoria triumphales literæ, *ibid.* LVII. Crudelitatem in legatos & antiſtites captos exercet, *ibid.* LXVII. S. Ludovicus literas mittit & oratores, ut Gallicanos præſules dimittat e carcere, *ibid.* LXXVI. Quid S. Regi reſponderit, *ibid.* LXXVIII. Gallorum metu eos liberat, *ibid.* Mediolanenſes ſuorum opera levi prælio delet, *ibid.* LXXX. Ditionem pontificiam vaſtat, *ibid.* Interamnam, Narniam, Tibur, Albam, Cryptam ferratam occupat, *ibid.* Romam fruſtra tentat, *ibid.* Joannes Columna Cardinalis ad ipſum deficit, *ibid.* De Gregorii morte exultat, *ibid.* LXXXIII. De ea re ad Reges literæ, *ibid.* Fallacia ejus promiſſa, *ibid.* LXXXIV. Cardinales vinctos acceptis obſidibus relaxat, ut novi Pontificis electioni interſint, *ib.* LXXXV. Uxor ipſius Iſabella in partu moritur, *ibid.* LXXXVII. Ptolemais in eum rebellat, *ibid.*

Fridericus II. electioni Romani Pontificis plura impedimenta affert, 1242. I. Arrogantes ad Cardinales literas ſcribit, *ibid.* II. Mittit oratores ad ipſos pro tractanda pace tractatumque diſſolvit, *ibid.* IV. Ditionem eccleſiaſticam vaſtat, *ibid.* Aſculum ad deditionem compellit, *ibid.* Romam irrito conatu oppugnat, *ibid.* V. Solicitatus ut arma in Tartaros verteret oblatas preces reſpuit, *ibid.* VI. Henrici Regis primogeniti mortem plangit, 1242. XX. Ejus de ea re literæ, *ibid.* XXI. Romam fruſtra obſidione tentat, 1243. I. Quas illati belli cauſas prætenderit, *ibid.* II. Othonem Cardinalem carcere liberat, *ibid.* III. Et Jacobum Præneſtinum epiſc. *ibid.* IV. Gratulatur Innocentio IV. de adepto pontificatu, *ibid.* X. Tranſmittit oratores ad redintegrandam concordiam, *ibid.* XII. Pontificios legatos pro ea tractanda recipit, *ibid.* XIII. Quæ juſſi fuerint legati ipſi proponere, *ibid.* XIV. Multas in eccleſiam querelas congerit, *ibid.* XVI. Ut iis reſponderit Innocentius, *ibid.* XVII. XVIII. Viterbienſes illius jugum excutiunt, *ibid.* XXIII. Strenue adverſos ipſius impetus propulſant, *ibid.* A pluribus deſeritur, *ibid.* XXIV. Balduinus ad ipſum confugit, *ibid.* XLIX. Vatacio ſchiſmatico filiam in matrimonio collocat, *ibid.*

Fridericus II. Hieroſolymas immittente Choraſminos ſultano Babylonio, amittit, 1244. VI. Ejuſdem de ea re literæ, *ibid.* III. Coliſæi partem una cum palatio a Frajapanis permutationis nomine ſibi comparat ad affectandum Urbis dominium, *ibid.* XIX. Ejus doli ab Innocentio diſſoluti, *ibid.* Tractatum pacis init cum Innocentio, 1244. XX. Illius leges, *ibid.* XXIV. Turpiter a promiſſis reſilit, *ibid.* XXX. Quem prætextum diſſolvendæ pacis objecerit, *ibid.* XXXII. Struit inſidias Pontifici, *ibid.* Ex iis elabitur Innocentius, & Gallias petit, *ibid.* XXXIII. Facti invidiam in Pontificem derivare nititur, *ibid.* XXXV. Percellitur anathemate ab Innocentio IV. die cœnæ Domi-

mini, 1245. Oblata illi a Pontifice reconciliatio, ſi priores pacis leges ſervare voluerit, *ibid.* IV. Illam reſpuit, *ibid.* Ingentia promiſſa patribus concilii Lugdunenſis facit, ut eccleſiæ gratiam comparet, *ibid.* XXVII. Cur ea ab Innocentio repudiata, *ibid.* XXVIII. Querelæ ipſi a Pontifice apud patres objectæ, *ibid.* Thadæus e Sueſſa fruſtra illa refutare nititur, *ibid.* XXXI. Datæ Friderico induciæ ut accederet ad Concilium, *ibid.* Spernit ſe illi ſubiicere, *ibid.* Ducis Auſtriæ filia reſpuit ejus nuptias, ni cœtui fidelium fuerit reſtitutus, *ibid.* XXXII. Provocat ad alium concilium Fridericus; ſententia ab Innocentio in eum concilio approbante, lata, *ibid.* XXXIII. De ejuſdem ſceleribus, *ibid.* Jubentur principes electores novum creare Imperatorem, *ibid.* XLII. Intentatum iis anathema, qui ipſum appellarent Imperatorem, *ibid.* XLVII.

Fridericus II. Anglos ſolicitat, ne ſe Apoſtolicæ ſedis fiduciarios profiteantur, 1245. LV. Quo furore audita Fridericus ſententia fuerit inflammatus, *ibid.* LVIII. Atroces literas adverſus Pontificem ſcribit, *ibid.* LIX. Comminatur eccleſiaſticos ſe in extremam inopiam redacturum, *ibid.* LXI. Magnam exiſtimationi labem impiis literis aſpergit, *ibid.* LXII. Quanta maturitate conſilii in eum lata ſententia, *ibid.* LXIV. Tarviſini ſacramenti illi præſtiti religione liberati, *ibid.* Henricus Lantgravius Thuringiæ in Germania adverſus illius tyrannidem creatus Rex Romanorum, 1246. IV. Sacrum bellum in eum promulgatum, *ibid.* Ipſius filius Conradus profligatur in Germania, *ibid.* IX. Duo Cardinales legati in Siciliam ad populos concitandos miſſi, *ibid.* XI. Deficiunt ab ipſo Siculi, *ibid.* XIV. Ægre ex familiarium inſidiis evadit, *ibid.* XV. Derivat criminis invidiam in Pontificem, *ibid.* Refellitur, *ibid.* Mittit ad Innocentium oratores, ut ſe a nota hæreſeos purget, *ibid.* XVII. Repulſis iis jubetur accepto ſecuritatis pignore ſine armis accedere, *ibid.* XX. Contra latam in ſe ſententiam ſcripta diſſeminat, *ib.* XXII. Refelluntur ejus dicta, *ibid.* S. Ludovicus inter ipſum & Innocentium pacem tractat, *ibid.* XXIV. Quid ipſi ab Innocentio reſponſum, *ibid.* XXV. Statutæ adverſus ejus fautores a Pontifice pœnæ, 1247. III. Willelmus Hollandiæ comes, mortuo Henrico Rege adverſus Fridericum Rex ſalutatus, *ibid.* IV.

Fridericus II. ſicarios ad trucidandum Innocentium immittit, 1247. IX. Eluſis iis inſidiis vi aperta Lugduni illum opprimere meditatur, *ibid.* X. Taurinum cum exercitu prætergreditur, *ibid.* Parmam amittit, *ibid.* Ad eam obſidendam ſigna convertit, *ibid.* Novam urbem in circuitu, quam Victoriam falſo præſagio vocat, extruit, *ibid.* X. Quas expeditionis in Gallias cauſas obtenderit, *ibid.* XI. Gloriatur ſubmiſſas Mediolanenſibus a Pontifice copias deletas a Sabaudiæ comite, *ibid.* S. Ludovicus ducere exercitum in Italiam adverſus ipſum cogitat, *ibid.* XII. Armorum potentiam offert Pontifici, *ibid.* XIII. Item & Regina Blanca una cum filiis, *ibid.* XV. Ex omnibus regnis coacta adverſus ipſum ſubſidia ab Innocentio, *ibid.* Auſtriam, extincto illius duce, ſibi ſubiicere meditatur, 1247. XXVI. Solicitatur Willelmus Rex Rom. ut Belæ contra Fridericum ſtudeat, *ibid.* Fert iniquas leges adverſus eccleſiaſticos, 1248. I. Hæreſis juſta ſuſpicione laborare convincitur, *ibid.* III. Intentatæ illi graviores minæ, ni pertinaciam fregerit, *ibid.* VI. Sacrum ei propoſitis indulgentiis, bellum indictum, *ibid.* VII. Bohemiæ proceres Premiſlao adhærent, *ibid.* VIII. A Wenceſlao Rege gravibus ſuppliciis affecti, *ibid.* IX. Aquiſgranum amittit, ubi Willelmus ſolemni ritu corona redimitus, *ibid.* XIV. Conradus ipſius filius hæreticorum fautorem ſe exhibet, ac magna clade funditur, *ibid.* XV. & *ſeq.* A Parmenſibus magna ſuorum cæde repellitur, *ibid.* XVII. Illius caſtra incenſa, *ibid.* Nimia crudelitate veniam flagitantes repulerat, *ibid.* XVIII. Aretinum epiſcopum crudeliſſime paucis ante diebus necari juſſerat; Victorum de clade ipſi illata literæ, *ibid.* XIX.

Fridericus II. ſuos ad conſtantiam confirmare nititur, *ibid.* XXII. Florentia potitur, *ibid.* XXIV. Herode, Juda, & Nerone deterior exiſtimatus, 1249. XII. 1251. XI. Entius Friderici filius a Bononienſibus capitur, *ibid.* Fruſtra promiſſis miniſque ad reſtituendum filium flectere nititur, *ibid.* Sacro igne torquetur, *ibid.* XIII. Petrum e Vineis ob porrecti veneni ſuſpicionem oculis orbat, *ibid.* Apuli in eum conſurgunt, *ibid.* XIV. Creditum ſpecie liberandi S. Ludovici oratores ad eum in carcere detinendum ſoldano miſiſſe, 1250. XXXI. Ipſius ſequaces Florentiæ de capto S. Ludovico feſtos dies agitant, *ibid.* Arelatum & Avenionem obtinet, *ibid.* XXXI. Dæmonum oraculis deluditur, *ibid.* XXXII. A Manfredo æger præfocatus dicitur, *ibid.* Fertur pœnituiſſe ſcelerum in extremo morbo, *ibid.* XXXIII. Illius teſtamentum, *ibid.* XXXIV. & *ſeq.* De re literaria benemeritus, *ibid.* XXXVI. Epitaphium, *ibid.* XXXVI.

Friſii a Willelmo Rege perdomiti, 1255. LIV. Decimas ei pendere ſpondent, *ibid.* Præſagiunt illi cædem, 1256. I. Ipſum ex inſidiis opprimunt, *ibid.*

Friſlavum a Conrado Thuringiæ Lantgravio deletur, 1232. XI. Conradus facti pœnitens hoſpitalariis Theutonicis ſe aggregat, *ibid.*

Fulconis Toloſani epiſcopi mors, 1231. XXIII.

Fulco arch. Gneſnenſis juſſus ab Alex. IV. cenſuras in Boleſlaum ducem Sileſiæ diſtringere, 1256. X. Thomæ epiſcopi Wratiſlavienſis vincula ulciſcitur, *ibid.* XIII.

Fulginium ad Fridericum turpiter deficit, 1240. VII.

Fumonis caſtrum reſtitutum Eccleſiæ, 1232. XXXVI.

Fuxenſis comes a Gregor. IX. anathemate defixus, 1229. XL.

# G

GE Calviniaco Dolam a ſede Apoſt. jure fiduciario obtinere profitetur, 1238. XLI.

Galandia a Tetrico crucigerorum magiſtro Chriſtiano imperio adjuncta, 1254. XXIX.

Galfridus ſive Siffridus Card. patria Mediolanenſis creatur Pontifex. *Vide*, Cœleſtinus IV.

Gallia; Galli. *Vide*, Ludovicus VIII. & IX. Francorum Reges.

Gaufridus e Bello loco S. Ludovici vitæ ſcriptor, 1250. V.

Genuenſes magnis immunitatibus aucti ab Alexandro IV. 1254. VIII.

Georgiani a prima naſcente eccleſia Chriſtianis ſacris imbuti, 1240. XXXIX. Infeſtantur a Tartaris, quos demum propulſant, *ibid.* XL. Excuſat ſe Gregorius IX. apud Ruſudem eorum Reginam auxilia non ſubmiſiſſe, *ibid.* XLI.

S. Georgius creditus opem tuliſſe Jacobo Regi





Aragonum in Majoricæ expugnatione, 1230. XXXVI. Cum exigua Chriſtianorum manu maximas barbarorum copias fudiſſe, 1238. XLV.

Georgius Logotheta ex nimio in ſuos ſtudio egregie a Latinis geſta ſubticet, 1235. XXXII.

Gerardus I. Archiep. Maguntinus ab hoſtibus captus, 1256. VIII.

Gerardus archiepiſc. Maguntinus in locum deturbati Chriſtiani ab Hugone Card. A. S. L. ſufficitur, 1251. XII.

Germania. *Vide*, Fridericus II. Henricus & Conradus ipſius filii.

Germanus patriarcha Græcorum literas ad Pontificem de conjungenda orientali eccleſia cum Romana mittit, 1232. XLVI. Agnoſcit primatum ſedis Apoſt. *ibid.* De eodem ſcribit ad Cardinales, *ibid.* L. Reſcribit illi Gregorius, *ibid.* Revocare illum nititur Pontifex ad Romanæ Eccleſiæ conjunctionem, 1233. I. Ea de re ad eum literæ, *ibid.* II. Miſſi ad ipſum nuntii, ut difficultates quas proponeret, ſolverent, *ibid.* V. Excipit illos honorifice, *ibid.* Duas affert cauſas cur diſceſſerit ab Eccleſia Romana ob Spiritus ſancti proceſſionem ex Filio, & Euchariſtiam conficiendam in azymo, *ibid.* VI. Diſputat de proceſſione Spiritus ſancti, *ibid.* VII. Refugit de Euchariſtia tractare, niſi in ſuorum Synodo, *ibid.* IX. Concilium celebrat, *ibid.* X. Vocat ad illud nuncios; cur illi mandatum Pontificium fuerint prætergreſſi, *ibid.* Diſſolvitur, exaſperatis utrinque animis, eccleſiarum conjunctionis tractatus, *ibid.* XV.

Gerundenſis epiſcopus, 1246. XLIV. Quæ pœnæ Jacobo Regi ob linguam illi amputatam impoſitæ, *ibid.* XLVIII.

Giennium Hiſpaniæ urbs a Ferdinando Rege Caſtellæ Sarracenis eripitur, 1243. XLIV.

Giroldus Patriarcha Hieroſol. accuſatur diſcordiam incendiſſe in Fridericum, 1232. XLIV. Evocatur in occidentem a Greg. IX. *ibid.*

Gladius ex altari B. Petri ſumptus cultori Mahometi a Friderico impie traditus, 1229. XXIII.

Gneſna obſidione ab Wladiſlao Othone fruſtra tentata, 1236. LXV.

Gneſnenſis archiep. præferendæ crucis a Greg. IX. poteſtatem obtinet, 1238. LXI.

Gokam ſive Guyne. *Vide*, Cuyne.

Gomeſius electus Olyſipponenſis a Luſitaniæ Rege exagitatus, 1238. XLIX. Suſceptum a Gregorio IX. illius patrocinium, *ibid.* Graviſſima Gregorii ad Regem Luſitanum ea de cauſa data monita, 1238. L.

S. Gothardus miraculis fulget, 1232. IX. In celſiore & honorificentiore loco collocatur, *ibid.* IX. Ejus tranſlatio, 1232. IX.

Gotlandi ad fidem converſi, 1232. IV. Promiſſa iis libertas, ut nec Sueciæ, nec Daniæ ſint obnoxii, dum in fide perſtiterint, *ibid.*

Gradenſis eccleſia magnis privilegiis decorata ab Alex. IV. 1256. XL.

Græci; de conjungenda eccleſia Græcorum cum Romana agitur, 1232. XLVI. Ob ſpretum Rom. Eccleſiæ primatum in ſervitutem redacti, *ibid.* LII. Cyprii ad obſequium eccleſiæ traducti, 1248. XXXIII. 1250. XLI. Quibus legibus, *ibid.* Quid ſanxerit Innocentius IV. de Græcis ad Eccleſiæ conjunctionem adducendis, 1247. XXXI. Plures Græci ad eumdem Innocentium IV. accedunt & ſchiſma poſt varias concertationes abjurant, 1254. VI. Græcorum Cypriorum controverſiæ cum Latinis habitæ diremptæ ab Innocentio III. *ibid.* VII. *Vide*, Schiſmatici.



Græcorum patriarchæ; Michael Antyrianus, 1232. LIV. Sedet Niceæ, *ibid.* Manuel philoſophus, *ibid.* Germanus, 1232. XLVI.

Græci; Alexandri IV. curæ pro traducendis ad Eccleſiam catholicam Græcis ſchiſmaticis, 1256. XLVII. Obtinendæ conjunctionis gratia, ut Græci ad ſedem Apoſtolicam provocarent, & alia permittebat Imperator, *ibid.* XLVIII. Græcorum dolus, *ibid.* L. Oblata a ſede Apoſtolica Græcorum patriarchæ, *ibid.* LIII. LIV.

Gregorii IX. Papæ ad archiepiſcopum Mediolanenſem literæ de re male geſta a Friderico in Oriente, 1229. II. Capita impie initi a Friderico fœderis a patriarcha miſſa ad Gregorium, *ibid.* XV. XVI. Quæ improbarit in Fridericum, *ibid.* XXIII. Ea de re ad ducem Auſtriæ literæ, *ibid.* XXIII. XXIV. Siciliæ plura loca in ſuam poteſtatem redigit, *ibid.* XXXI. Joannis Regis Hieroſolym. opera in Fridericum utitur, *ibid.* XXXII. Plures urbes antea partas amittit, *ibid.* Infeſtatur acerrime a Friderico, *ibid.* Auxilia a Longobardis flagitat, *ibid.* De iis ſeram opem ferentibus queritur, *ib.* XXXIII. Petrus Luſitaniæ aulæ princeps ſuam illi operam defert, *ibid.* XXXIV. Commendat illius ſtudium, *ibid.* E pluribus regnis ſubſidia accerſit, *ibid.* XXXV. Lugdunenſem archiep. copias auxiliares jubet adducere, *ibid.* Excitat Pariſienſem epiſcopum ad defendendam Eccleſiam, *ibid.* XXXVI. Vibrat cenſuras graviores in Fridericum, *ibid.* XXXVII. Forma jacti ab eo anathematis in hoſtes eccleſiæ, *ibid.* XXXVII. In hæreticos, *ibid.* In Fridericum, *ibid.* Subditos illius ſacramenti præſtiti religione abſolvit, *ibid.* XXXVIII. In Raynaldum ac Bertoldum duces, *ibid.* XXXIX. In Fuxenſem comitem & vicecomitem Biterrenſem, *ibid.* XL. In Theodorum Comnenum, *ibid.* XLI. In Gaufridum e Luſiniaco, *ibid.* In Ubaldum Sardiniæ invaſorem, *ibid.* Interpellatur a Friderico de pace, *ibid.* XLII. Ad eam inclinat, *ibid.* XLIV. Abhorret a cædibus, *ibid.* Commendat graviter legato Pelagio clementiam, *ibid.* XLV. Deplorat hoſtes a ſuis inhumanius tractari, *ibid.* Diſſentientem cum Rege academiam Pariſienſem conciliare nititur, *ibid.* LIII. Vetera privilegia illi reſtitui jubet, *ibid.* LV. Proceres Gallos in gratiam cum Rege ſtudet adducere, *ibid.* LVI. Commendat Jacobum Regem Aragonum flagitantem regio diademate pontificiis manibus redimiri, *ibid.* LVIII. Rem in tempus commodius differt, *ibid.* Venerationem S. Franciſci fidelibus commendat, *ibid.* LX. Judæorum filios, altero parente converſo, in lege Chriſtiana educandos decernit, *ibid.* Cumanos ad clientelam apoſtolicam adſciſcit, *ibid.* Chunetenſem ſedem erigit, *ibid.*

Gregorius IX. Papa revocatur Peruſio in Urbem a Romanis divinas iras metuentibus, 1230. I. Ut Tiberis eluvio lueſque ad id ipſos compulerit, *ibid.* II. Explicat munificentiam in egenos, *ibid.* Ad pacem dandam Friderico adducitur, *ibid.* III. Fridericum ſacramento adigit, apoſtolicis imperiis pariturum, *ibid.* IV. Exigit ad vinciendam ejus fidem nonnullas arces tradi; exponi illi a Cardinalibus legatis jubet cauſas ob quas anathemate defixus eſſet, *ibid.* VII. Aſtringit jurejurando erepta eccleſiæ, illiuſque ſtudioſis reſtitutum iri, *ibid.* Fridericum abſolvi anathemate jubet, *ibid.* VIII. Quem ritum ſervari voluerit, *ibid.* VIII. IX. Reſtitui Siculo clero libertatem eccleſiaſticam curat, *ibid.* X. Gratulatorias ad Fridericum de comparata Eccleſiæ gratia literas ſcribit, *ibid.* XI. XII.

Rem geſtam S. Ludovico ſignificat, ibid. XIII. Certiores facit Inſubres donatas ipſis omnes injurias a Friderico, *ibid.* XIV. Illius ſacramentum tranſmittit, *ibid.* Salutatur Anagniæ a Friderico, *ibid.* XV. Illum honorifice excipit, *ibid.* Exagitantem contra promiſſa eos, qui partes Eccleſiæ fuerant ſequuti, arguit, *ibid.* XVII. Ad clementiam literis ſuis inflectere nititur, *ibid.* In Urbem redit, *ibid.* XVIII.

Gregorius IX. Papa amplificat palatium Lateranenſe S. Petri & Baſilicam ornat, 1230. XVIII. Lucanos Carfagnanam, Urbevetanos Vallem lacus eccleſiæ reſtituere jubet, *ibid.* XIX. Ad emendandos clericorum mores ac frænandam illorum incontinentiam incumbit, *ibid.* Ea de re ad præſules Siciliæ literæ, *ibid.* XIX. XX. Minoritas ad virtutes ſectandas hortatur, *ibid.* XXI. De ea re, deque defuncto ad vitam ope S. Franciſci revocato literæ, *ibid.* Tranſlationem reliquiarum S. Franciſci a Minoritis celebrari jubet, *ibid.* XXII. Arguit Aſſiſinates magiſtratus, qui in ferendis iis ſacerdotum munus invaſerant, *ibid.* Jubet cenſuris percelli, ni temerarium facinus expient, *ibid.* Dominicanos excitat ad inferendum ſeptentrionalibus infidelibus evangelium, *ibid.* XXIII. Chriſtianos a Pruthenis paganis afflictos tuetur, *ibid.* De B. Virgilii Saliſburgenſis archiepiſcopi miraculis inquiri jubet, *ibid.* XXVI. Avaritiam caſtigat in clericis, *ibid.* XXIX. Maſſilienſibus in clientelam apoſtolicam acceptis cenſum imponit, *ibid.* Sopire exortum inteſtinum in Galliis bellum nititur, *ibid.* XXX. D. Ludovic. apoſtolico patrocinio commendatum tuetur, *ibid.* Cenſuris proceres a Carnotenſi epiſc. comprimi jubet, *ibid.* Partas ab Hiſpanis de Sarracenis victorias aliis fidelibus ſignificat, *ibid.* XXXV. Ad ferenda illis auxilia excitat, *ibid.* Compoſtellanum archiepiſcopum Emeritæ & Badalocio epiſcopos præficere jubet, *ibid.* XXXVI. Rogatur a Jacobo Aragoniæ Rege epiſcopalem ſedem in Majoricana urbe erepta Sarracenis inſtituere, *ibid.* XXXVII. Petitis annuit, modo ab Rege bonis inſtructa fuerit, *ibid.* Excitat fideles ad petendam, excolendamque Majoricam, *ibid.*

Gregorius IX. Papa promiſſos a Friderico fidejuſſores exigit, 1231. I. Templarios illi commendat, *ibid.* II. Hortatur ad clementiam, *ibid.* Monet Inſubres, ne Henricum ad patrem Imp. acceſſurum aditu in Italiam arceant, *ibid.* IV. Raynaldum hoſtem ſuum priſtino ſtatu dejectum in Frideric. gratiam reſtituere nititur, *ibid.* V. Singularis Gregorii manſuetudo, *ibid.* Urget repetitis literis Fridericum, ut illi ignoſcat, *ibid.* VII. Comitatum Eſculanum epiſcopo vectigalem tradit, *ibid.* VIII. Revocare jubet Fridericum latas in clericos iniquiores leges, *ibid.* IX. Exulceratum aſperioribus monitis placare nititur, *ibid.* X. Querente Friderico prætermiſſum ab ipſo in literis Regis Hieroſolym. nomen ſe excuſat, illudque ipſi attribuit, *ibid.* XI. Excitat ad ſectandas dignas principe virtutes, *ibid.* XII. Damnat Romæ plures Patarenos, *ibid.* XIII. Severas leges adverſus ipſos promulgat, *ibid.* XIV. Tranſmittit eas leges Mediolanenſi archiepiſcopo, *ibid.* XVIII. Fridericum ad inſectandos hæreticos impellit, *ibid.* XIX. Ezelinum hæreticum ad reſipiſcendum ſolicitat, *ibid.* XX. Jubet illius filios, ut promiſerant patrem vinctum tradere, ſi ad fidem converti recuſarit, *ibid.* XXII. Jubet in Galliis quæri ad ſupplicium hæreticos, *ibid.* XXIII. Clero, familiiſque religioſis emendandis incumbit, *ibid.* XXIV. Cultores ſanctitatis prærogativis exornat, *ib.* Confirmat privilegium S. Zachariæ PP. Benedictinis Caſſinatibus datum, *ib.* XXV. Deſignat ſervandum in clero Romano dignitatis ordinem, *ibid.* XXVII. Conſulitur a Barenſi archiepiſcopo, an valeat Græc. in baptiſmo ritus, *ibid.* XXVIII. Reſpondet videri rebaptizandos, *ibid.* Quo ſenſu ea intelligenda ſententia *ibid.*

Gregorius IX. Papa confirmatos a puro ſacerdote jubet iterum ab epiſcopo eo ſacramento conſignari, 1231. XXIX. Proficiſcitur Reate, *ibid.* XXXI. Mirandam in ſuam poteſtatem redigit, *ibid.* XXXII. De miraculis & vita Lucæ Strigonienſis Archiep. inquiri jubet, *ibid.* XXXVII. Strigonienſis eccleſiæ privilegia confirmat, *ibid.* XXXVIII. Ut Strigonienſis archiep. Reges Ungaros inungat, *ibid.* Jubet Strigonienſem Archiepiſcopum nefarias conſuetudines in regno Ungariæ emendare, *ibid.* XXXIX. Pomeranos in clientelam Apoſtol. accipit *ibid.* XLII. Ruſſiæ Regem ad Latinorum ritus amplectendos provocat, *ibid.* XLIII. Bergenſem epiſcopum inquirere jubet de electione & conditione Regis Norwegiæ, ut regio diademate ornaretur, *ibid.* XLIV. Reſtituendæ Pariſienſi Academiæ incumbit, *ibid.* XLVI. Multa pro ea componenda decernit, *ibid.* XLVI. XLVII. Oppreſſam in Caſtella & Luſitania libertatem eccleſiaſticam aſſerit, *ibid.* XLIX. L. Petenti Henrico regiis conſiliis, quos vellet epiſcopos adhibendi, facultatem tribuit, *ibid.* LI. Solicitat ipſum ad ineundas cum Francis inducias *ibid.* LII. Fridericum ac fideles ad propulſandos Perſas Terræ S. imminentes excitat, *ibid.* LIII. LIV. LV. Objurgat ſoldanum Babyloniæ conjeciſſe in carcerem contra datam fidem mercatores Anconitanos, *ibid.* LVI. Joanni Regi deſignato Imperatori protecturo Conſtantinopolim auxilia conciliat. *ibid.* LVII.

Gregorius IX. Papa B. Alvenſem Ciſtercienſis ordinis epiſcopum creat, 1232. I. Legati apoſtolici dignitate in ſeptentrionalibus regionibus auget, *ibid.* II. Initas ab illo cum neophytis fœderis leges confirmat, *ibid.* III. Fideles ad coercendam Pruthenorum ſævitiam excitat, *ibid.* V. VI. Item ad coercendos Stedingos, *ibid.* VIII. Emergentes in Germania hæreſes coerceri mandat, *ibid.* IX. Renovat privilegium S. Stephani Benedictinis conceſſum, 1232. XXIII. Monet S. Ludovicum, ut archiepiſcopum Rhotomagenſem bonis reſtituat, *ibid.* XXVI. Arguit Anglos præſules facinoroſos homines, qui pontificia diplomata laniarant, non coercuiſſe, *ibid.* XXVII. B. Antonium ſanctorum catalago annumerat, *ibid.* XXXIII. XXXIV. Varia illius itinera, *ibid.* XXXV. Pallianum munit, *ibid.* Caſtrum Fumonis Eccleſiæ reſtituit, *ibid.* XXXVI. Irrumpentes in Campaniam Romanos auro placat, *ibid.* Friderici opem in Romanos implorat, *ibid.* XXXVII. Inſignem in eum donationem Ugotius confert, *ibid.* XXXVIII. Viterbienſes & Romanos inter ſe conciliat, *ibid.* XXXIX. XL. Hortatur Fridericum ad perducenda pia conſilia, *ibid.* XLII. Increpat patriarcham Hieroſolymitanum, diſcordiam contra Fridericum incendiſſe, *ibid.* XLIV. Illum in occidentem evocat, *ibid.* Germanus Græcorum patriarcha ad eum de ineunda conjunctione literas mittit, *ibid.* XLVI.

Gregorius IX. Papa revocare nititur Græcos ad Rom. Eccleſiæ obſequium, 1233. I. Ipſius de ea re ad Germanum patriarcham literæ, *ibid.* II. Religioſos viros pro tractanda concordia ad ipſum nuntios mittit, *ibid.* V.



Tractatus irrito conatu diſſolvitur, *ibid.* XV. Divina oracula ſultano Damaſceno exponit, ut ipſum ad Chriſtum alliciat, *ibid.* XVI. Item Caliphio Baldacenſi & Miramomelino, *ibid.* XXII. Commendat Georgianorum Regi evangelicos præcones, *ibid.* XXIII. Mittit concionatores Nucerinis Sarracenis, ut Chriſtum prædicent, *ibid.* XXIV. Excitat Fridericum, ut ipſos a ſuperſtitione abducat, *ibid.* Offert ipſi Fridericus armorum potentiam ad frangendos Eccleſiæ hoſtes, *ibid.* XXV. Deſeritur a Friderico, cum ipſum in auxilium vocat, *ibid.* XXVI. Decernit ad pacandos Romanos in Urbem ſe conferre, *ibid.* XXVII. Egregia illius ad Cardinales id diſſuadentes ſententia, *ibid.* A Romanis magnifice excipitur, *ibid.* Parum tenet ea concordia, *ibid.* Pro Inſubribus conciliandis Friderico laborat, *ibid.* XXVIII. Querentem Fridericum, ſua a Pontifice neglecta jura, literis refellit, *ibid.* XXIX. Cajetanos ad Frideric. obſequium adducit, *ibid.* XXXII. Illum ſibi exoſos ut hæreticos flammis tradentem objurgat, *ibid.* XXXIV.

Gregorius IX. Papa Florentinos & Senenſes, mutuas ſibi inferentes clades, ad pacem revocare ſtudet, 1233. XXXV. Joannem Vicentinum virum ſanctitate inſignem iis conciliandis incumbere jubet, *ibid.* Reſpuentes pacis conſilia Florentinos cenſuris defigi jubet, *ibid.* Gratulatur Joanni res admirandas pro divina gloria patratas, *ibid.* XXXVII. Ab improbis exagitatum ſolatur, *ibid.* XXXVIII. De B. Dominici miraculis inquiri jubet, *ibid.* XXXIX. Viros religioſos contra hæreticos defendit, *ibid.* XL. Catholicos in Stedingos accendit, *ibid.* XLI. Ea de re literæ, *ibid.* XLII. XLIII. Solicitat adverſum ipſos Henricum Roman. Regem, *ibid.* XLVI. Judæos in Germania inſoleſcentes graſſanteſque in Chriſtianos comprimi jubet, 1233. XLIX. Jacobum Præneſtinum epiſcopum in Ungariam legatum mittit; promittunt ſacramento pater ac filii Reges eccleſiis ſe facturos ſatis, *ibid.* LIV. Liberat Andream Regem jurejurando de non repetendis juribus regiis, *ibid.* De B. Lucæ Strigonienſis archiepiſc. miraculis inquiri jubet, *ibid.* B. Virgilium archiep. Saliſburgenſem in ſanctorum albo collocat, *ibid.* LV.

Gregorius IX. Papa hæreticos e Boſnia excindi jubet, 1233. LVI. In Pruthenos perfidos fideles excitat, *ibid.* LVIII. Reliquias hæreſeos perſequitur in Galliis, *ibid.* LIX. Excitante de Campaniæ comitatu Regina Cypri controverſiam, natalium quæſtionem prius dirimi jubet, *ibid.* LXII. Rogat iterum S. Ludovicum, ut Rothomagenſem archiepiſc. bonis reſtituat, *ibid.* LXII. Servet epiſcopi Belvacenſis jura, *ibid.* Incat pacem cum Anglo, *ibid.* De B. Stephani Dienſis epiſcopi miraculis inquiri jubet, *ibid.* LXIII. B. Edmundum confirmat in Cantuarienſi ſede, *ibid.* LXIV. Conſulenti Apoſt. ſedem Aſtoricenſi epiſcopo reſpondet, *ibid.* LXVI. Luſitanum Regem urget, ne Portugalenſis epiſcopi jura invadat, *ibid.* LXVII. Moneri jubet Regem Caſtellæ ut Judæos comprimat, *ibid.* Gallos arguit, ipſos crudelius fuiſſe inſectatos, *ibid.* Petrum Majoricæ moderatorem in clientelam apoſtolicam accipit, *ibid.* LXVIII. Aragoniæ & Navarræ Reges alioſque fideles ad Majoricam defendendam hortatur, *ibid.* S. Iſidori reliquias veneraturis indulgentias proponit, *ibid.* LXIX.

Gregorius IX. Papa a Romanis Urbe excedere cogitur, 1234. I. Fridericus ſuam illi adverſus Romanos operam defert, *ibid.* III. Certiores facit Inſubres de inito cum Friderico fœdere *ibid.* IV. R... S. Mariæ in Coſmedin ad patrimonium defendendum mittit, *ibid.* V. Deſeritur ignava proditione a Friderico *ibid.* Nonnullos Germanos pro defendendo patrimonio conducit, *ibid.* VI. Illorum opera magna clade Romanos delet, *ibid.* Tranſalpinorum auxilia implorat, *ibid.* VII. VIII. Renovat Symmachi conſtitutionem de non alienandis Eccleſiæ bonis, *ibid.* IX. X. Lucanos ad Carfagnanam reſtituendam compellit, *ibid.* XI. Belvacenſis epiſc. jura defendenda ſuſcipit, *ibid.* XII. Illius de ea re ad S. Ludovicum epiſtola, *ibid.* Præſulum Galliæ Narbonenſis jura tuetur, *ibid.* XIII. In excindendis Albigenſium reliquiis ipſius ſtudium, *ibid.* XIV. Conſanguinitatis impedimenta inter Margaretam filiam Provinciæ comitis & S. Ludov. amovet, *ibid.* XVI. Provinciæ comitis opera ſubortam inter Aragonum, & Franciæ Reges controverſiam extinguit, *ibid.* XVII. Anglos & Francos ad pacem adducere ſatagit, *ib.* XVIII. B. Dominicum ſanctorum catalogo adiicit, *ibid.* XXIV. Opera S. Raymundi Penniafortii decretales compilat, *ibid.* XXVI. Spoleti ſynodum celebrat, *ibid.* XXVII. Promulgat in infideles ſacram expeditionem *ibid.* De ea re ad S. Ludovicum ſcribit, *ibid.* XXVIII. Excitat fideles ad induendam crucem, *ibid.* XXX. Thedericum Ravennatem archiepiſc. ad conciliandos Friderico Acconenſes in Syriam mittit, *ibid.* XXXII. Incumbit Inſubribus ad pacem cum Imp. adducendis, *ibid.* XXXIII. Legatos Card. ad ipſum mittit, *ibid.* Fridericus controverſiam Pontificis arbitrio confert, *ibid.* Conſentiunt Longobardi ſtare ipſius ſententiæ, *ibid.* XXXV.

Gregorius IX. Papa Andream vetera in Ungaria mala non emendantem corripit, 1234. XXXVI. Belam illius filium admonet, ut Walachos ſchiſmaticos coerceat, *ibidem* XXXVIII. Willelmum Mutinenſem epiſc. in Pruſſiam & finitimas provincias mittit, *ibid.* XLV. Increpat Waldemarum Regem Daniæ Lubecenſem portum obſtruxiſſe, *ibid.* XLVI. Norwegum ob exagitatum Ameren. epiſcop. objurgat, *ibid.* Secuturis ſigna Regis Luſitani in Sarracenos indulgentias proponit, *ibid.* XLIX. Jubet archiepiſcopum Toletanum in captis e Sarracenis urbibus præficere epiſcopos, *ibid.* L. Controverſiam inter Jacobum Regem Arag. & Theobaldum de Navarræ regno ſopire ſtudet, *ibid.* LII.

In Gregorium IX. Papam Romani rebellionem movent, 1235. V. Velletrenſes exagitatos a Romanis erigit, *ibid.* Edit conſtitutionem de non extruendis in Sabinia caſtris ſine Apoſtolicæ ſedis licentia, *ibid.* Radicofanum & Faliſcum montem mœnibus cingit, *ibid.* Romanis concordiæ leges dicit, *ibid.* II. Demiſſe ab iis exceptæ, *ibid.* III. Confirmatæ a Malabranca ſenatore, *ibid.* IV. Certiorem facit de ea ſancienda Frideric. *ibid.* VII. In revocandis ad obſequium Friderici Germanis laborat, *ibid.* IX. Et conciliandis illi Inſubribus, *ibid.* XII. XIII. Diſſentientes populos ad mutuam conjunctionem adducere ſtudet, *ibid.* XIV. Graſſantem Viterbii hæreſim comprimit, *ibid.* XV. Mantuani epiſcopi necem ulciſcitur, *ibid.* XVIII. Statutas in Curienſis epiſcopi interfectores pœnas infligi jubet, XIX. Judæos ab injuſta oppreſſione vindicat, XX. B. Eliſabeth ſanctorum catalogo ſolemni ritu adjungit, *ibid.* XXII. Ad eam imitandam Beatricem Reginam Caſtellæ excitat; Sabinenſem epiſcopum in Daniam legatum mittit, *ibid.* XXVIII. Willelmum Scotiæ Regem ſolicitat, ad antiqua

tiqua cum Anglis fœdera colenda, ibid. XXIX. Favet Friderico, ut Iſabellam Henrici Regis ſororem uxorem obtineat, ibid. XXXI.

Gregorius IX. Papa intercedit ut Jole Andreæ Regis Ungariæ filia Jacobo Regi Aragon. nuptui tradatur, ibid. XXXII. Alfonſum ex illegitimo matrimonio ſuſceptum donat natalium dignitate, ut ſceptrum gerere poſſit, ibid. Excitat fideles ad Balearium minimam e Sarracenis comparandam, ibid. XXXIII. Ordinem ſacrum S. Mariæ e Mercede confirmat, ibid. XXXV. Mittit ad Tunet. Regem viros religioſos, ibid XXXVI. A Sultano Iconii oratores & literas excipit, ibid. XXXVII. Promittit illi barbarus auxilia ad recuperandam reliquam Syriam, ibid. XXXIX. Adhortatur Sultanum ad amplectendam fidem Chriſtianam, ac legatos promittit, ibid. XL. Acconenſes & Templarios conciliare Friderico ſtudet, ibid. XLI. Objurgat Ybelinum res Syriacas infeſtantem, ibid. XLII. Hortatur ad concordiam Fridericum cum Rege Cypri, ibid. XLIV. Præſules tuendis cruceſignatis incumbere jubet, ibid. XLV. Ejus literæ ad inflammandos fideles ad crucem induendam, ibid. XLVI. Nova molientes in Theobaldum Navarræ Regem comprimi cenſuris præcipit, ibid. XLIX. Illum alioſque principes ac Reges ad ferendam Imperio Conſtantinopolitano opem excitat; datæ eo argumento ad Belam Ungar. Regem literæ, ibid. LII.

Gregorius IX. Papa impendens Longobardicum bellum ſopire nititur, 1236. I. II. Jacobum Præneſtinum epiſcopum legatum mittit, ibid. V. VI. Accuſatum a Friderico ob Placentinos inter ſe conciliatos legatum defendit, ibid. VIII. Confutat illati a Frid. belli prætextus, ibid. Negat Inſubres argui poſſe contumaciæ, ibid. XI. Rogatur a Friderico ut ad redintegrandum pacis tractatum incumbat, ibid. XIII. Duos Cardinales, mittit qui repulſam a Friderico patiantur, ibid. Objurgat Fridericum eccleſias Siciliæ oppreſſiſſe, ibid. XIV. Repungitur a Friderico, ib. XVII. Objecta ab ipſo confutat, ibid. Arguit diſcutiendis arcanis pontificiis ingerere ſe non debere, ibid. XX. Non conferenda ab ipſo ſacerdotia, quibus animarum cura adjuncta ſit, ibid. Immani ſcelere tentum in vinculis Regis Tunetani nepotem, ibid. XXII. Quis honor Eccleſiæ deferendus ſit inculcat, ibid. XXIV. Oſtendit Romam cum ducatu a Conſtantino Pontificibus datam, ibid. Tranſlatum ab ſede Apoſt. ad Germanos Imperium, ibid. Reges principeſque apoſtolicæ cenſuræ ſubjectos, ibid. XXV. Lucanis ſedem epiſcopalem reſtituit, ibid. XXVI. Sazarenſes ob trucidatum Paraſonum cenſuris percelli jubet, ibid. De Beneventi miraculis inquiri jubet, ibid. XXVIII. Regem Francorum monet, ut leges iniquas in eccleſiaſticos latas abroget, ibid. XXXI. Bellovacenſis epiſcopi jura tuetur, ibid. XXXVII. Objurgat Raymundum comitem hæreticis faviſſe, ibid. XXXIX. Jubet eum in orientem contra Sarracenos, ut erat pollicitus, proficiſci, ibid. XLIV. Rogat Francorum Regem ut Alfonſum fratrem ad Toloſanum comitatum adminiſtrandum mittat, ibid. XLV. Vetat bello petere Theobaldum cruceſignatum, ibid. XLVII. Coerceri jubet cruceſignatos in Judæos ſævientes, ibid. XLVIII. Ad Angliæ & Scotiæ Reges conciliandos incumbit, ibid. XLIX. Diem S. Eduardo ſacrum coli jubet, ibid. L.

Gregorius IX. Papa regularem diſciplinam reſtituere ſtudet, ibid. LVI. Minoritis ædes Viterbii comparat, ibid. Abbati Oſcenſi mitræ uſum permittit, ibid. LVI. Fideles ad ſequenda Ferdinandi Regis Caſtellæ ſigna victricia excitat, ibid. LVII. LVIII Jubet epiſcopatus in Pruſſia inſtitui, ibid. LXI. Ad comprimendos ſeptentrionales barbaros promulgari indulgentias, ibid. LXII. Revalinam arcem a crucigeris Regi Dano tradi, ibid. LXIV. Henricum Sileſiæ ducem illata Gneſnenſi epiſcopo damna reſarcire, ibid. LXV. Belam Ungariæ Regem ob bona eccleſiaſticorum occupata corripit, ibidem LXVI. Et Colomanum Regem Ruthenorum, ibid. Zbiſclaum Boſnienſem in clientelam apoſtolicam ob religionis ſtudium aſciſcit, ibid. LXVII. Jubet anathematis ſententiam in Aſanem Bulgarum ferri, ni a conjunctione Vatacii ſe divellat, ibid. Urget Ungaros Galloſque laboranti Conſtantinopolitano Imperio auxilia ſubmittere, ibid. LXVIII. Oſtienſem epiſcopum & Thomam S. Sabinæ presb. Cardinalem pro tractanda inter Fridericum & Inſubres concordia mittit, 1237. I. Jubet eoſdem Inſubres oratores Mantuam mittere ad agitandam pacem, ibid. II. Friderico Mercaria & Mantua potito, tractatus diſſolvitur, ibid. VI. Romam ingreditur, fruſtra nitente ipſum aditu prohibere Friderico, ibid. XII. Excitatæ adverſus ipſum novæ turbæ, ibid. XIII. Viterbienſes rebellant in Gregorium, ibid. XIV. Ob id cenſuris adſtricti, ibid. Vercellenſes oblatas iniquas eccleſiaſticis leges cenſuris devincit, ibid. Piſanos Lucanis erepta reſtituere jubet, ibid. XV. Alexandrum capellanum in Sardiniam mittit, ibid. XVI. Ubaldus Turritanus & Gallurenſis regulus ſacramento fidei ſe ipſi devincit, ibid. XVII. XVIII. Adelaſia Regina ditionem Eccleſiæ donat, iterumque jure beneficiario recipit, ibid. XIX. Arboreæ regulus in verba Pontificis adigitur, ibid. XX. Diſciplinam eccleſiaſticam in priſtinum decus revocari in Corſica jubet, ibid. XXIII. Fideles excitat ut Jacobi Regis Aragonum Valentiam obſidere meditantis ſequantur ſigna, ibid. XXIV. Alienata a Petro Rege jura regia revocat, ibid. XXVI. Epiſcopum Majoricæ præfici jubet, ibid. XXVII. Marrochitano regno epiſcopum imponit, ibid. XXVIII. Fratrem Regis Portugalliæ cenſuris percellit; tuetur in Galliis eccleſiarum jura, ibid. XXXI. In hæreticos, qui in Montempeſſulanum irrepſerant inquiri jubet, ibid. XXXII.

Gregorius IX. Papa prorogat Toloſano comiti expeditionis Aſiaticæ tempus, ib. XXXIII. Rogat S. Ludovicum ut a ſuſcipiendis Maſſilienſium contra Provinciæ comitem partibus abducat, ibid. XXXVI. Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem legatum in Angliam mittit, ib. XXXVIII. Legationis in Scotia gerendæ munus jam iter ingreſſo committit, ibid. XL. De vita & miraculis B. Hildegardis inquiri jubet, ibid. LIX. De veritate ſtigmatum S. Franciſci literas ſcribit ad Germanos, ibid. LX. Arguit Olomucenſem epiſcopum negantem S. Franciſcum cum iis ſacris notis depingendum, ibid. Hoſpitalarios S. Mariæ Theutonicos militiæ Chriſti e Livonia aggregat, ibid. LXIV. Legato Apoſtolicæ ſedis conciliandæ inter ipſos & Regem Daniæ concordiæ provinciam imponit, ibid. LXV. Conſcribi cruceſignatas copias in Teveſtinos apoſtatas præcipit, ibid. LXVI. Conſulenti archiepiſcopo Nidroſienſi an cereviſia vini loco, atque ex altera ſpecie, quam frumento panis confectus conſecrari poſſint, reſpondet non poſſe, ibid. LXVII. Peruſinum epiſcopum ad Aſanem

Bul-



Bulgariæ Regem legatum mittit, ibid. LXX. Commendat illum Regi Ungariæ, ibid. LXXI. Solicitat Ungaros ad ferenda Conſtantinopolitano Imperio auxilia, ibid. LXXII. Gallos ad expeditionem Syriacam invitat, ibid. LXXIX. Urget Fridericum ut illam ſuſcipiat, ibid. LXXX. Tentos a Sarracenis in vinculis ſolatur Pontifex, ibid. LXXXV. Jacobitarum patriarchæ ad obſequium Rom. Eccleſiæ redeunti gratulatur, ibid. LXXXVIII.

Gregorius IX. Papa ducturo Britanniæ comiti in Conſtantinopolitanum auxilium copias illarum partem ob annonæ gravitatem dimittere jubet, 1238. II. Tertiam vectigalium eccleſiaſticorum in Græcia partem Balduino II. attribuit, ibid. III. Sami & Zacynthi comitem ad ferendam Conſtantinopoli opem excitat, ibid. IV. Belam Regem Ungariæ ad occupandam Bulgariam ſolicitat, ibid. VI. Balduinum ſua Ungaro in Bulgariam jura dimittere admonet, ibid. X. Quæ a Pontifice poſtularit Bela in eam expeditionem, ibid. XII. Negat illi apoſtolici legati dignitatem, ibid. XVII. Cruceſignatorum expeditionem ad purgandam hæreſeos lue Bulgariam promulgari jubet, ibid. XVIII. Concedit ut crux præferatur exercitui, ibid. XIX. Publicas preces pro ſacrum bellum inituris indici jubet, ibid. XX. Balduino ſtipendiorum militumque ſubſidia comparat, ibid. XXII. Ipſius ea de re ad Francorum & Anglorum Reges literæ, ibid. XXIII. Rogat Fridericum & Belam ut petenti Conſtantinopolim cum exercitu Balduino aditum dent, ibid. XXV. XXVI. Decernit carit[urum] robore quodcumque ſacramentum a Balduino extorquendum, ibid. XXVII. Hoſpitalarios graviſſima ipſorum flagitia emendare jubet, ibid. XXXI. Vetat religioſorum equitum domos homicidis aſylo eſſe, ibid. XXXIII. Canonicorum S. Sepulcri impoſturas reprimit, ibid. Inquiri jubet cur Armeniæ Catholicus ſe ab Antiocheni patriarchæ obſequio ſubduxerit, ibid. XXXV. Abnuentem principem Antiochenum principatus jura & inſignia patriarcha accipere cenſuris adigendum pronuntiat, ibid. Græcus patriarcha Antiochenus eo prorumpit audaciæ, ut in Gregorium anathema vibret, ibid. Pontifex vetat cruceſignatos, ni præfixo a ſede Ap. tempore, mare conſcendere, ibid. XXXVIII. Gallos Angloſque ad inducias producendas, ut auxilia Terræ ſanctæ ſubmitti poſſint, ſolicitat, ibid. Prodigas donationes ab Rege Angl. factas revocat, ibid. XXXIX. Montfortii cum Alienora matrimonium confirmat; ſimiliter Cantuarienſis eccleſiæ privilegium, ibid. XL. Suadet Othoni legato, ut cœpta de clericis ad unum ſacerdotium redigendis ob ſecutura ſcandala differat; revocare ſtudet religioſos viros ad veterem diſciplinam, ibid. XLI. G . . . e Calviniaco ob Dolenſe oppidum ſedis Apoſt. vectigalem ſe Gregorio profitetur, ibid. Pariſienſem epiſc. ob neglecta eccleſiæ ſuæ jura increpat, ibid. XLII. Præmunit S. Ludovicum contra politicorum fraudes, ibid. XLIII. Suſpiciones omnes ex illius animo abolere ſtudet, ibid. Vetat ne quis Luſitaniæ Regem cenſuris juſte devinctum abſolvat, ibid. XLV. Illata eccleſiis damna illum ſarcire, injuriiſque abſtinere jubet, ibid. De Valentia a Jacobo Sarracenis erepta triumphales ad fideles literas ſcribit, ibid. XLVI. Ipſos ad eam adverſus hoſtium impetus defendendam ſolicitat, ibid. Jacobum uxoremque Jolem in apoſt. clientelam accipit, ibid. XLVII. Aragonios proceres a novandarum rerum ſtudio abducit, ibid. Sanctium II. Regem Luſitaniæ ob eccleſiaſticos oppreſſos acerbe objurgat, ibid. XLVIII. Dat ipſi graviſſima monita, ibid. XLIX. Ab exagitando Gomeſio electo Olyſipponenſi deterret, ibid. & ſeqq.

Gregorius IX. Papa Navarrenorum in Theobaldum Regem coitionem compeſcit, ibid. Redarguit ob perſecutionem in Olyſipponenſem epiſcopum excitatum, ibid. L. Præcipit Aragonios proceres mutua iniqua fœdera diſſolvere, ibid. LI. Colomanum Regem Boſnienſes hæreticos inſectantem collaudat, ibid. LIII. Præfici Boſniæ epiſcopum jubet, ibid. LIV. Libertatem eccleſiaſticam a Polonis principibus depreſſam tuetur, ibid. LVI. Hortatur Sileſiæ & Cracoviæ ducem ut illata a patre Gneſnenſi archiepiſc. damna reſarciat, ibid. Gneſnenſi archiepiſc. præferendæ crucis poteſtatem concedit, ibid. LXI. Pro ſopiendo Pemeranos inter & Danos bello matrimonium inter principes in gradu vetito celebrari permittit, ibid. LXII. Servos Chriſtianos honeſte haberi jubet, ibid. Vetat Neophitos in ſervitutem abduci, ibid. De B. Brunonis epiſcopi Herbipolenſis miraculis inquiri jubet, ibid LXIII. Reconciliat eccleſiæ Vercellenſes, ibid. LXVI. Bonacurſum Viterbienſem tyrannum in Sardiniam mittit, ibid. LXVII. Interpellat ipſum de concordia Fridericus, ibid. LXXI. Subornatos a Friderico Romanos comprimit, ibid. LXXII. Urbis eccleſias pretioſis ornamentis ditat, 1238. LXXIII. Venetos in clientelam ſedis Apoſt. admittit, 1238. LXXIV.

Gregorius IX. Papa Fridericum percellit anathemate, 1239. I. Conceptæ ſententiæ forma, & quas ob cauſas in eum latæ, ibid. II. & ſeqq. Jactatæ in eum a Friderico crudeles minæ, ibid. Latam die Palmarum ſententiam die cœnæ Domini renovat, ibid. XIV. Illam a præſulibus promulgari jubet, ibid. XV. XVI. Effuſæ in eum a Friderico calumniæ refutantur, ibid. XVIII. Præmunit Chriſtianos contra Friderici blaſphemias, ibid. XXVI. Meditatur in eum inquiſitionem exercere, ibid. Retorquet gravi diſticho impium Friderici epigramma, ibid. XXVIII. Bello a Friderico petitur, ibid. XXXIII. Joannem Columnam Card. opponit Entio in Marchia, ibid. Entium anathemate ferit, ibid. Graves Friderico ob violatum eccleſiaſticum interdictum pœnas infligit, ib. XXXV. Corripit Aquilejenſem patriarcham ob ſecutas ab eo Friderici partes, ibid. Minas Hoſpitalariis Theutonicis incutit, ni Friderici partes deſerant, ibid. Heliam ſupremum Minoritarum præfectum ob male geſtum munus exauctorat, ibid Ezelino cenſuras intentat, ni Tarviſinæ eccleſiæ erepta reſtituat, ibid. XXXVII. Legatum in Gallias ad imploranda auxilia in Fridericum mittit, ibidem. XXXVIII. Nonnulla a Gallis Angliſque obtinet, ib. XL. Ferdinandus Rex Caſtellæ & Legionis obſervantiæ & amoris notis illuſtres literas mittit, ibid. XLI. Berengariæ ad eundem pietate & officiis plenæ literæ, ibid. XLIII. Confirmat vetera Toletani archiepiſcopi privilegia, ibid. XLVII. Valentinæ eccleſiæ conceſſas ab Imperatoribus & Pontificibus prærogativas corroborat, ibid. LVIII. Compoſtellano archiepiſc. pallium tranſmittit, ibid. LIX. Fernandum e ſerpa abſolvi jubet, ibid. LXI. Quas pœnas ad expiandum crimen illi impoſuerit, ibid. LXII. Lantgravium Thuringiæ pium vitæ genus amplectentem in clientelam apoſt. accipit, ib. LXV. Permittit uti pallio archiepiſcopo Lundenſi in Regum Sueciæ inunctionis celebritate, ib. LXVI. Inſtat apud Regem Daniæ ut tollat improbas conſuetudines, ibid. LXVII. Gra-

tu-

tulatur Regi Colomano, ipſum hæreſim in Boſnia profligaſſe, *ibid.* LXIX. Provinciam imponit Præneſtino epiſcopo abſolvendi comitis Toloſani, *ibid.* LXXII. Tuetur Magalonenſis epiſcopi jura, *ibid.* LXXIV. Et præſulum Britanniæ, *ibid.* LXXV.

Gregorius IX. Papa Rhemenſes ob rebellionem in archiepiſcopum motam cenſuris urget, *ibid.* LXXVI. Eidem archiepiſcopo partes demandat, ut Balduini jura in Galliis & Imperio defendat, *ibid.* LXXVII. Excuſat ſe apud Regem Navarræ ac principes nonnullos, ſi periclitanti magis Conſtantinopolitano Imperio promptiora auxilia ſubmittat, *ibidem* LXXIX. Confirmat probas in Armenia conſuetudines, *ibid.* LXXXII. Armenor. Catholico pallium mittit, *ibid.* LXXXIII. Scribit principibus electoribus, ut novum ſibi Regem Romanorum præficiant, 1240. II. Reſpondent nonnulli non eſſe ipſius Imperatorem deturbare, *ibid.* Refellitur eorum ſententia, *ibid.* Aretinum epiſc. Picæno præficit, *ibid.* IV. Recanatenſes ſede epiſcopali decorat, *ibid.* V. Spoletanos ob fidei conſtantiam commendat, *ibid.* VIII. Imminente Romæ Friderico capita SS. Petri & Pauli Apoſt. per Urbem geſtat, *ibid.* XII. Romani plures a Friderico ſeducti repente mutatis animis, hortante Gregorio, crucem in illum induunt, *ibid.* Hortatur ad conſtantiam Beneventanos, *ibid.* XV. Alexandrinos epiſcopali ſede inſignit, *ibid.* XXI. De Ambroſii Minoritæ miraculis inquiri jubet, *ibid.* XXII. De B. Odone Chartuſiano ſanctorum numero adſcribendo agitat, *ib.* XXIII. Inſignia privilegia abbati Corbejenſi confert, *ibid.* XXIV. Inquiri jubet in Vigintimilienſem epiſc. ſcelerum ingentium reum, *ibid.* XXVIII. Pravas nonnullas conſuetudines extinguit, *ibid.* Nefarios impoſtores coercet, *ibid.* Declarat conceſſum ad obtinendas dignitates jus ad epiſcopalem non porrigi, *ibid.* XXX. Alienata revocandi poteſtatem Regi Daniæ facit, *ibid.* XXXIII. Adverſus infideles Eſtoniam infeſtantes expeditionem promulgat, *ibid.* XXXIV. Ruſudes Regina Georgianorum adverſus Tartaros ab eo auxilia poſcit, *ibid.* XXXVIII. Excuſat ſe Pontifex ſi nulla ſubmittat, *ibid.* XLI. Illius obſequium erga Rom. Eccleſiam commendat, *ibid.* XLII. Jubet Nicoſienſem archiepiſcopum deſertis in Cypro eccleſiis paſtores præficere, *ib.* XLV. Nannetenſem epiſc. ad ſedem Hieroſolym. transfert, *ibid.* XLVII. Solicitat Ungaros ad bellum Græcis ſchiſmaticis inferendum, *ibid.* LI. Concilium œcumenicum indicit, *ibid.* LII. Ea de re ad præſules literæ, *ibid.* LIII. Rogat S. Ludovicum ut oratores ad id tranſmittat, *ibid.* LIV. Præſules incitat ut contemptis Friderici terroribus veniant ad Concilium, *ib.* LVII.

Gregorius IX. Papa accepto Ungaricæ cladis nuntio indulgentias & crucem in Tartaros promulgari jubet, 1241. XVIII. Belam & Colomanum ad Tartaros propulſandos excitat, *ibid.* XIX. Belæ a Tartaris profligato condolet, *ibid.* XXVII. Promittit admiſſurum in gratiam Fridericum, ſi redire ad eccleſiæ obſequium velit, *ibid.* XXVIII. Derivat Fridericus in Pontificem facti invidiam, ſi in Tartaros copias non ducat, *ibid.* XXXVII. Refelluntur Friderici calumniæ, *ibid.* XXXVIII. Vectigalium eccleſiaſticorum partem ad frænandos Vatacii impetus convertit, *ibid.* XL. Pro liberando Amalrico e Sarracenorum manibus redemptionem confici jubet, *ibid.* Regem Norvegiæ ducendæ in Syriam expeditionis voti reum, mutato voto, in vicinos infideles pugnare jubet, *ibid.* XLI. Rogatus ut eumdem, quamvis ſpurium, regiis ornamentis redimiri juberet; de patriæ conſuetudine inquiri jubet, *ibid.* Præcipit publica acta confici de miraculis & ſanctitate vitæ Auguſtini Nidroſienſis archiepiſc. *ibid.* XLII. Conſulenti archiepiſcopo reſpondet cereviſia baptiſmum conferri non poſſe, *ibid.* Proponit indulgentias ſigna Luſitani Regis adverſus Sarracenos ſecuturis, *ibid.* XLIII. Patriarcham Aquilejenſem a Gregorio e Monte longo abſolvi jubet, *ibid.* XLIV. Epiſcopalem ſedem Auximo Recanatum transfert, *ibid.* XLV. Beneventum & Faventiam amittit, *ibid.* XLVI. Sub anni initio Belam Regem Ungariæ rogat, ut urgeat præſules, ut ad ſynodum veniant, *ibid.* XLIX. Præcipit Strigonien. archiep. ut veniat, *ibid.* LII. Ungari antiſtites ob Tartaror. adventum itinere prohibentur, *ibid.* Ad deducendos occidentalium regnorum præſules claſſem Januæ confici jubet, *ibid.* LIII. Gregorio e Romano legato eam provinciam imponit, *ibid.* Præmonet parari a Friderico inſidias, *ibid.* Jubet majorem claſſem inſtrui, *ibid.* Quanta clades ex non ſuſceptis ejus imperiis evenerit, *ibid.* Præſules, qui Januam applicuerant, a Friderico invitati ipſius promiſſis diffidunt, *ibid.* LIV. Entius ad eos intercipiendos mare claſſe obſeſſum tenet, ac victoria potitur, *ibid.* LV. Nonnulli fuga lapſi antiſtites Gregorio acceptam cladem ſignificant, *ibid.* LVIII. Januenſium conſolatoriæ ad ipſum literæ, *ibid.* LX. Fœderatos ad conſtantiam excitat, *ibid.* LXIV. Præſules in vinculis crudeliſſime habitos hortatur ad fortitudinem, *ibid.* LXVIII. Aliæ eo argumento literæ, *ibid.* LXXII. Interamnam, Spoletum, Tybur, Albam, Cryptam ferratam amittit, *ibid.* LXXX. Joannes e Columna Card. ab ipſo deficit, *ibid.* LXXXI. Ex ſenio & adverſorum ſucceſſuum dolore moritur, *ibid.* LXXXII. Contumelioſæ Friderici de illius morte literæ, *ibid.* LXXXIII. Refelluntur jactæ a tyranno calumniæ, *ibid.* Succedit in pontificatu Cæleſtinus IV. *ibid.* LXXXVII.

Gregorius e Montelongo A. S. L. Ferrariam Venetorum, & Inſubrium ope recuperat, 1240. XIX. Jubetur a Gregorio IX. patriarcham Aquilejenſem conciliare Eccleſiæ, 1241. XLIV. Certior fit a Pontifice fœdus cum Friderico non percuſſum iri, niſi pacis leges honeſtæ fuerint Inſubribus, 1243. XXII.

Gregorius e Romania A. S. L. juſſus a Gregorio IX. claſſem Januæ ad deducendos præſules comparare, 1241. LIII. Præmonetur de inſtructis a Friderico inſidiis, *ibid.* Jubetur præpotentem adeo claſſem adornandam curare, ut Fridericiana par illi non ſit, *ibid.* Non paret & capitur cum aliis legatis & præſulibus, *ibid.* LV. Queritur Pontifex ipſius culpa eam cladem contigiſſe, *ibid.* LXIX.

Gualtrannus Beritenſis epiſcopus in concilio Lugdunenſi calamitates Terræ ſanctæ exponit, 1245. XXVIII.

Guido Caſtilionæus comes S. Pauli ex inſidiis ab Albigenſibus cæſus, 1239. LXX. Illius filii in clientelam apoſtol. a Gregorio accepti, *ibid.*

Guillelmus epiſc. Mutinenſis inſtituere in Pruſſia epiſcopatus juſſus, 1236. LXI. Jubetur a Pontifice ad pacem inter crucigeros Regemque Daniæ conciliandam incumbere, 1237. LXV. Nuncius ab Innocentio IV. ad Fridericum pro tractanda pace miſſus, 1243. XIII. Creatur epiſcopus Sabinenſis, 1244. XXXI. 1245. XXXII. Deſtinatur in Pruſſiam legatus, 1245. LXXXIX. Dividendæ inter cruciferos & præſules Curlandiæ auctoritas illi ab Innoc. IV. conceſſa, *ibid.* Mortem ſuam prædicit ex cœleſti objecto viſo, 1251. XIII. Pie moritur, *ibid.*

Guillelmus e Monte Cathano pater Gaſtonis Benearniæ domini in expugnatione Majoricæ occumbit, 1230. XXXVIII.

Guillelmus electus Terraconenſis Yvicam Sarracenis eripit, 1235. XXXV. Ea illi inſula obnoxia conſtituta, *ibid.*

Guillelmus Surdus Januenſium præfectus literas ad Gregorium de captis mari præſulibus mittit, 1241. LX. Januenſium operam contra Fridericum impenſe defert, *ibid.* LXII.

Guillelmus Albaroncus eremita magnæ ſanctitatis, 1249. IX. Confeſſionem Raymundi comitis Toloſ. excipit, *ibid.*

Guillelmus Carnotenſis; prædictum ipſi a S. Ludovico multis ante annis Prædicatorum ordinem ingreſſurum, 1250. VIII.

Guillelmus tit. S. Euſtachii diaconus Card. in Siciliam cum exercitu legatus miſſus præit Innocentio IV. 1254. XLVIII. Siculos in verba Pontificis adigit, *ibid.* LXV. Manfredus illi fidem obſtringere detrectat, *ibid.* LXVI. Audita parta a Manfredo de Odone marchione victoria diſſipato exercitu Neapolim fugit, Innocentiumque obiiſſe reperit, *ibid.* LXIX.

Guillelmus S. Euſtachii diac. Card. legatus a Manfredo fugatus implet tumultu Neapolim, 1254. VI. 1255. I.

Guillelmus e S. Amore turbas Pariſiis in Prædicatores & Minoritas concitat, 1255. XXXIX. Iterum renovat, 1256. XIX. Ejus libri damnati ab Alexandr. IV. *ibid.* XIX. XX. XXI. XXII. XXIII.

# H

HÆlo comitiſſa eademque abbatiſſa mater Willelmi e Longa ſpata mortem filii e cœleſti viſo intelligit, 1250. XXVI. Egregiæ ipſius voces, audita illius morte, *ibid.*

Hæretici deprehenſi Romæ, 1231. XIII. Damnati publice a Gregorio IX. ignibus traduntur, *ibid.* Latum adverſus ipſos, & ipſorum ſtudioſos anathema, promulgatæque ſeveriſſimæ leges, *ibid.* XIV. Decretæ etiam aliæ a ſenatu populoque Romano, *ibid.* XVI. XVII. Vetera edicta in eoſdem renovata a Friderico II. *ibid.* XVIII. Jubentur cremari, linguaſve ipſis amputari, *ibid.* Penetrat in Siciliam eadem lues, *ibid.* XIX. Quæſiti etiam ad ſupplicium in Galliis hæretici, *ibid.* XXIII. Plures hæreſes emergunt in Germania, *ibid.* VIII. Hæretici Viterbii graſſantur, 1235. XV. Quid in eos Pontifex, *ibid.* Hæretici candenti ferro a Ferdinando Rege Caſtellæ Palentiæ inuſti, 1236. LX. Domus quibus Toloſæ recepti fuerant hæretici everti juſſæ, *ibid.* XLIV. S. Ludovicus Robertum inquiſitorem ad iniiciendos flammis hæreticos ſua fulcit auctoritate, 1238. LII. Inquiſitio in Navarra contra hæreticos inſtituta, 1238. LI. Animadverſum in eos in Galliis, *ibid.* LII. Hæretici Boſnienſes a Colomano Rege exagitati, *ibid.* LIII. Petuntur bello a cruceſignatis Ungaris, *ibid.* LV. Gratulatur Pontifex Colomano Regi hæreſim in Boſnia deleviſſe, 1239. LXIX.

Hæretici in Germania exorti pontificiam auctoritatem impugnantes, 1248. XV. XVI. Foventur a Conrado, *ibid.* Strenue refelluntur, *ibid.* XVI. Principes, dum hæreticis impendunt favorem, geſtorum ſplendorem obſcurant, 1213. LII. Petrus Rex Aragon. dum arma pro defendendis hæreticis gerit, antea invictus, victus occubuit, *ibid.* LII. Conradus dum ſtudet hæreticis ab omnibus deſeritur, 1248. XVI.

Hæreſes & Hæretici; exagitati Alex. IV. juſſu, 1255. XXXI. Pœnæ in hæreticos occultantes, *ibid.* Leges in eos acerbæ latæ, *ibid.* Cenſores fidei in Galliis adverſus Albigenſes & alios hæreticos creati, *ibid.* XXXIII. Fœda hæreſis, evangelium æternum dicta, damnata ab Alexandro IV. 1256. XX. S. Ludovici Regis Franciæ in iis excindendis zelus, 1255. XXXVII.

Haquinus Rex Norwegiæ regiis ornamentis ab epiſcopo Sabinenſi A. S. L. decoratus, 1246. XXXIII. Natalium dignitate ad ſuſtinendum ſceptrum donatur ab Innocentio IV. *ibid.* XXXIV. Bello ſacro ſe devovet, *ibidem.* XXXV. Suſcipitur in clientelam apoſt. *ibid.* Excitatur ad infideles finitimos edomandos, *ibid.* Item a Pontifice ad tranſmarinam expeditionem obeundam, 1252. XXII.

Haſtiludia; Florentius Hollandiæ comes, dum Stedinghis ſuperatis, haſtiludiis operam dat, apud Noviomagum occiditur, 1234. XLIII. Divina in eos vindicta, qui haſtiludia celebrant, quo tempore numen ob Tartarorum clades placandum erat, 1242. X.

Haſtiludia vetita in concilio Later. 1245. LIII.

S. Hedwiges viri ſui mortem conſtantiſſime fert, 1238. LX. Ut eam ipſi præſagierit, *ibid.* Triennio ante prædicit filii Henrici cædem, 1241. X. Qua conſtantia illam tulerit, *ibid.* Pia ipſius mors, 1243. XXXVIII. Ejus corpus poſt mortem mira fulget pulchritudine, *ibid.*

Helena Demetrii Regis neptis obtinet ſua in regnum Theſſalonicenſe jura a Balduino II. & Innocentio IV. confirmari, 1243. XLV.

Helias ſupremus Minoritarum magiſter ob male geſtum munus exauctoratus a Gregorio, 1239. XXXVI. Friderico in Pontificem adhæret, *ibid.* In morte reſipiſcit, 1253. XVI.

Henricus Friderici II. filius rebellionem in Germania contra Fridericum movet, 1234. III. Adornat in ipſum pater expeditionem, 1235. VIII. In eum literas apoſt. ſcribit Gregorius IX. *ibid.* IX. Partim metu, partim blanditiis ad patris obſequium adducitur, *ibid.* X. Jubetur a Pontifice cenſuris abſolvi, *ibid.* Coniicitur in carcerem a patre, *ibid.* XI. Amandatur in Apuliam, *ibid.* In vinculis moritur, 1242. XX. Friderici de eo literæ, *ibid.*

Henricus Angl. Rex coitionem init adverſus S. Ludovicum cum Gallis proceribus, 1230. XXXI. Transfretat in Britanniam minorem, *ibid.* Propulſatur a S. Rege, *ibid.* Solicitatur ad ineundam cum Francis pacem, longioreſve inducias, 1234. XVIII. Revocat ab exilio Hubertum Cantiæ comitem, *ibid.* XX. Celebre de illius eleemoſynis Leolini dictum, *ibid.* Solicitat Gregorius Papa Willelmum Scotiæ Regem, ut antiqua cum Henrico pacta ſervet, 1235. XXIX. Sororem Iſabellam in matrimonium Friderico collocat, *ibid.* XXX. Conciliandæ inter ipſum & Regem Scotiæ ac Levellinum principem Walliæ incumbit Gregorius, 1236. XLIX. Datæ eo argumento ad Scotiæ Regem literæ, *ibid.* Alienoram comitis Provinciæ filiam uxorem ducit, *ibid.* Petit mitti legatum in Angliam ac repulſam patitur, *ibid.* Obtinet inſtitui diem ſacrum B. Eduardo, *ibid.* L. Accipit honorificentiſſime venientem in Angliam Othonem Card. legatum, 1237. XXXIX. Balduinum in Angliam venientem excipit, 1238. XXI. Rogatur a Greg. ut Balduino ſubveniat, *ibid.* XXIV. Producat inducias cum Rege Francorum, *ibidem* XXXVIII. Prodigæ ejus do-

donationes a Gregorio revocatæ, 1238. XXXIX. Sororem ſuam Alienoram Leiceſtriæ comiti uxorem tradit, *ibid.* Ob id Angli in eum exaſperati, *ibid.* Queritur de illo Fridericus pontificias partes adverſum ſe efferre, 1240. I. Loculum pretioſiſſimum pro reponendis B. Edmundi reliquiis offert, 1241. LXXXVII. Hugoni adverſus S. Ludovicum fert auxilia, 1242. XIII. Profligatur ac Santonum urbem amittit; ægre inducias a victore obtinet, *ibid.* XVI. Congreſſurus cum Alexandro Scotiæ Rege pacem cum eo redintegrat, 1244. XLIII. Scotiæ Rex ſe illius vectigalem profitetur, *ibidem.* Wintonienſem epiſcopum exagitat, *ib.* XLV. Corripitur ab Innocentio IV. *ibid.* XLVI. Teſtamentum a Pontifice confirmari obtinet, *ibid.* XLVII.

Henrici Angliæ Regis ſacramenta, quibus jura regia imminuebantur, reſciſſa ab Innocentio, 1246. XXXIX. Allata ipſi e Syria fuſi a Domino in cruce ſanguinis portio, 1247. XX. Qua pompa illud eccleſiæ S. Pauli nomine ſacræ intulerit, *ibid.* Audito S. Ludovici cladis nuntio bello ſacro ſe devovet, 1250. XXVII. Pontifici pium illius videndi deſiderium exponit, 1251 XXIII. Petit Scotiæ decimas ad ornandum in Terram ſanctam bellicum apparatum, *ibid.* Flagitat ne ſine Angli Regis auctoritate Scotiæ Rex inungatur, *ibid.* Repulſam in utroque patitur, *ibid.* Solicitatur ab Alfonſo Caſtellæ regni herede, ut cum ipſo arma conjungat, *ibid.* XXVI. Ad maturandum bellicum apparatum ab Innocentio excitatur, 1252. XXIV. Indictæ pro eo publicæ preces in ipſius terris, *ibid.* XXV. Accipitur in clientelam apoſtolicam, 1253. XXXVI. Veteres leges pro eccleſiaſtica libertate, regnique ſtatu componendo ſolemni ritu renovat, *ibid.* XXXVI. Confirmantur ab Innocentio, *ibid.* XXXVII. Geſta reſcindere molitur, *ibid.* XL.

Henricus Frangipanus; Tarentinus & Hidruntinus principatus, ab Imperatrice Conſtantia illius majoribus attribuit ea donatio confirmata ab Innoc. IV. 1252. III.

Henricus cum barba dux S. Hedwigis vir Wladiſlaum facta coitione, diſſuadente S. Hedwige, Polonia depellit, 1233. LVII. Jubetur Gneſnenſi epiſcopo illata damna ſarcire, 1236. LXV. Ad Poloniæ totius monarchiam aſpirat, *ibid.* Wladiſlaum Othonem Gneſnæ obſidet, *ibid.* Obſidionem ſolvere cogitur, *ibid.* Ob Gneſnenſem eccleſiam damnis gravibus affectam anathemate devinctus, 1238. LVI. Non rite ab eo abſolutus, *ibid.* LVII. Comminatur Greg. ipſius filio paternum corpus e ſepulcro refoſſum iri, ni fecerit ſatis, *ibid.* LVIII. Excuſantur illius geſta, *ibid.* LIX. Pia ipſius vita & mors, *ibid.* LX. Unde Barbati nomen traxerit, *ibid.* S. Hedwiges viri mortem conſtantiſſimo animo fert, *ibid.*

Henricus Rex Cypri; hortatur Fridericum II. Gregorius IX. ut ineat concordiam cum Rege Cypri, 1235. XLIV. Ptolemaidi præfectum imponit, 1246. LII. Venientem S. Ludovicum excipit, 1248. XXXIII. Una cum Cypriis ſe cruce conſignat, *ibid.* XXXIV.

Henricus epiſc. Roffenſis de tribus animabus e purgatoriis ignibus ereptis viſum exponit, 1232. XXXI.

Henricus Sileſiæ & Cracoviæ dux Henrici Barbati filius excitatur a Gregorio IX. ut juventutem virtutibus conſecret, 1238. LVI. Jubetur illata a parente Gneſnenſi Eccleſiæ damna reſarcire, *ibid.* LVI. Exercitum in Tartaros comparat, 1241. VI. Primo impetu ipſos fundit, *ibid.* Magicis artibus ſuperatur, & cæditur, *ibid.* VIII. IX. Inſignes illius, ſuos ad pugnam hortantis, voces, *ibid.* Qua conſtantia S. Hedwiges illius mortem tulerit, 1241. X.

Henricus Lantgravius Thuringiæ; incumbit Innocentius IV. apud principes Germaniæ, ut illum Imperatorem eligant, 1246. I. Ea de re literæ, *ibid.* II. III. Salutatur Rex Romanorum in principum conventu, *ibid* IV. Illius oratores humaniter ab Innocentio excepti, *ibid.* VI. Juvatur ſtipendiis, *ibid.* Miſſus legatus ad adigendos Germanos in illius obſequia, *ibid.* VII. Conradum profligat, *ibid.* IX. Ejuſdem ad Ravennatem archiep. literæ, ut ejectis a Friderico præſidio ſit, *ibid.* X. Significat Sueviam ſibi ſubiici, *ibid.* A Conrado ex inſidiis fuſus, 1247. I. Illius mors, *ibid.* Succedit Willelmus Hollandiæ comes, *ibid.* IV.

Henricus Friderici II. & Eliſabethæ ſororis Regis Anglorum filius donatus regno Hieroſolymitano, 1250. XXXIV. A Conrado necatus creditur veneno, 1254. XLII. Et cum palpitaret a Joanne Mauro manutergio præfocatus, *ibid.* Obiicitur ab Innocentio IV. Conrado fratris Henrici mors, *ibid.* Conradus paulo poſt miſere moritur, *ibid.* XLV. Joannes Maurus a Sarracenis famulis obtruncatur, *ibid.* XLII.

Henricus Brabantiæ & Lotharingiæ comes a Pontifice, ut Willelmo Regi opera & conſilio adſit, excitatur, 1253. V. VI.

Henricus Angliæ Rex ſolicitatus ab Alexandro IV. ut Siculum regnum Edmundo filio armis comparet, 1255. VIII. Quæ leges illi propoſitæ, *ibid.* VIII. IX. Apud Alexandrum de Richardo epiſc. Ciceſtrenſi inter ſanctos referendo agit, 1256. XXV. Venientem in Angliam Alexandrum Regem Scotiæ excipit, *ibid.* Præſefert Aſiaticæ expeditionis ineundæ voluntatem, *ibid.* XXVII. Comparandæ Edmundo Siciliæ conſilia inerter agitat, *ibid.* XXX. Pontifex ideo in graves conjectus anguſtias, *ibid.* XXXIV. Numerandi militi ſtipendii tempus extrahi obtinet, *ibid.* XXXIV. Amiſſa rei gerendæ ſpe, expeditionem Siculam intermittit, *ibid.* XXXV.

Hermannus equitum Theutonicorum magiſter tractatum pacis inter Fridericum & Gregorium Papam agitat, 1230. III. Traduntur illius cuſtodiæ arces nonnullæ ab eodem Friderico reſtituendæ, cum ſatis Eccleſiæ factum fuerit, *ibid.* VI.

Hibernia; controverſia de primatu Hiberniæ, 1255. XL.

Hieroſolymæ; Hieroſolymitanum regnum; Richardus Rex Angliæ abnuit Hieroſolymas aſpicere, quas e perfidorum manibus eripere non poterat, 1251. LV.

Hieroſolymæ tractatu pacis a Friderico receptæ, & quibus legibus, 1229. VI. XV. XVI. Retentus Hieroſolymis Mahometi cultus, *ibid.* XI. Innoc. IV. patriarchæ provinciam imponit, ut Hieroſolymæ mœnia reficienda curet, 1243. XLVII. Non paretur Pontifici, atque a barbaris, nunquam hactenus ex eorum manibus eruta, occupatur, *ibid.* Propugnaculis ut par erat firmiſſimis magna Chriſtianorum vecordia non munita, 1244. IV. Fugientibus ignave Chriſtianis a Chorasminis occupata, *ibid.* VI. Immanis ſtrages fidelium ibi edita, *ibid.* VI. VII. Sepulcrum dominicum a barbaris profanatum, *ibid.* Beritenſis epiſcopus in Lugdunen. concilio acceptas a barbaris calamitates exponit, 1245. XXVIII. Decreta ab Innoc. ſacra expeditio, *ibid.* LI.

Hieroſolymitanus patriarcha Manuel epiſcopus Nannetenſis, 1240. XLVII.


S. Hil-




S. Hildegardes; de illius ſanctitate vitæ & miraculis inquiri jubet Greg. IX. 1237. LIX. Iterum Innoc. IV. 1243. XXXIX.

Hiſpalis ab Rege Caſtellæ obſeſſa, 1247. XVIII. A Ferdinando poſt plura prælia Sarracenis erepta, 1248. XLIV. Raymundus Loſana illi archiepiſcopus impoſitus, *ibid.*

Hiſpania; Hiſpani; Regum Hiſpanorum ſtudium erga Rom. Pontificem, 1239. XLI. Eorum geſta. *Vide*, in Alphonſo Legionenſi, Alfonſo Ferdinando, ipſiuſque filio Alfonſo Caſtellæ, Petro & Jacobo Aragoniæ, Alfonſo I. II. III. Sanctio I. II. Luſitaniæ. *Vide etiam*, Caſtella. Legio.

Honorum fuga; Alexander IV. oblatæ ſummi pontificatus dignitati ſe ſubducere tentavit, 1254. IV. Nicephorus Blemmydes patriarchatum Conſtantinop. reſpuit, 1256. LVII.

Hoſpitalarii ſchiſmaticis contra Latinos ferunt auxilia, 1238. XXXI. Arguuntur a Gregorio IX. deſciviſſe a pietate, immaniaque ipſis flagitia objecta, *ibid.*

Hoſpitalitas; Lagena vini viris religioſis hoſpitibus potui exhibita, cum exhauſta eſſet, divinitus vino plena invenitur, 1231. XLV. Simile miraculum jam ante a S. Bonifacio epiſcopo editum, *ibid.*

Hubertus Cantiæ comes ob eccleſiam a militum direptione liberatam patriæ reſtitutus, 1234. XX.

Hugo marchiæ comes detrectat Alphonſo comiti clientis officia præſtare, 1242. XII. Edomatur a S. Ludovico, *ibid.* Fruſtra Angliæ Regem in ſuum auxilium evocat, *ibid.* XIII. Veniam ægre obtinet, *ibid.* XIV.

Hugo ordinis Prædicatorum miſſus ad Germanum patriarcham pro tractanda inter Græcorum & Latinorum eccleſias concordia, 1233. V. Egregiis elucubrationibus inſignis, 1251. XIII.

Hugo dux Burgundiæ Hieroſolymas expugnare detrectat, ne Richardo Regi expeditionis duci gloria tribuatur, 1251. LIV.

Hugo puer a Judæis martyrio affectus, 1255. LXXIX.

Hugolinus epiſcopus Oſtienſis. *Vide*, Gregorius IX.

Humilitas; Joannes epiſcopus Boſſinenſis quanta humilitate epiſcopatum obiret, 1253. XV. S. Ludovicus ad geſtandum corbem & cadavera ſepelienda ſe dimittit, 1251. LIII.

Hungaria. *Vide*, Ungaria.

Hyocay Tartarorum Imperatrix filia presbyteri Joannis filium Imperatorem ad fidem Chriſti allicit, 1248. XXXVI.


# I


JAcobitæ; orientalium Jacobitarum patriarcha ſancta loca luſtrat, 1237. LXXXVII. Ad Rom. Eccl. obſequium redit, *ibid.* Gratulatur ipſi Gregorius IX. *ibid.* LXXXVIII. LXXXIX. Iterum ad ſchiſma prolabitur, *ibid.* Errores Jacobitarum, *ibid.* XL. Eorum patriarchæ ad Innocentium IV. tranſmiſſa fidei forma, 1247. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. Quid petierit ab Innoc. IV. pro ſtabilienda ipſorum cum Eccl. Rom. conjunctione, *ibid.* XXXVIII. Alia fidei profeſſio edita ab Ignatio patriarcha, *ibid.* XL. Alia Joannis Jacobitarum primatis, *ibid.*

S. Jacobus cum S. Iſidoro in Sarracenos pugnare viſus, 1230. XXXI.

Jacobus Petri Reg. Arag. & Mariæ Montiſpeſſulani dominæ filius; illius matrimonium pontificio juſſu diſſolvitur, 1229. LVII. Flagitat in Urbem venire, ut pontificiis manibus diademate ornetur, 1229. LVIII. Oratores ad Gregorium ob id mittit; commendat illius conſilium Pontifex, ſed rem in tempus opportunius differt, *ibid.* LIX. Majoricam Sarracenis eripit, 1230. XXXVII. Poſtulat a Gregorio ſedem epiſcopalem inſtitui, obtinetque ea lege, ut eam bonis locupletet, *ibid.* Creditum eſt D. Georgium primum in Majoricam urbem irrumpentem illi opem tuliſſe, *ibid.* XXXVIII. Ut a Sanctio Rege Navarræ adoptatus ſit ad Theobaldum regni ſucceſſione excludendum, *ibid.* Regnum Navarræ affectat, *ibid.* LIII. Controverſiam ſopire ſtudet Gregor. *ibid.* Jolem Regis Ungar. filiam uxorem ducit, 1235. XXXII. Ducum opera Balearium minimam expugnat, *ibid.* XXXV. Expeditionem in Valentinos Mauros meditatur, 1237. XXIV. Excitat Gregorius fideles ad ſequenda illius ſigna, *ibid.* XXV. A cenſuris, quibus ob divexatum Cæſaraguſtanum epiſcopum devinctus erat, abſolvitur, *ibid.* XXVI. Alienata a Petro Rege jura regia auctoritate apoſtolica revocari obtinet, *ibid.* Ne a Valentina expeditione tuendi Provinciæ comitis cauſa retardaretur, Gregorius IX. Toloſanum comitem a defendendis Maſſilienſibus opera S. Ludovici abducit, *ibid.* XXXIV. Zænum Valentinum Regem Maurorum ingentibus ſtipatum copiis Bernardi avunculi opera ad Podium B. Mariæ profligat, 1238. XLV. S. Georgius prælium in barbaros confeciſſe creditus, *ibid.* Valentiam ad deditionem compellit, *ibid.* Gratulatoriæ ad fideles Gregorii de parto triumpho literæ, *ib.* XLVI. XLVII. Excitati finitimarum provinciarum fideles ad partas e Sarracenis terras incolendas, *ibid.* Ducum opera ad *Chium* arcem Sarracenos divinitus *delet*, 1240. XXVI. Editum ibi in *euchariſtia* ſanguine delibuta prodigium, *ibid.* Inducias inter Toloſæ & Provinciæ comites conciliat, 1244. XVII. Valentinam academiam excitat, 1245. LXXVI. Gerundenſi epiſcopo linguam amputat, 1246. XLIII. Cur tam graves in eum iras conceperit, *ibid.* Corripitur ab Innocentio IV. *ibid.* XLIV. Expiato rite crimine in Eccleſiæ gratiam admittitur, *ibid.* XLVIII. Quæ pœnæ illi impoſitæ, *ibid.* In clientelam apoſt. accipitur, 1254. XXV. Mauros Valentino regno depellit, *ibid.*

Jacobus abbas Ciſtercienſis ordinis creatur a Gregorio IX. epiſcopus Præneſtinus, 1233. V. Mittitur legatus in Ungariam, *ibid.* Illi Andreas ſacramento ſe aſtringit, præterita mala emendaturum, *ibid.* LII. Item Bela & Colomanus Reges, *ibid.* LIV. Mittitur legatus in Inſubriam pro concilianda inter Inſubres, & Fridericum II. concordia, 1236. V. VI. Repellitur cum ignominia a Friderico, *ibid.* Incurrerat ejus odium ob Placentinos ad mutuam pacem adductos, *ibid.* VII. A Gregorio illius factum laudatur ac defenditur adverſus Friderici calumnias, *ibid.* VIII. Commendantur virtutes, *ibid* IX. Mittitur legatus in Gallias, 1239. XXXVIII. Peregrini ementito habitu Januam per medios hoſtes evadit, *ibid.* Repulſam patitur a S. Ludovico, quem in Fridericum incitare conabatur, *ibid.* Illi provincia commiſſa abſolvendi Toloſani comitis, *ibid.* LXXII. In reditu ad concilium excitus capitur a Fridericianis, 1241. LV. Conſolatorias ad eum literas mittit Pontifex, *ibid.* LXVIII. Hortatur aliis repetitis ad fortitudinem, & conſtantiam, *ibid.* LXXI. Laxatur vinculis a Friderico datis obſidibus, ut electioni novi Pontificis poſt Gregor. mortem interſit, *ibid.* LXXXV. Libertati reſtituitur, 1243. IV.

Jacobus Trecenſis. *Vide*, Urbanus IV.






Ja-

Jacobus Ruſſanus Minorita, 1233. XXIII.

Jacobus Teupulus Venetorum dux Salinguerram in vincula abducit, 1240. XXXIX.

Jacobus archidiaconus Leodienſis poſtea in Pontificatu Urbanus IV. dictus in Poloniam legatus mittitur, 1244. LII. Jubetur Swantopelkum, & crucigeros, eorumque fœderatos incuſſis cenſuris in concordiam adducere, 1247. XXV. Polonos ad ſubmittenda liberaliter Pontifici ſubſidia adducit, 1248. XLIX. Conſuetudinem veterem, qua a ſeptuageſima carnium eſus interdictus erat in Polonia, tollit, *ibid.*

Jadertinus archiepiſcopatus Gradenſi patriarchatui ſubiicitur, 1255. XLII.

Januenſes navali prælio vincuntur ab Entio, 1247. LV. Friderici literæ de illata iis clade, *ibid.* LVII. Eorumdem ad Pontificem epiſtola, *ibid.* LX. Fridericiani Januenſes terra invadere parant, quibus ſe Mediolanenſes opponunt, *ibid.* LXXX. Magno Innocentium IV. honore excipiunt, 1244. XXXIV.

Januenſes. *Vide*, Genuenſes.

Ibelinum res Syriæ infeſtantem increpat Pontifex, 1235. XLII.

Iconium; ingentia Iconii miracula ad commendandam crucis venerationem patrata, 1247. LXXVII.

Iconii ſoldanus. *Vide*, Alatinus.

Idololatra; Pruſſi virgines floribus redimitas dœmonibus immolant, 1232. VI. Stedinghi dæmonem ſub nefandis formis adorant, 1233. XLI.

Jejunium; Poloni a Jacobo ſedis Apoſtolicæ legato a jejunio a ſeptuageſima inchoando exempti, 1248. XLIX. Permittit Græcis Innoc. IV. diebus ſabbati in quadrageſima non jejunare, 1254. VIII.

Jentueſones, ſive Jaczvingi & Jazyges Poloniam vaſtant, 1255. LIX. In eos promulgatum ſacrum bellum, *ibid.* Fide Chriſtiana imbui flagitant, 1256. XIV. Accepti in Apoſtol. ſedis clientelam, *ibid.*

Jeroſlaus Dux Ruſſiæ a Joanne e Plano Carpini Minorita ad Eccleſiæ Romanæ obſequium adductus, 1248. XLI. Veneno ab Imperatoris Tartarorum matre in convivio necatus, *ibid.* Ipſi Alexander filius ſuccedit, *ibid.* Solicitatur ad Eccleſiæ Romanæ conjunctionem ab Innocentio, *ibid.* Ignatius Jacobitarum Catholicus Rom. Pontificem Eccleſiæ ſummum caput agnoſcit, 1247. XXXVI. Profeſſio fidei ab eo tranſmiſſa Innocentio, *ibid.* XXXVI.

Illegitimi filii; Haquinus ad ſuſtinendum Norwegiæ ſceptrum natalium dignitate ab Innoc. IV. decoratus, 1246. XXXIV.

Imagines ſacræ; Chriſti e cruce pendentis imago ei qui hoſti pepercerat caput inclinat, 1232. XXXII. *Vide*, Crucifixus.

Imperium Theſſalonicum in Joanne Theodori filio deſinit, 1243. XLVIII.

Imperium Tartarorum; illius initium, 1241. II. 1248. XXXIX. Qua ſorte electus primus Imperator, *ibid.* Quo ritu ornamenta Imperii accipiat, 1245. XXI.

Impoſtores profana mortuorum oſſa pro S. Antonii reliquiis veneranda exponunt, 1240. XXIX. Canonici S. Sepulcri ad corradendas pecunias miracula inania fingunt, 1238. XXXIII. Coerciti a Pontifice, *ibid.*

Impoſtor puerorum & ruſticorum multitudinem congregat ſpecie expeditionis Aſiaticæ ineundæ, 1250. XXX.

Impudicitia; qua pœna S. Ludovicus equitem in lupanari deprehenſum affecerit, 1251. LIV. Indulgentiæ conceſſæ conferentibus ſubſidia ad perducendum templum Lugdunen. 1247. LXXXV. Pro anima Berengariæ Ferdinandi Regis oraturis, 1251. XXVII. Spretæ ab hæreticis, qui alias fingunt, 1248. XV. Quanti S. Ludovicus eas fecerit, 1251. LIII. Ut corbem ſæpius pro eis lucrandis tulerit, *ibid.*

Ingria provincia ad Chriſtum traducta, 1255. LXII.

Inimicos diligere. *Vide*, Clementia in hoſtes, & Charitas.

Innocentius IV. Papa antea Synibaldus Card. tit. S. Laurentii in Lucina dictus creatur Pontifex, 1242. V. E Lavaniæ comitibus genus duxerat, *ibid.* Præſules de ſua electione certiores facit, *ibid.* VII. Gratulatur ipſi de adepto pontificatu Fridericus Imp. *ibid.* X. Ad redintegrandam concordiam oratores tranſmittit, *ibid.* XII. Legatos viciſſim pro ea tractanda mittit Pontifex ad Fridericum, *ibid.* XIII. Flagitat, ut reliquos præſules dimittat e vinculis, *ibid.* XIV. Offert paratum ſe ad cogendam ſynodum, ut e Regum & prælatorum conſilio mutuæ injuriæ ſarciantur, *ibid.* XV. Reſpondet Friderici querelis, *ibid.* XVII In conſpectum oratores Friderici, antequam anathemate ſolvatur, non admittit, & cur, *ibid.* XXI. Pollicetur Inſubribus pacem non admiſſurum, ni illius leges ipſis utiles & honeſtæ extiterint, *ib.* XXII. Viterbienſes ad illius obſequium redeunt, *ibid.* XXIV. Auxilia ipſis ſubmittit, *ibid.* XXVI. Magno honore a Romanis excipitur, *ibid.* XXVIII. Legatum in Gallias adverſus Albigenſes mittit, *ibid.* XXX. Pruthenæ eccleſiæ poſſeſſiones alienari vetat, *ibid.* XXXIII. Excolendis Chriſtiana religione infidelibus incumbit, *ibid.* XXXIV. Et profligandis in Illyrico hæreticis, *ibid.* XXXV. Germanis ad Tartaros Ungaria expellendos arma correpturis indulgentias proponit, *ibid.* XXXVII. De S. Hildegardis miraculis accuratius inquiri jubet, *ibid.* XXXIX. Canonicis regularibus pileis quadratis in divino miniſterio uti permittit, *ibid.* XLI. Jura Theſſalonicenſis regni Helenæ Demetrii nepti confirmat, *ibid.* XLVI. Patriarcham Conſtantinopolitanum legatum apoſtolicum creat, *ibid.* XLIX. Eccleſiaſticorum vectigalium partem in Imperii ſubſidium derivat, *ibid.* Patriarcham Hieroſolymit. legati apoſtolici dignitate ornat, *ibid.* XLVII. De excitandis Hieroſolymorum propugnaculis dat imperia, *ibid.* XLVI XLVII. Illius pro fulciendo Conſtantinopolitano Imperio ſtudium, 1244 XV. Ejuſdem adverſus Interamnenſes pro Narnienſibus decretum, *ibid.* XVIII. Frajapanorum, qui Coliſæi partem cum palatio tradiderant Friderico, ſacramentum reſcindit, *ibid.* XIX.

Innocentius IV. Papa ſignificat Lantgravio Thuringiæ Fridericum a pacis legibus reſiliiſſe, *ibid.* XX. Quæ inter ipſos initæ fuiſſent, *ibid.* XXIV. Cardinales ſuas partes creat, *ibid.* XXXI. Struuntur illi a Friderico inſidiæ, *ibid.* XXXII. Fuga præcipiti ex iis evolat, *ibid.* XXXIII. Januam mari proficiſcitur, *ibid.* XXXIV. Magno honore excipitur a Januenſibus, *ibid.* Nonnulli Cardinales eluſis tyranni inſidiis ad ipſum ſe conferunt, *ibid.* XXXV. Diſcedit Janua, *ibid.* XXXVI. Per Sabaudiam iter arripit, *ibid.* A. S. Ludovico in Galliis excipitur, *ibid.* XXXVII. Sacellum regium, in quo Domini ſpinea corona & aliæ reliquiæ repoſitæ ſunt, prærogativis ornat, *ibid.* XXXIX. Jubet Judæorum Talmud flammis dari, *ibid.* XL. Alexandri Scotiæ Regis flagitantis, ut initum cum Henrico pacis tractatum confirmet, literæ, *ibid.* XLIV. Henricum Angliæ Regem ob exagitatum Norwicenſem epiſcopum



pum perſtringit, *ibid.* XLVI. Teſtamentum regium confirmat, *ibid.* XLVII. De B. Edmundi miraculis inquiri jubet, *ibid.* Templum B. Eliſabeth ſacrum adituris indulgentias proponit, *ibid.* XLVIII. Jacobum archidiac. Leodienſem, dictum poſtea Urbanum IV. in Poloniam legatum mittit, *ibid.* LII. Viros religioſos ad inferendum barbaris evangelium deſtinat, *ibid.* Conſtitutionem edit ne Prædicatores & Minoritæ ex uno ordine in alium transfugere poſſint, *ibid.* LIII. Corripit Ciſtercienſem abbatiſſam, quæ virginem velare præſumpſerat, *ibid.* LVI. Synodum in Galliis convocat, 1245. I. Quæ cauſæ eum ad id impulerint, *ibid.* Percellit Fridericum anathemate die cœnæ Domini, *ibid.* II. Pacem illi offert, ſi admiſſas ſuperiore anno concordiæ leges ſervare voluerit, *ibid.* III. Patriarchæ Antiocheno abſolvendi illius juſtis conditionibus provinciam imponit, *ibid.* IV. Præmonet Sanctium Regem Luſitaniæ ut publicis regni malis medeatur, *ibid.* V. Jubet vetitum cum Mentia initum matrimonium diſſolvere, *ibid.* X. Solicitat Colmannum Regem Bulgariæ ad Rom. Eccleſiæ conjunctionem, *ibid.* XI. Ad ſchiſma tollendum concilium œcumenicum cum Bulgaris & Græcis celebraturum ſpondet, *ibid.* Tartaros ad fidem invitat, ac Minoritas ad eos tranſmittit, *ibid.* XV. Monet cædibus abſtinere, *ibid.* XVIII.

Innocentius IV. Papa quas evangelii præconibus ad infideles miſſis prærogativas contulerit, *ibid.* XIX. Celebrat concilium Lugdunenſe, *ibid.* XXIV. Promiſſa a Friderico repudiat, *ibid.* XXVIII. Illius ad patres oratio, *ibid.* XXIX. Quæ Friderico objecerit, *ibid.* XXX. Inducias Friderico dat, ut accedat ad Concilium, *ibid.* XXXI. In illum ſententiam fert, *ibid.* XXXIII. Ejus ſeries, *ibid.* Conſulit Imperio *Conſtantinopol.* *ibid.* XLVIII. XLIX. Decreta de propulſandis Tartaris edit, *ibid.* L. De ornanda expeditione in Sarracenos, *ibid.* L. LI. Pacem ad quadriennium principibus indicit, *ibid.* LIII. Qui electores Imperatorum ſint declarat, *ibid.* LIV. Octavum diem a natali Virginis feſto recurrentem ſacrum inſtituit, *ibid.* Iniquas Anglorum querelas repellit, *ibid.* LV. Donationis regni Angliæ a Joanne Rege factæ in concilio perlegi jubet, *ibid.* LVI. Et ſacramenti a Petro Rege Aragonum præſtiti formam, *ibid.* Tum a Paraſone regulo Calaritano nuncupati, *ibid.* LVII. Atroces literas adverſus ipſum ſcribit Fridericus, *ibid.* LIX. Jactæ a tyranno minæ, *ibid.* LX. Quanta conſilii maturitate Pontifex in eum ſententiam tulerit, *ib.* LXIV. Tarviſinos fidei ſacramento Friderico ex metu dato abſolvit, *ibid.* LXV. Piſanis reſipiſcentibus certas leges, ut in gratiam admittantur, præſcribit, *ibid.* LXVI. Convellit decretum Friderici nundinas Vercellis Taurinum transferentis, *ibid.* LXVI. Decrevit ut Alfonſus Sanctii Regis Luſitani frater illius nomine regni adminiſtrationem capeſſat, *ibid.* LXVII. LXVIII. Salva regni jura penes Sanctium ejuſque poſteros remanſura ſtatuit, *ib.* LXXI. Confert equitibus S. Jacobi, impoſito annuo cenſu, recipiendi regni Zale a Rege Zeid Chriſtiana ſacra amplecti cupiente, auctoritatem, *ibid.* LXXV. Valentinam academiam conditam a Jacobo Rege Aragonum prærogativis exornat, *ibid.* LXXVI. Et Toloſanam quam laudibus celebrat, *ibid.* Plura alia confert privilegia, *ibid.* LXXVII. Qui Cardinales ipſi aſſiderent, *ibid.* Inviſitur Lugduni a S. Ludovico Rege, *ibid.* LXXVIII. Cluniaci cum eodem ſecreta agit conſilia, *ibid.* LXXIX. Declarat Belam dato Friderico fidei ſacramento non teneri, nec Ungariam Imperii vectigalem eſſe, *ibid.* LXXXI. Swantopelkum cum infidelibus inita ſocietate rem Chriſtianam in Pruſſia profligantem arguit, *ibid.* LXXXV. LXXXVI. Gneſnenſi archiepiſcopo vibrandi in eum cenſuras provinciam imponit, *ibidem.* LXXXVII. Willelmum Sabinenſem epiſcopum in eas regiones deſtinat, *ibid.* LXXXIX.

Innocentius IV. Papa dividendæ inter crucigeros & præſules Curlandiæ auctoritatem confert, *ibid.* LXXXIX. Opizonem abbatem Mezanenſem ad conciliandam concordiam mittit, *ibid.* XC. Quam illi ad rem gerendam contulerit auctoritatem, *ibid.* XCI. Excitat Regem Daniæ ad defendendam contra barbaros Eſtoniam, *ibid.* XCII. Ejus ſigna ſecuturis indulgentias proponit, *ibid.* XCIII. Fideles ad ultionem de Choraſminis expetendam ſolicitat, *ibid.* XCVI. Odonem epiſcopum Tuſculanum in Gallias mittit, *ibid.* Hortatur principes electores, ut Henricum Lantgravium Thuringiæ Regem ſalutent, 1246. I. Regem Bohemiæ alioſque principes ab eo abhorrentes, ut conſentiant in eligendo Reg. Rom. ſolicitat, *ibid.* II. Sua ſtudia ad Henrici res promovendas pollicetur, *ibid.* V. Excipit Henrici Regis oratores, *ibid.* VI. Illum ſtipendiis ad parandum bellum juvat, *ibid.* Electum Ferrarienſem legatum in Germaniam mittit, *ibid.* Imponit illi partes Germanos in Henrici obſequia adigendi, *ibid.* VII. Literis allicit eoſdem Germanos, *ibid.* VIII. Duos Cardinales legatos in Siciliam mittit, *ibid.* XI. Siculos excitat ad recuperandam libertatem, *ibid.* XI. Arma in Fridericum corripientibus gratulatur, *ibid.* XIV. Picenos, Spoletanos, Tuſcos, Romanos ad colligendas in Fridericum vires adhortatur, *ibid.* XVI. Friderici oratores ad purgandum crimen hæreſeos miſſos repellit, *ibid.* XX. Offert Friderico præſentem illum auditurum, *ibid.* In eum Fridericus literas diſſeminat, *ibid.* XXII. Quid S. Ludovico pro concilianda inter eccleſiam & Imperium pace intercedenti reſponderit, *ibid.* XXV. Fridericum in gratiam, niſi ſine ullis conditionibus ſe ſubiecerit, admittere recuſat, *ibid.* XXVIII. Archiepiſcopum Pruſſiæ ad Ruſſos mittit, *ibid.* XXIX. Hortatur Ruſſorum Regem ad Tartaros propulſandos, *ibid.* XXX. Religioni in Ruſſia propagandæ incumbit, *ibid.* Sabinenſem epiſcopum in Norwegiam legatum mittit, *ibid.* XXXII. Regiis ornamentis Haquini induendi provinciam demandat, *ibid.* XXXIII. Natalium labem ad ſuſtinendum ſceptrum delet, *ibid.* XXXIV. Bello ſacro ſe devoventem in clientelam ſuſcipit, *ibid.* XXXV. Excitat ad finitimos infideles edomandos, *ibid.* De miraculis B. Auguſtini Nidroſienſis archiepiſc. quæſtionem inſtituit, *ibid.* Crucem Colocenſi archiep. adverſus Boſniæ hæreticos tranſmittit, *ibid.* XXXVII. Albigenſes ad ſupplicium queri jubet, *ibid.* XXXVIII. Reſcindit Regis Angliæ ſacramenta, quibus jura regia imminueret, *ibid.* XXXIX. Querenti Alphonſo Sanctium Regem Luſitaniæ regno exui, reſpondet daturum ſe operam ne juribus regni exuatur, *ibid.* XLII. Corripit Aragonum, ob crudele facinus in Gerundenſem epiſcopum patratum, *ibid.* XLIV. Hortatur ad expiandum crimen, *ibid.* XLVI.

Innocentius IV. Papa Edmundum archiep. Cantuarien. cœlitum catalogo adiicit, *ibid.* XLIX. Soldanum Babyloniæ ad pacem ſolicitat, *ibid.* LI. Barbari principis ad Ponti-

tifi-

tificem literæ, *ibid.* LIII. Honorifica illi nomina a Soldano attributa, *ibid.* Comparandis auxiliis pro reparandis Syriæ rebus incumbit, *ib.* LIV. Et fulciendo Conſtantinopolitano Imperio, *ibid.* Mortuo Henrico Rege Petrum Capocium diaconum Card. in Germaniam mittit ad urgendam novi Regis electionem, 1247. II. Provinciam illi imponit, ut in Henrici fautores cenſuras diſtringat, *ibid.* III. Creato Willelmo Rege, Germanos in illius obſequium adigit, *ibid.* V. Gratulatur Colonienſibus illius partes ſecutos, *ibid.* VI. Bellum ſacrum propoſitis indulgentiis in Fridericum accendit, *ibid.* VII. Jubet omnes prælatos ſcripto polliceri duci Brabantiæ nunquam defuturos, *ibid.* Nonnullos præſules fautores Friderici in judicium vocat, *ibid.* VIII. Stipendia Willelmo ſuppeditat, qui Conradum Germania depellit, *ibid.* IX. Divina providentia e ſicariorum cruentis inſidiis evadit, 1247. IX. Illum opprimere Lugduni meditatur Fridericus, *ibid.* X. S. Ludovico armorum potentiam adverſus Fridericum offerenti gratias agit, *ibid.* XIII. Ejuſdem Regis fratribus, ac Reginæ Blancæ, in Italiam ducere exercitum meditantibus, ob egregium zelum gratulatur, *ibid.* XV. XVI. Octavianum Ubaldinum Cardin. legatum in Italia creat, *ibid.* XVII. Deſiderio Luſitaniæ perluſtrandæ provinciam committit, *ibid.* XVIII. Quid Alphonſo Regis Caſtellæ filio querenti Sanctium regno exui, reſponderit, *ibid.* Mittit in Angliam ad colligenda ſubſidia nuncios, *ibid.* XIX. Guillelmum Brioncenſem epiſcopum inter ſanctos refert, *ibid.* XXII. De Brunonis Herbipolenſis epiſcopi miraculis inquiri jubet, *ibid.* XXIV. Fideles contra barbaros, Poloniam infeſtantes excitat, *ibid.* XXV. Ungariæ Regi Tartaror. irruptionem formidanti auxilia pollicetur, *ibid.* XXVI. Hortatur Willelmum, ut Belæ faveat ad Auſtriam contra Fredericum tenendam, *ibid.* Gratulatur Belæ Vatacium ad Eccleſiæ obſequium adducere meditanti, *ibid.* XXVII. Committit provinciam archiepiſcopo Ruſſiæ, ut Danielem Ruſſorum Regem Eccleſiæ conciliet, *ibid.* XXVIII.

Innocentius IV. Papa Waſiliconem Regem Laudemeriæ in clientelam ſuſcipit, *ibid.* XXIX. Permittit Ruſſis, ut in fermentato conficiant, *ibid.* Illius in convertendis populis zelus, *ibid.* XXX. Laurentium Minoritam cum ampliſſima auctoritate in orientem mittit, *ibid.* XXXI. Quid ſanxerit de Græcis ad Eccleſiæ conjunctionem adducendis, *ibid.* XXXII. Catholici orientalium honorificæ ad ipſum literæ, *ibid.* XXXIII. Solicitatur ut Friderico ignoſcat, *ibid.* XXXIV. Jacobitarum Catholicos ſuæ fidei formam ad eum tranſmittit, *ibid.* XXXVI. Item Niſibinus archiep. Neſtorianorum, *ibid.* XXXIX. Et Ignatius patriarcha, *ibid.* XL. Et Primas Jacobitarum orientalium, *ibid.* XLII. Hæreticos in Galliis, & Italia deleri jubet, *ibid.* XLIV. Inquiri præcipit an Raymundus ſenior pœnitens deceſſerit, ut illius corpus ſepulturæ eccleſiaſticæ tradi permittat, *ibid.* XLV. Reſcindit iniquam legem in eccleſiaſticos latam a nonnullis proceribus Gallis, *ibid.* XLVIII. Pontificiæ ea de re literæ, *ibid.* XLIX. Tuſculano epiſcopo diſſolvendæ illius coitionis munus imponit, *ibid.* LIII. Ut Sarracenis principibus fidei Chriſtianæ veritatem propoſuerit; Salchini ſoldani de religione certantis ad Innocentium IV. literæ, *ibid.* LVIII. Aliæ eodem argumento ſoldani Iſmaelis, *ibid.* LXIX. Aliæ ſoldani Davidis, *ibid.* LXXI. Alterius etiam ſoldani excuſantis ſe de everſione ſepulcri Dominici, *ibid.* LXXIV. Viros religioſos ad Tartaros tranſmittit, *ibid.* LXXVIII. Indignantur Tartari haberi Rom. Pontificem a Chriſtianis cæteris hominibus auguſtiorem, *ibid.* Quid contra illius dignitatem objecerint, *ibid.* LXXXI. Superbæ Bajothnoi ad eum literæ, *ibid.* LXXXII. Judæos crudeliter in Germania & Galliis habitos ab injuriis vindicat, *ibid.* LXXXIII. Lugdunenſis templi aram principem conſecrat, *ibid.* LXXXV.

Innocentius IV. Papa indulgentias ſubſidia ad opus perducendum conferentibus tribuit, *ibid.* Convincit gravibus argumentis Fridericum de hæreſi ſuſpectum, 1248. III. Intentat graviorum pœnarum minas declinanti judicium Apoſt. ſedis, *ibid.* VI. Sacrum in ipſum & Conradum, propoſitis indulgentiis, bellum accendit, *ibid.* VII. Bohemiæ proceres a Friderici partibus abducere nititur, *ibid.* VIII. Ratiſponenſibus graves pœnas, ni ad officium redierint, intentat, *ibid.* XII. Urbes Fridericianarum partium interdicto ſubiicit, *ibid.* XIII. Cruceſignatorum Friſonum vota in expeditionem adverſus Fridericum commutat, *ibid.* Ezelinum de hæreſi accuſatum in judicium vocat, *ibid.* XXV. Albigenſium delendis reliquiis incumbit, *ibid.* XXVI. Fideles ad ſequenda S. Ludovici in Syriam ſigna hortatur, *ibid.* XXVIII. Odonem Tuſculanum epiſcopum in illius exercitu legatum creat, *ibid.* XXIX. Suſdalienſem ducem Ruſſiæ ad obſequium eccleſiæ invitat, *ibid.* XLI. Ferdinandum Caſtellæ Regem ad locupletandas eccleſias Sarracenis ereptas ſolicitat, *ibid.* XLVII. Poloni liberaliter ei ſubveniunt, *ibid.* XLIX. Suppetias etiam fert Rex Scotiæ, *ibid.* L. Carnium uſum certis legibus illi concedit, *ibid.* LI. Scemenſi epiſcopo libris Sclavonico charactere exaratis in divinis officiis uti permittit, *ibid.* LII.

Innocentius IV. Papa Cabochium legatum in Apuliam ad Siculos in Fridericum ſolicitandos mittit, 1249. XIV. Ingentia Friderici, expetentis ipſius gratiam, promiſſa reſpuit, *ibid.* Joannem Parmenſem Minoritarum magiſtrum ad Vatacium Imp. & patriarcham a ſchiſmate abducendos mittit, *ibid.* XV. Albertum Ruſſiæ arch. ad Danielem Ruſſiæ ducem pro ipſo ad Eccleſiam revocando, *ibid.* Jubet Wenceſlaum uxorem ob canonicum impedimentum dimittere, *ibid.* XVI. Cruceſignatos Provinciæ & Toloſatium comitatus traiicere in orientem, audito S. Ludovici cladis nuncio, jubet, 1255. XXVIII. Nefarium in electionibus præſulum apud Suecos morem inductum tollit, *ibid.* XXXIX. Odoni Tuſcul. epiſc. A. S. L. provinciam dat, an petita Græcis Cypriis redeuntibus ad Eccleſiæ conjunctionem ſint admittenda, *ibid.* XL. XLI. Albania, Unania, & Philot ad illius obſequium redeunt, *ibid.* XLIV. XLV. Quæſtionem de miraculis Ambroſii Minoritæ inſtitui jubet, *ibid.* XLIX. Similiter Joannis Boni, *ibid.* Auguſtini Nidroſienſis archiepiſc. *ibid.* L. Staniſlai epiſcopi Cracovienſis, *ibid.* Audita Friderici morte transferre in Italiam ſedem meditatur, 1251. I. Petro Capocio explorandi Siculorum voluntates provinciam imponit, *ibid.* II. Præſules Siculos ad recuperandam libertatem excitat, *ibid.* III. Panormitanum ad officium revocare molitur, *ibid.* V. Ad comprimendos Manfredum & Conradum incumbit, *ibid.* VI. Jacobum archidiaconum in Germaniam mittit, *ibid.* VII. Willelmo Regi imperialia ornamenta pollicetur, *ibid.* VIII. Conradum percellit





anathemate, *ibid.* X. Suevos ad Conradi partes repudiandas ſolicitat, *ibid.* XI. Qui Cardinales ipſi adſiderent, *ibid.* XII. Diſceſſurus Lugduno cives in clientelam apoſtolicam accipit, *ibid.* XV. Ipſos omnibus præſulibus commendat, *ibid.* XVI. Regina Blanca redituro vires Gallorum offert, *ibid.* XVIII. Innoc. grates illi agit, *ibid.* XIX. Henricus Angliæ Rex videndi illius deſiderium ſignificat, *ibid.* XXIII. Excuſat ſe Pontifex ab ineundo cum illo colloquio, *ibid.* XXIV. Illius petita, ut Scotiæ Rex ſine Angli Regis auctoritate regia conſecratione imbui non poſſit, reiicit, *ibid.* XXV.

Innocentius IV. Papa indulgentias pro anima Berengariæ Reginæ Ferdinandi matre oraturis impertitur, *ibid.* XXVII. Sanctius Regis Caſtellæ filium creatum archiepiſcopum Toletanum clero Toletano commendat, *ibid.* XXVIII. Miramomelinum Marrochitanum ſolicitat ad arces Chriſtianis, ut ſe ab hoſtibus tueantur, attribuat, *ibid.* XXIX. Lugduno diſcedit, *ibid.* XXX. Januam ingreditur, *ibid.* Sabaudiæ comitem ad Eccleſiæ caſtra revocat, *ibid.* XXXI. Hæreſes in Inſubria excindere aggreditur, *ibid.* XXXII. Eam provinciam Petro Veronenſi imponit, *ibid.* XXXII. Adverſus Ezelinum quæſtionem exerceri jubet, *ibid.* XXXVI. XXXVII. Neapolitani, aliique proceres Siculi oratores ad eum tranſmittunt, *ibid.* XXXVIII. Prærogativas ad obſequium redeuntibus ingentes tribuit, *ibid.* XXXIX. Manfredum ad obſequium venientem admittit, *ibid.* XLII. Principatum Tarentinum illi attribuit, *ibid.* Mediolanum adit, *ibid.* XLIII. Laudenſes Mediolanenſibus conciliat, *ibid.* Lithuani in illius obſequium procumbunt, *ibid.* XLIV. Mendog Regem in clientelam apoſtolicam accipit, *ibid.* Culmenſi epiſcopo illius regiis ornamentis induendi partes imponit, *ibid.* XLVI. Et præficiendi Lithuaniæ antiſtitis, *ibid.* XLVII. Injuſta Friderici in eccleſiaſticos decreta reſcindit, 1252. II. Tarentum & Hydruntum Henrico Frajapano ab Imperatrice Conſtantia attributa confirmat, *ibid.* III. Licienſem comitatum in Zianum ducis Venetorum filium tranſmittit, *ibid.* Albanenſem epiſcopum & G.. ſancti Euſtachii diaconum Cardinales legatos in Hetruriam deſtinat, *ibid.* IV. Laudæ epiſcopalem dignitatem reſtituit, *ibid.* V. Peruſium proficiſcitur, *ibid.* VI. Prædicatores regendarum monialium onere liberat, *ibid.* De B. Roſæ miraculis & ſanctitate inquiri, deque Ambroſii Minoritæ rebus geſtis examen redintegrari jubet, *ibid.* VII. De Staniſlao Cracovienſi epiſcopo ſanctorum catalogo apponendo agitari præcipit, *ibid.* VIII. Ezelinum in judicium de hæreſi ſuſpectum accerſit, *ibid.* X. Graves pœnas in hæreticos B. Petri martyris interfectores alioſque ſtatuit, *ibid.* XV. Willelmi Regis bona eorum, qui fidem ipſi non adſtringerent, publicantis ſententiam confirmat, *ibid.* XVII. Bulgavenſi eccleſiæ ab Abele Daniæ tyranno impoſitum Elanum deturbat, *ibid.* XIX.

Innocentius IV. Papa Suediæ Regem de Eccleſia benemeritum defendendum ſuſcipit, *ibid.* XX. Haquinum Regem Norwegiæ transfretaturum in protectionem accipit, *ibid.* XXII. Henricum Angliæ Regem ad maturandum in Syriam bellicum apparatum excitat, *ibid.* XXIV. Publicis pro eo preces indicit, *ibid.* XXV. Fideles e ſacro ſuggeſto ad induendam crucem incendit, *ibid.* XXVI. Vetat regia jura ab eccleſiaſticis Syriæ invadi, *ibid.* XXVIII. Barbarum monomachiæ morem in Galliis ſtudet excindere, *ib.* XXXI. Ineundi cum Sarracenis fœderis Regis Caſtellæ poteſtatem facit, *ibid.* XXXII. Stephanum Turritanum archiepiſcopum in Sardinia legatum creat, *ibid.* XXXIII. Vetat religioſos Prædicatores ſine magiſtri ſupremi conſenſu eccleſiaſticas dignitates admittere, *ibid.* XXXIV. Siculos ſuarum partium a Conrado pulſos humaniter excipit, 1252. I. Agitat de tradenda Carolo Provinciæ comitis Sicilia, *ibid.* II. Quæ leges propoſitæ, *ibid.* III. IV. Ea re non ſuccedente Richardo Cornubiæ comiti offert, *ibid.* V. Germanos adverſus Conradum concitat, *ibid* V. VI. Eccleſiis providet, *ibid.* VIII. Diſſentientes Inſubres conciliare nititur, *ibid* IX. Nonnullas edit conſtitutiones, *ibid.* B. Petrum ordinis Præd. ab hæreticis cæſum ſanctorum catalogo apponit, *ibid.* X. B. Claram Aſſiſii inviſit, *ibid.* XIII. Piæ illi virgini ea res prænuntiata fuerat, *ibid.* Exequias S. Claræ celebrat, *ibid.* XIV. Officium non de defunctis, ſed de virginibus celebrare meditatur, *ibid.* Ab eo conſilio a Reginaldo Oſtienſi epiſcopo revocatur, *ibid.* Staniſlaum epiſcopum Cracovienſem, viſo ingenti miraculo, ſanctorum catalogo apponit, *ibid.* XIV. XV. Septentrionales fideles adverſus imminentes Tartaros cruce inſigniri jubet, *ibid.* XXI. Polexianos ad fidem venientes Lancitiæ & Cujaviæ duci ſubiici jubet, *ibid.* XXV. Præneſtinum epiſcopum in Ungariam legatum mittit, *ibid.* XXVII.

Innocentius IV. Papa bello inter Ungaros & Bohemos accenſo extinguendo incumbit, *ibid.* XXVIII. XXIX. Jubet Daniæ Regem injuſtas adverſus jura eccleſiaſtica leges delere, *ibid* XXXI. Rabinos e Galliis pelli, *ib.* XXXIV. Henricum Angliæ Regem cruceſignatum in clientelam accipit, *ibid.* XXXV. Confirmat leges in Anglia ſolemni ritu ab eo renovatas, *ibid.* XXXVII. Refelluntur quæ Pariſius in Roberti Lincoln. epiſcopi gratiam adverſus Innocentium confingit, *ibid.* XLIII. Alfonſi, Africanam expeditionem meditantis, ſigna ſecuturis indulgentias proponit, *ibid.* XLIV. Prædeceſſorum literas de Luſitania vectigali conſtituta renovat, *ibid* XLVI. Auguſtinianis habitus formam præſcribit, *ibid.* XLVII Cruceſignatorum expeditionem in Galliis & Navarra promulgari adverſus Sarracenos jubet, *ibid.* L. Impias conſuetudines Tripoli & Accone inductas deleri, *ibid.* LII. Prædicatores ad Tartaros mittit, *ibid.* LIII. Pantaleonem Juſtinianum patriarcham Conſtantinopolitanum creat, *ibid* LIV. Venetos ad defendendum Conſtantinopolitanum Imperium excitat, *ibid.* Sattachi Regis Tartarorum ad fidem converſi oratores recipit, 1254. II. Gratulatorias ad eum literas ſcribit, *ibid.* II. III. Turcorum ſoldanum ad Chriſtianam religionem invitat, *ibid.* V. Ea de re literæ, *ibid.* Georgiæ præſulibus præcones evangelii ad Turcos miſſos commendat, *ibid.* VI. Nonnullos proceres Græcos ad ipſum accedentes poſt plures diſceptationes ad ſchiſma abjurandum adducit, *ibid.* Jactatas inter Græcos Cyprios & Latinos controverſias dirimit, *ibid.* VII. VIII. Baptizandorum corpora ungi permittit, 1254. VII. Sacramentum confirmationis a ſolis epiſcopis conferendum definit, *ibid.* Chriſma ab iis ex balſamo oleoque conficiendum, *ibid.* Aquam cum vino miſcendam, *ibid.* Euchariſtiam ultra quindecim dies non ſervandam, *ibidem.* VIII. Miſſam ante matutinum officium non celebrandam, *ibid.* Feminas ab altaris miniſterio abigendas, *ibid.* Permittit Græcis die ſabbati jejunia non ſervare, *ibid.* Con-

jugatos ſacerdotes confeſſiones excipere poſſe pronuntiat, *ibid.* IX. Fornicationem ſoluti cum ſoluta ex Apoſtolo lethale crimen eſſe, *ibid.* Tolerandos in ſacerdotio, qui minores ordines non ſuſcepere, *ibid.* Viduis ſecundas & ulteriores nuptias licere, *ibid.* X. Purgatorio igne animarum leviores noxas expiari, *ibid.* XI. Monaſticam diſciplinam inſtitutam a ſanctis patribus ſervandam, *ibid.* Latas ab Honorio in eccleſiaſticæ libertatis everſores cenſuras renovat, *ibid.* XXI. S. Ludovici precibus permotus ſeveritatem temperat, *ibid.* Indulgentias ſub Rege Alphonſo adverſus Africanos profecturis proponit, *ibid.* XXIV. Jacobum Aragoniæ, & Theobaldum Navarræ Reges in clientelam apoſtolicam accipit, *ibid.* XXV. Luucovenſis provinciæ catholicis conſulit, *ibid.* XXVI.

Innocentius IV. Papa Lithuaniæ epiſcopum ſedi tantum apoſtolicæ obnoxium fore decernit, *ibid.* XXVII. Bartha & Galanda a Crucigeris ereptæ infidelibus, pro iis retinendis incumbit, *ibid.* XXIX. De miraculis Nicolai Canuti Regis filii opera patratis inquiri jubet, *ibid.* XXX. Cruceſignatam expeditionem ad Tartaros propulſandos e ſeptentrione comparari jubet, *ibid.* XXVIII. Conſultus ab Othachero a quo inſignia regia accepturus eſſet, cum archiepiſcopus ſacris eſſet interdictus, reſpondet a canonicorum collegio ſuffraganeo alicui eas partes committendas, *ibid.* XXXI. Petrum S. Georgii diaconum Card. in Germaniam mittit, *ibid.* XXXIV. Ezelinum in judicium vocat ob crimen hæreſis, *ibid.* XXXV. Illius bona Alberico ejus fratri adjudicat, *ibid.* XL. Conrado Regi diem dicit ad purganda objecta ſcelera, *ibid.* XLI. Henrici fratris violentam mortem obiicit, *ibid.* XLII. Bertoldi marchionis Siciliæ bajuli oratoribus reſpondet poſſeſſionem regni inire velle, *ibid.* XLVI. Regnum Hieroſolymitanum, & principatum Sueviæ confirmat Corradino, *ibid.* XLVII. Guillelmum S. Euſtachii diaconum Cardinalem in Siciliam cum exercitu legatum mittit, *ibid.* XLVIII. Manfredum alioſque Siculi regni adminiſtratores in judicium vocat, *ibid.* LI. Willelmum Regem ſolicitat, ut in ipſos animadvertat, *ibid.* Eorumdem coitionem diſſolvit; plures a Manfredo ad partes pontificias ſe conferunt, *ibid.* LV. Manfredus etiam ſe ipſi ſubmittit, *ibid.* LVI. Principatum Tarentinum illi confirmat, *ibid.* LVII. Aliis beneficiis auget, *ibid.* LVIII. Siciliam ingredienti ſtratoris officium exhibet, *ibid.* LXI. Capuam proficiſcitur, *ibid.* LXII. Plures populos beneficiis exornat, *ibid.* Graviora a Friderico & Conrado impoſita vectigalia abolet, *ibid.* LXIII. Capua Neapolim ſe confert, *ibid.* LXIV. Meſſanenſes, atque alios plures prærogativis auget, *ibid.* Manfredus ab illo deſciſcit, *ibid.* LXV. Illius mors, *ibid.* LXIX. Quanto tempore in B. Petri cathedra ſederit, *ibid.* Jactata temere, de illo detractio, *ibid.* LXX. Quæ Prædicatorum & Minoritarum privilegia ab ipſo reſciſſa, *ibid.* Quibus ad id rationibus adduci potuerit, *ibid.* Conficta de illo fabula confutatur, *ibid.* LXXI. Viſa de ipſius anima conficta, refelluntur, *ibid.* LXXIII. In eccleſia cathedrali Neapolitana ſepelitur, *ibid.* LXXIV. Ejus epitaphium, *ibid.*

Innocentii IV. obitus, 1254. III. Quis ei ſuffectus, *ibid.*

Inquiſitores ſeu cenſores fidei Catharos inſectantur in Longobardia, 1255. XXXI. In Galliis, *ibidem.* XXXIII. Sanctus Ludovicus inſtitui in regno Francorum efflagitat, *ibid.* XXXIV. XXXV. Prædicatores & Minores huic officio præfecti, *ibid.* XXXV. XXXVIII. Auctoritas iis collata, *ibidem* XXXVI. Inferendis ſententiis diœceſanos adhiberi juſſi, *ibid.* XXXVII.

Interamnenſes; Pontificium adverſus eos decretum, 1244. XVIII. Ad Eccleſiam revocati, 1252. V.

Interceſſio ſanctorum; S. Stephanus Rex Ungariæ, nuncupato S. Martino voto victoriam de Germanis refert, 1232. XXIV. Virgo Chriſtianis ad expugnandum Peluſium adeſt, 1249. II. S. Georgius in Majoricæ expugnatione pugnaſſe in hoſtem creditus, 1230. XXXVI. Maximas barbarorum acies cum exigua Chriſtianorum manu fudiſſe, 1238. XLV. Sanctorum acies in exercitu Alfonſi II. Regis Luſitaniæ de quatuor Sarracenis Regibus victoriam retulit, 1247 XXXIII. Interceſſio ſanctorum. *Vide*, B. Maria. S. Guillelmus Birocen. S. Staniſlaus. S. Petrus Martyr. Aliorumque ſanctorum titulos.

Interdictum eccleſiaſticum; Fridericus ob negatam Pontifici illius ferendi auctoritatem de hæreſi damnatus, 1239. XXV. Hæretici in Germania exorti illud ſervandum negant, 1248. XV.

Invidia; Hugo Burgundiæ dux ex invidia in Anglos, ne captæ Hieroſolymæ gloria Richardo tribueretur, partem exercitus abducit, 1251. LV.

Joachimus abbas; ex ejus ſcriptis fœdiſſima hæreſis proſeminata, 1256. XX. Damnata ab Alex. IV. *ibid.*

Joanna Anglorum Regis filia Raymundi Toloſatium comitis mater, 1249. VIII.

Joanna Raymundi Junioris filia Alfonſo S. Ludovici fratri nupta dotalem Toloſatium comitatum viro affert, 1249. VIII.

Joannes comes Moretonii; perlecta forma ſacramenti quo ſe ſtipendiarium Pontificis conſtituit ab Innocentio IV. in concilio Lugdunenſi, 1245. LV.

Joannes Brennenſis comes egregiam Gregorio in impugnanda contra Fridericum Sicilia citeriori operam navat, 1229. XXXII. Cajetam expugnat, *ibid.* Salutatur Conſtantinopolitanus Imp. *ibid.* XLVI. Balduino II. filiam uxorem tradit, *ibid.* Leges aliæ inter ipſum & Conſtantinop. proceres initæ, *ibid.* XLVII. Confirmantur a Gregorio, *ibid.* XLVIII. Abſtinuiſſe ferunt Imperio Cæſaris contentum nomine, *ibid.* Cur fuerit excitus, *ibid.* XLIX. E Galliis in Italiam ad Pontificem ſe confert, 1231. LVII. Inito cum Venetis fœdere Conſtantinopolim mari contendit, *ibid.* Cur tamdiu profectionem diſtulerit, *ibid.* In Aſiam irrumpit, 1233. XV. Pegarum arcem expugnat, *ibid.* Obſidetur a Vatacio, & Aſane Conſtantinopoli, 1235. LIII. Illos exiguis ſuccinctus copiis profligat, *ibid.* Græcorum claſſem capit, *ib.* Pie moritur, 1237. LXXV. S. Franciſci ordinem cœleſtibus monitis ingreſſum ajunt, *ibid.* LXXV. Non ſimplex curator Imperii, ſed verus Imperator extitit, *ibid.* LXXVII.

Joannes Columna Card. tit. S. Praxedis præfectus exercitui a Gregorio IX. ut ſe Entio in marchiam irrumpenti opponeret, 1239. XXXIII. Molitur Romam Friderico prodere, 1241. LXXXI. Apertam rebellionem movet in Gregorium, *ibid.* Coniicitur in vincula a Romanis, *ibid.* LXXXV. Ejus mors, *ibid.*

Joannes Ducas, vel Calojoannes, item Vataſtes, ſive Vatacius dictus honorifice excipit nuncios apoſtolicos pro tractanda eccleſiarum concordia miſſos, 1233. V. Sciſcitatur ab illis, num Pontifex ſua patriarchæ jura reſtituturus ſit, ſi ad obſequium Eccleſiæ redi-



dierit, *ibid.* IX. Impia ab illo concordiæ forma propoſita quid reſponſum a nuntiis, *ibid.* XIII. Proponit Pontifici adducturum ſe Græcos ad Rom. Eccleſiæ obſequium, ſi nulla Latinis agentibus Conſtantinopoli auxilia ſubmitterentur, *ibid.* XIV. Dolet Synodum Græcorum, re infecta exaſperatiſque utrinque animis, diſſolutam, *ibid.* XV. Joannes Rex Hieroſolym. in ejus ditionem invadit, 1233. V. Pegarum arcem amittit, *ibid.* Fœdus init cum Aſane Bulgarorum Rege, *ibid.* Trinobi epiſcopum patriarchali dignitate præter fas ſuo ſchiſmaticorumque ſynodi decreto exornat, 1235. LI. Calliopolim cum Aſane obſidet, *ibid.* LIII. Exiguis copiis a Joanne profligatur, *ibid.* Ejus claſſis capitur, *ibid.* Novum bellum apparat, *ibid.* LIV. Gregorius Belam Regem Ungariæ, alioſque principes in eum exſuſcitat, *ibid.* LII. Conſtantinopolitanum Imperium in diſcrimen graviſſimum adducit, 1237. LXVIII. In eum Galli, Ungari, Bulgarique excitantur, *ibid.* LXVIII. Balduinus II. in occidentem auxilia quæſiturus ſe confert, *ibid.* LXXVII. Ad extremam commeatuum inopiam Conſtantinop. redigit, 1238. I. Comparata in Occidente adverſus ipſum expeditio, *ibid.* I. Bulgari ab ipſo deſciſcunt, *ibid.* XXIX. Tzurulum amittit, *ibid.* Nonnulla loca eripit Latinis, *ibid.* XXX. Navali prælio vincitur, *ibid.* Infidum Aſanem ad ſuas partes adducit, *ibid.* Hoſpitalarios, attributis illis terris, ſtipendiarios ſibi conciliat, *ibid.* XXXI. Solicitatur Bela ad bellum illi inferendum, 1240. XVII. Illius metu præſefert redeundi ad Rom. Eccleſiam deſiderium, *ibid.* Theodorum Angelum Comnenum circumvenit, 1243. XLVI. Theſſalonicam obſidet, *ibid.* XLVII. Joannem in ea agentem Imperatorem ad ſui obſequium adigit, atque ex Imperatore deſpotam creat, *ibid.* Balduinum ad Fridericum confugere cogit, *ibid.* XLIX. Friderici filiam uxorem ducit, *ibid.* Audita Colmanni Regis Bulgarorum morte, fœdus cum Bulgaris diſſolvit, 1245. XII. Serras illi eripit, *ibid.* Melericum ad deditionem pellicit, *ibid.* Opprimendi Theſſalonicenſis deſpotæ conſilia agitat, *ib.* XIII. Theſſalonicam proditione in ſuam redigit poteſtatem, *ibid.* XIV. Patriarcha Conſtantinop. de eius tyrannide queritur in concilio Lugdunenſi, *ibid.* XXVI. Arguitur Fridericus ab Innocentio filiam illi uxorem tradidiſſe, *ibid.* XLIV. Bela Rex Ungariæ illum ad Romanæ Eccleſiæ conjunctionem adducere nititur, 1247. XXVII. Innocentii IV. ea de re literæ, *ibid.* Reliqua tomo ſeq.

Joannes epiſcopus Sabinenſis ex Hiſpaniis regreſſus una cum Thoma S. Sabinæ presb. Cardin. ad Fridericum pro ineunda pace mittitur, 1230. IV. Sacramento adigit, pariturum pontificiis imperiis, *ibid.* Exponit illi cauſas, ob quas e fidelium cœtu pulſus fuerit, *ibid.* VII. Abſolvit anathemate, *ibid.* VIII. Quem ritum ſervaverit, *ibid.* & *ſeq.*

Joannes Beccus Catholicæ fidei adverſus Græcorum errores defenſor, 1233. VIII.

Joannes Vincentinus ord. Prædicatorum miraculis inſignis, 1235. XXXV. Evocatur a Gregorio ad Florentinos & Senenſes conciliando, *ibid.* Quanta floreret apud omnes fama, *ibid.* XXXVI. Gratulatur illi Gregorius ob res admirandas geſtas, *ibid.* XXXVII. Exagitatur ab improbis, *ibid.* Solatur afflictum Pontifex, *ibid.* XXXVIII.

Joannes dictus Beneventi Papa hæreticus damnatus a Gregorio, 1235. XV.

Joannes e Bello monte reliquias Albigenſium profligat, 1239. LXX.

Joannes Britanniæ comes plura e Sarracenis ſpolia refert, 1240. XLVIII. Ejus gloriæ æmuli nonnulli principes irrumpunt in Gazenſem agrum, qui extrema clade delentur, *ibid.*

Joannes Duca Imp. Græcorum; ejus morbus ſæviſſimus, 1255. LXXV. Fruſtra in ſchiſmate a Deo miracula expetit, *ibid.* Moritur, *ibid.* Ejus mores, *ibid.* Marcheſinam adulteram a templo eiici æquo animo tulit, *ibid.* LXXVI. Crimen demiſſe agnovit, *ibid.*

Joannes Imperator Theſſalonicenſis a Vatacio Niceno Imp. obſidetur, 1243. XLVIII. Procumbit in Vatacii obſequium ea lege ut ex Imperatore deſpota fiat, *ibid.* XLVIII. Paulo poſt moritur, *ibid.* Succedit illi frater Demetrius, *ibid.*

Joannes e Foxtuna in Anglia, 1244. XLVIII.

Joannes e Plano Carpini Minorita ad Imper. Tartarorum nuncius a Pontifice miſſus, 1245. XX.

Joannes Debilis primas Jacobitarum fidei normam Innocentio IV. tranſmittit, 1247. XLI.

Joannes creatus arch. Toletanus, 1248. XLV.

Joannes Parmenſis ſupremus Minoritarum magiſter ad Vatacium Græcorum Imper. & patriarcham ab Innocentio, ad eos ab ſchiſmate revocandos, miſſus, 1249. XV.

Joannes Bonus Auguſtinianus, 1250. LI. De illo in ſanctorum numerum referendo agitatum, *ibid.* A Sixto IV. is honos ipſi decretus, *ibid.*

Joannes Boſſinenſis olim epiſcopus omnia fere epiſcopatus vectigalia in pauperes effundebat, 1253. XV. Quanta humilitate epiſcopatum obiret, *ibid.* Relicto epiſcopatu Prædicatorum ordinem ingreſſus ſupremus ab iis magiſter conſtitutus, *ibid.* Pie moritur, *ibid.*

Joannes Morus Henricum Siculi regni heredem veneni vi palpitantem manutergio præfocat, 1244. XLII. A Sarracenis famulis obtruncatur, *ibid*

Joannes de Ibelino. *Vide*, Ibelinus.

Jole Andreæ Regis Ung. filia Jacobo Regi Aragonum nubit, 1235. XXXII.

Jonvilleus vitæ S. Ludovici ſcriptor diſceſſurus in Syriam S. Ludovici exemplo illatas clientibus injurias ſarcit, 1247. LVI. Sex equites, quos immodeſtiæ in ſacris myſteriis corripuerat, ſequenti die cæſi, 1250. II.

Joppe a S. Ludovico inſtaurata, 1251. LV.

Joppenſis comes; ſingularis illius conſtantia 1244. XIV. Crudeliſſimo mortis genere ab infidelibus cæſus, *ibid.*

B. Jordanus ſupremus ordinis Prædicatorum magiſter mari mergitur, 1236. XXIX. Illius corpus columna ignea illuſtratum, *ibid.* Projectum ad littus ſuaviſſimum odorem efflat, *ibid.* B. Lutgardi illius obitus cœleſti viſo oſtenditur, *ibid.* XXX. Illi in munere ſuccedit S. Raymundus Peniafortius, 1238. LXV.

Joſeppini hæretici percuſſi anathemate, 1231. XIV.

Iſabella Henrici Angliæ Regis ſoror nuptias Wormatiæ cum Friderico init, 1235. XXXI. E partus doloribus moritur, 1241 LXXXVII.

Iſabella Regina Marchiæ comiti nupta venenum S. Ludovico fruſtra parat, 1242. XII. Henricum Regem filium in viri auxilium evocat, *ibid.* XIII. Veniam ſupplex flagitat, *ibid.* XIV.

S. Iſidorus promittit divinum auxilium Chriſtianis contra Sarracenos pugnaturis, 1230. XXXII. Una cum S. Jacobo in Alfonſi Regis acie contra Sarracenos pugnare viſus, *ibid.* Didacum, occupantem Legione ipſius nomini, ſacram eccleſiam, morbo afficit, *ibid.* XXXIV. Reſipiſcentem ſanat, *ibid.* Illius reli-

reliquias veneraturis indulgentias proponit Gregorius, 1233. LXIX.

Jſmael ſoldanus ſolicitatus ab Innocentio IV. ad amplectendam fidem illi reſcribit, 1247. LXIX.

Judæorum filii, converſo altero parente, ab eo educandi 1229. LX. Queritur Gregorius Papa Judæos Chriſtianis feminis abuti, 1231. XXXIX. Ac præfici publicis muneribus, ibid. XLI. De Judæis & Sarracenis ſubmovendis a publicis muneribus conſtitutio Andreæ Ungariæ Regis, 1232. XVIII. Non ſervata hujuſmodi lex, *ibid.* XIX.

Judæi in Germania graſſantur, 1233. XLIX. Rex Caſtellæ admonitus ut Judæos coerceat, *ibid.* LXVII.

Judæi a Gregorio IX. ab iniqua oppreſſione vindicati, 1235. XX. XXI. A cruceſignatis in Aquitania cæſi, 1236. XLVIII. Vetat Gregorius male tractari, *ibid.* Illorum libri referti blaſphemiis Talmud dicti, flammis deleri juſſi ab Innocentio IV. 1244. XL. XLI. Crudele ipſorum in puerum Chriſtianum facinus, *ibid.* XLII. In Germania & Galliis crudeliter habiti, 1247. LXXXIII. Quæ calumniæ iis impoſitæ, *ibid.* Ledi a Chriſtianis vetat Innocentius IV. 1247. LXXXIV. Cæſarauguſtæ Dominicum puerum configunt, qui miraculis coruſcat, 1250. XLVIII. In Galliis exagitati, 1253. XXXIV. Rabbini eorum pelli in exilium a Pontifice juſſi, *ibid.*

Judæi Hugonem puerum martyrio afficiunt, 1255. LXXIX. Divina in eos ultio, *ibidem.*

Juſtitia divina; in eccleſiæ S. Iſidori invaſorem ultio divina, 1230. XXXIII. Simon e Tornaco, dum blaſphemat in Chriſtum, horribili epilepſia repente percuſſus, 1239. XXVII. Frangipania turris nonnullos Friderici II. ſtudioſos dum blaſphemas evomunt voces, repente obruit, *ibid.* XXIX. Miles, qui virum religioſum urina turpiter aſperſerat, eo S. Benedictum invocante, horrenda lepra percutitur, *ibid.* XXX. Singulare juſtitiæ divinæ exemplum in eos, qui intempeſtivis haſtiludiis ſe dederant, 1242. IX. X. Spoliator eccleſiarum divina vindicta correptus, 1243. XLII. Sarraceno manus, qua percuſſerat crucem, exareſcit, 1247. LXXVII. Alter infidelis in ipſo eiiciendæ in illam urinæ conatu examinatus procumbit, *ibid.* Juſtitia divina in tyrannos. *Vide*, in Othone; in Friderico; in Conrado; in Joanne; in Abele.

Jutta S. Eliſabethæ pediſſequa ſanctitate & miraculis inſignis, 1252. XVI.

# K

KAſoturus Cujaviæ & Lancitiæ dux Jentuoſos ad fidem allicit, 1256. XIV.

Kinga ſive Kunegunde Belæ Regis Ungariæ filia naſcens ſacri hymni verba *Ave Regina cælorum*, repetit, 1240. LXVIII. Boleſlao duci Cracoviæ nuptui traditur, *ibid.* Virum ad colendam virginitatem allicit, *ibid.*

Kingis. *Vide*, Chingis.

Kiou Ruthenorum Regum ſedes vaſtata a Tartaris, 1241. IV.

# L

LActe ob contemptum mundi totum ſe proluit Adolphus Holſatiæ comes, 1244. LIV. LV.

Laguſta a Joanne Card. Columna munita, Matthæo Ruſſo ſenatore expugnata, 1241. LXXXI

Lammechinus Rex Curoviæ ad Chriſti fidem converſus, 1232. III

Lantgravius Thuringiæ certior fit ab Innocentio IV. Fridericum a pacis legibus reſiliiſſe, 1244. XXI.

Laudemeria; illius Rex Waſilico Romanæ Eccleſiæ ſe conjungit, 1247. XXIX. Accipitur in clientelam apoſt. *ibid.*

Laudenſes cum Mediolanenſibus ab Innocentio IV. conciliantur, 1250. XLIII. Epiſcopalis ſedes illis reſtituta, 1252. V.

Laurentius Minorita cum ampliſſima auctoritate in orientem ad ſchiſmaticos & gentiles convertendos miſſus ab Innocentio IV. 1247. XXX. Quid illi injunxerit circa Græcos ad Eccleſiæ conjunctionem adducendos, *ibid.* XXXII. Jeroſlaum ducem Suſdalienſem in Ruſſia ad Eccleſiæ conjunctionem adducit, 1248. XLI.

Lauretanæ Deiparæ domus. *Vide*, Nazarethana, &c.

S. Lazari leproſorum ſacrum ſodalitium confirmatum ab Alex. IV. 1255. LXXIII.

Lechemel ſultanus Ægyptius erga Chriſtianos bene ſe affectum moriturus oſtendit, 1238. XXXVI. Secuta inter Sarracenos ex illius morte bella civilia, *ibid.* Chriſtiani, gerendæ rei occaſione prætermiſſa, in mutuas diſcordias diſtrahuntur, *ibid.*

Legati ſedis Apoſt. munus ſibi demandari flagitat Bela Rex Ungariæ, 1238. XIV. Abnuit Pontifex, *ibid.* XVII. De legatis ab Apoſtolica ſede miſſis. *Vide*, in ſingulis Rom. Pontificibus.

Legionis, & Caſtellæ regna in Ferdinando conjuncta, 1230. XXXIV.

Lex de ſacrandis epiſcopis excurrente ſemeſtri a quo deſignati ſunt, 1255 XVI. Leges in hæreticos acerbiſſimæ, *ibid.* XXXI. *Vide*, Hæretici.

Liberalitas divina; ob donatum Euchariſtiam deferenti presbytero equum Romanum Imperium in Rudolphum Habſpurgenſem comitem tranſmittit, 1251. LVII.

Libertas eccleſiaſtica; Boleſlaus Cracoviæ & Sandomiriæ dux eccleſiæ jura auget, 1255. LVI. Anathema in violatores jurium eccleſiæ latum in Anglia, 1256. XXVI.

Licienſis comitatus Marco Ziano filio ducis Venetorum attributus, 1252. III.

Lingua amputata ab Rege Aragon. Gerundenſi epiſcopo, 1246. XLIII.

Lituani Poloniam vaſtant, 1255. LVIII. In eos bellum ſacrum indictum, *ibid.* LIX.

Lithuani ad Eccleſiæ ſinum confugiunt, 1251. XLIV. Ipſorum Rex eccleſiam cathedralem erigere, ac vectigalibus locupletare pollicetur, 1253. XXVI. Epiſcopum illis præfici jubet Innocentius IV. *ibid.* Sedi tantum Apoſtolicæ obnoxium fore decernit, 1254. XXVII.

Lituaniæ ſive Letoviæ Rex ad Chriſtum traductus. *Vide*, Mendog.

Livones; propoſita cruceſignandis in barbaros Livoniam infeſtantes indulgentiarum præmia, 1236. LXII. Chriſtiani in Livonia cæſi a barbaris, *ibid.* LXV. Militia Chriſti e Livonia magna ſtrage ab infidelibus cæſa, 1237. LXIII. Hoſpitalarii S. Mariæ Theutonicorum ob id a Gregorio ipſis aggregati, *ibid.*

Longaſpata. *Vide*, Willelmus Longaſpata.

Longobardos certiores facit Gregorius IX. remiſſas illis a Friderico II. acceptas injurias, 1230. XIV. Sacramentum Imperatoris illis tranſmittitur, *ibid.* Queritur Fridericus, non curaſſe Pontificem ſibi læſo fieri ſatis, 1233. XXVIII. Gregorii ea de re ad eum literæ, *ibid.* XXIX. Controverſiam cum Imp. Gregorii arbitrio permittunt, 1234. XXXV. *Vide*, Mediolanenſes.



Lucani ob Carfagnanam occupatam objurgantur a Gregorio, IX. 1230. X. Eccleſiæ illam reſtituunt, 1234. XI. Reſtituta ipſis ſedes epiſcopalis, 1236. XXVI. 1237. XV.

Lucas Strigonienſis archiepiſcopus miraculis clarus, 1231. XXXI. De eo ſanctorum catalogo apponendo inquiri jubet Gregorius IX. *ibid.* 1233. LIV.

Lucenſes. *Vide*, Lucani.

Lucius II. oblatum S. Petro Luſitaniæ ducatum vectigalem admittit, 1253. XLVI.

Ludolphus Racemburgenſis epiſcop. ob defenſa Eccleſiæ jura diriſſime cruciatus, 1244. XLIX. Divinitus recreatur, *ibid.* Coruſcat miraculis, *ibid.* L. Ejuſdem epitaphium, *ibid.*

S. Ludovicus Pariſienſes academicos exagitat, 1229. LII. Graves ad ipſum matremque Blancam Gregorii IX. literæ ut prænobilem academiam in priſtinum ſplendorem revocet, *ibid.* LIII. *& ſeq.* Petrum Britanniæ comitem debellat, *ibid.* LVI. In conciliando illi Burgundiæ duce ſuam operam commendat Pontifex, *ibid.* Conjurant adverſus ipſum proceres, 1230. XXIX. Illos cenſuris damnari jubet Gregorius, *ibid.* Frangit eorum impetus, *ibid.* XXX. Transfretantem in Britanniam minorem, Henricum Anglorum Regem propulſat, *ibid.* XXXI. Rothomagenſem archiep. in jus vocatum reſpondere detrectantem bonis exuit, 1232. XXVI. Rogatur a Gregorio ut archiepiſcopum bonis reſtituat, *ibid.* 1233. LXII. Servet Belvacen. epiſcopi jura, *ibid.* Agit cum Pontifice ut ultra Rhodanum ſita Raymundi comitis ditio ipſi reſtituatur, 1233. LXI. Ad ineundas inducias cum Anglo ſolicitatur, *ibid.* LXII. Illius ad Pontificem literæ, ut Raymundo ditionem ultra Rhodanum reddi jubeat, 1234. XV. Obtinet a Pontifice, ut conſanguinitatis impedimenta tollantur, ut Margaretam filiam comitis Provinciæ ducat, *ibid.* XVI. Cum illa nuptias celebrat, *ibid.* XVII. Suborta inter ipſum, ac Regem Aragonum controverſia ſopitur, *ibid.* Solicitatur ad pacem, vel longiores cum Anglo inducias ineundas, *ibid.* XVIII. De promulgata in Sarracenos expeditione certior fit, 1235. XLV. E procerum conſilio fert iniquas in præſules leges, 1236. XXXI. Pontificiæ ad illum literæ, ut eas revocet, *ibid.* XXXI. Bellovacenſis epiſcopi jura occupat, *ibid.* XXXVII. Rogatur a Pontifice, ut Toloſanum comitem ad promiſſa ſervanda cogat, *ibid.* XXXVIII. Mittat Alfonſum fratrem ad Toloſanum comitatum adminiſtrandum, *ibid.* Arſacidarum Rex ad ipſum occidendum ſicarios mittit, mutatoque conſilio periculi admonet, *ibid.* XLVI. Comprehenſos ſicarios ornat muneribus, atque ad barbarum tranſmittit, *ibid.* Monetur a Gregor. ne bellum in Theobaldum cruceſignatum comparet, *ibid.* XLVII. Contendit ab ipſo Gregorius ut Toloſanum comitem a tuendis Maſſilienſibus abducat, ne Jacobus Rex Aragoniæ a Valentina expeditione retardetur, 1237. XXXIV. Namurcenſem comitatum venienti in Gallias Balduino adjudicat, 1248. XXI.

S. Ludovicus ſpineam coronam, aliaſque reliquias Venetis oppigneratas redimit, & in ſacra æde regia collocat, *ibid.* Conſulit Gregorium Papam, quid ſibi ob extortas a ſe ac parentibus a Judæis pecunias agendum incumbat, *ibid.* XXII. Rogatur a Pontifice, ut ſtipendia militeſque Balduino comparet, *ibid.* XXXIII. Ut inducias cum Anglo producat in quinquennium, quo Terræ ſanctæ ſubveniri poſſit, *ibid.* XXXVIII. Marchiæ comiti bellum infert, 1242. XII. Conflatum ſibi ab Iſabella Regina periculum evadit, *ibid.* Plures ex hoſtibus arces recipit, *ibid.* XIII. Henricum Regem profligat, *ibid.* Inducias Anglis concedit, *ibid.* Detrahentes de Henrico Rege collaudatis ejus eleemoſynis, reprimit, *ibid.* XVI. Bellum adverſus Raymundum comitem ad ulciſcendam virorum religioſorum necem parat, *ibid.* XVII. Hugonem comitem veniam poſtulantem in gratiam admittit, *ibid.* XIV. Perverſi conſiliarii ipſius aures obſident, *ibid.* XLII. Contra illorum fraudes præmunit ipſum Gregorius, *ibid.* XLIII. Inſidias a Friderico II. ſibi ſtructas egregio prudentiæ exemplo diſſipat, *ibid.* XLIV. Solicitatus a Præneſtino epiſc. ut arma in Fridericum ſumeret, non conſentit, 1239. XXXVIII. Non permittit fratrem Robertum oblatum Imperium admittere, *ibidem* XXXIX. Nonnullos Albigenſes tumultuantes comprimit, *ibid.* LXX. Invitatur a Gregorio, ut oratores ad concilium mittat, 1240. LII. Egregiæ illius de corripiendis armis in Tartaros voces, 1241. XIII. Partes ſuas adhibet pro liberandis e carceribus Friderici Gallis præſulibus, *ibid.* LXXVI. Datæ eo argumento minaces literæ, *ibid.* LXXVI. LXXVII. Quid reſponſum a Friderico, qui demum præſules liberat, *ibid.* LXXVIII. Raymundum cœtui fidelium reſtitutum commendat illi Innocentius, 1244. XVII. Ciſtercienſium comitia, ut eorum preces flagitet, adit, *ibid.* XXXVII. Rogatus ab iis, ut Pontificem Galliis exciperet, facilem ſe præbet, *ibid.* Graviſſimo correptus morbo de vita periclitatur, *ibid.* XXXVIII. Solemnes pro ipſius valetudine ſupplicationes inſtitutæ, *ibid.* XXXVIII. Sacram in Sarracenos expeditionem vovet, *ibid.* Admota ægro ſpinea Domini corona, & aliæ reliquiæ, *ibid.* Exornat ſacellum regium, in quo ea repoſuerat, privilegiis Innocentius IV. *ibid.* XXXIX. Rogatur a Pontifice, ut Judæorum Talmud flammis deleri jubeat, *ibid.* XL.

S. Ludovicus Innocentium Lugduni adit, 1245. LXXX. Secreta cum eo conſilia init, *ibid.* Cluniaci ipſum inviſit, *ibid.* LXXXI. Celeberrimum ordinum conventum habet, atque iterum cum proceribus ab Odone Tuſculano epiſc. Ap. S. L. crucem accipit, *ibid.* XCIV. Pium & venuſtum illius facinus in conſignanda cruce regia familia, *ibidem* XCVIII. Crux circa ea tempora in cœlo conſpecta, *ibid.* XCIX. Pro pace inter Fridericum & Innocentium concilianda operam navat, 1246. XXIV. Quid ipſi reſponſum a Pontifice, *ibid.* XVII. Quæ cauſæ ad id ipſum permoverint, *ibid.* Armorum potentiam adverſus Fridericum Pontifici offert, 1247. XII. Actæ illi ab Innocentio gratiæ, *ibid.* XIII. Prohibetur in Italiam ducere exercitum, niſi nova imperia Pontificia acceperit, *ibid.* XIV. Ipſius fratres ac Regina mater ſe Pontifici adverſus tyrannum devovent, *ibid.* XV. Pro inſtaurandis Terræ ſanctæ rebus exercitum parat, *ibid.* LV. Omnibus injuriam paſſis damna ſarcitum iri, ſi rem probaverint, pollicetur, *ibid.* LVI. Tranſlationem reliquiarum S. Edmundi Cantuar. archiep. magna pompa celebrat, 1247. XXI. Expeditionem in orientem aggreditur, 1248. XXVIII. Magnis laudibus ab Innocentio ornatur, *ibid.* Odo Tuſculanus epiſcopus in illius exercitu legatus Apoſt. ſedis creatus, *ibid.* XXIX. Chriſti e cruce pendentis effigies eo profecturo in cœlo conſpecta, *ibid.* XXX. Singularis illius in caſtigando veſtium luxu modeſtia,

deſtia, *ibid.* XXXII. In Cyprum ſecundis ventis appellit, *ibid.* XXXIII. Diſcordias inter Regem illum & proceres conciliat, *ibid.* Græcos Cyprios ad Rom. Eccleſiæ obſequium adducit, *ibid.* Plures Sarracenos ad baptiſmi ſacra allicit, *ibid.* Elcartay Tartarorum princeps ad eum oratores mittit, *ibid.* XXXIV. Et literas, *ibid.* XXXV. Oratores piaque munera ad Elcarthay & Chamum tranſmittit, *ibid.* XXXVIII. Inducias inter Armeniæ Regem & principem Antiochiæ conciliat, *ibid.* XXXIX. Paratas a ſultani Babyloniæ ſubmiſſis ſicariis inſidias evadit, *ibid.* Sacras reliquias ad Toletanam eccleſiam tranſmittit, *ibid.* XLVI. Pelagium invadit, 1249. II. Eo divina virtute potitur, *ibid.* IV. Cur mox interiorem Ægyptum non penetrarit, *ibid* V. Ægyptios occurrentes fundit, *ibid.* VI. A præfecto Cairi evocatur, 1250. I. Fluvium Thaneos ſuperat, *ibid.* In conflictu Robertum fratrem amittit, *ibid.* Victoriam reportat, *ibid.* II. Graſſante epidemia, & intercluſis commeatibus receptui ſe comparat, *ibid.* IV. Extrema clade deleto exercitu una cum Alfonſo & Carolo fratribus capitur, *ibid.* Cur fugæ præſidium neglexerit, ejuſque in adverſis conſtantia, *ibid.* Divina erga illum providentia, *ibid.* V. A ſoldani medicis e morbo ancipiti curatur, *ibid.* Admiranda ipſius magnanimitas, *ibid.* VI. Audita illius ſervitute Margareta Regina immaturum, ſed vitalem partum fundit, *ibid.* VII. Triſtanni nomen filio impoſitum, *ibid.* Singularis illius in carceris anguſtiis pietas, *ibid.* VIII. Prædicit poſt plures annos Guillelmo Carnotenſi ipſum religionem ingreſſurum, *ibid.* Pecuniam ac Peluſium pro ſe ſuiſque liberandis daturum paciſcitur, *ibid.* IX. Deliberant Ægypti de ipſo ſalutando Babyloniæ & Ægypti Rege, *ibid.* XI. Ob ipſius ſummam religionem deterriti, *ibid.* Divina in victore cæſo victoque liberando providentia, *ibid.* XI. Diſcuſſa impiorum, recepto Peluſio ipſum trucidare meditantium, conſilia, *ibid.* XII. Ægyptiis pacta violantibus in Syria conſiſtere decernit, *ibid.* XIII. Alphonſum & Carolum fratres in Gallias mittit, *ibid.* Ejuſdem de tota hac hiſtoria literæ, *ibid.* XIII. Gallos ad Aſiaticam profectionem invitat, *ibid.* XXV. Paſtorelli comparandæ pro eo liberando expeditionis ſpecie graſſantur in Galliis, *ibid.* XXIX. Fridericus oratores illius liberandi ſpecie ut creditum eſt, reipſa ad impediendam illius libertatem mittit ad Sarracenos, *ibid.* XXXI. Ipſius ſequaces de capto S. Ludovico feſtos dies Florentiæ agitant, *ibid.* Sultanus Damaſcenus illum de ineundo adverſus Ægyptios fœdere interpellat, 1251. L. Aſſaſſinorum principis ad eum audax legatio, *ibid.* Barbarus faſtum comprimit, *ibid.* Ærarium a Regina Blanca ad eum tranſmiſſum fluctibus perit, *ib.* LI. Egregia conſtantis illius animi ſententia, *ibid.* Captivos plures liberat, *ibid.* Inſtaurat arces, *ibid.* LII. Putrida Chriſtianorum cadavera propriis manibus ſepelit, *ibid.* LIII. Cæſaream Philippi expugnat, *ibid.* LIV. Illius ſeveritas in equitem deprehenſum in lupanari, *ibid.* LIV. Deliberat an S. Sepulcrum ſit Hieroſolymis luſtraturus, *ibid.* LV. Quibus de cauſis ab eo conſilio abductus, *ibid.* Nazaretanam domum pie luſtrat, *ibid.* Agens in Syria alios Reges ad ferenda auxilia invitat, 1252. XXIII. Nortmanniam Henrico, ſi acceſſerit pollicetur, *ibid.* Negant Galli proceres eam provinciam e regno poſſe divelli, *ibid.* Interpellatur a ſultano Damaſceno de ineundo fœdere adverſus Ægyptios, 1252. XXVIII. Quid ipſi reſponderit, *ibid.* Quas Ægyptiis ejus amicitiam expetentibus leges impoſuerit, *ibid.* A Damaſcenis & Ægyptiis, in mutuam amicitiam redeuntibus, deluditur, *ibid.* Regina Blanca ipſius mater obit, *ibid.* XXIX. Optabat illa chariſſimo filio, ut prius morti, quam peccato ſuccumberet, *ibid.* Quam acerbe Blancæ matris mortem tulerit, *ibid.* III. In fundendis pro illius anima precibus S. Regis ardor, *ibid.* Exprobant ipſi Sarraceni Chriſtianos parum diligere Chriſtum videri, qui Judæos in terris ſuis agere patiantur, 1253. XXXIV. Ob id Judæos e Galliis pelli jubet, *ibid.* Precibus ſuis adducit Innocentium IV. ut præcones evangelicos ad Tartaros mittat, 1253. XLVIII. XLIX. Eximium illius in traducendis ad Chriſtianam religionem infidelibus ſtudium, 1254. XII. Suarum virtutum exemplo plures barbaros ad fidem allicit, *ibid.* Cur in Gallias e Syria reditum maturarit, *ibid.* XIII. Obtinet a legato, ut in navi regia Euchariſtiæ ſacramentum deferatur, *ibid.* XIV. E magno naufragii periculo divinitus evadit, *ibid.* XV. Pia ejuſdem ad proceres monita, *ibid.* XVI. Nautas excitat ad expianda ſacra confeſſione crimina, *ibid.* XVIII. Commendanda illius vox; appellit in Gallias, *ibid.* XIX. Cur non exuerit crucem, *ibid.* Celebranda illius in adverſis ſententia, *ibid.* Regem Anglorum honorificentiſſime excipit, *ib.* De virtutum exemplis, quæ explicuit, *ib.* XX. Regni ſtatum componit, *ibid.* XXI. Reliqua de S. Ludovico. *Vide*, in tomo ſeq.

Ludovicus Bavariæ dux ex inſidiis ferro cæſus occumbit, 1231. XLV.

Ludovicus comes de Ferreto ditionem ſuam Eccleſiæ Rom. certis conditionibus relinquit, 1236. XXVII.

S. Ludovicus Francorum Rex; ejus in delendis hæreticis zelus 1255. XXXIII. Petit ab Alexandro IV. ut in regno cenſores fidei conſtituat, *ibidem*. Poſteris ut ſacra tribunalia erigant in hæreticos, exemplum reliquit, *ibid.* XXXVII. Religioſos viros contra adverſarios tuetur, *ibid.* XXXIX. Ornatur pluribus encomiis ab Alexandro, *ibid.* XLII. Et privilegiis, *ibid.* XLIII. Ipſius regnum inconſulto Rom. Pontifice ſacris interdici nequit, 1256. XVII. Chriſtum in Euchariſtia ſe omnibus forma pueri obiicientem, intueri ex fidei magnitudine abnuit, *ibid* XVIII. Aliorum ſanctorum exempla in ea re imitatur, *ibid.*

Lugdunum; Lugdunenſis templi ara ab Innocentio IV. conſecrata, 1247. LXXXV. Lugdunenſes in apoſtolicam clientelam ab eodem Innoc. admiſſi, 1251. XV. Egregia illorum elogia, *ibid.* Commendantur omnibus præſulibus, *ibid.* XVI.

Lugdunenſe concilium. *Vide*, Concilium.

Luipoldi ducis Auſtriæ mors, 1230. XXVII.

Lupus epiſc. Marrochitan. A. S. L. Aquitanos & Hiſpanos ad Africam invadendam commovere juſſus, 1255. XLIX.

Lutgardes virgo præſentit obitum B. Jordani, 1236. XXX. Illius animam inter angelorum choros conſpicit, *ibid.* Felix Lutgardis obitus, 1246. L.

Luxus. *Vide*, Modeſtia.

# M

MAgia; Stedinghi magicis incantationibus dediti, 1233. XLIII. Tartari magicis artibus Polonos vincunt, 1241. VIII. XIV.

Magnanimitas; virile Chriſtianæ matronæ facinus ad repellendos mœnibus ſubeuntes Sar-

ra-



racenos, 1239. XLVI. Præclarum duorum Chriſtianorum facinus, quos Tartari, ut gladiatorum inſtar invicem concurrerent, armis inſtruxerant, 1242. XI. Cæſi ab Albigenſibus viri religioſi laudes Deo concinunt, 1242. XVII. Joppenſis comitis ſingularis conſtantia, 1244. XIV. Magnanimitas admiranda S. Ludovici, 1250. XXVI. Alia. *Vide*, Conſtantia.

Mahometum prophetis anteponunt Sarraceni, 1247. LVI. *Vide*, Mecha. Impia conſuetudo, qua Mahometi anni in nummis exarati erant, ſublata a Tuſculano epiſcopo, 1253. LII.

Majorica eripitur Sarracenis a Jacobo Rege Aragoniæ, 1230. XXXVI. XXXVII. S. Georgius in illa expugnatione dimicaſſe creditus, *ibid.* XXXVIII. Petenti Jacobo, inſtitui in ea epiſcopalem ſedem, concedit Gregorius IX. ea lege, ut bonis locupletet, *ibid.* Majorica in apoſtolicam clientelam ſuſcepta ab eodem Pontifice, 1233. LXVIII. Ad eam defendendam Aragoniæ & Navarræ Reges, aliique excitati, *ibid.* Balearium minima a Jacobo capta, 1235. XXXV.

Malabranca ſenator dictas a Gregorio IX. pacis leges admittit, 1235. IV. Illius de ea re decretum, *ibid.* IV. V.

Malaſſias epiſcopus Tartarorum Imperatorem octodecim filios Regum, pluresque proceres ſacris baptiſmalibus initiat, 1248. XXXVI.

Malcolmus IV. Rex Scotiæ dum uxoris S. Margaretæ Reginæ reliquiæ transferrentur, capſula, qua incluſæ erant, ipſius ſepulcro divinitus adhæret, 1249. XI. Ob id illius cineres ſanctæ uxoris in capſulam a Scotis illati, *ibid.*

Manfredus Friderici II. filius patrem pulvinari præfocaſſe creditus, 1250. XXXII. Tarentinus principatus teſtamento ab illo ei relictus, *ibid.* XXXIII. Tyrannidem Siciliæ affectanti Innocentius ſe opponit, 1251. VI. In Pontificis obſequium venit, 1251. XLII. Certis legibus excipi juſſus, *ibid.* Principatus Tarentinus illi attributus, *ibid.* Reſilit a ſuſcepto conſilio, *ibid.* XLIII. Andriam opprimit, *ibid.* Fogiam evertit; Barolum expugnat; Avellum ſubiicit, *ibid.* Neapolim fruſtra tentat, *ibid.* Venienti in Siciliam Conrado regni adminiſtrationem reſtituit, 1252. III. Conradus ſiniſtram de Manfredo ſuſpicionem concipit, 1254. XLII. Illius potentiam opeſque tacitis artibus infringit, *ibid.* XLIII. Affines maternos ejuſdem in exilium pellit, *ibid.* Diſſimulat injurias Manfredus, *ibid.* Conradum veneno ſuſtuliſſe creditus, *ibid.* XLV. Cedente Bertoldo marchione tutela Conradini, illam arripit, *ibid.* L. In judicium a Pontifice vocatur, *ibid.* LI. A pluribus deſeritur, *ibid.* LV. Pontificis gratiam ambit, *ibid.* LVI. Plena fucis & dolis illius oratio, *ibid.* Regnum pontificio arbitrio ſubmittit, *ibid.* Principatus Tarentinus ab Innocentio illi confirmatus, *ibid.* Adjunctæ ejus ditioni aliæ terræ, *ibid.* Ea de re pontificia diplomata, *ibid.* LVII. Venienti in Siciliam citeriorem Pontifici occurrit, *ibid.* LXI. Stratoris munus illi exhibet, *ibid.* Recuſat legato ſacramento fidei ſe adſtringere, *ibid.* LXVI. Burellum comitem necat, *ibid.* LXVII. Confugit ad Sarracenos Nuceriæ, *ibid.* Ipſos ad defectionem trahit, *ibid.* LXVIII. Magnas ibi opes reperit, *ibid.* LXIX. Iis militem allicit, *ibid.* Odonem exercitus Pontificis ducem profligat, *ibid.* Fogiam expugnat, *ib.* Guillelmum Ap. S. L. in fugam coniicit, *ibid.* Reliqua de Manfredo. *Vide*, in tom. ſeq.

Manfredus Lancea a Brunduſinis fuſus, 1255. V.

Manfredus fugato Card. legato, Cardinales in trepidationem coniicit, 1254. VI. Secundi illius progreſſus, 1255. I. Alexandri IV. ipſum revocare ad officium tentantis, clementiam ſpernit, *ibid.* III. Iniquas indicit pacis leges, *ibid.* Vocatus in judicium contemnit cauſam dicere, *ibid.* Agitat de concordia, *ibid.* IV. Et hoſtilia exercet, *ibid.* V. Adverſa aliquot illius ducum certamina, atque alii ſecundi ſucceſſus, *ibid.* VI. Conradini oratores ejus partes tuentur, *ibidem*. Obſidetur ab Octaviano legato, *ibidem*. Fuſo Bertholdo marchione, pacis utiles ſibi leges cum legato agitat, *ibid.* Alexander eas reſpuit, Edmundumque Regis Angl. filium Manfredo opponere cogitat, *ibid.* Recidunt in irritum ii conatus, *ibid.* XXX. Circumlata latius Manfredi potentia, *ibid.* Panormum illi ſe dedit, *ibid.* Et Meſſana, *ibid.* XXXII. Et Neapolis, *ibid.* XXXIII. Et Capua & Averſa, *ibid.* Brunduſio, Hydrunto & Ariano potitur, *ibid.* XXXVI. XXXVII. Fœdus coit cum Michaele Oetoliæ principe, *ibid.* LX.

Mantua & Mantuani; Mantuanus epiſcopus ab hæreticis trucidatur, 1235. XVI. Pœnæ a Pontifice in illos latæ, *ibid.* Mantua potitur Fridericus II. 1237. VI. Mantuani, dum Parmenſibus auxilia ferunt, ab Entio fuſi, 1248. XXIV.

Mantuani ob Pigugnagiam eccl. ereptam cenſuris percuſſi, 1255. XV. Vaſtati ab Ezelino, 1256. XXXVIII.

Manuel philoſophus patriarcha Græcorum ſuccedit Michaeli Antyriano, 1232. LIV.

Manuel Comnenus *fratre* Theodoro capto a Bulgaris, *Theſſalicum* principatum arripit, 1232. *LV.* Principatum Eccleſiæ vectigalem *ſubiicere* meditatur, *ibid.* A Theodoro pellitur, *ibid.*

Manuel patriarcha Græc. e vivis ereptus, 1256. LVI. Arſenius illi ſubrogatus, *ibid.* LVII.

Marcellus proditor extremæ cladis in Ægypto acceptæ cauſa, 1250. IV.

Marcheſina pellex Theodori Imp. ejecta templo a Blemmida, 1255. LXXVI. Ab ea Imperator in ſanctum virum irritari non patitur, *ibid.*

S. Margareta Regina Scotiæ; dum transferrentur illius oſſa Malcolmi viri ſepulcro feretrum immobile adhæret, 1249. XI. Ejuſdem viri oſſa una cum ſuis transferuntur, *ibid.*

Margareta comitis Provinciæ filia S. Ludovico Francorum Regi matrimonio conjungitur, 1234. XVII. Virum ſecuta in Ægyptum, audita clade, immaturum partum edit, 1250. VII. Puero Triſtanni nomen impoſitum, *ibid.*

Margareta Friderici ducis Auſtriæ ſoror, 1247. XXVI.

Margareta Flandriæ comitiſſa a Willelmo Rege Rom. ingenti clade deleta, 1253. VII.

B. Maria Virgo Deipara; Kinga Regis Ungar. filia magno miraculo, in lucem recens edita, angelicam ſalutationem repetit, 1240. LXVIII. Octavus ab ipſius natali recurrens dies ſacer in Lugdunen. concilio inſtitutus, 1245. LIV. Chriſtianis in occupando Peluſio affert auxilia, 1249. III. Ejus ope adoleſcens, ipſius cultui addictiſſimus, e morte ad expianda crimina ad vitam revocatus, 1251. XIV. Equitem in mediis undis ſuſtentat, 1254. XVII.

S. Mariæ de Mercede ordo religioſus confirmatus a Gregorio, 1235. XXXV. De ejus initiis, *ibid.*

Marrochitanum regnum; in eo Chriſtiana religio amplificata, 1237. XXVIII.

Mar-

Martyres. *Vide*, Fides Chriſtiana.
Maſſa a Friderico II. Eccleſiæ erepta, 1239. VII.
Maſſilienſes accipiuntur in clientelam apoſtolicam a Gregorio IX. 1230. XXIX. Ad ſolvendum aulæ pontificiæ annuum cenſum obligantur, *ibid.*
Maſſora; Chriſtiani temere illam ingreſſi magna clade propulſati, 1250. I. In illius obſidione epidemia, & commeatuum penuria laborant, *ibid.* IV. In receptu a ſoluta illius obſidione aut capti, aut cæſi, *ibid.*
Matrimonium; Boleſlaus dux Poloniæ & Kinga ſervant virginitatem in matrimonio, 1240. LXVIII. Colomannus Rex Galitiæ & Salomea. *Vide*, Caſtitas. A matrimonii uſu ſub finem vitæ abſtinent Henricus Barbatus & S. Hedwiges, 1238. LX.
Matthæus Ruſſus ſenator Urbis Laguſtam expugnat, 1241. LXXXI.
Matthæus Pariſius. *Vide*, Pariſius.
Mauri a Jacobo Rege Aragonum Valentino regno ejecti, 1254. XXV.
Mecha columnæ S. Sepulcri ad ſepulcrum Mahometis a Choraſminis tranſlatæ, 1244. IX. Divina in ſceleris auctores ultio, 1247. LXXVI.
Mediolanum; Mediolanenſes; oſtendit Pontifex Friderico Mediolanenſes alioſque Longobardos non poſſe contumaciæ argui, 1236. XI. Irrumpenti Friderico obviam eunt cum validiſſimo exercitu, *ibid.* XII. Mutato conſilio ſe recipiunt, *ibid.* Recuperant amiſſa, Friderico in Germaniam revocato, *ibid.* Jubentur Mantuam oratores pro agitanda concordia mittere, 1237. III. Tractatus pacis a Friderico, Mantua & Mercaria potito, diſſolvitur, *ibid.* VI. Exercitum, ut Brixianis opem ferant, educunt, *ibid.* VII. Magna clade delentur, *ibid.* VIII. IX. Præfectus ipſorum, & carrucium capiuntur a Friderico, *ibid.* X. Fridericum poſtea propulſant, 1239. XXXIV.
Mediolanenſes inteſtinis ſeditionibus vexati, 1255. XIV. In eos conciliare nititur Alexander IV. *ibid.*
Melgorienſis comitatus; ob illum occupatum Delphinus Viennenſis ad expiandum crimen in Terram ſanctam proficiſci juſſus, 1237. XXXI.
Mendog ſive Mindavus Lithuanorum Rex ad Eccleſiæ obſequium ſe confert, 1251 XLIV. Incertum quo animo id fecerit, *ibid.* XLV. Culmenſi epiſcopo illius corona cingendi demandata provincia, *ibid.* XLVI.
Mendog ſive Mindavus Lithuaniæ Rex impetrat ab Alexandro IV. ut filius regiis ornamentis decoretur, 1255. LVII. Ruſſia illi attributa, *ibid.* LVIII. A fide deſciſcit, *ibid.* Poloniam vaſtat, *ibid.* Pontifex in eum ac fœderatos ſacrum bellum promulgat, *ibid.* LIX.
Menſæ ſuæ pauperes a tergo aſſidere vult S. Ludovicus iiſque cibos tranſmittit, 1254. XX. Sublata menſa ſacerdotes gratiis Deo perſolvendis adhibere conſuevit, *ibid.*
Mentia illegitimo matrimonio ſanctio Regi Luſitaniæ juncta, 1245. LXVII. Illum ſuis amoribus dementat, regnoque mala ingentia parit, *ibid.* Illius cauſa Sanctius regno pulſus ipſam abiicit, *ibid.* LXXII.
Mercaria a Friderico II. capta, 1237. VI.
Meretrices e flagitio ad religioſam vitam traductæ, 1255. XX. Marcheſina Imperatoris concubina ab eccleſia magna conſtantia arcetur, 1255. LXVII.
Meſſana & Meſſanenſes; ii Manfredi proregem eiiciunt, 1255. V. Funduntur, *ibid.* VI. Meſſana ſe Manfredo dedit, 1256. XXXII.
Meſſanenſes privilegiis ab Innocentio IV. exornati, 1254. LXIV.
Metropolitana eccleſia Pragæ inſtituta, 1255. LXIV.
Miecizlaus dux Poloniæ magno divinæ juſtitiæ exemplo a muribus corroſus, 1237. LXI.
Michael Bulgariæ Rex plura bello eripit Theodoro Imp. 1256. LVIII.
Minoritæ ne ad Dominicanorum ordinem tranſfugere poſſint ſtatuit Pont. 1244. LIII. *Vide*, S. Franciſcus.
Miracula fruſtra in ſchiſmate expetita, 1255. LXXV. *Vide*, Canonizatio ſanctorum. Tranſlatio reliquiarum.
Miraculorum gratia; puer bimulus miracula patrat, 1252. XXXVI. *Vide*, Prodigia.
Miramomelinus Albujacob ſolicitatur a Gregorio IX. ad amplectendam fidem Chriſtianam, 1233. XVI.
Miranda a Gregorio IX. in Eccleſiæ poteſtatem redigitur, 1231. XXXII.
Miſſa non celebranda in panno ab epiſc. conſecrato, ſed in altari, 1231. XXX. S. Ludovicus in Ægyptiaca ſervitute miſſam ſine conſecratione peragi jubet, & cur, 1250. VIII. Miſſam ante officium matutinale perfectum celebrari vetat Innocentius IV. 1254. VIII.
Mithræ uſus nonnullis abbatibus permiſſus, 1236. LVI. 1240. XXIV. 1244. LIV.
Modeſtia ſingularis S. Ludovici in caſtigando veſtium luxu, 1248. XXXII. Henricus dux S. Hedwigis vir veſtium elegantiam reſpuit, 1238. LX.
Monachi; monachum creari præſidem portenti ſimile, 1236. LII. 1237. LI. *Vide*, Religioſi.
Moneta a Friderico e corio confecta, 1241. XLVI.
Montfortius Leiceſtriæ comes Alieonoram ſororem Regis Angl. uxorem ducit, 1238. XXXIX. Ob id proceres in Henricum exaſperati, *ibid.* Illius matrimonium a Pontifice confirmatur, *ibid.*
Moniales; earum regendarum onere liberati Dominicani, 1252. VI.
Monomachia clericis in defendendis ſuis juribus vetita ab Innocentio IV. 1252. XXXI.
Mons Politianus a Senenſibus everſus, 1233. XXXV. A Florentinis ad excitanda mœnia coguntur, *ibid.* XXXVI.
Mons ſecurus caſtrum in Toloſana diœceſi munitiſſimum ab Amelio archiep. Narbonenſi expugnatum, 1243. XXXI. In eo hæretici combuſti, *ibid.*
Montagnana divino judicio concremata, 1242. XXII. Occupatur ab Ezelino, *ibid.*
Moravia a Tartaris vaſtata, 1241. XI.
Mors piorum hominum pia; Richardi epiſcop. Dunelmenſis, 1237. LVIII. Guillelmi epiſcopi Sabinenſis, 1251. XIII. Cæciliæ matronæ Anglicæ, *ibid.* Adoleſcentis cujuſdam B. Virginis cultui addictiſſimi, *ibid.* XIV.
Mors peccatorum peſſima; Othonis ducis Bavariæ, 1253. XXXII. Funeſta Conradi mors, 1254. XLV. *Vide*, Juſtitia divina. Blaſphemi. Eccleſia ſive templum.
Mors piorum hominum, & mulierum; Arnoldi abb. ſanctiſſimi ſub Ezelino tyranno, 1255. XIII. S. Claræ, *ibid.* XXIV.
Mortui ad vitam excitati. *Vide*, Reſurrectio.
Moſes Albayhuſetus a Judaiſmo, viſis miraculis a Dominico martyre patratis ad fidem converſus, 1250. XLVIII.
Moyſes; eum divino ſpiritu afflatum fatentur Sarraceni, 1247. LX.
Mundi contemptus. *Vide*, Honorum fuga.
Mundi contemptus; eximium exemplum in Adolpho Holſatiæ comite, 1244. LIV. In Bertoldo adoleſcente prænobili a S. Eliſabetha



tha divino amore accenſo, 1230. XXVIII. In Agnete ſorore Regis Bohemiæ, 1234. XLVIII.
Murciæ arx Ferdinandi Regis Caſtellæ ab Hudiele Barbarorum Rege tradita, 1240. XXVI.

# N

Narbonenſis eccleſia; jubetur arch. Tarraconenſis illam metropolitanam agnoſcere, 1239. LI.
Narnienſes ab Interamnenſibus exagitati, 1244. XVIII. Innocentii IV. in eorum gratiam conſtitutio, *ibid.*
Naufragium; ex illius periculo divina ope ereptus S. Ludovicus, 1254. XV. Miles in mediis undis a beata Virgine ne mergeretur ſuſtentatus, 1254. XVII. Beatus Jordanus naufragio perit, & miraculis poſt mortem coruſcat, 1236. XXIX.
Nazarethanæ Deiparæ domus, qua pietate illam S. Ludovicus adierit, 1251. LVI.
Neapolitani oratores ad Innocentium IV. tranſmittunt, 1251. XXXVIII. Prærogativæ illis ab Innocentio conceſſæ, *ibid.* XXXIX. A Manfredo fruſtra obſidione tentati, 1251. XLIII. A Conrado ad deditionem coguntur, 1235. I. Exuta a Conrado contra fas mœnibus Neapolis, *ibid.*
Neapolis ſe Manfredo dedit, 1256. XXXIII. Caroli jugum accipit, 1266. XVII.
Neapolitanum regnum. *Vide*, Sicilia.
Neſtoriani orientales Romanæ Eccleſiæ ſe ſubiiciunt, 1247. XLIII. Archiepiſcopus Niſibinus ſuam & ſuorum fidei formam tranſmittit Innocentio, *ibid.*
Nicephorus Blemmyda Græcus auctor catholicus; ejus lucubrationes de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre, Filioque, 1233. VII. VIII. Adjectæ Annalibus ad pag. 563. *& ſeqq.*
Nicephorus Blemmyda; ejus in reprehendendo Imp. conſtantia, 1255. LXXVI. Ob egregias virtutes ad patriarchatum Conſtantinopolit. vocatus, 1256. LVII. Reſpuit dignitatem, *ibid.* Marcheſinam Theodori Imp. pellicem templo eiicit, 1255. LXXVI. Illius hac de re apologia, *ibid.*
Nicolaus Pragenſis epiſcopus apud Wenceſlaum Regem in invidiam adductus coniicitur in vincula, 1249. XVI. Interdicto eccleſiaſtico ſubjacet Bohemia, donec redditus eſt libertati, *ibid.*
Nicolaus Canuti Regis Daniæ filius miraculis conſpicuus, 1254. XXX. De illo ſanctorum numero apponendo agitatum, *ibid.*
Nicolaus Canuti Regis Daniæ filius gloria miraculorum illuſtris 1255. XXV.
Nidroſienſis archiep. ex veteri more a Romano Pontifice conſecrandus, 1237. LXVII. Conſulit Gregorium, an cereviſia vini loco, atque ex altera ſpecie, quam frumento confectus panis conſecrari poſſint, *ibid.* Reſpondetur a Gregorio non poſſe, *ibid.*
Norwegiæ Rex; Greg. IX. inquiri jubet de Norwegiæ regis electione ac dotibus, ut corona redimeretur, 1231. XLIV.
Nuceria ſive Luceria in Apulia munitur a Sarracenis, qui ob id eccleſias nonnullas evertunt, 1232. XLIII. Monet Gregorius Fridericum, ut ipſos coerceat, *ibid.* Obiicitur Friderico a Pontifice ab eo magnis operibus conditam, 1245. XXX. Manfredus rebellionem meditatus in Pontificem Nuceriam confugit, atque a Sarracenis excipitur, 1254. LXVI. LXVII.
Nuceria. *Vide*, Luceria.

# O

Octavianus Card. Ubaldinus in Italiam legatus miſſus, 1247. XVII.
Octavianus Ubaldinus S. Mariæ in via lata diac. Card. creatur legatus adverſus Manfredum ab Alexandro IV. 1255. II. Manfredum apud Luceriam Saracenorum obſidet, *ibid.* VI. Iniquas eccleſiæ cum eo pacis leges percutit, *ibid.* VII.
Odacherus Rex Bohemiæ confert Maguntino archiepiſcopo privilegium Bohemiæ Regum inungendorum, 1229. XXXIX.
Odacherus ſive Othacharus, alias Wenceſlaus. *Vide*, Wenceſlaus.
Odacher, vel Othacher, ſive Premiſlaus Wenceſlai Regis Bohemiæ filius patrem regno cedere compellit, 1248. IX. Dum Warſonem patri fidiſſimum perſequitur, profligatur, *ibid.* Coniicitur a patre in vincula, *ibid.* Ejus conjurationis auctores affecti ſupplicio, *ibid.* Reſtitutus in gratiam patris, & Moraviæ principatu contentus eſſe juſſus, *ibid.* Bellum cum Bela Rege Ungar. pro Auſtria gerit, 1253. XXVIII. Ducatum ad ſe pertinere, ducta Margareta Lupoldi ducis filia, contendebat, *ibid.* XXX. Patri Wenceſlao in regno Bohemiæ ſuccedit, *ibid.* Conſulit ſedem Apoſt. a quo regni inſignia ſit accepturus, cum archiep. Maguntinus anathemate damnatus ſit, 1254. XXXI. Quid ab Innocentio decretum, *ibid.* Bellum gerit cum Ungaris, *ibid.* XXXII. Init concordiam, *ibid.* Auſtriam una cum Moravia & Bohemia obtinet, *ibid.* Arma in Pruſſos vertit, *ibid.*
B. Odo *Chartu*ſianus inſignis ſanctitatis vir, 1240. XXIII. Pia illius mors, *ibid.* Ejus corpus expers corruptionis inventum, *ibid.* Patrata ab eo miracula, *ibid.* De eo ſanctis annumerando agit Greg. IX. *ibid.*
Odo marchio copiarum pontificiarum dux a Manfredo profligatus, 1254. LXIX.
Officia divina; canonicis regularibus pileis uti in iis conceſſum, 1243. XLI. Permiſſum ab Innocentio IV. ut in officiis divinis libri Sclavonica litera exarati adhiberi poſſint, 1248. LII. Septem equites in divino officio immodeſti ſequenti die cæſi, 1250. II.
Oleum cathecumenorum, & infirmorum, & chriſma. *Vide*, Unctio ſacra.
Oleum emanat e reliquiis S. Elizabeth, 1235. XXV. E reliquiis Roberti eremitæ, 1238. LXV.
Opizo e Mezan. abbas legatus ad conciliandam inter Swantopelkum & Cruciferos concordiam miſſus ab Innocentio IV. 1245. XC. Collata illi auctoritas, *ibid.* XCI. Pacem inter eos conciliat, *ibid.* Agenti in Polonia ſedis Apoſt. legato datur auctoritas, ut Polonos adverſus omnium impetus tueatur, 1253. XXIV.
Oratio; orante B. Elizabeth pro Bertoldo, is adeo divino amore æſtuat, ut illius flammas ferre non poſſet, 1230. XXVIII. Czeſlai orationibus Wratiſlavia Tartarorum excidio liberata, 1241. V.
Oſcenſis abbas mithræ uſu donatus a Gregorio IX. 1236. LVI.
Oſtienſis eccleſia; ex ea ad ſedem Apoſt. evectus Alex. IV. 1254. I.
Othacharus ſive Wenceſlaus. *Vide*, Wenceſlaus.
Othacharus ſive Premiſlaus. *Vide*, Premiſlaus.
Othacherus ſive Premiſlaus Rex Boemiæ ſacram expeditionem in barbaros parat, 1255. LX. Sambienſes ad fidem Chriſtianam amplectendam cogit, *ibid.* Regius mons, & Brunsburgum ab

ab eo fundata, *ibid.* Ab Alexandro IV. ad ſecundam in impios expeditionem excitatur, *ibid.* LXI.

Otho Moraviæ dux pro concilianda inter Fridericum & Gregorium IX. pace laborat, 1230. VII.

Otho Cardin. diac. tit. S. Nicolai in carcere Tulliano mittitur in Angliam, Walliam, & Hiberniam legatus, 1237. XXXVIII. Quanto honore ab Henrico Rege exceptus, *ibid.* XXXIX. Legationis in Scotia gerendæ munus ipſi iter ingreſſo committitur, *ibid.* XL. Celebrat Londinenſe concilium, *ibid.* XLI. Arguto reſponſo contentionem de gradu dignitatis inter Cantuarienſem atque Eboracenſem archiepiſcop. ſopit, *ibid.* XLII. Multa ad revocandam in priſtinum robur eccleſiaſticam diſciplinam, & excolendos mores conſtituit, *ibid.* XIII. Ex legatione Anglicana excitus, ab Entio cum præſulibus captus abducitur in vincula, 1241. LV. Conſolatoriæ ad eum a Gregorio IX. datæ literæ, *ibid* LXVIII. Aliæ ad eumdem & alios, quibus ad conſtantiam excitatur, *ibid.* LXXI. Dimittitur a Friderico, ut novi Pontificis electioni interſit, *ibid.* LXXXV. Revertitur ad carcerem, ne quid mali dati obſides patiantur, *ibid.* LXXXVI. Creatur Portuenſis epiſcopus, 1245. XXXVI. Data illi ab Innoc. IV. provincia diſſolvendæ factionis contra eccleſiaſticos conflatæ, 1247. LIII. Creatur legatus A. S. in exercitu S. Ludovici crucefignato, 1248. XXIX. Chamum & Elchartay Tartarorum princeps Chriſtianos ſe profitentes ad puritatem fidei & Eccleſiæ obſequium adhortatur, *ib.* XXXVIII. Una cum Sancto Ludovico propriis manibus apud Sidonem Chriſtianorum putrida cadavera ſepelit, 1251. LIII. Conſuetudinem impiam, qua Accone, & Tripoli nummi Mahometis nomine ſignabantur, evertit, 1253. LII. S. Ludovico Euchariſtiæ in navi evehendæ poteſtatem tribuit, 1254. XIV.

Otho dux Bavariæ Conradum fugientem recipit, paternæ necis a Friderico procuratæ immemor, 1246. X. Funeſto mortis genere extinguitur, 1253. XXXII. Illius obitus ruſtico divinitus præoſtenſus, *ibid.* XXXIII.

Otho e Luneburch paganos vicinos ad Chriſtum adducit, 1255. LXIII.

Otium a S. Clara etiam in ægritudine declinatum, 1255. XXIII.

# P

PAlentina academia ab Alfonſo Rege Caſtellæ condita, 1239. XLVI. A Ferdinando nepote Salamanticam tranſlata, *ibid.*

Pallianum oppidum, 1232. XXXV.

Pallium; forma dandi pallium, 1239. LIX. Permiſſum Lundenſi archiepiſcopo, ut pallio utatur in Regum Sueciæ inunctionis celebritate, 1239. LXVI. Armenorum Catholico tranſmiſſum, 1239. LXXXIII.

Panormum Manfredo ſe dedit, 1256. XXX.

Pantaleo Juſtinianus Conſtant. patriarcha creatus ab Innocentio IV. 1253. LIV.

Papa. *Vide*, Pontifex.

Paraſonus a Sazarenſibus immaniſſime trucidatus, 1236. XXVII. Jubentur a Gregorio auctores flagitii cenſuris defigi, *ibid.*

Pariſienſis academia; tumultus exortus diſſolvitur, 1229. LII. Reſtituta eidem academiæ vetera privilegia, *ibid.* LIII. 1231. XLVI.

Pariſienſis academia inſigne elogium ab Alex. IV. illi collatum, 1255. XXXIX. Turbæ in ea concitatæ, *ibid.*

Pariſius hiſtoriæ Anglorum ſcriptor; de illius commentariis Baronii ſententia, 1256. XXXV. Ejus refelluntur calumniæ jactæ in Innocentium IV. 1254. LXXI. LXXII. LXXIII.

Parma rebellat in Fridericum II. 1247. XI. Ab eo obſidione cingitur, *ibid.* In illius circuitu urbs Victoria excitata, *ibid.* X. Fruſtra miſericordiam Friderici tentant Parmenſes, 1248. XVIII. Ex deſperatione collectis animis Fridericum fundunt, & incendunt Victoriam, *ibid.* XIX. Triumphales illorum ad fœderatos lit. *ibid.*

Paſtorelli crucefignati audita S. Ludovici clade exorti, 1250. XXIX. XXX. Eorum ſcelera, *ibid.* Ipſorum dux, *ibid.* Diſſipantur, *ibid.*

Patareni hæretici inficiunt plura Italiæ loca, 1231. XIII. Latæ in eos leges a Greg. IX. *ibid.* XIV. A Senatu populoque Romano, *ibid.* XVI. A Friderico Imp. *ibid.* XVIII.

Patavini commendati a Gregorio IX. ob ſumpta in Ezelinum hæreticum arma, 1231. XX.

Patavium a legato apoſtolico ereptum Ezelino, 1256. XXXVIII. Patavini externi excarnificati ab Ezelino, *ibid.* XXXIX.

Patientia in laboribus; S. Ludovici amiſſi ærarii audito nuntio egregia vox, 1251. LI. Inſigne de patientia dictum & exemplum S. Ludovici Regis, 1254. XV.

Patientia ſanctiſſimi abbatis ab Ezelino tyranno diuturno carcere macerati, 1255. XIII.

Patrimonium Eccleſiæ. *Vide*, Eccleſiæ ditio.

Pecunia e corio confecta a Friderico II. 1241. XLVI.

Pelagius Albanenſis epiſc. una cum Joanne Rege Cajetam, & plura Siciliæ loca expugnat, 1229. XXXII. Gregorius clementiam illi commendat, *ibid.* XLIV. Graves ea de re literæ, *ibid. & ſeqq.*

Peluſium. *Vide*, Damiata.

Penna & Adria conjunctæ, inſignitæque epiſcopali ſede. *Vide*, Adria.

Perjurium; Theodorus Comnenus, violato ſacramento, Bulgaros invadens, cum magnis copiis parva hoſtium manu vincitur; qui ſacramenti illius formulam infixam haſtæ præferebant, 1229. LI.

Perſis; Perſæ; Rex Perſarum, partis multis victoriis, in Syriam parat irrumpere, 1231. LIII. Excitat Gregorius IX. Fridericum, alioſque principes ac fideles, ut hoſtem propulſent, *ibid.* LIII. Perſis a Tartaris domita, 1244. I.

S. Petrus; gladium ex altari B. Petri ſumptum a Friderico II. traditum ſoldano Babyloniæ, queritur Pontifex, 1229. XXIII. S. Petri baſilicam ornat Gregorius IX. 1230. XVIII. Et inſtructa ſolemni ſupplicatione capita SS. Petri & Pauli per Urbem geſtat, 1240. XII.

Petrus Rex Aragonum; ſacramenti illius forma poſtea ab Innocentio IV. in Lugdunenſi concilio perlecta, 1245. LVI.

Petrus Amelius; data illi ab Innocentio IV. puniendi Albigenſes auctoritas, 1243. XXXI. Montem ſecurum expugnat, ac ducentos & amplius hæreticos flammis injicit, *ibid.*

Petrus e Tarentaſia. *Vide*, Innocentius IV.

Petrus Britanniæ comes rebellat in S. Ludovicum, 1229. LXV. Ad officium redit, *ibid.* Evocat in auxilium Angl. Regem adverſus S. Regem, 1230. XXX. XXXI. Ab eo comprimitur, *ibid.* 1229. LVI. Decem millia peditum, equitum duo millia maritimo itinere Conſtantinopolim contra Vatacium ducere parat, 1238. II. Ob annonæ inopiam partem copiarum jubetur dimittere; ea de re Pontificis literæ, *ibid.*

Petrus Luſitaniæ aulæ princeps ſuam Gregorio IX. in Fridericum II. operam defert, 1229. XXXIV. Commendatur ob eximium in eccleſiam ſtudium, *ibid.* Acceptus in clientelam apoſt. una cum Majoricarum regno cui præerat, 1233. LXVII.



Petrus ordinis Prædicator. miſſus cum aliis ad Germanum Græcorum patriarcham pro tractanda Græcæ Eccleſiæ cum Latina conjunctione, 1233. III.

Petrus Frangip. priſtinis juribus adverſus Terracinenſes reſtituitur a Gregorio IX. 1236. XIV. Rependit injuriam Pontifici, mota in Urbe ſeditione, *ibid.*

Petrus Arboreæ regulus ſupremum principatus dominum Pontificem agnoſcit, 1237. XX. Cum Ubaldo Turritano regulo a legato conciliatur, *ibid.* XXI.

Petrus e vineis a Friderico ad Gregorium pro tractanda re Longobardica miſſus, 1237. IV. Ob porrecti veneni ſuſpicionem oculis orbatus, 1249. XIII. Ex deſperatione in rabiem actus ſibi mortem infert, *ibid.* Divina in eum ultio, *ibid.*

Petrus Jacobi Tempuli Venet. ducis filius præfectus Mediolanenſium magna ſtrage deletus a Friderico, 1237. VIII. Capitur cum carrucio, *ibid.* X.

Petrus Capocius Card. diaconus S. Georgii ad velum aureum in Germaniam poſt Henrici mortem legatus miſſus ad urgendam novi Regis electionem, 1247. II. Jubetur cenſuris in Friderici fautores animadvertere, *ibid.* III. Nuſſiæ conventum principum celebrat, *ibid.* IV. In eo Willelmum Hollandiæ comitem Regem ſalutandum curat, *ibid.* Jubetur adigere ſacramento Brabantiæ duci ipſos nunquam defuturos, *ibid.* V. Data illi ab Innocentio provincia explorandi Siculorum voluntates, 1251. III. In Germaniam legatus miſſus, 1254. XXXIV.

S. Petrus martyr Veronenſis ordinis Prædicatorum ab Innocentio IV. inſectandis Inſubriæ hæreticis præfectus, 1251. XXXIII. Muneri obeundo ſtrenue incumbit, 1252. XII. Ab hæreticis ex inſidiis trucidatur, *ibid.* XII. Inter extrema ſuſpiria fidei ſymbolum recitat, *ibid.* XIII. Ut mortem ſuam prædixerit, *ibid.* XIV. Martyrum catalogo apponitur, 1253. X. De illius ſanctitate & miraculis pontificium diploma, *ibid.* XI. *& ſeqq.* In ejus gloriæ obtrectatorem divina ultio, *ibid.* Alia miracula, *ibid.* Hæretici abjurata perfidia ad Eccleſiam revocati, *ibid.*

Petrus Ruffus Manfredi dux; aliqua ejus geſta, 1255. V.

Philot provincia ad Eccleſiæ Romanæ obſequia redit, 1250. XXIX.

Philippus pater Alexandri IV. Papæ, 1254. I. Error Panvini, qui Gerardum illum vocat, *ibid.*

Pietas in Ferdinando Caſtellæ & Legionis Rege, 1251. XXVI. In S. Ludovico, 1249. III.

Philippus archiep. Ravennas creatur A. S. L. IV. 1255. X. Cruceata ſigna in Ezelinum explicare juſſus, *ibid.* XII. Patavium illi eripit, 1256. XXXVIII.

Pigugnacia a Mantuanis eccleſiæ erepta, 1255. XV. Ob id cenſuris devincti, *ibid.*

Pilei quadrati; eis uti conceſſum canonicis regularibus in divino myſterio, 1243. XLI.

Piſani vetiti ne Sardiniam invadant, 1236. XXVI. Erepta Lucanis reſtituere jubentur, 1237. XV. Una cum Entio excitos ad Synodum præſules partim necant, partim abducunt in vincula, 1241. LV. Divina ob id ſcelus in eos ultio, *ibid.* LVI. In Eccleſiæ gratiam recipi poſtulant, 1245. LXVI. Quæ leges iis, præſcriptæ, *ibid.*



Placentini Fridericum II. in fugam cogunt, 1239. XXXIV. Rebellant in Pontificem, 1251. XLIII.

Podium S. Mariæ divinitus a Maurorum obſidione liberatum, 1238. XLV.

Pœnitentia; Conradus Lantgravius Thuringæ ob Friſlavum everſum equitibus hoſpitalariis Theutonicis facti pœnitens ſe addicit, 1232. XI. Quæ venienti Romam Ferrando e Serpa Regis Luſitaniæ fratri ad expianda crimina pœnæ impoſitæ, 1239. LXII. Quæ duci Lancitiæ ob necatum ſuſpendio Wratiſlavienſem ſcholaſticum inflictæ, 1240. XXXVI XXXVII. Adoleſcens ad expianda crimina e vita ad mortem excitatus, 1251. LXXIV.

Polexiani ad fidem amplectendam ſe paratos exhibent, 1253. XXV. Cracoviæ, Lancitiæ, & Cujaviæ ducibus ipſos in clientes admittendi data ab Innocentio IV. auctoritas, *ibid.*

Politica; Conradus dum hæreticos fovet politicorum conſiliis, ab omnibus deferitur, 1248. XVI. Petrus e Vineis politicus nefarius caput ad columnam ſibi ex deſperatione allidit, 1249. XIII.

Polonia; in eam vaſtata Ruſſia irrumpunt Tartari, 1241. IV. Waradimirum fundunt, Sandomiriam populantur, evertunt Cracoviam, *ibid.* Boleſlaum Pudicum in fugam compellunt, *ibid.* Divinitus Wratiſlavia propulſantur, *ibid.* V. Henricum ducem magicis artibus profligant, *ibid.* VIII. Poloni liberaliter Innocentio IV. ſubveniunt, 1248. XLIX. Sublata a Jacobo Leodienſi archid. conſuetudo qua carnis privium a ſeptuageſima inchoabatur, *ibid.*

Polonia a Lituanis & *Jacavingis* evaſtata, 1255. LVIII. Ad *illius* ſubſidium incitati ab Alex. IV. *Poloni* fideles, *ibid.* LIX.

Pomerani & Polozucenſes Chriſto dant nomen, 1231. XLII. In clientelam ſedis Apoſt. accepti, *ibid.*

Ponſa ordinis Prædic. Boſſinenſi eccleſiæ epiſcopus præfici invitus a Gregorio IX. juſſus, 1238. LIV.

Pontifex. *Vide*, Romanus Pontifex.

Prædicatores evangelici. *Vide*, Converſio animarum. Gregorius IX. Innoc. IV.

Prædicatores, ſeu Dominicani onere monialium regendarum liberati ab Innocentio IV. 1252. VI. *Vide*, Dominicani. Sanctus Dominicus.

Prædictiones; prædictum a S. Ludovico Gaufrido Carnotenſi religioſam diſciplinam eum amplexurum, 1250. VIII.

Prænuntiatum Rudolfo comiti Imperium, 1251. LVII.

Prælati; ipſorum negligentia inſigni prodigio caſtigata, 1248. LIII.

Præſcriptio centum annorum; Prandothas epiſc. Cracovienſis B. Staniſlai inter ſanctos referendi cauſam urget, 1252. VIII.

Premiſlaus Boemiæ Rex. *Vide*, Othacherus.

Premiſlaus majoris Poloniæ dux junctus cruciferis Swantopelkum Pomeraniæ ducem debellat, 1245. LXXXIV. Ab Opizone abbate Ap. S. L. in concordiam cum Swantopelko & Pruthenis adducitur, *ibid.* XCI.

Præſagium; Guillelmo Regi Rom. præſagita cædes, 1256. I. Diſſenſionum civilium tempeſtas prænuntia excitata a dæmonibus, *ibid.* VII.

Presbyter Joannes; Tartari, excuſſo illius jugo, ſe in libertatem aſſerunt, 1248. XXXIX. Miſeranda clade illum profligant, *ibid.*

Presbyteri. *Vide*, Sacerdos.

Præſules electi labente ſemeſtri ſacrandi, 1255. XVI.

Proceſſio. *Vide*, Supplicatio.

Prodigia; adverſæ acies in aere inter ſe viſæ

ab Anglis concurrere, 1236. LI. Nonnulla alia prodigia conſpecta in Anglia, *ibid. Vide*, Crux & Crucifixus.

Proditio ſtructa in S. Ludovicum divinitus diſcuſſa, 1236. XLVI. In Innoc. IV. conflata patefacta divinitus, 1247. IX. Aſſaſſinorum princeps Regum mortem in ſuis manibus circumferre gloriatur, 1251. L.

Prophetæ; Prophetiæ; a Deo miſſos Prophetas fatentur Sarracenis, 1247. LX. *Vide*, Prædictiones.

Pruſſia; Prutheni infideles Chriſtianos affligunt, 1230. XXIII. Sacrum bellum in eos promulgari jubetur a Gregorio IX. *ibid.* Exciti adverſum illos cruciferi equites, *ibid.* XXIV. Ipſorum ſævitia in Chriſtianos, 1232. VI. Incitati adverſum ipſos fideles, *ibid.* VI. VII. Converſa in Pruthenos crucis ſigna, 1234. XLIV. Prutheni ſe amplectendæ fidei deſiderio teneri ſignificant, 1233. LVIII. Pruſſiæ epiſcopum magna perfidia coniiciunt in vincula; in eos excitati fideles, *ibid.* 1234. XLIV. Willelmus epiſc. Mutinenſis in Pruſſiam & finitimas provincias legatus miſſus, 1234. XLV. Jubetur in Pruſſia inſtituere epiſcopatus, 1236. LXI. Præclare in Pruſſia res geſta a Chriſtianis, 1243. XXXII. Pruſſiæ, Livoniæ, & Eſtoniæ archiepiſcopo præferendæ crucis poteſtas ab Innocentio data, 1246. XXXI.

Pudicitia; lata a S. Ludovico in equitem cum meretrice deprehenſum ſententia, 1251. LIV. Regina Blanca optat prius mortem filio, quam ſe impudicitiæ crimine a morte vindicet, 1252. XXIX. *Vide*, Caſtitas.

Puer Chriſtianus Cæſarauguſtæ a Judæis confixus miraculis coruſcat, 1250. XXXI. Idem impreſſam humero crucem naſcens geſtarat, *ibid.* Puer bimulus miracula patrat, 1152. XXXVI.

Purgatorius ignis; de tribus tantum animabus uno die e purgatoriis flammis ereptis, 1232. XXXI. Definit Innocent. IV. purgatorio igne animas, quæ leves maculas contraxere expurgari, 1254. XI.

## Q

Quadrageſima; ſublata a legato Ap. ſedis in Polonia conſuetudo, qua a ſeptuageſima carnium abſtinentia indicta erat, 1248. XLIX. Conceſſus Regi Scotorum in quadrageſima certis legibus carnium uſus, *ibid.* LI.

## R

Raban Ata orientalium Catholicos obſervantiæ plenas literas Innoc. IV. mittit, 1247. XXXII.

Radulphus Minorita miſſus ad Germanum Patriarcham Græc. pro tractanda Eccleſiarum concordia, 1233. V.

Radulphus Cheinduit ob ſpoliatas eccleſias divina vindicta correptus, 1243. XLII.

Ratiſponenſes in epiſcop. rebellant, 1248. X. XI. Incuſſæ illis, ni reſipuerint a Pontifice, pœnæ, 1248. XII.

Ravenna a Friderico II. deficit, 1239. XXXVII. Suſcipitur defendenda a Venetis, *ibid.*

Raymundus Toloſæ comes; dati judices ab Innocentio IV. ad inquirendum an pœnitens deceſſerit, ut illius corpus ſepulturæ mandetur, 1247. XLIV XLV. Non permittitur, *ibid.* XLVIII.

Raymundus filius Raymundi comitis Toloſ. coitionem init cum aliis principibus ac Rege Angliæ adverſus S. Ludovicum, 1230. XXXI. Revocatur ad officium, *ibid.* Emendat legati Apoſtolici juſſu quæ adverſus rem catholicam erant patrata, *ib.* Severas leges adverſus hæreticos ſancit, 1233. LX. Agit cum Pontifice Sanctus Ludovicus, ut ditio ultra Rhodanum ſita ipſi reſtituatur, *ibid.* LXI. 1234. XV. Vocatur in ſuſpicionem hæreſis, 1236. XXXIX Acerrimæ ad eum Gregorii IX. literæ, *ibid.* Jubetur in Terram ſanctam traiicere, *ibid.* XLIV. Aſiaticæ expeditions tempus prorogatur illi a Pontifice, 1237. XXXIII. Maſſilienſes, Provinciæ comiti rebellantes, defendendos ſuſcipit, *ibid.* XXXIV. Studet Gregorius illum ab eo abducere, *ibid.* XXXV. XXXVI. Pontificis voluntatibus ſe accommodat, *ibid.* XXXVII. Abſolvi cenſuri flagitat, 1239. LXXI. Data Præneſtino epiſcopo illius reconciliandi Eccleſiæ provincia, *ibid.* LXXII. Jebetur traiicere in Syriam, *ibid.* LXXIII. Tractat pacem inter Innocentium & Fridericum, 1243. XXVIII. Fidelium cœtui reſtituitur, 1244. XVII. Commendatur S. Ludovico, *ibid.* Induciæ inter ipſum & Provinciæ comitem protractæ, *ibid.* Flagitat ab Innocentio IV. ut paternum corpus eccleſiaſticæ ſepulturæ mandet, 1247. XLIV. Dati judices, ut inquirant, an pœnitens deceſſerit, *ibid.* XLV. Obtinere non potuit, *ibid.* XLVIII. Flagitat ab Innoc. IV. ut Toloſanorum hæreticorum reliquias excindi jubeat, 1248. XXVII. Commendatur a Pontifice, *ibid.* Ornat profectionem in Syriam; hæreticos flammis tradi jubet, 1249. VIII. Pietatis ſigna ingentia in Euchariſtia ſuſcipienda præ ſe fert, *ibid.* Æmiliani moritur, *ibid.* Sepelitur in cœnobio fontis Ebrandi, *ibid.* Toloſanus comitatus ad Alfonſum Pictaviæ comitem atque ab eo ad S. Ludovici poſteros devolvitur, *ibid.*

S. Raymundus Penniafortius; ipſius opera Gregorius IX. decretales conficit, 1234. XXVI. Creatur Prædicatorum ordinis ſummus magiſter, 1238. LXV.

Raymundus Berengarius Provinciæ comes Margaretam filiam natu maximam S. Ludovico uxorem tradit, 1234. XVII. Filias Regibus collocat in matrimonium, Margaretam S. Ludovico, 1233. XVII. Beatricem Carolo I. Regi Siciliæ, *ibid.* Alienoram Henrico Regi Angliæ, 1236. XLIX. Inter ipſum & Regem Aragonum ſubortam controverſiam ſopit, 1234. XVII. A Friderico ad pontificias partes ſe confert, 1240. XX.

Raynaldus ducis Corradi filius odia Friderici incurrit, 1231. V. Pro eo in gratiam Imperatoris reſtituendo laborat Gregorius, *ibid.* V. Cauſæ ob quas conjectus in vincula eſt, *ibid.* VI. Ante arcem vinctus adducitur, ut Bertoldus ejus frater ad deditionem compellatur, *ibid.* Juſtæ ultionis divinæ in Raynaldo exemplum, *ibid.*

Raynerius diaconus Card. S. Mariæ in Coſmedin Viterbienſes in Pontifices obſequio confirmat, 1243. XXV. *& ſeq.*

Recanatum ob civium erga Pontif. in fide conſtantiam ſede epiſcopali decoratum, 1240. V. 1241. XLV.

Reges ubi ab eo præſule, ad quem ſpectat regiam inunctionem conferre conſecrari non poſſunt Rom. Pontificem conſulere debent, a quo inungendi ſint; exemplum in Othachero, 1254. XXXI.

Reges ab Rom. Pontifice creati coronave redimiti. *Vide*, Romanus Pontifex Reges creat &c.

Reges increpiti ab Apoſtolica ſede. *Vide*, Fridericus; Sanctius II. ob tyrannidem exercitam in eccleſiaſticos, 1238. L. LI. 1245. V.
Cum

Cum monita reſpueret regno dejectus, *ibid.* LXVII. LXXII.

Reges ob tyrannidem ac male geſtam rempublicam regno dejecti; Fridericus II. Imperator, 1245. XLV. Suffectus illi Henricus Rex Romanorum, ac poſtea Willelmus, 1246. IV. V. Sanctius II. Rex Luſitaniæ, 1245. LXVII. LXXII.

Reginaldus Cardinalis Oſtienſis revocat Innocentium IV. officium de Virginibus non de mortuis celebrare in exequiis S. Claræ meditantem a ſuſcepto conſilio, 1253. XIV. Panegyricam orationem in ejuſdem ſanctæ virginis laudem habet, *ibid.* Opponit ſe ne S. Staniſlao martyrum honores decernantur, 1253. XVII. Ab eo corripitur, *ibid.* Reſtituitur divinitus ſanitati; inſtat apud Innoc. Papam ut illum ſanctorum catalogo aſcribat, *ibid.* Neapoli creatur Pontifex & vocatur Alexander, 1254. LXIX.

Reginaldus, ſive Raynaldus. *Vide*, Alexander IV.

Religio regnorum fundamentum, 1248. XVI.

Religioſi mendicantes exagitati, 1256. XIX. Eorum patrocinium ſuſcipit Alexander IV. *ibid.*

Reliquiæ; impoſtores, qui prophana oſſa pro ſacris reliquiis oſtentabant, coerciti, 1240. XXIX. Tranſmiſſæ a S. Ludovico Toletanæ eccleſiæ, 1248. XLV. XLVI. Brachium Sancti Edmundi, ubi balſamo conditur atrum colorem contrahit, 1250. LII.

Reliquiæ Sanctorum. *Vide*, Tranſlatio.

Reſurrectio; ſeptem mortui, atque inter eos triduanus vitæ redditi a S. Laurentio Dublinenſi archiep. 1229. XXXIX. Alius S. Franciſci ope ad vitam excitatus, 1230. XXI. Adoleſcens eo beneficio virginis opera potitus, ut crimina apud Sacerdotem expiaret, 1251. XIV. Adoleſcens B. Staniſlai ſuffragiis e morte ad vitam revocatus, 1253. XVIII.

Rhemenſes in archiepiſcopum rebellionem movent, 1239. LXXVI. Cenſuris ob id defixi, *ibid.* Rhodus a Vatacio expugnata, 1233. XV.

Richardus Anglorum Rex; cœleſte viſum Roffenſi epiſcopo objectum de illo in cœlum recepto, 1232. XXXI. Ejuſdem clementia in exulantem equitem, qui hoſti pepercerat, *ibid.* XXXII. Dum immineret expugnandis Hieroſolymis Hugo Burgundiæ dux actus livore inſano reliquum exercitum abduxit, 1251. LIV. Hieroſolymas conſpicere abnuit, quas hoſti eripere non poſſet, *ibid.* Illius exemplum S. Ludovico propoſitum ne Hieroſolymas dum ab hoſte obtinerentur adiret, *ibid.*

Richardus epiſc. Dunelm. Saresberienſem eccleſiam magnifico opere extruit, 1237. LVIII. Elegans de ea diſtichon, *ibid.* Pie moritur, *ibid.*

Richardus Cornubiæ comes in Terram ſanctam appellit, 1240. XLIX. Afflictas res Chriſtianorum erigit, *ibid.* Aliæ ejus res geſtæ, *ibid.* Pacem cum ſoldano Babyloniæ pangit, quam Templarii non admittunt, 1245. XCV. Precibus S. Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi e morbo liberatus potiſſimum illi feretrum offert, 1247. XXI. Oblatam ab Innocentio IV. Siciliam comparandam armis a Conrado reſpuit, 1253. V.

Riga archiepiſcopali ſede decorata, 1255. LXIV.

Richardus Ciceſtrenſis epiſc. pie moritur, 1253. XLI. Miraculis effulget, *ibid.*

S. Richardus epiſc. Ciceſtrenſis miraculis clarus, 1256. XXV. De eo ſanctis annumerando inquiri jubet Pont. *ibid.*





Robertus archiep. Strigonienſis; confirmatur illi inungendi Regis Ungariæ privilegium, 1231. XXXVIII. Jubetur defendendis Cumanis incumbere, 1231. XLI. Incumbit defendendæ in Ungaria periclitanti fidei Chriſtianæ, 1232. XII. Andream Regem monet officii, ut infideles coerceat, *ibid.* XX. Ungariam interdicto eccleſiaſtico ſupponit, *ibid.* Regios conſiliarios anathemate percellit, *ibid.* XXI. Vetat Chriſtianos commercium inire cum Sarracenis, *ibid.* XXII.

Robertus S. Ludovici frater Mathildem ducis Lotharingiæ filiam uxorem accipit, 1236. XLVII. Offertur illi a legato pontificio Imperium ſi arma in Fridericum capeſſat, 1239. XXXIX. Quid ipſi a Gallis proceribus conſilii datum, *ibid.*

Robertus Lincoln. Epiſc. literis B. Eadmundum urget, ut ſe opponat, ne abbas præſidis munus exerceat, 1236. LII. Elegantes illius de ea re literæ, *ibid.* Aliæ ad eumdem eo argumento datæ, 1137. LI. Adverſus Innocentium invehitur, 1253. XLIII. Ejectus e cœtu fidelium moritur, *ibid.* Conficta de ipſo a Pariſio refutantur, *ibid.*

Robertus ord. Prædicat. inquiſitor plures in Galliis hæreticos flammis tradit, 1238 LII. Ob innocentes eadem pœna cum ſontibus involutos perpetuo carceri mancipatur, *ibid.*

Robertus eremita Angl. miraculis clarus; ex ejus ſepulcro oleum ad ſanandos morbos emanat, 1238. LXV.

Robertus patriarcha Hieroſol. ignave Hieroſolymis, imminente hoſte, fugit, 1244. III. Supplicibus literis auxilia ob occidentalibus poſcit, *ibid.* XIII.

Robertus S. Eadmundi archiep. frater, 1244. XLVIII.

Rodericus archiep. Toletanus ſuæ Hiſpanicæ hiſtoriæ finem imponit, 1243. XLIV.

Rogerius comitis Fuxi filius eccleſiæ perſecutor repentina morte opprimitur, 1241. IX.

Rogerius epiſcopus Londinenſis, 1244. XLVIII.

Rollandus ſubdiaconus, 1238. LXVII.

Romana eccleſia. *Vide*, Romanus Pontifex.

Roma; Romani; Urbs Tyberis eluvione magna ex parte ſubmergitur, 1230. I. Laborat peſte, *ibid.* Romani divinas iras ob pulſum Gregorium ſe concitatas arbitrati illum Peruſio evocant, *ibid.* Plures Patareni inventi Romæ damnatique publice a Gregorio, 1231. XIII. Late adverſus ipſos a ſenatu populoque Romano graviores leges, *ibid.* XVI.

Romæ terræmotus ingens, 1231. XXXI.

Romani Pallianum occupare meditantur, 1232. XXXV. In Campaniam irrumpere parant, *ibid.* XXXVI. Auro mitigati abſcedunt, *ibid.* In eos Gregorius Friderici arma implorat, *ibid.* XXXVII.

Romani Viterbienſem agrum vaſtant, *ib.* XXXIX. Conciliantur a Gregorio cum Viterbienſibus, *ibid.* XXXIX XL. Odiis in Pontificem efferati, 1233. XXVI. Adventu Gregorii in Urbem mitigantur, *ibid.* XXVII. Ipſum magnifice excipiunt, *ibid.* Rebellionem in eumdem iterum movent, 1234. I. Cogunt ipſum Urbe exire, *ibid.* Fridericus ſuam Pontifici ad debellandos Romanos operam defert, *ibid.* III. IV. V.

Romani a nonnullis Germanis, pro Pontifice pugnantibus, magna ſtrage deleti, *ibid.* VI. Gregorius ad elicienda auxilia contra illos Galliarum & Hiſpaniarum epiſcopis ſcribit, 1234. VI. VII. VIII. IX. Sopiti tumultus, *ibid.* X. Velletrenſes exagitant, 1235. I. Tractatur de pace, *ibid.* II. Quæ leges a Pontifice Romanis dictæ, *ibid.* Excipiuntur de-
miſſe

miſſe ab ipſis, *ibid.* III. Confirmantur a Malabranca ſenatore, *ibid.* IV. Movent ſeditionem adverſus Gregorium a Petro Frajapane ſubornati, 1236. XIV. Seditionem iterum a Friderico corrupti movent, & coercentur, 1238. LXXII. Fridericus Viterbio potitus in ſpem potiundæ Romæ elatus, Urbi imminet, 1240. XI. Excitati Gregorii oratione Romani, quorum plures corrupti erant, crucem in Fridericum induunt, *ibid.* XII. Ille irrito conatu Urbem obſidet, 1242. V. Excitantur ab Innoc. IV. ad confirmandas in Fridericum vires, 1246. XVI.

Romanus Pontifex; Regis & Reginæ Caſtellæ ſtudium erga Rom. Pont. 1239. XLI. Reges non ſuæ detrahunt dignitati, cum ſe Romano Pontifici ſubmittunt, 1240. XLIII. Honorum tituli a ſoldano, illi attributi, 1246. LII. LIII. 1247. LVII. Ab orientis patriarcha, 1247. XXXII. XXXVI. Quanta reverentia apoſtolicæ literæ ab illo acceptæ, *ibid.* XXXIII. A ſoldano Iſmaele, *ibid.* LXIX. Ab alio ſoldano, *ibid.* LXXIV. Ejus primatus ab orientalibus patriarchis agnitus, *ibid.* XXXII. XXXVIII. XL. Indignantur Tartari Pontificem a Chriſtianis cæteris hominibus auguſtiorem haberi, *ibid.* LXXVIII. Quæ objecerint contra Pontificis dignitatem, *ibid.* LXXXII. Quanto pietatis ſenſu S. Clara Pontificis pedem oſculata ſit, 1253. XIII. Manfredus ſtratoris officium Innocentio IV. exhibet, 1254. LXI.

Romanus Pontifex Reges creat corona exornat; Rex Aragonum flagitat regio diademate pontificiis manibus redimiri, 1229. LVIII. Pontif. rem in tempus commodius differt, *ibid.* LIX. Rex Norwegiæ ab Rom. Pontifice poſtulat ut illius auctoritate corona regia ſolemni ritu cingatur, 1231. XLIV. Rogatur, ut Regem Norwegiæ, quamvis ex impuris natalibus ortum, regiis inſignibus redimiri jubeat, 1241. XLI. Ruſſorum princeps regia dignitate auctus, 1246. XXVIII. Et Lithuanus, 1254. XXVII. Ut Romani Pontifices electos Imperatores rejecerint, vel confirmarint; *Vide*, in Innocentio III. & Innocentio IV.

Romanus Pontifex ad dicendam apud ſedem Apoſtolicam cauſam Reges citat, 1255. XLVIII. Lituaniæ Rex petit a ſummo Pontif. ut filium inungi debeat, *ibid.* LVII. Primatum illius Calojoannes Imp. Græcorum profitetur, & quot modis, 1256. XLVIII.

S. Roſa Viterbienſis ſanctitate illuſtris, 1252. VII. De illius miraculis inquiri jubet Pontifex, *ibid.*

Roſarium precarium; adoleſcens ob recitatum roſarium ad vitam revocatus, ut peccata confiteretur, 1251. XIV.

Roſinus ſive Ruffinus Minorita prolegatus in Siciliæ inſula carceri mandatus Manfredi juſſu, 1256. XXX.

Roſtannus legatus ab Alexandro IV. in Aquitania miſſus, 1256. XXVII.

Rudolphus Habſpurgenſis comes ſacerdoti Euchariſtiam deferenti equum donat, 1251. LVII. Germanico Imperio præmii ergo a numine donatus, *ibid.*

Ruſſia & Ruſſi; Ruſſiæ Reges epiſcopi Mutin A. S. L. opera oratores mittunt, quibus exhibent ſe ad excipiendam fidem paratos, 1227. VIII. Hortatur ipſos Honorius III. ut legatum ea de cauſa a ſede Apoſt. expoſcant, *ibidem*. VIII. IX. Ruſſiæ Rex a Græcorum ſchiſmate diſcedere meditatur, 1231. XLIII. Provocatur a Gregorio IX. ad amplectendos Latinorum ritus, *ibid.* Ruſſia a Tartaris vaſtata, 1241. IV. Ruſſi ad Eccleſiæ Rom. conjunctionem traducti, 1246. XXIX. Pruſſiæ archiepiſcopus ad eos legatus miſſus ab Innoc. IV. *ibid.* Data illi ſi conſtantes fuerint conciliandi ipſos Eccleſiæ auctoritas, 1247. XXVIII. Permiſſum illis a ſede Apoſt. Chriſti corpus in fermentato conficere, *ibid.* XXIX. Jeroſlaus Suſdalienſis in Ruſſia dux in Rom. Eccleſiæ conjunctione moritur, 1248. XLI. Alexander ipſius filius ab Innocentio IX. ad patris exemplum invitatur, *ibid.* XLII. XLIII.

Ruſſi, & Ruſſia; Regi Lituaniæ Chriſtiano attributa Ruſſia ab Alexandr. IV. 1255. LVIII.

Ruſudes Regina Georgianorum auxilia contra Tartaros a Greg. IX. poſcit, 1240. XXXVIII. Excuſat ſe Pontifex ob non ſubmiſſas auxiliares copias, *ibid.* XLI. Commendatum illi erga Eccleſiam Romanam obſequium, *ibid.* XLII.

# S

SAcerdotes Græcos conjugatos confeſſiones excipere poſſe definit Innoc. 1254. V. Tolerantur in ſacerdotio Græci ob multitudinem, qui minores ordines non ſuſcepere, *ibid.*

Sacerdotia, ſeu beneficia; agitatum in concilio Londinenſi de adigendis ad unum ſacerdotium clericis, 1237. XLIII. Suadet Gregorius IX. Othoni Card. legato ut ſtatutum illud exequi ob ſcandala differat, 1238. XL.

Sacramentum ſeu Juramentum Belæ Regis hoſtes eccleſiæ excindere promittentis, 1234. XL. Ferdinandi Regis Caſtellæ caſtrum Toraff reſtituere promittentis; reſciſſa ab Innocentio IV. Regis Angliæ ſacramenta, quibus jura regni forent imminuta, 1246. XXXIX.

Sævitia. *Vide*, Crudelitas.

Salamaticenſis academia inſtaurata ab Alfonſo Reg. 1255. LII. Exornata privilegiis ab Alex. IV. *ibid.*

Salomea Regina Galatiæ religioſam vitam profeſſa, 1255. LVI. Fratrem Boleſlaum ad Cracovienſem eccleſiam decorandam privilegiis impellit, *ibid.*

Sambienſes ab Othochero Rege Boemiæ ad fidem compulſi, 1255. LX. Vaſtantur ab infidelibus, *ibid.* Pontifex Regem Othocherum ad ferenda iis auxilia incitat, *ibid.* LXI.

Sanctius II. Luſitaniæ Rex eccleſiaſticos injuriis afficit, 1238. XLVIII. Gregorii IX. ad eum, ut iis abſtineat, imperia, *ibid.* Ulyſſipponenſem electum exagitat, *ibid.* L. A Pontifice objurgatur, *ibid.* LI. Paret Gregorio, 1239. LX. Tyrannidem iterum exercet, & præmonetur ab Innoc. IV. ut publicis malis medeatur, 1245. V. Ipſius ſocordia, *ibid.* Apoſtolicæ ad eum literæ, *ibid.* VI. Intentatæ minæ, ni improbos coerceat, *ibid.* IX. Vetitum cum Mentia initum matrimonium jubetur diſſolvere, *ibid.* X. Regni adminiſtratione tradita ipſius fratri Alphonſo, deiicitur, *ibid.* LXVII. Salva regni jura ipſi ac poſteris reſervata, *ibid.* Ea de re ad Luſitanos literæ, *ibid.* LXVIII. A fratre regno pellitur, *ibid.* LXXII. Confugit ad Regem Caſtellæ, *ibid.* Mentia dimiſſa illius filiam ducit, *ibid.* Promittit Luſitaniam Caſtellæ vectigalem conſtituturum, ſi regno reſtituatur, *ibid.* Toleti moritur, *ibid.* LXXIV. Inſigne Flexii Conimbricæ præfecti erga eum conſtantiæ exemplum, *ibid.* Regis Caſtellæ filio, querenti pulſum Sanctium, reſpondet Innocentius ſi quid contra pontificiam conſtitutionem actum ſit, emendatum iri, 1246. XLII. Aliæ eodem argumento datæ lit. 1247. XVIII. Deſiderius ad rem inquirendam in Luſitaniam miſſus, *ibid.*

San-



Sanctius cognomento fortis Rex Navarræ moritur, 1234. LIII. Succedit illi Theobaldus ex Blanca ſorore nepos, *ibid.* Ut Regem Aragoniæ ad excludendum hereditate Theobaldum adoptarit, *ibid.*

Sanctius Toletanus archiep. Regis Ferdinandi filius creatus ab Innocentio IV. Toleti archiepiſcopus, 1251. XXVI. Succedit Paſchaſio, *ibid.*

Sanctorum ſolemnis conſecratio. *Vide*, Canonizatio ſanctorum. Quanta conſilii maturitate perfici conſueverit, 1255. XXV.

Salamanticenſis academia a Ferdinando Rege Palentia Salamanticam tranſlata, 1239. XLVI.

Salchinus Sultanus provocatus ab Innocentio IV. ad amplectendam fidem reſcribit Innocentio, 1247. LVIII.

Salinguerra a duce Venetorum, capta Ferraria, in ſervitutem abductus in vinculi moritur, 1240. XIX.

Salomea Regina Rhutenorum cum viro Colomano pudicitiam colit, 1240. LXIX.

Salve Regina hymnus ſacer decantatus in Eccleſia, 1238. LXXIII.

Sandomiria vaſtata a Tartaris, 1241. IV.

Sanguis Domini; ejus portio a Templariis in Angliam tranſmiſſa, 1247. XX. Qua pompa ab Henrico Rege in eccleſiam S. Pauli illata, *ibid.* De ſimili ſanguine Mantuæ reperto, *ibid.*

Sardinia; Ubaldus ob invaſam Sardiniam a Gregorio IX. anathemate cum ſuis damnatus, 1229. XLI. Obtentis Turritano & Gallurienſi Adelaſiæ uxoris jure principatibus ſupremum ditionis dominum Pontificem agnoſcit, 1237. XVII. Adelaſia, edita inter vivos donatione, ſedi Apoſtolicæ principatum tranſmittit, recipitque a legato jure fiduciario, *ibid.* XIX. Promulgat, ſi deceſſerit ſine liberis legitimis ad Rom. Pontificem devolutum iri, *ibid.* Petrus Arboreæ regulus fiduciario jure Apoſtolicæ ſedi ſe obſtrictum ſacramento profitetur, *ibid.* XX. Entius Sardinia potitur, 1238. LXVIII. Inani colore ſupremum illius dominium Eccleſiæ eripit Fridericus II. *ibid.*

Saresberienſis eccleſia a Richardo magnifice extructa, 1237. LVIII.

Sarraceni; Rex Luſitaniæ in Sarracenos acies comparat, 1234. XLIX. Plures Chriſtianis ſacris initiati, 1248. XXXIII. Crucifixi effigiem maximis probris impii fœdant, 1250. V. Peluſium ſumptis Gallorum veſtibus intercipere tentant, *ibid.* VII. Repelluntur, *ibid.* De bellis Chriſtianorum adverſus Sarracenos. *Vide*, Damiata. Terra ſancta. Ferdinandus Rex Caſtellæ.

Sarraceni. *Vide*, Cruceata expeditio, & Terra ſancta.

Sattachus Tartaroum Rex Chriſtianos ritus amplectitur, 1254. I. Gratulatorias ad eum ſcribit literas Innocentius IV. *ibid.* II.

Sazarenſes Paraſonum immaniſſime trucidant, 1236. XXVII.

Scherungenſis ſynodus, 1235. XXVIII.

Schiſma; Schiſmatici Cyprii, 1248. XXXIII. 1250. XLI. Ruſſi, 1247. XXVIII. Jacobitæ, 1247. XXXIX. *& ſeq.* Neſtoriani, 1247. XLIII. Albani, 1250. XLIV. Unaviani & Philotii, *ibid.* XLVI.

S. Scholaſtica S. Benedicti ſoror; reliquiæ illius a Zacharia PP. corruptionis expertes inventæ, 1231. XXVI.

Scotia; petenti Henrico Anglorum Regi & decimas in Scotia, & ne Scotiæ Rex ſine Angli Regis auctoritate inungi poſſit, utrumque negat Innocentius IV. 1251. XXV.

Scultetus Conradi dux Willelmi copias Confluentiæ cædit, 1252. XVIII.

Sedes Apoſtolica. *Vide*, Eccleſia Romana, & Romanus Pontifex.

Senæ; Senenſes montem Policianum evertunt, 1233. XXXV. Petuntur bello a Florentinis, *ibid.* Ad eos conciliandos vocatur Joannes Vincentinus irrito conatu, *ibid.* XXXVI. Coguntur ad inſtaurandum montem Policianum, *ibid.* Senæ a Willelmo comite Tuſciæ ſedis Apoſt. vectigales conſtitutæ, 1236. XXVI. Senenſes a Florentinis divexati Friderico ſe dedunt, 1240. III.

Sepulcrum dominicum recuperatum a Chriſtianis, 1229. XIII. A Choraſminis magna fidelium cæde prophanatum, 1244. IX. Illius ornamenta ad Mecham tranſlata, *ibid.* Patriarchæ literæ de illius excidio, *ibid.* VIII. IX. X. XI. XIII. Sacra expeditio in Lugdunenſi concilio promulgata pro illo recuperando, 1245. LI. Soldanus Sarracenus ſe Pontifici Romano de illius everſione excuſat, 1247. LXXIV. Choraſmini ſacrilegii patrati auctores divina ultione penitus deleti, *ibid.* LXXVI.

Sepultura; S. Ludovicus ſuis manibus Chriſtianorum corpora ſemiputrida una cum Odone Cardinale ſepelit, 1251. LIII.

Servitæ ſe ſuaque ſedi Apoſt. tradunt, 1256. XLIV. Accepti in clientelam, *ibid.*

Sicilia & Siculi a Manfredo invaſa, & quo prætextu, 1255. III. Varii in ea Manfredi progreſſus, *ibid.* V. VI. VII. Edmundus Regis Anglorum filius ab Alex. IV. ad illius poſſeſſionem ſolicitatus, & quibus legibus, *ibid.* VIII. IX. Rex Angliæ ſegniter de Sicil. filio comparanda conſilia agitat, 1256. XXX. XXXIV. XXXV. *Vide*, Henricus Angliæ *Rex*. Manfredus.

Siculi *excitati* a Pontifice contra Fridericum II. ad recuperandam libertatem, 1246. XI. Ab ipſo deficiunt, *ibid.* XIV. XV. Sicilia oblata ab Innoc. IV. Carolo S. Ludovici fratri, 1253. II. Quæ leges propoſitæ, *ibid.* III. IV. Cur res exitum non ſit ſortita, *ibid.* V. Cur oblata Richardo Cornubiæ comiti, *ibid.* Siculi ad Pontificias partes tranſfugiunt, 1259. XLIX.

Sidon inſtaurata a S. Ludovico, 1251. LIV.

Siffridus epiſcop. Ratiſponenſis pro concilianda pace Fridericum inter & Gregor. IX. laborat, 1230. VII.

Siffridus III. archiep. Mag. a Conrado Lantgravio Thuring. bello petitur, & cur, 1232. XI.

Signiæ comitum familia plurium Pontificum natalibus illuſtris, 1254. I.

Simon e Tornaco doctor Pariſienſis blaſphemus divinitus percuſſus, 1239. XXVII.

B. Simon Minorita; de eo ſanctis adjungendo agitatur, 1252. VIII.

Sinibaldus Card. tit. S. Laurentii in Lucina creatur Pontifex, atque Innocentius IV. appellatur, 1243. V. *Vide*, Innocentius IV.

Sixtus IV. Joannem Bonum ſanctorum catalogo adſcribit, 1251. LI.

Sol; plures ſoles viſi, 1236. LI.

Somnia; Calojoannes videt in ſomnis equitem latus haſta fodientem, & laterali morbo perit, 1229. LI. Willelmus Card. ex ſomnio ſuam mortem prædicit, 1251. XIII. Prædicta ex ſomnio Fulcheſio divina ultio a Pandulpho Norwicenſi epiſcopo, 1226. XLVI. Hubertus Cantiæ comes eccleſiam a direptione militum liberare in ſomnis monitus, 1234. XX.

Sora exciſa a Friderico, 1229. XXXII.

Soranus epiſcop. in Gallias adverſus Albigenſes legatus a Gregorio IX. miſſus, 1238. LII.

Sors

Sors damnata in electionibus epiſcoporum, 1225. XLVI.

Sorte electus primus Tartarorum Imperator, & quo ritu, 1248. XXXIX.

Spinea Domini corona oppignerata a Balduino, 1238. XXI. Redempta magno pretio a S. Ludovico, *ibid.* Cum aliis ſanctiſſimis reliquiis in ſacello regio ab ipſo repoſita, 1244. XXXIX. Sacellum idem ab Innoc. IV. privilegiis decoratum, *ibid.*

Spoletana Synodus, 1234. XXVII.

Spoletani Eccleſiæ adverſus Fridericum adhærent, 1240. VII. Commendati a Pontifice, *ibid.* VIII.

Spurius; conceſſum ſpuriis ad dignitates adipiſcendas jus ad epiſcopalem non extenditur, 1240. XXX. Arguitur Præneſtinus epiſcopus A. S. L. diaconatum naturali Philippi Francorum Regis fratris filio contuliſſe, *ibid.*

S. Staniſlaus Cracovienſis epiſc. Poloni pro ipſo ſanctis annumerando egregiam navant operam, 1250. XXXIV. Prandothas ſtrenue ad id incumbit, 1252. VIII. Jacobus Minorita ad miraculorum explorandam veritatem in Poloniam miſſus, *ibid.* Reginaldus Oſtienſis epiſcopus illius opera divinitus valetudini reſtitutus, 1253. XVII. Adoleſcens defunctus e morte ad vitam revocatus, *ibid.* XVIII. Ut martyris corpus ab aquilis defenſum ſit, *ibid.* XX. Sanctorum catalogo ab Innoc. IV. adſcribitur, *ibid.* Illius tranſlatio, *ibid.*

S. Staniſlaus Cracovienſis epiſcopus & martyr magna a Deo gloria affectus, 1255. LVI. 1256. XVI. Indicta ab Alexandro IV. ſolemnis illius reliquiarum tranſlatio & celebrata, *ibid.*

Stedinghi hæretici in Bremenſi provincia graſſantur, 1230. XXVII. 1232. VIII. Sævahorum barbaries & horrenda veſania, 1233. XLI. In eos concitati fideles, *ibid.* Gregorii IX. de ea re literæ, *ibid.* XLII. Quibus formis dæmon ſe iis videndum exhiberet, *ibid.* XLIII. & *ſeq.* Execranda illorum tyrocinia, *ibid.* Dux Brabantiæ & Hollandiæ comes in eos ſigna attollunt, *ibid.* XLVII. Vincunt cæduntque ad ſex millia, 1234. XLIII. Cladi ſuperſtites Eccleſiæ reconciliari poſtulant, *ibid.* XLIV.

S. Stephanus Rex Ungariæ; inſignis donatio ab eo ob partam victoriam de hoſte Benedictinis facta, 1232. XXIV. Ut D. Martino ad id ſe voto obſtrinxerit, *ibid.* Ut legatus Apoſt. fuerit, *ibid.* XXV. Renovatur ejus privilegium a Gregorio IX. *ibid.* XXIII. Divinitus Pontifex juſſus illum corona redimire, 1233. V. Sanctus Rex, creatus legatus apoſtolicus, epiſcopatus inſtituit, *ibid.*

Stephanus Andreæ Regis Ungar. & Beatricis Eſtenſis filius matre in Germaniam metu Belæ fugiente, naſcitur, 1235. XXVII. Illius filius Andreas ſceptrum Ungaricum obtinet, *ibid.*

Stephanus archiep. Turritanus A. S. L. creatur, 1252. XXXIII.

Stiborius Premiſlaum in parentem incitat, 1248. IX. Illius de ſapientia ſua temere præſidentis juſtum ſupplicium, *ibid.*

Stigmata S. Franciſci, 1255. XXV. De iis Pontificis teſtimonium, *ibid.* XXVIII. XXIX. XXX.

Stiria ad Belam Regem Ungariæ tractatu pacis cum regno Bohemiæ devoluta, 1252. XXXII.

Strigonienſis eccleſiæ privilegia confirmata a Gregorio IX. 1231. XXXVIII.

Studium. *Vide*, Academia.

Sueviæ ducatus ab Alfonſo X. Rege Caſtellæ materno jure repetitus, 1255. LIII.

Sultanus Damaſci ad amplectendam fidem Chriſtianam a Gregorio IX. ſolicitatur, 1233. XV. Datæ ea de re ad ipſum literæ, *ibid.* XVI.

Sultanus Iconii; ejus legatio & literæ ad Pontificem, 1235. XXXVII.

Superbia ſua Fridericus II. res ſuas evertit, 1238. LXIX.

Supplicationes; Gregorius IX. nudis pedibus capita SS. Petri & Pauli geſtat, 1240. XII.

Swantopelkus cum Pruthenis infidelibus ſocietatem init, & cruciferos invadit, 1245. LXXXIII. Culmenſem terram vaſtat, *ibid.* A fœderatis fidelibus debellatur, *ib.* LXXXIV. Initam cum iis pacem, adſcitis Lethoinis & Jaczvingis, violat, *ibid.* Corripitur ab Innocentio IV. ipſum rem Chriſtianam affligere, *ibid.* LXXXV. Impoſita Gneſnenſi archiepiſc. percellendi illius anathemate provincia, *ibid.* LXXXVII. Ab Opizone A. S. L. ad pacem cum crucigeris adducitur, *ibid.* XCI. Cujaviam vaſtat, 1247. XXV. Ad ſopiendam diſcordiam Jacobus Leodienſis archidiac. miſſus, *ibid.*

Swantopelkus dux Pomeraniæ pacem init cum cruciferis, 1255. LXV.

Sylveſtrini; congregationis Sylveſtrinorum, inſtitutæ a B. Sylveſtro, primordia, 1231. XXVII.

S. Sylvanus igne gehennali correptos liberat, 1256. XXIV.

Symmachus Papa; ejus conſtitutio de non alienandis eccleſiæ bonis, 1254. X. Confirmat illam Gregorius, *ibid.*


# T


TAlmud blaſphemiis refertum flammis ab Innocentio IV. deleri juſſum, 1244. XL.

Thaneos Ægypti fluvius traiicitur ab exercitu Chriſtiano, 1250. I. Locatis in illius ripa caſtris Chriſtiani epidemia laborant, *ibid.*

Tartari magnas clades inferunt Georgianis, a quibus demum delentur, 1240. XL. Colchide, Moſcovia, aliiſque triginta regnis vaſtatis in Poloniam & Ungariam irrumpunt, 1241. I. Unde dicti Tartari, *ibid.* Monguli etiam appellati, *ibidem.* Erupiſſe ex Indiis refert Fridericus II. *ibid.* I. III. Chingis ipſorum Imperii primus conditor, *ibid.* II. Orbem ſubigere univerſum affectant, *ibid.* Illorum forma & mores, *ibid.* III. Ducem ſuum deum terræ appellant, *ibid.* In Polonia Waradimirum fundunt, *ibid.* IV. Evertunt Cracoviam, *ibid.* Vratiſlaviam immiſſo cœlitus ſancti viri precibus lumine territi non invadunt, *ibid.* V. Primo impetu vincuntur ab Henrico Poloniæ duce, *ibid.* VI.

Tartari magicis artibus faſcinant Polonos, cæduntque, *ibid.* VIII. Moraviam populantur, *ibid.* XI. Bohemia ab Rege Venceſlao propulſantur, *ibid.* XII. XVI. Egregiæ S. Ludovici de corripiendis in Tartaros armis voces, *ibid.* XIII.

Tartari antequam in Ungariam irrumpant, dæmonem de eventu conſulunt, *ibid.* XIV. Ab eo confirmati, *ibid.* In Ungariam duce Batho irrumpunt, *ibid.* XVI.

Tartari confirmantur a dæmone victoriam relaturos, *ibid.* XVII. Palatinum prælio vincunt, *ibid.* In ingreſſu a vaſtandis agris abſtinent, *ibid.* In receſſu omnia ferro flammaque delent, *ibid.* Propoſitis indulgentiis in eos armari Chriſtianos jubet Gregorius IX. *ibid.* XVIII. Belam & Colomanum ad repellendum hoſtem incitat, *ibid.* XIX. Eos profligant Tartari, *ibid.* XX. Cumani conjuncti Tartaris ſæviunt in Ungaros, *ibid.* XXI. Vir religioſus ſubmurmurans de divina providentia ob Tartarorum clades cœleſti viſo corripitur, *ibid.* XXV. Conjunctas Ungariæ provincias populantur Tartari, *ibid.* XXVI.

Tartari creduntur a Friderico II. in Chriſtianos concitati, *ibid.* XXIX. Strigoniam duce Caydano expugnant, 1242. VII. Belam, quacumque fugiat, inſequuntur, *ibid.* Inermem Ungarorum multitudinem trucidant, *ibid.*

Tartari irrumpunt in Croatiam, *ibid.* In Serviam & Bulgariam ſigna convertunt, *ibid.*

Tartari Chriſtiana mancipia immani ſtrage perimunt, *ibid.* Bela Ungariam paulatim recuperat, *ibid.* Plura ſeptentrionalia regna evertunt, *ibid.* XI. Cracovienſes opprimunt, *ibid.* Turciam vaſtant, *ibid.*

Tartari Sultanum Iconii profligant, 1243. XLVIII. Bela adverſus ipſos Innocentii IV. auxilium implorat, 1243. XXXVI. Propoſitæ Germanis indulgentiæ adverſum ipſos arma arrepturis, *ibid.* XXXVI. XXXVII. Perſidem ſubiiciunt ſibi, & Choraſminos ſuis ſedibus pellunt, 1244. I.

ad Tartaros mittit Innocentius IV. Minoritas aliquos, 1245. XV. Ad fidem invitat, *ibid.* Ea de re apoſt. literæ, *ibid.* XVI.

Tartari monentur, ut cædibus hominum temperent, *ibid.* XVIII. Quos ritus in creandis Imperatoribus obſervent, *ibid.* XI. Veſana eorum ambitio, *ibid.* XXIII. De ipſis propulſandis Pontifex in Lugdunenſi concilio decreta edit, *ibid.* L.

Tartari Regem Armeniæ, & principem Antiochiæ vectigales ſibi conſtituunt, 1246. LIV. Queruntur Sarraceni Tartaros a Chriſtianis in ipſos inſtigari, 1247. LXV. Intercludunt religioſis viris ad Tartaros aditum, *ibid.* Quid geſſerint apud Tartaros apoſtolici nuncii, *ibidem.* LXXVIII. LXXIX. Indignantur Tartari Pontificem haberi a Chriſtianis cæteris hominibus auguſtiorem, *ibid.*

Tartari quem cultum exegerint a nunciis principi ſuo exhibendum, *ibidem.* LXXIX. Quæ objecerint contra Pontificis dignitatem, *ibid.* LXXXI. Bajothnoy in Perſide imperantis ſuperbæ ad Pontificem literæ, *ibid.* LXXXII Ercheltay Tartarorum Perſidi contiguorum princeps S. Ludovico literas honorificas & oratores mittit, 1248. XXXIV.

Tartari ſignificant Chamum Imperatorem Chriſtiana ſacra amplexum, *ibid.* XXXV. XXXVI. Sarracenorum Caliphum oppugnare decreviſſe, *ibid.* XXXVI. S. Ludovicus pia munera & oratores ad Ercheltay & Chamum mittit, *ibid.* XXXVIII. Adhortatur ipſos Odo Card. A. S. L. ad Eccleſiæ Romanæ obſequium, *ibid.* Nonnulla de Tartarorum initiis notatu digna, *ibid.* XXXIX. Ut Chriſtianam religionem divino monitu ſuſceperint, *ibidem* XXXIX. XL. Impendente Tartarorum terrore inſigniri jubet, 1253. XXI. Pontifex S. Ludovici precibus adductus ad eos præcones evangelicos mittit, 1253. LIII. Sattach Tartarorum Rex Chriſtianam religionem amplectitur, 1254. I. Gratulatoriæ ad eum Innocentii literæ, *ibid.* II. III. Indicta ab Innocentio cruceſignatorum expeditio ad propulſandos Tartaros Livoniæ, & aliis partibus imminentes, *ibid.* XXIV.

Tarviſium ab Alberico e Romano occupatum eripitur Friderico II. 1239. XXXVII. Tarviſini obtinent ab Innocen. III. ut ſacramento fidei dato liberentur, 1245. LXV. Patriarcha Aquilejenſis ipſis bellum infert, 1243. XXII. Corripitur ab Innocentio IV. *ibid.*

Taurinenſes Sabaudiæ comitem vinculis tradunt, 1256. XXIX. Animadvertit in eos Alex. IV. *ibid.*

Templa. *Vide*, Eccleſia.

Tentatio. *Vide*, Dæmones.

Tentorium, in quo cœleſtes curſus adumbrati peragebantur, 1232. XLIII.

Teſtamentum Ludovici Ferretani comitis, 1236. XXVII. Friderici II. Imp. 1250. XXXIV.

Terra ſancta; Fridericum cauſa Terræ ſanctæ deſertorem queritur Pontifex. *Vide*, Fridericus II. Imp. Calamitates Terræ ſanctæ expoſitæ in concilio Lugdunenſi, 1245. XXVIII De reſtaurandis Terræ ſanctæ rebus agitur in eodem, *ibid.* LI. Diſſenſio Chriſtianorum excidionis Syriæ cauſa, *ibid.* XCV. Pontificis ſtudium pro recuperandis Hieroſolymis, *ibid.* XCVI. Sacro bello ſolemni ritu ſe devovet S. Ludovicus, *ibid.* Simili modo alii principes, *ibid.* Pium & facetum S. Regis facinus in conſignanda cruce regia familia, *ibid.* XCVIII.

Terræ ſanctæ clades illi a ſoldano Ægyptio illatæ, 1246. LI. Tyberias, Aſcalon, & aliæ arces ab eo everſæ, *ibid.* Innocentii IV. curæ pro Aſiatica expeditione promovenda, *ibid.* LIV. Syriæ lugubris ſtatus, 1247. LV. S. Ludovicus pro eo inſtaurando exercitum parat, *ibid.* LVI. Agenſque in Syria alios Reges ferenda auxilia invitat, 1252. XXIII. Henricus Angliæ Rex *expeditionis* in Terram ſanctam adornandæ *ſpeciem* præſefert, *ibid.* XXIV. Quid *eam* ob cauſam egerit Innoc. *ibid.* XXIV. XXV. XXVI.

Terra ſancta; infelix illius ſtatus ſub Coraſminorum Turquemannorumque irruptionibus, 1255. LXVIII. LXIX. Ob occidentalium diſcordias extremo diſcrimini patet, *ibid.* LXX. LXXI. Suſceptum conſilium de ſtipendiariorum militum numero ſuſtentando, *ibidem* LXXI.

Terræmotus ingentes in Italia & Thracia excitati, 1231. XXXI.

Tetricus crucigerorum magiſter majorem Bartham & Galandam infidelibus eripit, 1254. XXIX.

Teveſtini a fide Chriſtiana deficiunt, 1234. LXVI. Diram barbariem in fideles exercent, *ibid.* Comparari in eos jubet cruceſignatas copias Gregorius IX. *ibid.*

Thadeus e Sueſſa Friderici II. orator objecta ab Innocentio IV. in Lugdunenſi concilio refellere nititur irrito conatu, 1245 XXXI. Quas voces, audita in Fridericum ſententia, futurorum malorum præſagas dixerit, *ibid.* XLVI. Fridericum ad crudelitatem in Parmenſes inſtigat, 1248. XVIII. A Parmenſibus occiditur, *ibid.*

Theobaldus comes Trecenſis iterum rebellat in D. Ludovicum, & comprimitur, 1230. XXX. Ob excitatas diſcordias in Syriam transfretare jubetur, *ibid.* XXXI. Gregor. Reginam Cypri comitatum illius affectantem reprimit, 1233. LXII. Quæſtionem de natalibus prius dirimi jubet, *ibid.* Sanctio Regi ſuccedit in Navarræ regno, 1234. LIII. Ut Sanctius ad ipſum excludendum regni ſucceſſione Regem Aragonum adoptaſſet, *ibid.* Parantem in eum bellum Jacobum Gregorius a cœptis abducit, *ibid.* Crucem induit in Sarracenos, 1235. XLIX. Nova in eum molientes cenſuris a Gregorio defigi juſſi, *ibid.* Excitatur ad ferendam opem Conſtantinopolitano Imperio, *ibid.* V. Parantem in eum bellum Regem Franc. deterrere ſtudet Gregorius IX. 1236. XLVII.

XLVII. Vetat ne quis ipſum percellat anathemate, *ibid.* Proceres Navarreni, qui adverſus regiam auctoritatem coitionem fecerant, Gregorii juſſu cenſuris coerciti, 1238. LI. Queritur apud Pontificem addicta Terræ ſanctæ ſubſidia in Conſtantinopolitani Imperii ſuccurſum averti, 1239. LXXVIII. Factum excuſat Gregorius, *ibid.* LXXIX. Maſſilia ſolvit cum exercitu in Syriam, *ibid.* LXXXI.

Theodorus Angelus Comnenus; Gregorius Theodorum Latinos impugnantem anathemate percellit, 1229. XLI. Theodorus excito ad Conſtantinopol. Imperium Joanne Rege Hieroſol. Fridericum ſibi muneribus conciliat, *ibid.* XLIX. Aſanem contra fidem datam bello petit, *ibid.* L. Illius ſacramentum ab hoſte ſignis præfertur, *ibid.* LI. Vincitur, & capitur, *ibid.* Tractatur clementer, *ibid.* Dum nova molitur obcœcatur, *ibid.* Filiam Aſani thoro jungit, 1232. LV. Theſſalonicam fraudulenter ingreditur, *ibid.* Fratrem Manuelem principatu depellit, *ibid.* Se a Vatacio circumveniri patitur, 1243. XLVI. Ad Vatacii obſequium filium Joannem adducit ea lege, ut ex Imperatore Theſſalonicenſi deſpota fiat, *ibid.* XLVIII.

Theodorus Græcorum Imp. ad illum mittitur apoſtolicus legatus pro redintegranda eccleſiæ orientalis cum Romana conjunctione, 1256. XLVII. De quibus & qua ratione legatus cum ipſo agere juſſus ſit, *ibid.* Blemmydam ad patriarchatum evehere cogitat, 1256. LVI. Eo reſpuente honorem, Arſenium ad dignitatem vocat, *ibid.* LVII. In Europam expeditionem ſuſcipit, *ibid.* LVIII. Erepta a Bulgaris recuperat, *ibid.* LIX. Pacem cum hoſte paciſcitur, *ibid.* Dyrrachio & Servia potitur, *ibid.* In Aſiam ad barbaros reprimendos redit, *ibid.* LX. Michael Oetoliæ & Epiri princeps ab eo rebellat, *ibid.*

Theſſalonica regni Theſſalonicenſis caput in Vatacii obſequium procumbit, 1243. XLVIII.

Theutonicorum equeſter ordo religioſus; aggregatur Boza militiæ Chriſti e Livonia, quæ magna ſtrage ab infidelibus profligata fuerat, 1237. LXIV.

Thomas tit. S. Sabinæ presb. Card. cum Joanne epiſcopo Sabinenſi ad tractandam cum Friderico II. pacem mittitur, 1230. IV. Quæ in ea legatione cum collega geſſerit, *ibid.* uſque ad XI.

Thomas Sabaudiæ comes pontificias copias delet, 1247. XI. Ad eccleſiæ obſequium revocatur, 1251. XXXI.

Thomas Sabaudiæ comes captus a Thaurinenſibus, 1256. XXIX. Alexander IV. horum bona in Anglia occupari jubet, *ibid.*

Toletum; Toletanæ eccleſiæ privilegia corroborata a Gregorio IX. 1239. XLVII. De illius in Hiſpaniis primatu, *ibid.* uſque ad LVIII.

Toletana eccleſia ſacris reliquiis a S. Ludovico dono tranſmiſſis exornata, 1248. XLVI.

Toloſa; excitata Toloſæ adverſus cenſores fidei & clerum ſeditio, 1236. XXXIX. Domus quibus recepti hæretici everti juſſæ, *ibid.* XLIV.

Toloſatium comitatus ad Gallicam aulam devolutus, 1249. VIII.

Torneamenta. *Vide*, Haſtiludia.

Tranſlatio reliquiarum S. Staniſlai cohoneſtaturis indulgentiæ propoſitæ, 1256. XVI.

Triſtanus filius S. Ludovici, 1250. VIII.

Trinitarii, ſeu redemptionis captivorum ordo, 1256. XLIV.

Tudertini Eccleſiæ adverſus Fridericum adhærent, 1240. VII.

Turcæ; Turcarum princeps fidem Chriſtianam amplecti meditatur, 1253. XXXVII.

Turcas inſignia aliquot ad convertendos edita a numine prodigia, 1247. LXXVII.

Turchiæ ſoldanus ad fidem invitatus ab Innocentio IV. 1254. V. Ad eum literæ de fide myſteriis, *ibid.*

Turquemanni in miſerum ſtatum Antiochenum principatum redigunt, 1256. XLV.

Tyberis; ejus eluvio, 1230. I. & *ſeqq.* Romani, divinas iras ob pulſum Greg. IX. ſævire arbitrati, illum Peruſio in Urbem evocant, *ibid.*

Tyranni. *Vide*, Crudelitas.

Tzurulum arx munitiſſima ab Aſane & Latinis obſidione cingitur conatu irrito, 1237. LXXIV. Capitur a Balduino, 1238. XXIX.

# V

Valentia Jacobi Regis Aragon. virtute Mauris erepta, 1238. XLV. Zænus ultimus Maurorum in ea imperitantium Rex, *ibid.* Gratulatoriæ Gregorii ad fideles de parto triumpho literæ, *ibid.* XLVI. Excitantur finitimi Chriſtiani ad eam incolendam, defendendamque, propoſitis indulgentiis, *ibidem.* XLVII. Conditæ in ea a Jacobo eccleſiæ, *ibid.*

Valentina eccleſia; ejus privilegia a Gregorio IX. confirmata, 1239. LVIII.

Valentina academia excitatur, 1245. LXXVI.

Ubaldus & Lambertus Piſani compreſſi ab Honorio III. Ubaldus ob Sardiniæ partem occupatam anathemate percellitur a Pontifice, 1229. XLI. Obtentis Turritano & Gallurітano uxoris jure principatibus, ſupremum ditionis dominum Pontificem agnoſcit, 1237. XVII.

Ubertus Palavicinus Placentinos ſuæ tyrannidi ſubiicit, 1251. XLIII.

Velare; virginem velare præſumit abbatiſſa Ciſtercienſis; corripitur a Pontifice, 1244. LVI.

Velletrenſes a Romanis ob ſecutas partes Pontificis divexati eriguntur a Gregorio IX. 1235. I.

Veneti in ſedis Apoſt. clientelam admiſſi, 1238. LXXIV.

Veneti in expugnatione Ferrariæ ſtrenuam operam explicant, 1240. XIX.

Veneti plures Apuliæ maritimas regiones vaſtant, 1240. XIX. Gregorii IX. ad ipſos literæ, quibus ad conſtantiam adverſus Fridericum hortatur, 1241. LXIV. Strenua eorum in ſedem Apoſtolicam ſtudia, 1253. LIII.

Veneti ad defendendum Conſtantinopolitanum Imperium ab Innocentio IV. excitati, 1253. LIV.

Veneti auxilia legato ad Patavium expugnandum ſuppeditant, 1256. XXXVIII. Optime de Eccleſia meriti, *ibid.* IV. Gradenſis eccleſia ad eorum gratiam magnis privilegiis decorata, 1256. XL. In omnibus eccleſiis orientalibus epiſcopum habere poſſunt, *ibid.* XLIII.

Vercellenſes ob latas iniquas in eccleſiaſticos leges cenſuris devincti, 1237. XIV.

Veronica religioſo agmine inſtructo ad xenodochium ſancti Spiritus & populis oſtendi ſolita 1255. XIX.

Veſtes; ſingularis S. Ludovici Regis in caſtigando veſtium luxu modeſtia, 1248. XXXII. 1254. XX.

Uguccionius ſacerdos relicta in calice ſanguinis particula, in ſanguinem verſam die ſequenti miratur, 1229. LXI.

Ugutio e Deideo; inſignis ejus donatio Romano Pontifici facta, 1232. XXXVIII.





Victoria de Vatacio & Aſane a Joanne Brennenſi, 1235. LIII. De Valentinis Mauris a Bernardo, 1238. XLV. De Balearibus a Jacobo Rege, 1230. XXXVIII. De Ægyptiis a S. Ludovico, 1249. III. IV.

Victoria a Friderico in Parmæ circuitu extructa, 1247. X. A Parmenſibus incenſa, 1248. XVII.

Viduæ; ſecundas & ulteriores nuptias ipſis permittendas definit Innoc. IV. 1254. X.

Vincentia a Friderico flammis deleta, 1236. XII. De illius excidio diſtichon, *ibid.*

Vindicta; occiſi inſontis anima vindictæ loco, ut occiſor veniam obtineat, poſcit, 1242. XVIII. *Vide*, Clementia.

Vindicta Divina. *Vide*, Juſtitia Dei.

Vinum; lagena divinitus generoſo vino repletur, 1231. XLV.

B. Virgilius epiſc. Salisburgenſis coruſcat miraculis, 1230. XXVI. De iis inquiri jubet Gregorius IX. ut catalogo ſanctorum apponatur, *ibid.* Inter ſanctos refertur, 1233. LV.

B. Virgo. *Vide*, B. Maria.

Virgines ab abbatiſſis non velandæ, 1244. LVI. Ciſtercienſis abbatiſſa, quæ id præſumpſerat, ab Innocentio IV. correpta, *ibid.* LVI. LVII. *Vide*, Caſtitas.

Viſa; Alexander IV. a S. Staniſlao ſeſe videndum præbente, ſanatus, 1254. I.

Viſiones animæ pro interfectore veniam deprecantis, 1231. XLV. Adverſæ acies inter ſe in aere viſæ diſcurrere, 1236. LI. Oſtentum crucis in cœlo divinitus expreſſæ, 1245. IX. Staniſlaus epiſcopus & mart. epiſcopo Oſtienſi apparet, 1253. XVII.

Viterbienſes vexantur a Romanis, 1232. XXXIX. Opera Gregorii pacem cum illis ineunt, *ibid.* Rebellant Pontifici cenſuriſque feriuntur, 1237. XIV. Fridericum fugam meditantem mœnibus excipiunt, 1240. IX. X. Quanta ex eo in Eccleſiam damna *redundarint*, *ibid.* XI. Jugum Friderici *excutiunt*, 1243. XXIII. Venientis *conatus* ſtrenue propulſant, *ibid.* Auxilia ab Innoc. IV. obtinent, *ibid.* XXV. Plures eorum exemplo ad Pontificis obſequium redunt, *ibid.*

Ultio. *Vide*, Vindicta.

Unavia Græci Imperii provincia ad Eccleſiæ Romanæ obſequium redit, 1250. XLVI.

Unctio extrema non contemnitur a S. Antonio Patavinorum patrono, ut fingunt novatores, 1231. XXXIII. Definit Innocent. IV. ægrotis adhibendam, 1254. VII.

Ungaria; religio Chriſtiana in Ungaria laborat, 1232. XI. Quæ geſta pro ea aſſerenda, *ibid.* Interdicto eccleſiaſtico ſuppoſita, 1232. XX. Vaſtatur a Tartaris, 1241. XV. Vera excidii illius cauſa ſcelera populi fuere, *ibid.* Interrogantibus dœmonem Tartaris de ingredienda Ungaria, promittitur victoria, tres ſpiritus infidelitatis, diſcordiæ, & incredulitatis ipſis viam munituros, *ibid.* XVII. Palatinus Ungariæ a Tartaris profligatur, *ibid.* Gregorius indulgentias adverſus Tartaros promulgari jubet, *ibid.* XVIII. Bela, & Colomanus profligantur a Tartaris, *ibid.* XX. Declarat Innocentius IV. Ungariam Imperii vectigalem non eſſe, 1245. LXXXI.

Univerſitas. *Vide*, Academia.

Urbanus IV. ante Pontificatum Jacobus appellatus; Leodienſis archidiaconus; in Poloniam ab Innoc. IV. legatus miſſus, 1244. LII.

Urbanus IV. ante pontificatum dictus Jacobus, Trecenſis patria, archidiaconus Leodienſis, in Pruſſia legatus, Pomeraniæ ducem cruciſeris conciliat, 1255. LXV. Dat operam, ut Leodii celebritas corporis Chriſti inſtituatur, *ibid.* Creatur patriarcha Hieroſol. *ib.* LXVI. Et Apoſt. ſedis legatus in patriarchatu, *ibid.*



Urbevetani vallem lacus reſtituere jubentur, 1230. XIX.

Urina in virum religioſum effuſa, impius lepra percuſſus, 1239. XXX. *Vide*, Crux.

Walachi ſchiſmatici; monetur Bela a Gregorio IX. ut ipſos coerceat, 1234. XXXVIII.

Waldemarus Rex Danorum arguitur a Gregorio IX. Lubecenſem portum obſtruxiſſe, 1234. XLVI. Illius mors, 1241. LXXXIX. Præclara ipſius geſta in religione, regnoque amplificandis, *ibid.* Succedit filius Ericus, *ibid.*

Waldemarus Rex Sueciæ optime de Eccleſia meritus, adverſus hoſtes ab Innocentio IV. defendendus ſuſcipitur, 1252. XX.

Waſilico Rex Laudemeriæ ad Eccleſiæ Rom. obſequium redit, 1247. XXIX. In clientelam Apoſtolicæ ſedis accipitur, *ibid.*

Watlandia ad Chriſtum traducta, 1255. LXII.

Wenceſlaus idemque Othacherus Tartaros vaſtatis Polonia & Moravia exultantes, imminenteſque Bohemiæ fundit, 1241. XII. XVI. Solicitatur ab Innocentio IV. ut Friderici partes deſerat, 1246. III. Adverſus Fridericum Pontifici adhæret, 1248. VIII. A filio regno cedere cogitur, *ibid.* IX. Recuperat regnum, filiumque carceri mancipat, *ibid.* Conjurationis auctorum capita trabe decuti jubet, *ibid.* Filium vinculis exolvit, Moraviæque principatum illi attribuit, *ibid.* Nicolaum Pragenſem epiſcopum in vincula conjicit, 1249. XVI. Bohemia interdicto ſubiicitur, donec reſtituatur libertati, *ibid.* Uxorem ob canonicum in quarto *gradu* impedimentum dimittit, *ibid.* *Regis* Ungariæ ſororem ducit, *ibid.* *Eccleſias* oppreſſas priſtinis juribus *reſtituit*, *ibid.* Cum Bela pro Auſtria *bellum* gerit, 1253. XXVIII. Solicitatur *literis* ab Innoc. IV. ad pacem, *ibid.* XXIX. Moritur, *ibid.* Cur Monoculus dictus, *ibid.*

Willelmus Rex Scotiæ ſolicitatur a Gregorio IX. ad ſervanda antiqua cum Anglis pacta, 1235. XXIX. Ne clientelæ Anglorum Regum ſe ſubducat, *ibid.* 1236. XLIX.

S. Willelmus archiepiſc. Bituric. *Vide*, Guillelmus.

Willarduinus Achajæ & Peloponneſi princeps fœdus cum Michaele deſpota Oetoliæ adverſus Theodorum Imp. init, 1256. LX.

Willelmus e Monteferrato Arvernus Templariorum magiſter a Sarracenis, quos temere laceſſiverat, magna clade deletur, 1237. LXXXVI.

S. Willelmus, ſeu Guillelmus Briocenſis epiſcopus feliciter moritur, 1241. LXXXVIII. Ipſius corpus e ſepulcro refoſſum ſuaviſſimum odorem ſpirat, *ibid.* Virginitatem coluerat, *ibid.* In ſanctorum numerum refertur ab Innocentio IV. 1247. XXII. Inſignia aliquot illius miracula, *ibid.* XXVII. Pontificiæ literæ de ſanctorum cultu illi decreto, *ibid.*

Willelmus Hollandiæ comes ducis Brabantiæ avunculi, & legati Apoſt. opera in Regem Rom. eligitur, 1247. IV. Germani, ut illius partes ſuſcipiant, *ibid.* V. Colonienſes ei ſe adjungunt, *ibid.* VI. *Præpoſitæ* ipſius copiis indulgentiæ, *ibid.* VII. Conradum debellat, *ibid.* IX. Solicitatur a Pontifice, ut Belæ Ungariæ Regi contra Fridericum exauctoratum Auſtriam invadere meditantem auxilio ſit, 1247. XXVI. Ad tuendas illius partes incumbit Innocentius, 1248. XIII. Friſonum cruceſignatorum vota ea lege commutata arma pro illo capeſſerent, *ibid.* Aquiſgranum Conrado eripit, *ibid.* XIV. In eo ſolemni ritu corona redimitus, *ibid.* Conradum in fugam pellit, *ibid.* XVI. Ezelinum bonis mulctat, 1250. XXXVII. Ea de re diploma

regium, *ibid.* Jacobus legatus pro adigendis in illius fidem proceribus miſſus, 1251. V. Brunſwici ducis filiam ducit, *ibid.* VIII. Prima nuptiarum nocte vix evadit ex incendio, *ibid.* Excitat Pontifex Henricum Brabantiæ & Lotharingiæ ducem ad ferenda illi auxilia, 1253. VI. Belgas magna clade profligat, *ibid.* VII. Ut ea divinitus oſtenſa, *ibid.* Imperialia ornamenta illi pollicetur Innocentius, *ibid.* IX. Francofurti procerum bona publicat, qui ipſi intra annum fidem non devinxerint, *ibid.* XVII. Illius ſententiam confirmat Innocentius, *ibid.* Sueviæ principatus jura Conrado abrogat, *ibid.* Nonnullæ illius copiæ in Germania deletæ *ibid.* XVIII. Solicitatur a Pontifice, ut bonis mulctet Germanos proceres, qui Siciliæ adminiſtrationem invaſere, 1254. LII. Mota ſeditione a Colonienſibus Nuſſiæ palatio ignes admoventibus, vix una cum legato evadit, *ibid.* LIV.

Willelmus e Longaſpata a Sarracenis cæſus, 1250. I. Egregiæ illius matris, audita ipſius morte, voces, *ibid.* XXVI. Ut cœleſti viſo antea rem præſenſerit, *ibid*

Willelmus Romanorum Rex de Friſis triumphat, 1255. LIV. Ad decimas pendendas cogit, *ibid.* Illius mors præſagita, 1256. I. A Friſiis ex inſidiis opprimitur, *ibid.*

Wladiſlaus Poloniæ dux e ditione depellitur, 1233. LVII.

Waladiſlaus Otho Gneſnæ ab Henrico Barbabato obſidetur, 1236. LXV. Hoſtem propulſat, *ibid.*

Wolvandus ordinis Prædicatorum efformatam in oſſe pectoris crucem inſigni miraculo gerebat, 1238. LXIV.

Wratiſlavia divinitus a Tartaris liberata, 1241. V.

## X

Xantones S. Ludovico ſe dedunt, 1242. III.

## Y

Ybellinus inſigni perfidia a Friderico circumventus, 1229. XXIX. Berytho exuitur, *ibid.* Acconem occupat, 1232. XLIV. Præfectum Imperatoris vincit acie, *ibid.* Objurgatur a Gregorio IX. ob turbatam Syriam, 1235. XLII. Deterretur a Tyro obſidenda, *ibid.*

Yvica inſula Balearium minima Taraconenſis archiep. virtute de Sarracenis parta, 1235. XXXV.

Yvo Prædicatorum familiæ religioſus vir ad oratores ſultani Damaſceni miſſus, 1251. L. Objectum illi in itinere cœleſte viſum, *ibid.* Ad Arſacidarum principem mittitur, *ibid.* Quæ apud ipſum viderit, *ibid.*

## Z

S. Zacharias Papa maximis privilegiis Caſſinenſe monaſterium exornavit, 1231. XXIV. XXV. Reliquias S. Scholaſticæ corruptionis expertes invenit, *ibid.* XXVI. Illius diploma renovatur a Gregorio IX. *ibid.*

Zænus Valentiæ Rex Podium D. Mariæ obſidens, a paucis Chriſtianis magno miraculo funditur, 1238. XLV. S. Georgius in eum pugnaſſe creditus, *ibid.* A Jacobo Rege Aragonum Valentiæ obſidetur, *ibid* Ad deditionem compellitur, *ibid.*

Zale Rex Africæ Chriſtiana ſacra amplecti meditatur, 1245. LXXV. Regnum in equites S. Jacobi transfundere, *ibid.* Approbata res ab Innocentio IV. impoſito annuo cenſu, *ibid.*

Zelus animarum; Joannes Boſſinenſis epiſcopus diœceſim pedes obit, 1253. XV. S. Ludovicus pro Tartarorum converſione laborat, 1238. XXXVIII. 1252. XXIII. 1254. XII. Sarracenos plures ad fidem allicit, 1248. XXXIII. 1254. XII. Romanorum Pontificum zelus in convertendis hæreticis ſchiſmaticis, & infidelibus. *Vide*, Gregorius IX. Innocentius IV.

Zelus Blemmydæ in Imp. pellice e templo eiicienda, 1255. LXXVI.

Zianus; Petri Ziani Venetorum ducis filius; ab Innocentio IV. Licii comitatus ei traditus, 1252. III.

Zibiſclaus Banus Boſnenſis commendatur a Gregorio ob religionis zelum, 1236. LXVII. In clientelam apoſt. ſedis recipitur, *ibid.*





# INDEX ANIMADVERSIONUM

## In quo paginarum numerus indicatur.

## A

Abelis Daniæ tyranni obitus, pag. 464.

Albus ex eremicola monachus Ciſtercienſis, 555. Tandem Cardinalis, *ibid.* Eccleſiæ univerſæ miſerabilem ſtatum carminibus expreſſit, *ibid.*

Alexandrini a fide Romanæ Eccleſiæ deficiunt, 241. Imperatori favent adverſus Genuenſes, 292.

Andreas Hungariæ Rex interdicto affligitur ab Archiepiſc. Strigonienſi, & quo anno, 61. Ejuſdem conſtitutio pro regni reformatione Stephano I. temere adſcripta, 62. Ejus nuptiæ cum Beatrice Eſtenſi, 226. Mantuanus epiſcop. adfuit, *ibid.* Dotem forte conſtituiſſe videtur, *ibid.*

Andreas de Galeranis patrato homicidio in ſublime fertur cum equo, 440. Ope Virginis ereptus, *ibid.* Hoc inſigni prodigio piam vitam amplectitur, *ibid.* Lacrymarum dono præditus, *ibid.* Sanctitate celebris Senis vitam claudit, *ibid.* Poſt obitum clarus miraculis, *ibid.*

Annus gratiæ quid fuerit, 205. Cur ita dictus, *ibid.* De eo actum in Concilio Trevirenſi, *ibid.*

Aoſanus Bulgarorum Rex una cum filio inducias pollicetur Conſtantinopolit. 264.

Aquiſgrani obſidio & expugnatio, 399.

## B

Balduinus audita morte Joannis Bremenſis in Orientem magnis itineribus contendit, 234. Cum exercitu florentiſſimo in Græciam irrumpit, *ibid.* Tzurulum expugnat, *ibid.*

Bellum Regis Galliæ cum Toloſano Comite quouſque duraverit, 305. Pax firmatur, *ibid.*

Brancalæo Romanæ urbis Senator quid in Innocent. IV. molitus, 555.

Britanniæ Comitis conſpiratio cum Angliæ rege adverſus Gallos, 28. Quamdiu duraverit, *ibid.*

## C

Campaniæ bellici tumultus Theobaldum inter Navarræ Regem & S. Ludovicum, 150. A Gregorio IX. ſedati, *ibid.*

Carroculus quid fuerit, 262. A Mediolanenſibus amittitur in pugna cum Friderico, *ibid.*



Carrocium a multis vocatum, *ibid.*

Clades Templariorum a Sarracenis illata, 183.

Combuſtio librorum judaicorum, Greg. IX. pontific. quo anno contigerit, 313.

Concilium quoddam pro Carcaſſonenſi Epiſcopo ad quem annum pertineat, 32. Idem fortaſſe alterutrum fuit a Romano celebratum, *ibid.* Biterrenſe a quo habitum & quare, *ibid.* Provinciale Tarraconeſe, 33. In eo quid vetitum, *ibid.* Qui convenerint, *ibid.* Noviomenſia plura in cauſa Eccleſiæ Belvacenſis, 48. Aliud eadem de cauſa apud S. Quintinum, 49. Provinciale a Juhello archiepiſc. Turonenſi habitum, 168. Ejus acta incerta, *ib.* Trevirenſe, 205. A quibus coactum, *ibid.* Canones, *ibid* Moguntinum, 222. Præfuit Conradus Rex, *ibid.* In eo expoſitæ litteræ querulæ Eiſtatenſis Epiſcopi, *ibid.* Terraconenſe in Hiſpania, 227. In eo ſancita promulgatio conſtitutionum Joannis Sabinenſis, *ibid.* Item feſti S Frnaciſci & S. Dominici, *ibid.* Alii ejus canones, *ibid.* Meldenſe, Silvanectenſe, & Bituricenſe in Gallia, 244. Quare coacta, *ibid.* Tribus hiſce adeſt Jacobus Prænestinus, *ibid.* Valentinum II. provinciale, *ibid.* A quo habitum, *ibid.* Tarraconenſe alterum Petro archiepiſc. præſide, 280. Ejuſdem nonnulli canones, *ibid.* Bituricenſe aliud provinciale, 293. Adeſſe recuſat Epiſcop. Claromontanus, *ibid.* Interdicto mulctatur, *ibid.* Tarraconenſe aliud ſub Petro archiepiſcop. 316. Eſt provinciale V. *ibid.* Quid in eo actum, *ibid.* Germanicum a Siffrido archiepiſc Moguntino habitum, 316. In eo Fridericus denunciatur excommunicatus, *ibid.* Lugdunenſe I. Oecum. præſide Innocent. IV. 324. Quot Seſſiones habitæ, *ibidem.* Quot Patres convenerint, *ibid.* Acta, *ibid.* Canones, *ibid.* Cur octava nativitatis Virginis reſtituta, *ibid.* Septenus electorum numerus fortaſſe definitus, *ibid.* In eo pariter ſancitum ut Cardinales rubro galero uterentur, *ibid.* Privilegia multa conceſſa Simeoni Abbati S. Bertini, *ibid.* Item Fratribus ordinis Grandimontenſis, *ibid.* Duo pariter in Gallia celebrata ſub eodem pontifice, 449. Quid in eis ſancitum vetitumque, *ibid.* Pariſienſe alterum, 484. Acta, *ibid.* Salmurienſe a Petro Lambelle Turonenſi archiepiſc. celebratum, *ibid.* Quot canones editi; quidve reſpiciant, *ibid.* Aliud ad Caſtrum Gonterii, 485. Biterrenſe in Gallia Narbonenſi pro expugnanda arce de Quercubus hæreticorum aſylo, 530. Pariſienſe aliud, *ibid.* Aliud Senonenſe in cauſa necis Cantoris Carnotenſis, 550.

Conciliabulum Francfordienſe ad quem annum pertineat, 117. Pro Moguntino Concilio falſo habitum, *ibid.*

Conradus Martburgenſis pontificio juſſu hæreticos inſectatur acerrime, 57. Ab improbis necatur, & quo anno ac die, 91.

Conradus Thuringius nihil præſtitit in archiepiſc. Moguntinum, 58. Sceleſtus quidam potius de ejuſdem exercitu, *ibid.*

Conradus Friderici Imp. filius Rex Romanorum electus, 160. Quo loco Conventus habitus, *ibid.* Ejus in Italiam adventus, 457.

Conſtitutiones quædam per Angliam latæ ad concilii Lateranenſ. promulgationem, 171. Pro ſynodalibus anonymi epiſcopi falſo habitæ, *ibid.*

Cruceſignati milites in Germania tumultus excitant in Judæos, 151.

Cruceſignatorum exercitus accepta clade Damiatam reddere cogitur, 426. Hanc deditionem delet Innoc. IV. *ibid.*

Cyprios inter & Cruceſignatos diſſidium exortum, 406.

## D

DAmaſcus occupatur a Sultano Babylonis, 365.

Damiata cur reddita a Cruceſignatis, 426.

S. Dominici corporis tranſlatio quo anno contigerit, 87. Elevato lapide odor ſuaviſſimus diffuſus, *ibid.*

## E

ECcleſiæ Belvacenſis diſſidia unde profecta, 48. Quo anno excitata, *ibid.* Eorum diſtincta narratio, *ibid.* In cauſa fuere cur multa Concilia celebrarentur, *ibid.* & *ſeq*

Eccleſiæ univerſæ ſæculo XIII. ſtatus miſerrimus, 554. Carminibus expreſſus ab Albo Cardinali, 555. Referuntur, *ibid.*

Eccleſiaſtici juris invaſio ubi vetita laicis Principibus, 385.

B. Edmundi electio, confirmatio, & conſecratio in archiep. Cantuarienſem, 57.

Edmundi epocha in regno Siculo, 524. Ejuſdem coronatio, *ibid.*

S. Elizabeth Hungariæ reginæ ſanctificatio quo anno contigerit, 125.

Epiſcopi Siculi adverſus Romanam Eccleſiam partes tuentur, 555.

## F

S. FRanciſci corporis tranſlatio Aſſiſium, 29. Multis conjuncta miraculis, *ibid.*

Fridericus Hieroſolymam munire detrectat, 5. Ab ea intempeſtive recedit, *ibid.* Ipſum inter & Cypri Acconiſque cives ſtabilita pax improbatur, 109. Ex Italia egreſſus Germanicas partes repetit, 120. Henrico filio veniam tribuit, *ibidem*. Matrimonio jungitur cum Iſabella ſorore Regis Angliæ, 121. Filium captivum detinet, *ibid.* In Apuliam mittit, *ibid.* Diſſentionis hujus cauſa deſcribitur, *ibid.* Ejus Veronam adventus, 136. Ad Gregor. IX. literas mittit, *ibid.* Quid nunciet Pontifici, *ibid.* Profligaturus Mediolanenſes colloquium Mantuam differt, *ibid.* Diſſolvitur & quare, *ibid.* Brixiam indicitur, *ibid.* Plures ad eum Epiſcopi veniunt de pace tractaturi, *ibid.* Pacis conditiones Mediolanenſibus per quos proponat, *ibid.* A Pontifice cenſuris affligitur, 215. Habita concione Patavii invehit in Pontificios miniſtros de injuſte lata cenſura, *ibid.* Ejus imperium Ravennates detrectant, 221. Mox coacti recipiunt, *ibid.* Cum Genuenſibus terra marique bella gerit, 269. A Siculis quibuſdam quæſitus ad necem, 353. Lugdunum ſe conferre conſtituit; 371. Longobardiam ingreſſus tranſitu prohibetur a Sabaudiæ comite, *ibid.* Audita Parmenſium defectione ad illos ſe confert, *ibid.* Simulat iter præſtare Regi Francorum pro expeditione Terræ S. 401. Impedit, *ibid.* Venationi indulgens quodam die eruptione facta a Parmenſibus Victoriæ arcem amittit, *ibid.* Recedere cogitur, *ibid.* Nuncios mittit ad Franciæ Regem, cui tranſitum pollicetur, *ibid.* Ejus obitus, 428. Teſtamentum, *ibid.* Ejus in Roman. Eccleſiam pœnitentia valde controverſa, *ibid.* Utcumque ſint indicia proferuntur, 429.

Fuſſenſis comes a Gregor. IX. anathemate perculſus, 12. In Eccleſiæ gremium redit, *ibid.* 18.

## G

GAllicani motus, 18. Quæ de illius narrantur aliqua ex parte mendoſa, *ibid.* 32.

Gallorum induciæ cum Anglis quo anno firmatæ, 51.

Græcorum mos Euchariſtiam integro anno ſervandi ab Innoc. IV. improbatus, 495.

Gregor. Pap. IX. obortas in Franciſcana familia controverſias dirimit, 29. Ejuſdem litteræ ad Gallorum Regem in cauſa Toloſani comitis, 95. 104. Item aliæ pro eodem ad Petrum de Collemedio, *ibid.* Galliarum præſulibus imperat proſtribulorum everſionem, 105. Celebres decretales edit, 107. Variæ decretalium collectiones explicantur, 108. Cæteras abrogat ſua edita Gregorius, *ibid.* In ea conficienda Raymundi de Pennafort opera uſus, *ibid.* Interdicti ſuſpenſionem in Rhemenſi Provincia jubet, 147. Hoc certe confuſum cum eo quod imminebat in cauſa Belvacenſi, *ibid.* Cur invehat in Raymundum Toloſanum comitem, 148. Diſſidia componit inter Theobaldum Navarræ Regem & S. Ludovicum, 150. Ad Mediolanenſes aliaſque gentes Longobardiæ dat encyclicas literas, 161. Genuenſes Venetoſque conciliat, 208. Ejus obitus, 276. Sedis vacatio, 287. Succeſſor, 276.

Gregorius a Montelongo Patriarcha Aquilejenſis effectus, 460.

Guido Namnetenſis Epiſcop. eligitur Patriarcha Hieroſolymitanus, 249. A nonnullis Albertus vocatus, *ibid.* Guidonis is potius ſucceſſor, *ibid.*

## H

HEnrici diſſidia cum parente Friderico, 121. Quare excitata, *ibid.* In carcerem conjectus occumbit, *ibid.*

Henricus alter ſive Entius Friderici filius a Bononienſibus captus apud Mutinam, 415. Carceri mancipatur, *ibid.* Annus mortis, *ibid.*

Henricus ordinis Teutonicorum magiſter, 161. Falſo Hermannus vocatus, *ibid.*

Henricus Thuringius in regem electus, 349. Electionis tempus locuſque aperitur, *ibid.* Qui adfuerint, *ibid.* Regni tempus & obitus, 368. Succeſſor, *ibid.*

Henricus Rex Cyprii cum Placentia Antiocheni comitis filia connubio jungitur, 421.

Hungariæ Regis interdictum ad quem annum pertineat, 61.



## I

JAcobi Præneſtini geſta in Liguria, 209.

Jacobus ex Virdunenſi epiſcopo Patriarcha Hieroſolymit. 559. Roberti ſucceſſor, *ibid.*

Ingelheim a Villelmo Rege expugnata, 414.

Innocentius pap. IV. pacem tractat cum Friderico, 289. Quorum opera uſus, *ibid.* Præeſt concilio Lugdunenſi I. 324. Ejus adventus Cluniacum, 341. Agit ibidem cum Rege Galliæ, 341. Audita Parmenſium defectione a Friderico ſubſidium illis parat, 371. Impeditur a Sabaudiæ comite jam a Friderico ſeducto, *ibid.* Armanum cardinalem mittit Mediolanum cum pecunia, *ibid.* Mox Octavianum card. diac. cum electis copiis, *ibid.* Provinciale concilium indicit in Provincia Senonenſi, 385. Locus ſtatuitur, *ibid.* In eo proviſum ne Laici principes eccleſiarum jura invaderent, *ibid.* Nicolaum Pragenſem epiſcop. per Gotrimundum legatum cenſura plectit, 416. Cur eum ad ſe vocet, *ibid.* Ludovicum Regem piis litteris ſolatur pro averſa pugna in Ægypto, 420. Ad conſtantiam excitat in adverſis rebus, *ibid.* Commendat Hieroſolymit. regni liberationem, *ibid.* Luget deditionem Damiatæ, 426. E Gallia in Italiam redux, 446. Primo quidem Genuam, mox in Longobardiam ſe confert, *ibid.* A Genuenſibus magnifica pompa exceptus, *ibid.* Totius itineris deſcriptio, *ibid.* Ejus Peruſium adventus, 458. Cardinales ibidem creat, & quot, *ibid.* Conſuetudines quaſdam Georgianorum improbat, quaſdam permittit, 495. Statuit ne ultra 15. dies ſacra Euchariſtia ſervetur, *ibid.* Senſus ejus prohibitionis explicatur, *ibid.* Capuam proficiſcitur, 514. Mox Neapolim, *ibid.* Morte ibidem occupatur, *ibid.* In majori eccleſia ſepultus, *ibid.* Pietate præcellens, *ibid.* Cur in principes auſterus, *ibid.* Pater & organum veritatis appellatus, *ibid.* Scientias canonicas mirifice coluit, *ibid.* Optime de ſacro jure meritus, *ibid.* Multa ſcripta edidit, *ibid.*

Joannes de Brenna fit Imperator Conſtantinopol. 15. Qua de cauſa, *ibid* Proſpera multa & adverſa paſſus Minorum ordinem affectat, 234.

Joannes Vicentinus Prædicatorum ordinis concionator eximius, 86. Veronæ principatum ſibi aſſumit & quare, 86. Vicentiam pergens a Paduanis capitur, *ibid.* In carcerem conjicitur, *ibid.* A Greg. IX. hortatorias litteras accipit, *ibid.* & *ſeq.* Liberatus Veronam redit, *ibid.*

B. Jordani obitus quo anno conſignetur, 144.

Iſemburgis Gallorum reginæ ſumma calamitas, 168. A Philippo II. rejecta recipitur minante Sum. Pontif. *ibid.* Obitus, *ibid.*

Judaici libri Gregorio IX. jubente combuſti, 313.

Judæi nonnulli interfectis pueris cujuſdam Molendinarii necantur a Cruceſignatis, 151.

## L

LEgatio Latinorum ad Græcos pro utriuſque eccleſiæ conciliatione, 75.

Leodium interdicto affligitur & quare, 11. Liberatur, *ibid.*

Litteræ Germani II. Græcorum patriarchæ ad Cyprios, 71. Quid contineant, *ibid.* Ejus monita, *ibid.* Innocent. IV. ad S. Ludovicum, 420. Gregor. IX. ad Joannem Vicentinum, 86. Ejuſdem ad Gallorum Regem in cauſa Toloſani comitis, 95. Ad Petrum de Collemedio, *ibid.* Ad Mediolanenſes, aliaſque gentes Longobardiæ, 161.

S. Ludovicus cum Greg. IX. agit de reſtituendis terris Toloſano comiti, 95. Quare abnuat Pontifex, remque committat Tornacenſi epiſcopo, *ibid.* Regalia Mauricii Rotomagenſis archiep. cur invadat, 96. Interdicto mulctatur ab eodem archiepiſcop. *ibid.* Pontificias litteras impetrat, ne regiæ capellæ interdicto ſubiicerentur in poſterum, *ibid.* Omnia reſtituit Archiepiſc. *ibid.* Dominicæ paſſionis monumenta oppignorata Venetis cum fratre Roberto in ſacram ædem reportat ſubiectis humeris nudiſque pedibus, 191. Expeditionem in Terram S. proſequitur, 412. Damiatam victor ingreditur, *ibid.* Inde in Maſſuram exercitum ducit, *ibid.* Ab Innoc. IV. conſolatorias litteras accipit, 420.

## M

MAnfredus Borellum de Agone interficit, 514. Aufugit, *ibid.* Pontificias copias aggreditur apud Capuam, *ibid.* Hæreticorum fautor, 555.

Manuelis Nicæni Patriarchæ Hieroſolymit. obitus, 561. Succedit Arſenius, *ibid.*

Mauricius Rothomagenſis archiepiſcop. Gallorum Regis iram incurrit & quare, 96. Rothomagenſem diœceſim interdicto plectit, *ibid.* Quamdiu duraverit, *ibid.*

Militia Chriſti ad excindendam ferro hæreſim quando inſtituta, 89. Nobiles viri certatim profitentur, *ibid.* Cum his gratulatur Greg. IX. *ibid.*

Montagnana ubi ſita, 285. Ejus combuſtio quomodo contigerit, *ibid.*

Mos excipiendi Principes ſub velamine dum ſolemni ritu ſe produnt unde profectus, 446.

## N

NAulum ex vico urbs effecta, 210. Deinde ſedes epiſcopalis, *ibid.* Olim conjuncta Brugnetto a Jacobo Præneſtino, *ibid.*

Nicolaus Roſchildenſis Epiſcopus perduellionis ſuſpectus in Daniæ Regem, 360. A ſua diœceſi proſcriptus, *ibid.* Clarevallenſem monachum induit, *ibid.*

Nicolaus Pragenſis epiſc. cenſura affligitur in cauſa Conradi filii Friderici, 416. Ab Innoc. IV. evocatur, *ibid.* A rege fortaſſe conjectus in carcerem, *ibid.*

Ordi-

## O

ORdinis ſervorum Beatæ Virg. exordium, 556. Ejuſdem ſeptem viri auctores pietate ac virtute præclari, *ibid.* Laudenſes dicti, *ibid.* Commune vitæ inſtitutum petunt ab Ardingho Epiſcopo, *ibid.* Pietatis cauſa ſecedunt, *ibid.* S. Auguſtini regulam amplectuntur, *ibid.* Forma veſtis a Deipara commoſtrata in ſomnis, *ibid.* Rainero Cardinali probatus hic ordo, *ibid.* Ab Alexandro IV. firmatur, *ibid.* Pietate ac litteris præclaris viris omni tempore floruit, *ibid.*

Othonis Cardinalis diaconi legatio quo anno contigerit, 11. Leodium venit, *ibid.* Cur in illum oborta ſeditio, *ibid.* Egredi coactus urbem interdicto afficit, *ibid.*

## P

PArmenſes eruptione facta Victoriæ arcem expugnant, 401. Fridericum fugant, *ibidem.*

Petrus Philippi regis filius conſecratus Epiſcopus Noviomenſis, 243.

Philippus Ravennatenſis archiep. electus legatus ad Ezelinum, 524.

Prelia diverſa in Syria a Richardo de S. Germano confuſa, 70. In horum altero Joannes Ibelinus victus abſcedit, in altero potitus victoria, *ibid.* Ad quem annum utrumque pertineat, *ibid.*

Præſules multi in Liguſtico mare capti a Friderici claſſe, 269.

Principes laici eccleſiaſtica jura invadere prohibentur, 385.

Pugna Friderici cum Mediolanenſibus ad quem annum pertineat, 162.

## R

RAmundi Toloſani Comitis conſtitutiones in hæreticos quo anno latæ, 95. Increpatur acerrime a Greg. IX. de fœda expulſione Arnaldi, 148.

Raymundus nonnatus cur ita dictus, 185. Ordinis redemptionis de mercede author, *ibid.* Plures in Africa ad fidem convertit, *ibid.* Flagris cæſus in carcerem detruditur, *ibid.* Quouſque fuerit detentus, *ibid.* Conſuta ipſi ab Infidelibus labia divinitus diſſuuntur, *ibid.* Audita tanti viri fama, Greg. IX. Cardinalem creat, *ibid.* Barcinonam reverſus a Civibus ingenti pompa excipitur, *ibid.* A Gregor. IX. Romam accerſitus, 254. Lethali febre in itinere correptus ab Angelis ſacro viatico reficitur, *ib.* Flumen ſicco pede pervadit, *ibid.* Ejus obitus, *ibid.* Miraculis poſt obitum clarus, *ibid.* A Petro de Luna antipapa in Sanctorum album adſcriptus, *ibid.* Ab Urbano VIII. coli juſſus, *ibid.* Ab Alexandr. VII. Martyrologio adſcriptus, *ibid.*

Raynaldus de Jenne electus Pontifex, 519. Innocent. IV. ſucceſſor, *ibid.*

Ravennates Friderici imperium reſpuunt, 221. recipere compelluntur, *ibid.*

Rex Francorum quamdiu Cypriam inſulam obtinuerit, 406.

Ricardus a S. Germano hiſtoriæ finem imponit, 297. Opus ejus a quibus vulgatum, *ibid.* Mendis in pluribus abundat, 298.

Roberto Comiti oblatum imperium & quomodo, 222.

Roberti Patriarchæ Hieroſolymitan. obitus, 559.

Rodericus Ximenius archiepiſcop. Toletanus ſcriptor accuratiſſimus, 297. Quouſque hiſtoriam ſuam proroget, *ibid.*

Romani ægre parent Innoc. IV. 555.

Ruthenorum legatio ad Pontificem, 357. Inſtrui petunt in Catholica fide, *ibid.* Annuit Pontifex miſſo primum ad regem Alberto archiepiſc. Livoniæ, mox Abbate de Muxovio, *ibid.*

## S

SAbaudiæ Comes iter impedit pontificiis copiis, 371.

Salinguerræ res geſtæ & obitus, 240.

Siculi motus in Fridericum, 353. Quorumdam tantum conjuratio fuit, *ibid.*

Siffridi Moguntini archiep. obitus, 31. Certa dies & locus aſſignatus, *ibid.* & 314. Ejus ſucceſſor, *ibid.*

Sinibaldi electio in Pontificatum quo anno menſe ac die conſignetur, 287.

Speroniſti & Paſſagini hæretici qui fuerint, 12. A Greg. IX. anathemate perculſi, *ibid.* Eorum dogmata, *ibid.*

Sultanorum plurium deceſſio certo quodam anno falſo aſſerta, 196.

Sultanus Ægyptius a ſuis trucidatus, 421.

Synodus Nymphea quando habita, 75. Moguntina altera a Siffrido archiep. 91.

Synodus Barchinonenſis, 279. Ejus conſtitutiones, *ibid.* In Valentina diœceſana Synodo relatæ, *ibid.*

Synodus Pariſienſis præſide Gilone archiepiſc. Senonenſi, 411. Ejus canones, *ibid.* Quod in ea Clericus ex diaboli verbis expoſuit plane fabuloſum, *ibid.*

## T

TArtarorum irruptio in Hungariam duce Baidone, 257. 282. Horrenda clades, *ibid.* Cauſa tantæ necis divinitus nunciata, 257. Danubium tranſiturus Baido aquis abſorptus, *ibid.* 282.

## V

VAldemari Regis Daniæ obitus, 279.

Vatacii induciæ cum Conſtantinopolitanis, 264. Eas quoque Anſanus Bulgarorum Rex jurejurando pollicetur, *ibid.*

Victoria de Stedinghis quo tempore contigerit, 112. Hac in re Stadenſis error deprehenſus, *ibid.*

Victoriæ urbis expugnatio deſcripta, 401.

S. Willelmus Broicenſis Epiſcopus exilium patitur, 279. Britanniæ reddita pace ad propria remeat, *ibid.* Epiſcopatum reſumit, *ibid.* Cathedralem Eccleſiam ædificat, *ibid.* Obit, *ibid.*

Vil-



Villelmus Sabinenſis Epiſcopus in Norvegiam legatus, 358. Cardinalitiam dignitatem dolet, ſpe ſublata carthuſianæ quietis, *ibidem.*

Villelmi aſſumptio in Regem Romanorum, 368. Aquiſgranum expugnat, 399. A Duobus Cardinalibus regiam accipit benedictionem, *ibid.* Qui fuerint, *ibid.* Inſignem victoriam reportat de Belgis, 473. Quæ fuerit tanti belli cauſa, *ibid.*

FINIS.